P. 50. H. 2


BIBLIOTHECAE PATRVM, ET VETERVM AVCTORVM ECCLESIASTICORVM,

TOMVS SECVNDVS.

Qui Homilias, de varijs Scripturæ locis & rerum diuinarum argumentis plurimas complectitur:

Per MARGARINVM DE LA BIGNE, *ex alma Sorbonæ Schola, Theologum Doctorem Pariſienſem.*

EDITIONE TERTIA.



PARISIIS,

M. D. CX.

CVM PRIVILEGIO.

HOMILIARVM DE SANCTIS ET IN VARIA SCRIPTVRÆ LOCA, RERVMQVE DIVINARVM ARGVMENTA; QVÆ SANCTORVM *Patrum, ſeu Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ Tomo ſecundo continentur; Index.*

BEATI HIPPOLYTI Romani-portus, ſiue Portuenſis Epiſcopi & martyris, Oratio de Conſummatione mundi, ac de Antichriſto, & ſecundo Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti; Homelia. col. 7.

Sancti P. N. EPIPHANII, Epiſcopi Conſtantiæ vrbis, inſulæ Cypri, de laudibus ſanctæ Mariæ Deiparæ, Sermo, Ioãne Pico interprete. col. 17.

HESYCHII Presbyteri Hieroſolymitani, de ſancta Maria Deipara, Homelia, eodem Pico interprete. col. 23.

CHRYSIPPI Presbyteri Hieroſolymitani, de ſancta Maria Deipara, Sermo; eodem Pico, interprete. col. 28.

S. GAVDENTII Epiſcopi Brixiani, qui tempore D. Ambroſij floruit, in varia ſcripturæ loca, Sermones, ſiue Tractatus. 17. col. 33.

Eiuſdem Reſponſio, ad Germinium, de Villico iniquitatis. col. 93.

Eiuſdem Reſponſio ad Paulum Diaconum, de eo quod Dominus Ieſus dixit Apoſtolis, *quia, Pater maior me eſt.* col. 98.

SIMEONIS Admirandi Stylitæ, Sermo de ſemper mente complectendo ſuum quiſque diſceſſum. col. 103.

Ex S. P. N. MARCI Anachoretæ Epiſtola, Fragmentum. col. 106.

S. P. N. NOVATI Catholici, de humilitate & obedientia, & calcanda ſuperbia, Homelia, ad fratres. col. 106.

S. DROGONIS, primum Abbatis ſancti Ioannis Laudunenſis, deinde Hoſtienſis Epiſcopi, de Sacramento Dominicæ Paſſionis, Sermo. col. 109.

S. ELIGII Nouiomenſis epiſcopi, in varia Scripturæ loca, Homeliæ 16. col. 131.

Pandectes ſcripturæ diuinitus inſpiratæ venerandi Patris ANTIOCHI, monachi quondam in Laurenſi cœnobio S. Sabæ, deinde Abbatis, ad Euſtachium Athalinæ domus in Anyra (Salatiæ Metropoli) Monachum: Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſienſis Monacho, interprete: cum eiuſdem Tilmanni, in ſuum hunc Antiochum nuncupatoriæ Præfationis fragmento: col. 177.

Eiuſdem S. Patris Antiochi, Exomologeſis. col. 339.

S. LAVRENTII Nouarienſis epiſcopi, de Pœnitẽtia, & de Eleemoſyna, Homeliæ. col. 341.

S. FAVSTI, ex Leomenſi Monacho Rhegienſis epiſcopi, ad Monachos, Sermo. col. 363.

S. CHROMATII, Aquileienſis epiſcopi, de octo Beatitudinibus, Conciones 2. col. 367.

Eiuſdem, Tractatus in illud Matth 3. *Ego à te debeo baptiſari.* col. 397.

Expoſitio capitum admonitoriorum edita ex tempore, ab AGAPETO Diacono ſanctiſſimæ Dei magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. col. 399.

B. DOROTHEI Archimandritæ, de vita rectè & piè inſtituenda, doctrinæ, ſiue Sermones, 24. Hilarione, ſacræ Caſſinenſis Congregationis Monacho doctiſſimo, interprete. col. 405. Eiuſdem, ad fratrem, tentationibus oppreſſum, & alios; epiſtolæ, ſeu

Digitized by Google

HOMILIARVM DE SANCTIS ET IN VARIA SCRIPTVRÆ LOCA, RERVMQVE DIVINARVM ARGVMENTA; QVÆ SANCTORVM *Patrum, ſeu Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ Tomo ſecundo continentur; Index.*

BEATI HIPPOLYTI Romani-portus, ſiue Portuenſis Epiſcopi & martyris, Oratio de Conſummatione mundi, ac de Antichriſto, & ſecundo Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti; Homelia. col. 7.
Sancti P. N. EPIPHANII, Epiſcopi Conſtantiæ vrbis, inſulæ Cypri, de laudibus ſanctæ Mariæ Deiparæ, Sermo, Ioãne Pico interprete. col. 17.
HESYCHII Presbyteri Hieroſolymitani, de ſancta Maria Deipara, Homelia, eodem Pico interprete. col. 23.
CHRYSIPPI Presbyteri Hieroſolymitani, de ſancta Maria Deipara, Sermo; eodem Pico, interprete. col. 28.
S. GAVDENTII Epiſcopi Brixiani, qui tempore D. Ambroſij floruit, in varia ſcripturæ loca, Sermones, ſiue Tractatus. 17. col. 33.
Eiuſdem Reſponſio, ad Germinium, de Villico iniquitatis. col. 93.
Eiuſdem Reſponſio ad Paulum Diaconum, de eo quod Dominus Ieſus dixit Apoſtolis, *quia, Pater maior me eſt.* col. 98.
SIMEONIS Admirandi Stylitæ, Sermo de ſemper mente complectendo ſuum quiſque diſceſſum. col. 103.
Ex S. P. N. MARCI Anachoretæ Epiſtola, Fragmentum. col. 106.
S. P. N. NOVATI Catholici, de humilitate & obedientia, & calcanda ſuperbia, Homelia, ad fratres. col. 106.
S. DROGONIS, primum Abbatis ſancti Ioannis Laudunenſis, deinde Hoſtienſis Epiſcopi, de Sacramento Dominicæ Paſſionis, Sermo. col. 109.
S. ELIGII Nouiomenſis epiſcopi, in varia Scripturæ loca, Homeliæ 16. col. 131.
Pandectes ſcripturæ diuinitus inſpiratæ venerandi Patris ANTIOCHI, monachi quondam in Laurenſi cœnobio S. Sabæ, deinde Abbatis, ad Euſtachium Athalinæ domus in Anyra (Salatiæ Mettopoli) Monachum: Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſienſis Monacho, interprete: cum eiuſdem Tilmanni, in ſuum hunc Antiochum nuncupatoriæ Præfationis fragmento: col. 177.
Eiuſdem S. Patris Antiochi, Exomologeſis. col. 339.
S. LAVRENTII Nouarienſis epiſcopi, de Pœnitẽtia, & de Eleemoſyna, Homelię. co. 341.
S. FAVSTI, ex Leomenſi Monacho Rhegienſis epiſcopi, ad Monachos, Sermo. col. 363.
S. CHROMATII, Aquileienſis epiſcopi, de octo Beatitudinibus, Conciones 2. col. 367.
Eiuſdem, Tractatus in illud Matth. 3. *Ego à te debeo baptiſari.* col. 397.
Expoſitio capitum admonitoriorum edita ex tempore, ab AGAPETO Diacono ſanctiſſimæ Dei magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. col. 399.
B. DOROTHEI Archimandritæ, de vita rectè & piè inſtituenda, doctrinæ, ſiue Sermones, 24. Hilarione, ſacræ Caſſinenſis Congregationis Monacho doctiſſimo, interprete. col. 405. Eiuſdem, ad fratrem, tentationibus oppreſſum, & alios; epiſtolæ, ſeu

ã ij

potius Epiſtolarum, 7. Fragmenta. col. 485.
B. Esaiæ Abbatis, ad fratres qui cum ipſo viuebant; Orationes, 29. col. 487.
D. Sophronii 62. Archiepiſcopi Hieroſolymitani; in Chriſti Seruatoris Natalia quæ tum in Dominicum diem inciderant, tum & de immani ſæuáque tyrannide Sarracenorum qui per id tempus obſidebant vel occupabant Bethleem: Oratio. col. 1022.
Eiuſdem Sanctorum Archangelorum, Angelorum, cæterarumque cœleſtium Virtutum Encomium. col. 557.
S. P. N. Cæſarij, Arelatenſis Archiepiſcopi, de varijs rerum diuinarum argumentis, hactenus hoc titulo editæ, Coloniæ, à Quentelio, *Admonitiones & interpretationes, aliquot difficilium ſcripturæ locorum, Fœliciarij Arelatenſis Epiſcopi*, Homiliæ XLVI. *in hac editione An.* 1610. *ex collatione codicum MS. emendatæ & auctæ ſtudio & opera Front. Ducæi* B. S. I. *Th.*
D. Andreæ Hieroſolymitani Archiepiſcopi, in S. Mariæ Deiparæ ſalutationem; Marco Hoppero, interprete; Sermo. col. 659.
Pantaleontis, magnæ Dei Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconi; de luminibus Sanctis; id eſt; de Domino Chriſto, & ſancto Ioanne eius Præcurſore; Sermo. col. 667.
S. P. N. Theofridi Abbatis, de Sanctorum Reliquijs; Sermo. col. 1109.
Eiuſdem; de veneratione Sanctorum; Sermo alter. col. 669.
S. Zenonis Veronenſis Epiſcopi, martyris, & Doctoris eximij; de plurimis Scripturæ locis, & rerum diuinarum argumentis; Sermones. col. 675.
Berengoſij, ad S. Maximium extra muros Treuirorum, Abbatis de laude & inuentione ſanctæ Crucis, libri tres. col. 797. Eiuſdem libellus inſignis de myſterio ligni Dominici, & de luce viſibili & inuiſibili, per quam antiqui Patres meruerunt illuſtrari. col. 832. f. Eiuſdem; in illud ex Pſalmo 58. *Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, &c.* Sermo in Natali Martyrum legendus. col. 853. Eiuſdem; de eodem Pſalmo; Sermo de Martyribus. col. 858. e. Eiuſdem in illud ex Leuitici cap. 6. *in ſartagine oleo conſperſa frigetur, offeret eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino, Sacerdos qui iure patri ſucceſſerit. &c.* Sermo de vno Confeſſore. col. 862. Eiuſdem; in illud ex eodem 6. Leuitici cap. *Ignis in altari ſemper ardebit quem nutriet, Sacerdos, &c.* Sermo de vno Confeſſore atque Pontifice. col. 865. d. Eiuſdem, Sermo in Dedicatione Eccleſiæ, deque Reliquiarum veneratione. col. 869. d.

VETERVM PATRVM HOMELIAE DE VARIIS SCRIPTVRÆ LOCIS, ET RERVM DIVINARVM ARGVMENTIS;

ſacræ Bibliothecæ,

TOMVS SECVNDVS.

DE DIVO HIPPOLYTO EPISCOPO ET MARTYRE, Ex D. Hieronymi ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo.

HIPPOLYTVS cuiuſdam Eccleſiæ Epiſcopus (nomen quippe vrbis ſcire non potui) † *rationem Paſchæ temporúmque Canones ſcripſit vſque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & ſedecim annorum circulum quem Græci* ἑκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit: & Euſebio, qui ſuper eodem Paſcha Canonem decem & nouem annorum, id eſt,* ἐννεακαιδεκαετηρίδα, *compoſuit, occaſionem dedit. Scripſit nonnullos in ſcripturas commentarios, è quibus hos reperi, in* ἑξαήμερον, *& in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Geneſim, & in Zachariam, de Pſalmis, & in Eſaiam, de Daniele, de Apocalypſi, de Prouerbijs, de Eccleſiaſte, de Saul, de Phytoniſſa, de Antichriſto, de Reſurrectione contra Marcionem, de Paſcha aduerſum omnes Hæreſes; &* προσομιλίαν *de laude Domini Saluatoris; in quo præſente Origene ſe loqui in Eccleſia ſignificat. In huius æmulationem, Ambroſius quem de Marcionis hæreſi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus eſt Origenem in Scripturas Commentarios ſcribere, præbens ei ſeptem & eò amplius notarios eorúmque expenſas, & librariorum parem numerum: quódque his maius eſt incredibili ſtudio quotidiè ab eo opus exigens; vnde & in quadam Epiſtola,* ἐργοδιώκτην *eum Origenes vocat.*

SCIRE NON POTVI.†) *Gelaſius PP. 1. in libro contra Eutychen; Arabum Metropolis Epiſcopum eum nominat; Germanus Conſtantinop. Hippolytum de Roma; Zonaras, Annalium, tom. 2. Martyrem & Epiſcopum Romani Portus quem Centuriaſtæ, oſcitanter, [illegible]ſtam ſcripſerunt. Et quidem Portuenſem Epiſcopum fuiſſe qui Cyclum Paſchalem deſcipſit, indicat ſtatua illius [illegible]morea cuius meminit Marianus Victorinus Scholio 1. in illius vitam in D. Hieronymi Script. Eccleſiaſticorum Catalogo: Alioqui citat Germanus Conſtantinopolitanus in rerum Eccleſiaſticarum Contemplatione (quem librum habes, huius Biblioth. tom. 5.) ex huius libro de Antichriſto; illum Anno mundi 6500. venturum; quod re vera non habetur in hac S. Hippolyti Orat. Cum enim de Aduentus illius tempore loquitur, conſtanter ait futurum poſtremis temporibus; de hora autem vel die, nihil præterea. His ſi addas non ita eſſe veriſimile Italum Epiſcopum vel Græcè ſcripſiſſe vel fuiſſe tanta neceſſitudine cum Origene coniunctum: per me liceat duo ſint Hippolyti; Latinus vnus ille Prior Portuenſis; Græcus verò alter huius Orationis Author.*

De S. Hippolyto agunt etiam Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 16. Nicephorus lib. 5. cap. 15. S. Hieronymus epiſt. 86. ad Magnum, & Proœmio in Matthæum. Photius in Bibliotheca, & alij. Martyr occubuit ſub Alexandro Mammeæ inſcriptúſque extat Romano Martyrologio 22. Auguſti. Plura de eodem ex probatis Auctoribus collecta exhibent notæ ad Roman. Martyrolog. & Annales Eccleſiaſtici, tom. [illegible] anno Chriſti 224. cap. 10. & anno 228. cap. 3. & ſeq. Item & apparatus ſacer Poſſeuini.

Non eſt illud opus S. Gelaſii primi Romani Pont. vt to 4. noſtro illius libri annotauimus.

Fallitur Margarinus. Nam S. Hippolytus Portuẽſis Epiſcopus Græcus fuit, & Græcè ſcripſit, vt apparet etiã ex Cyclo Paſchali Græcis literis ſcripto, & ſolo eiuſdem S. Hippolyti marmoreæ, quæ nunc in Vaticano ſeruatur inſculpto. Conſule notas ad Romanum Martyrologium, 22. Auguſti.

EX IOANNIS PICI, PARISIENSIS SENATVS PRÆSIDIS ET ORATIONIS HVIVS INTERPRETIS, Præfatione ad Illuſtriſſ. Principem Cardinalem Carolum à Lotharingia.

HAC in Oratione nemo ſperet diem vel horam illius ſecundi Aduentus ſiue Iudicij, deſignatam iri; quam nemo (dempto ſolo Patre, vt Chriſtus inquit in Euangelio) exploratam habet, verùm quæ ſtrictim & conciſè de indicijs diem illam anteceſſuris, à Domino dicta ſunt; ea ipſa verboſiùs & more prope declamatorio lepidiùs explicari, allatis Prophetarum atque Apoſtolorum confirmantibus propoſitum teſtimonijs. Quicumque tamen accedet ad lectionem huius Orationis, duo potiſſimum attendet & ſummopere cauebit, in quibus peculiarem & alienam ab Eccleſiaſtica doctrina tuetur Hippolytus opinionem. Prius, dum cenſet Ioannem Euangeliſtam quaſi minimè mortuum, cum duobus Prophetis Enoch & Elia venturum ad prædicandum verbum Dei paulo antequam reueletur Antichriſtus: cum tamen & beatum Ioannem obijſſe mortem aſſerat Eccleſia; & ille ipſe Ioannes, Apocalypſeos vndecimo capite, duorum duntaxat Prophetarum Antichriſto præeuntium faciat mentionem. Alterum eſt in eo quod exiſtimat Antichriſtum non futurum verum hominem, ſed Dæmonem qui corpus tantum phantaſticum oſtentet; contra Diui Pauli ſententiam vocantis illum, hominem peccati filiúmque perditionis. Quæ ne fallant imprudentem Lectorem, ſunt ad marginem annotata.

BEATISSIMI HIPPOLYTI, EPISCOPI ET MARTYRIS, ORATIO DE CONSVMMATIONE MVNDI, AC DE ANTICHRISTO, *& ſecundo Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

QVONIAM beati Prophetæ, oculi noſtri fuerunt, rerum arcanarum declarationem nobis indicantes; tum vita, tum manifeſtatione, atque Spiritus ſancti Aduentu, & verba de ijs quæ nondum acciderunt facientes; vnde etiam omnium ſæculorum poſteritati maximam delinearunt contemplandi agendíque occaſionem. Quam etiam ob cauſam, Dei per carnem Aduentu in Mundum promulgato, qui ex impolluta ac Deipara Maria ortum ſumpſit atque incrementum: *Maria Deipara.* eius cum hominibus conſuetudinem ac vitam; ciúſque per baptiſma declarationem, futuram omnibus hominibus regenerationem per lauacrum regenerationis, eius miracula copioſa, beatam illam in Cruce Paſſionem, ludibria Iudæorum quæ in ea pertulit, ſepulturam eius, deſcenſum ad Inferos, *Chriſti deſcenſus ad inferos.* aſcenſum redemptionémque animarum quæ fuerunt à ſæculis, mortis extinctionem, viuificam eius à mortuis Reſurrectionem, vniuerſi Mundi reformationem, in Cœlum Aſſumptionem & Aſcenſionem, ſancti Spiritus ſuſceptionem qua ornauit Apoſtolos: Aduentum denique ſecundum qui manifeſtabit omnia, cùm Videntes appellentur, neceſſario præmonſtrârunt ac prædixerunt. Vnde diem etiam Conſummationis nobis ſignificârunt extremis temporibus Apoſtatam emerſurum qui homines ſeduceret; initium ac finem regni eius, Iudicis quoque Aduentum, Iuſtorum vitam, ac delinquentium ſupplicia præſignârunt: vti omnes ſingulis diebus ac horis hæc animo verſantes velut Eccleſiæ filij, cognoſcamus, ne vnum quidem iota aut vnum apicem ex his præteritum iri; quemadmodum ſermo Saluatoris indicauit. Omnes igitur neceſſariò aperite oculos cordium veſtrorum, ac auribus animæ veſtræ quæ dicturi ſumus excipite. Explicabo enim vobis hodierno die, omnis horroris terroríſque plenam narrationem: nempe de conſummatione; id eſt, totius Mundi ſeductione quam patietur ab hoſte & diabolo, *Oratio de mundi conſummatione, terroris plena eſt.* quam ſequetur ſecundus Aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnde ergo (Chriſti amantes) ſumam initium? quid exordiar, quidve commemorabo? Quem, eorum quæ dico, teſtem exhibebo? Verum vnde ſermonem

A ſumus auſpicati, eos in medium proferamus teſtes fide dignos, qui dicta comprobent: deinde Apoſtolorum quoque doctrinam vel Prophetiam potiùs, vt per vniuerſum Orbem terrarum quaſi tuba canent conſummationis diem. Cum igitur hi quoque præſignauerint quæ nondum euenerunt; ac fallacias peruerſáque conſilia improborum hominum qui exiſtent, aperuerint; agedum, Eſaiam Prophetam tanquam primum teſtem in medium producamus, qui docet nos quæ futura ſunt circa tempora conſummationis. Quid igitur ait? *Terra veſtra deſerta, Ciuitates veſtræ igne exuſtæ, Regionem veſtram in conſpectu veſtro deuorant alieni. Derelinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario; tanquam Ciuitas quæ vaſtatur.*

B Vides, dilecte, lumen Prophetę immiſſum; quo tempus illud, quod ante ſæculis vaticinatus eſt? *Eſa. 1.* Nec enim de Iudæis, nec de ciuitate Sion verbum hoc prædixit; ſed de Eccleſia: Nam omnes Prophetæ declarârunt Sion eſſe ſponſam è Gentibus adductam. Quocirca ad ſecundum Teſtem orationem applicemus; Quiſnam eſt ille? Audi etiam Oſeam grandiloqua fundentem: *In diebus illis inducet Dominus è deſerto ventum vredinis contra illos, deſiccabit venas eorum, & deſertos faciet fontes eorum, & vniuerſa vaſa deſiderabilia delebuntur: Quia reſtiterunt cõtra Deum, in gladio cadent; & quæ ex eis prægnantes fuerint diſrumpentur.* *Oſee 13.* Ecquis alius ventus vredinis à deſerto, quàm Antichriſtus qui temporibus ſuis deleturus eſt & deſiccaturus venas aquarũ & fructus arborum, *Antichriſtus ventus vredinis à deſerto.*

C propterea quòd homines amplexi ſunt opera eius? Itaque delebit eos, ipſique ſeruient in impuritate ipſius. Attende concordiam Prophetæ cum Propheta; cognoſce alium quoque ſimilia proloquentem; eadem enim Amos Propheta conſentiens prædixit: *Hæc dicit Dominus; quia pugno percutitis pauperem & dona electa cæpiſtis ab eo, domos poſitas ædificaſtis & non habitabitis in eis: Vineas deſiderabiles plantaſtis nec tamen vinum bibetis earum, quia noui permultas impietates veſtras, & grauia ſunt peccata veſtra; qui defraudatis iuſtos, accipitis munera, & pauperes in portis opprimitis; Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.* *Amos 5.* Diſce, dilecte mi, probitatem hominum illius memoriæ, vt iuſtum diripiant, domos & agros & ipſam iuſtitiam auferant à iuſto; vt ſcias tum finem adeſſe, quando hæc fient: Ita perſpecta tibi eſt Prophetæ ſapientia, ac reue- *Mundi finis, ſigna.*

ac reuelatio futura temporibus illis. Quin Prophetæ omnes (quemadmodum prædiximus) vt vetera patefecerunt, ſic poſterioribus euentura temporibus clarè vaticinati ſunt. Sed ne recenſendis omnium Prophetarum verbis orationem conſumamus, vbi vnius mentionem fecerimus, ad propoſitum reuertamur. Quid porrò Michæas quoque prædicit? *Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis & prædicant ei pacem; & ſi nihil datum fuerit in os eorum, ſanctificant ſuper eum bellum. Propterea nox erit vobis pro viſione; & tenebræ vobis erunt pro diuinatione: Et occidet Sol ſuper Prophetas; & obtenebrabitur ſuper eos dies: Et confundentur qui vident ſomnia, & deridebuntur Vates.* Hæc prænarrauimus, vt intelligatis cruciatum & perturbationem extremis futuram temporibus, omniúmque hominum inter ſe viuendi conſuetudinem, inuidiam, odium, contentionem; Paſtorum in ouibus negligentiam, populi erga Sacerdotes animum immorigerum: Ita omnes ſuo arbitratu viuent. Filij manus iniicient in parentes; vxor virum ſuum tradet in mortem; vir vxorem ſuam, vt ream, trahet in iudicium. Domini in ſeruos ſuos erunt inhumani, ſerui in Dominos animum gerent inobedientem, ſenis canitiem nemo reuerebitur, iuuenilis formæ nemo miſerebitur, templa diuina domorum inſtar erunt, locis omnibus euerſiones fient Eccleſiarum, Scripturæ contemnentur; hoſtes illius Cantica vbique decantabunt. Poſt hęc, ſtupra, adulteria, periuria, incantationes; diuinationes magno impetu ſtudióque ſequentur. In ſumma, ex ijs qui Chriſtiani vidẽtur, tunc exurgent falſi Prophetæ falsíque Apoſtoli; homines impoſtores, corruptores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, ſtupratores, rapaces, auari, periuri, detractores. Paſtores fient quaſi lupi, Monachi expetent quæ ſunt mundi; diuites animum expertem miſericordiæ induent, pauperi non ſuccurrent Principes; Potentes, miſerationes abijcient; Iudices iuſtum auferent ex iuſto, muneribuſque excæcati iniuſtitiam probabunt. Quid narro quæ fiens ab hominibus, cùm ipſa etiam elementa ordinem ſuum ſint negatura? Terræmotus erunt per omnes Regiones, tonitrua, venti, horrenda fulgura quæ domos agróſque exurent procellæ ventorum, quæ terram ac mare ſine modo perturbabunt, terræ ſterilitates, ſonitus maris, intolerabilis cõmotio ob interitum tam animarum quàm hominum: ſigna in Sole, ſigna in Luna, ſiderum de via deflexiones, anguſtiæ gentium, aëris intemperies, grandinis emiſſiones ſuper faciem terrę, hyemes inordinatæ, glacies ſui diſſimilis, ardores qui ſedari nequeant, repentina fulmina, inſperata incẽdia: &, vt ſemel dicam, gemitus & planctus vniuerſæ terræ conſolatione carentis. Ex quo enim abundauerit *iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Propterea Dominus Vniuerſi, horum omnium fluctuationem & confuſionem clamat per Euangelium, dicens: *Videte, ne ſeducamini; multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum, & tempus appropinquauit, ne ſeducamini igitur poſt eos: Cum autem audieritis bella & diſſenſiones, nolite terreri; oportet enim primum hæc fieri, ſed non ſtatim finis.* Videamus verba Saluatoris, quẽadmodum ad nos ſemper confirmandos præceperit. *Videte, ne ſeducamini; Multi enim venient in nomine meo dicẽtes, Ego ſum:* Nã poſteaquam ipſe aſſumptus eſt ad Patrem, ſurrexerũt quidam dicentes, Ego ſum Chriſtus; vt Simon Magus, & reliqui quorum nomina referre non eſt huius temporis. Quare extremo etiam die conſummationis exurgere denuo debent Pſeudochriſti, viri qui dicant, Ego ſum Chriſtus; & & ſeducent complures. Plerique homines curſitabunt ab Oriente ad Occidẽtem vſque; & ab Aquilone vſque ad mare dicentes, Vbi hic Chriſtus? Vbi illic Chriſtus? ſed vt qui vana ſapientia præditi, nec diligenter legant Scripturas, nec recta ſentiant, nomen quærent quod inuenire non poterunt: oportet enim primum hæc fieri; itaque conſpici filium perditionis, hoc eſt, diabolum. Quin & diuiniloqui Apoſtoli qui confirmant Aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſigillatim innuerunt iſtorum

Mich. 3. — *Hominum quãta futura ſit, in mundi fine improbitas.* — *Elementorum perturbatio in mũdi cõſummatione.* — *Luc. 21.*

deteſtandorum ac exitialium hominum demonſtrationem, ac palam prædicarunt nefarias illorum actiones. Princeps Petrus, fidei petra; quem beatum iudicauit Chriſtus Deus noſter, ille doctor Eccleſiæ, ille primus Diſcipulorum, ille qui regni claues habet, docuit nos dicens: *Hoc primum ſcitote filij, quòd venient in extremis diebus illuſores, ſecundum ſuas ipſorum concupiſcentias ambulantes:* Et; *Erunt in vobis falſi doctores, qui introducent ſectas perditionum.* Secundum hunc conſonat Ioannes Theologus dilectus Chriſti, clamátque; *Manifeſti ſunt filij diaboli.* Et; *nunc Antichriſti multi facti ſunt, verum ne ſeducamini poſt eos. Nolite omni ſpiritui credere, quia multi pſeudoprophetæ exierunt in Mundum.* Deinde etiam Iudas Iacobi frater, his ſimilia dicit: *In nouiſſimis temporibus erunt illuſores, ſecundum ſua deſideria ambulantes in impietatibus, hi ſunt qui ſine metu ſeipſos paſcunt.* Perſpexiſti Theologorum & Apoſtolorum conſenſum, ac doctrinæ illorum concordiam: deinceps Paulum etiam audias, liberè loquentem; quàm apertè hoſce reuelet: *Videte malos operarios, videte conciſionem; Videte ne quis vos deprædetur per Philoſophiam & inanem fallaciam. Videte quomodò cautè ambuletis, quoniam dies mali ſunt.* Ecquis igitur habebit excuſationem, qui hæc audiat in Eccleſia à Prophetis, ab Apoſtolis, atque ab ipſo Domino; nec ſollicitus erit de ruina ſua, ac tempore conſummationis & hora illa qua ſiſti debemus ad tribunal Chriſti? Sed narrationem huius de conſummatione orationis conuertamus ad ea quæ ſequuntur nobis dicenda. In medium verò produco teſtem fido dignum Danielem Prophetam qui ſomnium Nabuchodonoſor diſſoluit; atque ab initio regnorum vſque ad conſummationem, viam indeclinabilem ſequi volentibus, declarationem veritatis demonſtrauit. Quid enim Propheta clarè Regi Nabuchodonoſor prænunciauit? *Videbas, ô Rex & ecce ſtatua ingens ſtabat in conſpectu tuo; cuius caput erat ex auro, brachia eius & humeri argentei, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ; pedum autem pars erat ferrea, pars teſtacea: Contemplabaris ergo donec abſciſſus eſt lapis ſine manibus, qui percuſſit imaginis pedes ferreos ac teſtaceos, & tandem comminuit; Tunque ſimul comminuta ſunt teſta, ferrum, æs, argentum, & aurum; & facta ſunt quaſi puluis à facie turbinis æſtiui: Lapis autem qui percuſſit imaginem, creuit in montem magnum, & repleuit vniuerſam terram.* Coniungentes ergo his viſiones Danielis; amborum vnam faciemus expoſitionem, demonſtrantes vera fuiſſe à Daniele viſa, & conſentanea ijs quæ Nabuchodonoſor quoque præuiderat. In hunc enim modum ait Propheta: *Ego Daniel videbam, & ecce quatuor venti Cæli pugnabant in mari magno; & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari, inter ſe diuerſæ: Prima beſtia quaſi leæna, & eius alæ velut aquilæ, aſpiciebã donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt à terra, & ſuper pedes hominis ſtetit, & cor hominis datum eſt ei: Et ecce beſtia ſecunda ſimilis vrſo, in parte ſtetit; & tres ordines in ore eius in medio dentium eius, & ſic dicebant ei; Surge, comede carnes plurimas. Poſt hoc aſpiciebam, & ecce beſtia tertia velut pardus, & huic erant aui alæ quatuor ſuper ſe, capita quatuor erant beſtiæ: Poſt hoc aſpiciebam, & ecce quarta beſtia terribilis atque mirabilis & fortis ſupra modum; cuius dentes erant ferrei, & vngues ænei; edebat & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat: & hæc valde diſcrepabat ab omnibus beſtijs præcedentibus eam, & habebat cornua decem: Conſiderabam cornua eius; & ecce, cornu paruum creuit in medio eorum, & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius; Et ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* Cùm igitur hæc videantur omnibus intellectu difficilia, quæ myſticè dicta ſunt à Propheta; nullum eorum celabimus eos qui mente ſunt ſana præditi. Cum dicit Daniel primam beſtiam (hoc eſt leænam) aſcendentem è mari; ſignificat regnum Babyloniorum, quod fuit in mundo, aurum caput ſtatuæ illius. Quod autem dicit, alas eius velut aquilæ; ſignificat exaltatum Regem Nabuchodonoſor, contra Deum ſeſe extuliſſe. Poſtmodum inquit alas eius euulſas, quoniam euerſa fuit eius gloria; Pulſus enim fuit è regno ſuo. Illa autem

Princeps Petrus, fidei petra. — *2. Petr. 3.* — *2. Petr. 2.* — *1. Ioan. 3. & 2.* — *1. Ioan. 4.* — *Iud. 1.* — *Phil. 3.* — *Coloſſ. 2.* — *Dan. 2.* — *Dan. 7.*

verba; *Cor hominis ei datum eſt, & ſuper pedes hominis ſtetit;* reſipuiſſe eum, vbi ſe hominem eſſe agnouit, dediſſeque gloriam Deo. En demonſtrauit primæ beſtiæ ſimilitudinem. Poſt leænam, alteram beſtiam vidit Propheta vrſo ſimilem; qui erant Perſæ. Cùm autē dicit; *Videbam in ore eius tres ordines;* tres gentes deſignat, Perſas, Medos, ac Babylonios; quod declarat in imagine argentum poſt aurum: En ſecundam etiam beſtiam declarauimus. Sequitur tertia, pardus; qui Græci fuerunt: Alexander enim Rex Macedonum poſt Perſas rerum potitus eſt, fuſo Dario; quod ſignificatur per æs, in imagine. Iam quod ait, beſtiam habere quatuor alas auis, & quatuor capita; clariſſimè demonſtrauit quo pacto regnum Alexandri diuiſum fuerit quatuor in partes. Quatuor enim habuit capita, Reges quatuor qui ex eo regno ſurrexerunt: Nam moriens Alexander regnū ſuum diuiſit in quatuor partes. B Iam etiam tertiam beſtiam expediuimus; deinceps narrat quartam beſtiam terribilem ac ſtupendam, cuius dentes erant ferrei, ac vngues ænei. Quinam ſunt hi, niſi Romanorum imperium quod eſt ferrum quo conteret omnes ſuperiores Reges, & dominabitur vniuerſæ terræ? Quid porrò reliquum eſt nobis interpretandum ex his quæ vidit Propheta? At extremitates illæ pedū imaginis, in quibus pars erat ferrea, pars teſtacea, permixta ambo in vnum: Siquidem decem digitis pedum imaginis, myſticè ſignificauit decem Reges inde exortos; quod Daniel eſt interpretatus. *Cōſiderabam* enim, inquit (beſtiam quartam videlicet) *& ecce decem cornua poſt eam, in quibus aſcendit alterum cornu tanquam pullulans, ac tria ſe priora eradicabit.* Quod cornu demonſtrat C pullulum alium non eſſe niſi Antichriſtum qui ſuſcitabit regnum Iudæorum. Tria cornua quæ ab eo radicitus euellentur; tres Reges indicant, Ægypti, Libyæ, Æthiopum, quos deleturus eſt acie bellica: quibus omnibus potitus, iam tyrannus formidabilis ſanctos affliget ac perſequetur, inſurgens in eos. Vides, vt Daniel Nabuchodonoſoro regnorum dominationem expoſuerit? Cernis, vt ſtatuæ formam, omnibus ſuis lineamentis declarârit? percepiſti, qua ratione præmonſtrârit nobis quatuor beſtiarum aſcenſum è mari? Supereſt, vt Antichriſti peculiaria facinora vobis aperiamus; & quatenus licebit, è Prophetis atque Scripturis promulgemus eius vagationem per vniuerſam terram, & Aduentum neſarium.

Antichriſti facinora.

Cum Dominus Ieſus Chriſtus ſecundum carnem aduenerit ex ſancta & immaculata Virgine, tribúmque D Iuda aſſumpſerit, ea éaque proceſſerit; declarauit Scriptura regiam ſtirpem, ex ſententia Iacob in benedictionibus clamantis ad Iudam filium ſuum: *Te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te Filij patris tui: Catulus Leonis Iuda; è virgulto, Fili mi, aſcendiſti: Recubans dormiuiſti vt Leo, & velut catulus Leonis, quis excitabit illum? Non deficiet Princeps ex Iuda, neque Dux de fœmoribus eius, donec veniant quæ repoſita ſunt ei, & ipſe eſt expectatio gentium.* Attende, verba Iacob ad Iudam dicta, in Domino eſſe impleta. Idem profectò clamat etiam de Antichriſto Patriarcha. Itaque ſicuti Prophetiam emiſit in Iudam; ita & in filium ſuum, Dan: Nam Iudas erat filius eius quartus; Dan verò filius quoque eius ſeptimus. Ecquid de illo clamauit? *Occurrat ipſi Dan,* E *coluber in via, inſidens in ſemita, mordens vngulam equi.* Quis erat Serpens niſi Seductor ille, ab initio dictus in Geneſi ſeduxiſſe Euam, & Adamum ſupplantaſſe? Sed quoniam pluribus hæc nobis ſunt demonſtranda; haud grauabimur. Ille certò naſciturus eſt è tribu Dan; & velut Rex tyrannus aciem ex aduerſo inſtructurus eſt, iudex ſeuerus ac diabolus; vt ait Propheta: *Dan iudicabit populum ſuum, vt quæuis alia tribus in Iſrael.* Sed dicet quiſpiam, hoc de Samſone dictum eſſe; qui natus eſt è tribu Dan, iudicauit populum ſuum annos viginti. At in parte duntaxat illud à Samſone factum eſt, hoc verò vniuersè implebitur temporibus Antichriſti. Inquit enim Ieremias in huoc modum: *E Dan audiemus vocem acutiſſimam equorum eius; A voce hinnitus equitatus equorum eius concuſſa eſt vniuerſa terra.* Et rurſus Moſes inquit: A *Catulus Leonis Dan, & exiliet è Baſan.* Et ne quis dicat, dictum hoc ad Saluatorem pertinere; attendat animum. *Dan,* inquit, *Catulus Leonis*; perſpicuum reddit propoſitum, nominata tribu Dan, de qua naſcetur diabolus. Quemadmodum enim è tribu Iuda natus eſt Chriſtus, ita naſcetur è tribu Dan Antichriſtus. Cúmque Dominus ac Saluator noſter Ieſus Chriſtus filius Dei propter regiam & illuſtrem naturam, Leo ſit antè prædicatus; eodem modo Scriptura, diabolum ob tyrannicam ac violentam indolem, leonem ſimiliter fore prædicauit: nam per omnia, ſeductor ille vult imitari filium Dei. Leo Chriſtus, Leo quoque Antichriſtus. Chriſtus Rex cœleſtium atque terreſtrium; Rex etiam naſcetur ſuper terram Antichriſtus. Demonſtratus eſt Saluator vt agnus; ipſe quoque naſcetur in Circunciſione. B Chriſtus miſit Apoſtolos ad omnes gentes, hic itidem mittet Pſeudoapoſtolos. Chriſtus oues diſperſas congregauit; hic populum Hebræorum diſperſum, ad eundem modum congregabit. Chriſtus dedit credentibus in eum pretioſam ac viuificam Crucem; hic itidem, ſignum ſuum daturus eſt. Aparuit Dominus in figura humana; ſic iſte prodibit ſub forma hominis. Ex Hebræis ortus eſt Chriſtus; hic quoque naſcetur è Iudæis. Chriſtus oſtendit carnem ſuam tanquam templum, ac ſuſcitauit tertia die; ſic iſte Ieroſolymis ſuſcitabit templum lapideum. Atque has illius fallacias ex ijs quæ deinceps exponemus, liquidò intelligent qui attentè nos audient.

Gen. 49.

Gen. 3.

Antichriſtum naſciturum de tribu Dan.

Ge. 49.

Iud. 16.

Ierem. 8.

Chriſtus & Antichriſtus Leo, item & Antichriſtus ſed diuerſis de cauſis.

Antichriſtus per omnia volet imitari Chriſtum.

Duplex Chriſti aduentus.

Nam è Scripturis duplicem Aduentum Chriſti Saluatoris didicimus. C Ac prior quidem ſecundum carnem, fuit abiectus; eò quòd ille humilis apparuerit: Ita poſterior eius Aduentus prędicatus eſt glorioſus, quoniam veniet è Cœlis cum potentia, cum Angelis & gloria Patris. Prior ipſius Aduentus præcurſorem habuit Ioannem Baptiſtam; poſterior autem quo venturus eſt in gloria, Enoch, Eliam, & Ioannem Theologum † exhibebit. Humanitatem ſpecta Domini; vt, vel extremis temporibus, mortalium curam gerat ac miſereatur. Ac ne tunc quidem ſine Prophetis nos relinquet; ſed miſſurus eſt eos ad doctrinam noſtram certámque ſcientiam, atque vt animos attendamus in Aduentū aduerſari, vt ibidem Daniel præmonſtrauit. Inquit enim, *Teſtamentum confirmabit multis hebdomada vna: & in medio hebdomadæ auferetur Sacrificium & Hoſtia.* Vna hebdomada, ſeptennij demonſtrationem indicat poſterioribus futuram temporibus. D Ac dimidium hebdomadæ ſument duo Prophetæ cum Ioanne, ad denunciandum per vniuerſum Mundum Aduentum Antichriſti, hoc eſt, mille ducentos ſexaginta dies, amicti ſaccis: faciéntque ſigna & prodigia, vt vel hac ratione flectant & cōuertant homines ad pœnitentiam, propter immenſam eorum iniquitatem & impietatem. *Quod ſi quis velit eis nocere, ignis egredietur ex ore ipſorum, & deuorabit hoſtes eorum. Hi poteſtatem habent claudendi Cœlum, ne pluat diebus Aduentus Antichriſti: & aquam conuertendi in ſanguinem, ac percutiendi terram omni plaga quotieſcumque voluerint. Cúmque prædicauerint hæc omnia, occumbent gladio interfecti à diabolo, Et implebunt teſtimonium ſuum,* vt inquit etiam Daniel qui præuidit beſtiam aſcendentem ex Abyſſo † cum eis bellū geſturam; id eſt, Enoch, E Elia, & Ioanne, & ſuperatos eos interfecturam, propterea quòd noluerint gloriam dare diabolo. Iſtud eſt exiguum cornu quod emergebat: Nam Antichriſtus elatus corde, poſtea incipiet exaltare ſeipſum & glorificare tanquam Deum; perſecutione Sanctos, & blaſphemia Chriſtum inceſſens. Verum quia narrationis ſeries neceſſariò nos deduxit ad dies regni Aduerſarij illius, primò natiuitas eius eſt exponenda atque incrementum: tum ſermo (vt antea diximus) deducendus ad explicandum quo pacto, per omnia diabolus & filius iniquitatis ſit Saluatori noſtro ſe exæquaturus. Sic enim nos docet demonſtratio. Cùm Saluator Mundi, genus humanum ſaluare decreuiſſet, ex immaculata Virgine Maria natus eſt; & in figura carnis hoſtem conculcauit,

† Cautè lege de Ioanne, nā duorū tantum prophetarum mentio fit c. 11. Apocal.

Dan. 9.

Apoc. 11.

† Imò videtur Ioannes prævidiſſe beſtiā aſcendentem de Abyſſo. Apoc. 11.

De natiuitate & progreſſu Antichriſti.

Digitized by Google

conculcauit, ſuæ diuinitatis propria potentia. Ad eundem modum etiam diabolus, ex impura muliere prodi-
A
bit ſuper terram; ſed falsò naſcetur ex Virgine. Etenim Deus noſter in carne verſatus eſt nobiſcum, noſtræ non diſpari, quam ipſe fecit Adamo poſteriſque eius omnibus, abſque peccato. Sed diabolus † licet carnem aſſumat, hoc opinione tantùm. Qui enim carnem ferret, quam ipſe non condidit, ſed oppugnat quotidie? Hanc (opinor) dilecti; carnis ſuæ ſubſtantiam phantaſticam aſſumit organi vice. Propterea edetur ex Virgine veluti ſpiritus, qui quidem tunc reliquis apparebit caro. Nam virginem peperiſſe ſolam ſanctiſſimam nouimus, quæ carnigerum verè genuit Saluatorem: Siquidem Moſes ait, *Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur:* Hic autem nequaquam. Sed quemadmodum
B
hoſtis non aperiet vuluam; ita nec carnem veram aſſumet, aut circumcidetur & vt circumciſus eſt Chriſtus. Et ſicuti Chriſtus elegit Apoſtolos; ſic ille integrum populum diſcipulos ſibi aſciſcet, nequitia ſui ſimiles. In primis autem Iudaïcam gentem amabit; apud eos omnes ſigna edet & horrenda miracula non vera ſed falſa, ad ſeducendos ſui ſimiles impios. Etenim, ſi fieri poteſt, etiam electos abducet à dilectione Chriſti. Verum in primordijs ſuis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religioſus, pacificus, qui odio proſequatur iniuſtitiam, deteſtetur munera, idololatriam non admittat, amet Scripturas, reuereatur ſacerdotes, canitiem honori habeat, ſcortationem repudiet, adulterium abominetur, obtrectationes non audiat, deierationes non recipiat; hoſpitalis, ſtudioſus pauperum, miſericors. Poſteà edet prodigia, leproſos mundando, paralyticos excitando,
C
expellendo dæmones; longinqua non aliter quàm præſentia denunciabit, excitabit mortuos, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines contendentes ad amicitiam, his verbis; *Sol non occidat ſuper iram veſtram.* Non poſſidebit aurum, nec diliget argentum; diuitias non amplectetur. Atque hæc omnia faciet conſilio ſimulato ac fraudulento: quo circumueniat omnes, vt ſe regem creent. Nam vbi populi ac multitudines, tantas eius virtutes atque facultates perſpexerint; vno conſenſu conuenient omnes vnum in locum, ad creandum illum regem. Ac potiſſimum Hebræorum gens, præ omnibus ipſi tyranno chara erit, dicéntque alius alij: Nunquid in generatione
D
noſtra, talis ac tam bonus & iuſtus homo inueniri poteſt? Iudæi præcipuè, vt iam dixi, ſperantes ſe ſpectaturos illum regem tali in imperio; eum adeuntes, his verbis alloquentur: Omnes tibi obtemperamus, agnoſcimus te iuſtum ſuper omnem terram, omnes à te ſalutem nos conſecuturos ſperamus, & ex ore tuo iuſtum & incorruptum iudicium accipiemus. Atque initio quidem mendax & iniquus ille, ſubdolè gloriam hanc repudiabit; ac perſeuerantes homines & obſecrantes, illum declarabunt regem. Poſtea extollet animum, & qui priùs erat manſuetus, euadet ferox; qui dilectionem amplectebatur, fiet immiſericors; qui animum gerebat ſummiſſum, ſuperbus atque inhumanus euadet; qui oderat iniuſtitiam iuſtos perſequetur; Deinde ſublatus
E
in regnum ſuum, bellum inſtruet; itáque percitus tres magnos reges percutiet, Ægyptiorum, Aſtorum, atque Æthiopum: Inde templum conſtruet Ieroſolymis, quod confeſtim exciratum tradet Iudæis. Tum efferetur animo in omnes homines: quinetiam, in Deum ipſum contumelioſa verba proloquetur, ſperans doloſus ille in poſterum ſe perpetuò regnaturum ſuper terram; ignorans miſer, regnum ſuum breui irritum fore, & quamprimùm ſe recepturum ignem paratum ipſi cum omnibus qui crediderint & ſeruierint illi. Nam cùm Daniel dixerit; *Teſtamentum confirmabit multis hebdomada vna;* ſeptem annos declarauit. Dimidium hebdomadæ prædicabunt Prophetæ: dimidium hebdomadæ; hoc eſt, tres annos cum dimidio regnabit Antichriſtus ſuper terram, poſt auferetur regnum illius & gloria.

† Caue proſrſus, quia Paulus vocat Antichriſtū hominem peccati: Huius autem opinionis meminerit; verùm ſic vt eam ob probet D. Hieronym. in illud Dan. 7.

Et ecce oculi quaſi oculi hominis erant.

2. Theſſ. 2.

Exod. 13. & 34.

Num. 8.

Luc. 2.

Hypocritici mores Antichriſti.

Non verè, ſed apparenter: nam certū eſt Antichriſtū vera miracula nequaquam effecturum. Vide lib. noſtrū de Antichriſto, 7. cap. 14. 18. 19.

Epheſ. 4. d

Antichriſti vita commutatio.

Dan. 9.

Regnum Antichriſti, triū annorum cum dimidio.

Aduertite qui Deum diligitis, qualis afflictio futura ſit
A
illis temporibus, At illis duntaxat temporibus. Tunc Iniquus ille elato animo dæmones ſuos congregabit humana ſpecie; & eos qui illum ad regnum inuitarunt, faſtidiet, animaſque multas inquinabit: quippe principes eis conſtituet ex dæmonibus. Nec iam velut religioſus, ſed planè auſterus, ſeuerus, iracundus, plenus excandeſcentiæ, truculentus, inconſtans, terribilis, grauis, odioſus, contemptor, immitis, exitioſus, nequam; in eo ſtudium & operam collocans, vt vniuerſum genus hominum in foſſam interitus conijciat, ſigna falſa multiplicabit. Cunctis enim populis fauſta omnia acclamantibus propter obiectas ſpecies, vehementi & grandi voce clamabit (ita vt moueatur locus in quo turbæ aſtiterint ei) Perſpicite populi, Tribus ac gentes magnam meam
B
poteſtatem ac potentiam viréſque imperij mei. Quis princeps tam potens, atque ego? Quis Deus magnus, præter me? Potentiæ meæ quis reſiſtet? Transferet montes ante oculos ſpectantium, ſiccis pedibus ambulabit ſuper mare, deducet ignem è cœlo, conuertet diem in tenebras, & noctem in diem: Solem circumaget quò libuerit. Et vt ſemel dicam; elementa omnia terræ Mariſque, vi oblatæ apparitionis à ſe coram ſpectantibus, obtemperare ſibi demonſtrabit. Nam ſi ipſe modò non conſpicuus Filius perditionis, viſibiliter tamen nobis bellum ac pugnas & cædes immittit atque excitat: tunc cùm in propria perſona veniet ipſe ac verè illum homines intuebuntur; quas non machinas, dolos ac ſpecies molietur ad ſeducendos cunctos homines & abducendos à via veritatis & regni porta? Deinceps poſt hæc
C
omnia cœlum non dabit rorem ſuum, nubes non præbebunt aquam, terra denegabit fructus ſuos, mare graui replebitur odore, flumina deſiccabuntur, morientur piſces maris, homines fame ſitique peribunt; pater amplexus filium, mater item filiam, vnà morientur, nec erit qui ſepeliat: Verùm vniuerſa terra perfundetur fœtore corporum morticiniorum paſſim iacentium. Mare quoque non recipiens fluminum incurſus, cœni inſtar fiet, infinitóque & graui odore replebitur. Tum peſtis inualeſcet ſuper vniuerſam terram; tum lamentatio carens omni conſolatione; tum eiulatus immodicus; tum fletus continui. Tum homines beatos prædicabunt eos qui antea deceſſerunt, dicentes eis; Aperite
D
ſepulchra veſtra, nóſque miſeros excipite; Aperite loculos veſtros, vt ſuſcipiatis miſerabiles cognatos ac familiares veſtros: Beati eſtis vos qui non ſpectaſtis dies iſtos; Beati vos qui non vidiſtis vitam iſtam, tot dolores nobis & cruciatus afferentem, nec peſtem iſtam vincentem omnia remedia, neque neceſſitatem iſtam quæ occupat animas noſtras. Inde impurus ille mandata mittet per vniuerſam prouinciam, opera tum dæmonum, tum ſenſibilium hominum qui dicant; Rex magnus natus eſt ſuper terram, venite omnes adoratum eum, properate omnes ad ſpectandas vires potentiæ eius. En vobis præſtabit frumentum, vinum vobis largietur, opes pretioſas ac ſublimes dignitates. Eius namque imperio omnis terra maréque obtemperant: Ad illum omnes accedite. Mox cuncti ciborum penuria ac-
E
cedent atque adorabūt eum; quibus dabit characterem in dextra manu & fronte, ne quis dextra ſua pretioſam illam Crucem pingat in fronte: Ex quo tempore non poterit vllum ſignare membrorum ſuorum; ſed adhærebit ſeductori, eíque ſeruiet, neque ducetur pœnitudine, ſed peribit ille tum quod ad Deum, tum quod ad homines attinet. Ita ſeductor ille dabit eis pauca cibaria, idque ob impurum ſigillum ſuum. Sigillum illius tam in fronte quàm dextra manu, eſt calculus, χξϛ. At, vt opinor, neque certò hoc ſcio, quòd in Scriptura quæ eſt in calculo illo, per multa reperiantur nomina quæ numerum illum habeant. At dicimus fortaſſe ſcripturam illius ſigilli eſſe ἀρνοῦμαι, id eſt, nego. Nam anteà quoque, hoſtis ille nobis aduerſarius, opera miniſtrorum ſuorum (hoc eſt, idololatrarum) Chriſti Martyres hortan-

Antichriſti falſa miracula.

Conſummationis Mundi ſigna.

Sigillum Antichriſti, ne quis crucem pingat.

Character iſte χξϛ, ſignificat numerū 666. de quo Apoca. 13. in fine fit mentio.

tium; Negato (aiebat) Deum tuum Crucifixum, tale erit tempore illius tempeſtatis, omnis oſoris ſigillum A dicens; nego Creatorem cœli & terræ, nego baptiſma, nego adorationem à me Deo præſtari ſolitam; tibi adhæreſco, in te credo. Hoc enim Enocb & Elias Prophetæ denunciabunt; Ne credatis boſti qui venturus eſt & apparebit. Nempe aduerſarius eſt, corruptor, & filius perditionis; ſeducet vos & interficiet: Et tõphæa feriet illos. Attendite fraudem Hoſtis, inſidias cognoſcite illius doloſi, quemadmodum hominum mentem obtenebrare perpetuò ſtudeat. Dæmones enim ſuos velut ſplendentes Angelos reddet, innumeráſq; copias ſpirituum incorporeorum adducet; & coram omnibus in cœlum aſſumi ſe demonſtrabit, cum tubis, ſonis, & clamore valido prædicantium illum hymnis indicibilibus. Itaque ille tenebrarum hæres, inſtar lucis fulgens. B interdum volitans in cœlos, quandóq; deſcendens cum gloria magna ſuper terram, nonnunquam dæmonibus imperans velut Angelis ad iuſſa ſua peragenda cum timore & tremore multo; confeſtim mittet dæmonum cohortes ad montes, ſpeluncas & cauernas terræ, qui ſcrutentur eos qui ſubduxerunt ſeſe ab oculis eius, & adducent eos ad adorandum illum. Ac ſibi obtemperantes, ſigillo ſuo notabit; recuſantes verò imperium ipſius, pœnis incompatabilibus, acerbiſſimiſq; tormentis & machinis abſumet, qualia nunquam fuerunt, nec auribus homo percepit, nec oculis mortalium cõſpecta ſunt. O beatos, qui tunc tyrannum illum deuicerint! Quippe prioribus Martyribus illuſtriores & ſublimiores declarandi ſunt; propterea quòd, ſuperiores ſuperarunt Tyrannos; hi verò diabolum ipſum filium C perditionis expugnarint, ac victoriam reportarint.

Martyres ſub Antichriſto paſſi, beatiores antiquis Martyribus.

Quibus igitur encomijs & coronis non ornabuntur à rege Chriſto? Sed reuertamur ad propoſitum. Tunc homines vbi ſigillũ acceperint, & nec eſcas nec aquam inuenerint, adibunt eum cum voce acerba dicentes; Da nobis quod edamus & bibamus, nam omnes præ fame cunctiſque neceſſitatibus deficimus: Iube cœlum præbere nobis aquam, abige à nobis beſtias homines deuorantes. Tum doloſus ille reſpondens, multa cum inhumanitate ſubſannabit illos, his verbis: Cœlum negat pluuiam, terra non iterum producit germina ſua; vndénam ego vobis alimenta ſuppeditabo? Auditis his verbis doloſi illius, miſeri tunc intelligent, eum eſſe improbum illum diabolum. Tunc plangent miſerè, plorabunt ve- D hementer; faciem manibus ſuis contundent, capillos ſuos euellent, genas vnguibus dilacerabunt, alius alij dicentes: O calamitatem! O acerbam negociationem! O pactum fraudulentum! O caſum ingentem! Quomodo nos Impoſtor ſeduxit! Quomodo adhæſimus ei! Quomodo retibus illius, Quomodo verticulo illius impuri, concluſi ſumus! Quomodo Scripturas audientes non intelligebamus! Siquidem tunc illigati rebus vitæ, ac deſiderio huius ſæculi, perfacilè adducentur ad diabolum, & ſignabuntur. At multi qui audiunt Scripturas diuinas; eas in manibus habebunt, mente verſabunt, impoſturam illius euitabunt. Clarè enim perſpicient inſidias eios, & impoſturæ arrogantiam; effugientque è manibus eius ad montes, & occultabuntur in ca- E uernis terræ; cum lacrymis & contrito corde quærentes illum amantem hominum, qui eripiet eos è laqueis illius, & conſeruabit à moleſtis illius ſcandalis, dextrâque manu ſua, inuiſibili modo proteget eos qui dignè ac iuſtè ei ſupplicabunt. Vides, quali ieiunio quibúſve precibus tunc vtentur ſancti? Simul diſce, quàm durum tempus ac dies orientur illis qui in vrbe agríſque erunt. Accedent ab Occidente ad Orientem vſque plorantes maiorem in modum, grauitérq; plangent. Illuceſcente die noctem expectabunt vt requieſcãt ab operibus ſuis, vbi nox comprehenderit illos, ob crebras terræ concuſſiones aëríſque tempeſtates; quærent, vt vel aſpiciant lumen diei, & qua ratione poſtea in acerbam mortem deueniant. Tum lugebit vniuerſa terra vitam erucia-

Illigati ſæculo, facilè ab Antichriſto ſignabuntur.

tuum plenam; lugebit mare, lugebit aër, lugebit Sol, A lugebunt animantes feræ cum volatilibus, lugebunt montes & colles ac ligna, campi propter genus humanum; eò quòd omnes defecerint à ſancto Deo & crediderint Impoſtori illi, ſuſcepto charactere impuri illius & hoſtis Dei, loco viuificę Crucis Saluatoris. Lugebunt etiam Eccleſiæ, luctum magnum; quia nec Oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarũ ædes ſacræ, tugurij inſtar erunt; PRECIOSVMQVE CORPVS ET SANGVIS CHRISTI non extabit in diebus illis, Liturgia extinguetur, pſalmorum decantatio ceſſabit, Scripturarum recitatio non audietur: ſed erunt apud homines tenebræ, lamentatio ſuper lamentationem, væ ſuper væ. Argentum & aurum tunc proijcietur in plateas, nec quiſquam colliget ea; ſed omnia abominationi habebunt. Cuncti enim aufugere conabuntur & ab- B ſcondi, nuſquam tamen latere poterunt à malis Aduerſarij; ſed notam illius circumferentes facilè cognoſcentur, ac noti eius declarabuntur. Extra timor, intus tremor, nocte dieq;, tum in platea tum domi, morticina; in plateis & domibus fames ac ſitis, in plateis tumultus, in domibus plãctus. Pulchritudo aſpectus faciei tabeſcet; fient enim formæ eorũ tanquam mortuorum. Venuſtas mulierum exareſcet, cupiditas omnium hominum euaneſcet. Neque tamen eo tempore miſericors & hominum amans Deus relinquet humanum genus omni conſolatione deſtitutum; ſed decurtabit dies illos & tempus trium annorum & ſemis, concisum reddet propter reliquias latitantium in montibus & ſpeluncis; ne phalanx illa ſanctorum illorum omnium deficiat. Sed dies C illi celeriter tranſibunt; Seductoris & Antichriſti regnũ citò tolletur. Deinde in ictu oculi præteribit ſpecies Mundi huius; hominúmque potentia euacuabitur, & cuncta quæ cadunt ſub oculos, delebuntur. Quum igitur (dilecti) ſacta fuerint hæc quæ antè diximus; diuiſâque in duas partes vna hebdomada, & abominatio deſolationis tunc extiterit, & præcurſores Domini curſum ſuum peregerint; mundo denique vniuerſo ad conſummationem properante: quid ſupereſt, niſi Aduentus Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij Dei, de cœlis, in quem ſperauimus; qui exuſtionem ac iuſtum omne iudicium educet in eos qui non crediderint ei? Ait enim Dominus: *Quemadmodum fulgur exit ab Oriente & apparet vſque ad Occidentem, ſic erit etiam aduentus Filij hominis: Vbi enim fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ.* D Orietur enim ab Oriente ad Occidentem vſque ſignum Crucis ſuperans ſplendorem Solis; denuncians aduentum & apparitionem Iudicis vt reddat cuique ſecundum opera ſua. Nam de Reſurrectione vniuerſa & de regno ſanctorum loquitur Daniel: *Et multi dormientium excitabuntur è puluere terræ; hi in vitam æternam, illi in contumeliam & ignominiam æternam.* Eſaias autem dicit: *Reſurgent mortui, & excitabũtur qui ſunt in monumentis, ac lætabuntur habitantes in terra.* Dominus quoque noſter ait: *Multi in illa die audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent.* Tunc enim ſonabit tuba, & excitabit dormientes è profundiſſimis terræ tam iuſtos quam peccatores: omniſque natura, lingua, gens & Tribus reſurgent in ictu oculi, & aſtabunt ſuper faciem terræ, expectantes iuſti atque ter- E ribilis Iudicis aduentum, in timore & tremore inenarrabili. Fluuius enim igneus egrediens cum furore inſtar maris ſæui, exuret montes & colles, & mare delebit, ac æthera velut ceram inflammatione diſſoluet: Stellæ cadent de cœlo, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem; cœlum more libri volutabitur, exuretur vniuerſa terra propter opera quæ in ea corruperunt homines, in ſcortationibus, adulterijs, mendacijs, idololatrijs, cædibus ac pugnis; nam fiet cœlũ nouum & terra noua. Tunc ſancti Angeli diſcurrent, congregantes omnes gentes; quos expergefaciet horrenda vox illa tubæ: ſiſtentúrq; ad tribunal Chriſti, qui fuere quondam Reges, Principes, Pontifices, Sacerdotes vt adminiſtrationis ſuæ & ouilis reddant rationem; qui videlicet per negligentiam

Euchariſtia defectus & Liturgia.

Secundus aduentus Chriſti.

Matth. 4.

Crucis ſignũ, in Chriſti ſecundo aduentu.

Daniel. 12.

Eſa. 26.

Ioan. 5.

Iudicandi in extremo iudicio.

Digitized by Google

gentiam ſuam perdiderunt ouem de grege ſuo. Adducentur eo tempore milites qui non contenti ſtipendijs ſuis vexarunt viduas, pupillos, & pauperes. Tunc ſiſtentur tributi exactores, qui plus quàm ſit imperatum pauperi eripiunt. Itidem qui probum aurum adulterant, vt damno pauperem afficiant, in agris, in domibus, in Eccleſijs. Tunc exurgent effœminati, cum pudore; quiquidem thorum proprium immaculatum non ſeruauerunt, ſed quauis carnis pulchritudine capti ſua deſideria ſunt ſecuti. Tunc qui dilectionem Domini non ſeruarunt, exurgent mœſti ac tetrici, eò quòd Saluatoris mãdatum ſacile contempſerunt, quod præcipit; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Tunc qui habuerint libram iniquam, ſtateras, menſuras, modios iniuſtos; gement expectantes iuſtum Iudicem. Sed quid plura de ſiſtendis addimus? Tunc iuſti fulgebunt vt Sol; peccatores autem triſtes & tetrici apparebunt. Vtrique enim & iuſti & peccatores reſurgent incorruptibiles: iuſti, vt perpetuò ſint in honore ac immortalibus fruantur delicijs; peccatores, vt per iudicium pœnas luant ſempiternas. Quiſque igitur veſtrum perpendat apud ſe, tum bonorum tum malorum, iuſto Iudici rationem reddẽdam. Nam actiones omnes, hominum vnumquemque tam probum quàm improbum circundabunt. Quandoquidem Virtutes cœlorum mouebuntur; & omnia, timor ac tremor abſument, cœlum, terram, ac ſubterranea, & omnis lingua confitebitur eum, & fatebitur eum qui veniet iuſtum iudicium iudicaturum Deum fortem & conditorem omnium. Tunc cum pauore ac ſtupore procedent Angeli, Throni, Poteſtates, Principatus, Dominationes, & multis oculis & alis ſex prædita Cherubim ac Seraphim fortiter clamãtia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth omnipotens, plenũ eſt cœlum & terra gloria tua.* Et reuelabitur Rex regum & Dominus dominantium; ac Iudex qui perſonam nõ accipit, ſed cuique quod iuſtum eſt diſtribuit in throno terribili & exaltato. Et videbit omnis caro mortaliũ, faciem eius; tum iuſtus, tum peccator; cum timore ac metu ingenti. Tum adducetur Filius perditionis, id eſt, diabolus; cum dæmonibus & miniſtris ſuis, ab Angelis ſeueris & rigidis: tradentúrque igni inextinguibili, vermi non dormienti, ac tenebris exterioribus. Videbit enim populus Hebræorum illum in figura humana, quẽadmodum illis ex ſancta Virgine per carnem apparuit, & ſicuti crucifixerunt eum: ac oſtendet eis manuum pedúmq; clauos, latus ſuũ lancea perforatum, caput coronatum ſpinis, ac pretioſam crucem. Deniq, omnia videbunt Hebræi, & plangent ac plorabunt, quẽadmodum Propheta clamat; *Videbunt in quẽ transfixerunt;* nemóque feret opem illis aut miſerebitur eorum, quia non egerunt pœnitẽtiam nec auerſi ſunt à via ſua praua. Itaque diſcedent hi in ſupplicium æternum cum dæmonibus & diabolo: deinde congregabit omnes gentes, vt clara voce clamat Euãgelium. Quid enim ait Matthæus Euangeliſta; imò Dominus ipſe in Euangelio? *Quum venerit Filius hominis in gloria ſua & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper thronum gloria ſua, & congregabuntur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem velut paſtor ſeparat oues ab hædis; & conſtituet oues quidem a dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris: Tunc dicet ijs qui erunt a dextris eius; Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi.* Venite Prophetæ, propter nomen meum expulſi: Venite Patriarchæ, qui ante aduentum meum obtemperaſtis mihi, regnúmque meum deſideraſtis: Venite Apoſtoli, meatum afflictionum participes, dum inter homines agerem, propter Euangeliũ: Venite Martyres, qui confeſſi me coram tyrannis, tormenta multa atque ſupplicia pertuliſtis. Venite Pontifices, qui purè mihi ſacrificiũ die noctéque obtuliſtis, ac PRETIOSVM CORPVS ET SANGVINEM MEVM IMMOLASTIS QVOTIDIE. Venite Sancti qui in montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ exercuiſtis vos; qui per continentiam, preces, & virginitatem ſeruiſtis nomini meo. Venite adoleſcẽtulæ quæ thalamũ meum exoptaſtis, nec præter

Math. 19.

Cum ſignis ſua paſsionis iudicabit Chriſtus.

Zach. 12.

Math. 25.

me ſponſum alium dilexiſtis; quæ per Martyrium & pietatis exercitationem, mihi immortali ac incorruptibili Sponſo copulatæ eſtis. Venite, qui dilexiſtis pauperes ac peregrinos. Venite, qui charitatem meam ſeruaſtis, ſicut ſum ego charitas. Venite ſocij pacis; ego enim ſum ipſa pax. *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnũ;* qui nihili feciſtis diuitias, qui pauperis eſtis miſerti, qui tuliſtis opem pupillis, qui viduis eſtis auxiliati; qui ſitientibus potum dediſtis, qui pauiſtis eſurientes, qui excepiſtis peregrinos, qui nudos induiſtis, qui viſitaſtis infirmos, qui detentos in carcere conſolati eſtis, qui cæcis auxilio fuiſtis, qui ſigillum fidei conſeruaſtis illæſum, qui cõcurriſtis ad Eccleſias, qui ſcripturas meas audiſtis, qui ſermones meos expetiſtis, qui legem meam noctu diúque ſeruaſtis; qui tanquam ſtrenui milites, dura mecum toleraſtis, mihi regi cœleſti placere ſtudentes: Venite, hæreditatis iure poſſidere præparatum vobis regnum à cõſtitutione Mundi. En regnum meũ paratum, eſt! En patet Paradiſus! En immortalitas mea decorata eſt! Venite omnes, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi. *Tunc reſpondebunt iuſti,* attoniti magnitudine miraculi; quòd is quem ordines Angelorum intueri clarè ac verè non poſſunt conſolatur eos velut amicos, clamabúntque ad illum: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus? Domine, quando te vidimus ſitientem, & præbuimus potum?* Stupende; quando te vidimus nudum, & operuimus? Immortalis; quando te vidimus peregrinum, & collegimus? Amator hominum; quando te vidimus infirmum aut in carcere; & venimus ad te? Tu es, qui ſemper es. Tu vnà cum Patre cares principio, & coæternus es Spiritu ſancto. Tu es, qui ex nihilo omnia creaſti. Tu es, rex Angelorum. Tu es, quem tremunt abyſſi. Tu es, qui lumine indueris, vti veſtimento. Tu es, qui nos creaſti ac finxiſti è terra. Tu es, qui inuiſibilia condidiſti. A facie tua fugit vniuerſa terra; & quo pacto nus regiam tuam dignitatem ac dominationem excepimus hoſpitio? Tum reſpondebit iterum Rex regum, dicens eis: *Quatenus feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quatenus hos quos antè dixi vobis, excepiſtis, induiſtis, aluiſtis, potu recreaſtis; membra mea, pauperes dico; mihi feciſtis. Verùm accedite ad regnum vobis paratum à conſtitutione Mundi; fruamini in ſæculum ſæculi, à Deo patre meo cœleſti, ac per ſancto & viuifico Spiritu. *Et quod os enarrabit bona illa, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus eum?* Noſtis gaudium perpetuum, noſtis regnum inconcuſſum, noſtis delicias nullum finem bonorum habẽtes. Diſcite quoque acerbam vocem quam in eos qui ſtabunt à ſiniſtris, eloquetur iuſtus index & Deus clemens cum ira & indignatione vehementi: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum paratum diabolo & Angelis eius.* Ipſi vobis hęc comparaſtis, iiſdem vos fruamini. Diſcedite à me maledicti in tenebras exteriores; & in ignem qui non extinguitur, paratum diabolo & angelis eius. Ego vos formaui; & adhæſiſtis alteri. Ego ſum qui è vulua eduxi vos; & me reiecistis. Ego ſum qui iuſſu meo de terra vos formaui; & alij vos adiunxiſtis. Ego ſum qui vos enutriui; & alteri ſeruiſtis. Ego terram ac mare in alimentum veſtrum & vitæ terminum conſtitui; at vos præceptis meis non paruiſtis. Ego lucem vobis creaui, vt die frueremini; itidem noctem, vt requieſceretis; at vos improbis factis me irritaſtis ac reſpuiſtis, foréſque affectionibus aperuiſtis. Diſcedite à me operarij iniquitatis; neſcio vos, non agneſco vos; alterius Domini operarij facti eſtis; hoc eſt, diaboli. Poſſidete cum ipſo tenebras atque ignem qui non extinguitur, & vermem qui non dormit, ac ſtridorem dentium: Nam *eſuriui, & non dediſtis mihi quod manducarem; Sitiui, & non dediſtis mihi potum, Hoſpes fui, & non collegiſtis me; Ægrotaui, & non viſitaſtis me.* Aures veſtras condidi, vt audiretis Scripturas; at vos paraſtis eas ad cantica dæmonum, citharas & ridicula. Oculos veſtros creaui, vt perſpiceretis lumen præceptorum meorum, eáque exequeremini;

Ibidem.

1. Cor. 2.

Ibidem.

SANCTI PATRIS N. EPIPHANII,

EPISCOPI CONSTANTIÆ VRBIS INSVLÆ CYPRI DE LAVDIBVS SANCTÆ MARIÆ DEI-PARÆ, Sermo, Ioanne Pico interprete.

EX EIVSDEM EPISTOLA DEDICATORIA, AD R. P. GVILIELMVM VIOLÆVM EPISCOPVM, & Clerum Pariſienſem.

EX Regia Bibliotheca magno ac peruetuſto Græco Codice decerpſi pios aliquot ab antiquis patribus conſcriptos ſermones in laudem beatiſſimæ Virginis deiparæ, è quorum numero quatuor modo è Græco in Latinum conuertimus. Primum Epiphanij Cypri Salaminæ vrbis Epiſcopi: qui vixit temporibus ſummorum virorum Baſilij magni, Gregorij Theologi, Ioannis Chryſoſtomi, ac beati Ieronymi: regnantibus Valente & Gratiano principibus: eius opera nonnulla, præſertim contra octoginta hæreſes per Ianum Cornarium Latino ſermoni tradita iamdudum proſtant impreſſa. Duos ſermones Heſychij alias Iſychij Hieroſolymorum preſbyteri: qui cum eſſet auditor Gregorij Nazianzeni, claruit ſub Honorio & Arcadio, circa annum Domini quadringenteſimum, ſcripſit ad beatum Auguſtinum Epiſtolam vnam de fine ſæculi, quæ inter Epiſtolas eiuſdem Auguſtini ſeptuageſima nunc annumeratur. Scripſit etiam inſignem & omnibus notum commentarium in Leuiticum: in quo teſtatur ſe etiam interpretatum eſſe Ezechielem Prophetam & Epiſtolam ad Hebræos. Quartum ſermonem à Chryſippo Hieroſolymitano etiam Presbytero compoſitum, de quo & ſi non paucos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores conſului, nihil tamen reperi. Quicumque porrò ſit ille, non videtur eſſe ſcripturæ ſacræ ignarus.

EPIPHANII DE LAVDIBVS SANCTÆ MARIÆ DEI-PARÆ SERMO, PICO INTERPRETE.

MISAR ego ſum, qui effulgentes ſplendores deiparæ radios, terribiles & incomprehenſas facultates, cœli & terræ inhabitatæ myſterium, admirandúmque propitiatorium verbis conſequi tentaui. Geſtiebat quidem interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profundæ memoriæ, & altiſſimæ ſpeculationis miraculum. Veruntamen, chariſſimi, & timor multus & grauis continuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorreſcens non mediocriter afflixit, ſed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam maximæ contemplationis, ac velut incomprehenſi myſterij memoria, nempe quæ illud eloqui minimè poſſit. Quis enim huiuſmodi myſterio exprimendo queat ſufficere?

Quale verò os pronunciare, quæve lingua proferet? Nequaquam poteſt dicere quod latet. Iam verò audebo, dicam de ſola Deipara, quatenus aſſequor, denuò tamen vereor, vtpote qui lingua non ſim præditus idonea, ad ea dicenda quæ ſunt valde magna: ſum enim exili voce, tardáque lingua, & minimè diſertus, vt ſic verba facere poſſim de percelebri, ſancta innupta, & deipara Maria matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua, pertenuem enim habet vocem illius habita ratione, & imminuta eſt lingua, quæ pro dignitate facultatem dicendi non habeat. Ita ſiquidem vel cœlorum virtutes in ſtuporem conuertit. Obſtupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Throni, Dominationes, Cherubim, ac Seraphim, & Angelorum vniuerſus exercitus, timore, tremoréque graui detenti: quia cernebant illum qui habitat in cœlis, per eam verſari in terra, & exhorreſcebant. Spectabant virginem, cœlum, & Thronum, & formidabant dum conſpicerent eum, qui principio caret; deſcendentem à Throno Cherubico, in vtero virgineo ſedere.

O beata radix, quæ hanc produxit, de hac Eſaia

A Propheta Turturis more gemendo ſubmurmurat ignea lingua exclamans. *Iſa 11.*

Exurget virga de radice Ieſſe, & flos de radice aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Dei. De radice Ieſſe *Parentes B. Mariæ.*
ortus eſt Rex Dauid & de tribu Regis Dauidis ſancta Virgo: ſancta inquam, & ſanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna; qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum eiuſmodi germinarunt, ſanctam virginem Mariam, Templum ſimul & Matrem Dei. Ioachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palàm ſacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum ſit Templum Domini, nempe
B Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent ſanctam Virginem adepti. Ioachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo. Anna verò grauida effecta, cœlum & Thronum Cherubicum peperit, ſanctam puellam Mariam. Illa enim reperietur eſſe cœlum, *Mariæ nominis interpretatio.*
Templum, & Thronus: quia Mariam interpretari ſolemus dominam, atque etiam ſpem, peperit enim Dominus, qui eſt ſpes totius mundi nempe Chriſtum. Rurſum nomen illud Maria interpretatur myrrha maris. Myrrham verò aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eo quod paritura eſſet gemmam immortalem,
C in mari hoc eſt in mundo. Mare autem dicet vniuerſum mundum, cui virgo ſerenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum. Rurſum itaque præclaræ puellæ Mariæ beatum nomen interpretatur illuſtrata, vtpote quæ illuſtrata ſit à filio Dei, & cunctos vſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminauerit. Sancta enim puella Virgo Maria eſt ſponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis plane arcanus, cui Gabriel inquit, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* ſubiunxit Gabriel. Et pater miſit arabonem de cœlo Spi- *Luc. 1.*
ritum ſanctum, præparauit virginem vnigenito filio cœleſti ſponſo, quam Pater dilexit, filius inhabitauit, Spiritus ſanctus percupiuit. Ipſa eſt enim ſponſa & thala-

mus, & ex ea ſponſus procedit Chriſtus. Virgineum indumentum, iuxta ſuauem Dauidis Prophetæ cantio- A
Pſal. 18. nem. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de Thalamo ſuo.*

O ſponſi deſiderium ſummæ puritatis, propriam ancillam propenſione, affectu conſtituit ſponſam & Matrem. Gabriel effectus hoſpes Virginis, cœli & terræ incenſum atque ſuffimentum vnà copulauit. quam quidem virginem prophetæ clarè deſcripſerunt, dum prædicarunt ſeriem nuptiarum.

Quomodo Virgo inuenitur eſſe cœleſtis ſponſa & mater, quæ donorum antenuptialum nomine, Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratia, cœlum vnà cum Paradiſo? Quærebat igitur virgo conſpicere quem deſiderabat inquiens, Vbi eſt ſponſus cuius pulchritudinem exopto? vbi eſt pulchritudo Sole ſplendidior? B
vbi totius formæ gloria ineffabilis? vbi lumen quod extingui nequit, quod ego ſummo cum deſiderio requiro? vbi Sol qui radium exquirit? vbi ipſorum Cherubim cithara? vbi oculus Seraphim nũquam dormiens Chriſtus? vbi Angelorum adoratio quam Gabriel indicauit? vbi ſolus ac ſolius patris vnigenitus filius, quem virgo exoptans redamat, perquirens ſalutat? Cui Gabriel, ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum, Aue gratia plena,* Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa. *Aue gratia plena.* multis virtutibus exornata Virgo, in lampade,
Luc. 1. geſtans lucem inextinguibilem. Sole ſplendidiorem. *Aue gratia plena*, hami eſca ſpiritalis in te ſiquidem hamus diuinitas. *Aue gratia plena*, gloriæ ſpiritalis. *Aue gratia plena*, quæ es vrna aurea continens manna cœleſte. *Aue gratia plena*, quæ ſitiens perennis fontis dulcedine C
ſatias.

Aue gratia plena, mare ſpiritale habens gemmam cœleſtem Chriſtum. *Aue gratia plena*, ſplendidum cœlum, quæ in cœlis incõprehenſum cõtines Deum. *Aue gratia plena*, quæ Cherubicum Thronum diuinitatis fulgore ſuperas. *Aue gratia plena*, quæ cœli circulum habes, & Deum incomprehenſum anguſto potiſſimum loco in te ipſa contines. *Aue gratia plena*, nubes columnæ ſimilis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per deſertum.
B. Virgo cunctis, ſolo Deo excepto ſuperior exiſtit. Quid dico? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: natura formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò D
vero nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli tanquam ipſi duntaxat Deum haberent, quibus ſanctiſſima virgo ſuperior nata, Deum habitantem in cœlis concepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum rraberet in terram, & verſaretur cum hominibus. Ipſa enim eſt cœli & terræ mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit. O beata Virgo, columba pura, & ſponſa cœleſtis Maria, cœlum, Templum, & Thronus diuinitatis, quæ coruſcantem in cœlo & in terra Solem habes Chriſtum. nubes lucida, quæ fulgur de cœlo luciſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum. Nubes cœleſtis, quæ Tonitruum Spiritus ſancti E
in ſe ipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in vniuerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit.

Aue gratia plena, porta cœlorum, de qua Propheta vociferatus eſt, his verbis.

Ecce porta clauſa, & nullus ingredietur per eam, nec egredie-
Ezech. 44. *tur, præter quam Dominus Deus ſolus, & erit porta clauſa duci, quia dux ipſe vocabitur, & in ipſum ſperabunt omnes gentes.*

De hac porta etiam in canticis Propheta in diſcurſu orationis plane & apertè proloquitur inclamans. *Hortus*
Cant. 4. *concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus cõcluſus, fons ſignatus,* Manſit in virginitate ſancta & præclara puella Maria, quæ eſt nubes lucida habens intus Deum Verbum: ad quam
Iſa. 19. vocaliſſimus Eſaias. *Ecce nubes leuis, & veniet in Ægyptum mons nullatenus inciſus, præruptam habens petram Chriſtum*; de qua ſapientiſſimus Daniel ait. *Abſciſus eſt lapis de monte*
ſine manibus, hoc eſt abſque viro ſolidã Petram Chriſtum *Dan. 2.*
virgo peperit, ipſa templum minime compoſitum, quæ lapidem cœleſtem habet Chriſtum, ipſa nubes tonitrui formis quæ fulgur interius in vtero geſtat: ſermonique meo atteſtatur diuina Scriptura, dum ait: *Venter tuus acer- Cant. 7.*
uus frumenti vallatus in lilijs. Ipſa eſt, ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti ſuſcipiens etiam *Ioan. 12.*
manipulum germinauit. Ipſa clibanus intellectualis, quæ ignem & vitæ panem habebat. Ipſa eſt ſancta mater Saluatoris, quæ Verbum patris ex ſe incarnatũ peperit, Ad quam Eſaias. *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel.* O virgo pura, ſancta ma- *Iſa. 7.*
ter Domini, beata ſponſa Trinitatis indiuiduæ, beata tu inter mulieres, quæ Deum & hominem omnium creatorem velut infantem in terra peperiſti. beata tu inter mulieres, quæ ſola in terra Deum cœleſtem concepiſti. beata tu inter mulieres, cuius vbera ſuxit is qui alit vniuerſa. Sancta Maria virgo Deipara. beata tu inter mulieres, quæ nunc genuiſti eum qui olim in Paradiſo formauit Adam è luto. Tu enim es Deipara, quæ verbum ex te incarnatum peperiſti. Deipara exiſtis, quæ Deum verbum in forma ſerui concepiſti. Deipara exiſtis, quia Deum verbum ſuſcipiens incarnatum peperiſti. Deipara exiſtis, quæ ſola ſolius Dei vnigenitum filium genuiſti, non temporaneum Deum genuiſti ex te incarnatum: ſed æternum, qui ante te eſt, & ante omnia. Ouis immaculata, quæ peperit agnum Chriſtum. Iuuenca nunquam iugum experta, quæ vitulum genuit. Fidei menſa intellectualis quæ panem vitæ mundo ſuppeditauit. Quid dicam? & quibus verbis explicabo gloriam radicitus fundaram? De hac ſancta puella, ſemper inquam puella & virgine, Deus per Prophetam ait: *Ex te*
mihi exibit dux qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis: propterea dabit eos vſque ad tempus parientis, pariet, & reliqui filiorum eius conuertentur ad filios Iſrael, Aſtabit, & videbit, & paſcet ouile ſuum in potentia Domini. *Micha. 5. & Matth. 2.* O virgo ſancta lucis æternæ mater, lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehẽſum oculum: lucis, quæ illuminat ſolem ſplendidis facibus. lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati. lucis, quæ dixit: *Ego ſum lux mũdi:* lucis, quæ dixit. *Ego lux in mundum* *Ioan. 8.*
veni. lucis, quæ aſſumpta eſt, & illuminauit cuncta quæ ſunt in cœlis & in terra. O virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti. Stupendum enim eſt Miraculũ in cœlis, mulier amicta Sole, ſtupendum Miraculum in cœlis, mulier geſtans lucem in vlnis. ſtupendum Miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus. Stupendum Miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipſius & ſæculorum eſt Pater. Stupendum Miraculum in cœlis, thalamus virginis, habens filium Dei, Deum ſponſum Chriſtum. Stupendum Miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, infans virginis effectus eſt. O ſanctiſſima virgo mater Saluatoris, quæ genuiſti principio carens Verbum, filium ſcilicet eundem cum Patre habentem thronum, conſubſtantialem Patri, & Spiritui ſancto, qui cum Patre & Spiritu ſancto eſt ante ſæcula, qui concamerauit cœlos, & terram condidit. Aue ſanctiſſima virgo, quæ velut rubus intellectualis abſq; combuſtione diuinitatis ignem tenes. *Salutatio ad virginem.* Clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in eſum attulit, de quo Saluator mundi Chriſtus ait: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum.* *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* Locuples eſt, chariſſimi, virtutibus plena menſa virginea, optimis quibuſcumq; cibis abundans, quibus terra fruatur. Largita eſt ſancta virgo & mater Chriſti, quæ ſplendidam lucernam relucentem in cœlo & terra Chriſtum geſtauit, ad quam Propheta Zacharias, *Ecce candelabrum aureum, & facula ſuper ipſum.* Quinetiam Dauid canticum hoc ſuauiſſimum inclamat, *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* *Zach. 4. Pſal. 118.*

O can-

Digitized by Google

O candelabrum virgineum, quod illuſtrauit tenebris inuolutos. O candelabrum virgineum repellens tenebras, & lucem ſplendere faciens. O candelabrum virgineum, quod ignem & oleum inſeparabile ad illuminandum intulit. O candelabrum virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem, vnum inextinguibilem, conſubſtantialem, & ad illuſtrandam terram reſplenduit. O candelabrum virgineum, de quo per Prophetam Deus inquit, *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.* Corona regia pretioſiſſimum habens lapidem & gemmis ſimilem Chriſtum, Purpura regia, quæ cœli terræque regem induit, vniuerſale corporis indumentum purpuram referens, conſtantiſſima Chriſtianorum fides: liber incomprehenſus, quæ Verbum & filium Patris mundo legendum exhibuiſti. Beata inter mulieres, quæ Verbum ex te incarnatum peperiſti, Verbum inquam Patris, filium Verbum, ante ſæcula Deum, Verbum initio carens & æternum, Verbum cum Patre & Spiritu ſancto vnitum, Verbum eundem cum Patre habens thronum, Verbum ſedens ſuper Cherubim, Verbum quod glorificant animalia quadruplicem faciem habentia, Verbum quod creauit Angelos, Verbum quod fecit vt Principatus & Poteſtates eſſent, Verbum quod extendit cœlos, & terram condidit, Verbum verum Deum ipſum Chriſtum Dominum noſtrum, quem ſanctiſſima virgo peperiſti, & denuo poſt partum virgo, quæ gemmam produxiſti, & coronam regiam plexiſti. O beata virgo, quæ gloriam cœleſtem parturiaſti, & ex multis floribus Paradiſi mundum odore bono repleſti. Virgo eſt lilium immaculatum, quæ roſam immarceſſibilem genuit Chriſtum: vitis veritatis fertiliſſima, & quod ad virginitatem minimè vindemiata, quæ licet non foſſa, vuarum tamen feraciſſima, nempe quæ maturam vuam germinauit Chriſtum.

Pſal. 131.

A

B

C

Quamobrem ſanctiſſima virgo fac nobis fidem, qua ratione germinaueris, quo pacto ſuſcipiens verbum, quod eſt ante ſæcula, mater Dei viſa ſis ſuper terram. Ego virgo incorrupta, quæ in vtero geſtaui, effecta ſum Templum impollutum habitantis in me verbi Dei nuptiarum expertis.

Emanuelem geſtaui in vtero incorrupto, in ventre impollutu, ſimilis effecta throno Cherubico: in qua caro factum eſt Verbum Patris, qui Deus eſt initio carens: & licet inuiſibilis, ſpectabilis tamen per diſpenſationem aſſumptæ carnis factus eſt. Non experta nec cognoſcens virum, peperi Deum, qui eſt ante ſæcula, ipſum Chriſtum. Nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm antea: ſine labore peperi, non vt omnes mulieres: diſſimiles enim fuerunt res meæ ac illarum inter pariendum. Non nouit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo qui in me habitauit. O virginem, ſtupendum Eccleſiæ theſaurum, qui adeptus eſt ingens Myſterium. Virginem appellat velut Sacerdotem pariter & altare quæ quidem menſam ferens, dedit nobis cœleſtem panem Chriſtum in remiſſionem peccatorum. O vterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehenſum, in te verò comprehenſum portaſti. O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti. O vterum, qui cœlum es ſeptem circulis conſtans, & capacior illis exiſtis. O vterum ſeptem cœlis ſublimiorem atque latiorem. O vterum, qui es octauum cœlum, ſeptem firmamentis celſiorem. O vterum habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ. Quid dicam, aut quid loquar de præclara & ſancta Virgine? Deſiderium me trahit vt de Deipara verba faciam, & formido me retinet in ſilentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iſte vero me abſtrahit. Cùm ergo ab vtroq; diſtinear, expedit mihi vt ſermonem habeam de percelebri & ſancta virgine. Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas vlnas Dominum portauit. Thronus Cherubicus, cruciformis, & cœleſtis, de qua per ſcripturas in cœlos incumbo, & conſpicio illam ab Angelis adorari. hanc Gabriel in primis ſalutat Virginem. *Aue gratia plena*, quæ es ſplendidum cœlum. *Aue gratia plena*, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruſcantem, vtpotè ſolem Chriſtum. Virgo plurium nominum & multocula, effecta eſt. Seraphim incomprehenſæ viſionis: quæ inuenta eſt velamentum quoddam intellectuale corporis vniuerſalis, Cherubim tranſcendens. Illa enim auertuntur, cùm nequeant ſpiritalem ignem diuinitatis, fixis oculis intueri: hæc autẽ apertis oculis fixè intuens incomprehenſibilem & ſomni expertem oculum Chriſti, cum deſiderio & oſculo ſalutabat. Exercitus Angelorum (qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti) procidentes nec videre poſſunt nec contingere, hęc verò labra labris coniungens, incomprehenſum ſalutabat. O virgo incomprehenſi Myſterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicaſti.

Virgo poſt partum.

D

D. Virginis Mariæ encomia.

E

Virgo Maria ab Angelis adoratur.

Luc. 1.

Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & mater. Sancta mater immaculata, quæ genuiſti Chriſtum, qui eſt ante te, & dixit: *prius quam Abraham fieret ego ſum.* quæ ſtabulum gloria exornaſti, & præſepe illuſtraſti. Virgo ſiquidem ſpelunca & pręſepe, cœli circulum præ ſe ferentes, Deum incomprehenſum geſtabant vtpotè tres Trinitati apertè miniſtrantes quando virgo in ſpelunca citra laborem prægnans, cœli & terræ Dominum depoſuit in præſepio, tunc etiam ordines Angelorum circunſtabant virginem cum clamore dicentes.

Ioan. 8.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quapropter etiam paſtores qui ruri pernoctabant, huiuſmodi glorificationem Angelorum audierunt de Saluatore & celeri curſu properantes, lucem adorauerunt, ſpectantes Miraculum inſolens: ancillam Domini & virginem in terra verſantem, euaſiſſe ſponſam cœleſtem. Ipſa enim & ſponſa & thalamus, & Dei mater viſa eſt in ſtabulo, quando peperit infantem Chriſtum. Iuxta propheticam Eſaiæ vocem, nempe.

Luc. 2.

Puer natus eſt nobis & filius datus eſt nobis: cuius imperium ſuper humerum eius, & vocatur nomen eius magni conſilij Angelus, Deus fortis, Poteſtate pollens, Princeps pacis, Pater futuri ſæculi. Tum poſt hæc & Magi à partibus Orientis, à ſtella ſplendida illuſtrati & deducti, peracta itineris ab Oriente longitudine, venerunt Bethleem ad adorandum partum. vnde cùm ad ciuitatem Ieruſalem perueniſſent, occultari cœpit ſtella: illi verò tumultuantes, eo quod viæ ducem perdidiſſent, neceſſitate cogente interrogabant incolas ciuitatis, & ſciſcitabantur ab eis. Vbi natus eſſet Chriſtus, quod quidem Miraculum inauditum omnes exiſtimabant. De quo cùm audiſſet Herodes, turbabatur vehementer, & vocatis ſacerdotibus, percontabatur eos, vbi Chriſtus naſceretur. Illi autem dixerunt, & non negauerunt: confeſſi ſunt, & non ſunt mentiti. Solis radios abſcondere non poterant, vocem ſcilicet per Prophetam de Saluatore clarè pronunciatam, teſtatò dixerunt, in Bethleem naſci Chriſtum. hunc enim in mudum per prophetam clamat. *Et tu Bethleem nequaquam es minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui ſit dominator in Iſrael*, O infidelem Iſraëlem, confeſſus eſt legis effectum, & legiſlatorem denegauit. teſtificati ſunt ipſi vbi naſceretur Chriſtus, & iterum rurſus Chriſtum natum abnegarunt.

Iſa. 9.

Matth. 2.

Mich. 5.
Matth. 2.

Cur igitur Magi, quorum vis animi propria immutata erat, quorum cor admodum turbabatur & extinguebatur præ dolore: quorum ſuſpiria fluctuum violentorum inſtar nauem ſubmergebant: quorum oculi, lacrymis gemmas præ ſe ferentibus, terram irrigabant: quorum afflictio intolerabilis erat, ductorem ab Oriente requirentes, quem non habebant, habentes quæritabant, vbi eſſet Magorum dux ſtella. At verò perpende veritatem, quónam pacto occultatur eis ſtella, & intuere Miraculum, & eius ſignificationem, hac de cauſa ab-

Digitized by Google

Cur magis occultatur ſtella. ſconditur eis ſtella, vt dum percontarentur incredulos ſacerdotes manifeſtum redderetur omnibus cœli & terræ Myſterium. quapropter vbi cognouerunt omnes, rurſum apparet ſtella Magis, donec veniſſet ſupra infantem in ſtabulo, vel potius in cœlo. (Vbi enim Chriſtus, ibi & cœlum) Nam ſtabulum viſum eſt eſſe cœlum in terra. Illi verò cum vidiſſent ſtellam, imò potius Saluatorem, gauiſi ſunt gaudio magno, & incuruantes ſe adorauerunt, obtuleruntque dona, aurum, thus, & myrrham, aurum quidem velut regi, thus autem tanquam Deo, & myrrham tanquam mortali, vel potius vt iudicarent ſepulturâ creatoris & opificis omnium Chriſti, quam peperit ſponſa cœleſtis Maria, quæ eſt cœlum, templum, & thronus diuinitatis, inexplicabile Paradiſi monile. Angeli accuſabant Euam, nunc verò Mariam gloria proſequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Euam erexit, & Adamum è Paradiſo deiectum in cœlos miſit: quæ Paradiſum clauſum apperuit, & per latronē rurſum Adamum complantauit. Per te enim, ô ſancta Virgo, medius obſtructionis paries inimicitias diſſoluit, per te pax cœleſtis donata eſt Mundo, per te homines facti ſunt Angeli, per te homines appellati ſunt amici, ſerui, & filij Dei, per te homines meruerunt eſſe conſerui Angelorum, & cum eis familiariter conuerſari, per te notitia cœleſtis à terra tranſmittitur in cœlos: per te homines fiduciam habent in cœlo erga altiſſimum: per te Crux reſplenduit per vniuerſam terram, in qua quidem Cruce pependit filius tuus Chriſtus Deus noſter: per te mors conculcatur, & ſpoliatur infernus: per te ceciderunt idola, & excitata eſt notitia cœleſtis: per te cognouimus vnigenitum filium Dei, quem ſanctiſſima Virgo peperiſti, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem omnes Angeli atque homines adorantes, dicimus principio *Trinitas principio caret.* carentem Patrem, carentem principio Filium, & principio carentem Spiritum ſanctum, Trinitatem indiuiduam & conſubſtantialem glorificantes in ſæcula ſæculorum. Amen.

HESYCHII PRESBYTERI HIEROSOLYMITANI DE SANCTA MARIA Deipara, Homelia, Eodem Pico inteprete.

Putant nonnulli hunc Heſychium eſſe eundem qui ſcripſit Commentaria in Leuiticum, quem Epiſcopum Hieroſolymitanum appellat Strabus Monachus, præfatione Gloſſæ ordinariæ in Leuiticum; ſicque exiſtimant authorem huius Homeliæ ex Presbytero Hieroſolymitano factum eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, eſſéque illum Heſychium qui in ordine Hieroſolymitanorum Antiſtitum numeratur quinquageſimus nonus in Cronologia S. Nicephori, floruiſſéque tempore S. Gregorij Magni; ad quem extat eiuſdem Epiſtola, quæ eſt 40. lib. 9. Regiſtri. Conſule apparatum Poſſeuini.

OMNES profecto memoria iuſtorum totis votis eſt celebranda, & omnis ſolennitas amicorum Dei, glorioſa. *Sanctorum dies feſti celebranda.* Cuncti enim religionis ergo fortiter fecerunt, cuncti pro confeſſione vera ſuſceperunt labóres: cuncti, vt coronas veritatis conſequerentur, veluti numine diuino docti, periculis ſeſe obiecerūt. *Solennitas Virginis.* Hic autem dies feſtus qui nunc agitur, omnem gloriam ſuperat, vtpotè qui contineat ſolennitatem Virginis, quæ vſque adeò omnibus antecellit, vt ipſum Deum Verbum volentem ſuſceperit, quem ipſa citra vllam loci anguſtiam comprehendit. Ad quam ante omnia Gabriel Archangelus primus exclamauit, *Aue gratia plena, Dominum tecum: Ecce enim concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Emanuel.* *Luc. 1.* Fauſta Gabrielis nuntia, fuerunt illi mox initium lætitiæ. Cùm enim prima Virgo † concluderetur moleſtijs *† Virginem dicit, quaſi viraginē, intelligens Euā. Gen. 3.* A per ſententiam condemnatoriam ob tranſgreſſionem inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent, omniſque mulier, illius cauſa, in dolore eſſet conſtituta, & partus omnis propter eam acerbitatem pateretur: ſecunda Virgo ex denominatione etiam Angelica miſeriam omnem fœminei ſexus repulit, omnémque triſtitiæ fontem qui inter pariendum adeſſe ſolet, obſtruxit: & nubem deſperationis, qua premuntur mulieres in partu, diſſipauit: & lumina lætitiæ apud contribules coruſcare fecit. Dum audiret itaque à Gabriele, *Aue gratia plena, Dominus tecum*, non excepit ſalutationem tranquillo *Luc. 1.* animo, ſed cùm talem vocem exaudiſſet, & Gabrielem Archangelum intuita domi ex inſperato, & ob vocem de pariendo, cogitatione perturbata eſſet, tales quaſdam (vt veriſimile eſt) abijciebat Gabrielis locutiones: B omnia, inquiens, præter opinionem, & peregrina video in te hodie. Et iſtud: Quo pacto auſus es temere accedere ad Virginem non deſponſatam, & incredibilia verba prædicare? Ais enim me parituram puerum abſque ſemine, conceptuiam dixiſti nullis nuptijs interuenientibus: loculum vteri abſque vlla cum viro cohabitatione & conuerſatione editurum fructum. Quis vidit, quis audiuit fertilium agrorum naturæ peritus, antea agrum incultum produxiſſe ſpicam, aut terram non plantatam germinaſſe vuam, vinum ſine vite, aut flumium abſque fonte prodeuntem? Quod quidem nemo ex primis ſæculis audiuit auribus, aut oculis conſpexit accidiſſe. Qua ratione tibi fidem habebo me ſuggilanti? Quid ergo Gabriel et hæſitanti reſpondit? Dixi C quod didici, quod audiui loquor. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Ideóque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* *Luc. 1.* tanquam is ſit à quo, & velut is ad quem omnis creatura, tanquam creator & opiſex omnium, tanquam ſæculorum Pater, tanquam ſæculi parens, tanquam omnium conditor, tanquam cœlis antiquior, tanquam Angelorum opiſex, & humanitatis formator: tanquam denique eorum, qui alioqui perituri eſſent, Saluator: præter hæc nihil poſſum denunciare. Non enim ô Virgo, mandatum habeo, vt per ſingula dicam, Quo pacto: ſed vt earum rerum miniſter ſim, quæ faciunt ad fauſtum erga te nuntium. Admirare igitur mecum myſterium, & bona nuntia abſque dubitatione excipe. Illa verò ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* *Luc. 1.* D Nos igitur natiuitatem dominicam edocti Archangelicis ſermonibus Gabrielis, incedamus à tergo ſemitis eius. Ego, quemadmodum ille, vim partus citra diſquiſitionem curioſam, diuinam agnoſco & cenſeo: didicimus à Magis, imò verò inſtructi ſumus, vt eam rem religioſè colamus, *Math. 2.* qui quidem inquirentes infantem ſtella duce, non dixerunt his quos interrogabant, quomodo fit conceptio diuina, quomodo vterus ſine ſemine, quomodo partus incorruptus, quomodo mater poſt partum eſt Virgo, quomodo ſubijcitur annis, qui prior illis eſt: quomodo eſt in tempore, qui eſt ante ſæcula: quomodo natura vteri comprehēdere potuit eum, qui eſt incomprehenſus: quomodo is qui eſt incorporeus, ſine conE uerſione factus eſt caro, quomodo Deus verbū ſeipſum exinaniens in vtero virgineo, cùm eſſet inſignis & glorioſus, inſtar ſerui, modu indicibili ex eo incarnatus eſt, *Phil. 2.* quomodo id quod eſt perfectum, infans eſſe poteſt: quomodo lac ſugitis qui nutrit: quomodo is qui tegit, & complectitur vniuerſa continetur in vlnis: quomodo Pater futuri ſæculi fit infans: quomodo ſurſum & deorſum eſt: quomodo is qui eſt in cœlis, eſt etiam in terra: quomodo pannis inuoluitur, qui Auriga eſt Cherubicorum curruum: quomodo iacet in præſepio, qui eſt in ſinu Patris: *Ioan. 1.* quomodo faſcijs continetur, qui educit vinctos in fortitudine: *Pſal. 67.* & cūcta alia quę vel referre horreſcimus. Sed cùm taciturni perueniſſent ad ſtabulum, vbi inquiſierunt, decentem cultum exhibuerunt Regi & Deo cum muneribus, cupientes cum gaudio reuerti in ſuam Regionem, qui declarati ſunt erga gentes eſſe primitiæ

primitiæ cognitionis diuinæ: quos gentes quidem ęmulatæ ſunt, Iudæi autem inflexibiles, vel potius obdurata ceruice, eo à qui miniſterio ſtellæ è longinquis regionibus erant adducti, neglexerunt imitari, vt cognoſcere poſſent Solem iuſtitiæ in proprijs eorum locis apparentem. Ego verò chariſſimi, animaduertens veſtram animi promptitudinem ad audienda eloquia diuina, & intimum amorem erga illorum interpretes, veſtro audiendi ſtudio victus, excitor ad docendi deſiderium, congratulatione charitatis veſtræ delectatus. Vos enim continenter cum plauſu excipitis eos qui ſermonem habent, perinde ac diſcipuli, multarum rerum enarratores: vos velut vectores, gubernatorem ipſi componitis: vos gubernacula linguæ, precibus continetis. Quis zelum veſtrum pro dignitate poterit enarrare? quis verbis explicabit veſtrum aduerſus Græcos infideles odium? quis contra hæreticos veſtram patefaciet animoſam fi- B duciam? quis veſtras in Iudæos inimicitias commemorare poterit? execrandi enim cum reliquis re vera ſunt Iudæi, qui nihil aliud perpetuo eſuriunt & ſitiunt niſi cædes innocẽtium, nulla re magis oblectati, quã vt Prophetas in foueas proijciant, in terrã protrahant, lapident iuſtos, gladios exerant in religionis præcones, ferris fruſtra concidant, partes manuum ac pedũ piorũ virorum amputent, & cruentis manibus teneant inſtrumenta ad ſupplicium idonea, continua iuſtorũ interfectione palmas ſanguine perfundant: qui quidem aduerſus Saluatorem noſtrum tantam & tam impiam effutierunt audaciam, vt impudenter eo præſente exclamarent in illum,

Ioan. 9.

Nos ſcimus quòd Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus vnde ſit. O res audacter geſtas. O odium in Iudæos, C quod me declinare non finit. Quoties enim abominationem eorum effugere deſidero, toties palam mihi occurrunt, vel Prophetarum verba calumniantes, aut in ſyllabas legis contumelioſi, aut libros adorandorũ Euãgeliorum perturbantes, ita vt chartæ diuinæ nouam ſuſpicionem nobis ingeſſerint, ipſos impudentes voces obieciſſe in dominum omnium, & audacter dixiſſe quæ audiſtis. *Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus vnde ſit.* O manifeſtam impudentiam. O ægritudinem linguæ latronum detectã. O cæcam ſermonum contrarietatẽ.

Math. 2.

Nã cùm Herodes percunctaretur eos, *vbi Chriſtus naſceretur*, cũ fiducia dicebant, *in Bethleem Iuda*, & oſtendebant concluſionem Prophetiæ adducentes ſacrarum rerũ interpretẽ teſtificantẽ his verbis,

Luc. 7.

Propheta magnus exitatus eſt in Iſrael. Nunc autẽ velata facie clamant, D *Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus vnde ſit.* Haud dubiè non cognouerunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Verè

Ioan. 9.

populus iſte ſtultus & minimè ſapiens. vnde merito Chriſtus exclamat in eos,

Pſalm. 81.

Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis. Lamentati ſumus vobis, & non planxiſtis. Quis contra eos ex aduerſo ſtabit ad impugnandam tam iniquam ſententiam?

Math. 11.

Quis arguet contentioſas eorum inimicitias? Tot apud eos Chriſtus miraculoſas operationes circumquaque exhibuit,

Math. 11.

corroborans paralyticos, mundans lepro ſos, male habentes ſanans, curans vexatos à dæmonio,

Ioan. 2.

aperiens palpebras oculorum, mortuos illorum excitãs è ſepulchris, aquam in vinum mutans, & alia præſtans infinita, quæ laborioſum eſſet recenſere. Et tamen nuſquam apud eos eſt vel tantillum fidei. E Eſto, non credis nobis, ô Iudæe, lege ſacros Antiſtites, euolue libros qui ſunt apud te: neque velis leuiter deteſtari ſanctos, Petrũ

Deut. 18.

aut Paulum Euangeliſtas. Audi ſaltem vel Moyſen quid præſcripſerit in lege. *Prophetam ſuſcitabit Dominus Deus de fratribus veſtris, ipſum tanquam me audietis.* Intuere quid

Eſa. 7.

Eſaias prophetans inclamet, *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Audi Hieremiam vociferantem ingentia,

Baruch. 3.

Hic eſt Deus noſter, non reputabunt alius præter eum & deſcendam, inquit, *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Vide rurſum

Malach. 4. Math. 9. Marc. 6. Luc. 8.

quid innuat Zacharias. *Ecce vir, nomen ei Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Et mulier quæ fluxu ſanguinis laborans multos poſt annos ſanata eſt, vnà cum alijs ſermonem confirmauit, & ſigillo notauit, ſolo fimbriæ tactu recipiens ſanitatem.

Ezech. 44.

Quid? lege ſtudioſe Ezechiëlem, A & virum deſideriorum, quo pacto ille quidem dicebat,

Dan. 10.

Hæc eſt porta Domini, & ingredietur Dominus per eam & egredietur, & erit porta clauſa. Daniel autem inquit,

Gen. 49.

Et ecce in nubibus cœli velut filius hominis veniens. Adſta ipſi Iacob, & diſce quid dicat in benedictionibus emittendis:

Pſalm. 86.

Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat qui repoſitus eſt, & ipſe expectatio gentium. Pulſa citharam ſancti Spiritus, & perſpice quid Dauid accuratè decantauerit, *Mater Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus.* Virgo enim eſt mater, & poſt partum permanſit ſigillum virginitatis, quod

Pſalm. 71.

natura indidit, inconcuſſum cuſtodiens. Rurſum inſpice quid ait Dauid, *Orietur in diebus eius iuſtitia, & deinde dominabitur à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque* B *ad terminos terræ.* Num quis præceptorum noſtrorum hæc pronunciauit? Nam quis diſcipulorum Saluatoris in tabulis aut chartis talia circumſcripſit? Nonne quicũque de eo antea prædicarunt, ij erant filij circumciſionis qui hæc præcinebant? His forte non tibi libet credere.

Math. 8.

Reuerere dæmones exclamantes his verbis, *Quid nobis & tibi fili Dei viuentis?* Reuerere angelorum, hominum, dęmonum, ac ſimul vniuerſæ creaturæ confeſſionem de Chriſto Domino. Sin etiam hæc auerſaris, excipe teſtatricem Patris vocem, illius gratia è ſuperis inſtar tonitrui reſonantem,

Math. 17.

Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE EADEM.

C PVRE proculdubio omnis grati animi lingua ſalutat Virginem & Deiparam, ac pro viribus Gabriëlem Angelorum Principem imitatur. Itaq; hic quidem dicit ei, *Aue*: ille verò acclamat, *Dominus ex te*, eo quòd Dominus editus aſſumpta carne apparuerit humano generi.

Luc. 1. Editio vulgata tecum, non ex te, habent.

Iſte cognominat eam, Matrem lucis: ille, Stellam vitæ, aliud Dei thronum appellat; alius, Templum maius Cœlo: alius, Cathedram non inferiorem cathedra cherubica: alius item, Hortum non ſeminatum, fertilem, incultum, vitem vuarum feracẽ, valde florentem, intactam: turturem mundam, colũbam impollutam, nubem pluuias incorruptas continẽtem, ſpecimen cuius gemma Sole ſplendidior, fodinam vnde prodit lapis totam terram tegens, à nullo inciſus:

Cantic. 5. Incultum dicit, quia præter humanam cohabitationem. Dan. 2.

D nauem mercibus refertam, nullóque egentem gubernatore: theſaurum locupletantem. Alij ſimiliter, Lucernã oris expertem, quæ à ſe ipſa iugiter ardeat. Arcam arca Noë latiorem, longiorem, illuſtriorem. Illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium animalium, iſta verò vitæ incorruptibilis: illa ipſum Noë, hæc verò ipſius Noë factorem portanit: illa duas & tres contignationes & manſiones habebat, hæc autem vniuerſum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adueniebat atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vtero geſtatus inhabitabat.

Luc. 1.

Spiritus enim ſanctus, ait, *ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Vides quanta & qualis eſt Deiparæ virginis di- E gnitas, vnigenitus enim Dei filius Mundi conditor, velut infans geſtabatur ab ea, & Adamum reformabat, Euámque ſanctificabat, excludebat Draconem, & Paradiſum aperiebat, ſigillum vteri muniens.

Gen. 3. Clauſtra Virginis pudoris non aperuit Chriſtus.

Meritò ſanè vtrumque & iuſta ratione. Aperiebat enim Paradiſum, quoniam latronem introducturus erat in eum, cunctóſque regni hæredes deducturus. Sigillum vteri muniebat, eo quòd is qui carnem aſſumebat, eſſet Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis ingrediendi cauſa aut egrediendi.

Eze. 44 & 16. Maria Deifera. Eſa. 7.

Tibi igitur; ô virgo, Prophetæ tribuunt laudes, & quiſquam Deiferam dicit, qui miraculorum myſterijs fidem habuerit. Et ille quidem te virgam Ieſſe vocitat, vt obſcurè declaret virginitatem, quæ nullo modo vulnerari aut incuruari

Exod. 3.

potuerit. Iſte verò comparat cum rubo ardente, qui tamen non exuritur: vt ſubindicet carnē vnigeniti, & Virginem deiparam. Hæc enim ardebat, & non conſumebatur: peperit ſiquidem, & vterum non aperuit: concepit, & vuluam non corrupit: eduxit infantem, & vterum ſignatum reliquit: lac ſuppeditauit, vbera tamen intacta conſeruauit: portabat puerum, pueri tamen Patrem non agnoſcebat: mater effecta eſt, quæ minimè ſponſa fuit: nutriebatur filius, & non inueniebatur Pater: ager fructum edebat, & fructus carebat cultore: meſſis reddebat quæ ſemen non acceperat: currebat fluuius, & fōs quacunque ex parte clauſus erat, vt perſpicuum fieret te matrem eſſe factam, & tamen non eſſe paſſam ea quæ mulieribus accidunt. Peperiſti tanquam mulier, non tamen vt mulier corrupta es: iuxta legem naturalem geſtabas in vtero, quoniam tempus pariendi præſcriptum expectabas: veruntamen concepiſti præter legem naturalem. Alius te appellauit portam clauſam in Oriente ſitam, quæ introduxit clauſarum portarum Regem: nec non etiam Portam eminentem te vocauit, quoniā porta præſentis vitæ vnigenitu effecta es. Portam in Oriente ſitam, quia lux vera, quæ illuminat omnē hominē venientem in mundum, ex vtero tuo proceſſit, velut è quodam thalamo regio. Tu Regem portarum clauſarum introduxiſti atq; iterum eduxiſti. Nequaquam enim Rex gloriæ, dū conciperetur aut ederetur, vuluæ tuæ portas prorſus aperuit, neq; virginitatis vincula laxauit. Vocauit te Hortum concluſum, & Fōtem ſignatum, is qui ex te ortus eſt ſponſus, prædixit in Canticis. Hortū concluſum, ob id quòd falx corruptionis, aut vindemia te non attigit: florem autem, qui ex radice Ieſſe hominū generi purè exibetur, excultus tibi à puro intemerato Spiritu. Fontem concluſum, quia flumen vitæ ex te prodiens repleuit terram, alioqui ramus nuptialis fontem tuum nequaquam exhauſit. Dauid ſine intermiſſione cithara celebrat eum qui ex te natus eſt, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Surge, vnde? è ſinu Patris, non vt à Patre ſepareris. (hoc enim dicere vel cogitare nefas eſt) ſed vt diſpenſationem peragas, vel quidpiam è Cœlis ante ſecula, & ante generationes tibi præfinitum. Surge, vt lapſos erigas, vt claudicantes recta incedere facias, vt poſſeſſionem tuam recipias, quæ ab hoſte ad hoc vſque tempus tyrannico modo occupatur. *Surge Domine in requiem tuam*, quam ſuper terram præſcripſiſti, & in Bethleem conſtituiſti, vt purè ſtabulum, præſepe, & faſcias. Non enim eges in Cœlis requie, ſed ipſe es requies vniuerſæ creaturæ: at in terra, noſtra cauſa pareris quæ ad carnem pertinent. Non enim erat eſuries aut ſitis vera quam habebas, quinimo eſuriens, panis es vitæ: & ſitiens ipſe es conſolatio laborantium ſiti, cùm ſis fluuius incorruptionis. & dum fatigabaris obambulando terram, per fluctus maris iter pedibus faciebat abſque labore. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ*, quæ eſt haud dubie Virgo deipara. Si enim tu es gemma, meritò illa eſt arca. & quia Sol exiſtis, neceſſariò Virgo vocabitur Cœlum. cùm ſis flos immarceſſabilis, profectò Virgo erit planta incorruptionis, & Paradiſus immortalitatis, in quam Eſaias hæc proſpiciens nuper acclamabat dicens, *Ecce virgo in vtero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel.* Ecce virgo, quænam? mulierum egregia, è Virginibus electa præclarum naturæ noſtræ ornamentum, gloria luti noſtri, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam Draconis abſcidit: quam concupiſcentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læſit. *Ecce virgo in vtero concipiet.* vndénam ô Propheta? nō dico, ait. hoc enim reſeruatum eſt Gabrieli. Permulti diſtinctè declarare nituntur miracula Virginis, pleráq; tamē eorum prætermiſſa ſunt. Cęterùm ego de partu ſemper Virginis fidem facio, Micheas de regione & loco in quo miraculum peractū eſt. Dauid de tēpore. Ipſe enim Prophetiæ Pſalmorum inſeruit iſtud, *Ex vtero ante luciferum genui te.* Gabriel igitur dicturus eſt vnde. Ille enim de Cœlo deſcendit, ille ad hoc ipſum mittitur ad Virginem, ille tempore partus adeſt, & ſubſtātiam partus creditur neceſſariò declaraſſe. Sin cupis & à me diſcere, quæ ſequuntur in Prophetia percurrere: *Et pariet filium, et vocabunt nomē eius Emmanuel.* Quid porro eſt Emmanuel? Nobiſcum Deus. Nunquid ergo Deus ex nuptijs & corruptione concipitur, & ex viro atque cōcubitu editus aut incarnatus eſſe poteſt? Nequaquā, ſed operatione diuina, ſeminatione ſuperna, & aduētu Spiritus ſancti. Quamobrē cùm Virgo Gabrieli diceret, *Quomodo fiet iſtud apud me, quia virum non cognoſco*, percellit me miraculum, quod dixiſti, me perterret: & oraculum Angeli Virginem obſtupefacit, miranda dicis, ideòque mihi dubia, quia peregrina, extimeſco nuntij fauſti nouitatem: perturbor ob ea quæ dicuntur à te admodum inſolita. *Quomodo mihi fiet iſtud, quia virum non cognoſco?* qua ratione fiā mater, quæ non fui ſponſa? flos ætatis vigentis non eſt corruptus: cingulum virginitatis non ſolui: vincula vuluę non laxaui: vteri non diſſolui ſigillum. Angelus confeſtim ſubiunxit, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi:* hoc eſt, ſi cognoſceres virum, non pareres Deum, cui viſum eſt ex te, propter te citra corruptionem, ſerui formam ſumere: nunquā fieres inſtrumentum incarnationis eius qui omnia produxit. Verùm quia munda es à concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculū ab omni ſorde liberum conſeruaſti: & Pater hoſpitatur apud te, & Spiritus ſanctus obumbrat, & aſſumpta carne vnigenitus ex te naſcitur, eam ob rem, ne dubites vllo modo de reliquis myſterijs ne ſis anxia, ſi parias in ſtabulo vniuerſæ creaturæ opificem: ne hæſites, ſi ſedere facias in præſepio eū qui ſedet in dorſo Cherubim, ſi non habeas locum in diuerſorio, cùm ſis mater Regis eorū quæ ſurſum ſunt & deorſum. Libens enim qui ex te natus eſt, pauper efficitur, vt diuites refrænet, & egenis patientiæ ſit argumentum, & gratiarum actionis magiſter. Libens reconditur in præſepi, vt qui ſunt pecuini accurrant & reperiant λόγον, id eſt, ſermonem & rationem in præſepi conſtitutam: vt ex eo recipiant dignitatem rationalem: vt qui currunt ad paleas, frumentum nanciſcantur: vt beſtiarum more feſtinent, arbitrantes ſe inuenturos in præſepi manipulos hordei, & panem verum manducaturos, alimentum vitæ, cœnam lucis, eſcam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem, vnde oritur notitia regni, arra adoptionis filiorum, Cœlorum hæreditas, ſocietas cum Patre & Filio & Spiritu ſancto. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Maria deipara.

Matth. 1. Luc. 3.

Contrà lege verè ſiquidē ſponſa & coniux fuit, quoad veritatem & eſſentiam coniugij, non quoad thorū vel coniugij conſummationem vt docent Theologi vide S. Thomam 3. par. q. 29. art. 2.

Luc. 2. Ezech. 44. Ezech. 1. Ioan. 1.

Cantic. 4. Cantic. 4. Eſa. 11.

Pſalm. 131. Ioan. 1. Eſa. 35. Ioan. 6.

Matth. 14. Arca ſanctificationis virgo Maria.

Eſa. 7. Luc. 1. Matth. 5. Pſalm. 2.

Luc. 1.

Contrà lege, & regreditur ad notam, col. 44. d. Luc. 1.

Quare Deus pauper naſcitur & in præſepio.

CHRYSIPPI PRESBYTERI HIEROSOLYMITANI DE SANCTA

Maria deipara, Eodem Pico interprete.

VIRGAM Ieſſe ſemper virētem, quę cuncto generi humano, vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore beatam prædicare, admirari, & laudibus extollere conuenit. Iis tamen, qui hymnis celebrāt eam, eſt quoddam tempus præſcriptum, quo & vt plurimum præclara ſolennitas hæc peragitur. cumque planè circa myſterium iſtud quippiam geſtum ſit, quod ſenſum multorum effugiat. Agite ergo, & nos & ſi munera digna offerre nequimus, pro viribus tamen bonam voluntatem adferamus. Mox verò ſumamus initium à verbis quæ Gabriel apud eam fecit, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Aue, inquit, tuum enim eſt re vera auere & gaudere: tuum eſt veriſſimè audire iſtud, Gratia plena, quia tecum eſt vniuerſus lætitiæ theſaurus, totius lętitiæ & gratiæ Rex cum ancilla: cum ſpecioſa inter mulieres, ſpecioſus forma præ filijs hominum: cum puella impolluta, is qui ſanctificat omnia. Tecum eſt conditor omnium, tecum inquam, vt ex te gignatur, tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur, tecum velut Deus,

Pſalm. 4. Virginis Conceptio ſine macula quæ Chriſtum concepit.

vt ex te

Digitized by Google

vt ex te ſit Deus & homo. Hactenus Gabriel verbis ſalu-
tationis finem imponit. Nos autem peropportunum eſt A
modo vt plurimarum prophetiarum fauſtas acclama-
tiones illi adſcribamus & dedicemus. Aue igitur ſem-
per, Aue gratia plena, Aue quæ vuluam adepta es præ-
Ioan. 1. ter naturam, vel ipſis cœlis latiorem: quandoquidem
Cant. 4. 5. per hanc comprehendiſti eum, quem ne Cœli quidem
capiunt. Aue fons lucis omnem hominem illuminantis.
Aue Solis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum. Aue
armarium vitæ. Aue quæ es hortus Patris. Aue quæ es
pratum totius fragrantiæ ſancti Spiritus. Aue radix om-
nium bonorum. Aue ſpecimen gemmæ omne precium
excedentis. Aue vitis vuas pulchras producens. Aue
nubes pluuiæ, potum animis Sanctorum exhibentis.
Aue quæ es puteus ſemper viuentis aquæ. Aue quæ es
rubus ardens igne ſpiritali, nuſquam tamen aduteris. B
Exod. 3. Aue porta clauſa ſoli Regi aperta. Aue mons vnde lapis
Ezech. 44. angularis abſciſſus eſt ſine manibus. His enim atque aliis
Dan. 2. multis huiuſmodi cuncti qui Deum geſtant particula-
tim eam alloquuntur. Cæterùm nobis ſufficit nunc ad-
metiri ſermonem cum his quæ in medium adduxerunt
illi, qui ſuppeditant ea quæ ad feſtum pertinent, quod
celebramus. Quapropter dico in primis quod me vul-
Eſa. 7. tis dicere, quo pacto Eſaïas laudibus proſequitur par-
tum ſeminis expertem, ſed ferolem: incultum, & ni-
hilominus pulchros fructus producentem, præter natu-
ram ſimul & ſecundùm naturam, quia quæ noſtra ſunt
accepit: præter naturam quia digreſſus eſt à ſuperis: ſe-
cundum naturam propter tempus conceptionis, inſu-
per & propter legem generationis, præter naturam, eo C
Gal. 4. quòd is qui ſupra nos eſt, hæc omnia ſuſcepit noſtra
Luc. 1. & 2. gratia. Dico porro quæ & Paulus exclamauit, dico etiam
quæ Lucas prædicat, aut placet vobis vt antea dicam
qualia nunc decantauit Dauid, dum pulſaret lyram Dei
imitatricem: ſcio quòd hoc anteponitis & vultis. Quæ
enim quiſpiam vehementius expetit, hæc audire magis
deſiderat. Mauultis vos meritò cantica Dauidis, eo
Nocturna quòd in ipſis omnem vitam ducatis, quòd Hymnorum
preces. cantionem continuam obſeruetis, quod diu noctúque
eorum gratia chorum congregari ſolitum non deſera-
tis: quòd eorum dulcedinem ore ſemper hauriatis, at-
que ex eis viuificas delicias abſque ſatietate in animis re-
condatis. Agite ergo agite, denuo illa cum clamore pro-
Pſal. 131. nunciate quæ prodeunt ex tam grata vobis cythara. *Sur-* D
ge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua. Arca
enim verè regia. Arca precioſiſſima eſt Virgo deipara.
Arca quæ excepit totius ſanctificationis theſaurum. Ar-
ca non ea in qua erant omnium animalium genera,
Gen. 6. quemadmodum in arca Noë, quæ fluctuantis vniuerſi
mundi effugiebat naufragium. Arca non ea in qua erant
tabulæ lapideæ, quemadmodum in arca quæ per totum
Ioſue 4. 5. & 6. deſertum vnà cùm Iſraële perambulabat: ſed arca cu-
ius architectus & incola, gubernator & mercator, co-
mes viæ & dux erat opifex omnium creaturarum quas
in ſe ipſe vniuerſas portat, ſed à cunctis ipſe non com-
prehenditur. *Surge Domine in requiem tuam*, tua enim re-
quies, inquit, eſt Virgo, & vterus tua requies, quia tibi
Ioan. 1. cubile efficietur & habitatio. Surge Domine. Nam niſi E
tu exurgas è ſinu paterno, inquit, genus noſtrum quon-
dam lapſum non reſurget. Surge Domine, quia etiam ſi
exurgas, non ſeparaberis à gloria paterna, & verſans in
terra, non relinques Cœlos, & licet appareas in carne,
non imminues poteſtatem quam habes ante ſecula, *Tu*
& arca ſanctificationis tua. Cùm enim tu inde ſurrexeris,
ſigillabis arcam ſanctificationis tuæ, túmque arca cum
omnibus exurget à lapſu, in quo vel illam conſtituit Euę
cognatio. Talia præclamabat & exorabat illius gratia,
quæ ex eo germinare debebat, imo verò totius generis
humani nomine. Age verò alteram etiam recolite Pſal-
morum cantionem, quæ illuſtriorem hymnis præ ſe fe-
rat honorem. Audiſti quæ fuerint hymnorum, iam audi
quæ ſint odæ verba. *Audi filia, & vide, & inclina aurem*
Pſalm. 44. *tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui, &*
concupiſcet Rex decorem tuum, quia eſt ipſe Dominus tuus, &
adorabis eum. Tractemus igitur quantum licet etiam in A
his latentem ſenſum. Audi, inquit, filia, hoc eſt, de cæ-
tero ſermo meus dirigitur ad te, quæ à me ortum acce-
piſti, ſermo, inquam, ad te, per quem eadem etiam Euã-
gelizo Eccleſiæ gentium. ſermo meus ad te, quæ deſpõ-
ſanda es Regi magno: ſermo eſt ad te, quæ Deum Ver-
bum, prout ipſe nouit, conceptura es. Audi filia, & vi-
de: adeò diligenter auſculta, vt etiam ipſis notitiæ ocu-
lis intuearis effectum. Audi etiam hæc mecum inclina-
tione prædicentem, atque Gabriëlem eadem tibi indi-
caturum, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*, hoc
enim fauſtum nuncium eſt de redemptione Mundi. *In-*
clina aurem tuam, & auſcultatio diriget cor tuum. *Et obli-* *Pſalm 44.*
uiſcere populum tuum & domum Patris tui, populus enim à
quo cognationem contraxiſti, nequam eſt, ignominiam B
tibi affert. Populus imprudens tibi irreprehenſæ naturæ
propagini familiaritate iunctus eſt, & cultura ſpinarum
ferax roſam tuam producit, obliuiſcere autem vnà cum
populo, etiam ipſam domum paternam. Audi pauliſper
dignitatem quam adeptura es è conceptione indicibi-
li. Etenim Propheta & Rex ſum ego, qui tibi ſemen
ſuppeditabo, tu verò declarabere mater Regis, qui Do-
minus eſt ſceptrorum non terrenorum, at cœleſtium. *Et*
obliuiſcere populum tuum & domũ Patris tui. Ne poſthac at-
tendas animum huic inferiori cognationi, quoniam in
Reginam tranſmutaberis. Exaudi, inquit, quãto te amo-
re proſequetur is qui & conditor omnium eſt, & pote-
ſtatem habet. *Concupiſcet enim*, ait, *Rex decorem tuum.* Ipſe
Pater te ſibi ipſi deſponſabit, Spiritus ſanctus coëfficiet C
ea quæ ad deſponſationem pertinent, & Filius ipſum
templi tui decorem aſſumet. Itaque ne exiſtimaueris te
parituram infantem humanum, *quoniam ipſe eſt Dominus*
tuus, & adorabis eum. Ipſe formator tui, ipſe etiam infans,
ipſum concipies, & cum cæteris adorabis vt dominum.
Animaduertite quodnam Epithalamium Dauid obtulit
Deiparæ, dum velut modulator quiſpiam hymnum de-
cantat, quo etiam velut Pater congratulatur tantæ puel-
læ beatitudini. Cæterùm quis circunſtantias partus, quis
inquam, vt par eſt explicare poſſit? Inde clangere inci-
piat tuba Eſaiæ, & opportunè ſubminiſtret vocem reſo-
nanti verba. *Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, &*
vocabunt nomen eius Emmanuel. Nunc primum inquit, vo-
bis reuelo myſterium quale non viderunt anteriores na- D
tiones, imo verò quale ne ipſa quidem lex naturæ nouit.
Oſtendito mihi virginitatem & conceptionem. Oſten-
dito mihi partum nullis demonſtratis nuptiis. Itaque, ne
diffidat quis infantem eſſe Deum. Quòd ſi Deus eſt ſi-
mul & infans, horum concurſus appellationem Emma-
nuelis expoſcit. *Et vocabunt nomen eius Emmanuël*, hoc eſt
Deum, & eundem indiuiduè hominem, Deum & ho- *Per humanã*
minem ipſum. Etenim partus ſecundum carnem huma- *legem intelli-*
nus eſt: qui verò natus eſt Deus, partus ſecundum car- *ge infirmitatẽ*
nem humanus, & ob id quæ pertinet ad partum huma- *humanam*
næ legi ſubiecta ſunt, natus verò eſt Deus, propterea & *dempto pec-*
vuluæ ſigillum permanſit ei quæ peperit. Eſt Deus qui *cato.*
natus eſt, alioqui quo pacto ſtella natiuitatem eius in
gentes euulgaſſet? Eſt Deus * qui natus eſt, ſed ex mu- E ** Intellige*
liere naturam habet humanam. *Miſit enim Deus filium ſuũ* *Deum pro*
natum ex muliere, factum ſub lege vt eos qui ſub lege erant re- *Chriſto per*
dimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus. Audiamus hæc *communica-*
Pauli verba dicentis conuenientia cum his quæ dicta *tionem idio-*
ſunt ab Eſaia. O ſermonem ſuperantem omnem intel- *matum.*
lectum: vt ego efficiar filius Dei, vnigenitus Dei filius *Gal. 4.*
factus eſt ad ſimilitudinem meam. Ad ſimilitudinem
autem meam dico participatione carnis, in qua tamen
nulla ſit communicatio peccati. Quænam igitur, quæ-
nam veriſimile eſt hoſtem humani generis ſecum loqui,
dum videt nos per mulierem reuocatos ad filiorum ad-
optionem quam initio habebamus? Nonne hæc dicit
& queritur? Qui fit in inſtrumentum quod in principio
cooperabatur mihi, nunc mihi aduerſetur? Mulier me-
cum effecit, vt in genus humanum tyrannidem occu-

parem, & mulier me è tyrannide deturbauit. Antiqua
Gen. 3. Eua me erexit in altum, & noua deiecit. Ipſa eſt etiam
Excepto ſcilicet peccato. Eua ſecundum naturam, licet non Eua ſecuudum gene-
randi ratiooem. Quæ enim mulier poſſit edere partum
adeò alienum ab omnium opinione? nulli coïtus inſer-
uiens corruptioni imprægnata mater effecta eſt citra ſo-
lutionem virginitatis. Lac edidit quæ nullas nouit nu-
ptias, nutriuit infantem, cuius tamen infantis nullus ſit
Pater in terra. Quamobrem meritò immutatæ ſunt res
meæ ab eo qui immutat naturam: & per quam captiui-
tati ſubijciebam, in captiuitatem redactus ſum: per quã
Matth. 1. vincebam, ſuccubui, Ego verò fruſtra in eam malignè
moliebar inſidias, & ipſi etiam Ioſeph ſuadens vt de ea
malè ſuſpicaretur, conſilium ei ſubieci, vt occultè eam
dimitteret, & hac ratione declararet ex adulterio pro-
ficiſci conceptionem. Angelus autem aſtans in ſomnis
apertè reuelauit ei quod latebat in conceptione myſte-
rium. At verò quantum mihi tempus ſufficere poſſit ad B
proſequendum verbis, quibus modis triumphauit de
me qui partum ex ea ſubiji? In his quæ attentabam de-
prehenſus, in his quæ impugnabam pudefactus, dum ab
ipſis qui mecum ſunt dæmonibus frequenter auditem
Luc. 4. ipſum appellari Dei filium? Eripuit mihi cunctos varijs
morbis laborantes: eripuit omnes à malignis ſpiritibus
perturbatos: eripuit etiam eos quos ipſi morti tradidi,
tandem etiam conſilijs meis in Crucem actus; multo
maiore me verecuodia perſundit, & mecum denuò
Matth. 27. mortem, dum è Cruce concuſſi vniuerſa quæ ſunt in
terra, ex motu patefaciens omnia ſub terra iacebant,
decerpens tam me hîc quàm mortem ibi, reſurgentibus
cum eo mortuis. Horum igitur omnium quæ mihi cauſa
Gen. 3. eſt? Quæ alia præter eam quæ genuit eiuſmodi miracu- C
lorum opificem? profectò præſtabat mihi, vt Euam il-
illam antiquam non inducerem in dolum: ſatius erat
mihi etiam per Serpentem illam non decipere. Nam
quid lucri mihi acceſſit ex circunuentione? ſiquidem
eos quos in ſeruitutem redegi, modò video priſcam li-
bertatem recipere, imo verò vnà cum præcedente li-
bertate etiam ipſum regnum cœlorum hæreditario iure
poſſidere. Talibus equidem communis omnium no-
ſtrum inimicus apud ſeipſum vſus eſſe ſermonibus vide-
tur. Nos verò denuò recurrentes ad ea, quorum ſupe-
Matth. 1. rius fecimus mentionem, laudemus virgam Ieſſe, bea-
tum prædicemus, & fauſtis ominibus proſequamur ſa-
crum Dauidis ſurculum. *Aſcendit enim & Ioſeph à Gali-
læa de ciuitate Nazareth in Iudæam ad ciuitatẽ Dauid, quæ qui-
dem vocatur Bethleem, eo quod ipſe eſſet de domo & familia Da-
uid, cum Maria ſibi deſponſata & grauida.* Iſta Lucas nobis
A nunciauit per hiſtoriam Euangelicam, teſtificans familiã
& propinquitatem Dauidis non ſolùm ad Ioſeph, ſed
etiam ad Deiparam & ſemper Virginẽ pertinere. Quid Luc. 2.
igitur poſteaquam aſcenderunt, quid accidit? *Impleti
ſunt*, inquit, *dies vt ipſa pareret, & peperit filium ſuum primo-
genitum.* Peperit filium ſuum, qui & illius ſimul & Patris
e cœleſtis eſt primogenitus & vnigenitus. *Et pannis eum in-
uoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat locus in diuer-
ſorio.* Inuoluit panniculis illum qui amictus eſt lumine
ſicut veſtimento. Faſcijs inuoluit eum, qui ſua ipſius po-
tentia omnem creaturam inuoluit. Reclinauit in præſe-
pio eum, qui proprio arbitrio cœlos inclinat. Reclina-
uit in præſepio eum, qui ſedet ſuper ſolium. Hæc porro
non fruſtra contingebant, ſed in præſepi animalium ir-
rationalium proponebatur ὁ λόγος, id eſt Verbum &
ratio, vt pro inſtituto accurrentes homines irrationa-
B les, ſenſus rationalis participes efficeret. In menſa be-
ſtiarum proponebatur panis cœleſtis, vt ex hominum Philip. 2.
genere, his qui beſtiales erant, communicationem eſ-
cæ myſticæ exhiberet. *Et non erat locus ipſis in diuerſorio.*
Locum in quo habitaret non habet, is qui domum to-
tius mundi conſtruxit. Non habet locum habitationis,
quia cum eſſet diues, ſponte pauper effectus eſt. Locum
non habebat, quis enim locus capere poſſet eum qui lo-
cum excedit? Quare peropportunum eſt, vt hoc etiam Pſalm. 30.
è Pſalmis dicamus, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ
Domine.* Vnde enim hæc? Vnde enim niſi ex tua, qui
gratia noſtra deſcendiſti, bonitate? Vnde tanta ipſius
humilitas, niſi ex ipſius erga naturam noſtram clemen-
tia? Cæterum quemadmodum quæ ſpectant ad Domi-
C num omnium, reſplendere ſolent in eius honorem, per
ea quæ geruntur in Cœlis, ita & per ea quæ geſta ſunt
apud nos eo ſuper Cherubim ſedente, circunſtare ſo-
lent exercitus Angelorum. Verum & in præſepio cho-
reæ circunſteterunt: illic à virtutibus cœleſtibus conti-
nuam habet adorationem: hîc à gentibus, ſtella obtem-
perante, illic vniuerſa elementorum turba, quæ habent
à natura offerunt: hîc & paſtores pro muneribus exhi-
bẽt tripudia, & magi theſauros. Illic præterquam quod
ſedet in ſolio ſuper Cherubim, etiam eſt in ſinu Patris.
hîc non ſolum reſidet in præſepio, ſed etiam ſedet in vl-
nis maternis. Iſte porro thronus verè regius, thronus
iſte glorioſus, thronus ſanctus, thronus ſolus dignus
qui ſanctum ſanctorum geſtaret in terra. Ipſi gloria in ſe-
cula ſeculorum, Amen.

D. GAV-

Digitized by Google

D. GAVDENTII EPISCOPI BRIXIANI, QVI TEMPORE D. AMBROSII FLORVIT IN VARIÆ SCRIPTVRÆ LOCA Tractatus.

Succeſſit S. Gaudentius in Epiſcopatu Eccleſiæ Brixienſis S. Philaſtrio. Cuius memoriam Romanum Martyrologium 25. Octobris hoc elogio conſeruat: Brixis natalis S. Gaudentij Epiſcopi eruditione & ſanctitate conſpicui. De quo plura ex ipſius ſcriptis excerpta produntur in annal. Eccleſ. tom. 4. anno 386.

Ad Seruum Chriſti Beneuolum Gaudentij Epiſcopi, PRÆFATIO.

COMMVNIS *voti fuerat, vt ea quæ de diuinis eloquiis per Paſchales* dies proximè *præteritos explanaui, coram valuiſſes audire. Cùm enim ſemper, tum* præcipuè *diebus Feſtis præſentia tua nobis meritò grata eſt, in Eccleſiæ Brixianæ conuentu. Nam ſicut honoratorum noſtræ vrbis, ita etiam Dominicæ plebis, Domino annuente digniſſimum caput es: quia non minore diligentia ſeruare ſtudes Dei præcepta, quàm diſcere: robuſtam Catholicæ Fidei profeſſionem præclaræ vitæ meritis æquiparare contendens, vt habeat ſincera fides opera ſuæ puritatis nitore condigna. Qua in re maximus docentis fructus eſt,* & immortalis vtilitas audientis, dicente Apoſtolo: Non auditores tantum, ſed factores legis iuſtificabuntur apud Deum. *Nec mirum ſi hodie taliter in timore Domini conuerſeris, qui necdum percepta Baptiſmi gratia, ita pro fidei cæleſtis veritate pugnaſti, vt imbutum te admirabilibus doctrinis, Apoſtolicè per omnia viri, Patris noſtri Philaſtrij,* * *tantæ conſtantiæ teſtimonium adprobarit. Noſtri namque temporis Regina Ieſabel, Arrianæ perfidiæ patrona ſimul ac ſocia, cùm beatiſſimum perſequeretur Ambroſium, Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem, te quoque ea tempeſtate Magiſtrum memoriæ,* * *oblitum ſalutaris fidei arbitrata, contra Catholicas dictare Eccleſias compellebat, quod ne faceres, vltro & promotionis politicæ dignitatem & ambitionem ſæculi gloriámque mundanam pro Dei gloria contempſiſti, magis eligens priuatus viuere quàm mortuus militare. Verè enim moritur apud Deum qui ab Apoſtolicæ fidei veritate diſcedit: cui Chriſtus Deus, qui vita eſt amputatur, dum eo æternæ Trinitatis homouſion deneganti ſubtrahitur. Sed vt ad propoſitam excuſationem redeam; ex ingenti ægritudine tuum nunc adhuc corpus inualidum, ne ſupradictæ Feſtiuitati intereſſes, inhibuit: vnde vehementer dolebas, omnino fraudem tibi ſpiritualium, bonorum reputans, peccatis vrgentibus irrogatam; ac propterea veluti ſingulare quoddam diſpendij memorati remedium magnopere exegiſti vt ſcriberem quid vnaquáque die illius ſacratiſſimæ hebdomadis, ſanctæ fraternitati à me expoſitum meminiſſem. Quod planè ego mediocritatis meæ conſcius, literis credere non auderem, niſi tu religioſa conſtantia compuliſſes; ſatis eſt enim mihi ſi inſtruere commiſſam plebem viua ſaltem voce ſufficiam. Sciens itaque, verum diuinæ ſapientiæ amatorem non ſuper adſertione inutilium rerum, inanis eloquentiæ pompam quærere, ſed ſalutarem de ſcripturis ſanctis explanationum congruentium deſiderare doctrinam, ſcribere tibi aggrediar omnino, iiſdem ſenſibus, & fortaſſe etiam verbis quibus me in Eccleſia locutum eſſe reminiſcor, vt loquelam meam qualiſcunque eſt, facilè, cum legeris, recognoſcas. Quatuor præterea breuiores Tractatus, quos de diuerſis Capitulis Euangelij apud te olim fuiſſe me loquutum prodidiſti, & quintum de Machabæis Martyribus, emendatos tibi quoniam cogis, remittam, vt eos, ſi vlla vtili memoria dignos arbitraris in poſtrema parte ſchedulæ huius ſimul tranſcribendos adiungas. De illis vero Tractatibus quos notarijs (vt comperi) latenter adpoſitis, proculdubio interruptos, & ſemiplenos, otioſa quorundam ſtudia colligere præſumpſerunt, nihil ad me attinet. Mea iam non ſunt, quæ conſtat præcipiti excipientiũ feſtinatione eſſe conſcripta: vereor tamen ne aliqua ſub ſermonis mei titulo, ſanæ fidei inimica, alieni errores inuoluant, & efficiantur ſempiterni criminis rei, qui fuerint incautæ præſumptionis auctores. Ergo quoniam deſiderio tuo negare operam non potui poſtulatam: breuiter tibi priùs oſtendam, non ſemper ægritudinum plagas pro peccatorum cumulo noſtris corporibus irrogari. Humani corporis natura ex quo ſententiam mortalitatis excepit:* Tu terra es, & in terram ibis, *infirmitatibus variis ſubiacet, ſine diſcretione cuiuſquam: & quamuis peccatores nos eſſe ſalubriter fateamur; non tamen vel ex vigore vel ex debilitate carnis, meritorum ponderandæ ſunt qualitates: cùm frequenter idolorum cultores, ſanitate*

Dies Paſchales.

Rom. 2.

* Huius Tractatum elegantem contra hæreſes, habes huius Bibliothecæ. Tom. 4.

* Beneuolum hunc Ruffinus Eccl. hiſt. lib. 2. cap. 16. Memoria ſcrinii Præſidentem appellat: Niceph. verò hiſt. li. 12. cap. 20. in Scribarum Decuria, in ſacrarum Conſtitutionum Tabulario militaſſe ait.

Sacratiſſima Hebdomada, Sancta fraternitas.

Metuit ne hæretica ſub nomine ſuo ſpargantur.

Gen. 3

Gen. 10. Gen. 12. Gen. 29. & 30. Exod. 2. & 3. 3. Reg. 18. & 19. Matth. 15. Marc. 6. Luc. 9.

corporis ac bonis huius ſæculi perfruantur: & econtrà diuino cultui inhærentes, ægritudinum ac tribulationum vexatione quaſſentur. Nam legimus, Abimelech Gentilem regnaſſe, & Abraham ſanctum peregrinationis moleſtias pertuliſſe: Et illius Laban Syri Idololatræ, mercenarium fuiſſe ſanctum Iacob: & Moyſen iuſtum, regnante impio Pharaone, latuiſſe metuentem in terra Madian: & Heliam mirificum, à facie perſequentis Reginæ Iezabel fugiſſe ad Solitudinem. In nouo autem Teſtamento, Ioannes Prophetarum maximus, poſt longum ſqualorem feralis cuſtodiæ; poſt iniquas contumelias vinculorũ decollatus in carcere: & Herodes ſacrilegus qui eum iuſſit occidi, epulatur cum principibus ſuis, et tribunis, & primoribus Galileæ diſcumbens: ebrius non ſolum vino, ſed ipſius etiam cruore Baptiſtæ. Et ſicut in Apocalypſi, de Babylone ſcribitur, vel vrbe vel gente, vel vnaquaque Anima, errorum caligine vitiorúmque carnalium permixtione confuſa (interpretatur enim confuſio) Et vidi, *inquit*, mulierem

Apoc. 17.

ebriam de ſanguine ſanctorum. *Verùm hæc Dei patientia quorſum euadat, ipſe Saluator docet in Euangelio, dicens:* Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè: Pauper autem quidam nomine Lazarus, iacebat ad ianuas eius, vlceribus plenus, & cupiebat ſaturari de his quæ cadebant de menſa diuitis: ſed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum eſt autem, vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: diues verò mortuus ſiſteretur ad inferna ſupplicia, *& obſecraret, iſtius pauperis tincto in aqua digito refrigerari linguam ſuam: quod tamen promereri non potuit, in tormentis flammæ inextinguibilis conſtitutus. Ad hanc ſeruatur pœnam proſperitas impiorum; & econtrà, ad illã beatitudinem perducitur iuſtorum tribulatio, vt cum ſancto Abraham Patriarcha, in æterna vita requieſcere mereãtur qui anguſtias vitæ huius fideli patientia tolerantes, de ſæculo iſto migrauerint. Vnde dicebat Dominus:* Intrate per anguſtam portam, quia lata & ſpacioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per illam: *Quàm anguſta eſt porta, & arcta eſt via quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui inueniunt eam! Propter hoc, & ſanctus Apoſtolus gloriari ſe in infirmitatibus ſuis prædicat.* Cùm enim infirmor, *ait*, tunc potens ſum. *Sanctum quoque Timotheum aſſiduis ægritudinibus laboraſſe, idem beatiſſimus prodidit Apoſtolus Paulus ſcribens ad eum:* Noli amplius aquam bibere, ſed vino modico vtere, propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates. *Quærat fortaſſe quiſpiam diuitum, dicens: Ergo malitioſè Deus dedit diuitias, ſi propterea diuitem torquet! Vult enim videri humanus error, non modò cum venia ſed etiam cum ratione peccare. Non malitioſè ſed prouidenter te fecit Deus diuitem, vt per opera miſericordiæ inuenires peccatorum tuorum vulneribus medicinam.* Eleemoſyna quippe à morte liberat, & ipſa mundat ab omni peccato: *Non enim ob hoc cruciatur ille, quia diues fuit, ſed quoniam, ipſo epulante, pauper Lazarus eſuriit. Cæterum & ipſe S. Abraham diues fuerat, ſed peregrinorum indigentiúmque mancipium ſanctus quoque Iob regnum tenebat Arabiæ; ſed (vt ſcriptum eſt) nulla vidua, nullus pauper domum eius ſinu vacuo exibat. Denique in doloribus conſtituto exprobrantur per mulierem opera miſericordiæ, quæ fruſtra exercuerit:* & ecce (*inquit*) quæ pateris! *Heu venenata diri Serpentis aſtutia: quoniam à bonis operibus famulum Dei reuocare non valuit, incumbebat vt benefacti pœnitudine fructum perderet pietatis! Caueant ergo infructuoſi locupletes, terribile exemplum illius ſine miſericordia Diuitis collegæ ſui, ne ad ſimilia tormenta ducantur: magis autem faciant eleemoſynas largiter, frequẽter, gratulanter.* Hilarem enim datorem diligit Deus. *Diſtribuant opes ſuas egenis: adquirant ſibi Theſauros in cœlo,* vbi neq; ærugo, neq; tinea corrumpit, neq; fures effodiunt & furantur: *vt de hoc ſeculo exeuntes poſſint inuenire refrigerium in ſinu illius verè diuitis Abrahæ. Hæc ad quæſtionẽ, quæ occurrerant, breuiter reſpondiſſe ſufficiat: Illa autem quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt idcirco memoraui vt nemo noſtrum murmurare audeat contra Deum ſi videamus iniuſtos, idololatras, blaſphemos, continua ſalubritate corporis ſui florere, honoribus Mundi caducis operibus redundare: & econtrariò, nos tribulationibus varijs confici, doloribus carnis affligi, paupertatis neceſſitatibus ſubiacere. Nouit vniuerſorum arbiter Deus, qua Prouidentia ſuos verberet: & qua ratione parcat impijs in hoc Mundo. Nec planè ignoramus, ab Apoſtolo beatiſſimo nos erudiri quòd longa erga iniquos bonitas Dei, aut ad conuerſionem prouocat ſentientes, aut ad iuſtiorem pœnarum ſententiam reſeruat ingratos:* An, *inquit*, diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad patientiam te inuitat? Tu verò ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti Iudicij Dei, qui reddet vnicuique

ſecun-

Luc. 16. Felicitatis impiorum exitus. Matth. 7. Luc. 13. 2. Cor. 12. 1. Tim. 5. Excuſatio in peccatis. Cur Deus largiatur diuitias. Tob. 12. S. Abraham. S. Iob Rex Arabiæ. Iob. 2. Diuites infructuoſi. 2. Cor. 9. Matth. 6. De impiorum ſecundis, bonorum autem aduerſis, rebus non murmurandum contra Deum Rom. 2.

ſecundum opera eius. *Reſeruatur enim in diem Iudicij, illa retributio generalis: in hoc autem ſæ-*
culo idcirco interdum quidam vel blaſphemi vel apoſtatæ tormentis inſanabilibus conſumuntur, vt cæ- *Bonos affligi cur ſinat*
teri eorum ſupplicijs terreantur. Pietatis verò cultores, quòd interdum vel corporis doloribus, vel va- *Deus.*
rijs tribulationibus afflictantur: triplex eſſe ratio inuenitur: prima, Correctionis: ſecunda, Pur-
gationis, tertia, Probationis. Hominem fidei Apoſtolicæ inhærentem, ſi frequenter in quibuſdam
peccare videat Deus: ſic peccatorem ſuum verberat, vt emendet, vt ſalutari admonitione fle-
ctat ad pœnitentiam: Negligentem, ne tolerabili vltione dilata, Gehennæ inextinguibili fiat obnoxius.
Eum quoque quem pudicè conuerſantem ac iuſtè, quædam tamen improbarum cogitationum maculæ
reſperſerunt idcircò Dominus nunc & tribulationum & ægritudinum flagello caſtigat, ne in illo ali-
quid ſordium futurus ignis inueniat: ſed vt per exiguas plagas breuiſsimi temporis, ab omnibus purgatus
maculis, ſecurior ad æternam migrare requiem mereatur. Hæc eſt amantis Dei conſulta erga peccatores *Ignis futurus.*
ſuos, ac pia ſeueritas. Scriptum eſt enim. Quoniam quem diligit Deus, verberat: flagellat autem
omnem filium quem recipit. *Vnde meritò miſericordem Deum quiſque noſtrum prædicat Pro-* *Hebr. 12.*
phetæ doctus eloquio: Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. *Iuſtos verò* *Pſal 117.*
& inculpabiles quóſque ſicut ſanctum Iob (de quo ſcribitur quòd fuerit homo ſine querela, verus Dei
cultor) hac de cauſa Deus omnipotens, vel damnis facultatum, vel orbitatibus charorum, vel anguſtijs *Iob. 1.*
perſequutionum, vel dolorum carnalium ſtimulis tentari permittit, vt probet. Probat autem, non ſibi qui
antè nouit vniuerſa quàm fiant: ſed Angelis & hominibus, vt eos ex factis probos nouerint, quoniam
conſcientias intueri non poſſunt, quas ſolus nouit ſcrutans corda & renes Deus. *Ipſe enim nouit oc-*
culta cordis, vt Prophetæ ſermo teſtatur, Et ideò forſitan beatus Apoſtolus inter multiplicium tribula- *Pſal. 7.*
tionum perſequutionúmque tentacula conſtitutus aiebat: Quoniam ſpectaculum facti ſumus huic *1. Cor. 14.*
Mundo & Angelis, & hominibus. *Angelis quidem iuſtos ſuos Deus probari ideò vult, vt conſum-* *1. Cor. 4.* *Iuſtorum virtutes cur ab*
matam ſanctorum iuſtitiam lætantes agnoſcant. Lætantur *enim beati* Angeli in cœlo, *vt ait Domi-* *Angelis &*
nus Ieſus etiam ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Hominibus autem probatam eſſe vult* *hominibus &*
perfectionem iuſtorum: vt ad perſeuerantiam dilectionis Dei, eorum prouocentur exemplo. Diabolo *Diabolo cognoſci velit*
etiam probatam vult ingerere Deus Sanctorum iuſtitiam: vt è bonorum operum meritis, debitè ad ami- *Deus.* *Bonorũ ope-*
citiam Dei & ad regnum cœli (vndè ipſe cecidit) eſſe perfectos doleat, indignetur, inuideat, ingemiſcat, *rum merita.* *Iob mirificus,*
nec tamen audeat quidquam de iudicio diuino cauſari. Probationis igitur gratia; mirificus Iob, ex opu- *Iob. 1.*
lento repentè inops efficitur: ex patre decem Natorum, ſine filijs inuenitur; ex vegeto ac ſano, vulnera-
tus; ex florentiſsimo, vermibus exaratus aſpicitur; ex glorioſo, opprobrijs expoſitus reperitur: Opprobrijs
autem; & amicorum exprobrantium, & (quod eſſet grauius) propriæ coniugis, quæ non ad ſolatium
dolorum eius, ſed ad vltimam tentationem docetur eſſe ſeruata. Nam cogebat eum loqui verba bla-
ſphemiæ, replicãs ei iuſtitiæ eius opera quæ incaſſum geſsiſſet, qui ad tot miſeriarum genera perueniſſet.
Quapropter, inquit; Dic aliquem ſermonem contra Dominum, & morere. *Mortem blaſphe-* *Iob. 2.*
manti debitam, pro remedio ærumnarum ſuggerit acquirendam callidus, iterum per mulierem, Serpens, *Mors blaſphemanti debita.*
vt palmam patientiæ auferat fortiſsimo bellatori & interitum congerat victo; quia blaſpemantis furor *Blaſphemantis furor non*
non medelam doloribus præſtat, ſed cruciatum mortis accumulat: illius quippè mortis quæ nec finem mi- *medetur doloribus.*
ſerijs tribuat & exordium ſit pœnarum, quas vltor Deus blaſphemantibus præparauit. At ille Beatiſsi-
mus intelligens, callido antiquæ artis argumento Diabolum rurſus per mulierem venenum mortis inge-
rere; ſic reſpondit: Velut vna (*inquit*) ex inſipientibus mulieribus locuta es: pulſans videlicet *Iob. 2.*
vnam, de qua omnis. Et adiecit: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non to-
lerabimus? *Et in alio loco:* Nudus exiui de vtero matris meę, nudus iterũ reuertar in terram:
Dominus dedit: Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domi- *Iob. 1.*
ni benedictum. *Inter diſpendia omnium facultatum, inter funera tot natorum, inter atrociſsimos ſui*
corporis cruciatus, & inteſtinos dolores opprobrij coniugalis; laudat & magnificat omnipotentem Do-
minum verus Dei cultor. Et nos itaque, ſi cultores Domini ſumus; imitemur patientiam triumphalem,
quam ſolam ſpoliatus vniuerſis non ſolùm facultatibus atque pignoribus ſed ipſis etiam corporis ſui car-
nibus inconcuſſa fide poſsidet verus Dei cultor. Verus enim Dei cultor ille eſt, cuius fides inter aduerſa *Verus Dei cultor quis ſit.*
non deficit; cuius lingua benedicere nomen Domini ſui in omni anguſtiarum tempore, in omni tribula- *Pſal. 23.*
tionum plaga non deſinit dicens: Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in
ore meo. *Si peccator es, agnoſce pro correctione tua eſſe quòd cæderis; vel certè pro purgatione, ſicut fu-*

pra diſſerui. Si autem iuſtus es; nomen quidem iuſti præſumere non audebis, intelliges tamen, ad gloriæ
Eccli.27. Rom.5. tuæ probationem euenire quod pateris. Scriptum eſt enim: Vaſa figuli probat fornax, & homines
iuſtos tentatio tribulationis. Ideo ſanctus quoque Apoſtolus dicit: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Ergo quoniam vel
ad probationem iuſtis, vel ad emendationem peccatoribus, vel ad pœnam ſacrilegis, varij cruciatus in hoc
ſæculo irrogantur; & quibuſdam mortiferæ ſunt iſtæ plagæ, quibuſdam ſalutares: propterea cum diſtin-
Pſal.33. ctione ſumma ſcribitur in libro Pſalmorum; de pertinacibus quidem malis ita, Mors peccatorum
peſſima, & qui oderunt iuſtum delinquent: vtique eorum peccatorum peſſimam teſtatur mortem, qui in ſcelere delictorum permanere cupientes, oderunt verberantem iuſtum: De emendabilibus au-
Pſalm.31. Pſalm.32. tem, Multa, inquit, flagella peccatorum: De ſanctis verò: Multæ, ait, tribulationes iuſtorum.
Math.7. Nec difficile omnino eſt vnicuique ſpirituali, vt hanc diuerſitatem ex fructibus cuiuſque dijudicet; dicente Domino: ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nam confuſa eſſe apud nos omnia, Philoſo-
1. Cor.2. phi Gẽtilium iudicant, cùm ſpiritualis homo diſcernat & dijudicet omnia, vt ait Apoſtolus; ip-
Philoſophorũ ratio contra prouidẽtiam. ſe autem à nemine iudicetur. Nonnulli enim Prudentium ſæculi, ſapientiæ cæleſtis ignari; dum volunt fortunæ adſtruere vniuerſa quæ creator omnium Deus iuſto moderamine prouidenter exercet: ita
loquuntur: Si Dei prouidentia gubernaretur hic Mundus: nunquam promiſcuè bonos & malos, tribulationum, dolorum, ærumnarum atque ægritudinum plagæ conficerent: quia Diuinæ æquitatis nõ eſſet,
diſparibus meritis plagas irrogare conſimiles: ſed problematis huius inuidia facilè euacuatur vſitato veritatis exemplo. Notum namque eſt omnibus, quòd & ferri acies, & ignis vſtio: vel ad interitum irrogantur, quando pœnam exigit puniendi criminis qualitas: vel ad curam proficiunt, cùm ſanandi gratia medicinaliter adhibentur. Ita igitur Deus omnipotens, eaſdem plagarum ſpecies, pro qualitatibus
temperat Meritorum: quoſdam quidem puniens, quoſdam vero vel emendans à vitijs, vel emundans,
Deus temperat plagas pro modo meritorum. vel certè ad ampliorem gloriam promouens. Quod vt adhuc planius intelligi queat, pauca adijciam
ſanctarum teſtimonia Scripturarum. Legimus enim: ſagittę potentis acutę, cum carbonibus
Pſalm.119. Pſalm.126. deſolatorijs: Et alio in loco: ſicut ſagittę in manu potentis: ita filij excuſſorũ. Beatos Apoſtolos prædicat, quos electos ad fidem (patribus eorum, à gratia Dei, ob incredulitatem ſuam procul excuſſis) manus omnipotentis Domini Ieſu, ſicut ſagittas velociter peruolantes, in vniuerſum direxerit
Orbem; vt prædicatio eorum (iuxta beatiſſimi Pauli doctrinam) alijs quidem fieret odor mortis in
mortem, alijs autem odor vitę in vitam. Doctrina enim veritatis, obedientes viuificat, rebelles
interficit, vitia proſternit, virtutes erigit, incredulos deijcit, Fideles extollit: quoniam Chriſtus Ie-
Luc.2. ſus qui ab Apoſtolis prædicatur; vt Symeon ſanctus in Euangelio ait; poſitus eſt in ruinam &
Reſurrectionem multorum. Vt autem noueris Apoſtolos (qui ex officio ſortiti vocabulum, Latino ſermone, deſtinati, nuncupantur) filios eſſe Iudæorum, à Dei gratia excuſſorum; auſculta quid ip-
Luc.11. ſis blaſphemantibus Iudæis reſponderit Chriſtus: Si ego, inquit, in Beelzebub eijcio dęmonia;
filij veſtri (id eſt Apoſtoli ex veſtra electi progenie) in quo eijciunt? & vt apertius oſtenderet, de
quibus loqueretur, adiecit: propterea, inquit, ipſi iudices erunt veſtri. Nam dicit alio in loco A-
Math.19. poſtolis: Amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis me, in Reſurrectione, cùm venerit
Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuę, ſedebitis & ipſi ſuper duodecim thronos, iudicantes
duodecim tribus Iſrael. Sicut ſagittę ergo, inquit, in manu potentis, ita filij excuſſorum. Sta-
Pſal.126. timque adijcitur; Beatus qui implebit deſiderium ſuum ex ipſis, vt euidenter intelligas quòd ſagittæ Dei interdum mortem inferunt, interdum beatitudinem præſtant, ſicut Iobo ſancto ac beatiſſimo
præſtiterunt; qui ait: Sagittę enim Domini in corpore meo ſunt, quarum ita bibit ſangui-
Iob.6. nem meum; Cùm enim incipio loqui, ſtimulant me. Et poſt pauca: Quòd ſi tribuat Dominus, & veniat petitio mea, & ſpem meam det mihi Dominus; qui cœpit Dominus vulneret me, ſed non in perpetuum interficiat me. Sunt & plurima iſtiuſmodi ſparſa per totum corpus ſanctarum Scripturarum, quæ ſtudio breuitatis ſecurus prætereo, quoniam ſcienti legem loquor, qui
ex paucis inſtructus teſtimonijs facile poſſis ſimilia exempla colligere, quibus documentis, & bonitatem Dei (prouida caſtigatione, ſuos famulos vel corrigentis à delicto vel promouentis ad gloriam)
pleniùs intelligas approbari: & eiſdem; debitis cruciatibus pertinaces impios punientis veram iuſtitiam
Rom.3. recognoſcas, docente etiam beato Apoſtolo: Nunquid iniuſtus Deus, qui infert iram? In eos videlicet, qui veritatem in iniuſtitia detinent. De noſtra autem caſtigatione qua verberamur à Deo, ita te-

ſtatur:

ſtatur: Cum iudicamur (*inquit*) à Domino corripimur, ne cum hoc Mundo damnemur. *De iuſtis verò ſic loquitur:* in omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur, perſequutionem patimur, ſed non derelinquimur: deijcimur, ſed non perimus, ſemper mortem Domini noſtri Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu Chriſti in corpore noſtro manifeſtetur. *Et alibi idem beatus Apoſtolus Paulus, poſtquam raptum ſe dixerat vſque in tertium cœlum, & in Paradiſum vbi ineffabilia verba audierat, ita continuò addit:* Ne eminentia, *inquit*, reuelationum me extollat, datus eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar: Propter hoc, ter Dominum rogaui vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *Et alia Scriptura huic ſenſui concordans, euidentia loquitur:* Quomodo in igne probatur, *ait*, aurum & argentum, homines autem iuſti in camino humiliationis: *vt vtique guſtum perpeſsi tentationum, & tribulationum onere inclinati, minimè in ſuperbiam iuſtitiæ ſuæ meritis erigantur, aliquid ſe, contra actuum ſuorum dignitatem, pati muſsitantes, iniuſtùm, quos, non multò pòſt, immortalis præmij retributio ſubſequatur: ſed potiùs, vt in humilitate ſpontanea permanentes ſancti (ſcilicet virtutibus præditi, & humiles corde) probabiliores efficiatur in Chriſto. Sicut etiam venerandi Martyres extiterunt: qui cum beato Apoſtolo fideliter præſumentes* non *eſſe condignas* Paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam quæ reuelabitur in *ſanctis: vniuerſa ſupplicia pro Domini Chriſti nomine, omnéſque irrogatos corpori cruciatus, æquiſsimo animo ſuſceperunt; Ipſum Dei filium remuneratorem victricis patientiæ habituri, qui regnum cœlorum ſeruis ſuis vſque in finem fidelibus, largietur: Cuius ſempiterna virtus atque Diuinitas, cum Patre & cum Spiritu ſancto permanet in omnia ſæcula.*

1. Cor. 11. 2. Cor. 4.

2. Cor. 12.

Eccl. 2.

Sancti affliguntur, ne meritis iuſtitiæ ſuæ erigātur in ſuperbiam.

Rom. 8.

D. GAVDENTII BRIXIENSIS EPISCOPI, PRIMVS TRACTATVS IN EXODVM; NOCTE VIGILIARVM, de Paſchę obſeruatione.

Quam opportuno tempore celebretur feſtiuitas Paſche.

OPPORTVNO tempore Dominus Ieſus beatiſſimā feſtiuitatem Paſchæ voluit celebrari, poſt autumni nebulam, poſt horrorem hyemis, ante æſtatis ardorem. Oportebat enim Solem iuſtitię Chriſtum; & Iudæorum caliginem, & rigorem Gentilium, ante ardorem futuri iudicij, placido Reſurrectionis ſuæ lumine dimouere; cunctáque in ſtatum tranquilli primordij reuocare, quæ fuerant velamine tetro confuſa, ab illo Principe tenebrarum. Nam Veris tempore, Deus condidit Mundum. Martio enim menſe dixit per Moyſen Deus, *Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt in menſibus anni.* Quem menſem, verax vbique Deus primum non diceret niſi primus eſſet: ſicut ſeptimum diem non diceret Sabbathum, niſi Dominicus primus eſſet. Filius ergo Dei per quem facta ſunt omnia; eodem die eodémque tempore, proſtratum Mundum, propria Reſurrectione reſuſcitat, quo cum priùs ipſe creauerat ex nihilo: vt omnia reformarentur in Chriſto, quæ in cœlis ſunt & quæ in terra ſunt; *quoniā ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia*, vt ait Apoſtolus; *ipſi gloria in ſæcula.* Nec turbari quiſquam noſtrum debet, ſi interdum ſecundo menſe (id eſt, Aprili) Paſcha nos celebrare, lunaris ratio, & dies cogit Dominicus. Secundum Lunæ enim curſum, numerantur in Scripturis diuinis, dies. Cæterùm Calendas, & idus, & Nonas, & menſium nomina ac dierum, Gentiles poſuerunt: vtpote quem vetuſtas humanæ memoriæ primum menſem tenebat; Paganus hunc, à Marte Martium nuncuparet: & diem Sabbati, quem ſeptimum, rationabilium corda ſeruabant; ille Saturni diem, ſtatueret appellandum. Scripturæ autem ſanctæ, cùm de temporibus aliquid vel referunt vel iubent; ita loquuntur: Decima die Mēſis ſecundi, & luna decima; aut, quinta die menſis ſeptimi; aut, vigeſima die menſis noni; aut, quarta decima die menſis primi; vt in Exodi libro pariter nunc audiuimus, vbi obſeruatio Paſchæ deſcribitur, & ſeptem diebus eiuſdem ſolennitatis Azyma comedenda mandantur. Præcipit tamen Deus & hoc; vt ſi quis primo menſe, vel immundus in anima hominis (id eſt; mortui attactu pollutus) vel extra electum ſacrificij Hieroſolymæ locum, in longinquo itinere conſtitutus, Paſcha non potuit celebrare; ſecundo menſe celebret. Præuidens quippe Deus, Gentium populos tunc adhuc hominum mortuorum ſimulachris immundos, & extra ſanctum locum Eccleſiæ in longinquo poſitos; vtique *nos qui eramus longè*, & facti ſumus propè in ſanguine Chriſti; dat licentiam, vt ſi primo menſe nobis non occurrit dies Dominicus & congruus Lunæ numerus, ſecundo Mēſe celebremus. Et ideò nec intra quartam decimam lunam, nec vltra vigeſimam primam celebrare poſſumus, quia ſeptem tantum dies ſunt azymorum Paſchalium in quibus Dominicum quærimus diem. Vult enim nos Chriſtus promulgator legis & Gratiæ; neque legitimos iuxta Lunæ curſum computatos prætetire dies, neque diem ſuæ Reſurrectionis ocio ingrato tranſcendere. Nam ſexta feria qua hominem fecerat, pro eodem paſſus eſt; & die Dominica, quæ dicitur in Scripturis prima Sabbati, in qua ſumpſerat Mundus exordium, reſurrexit, vt qui prima die creauit cœlum & terram (vnde poſteà hominem faciens figurauit) prima etiam die omnem repararet hominem, propter quem fecerat Mundum. Hæc breuiter dixerim de ratione Paſchali. Sed iam tempus eſt, vt virtutem eorum quæ in libro Exodi audiuimus, ediſſeramus: Ac primùm; quid ſit Exodus, aduertamus. Exodus, egreſſio appellatur. Egreſſio autem fuit de captiuitate Pharaonis & Ægyptiorum; populi tunc Iſrael, non noſtri. Tibi ergo, vt quid legitur ſi alijs tantum profuit? Quid ad te, quod non pro te? Sed iam diſce ab Apoſtolo, magis vniuerſa pro te quàm pro illis eſſe, quæ ſcripta ſunt. *Lex*, inquit, *vmbra erat futurorum bonorum*; eorum quippe bonorum, quæ in nobis

Mundus conditus tempore Veris.
Exod. 12.

B

Ioan. 1.
Ephes. 1.

Rom. 11.

Menſium nomina Gentiles poſuerunt.

Exod. 12.
Leuit. 23.

A

Epheſ. 2.

Nec intra 14. lunam nec vltra 20. Paſcha celebrandum eſt.

Matt. 27.
Gen. 1.

C

Exodus quid.

Heb. 10.

completa ſunt. Veritas enim Chriſtus adueniens; bona quæ ante Iudæis fecit vmbraliter, nobis nunc in verita- A te largitus eſt, cùm dicit ad Diſcipulos: *Amen dico vobis, multi Prophetæ & iuſti deſiderauerunt videre quæ videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt; Veſtri autem beati oculi qui vident, & aures quæ audiunt.* Exodus ergo beatè atque perfectè conſummatur in nobis, quãdo verus Moyſes de Iordanis aqua ſumptus, & natura non poſitione Deus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, virga Crucis ſuæ nos per aquam baptiſmi de captiuitate Pharaonis diaboli educit, ac de omni tenebrarum ciũs Ægypto eripit educãs nos in lucis opera de tenebris actuum mundanorum; vbi aliquos adhuc poſitos increpat beatiſſimus Paulus: *Debueratis*, inquiens, *de hoc Mundo exiſſe; nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri.* Conſideremus nunc, quid audiant à Deo, qui educun- B tur ex Ægypto. *Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt* (ait) *vobis in menſibus anni.* Legimus in Numerorum libro, quòd quicunque voluerit votum vt abſtineat ſe, aut ab vſu coniugali aut à delicijs quibuſlibet vel cibi vel potus, vſque ad præfinitum tempus, & violauerit quocunque lapſu: dies præteritos ei non imputandos; ſed vt ad initium redeat. Sic non ſunt imputati Iſraelitis illi dies quos conſumpſerunt in Ægypto: ſed quando ingemuerunt ad Dominum conuerſi ab operibus duris, & Dominus percuſſit primogenita Ægyptiorum qui eos ſeruire Domino non ſinebant; tunc audiuerunt: *Menſis hic vobis initium Menſium, primus eſt vobis in Menſibus anni.* Sunt enim quidam ſuperſtitioſorum dies & menſes & anni, quos abrogat cùm reprehendit Apoſtolus. Sunt alij quos præcepit Deus, & imputat. Eramus & C nos aliquando in Ægypto neſcientes Deum, ac luminis & veritatis ignari; quos vrgebant immundi Spiritus (veri Ægyptij) laterem facere, terrenis videlicet inſeruire figmentis: At vbi conuerſi ad Deum ſumus, reclamantes ab operibus duris; verberati ſunt Ægyptij multiplicibus plagis, & primitiua eorum percuſſa ſunt. Salus enim noſtra, dæmonum pœna eſt. Nos autem reſpirauimus, & viuificati ſumus: neque enim viuebamus prius in illis diebus, quibus mortui mortuos colebamus. Tunc igitur opportunè audiuimus: *Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt in menſibus anni*, quando nouus nobis illuxit *dies ille quem fecit Dominus*; quando cognouimus menſem nouatum ſanctum; & annum Domini acceptum, & diem retributionis. Opportuniùs D autem congruit expoſitio iſta Fidelibus: Nam Catechumenis, adhuc tantum primitiua dæmonum ſunt interfecta; his verò qui ad gratiam merentur baptiſmi cœleſtis accedere, totus exercitus Diaboli ſubmergitur ac necatur, vt verè ac meritò audiant in Chriſto renati: *Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt in menſibus anni.* Congruit & pœnitentibus hæc explanatio; quos iterum tenebræ criminum, & Ægypti huius caligo poſſederat. Nam ſi ingemiſcant ad Dominum reſpicientes, & fugientes ab operibus nequiſſimis tenebrarum; lumen cœleſtis indulgentiæ conſequentur, & ad æternam lucem redibunt & ſalutem. Scriptum eſt enim: *Cum conuerſus ingemueris tunc ſaluus eris*, & ſcies vbi eras cum confidebas in illis. *Scies*, inquit, *vbi eras.* Tunc E enim ſe homo in erroribus Ægypti tenebrarum fuiſſe intelligit, cùm ad lucem veritatis regreditur atque iuſtitiæ. Poteſt etiam pro ſenſu hæc eadem oratio accipi de illa luce perpetua quæ, poſt conſummationem ſæculi, Iuſtis ac Fidelibus tribuetur; quãdo penitùs fuerit deuicta mortis nox à Sole iuſtitiæ, vt tunc audiant: *Menſis hic vobis initium menſium, primus eſt in menſibus anni*: tunc vtique, quando interibit tota poteſtas Ægyptiorum, & liberati de hac Ægypto, verum Manna comedemus, & de petra ipſo Chriſto bibemus adhærentes Agni immaculati veſtigijs, ac dicentes. *Adhæſit anima mea poſt te, me verò ſuſcepit dextera tua.* Et ideò, ſanctus quiſque adhuc in ſæculo conſtitutus ſuſpirat ad illam quam Mundus modò capere non poteſt futuram lucem, dicens: *Sitiuit anima mea ad Dominum viuum, quando veniam & ap-* A *parebo ante faciem Domini. Nunc enim videmus per ſpeculum in ænigmate*, ait Sanctus Apoſtolus; *tum autem facie ad faciem.* Et modò quidem; ad comparationem Iudæorum atque Gentilium qui in profunda nocte incredulitatis demerſi noſcuntur; & ad eorum comparationem qui in hæreſeon caligine ac nocte luxuriæ demorantur, nos videmur eſſe & planè ſumus in luce: ſed ipſi dies noſtri quibuſdam nebulis prætexuntur, & non habent ſerenitatis lætitiam, dicente Propheta, *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt*: Ibi verò erit nobis ipſe Dominus lumen æternum; vt iam non tantùm in vmbra eius ſaluemur, ſed viuamus ſemper in ſplendore claritatis eius: cui omnis honor, virtus & gloria, cum Patre & Spiritu ſancto, ante omnia, & nunc, & ſemper, & in cuncta ſæcula ſæculorum; Amen.

Matt. 13.
Exodus conſummatur in nobis.
1. Cor. 5.
Exod. 12.
Num. 30.
Exod. 3. & 12.
Gal. 4.
Salus hominum, pœna dæmonum.
Pſal. 117.
Catechumenis, primitiua tantum, Baptiſmatis verò, totus exercitus Dæmonũ perijt.
Dies lucis perpetua.
Pſal. 62.
Pſal. 41.
1. Cor. 13.
Pſal. 101.

SECVNDVS TRACTATVS, A REGRESSIS A FONTE NEOPHYTIS, DE

ratione Sacramentorum quæ Catechumenos audire non congruit; licet eadem ſcripta in Euangelijs, patere omnibus videantur.

RESVRGENTE Chriſto à mortuis, vlcio in Ægyptios per ſacramentum Baptiſmi facta eſt: pauescentibus Inferis, ipſo ad ſuſcitationem ſui corporis reuertente; inimici Dei, hoſtes quippe populi eius, extincti ſunt. Clamat enim ſpiritus Propheticus; *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius; ſicut deficit fumus, deficiant; ſicut liqueſcit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à* C *facie Dei, & iuſti epulentur. Redemptionem miſit* pius Pater *populo ſuo, memor teſtamenti ſancti ſui* quod diſpoſuit Patribus noſtris *Abrahæ & ſemini eius in ſæcula.* Potens enim Deus ſuſcitauit de *lapidibus iſtis* quondam duriſſimis (Gentibus) *filios Abrahæ.* Nunc dicant omnes qui redimuntur à Domino, quos redemit de manu inimicorum & de regionibus congregauit eos à Solis ortu & occaſu, ab aquilone & Mari; *quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Nam in exitu illius Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo Barbaro, *Iudæa* tantùm *facta eſt ſanctificatio eius*; nunc autem *beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata.* Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci; idem namque Dominus diues D in omnes qui inuocant illum, quia ſicut ſcriptum eſt: *Omnis quicunque inuocat nomen Domini ſaluus erit.* Quotquot igitur inuocantes Dominum ſalutem recipimus extinctis Ægyptijs; diſcamus manducare Paſcha, non ſicut inſipientes Iudæi qui poſt aduentum veritatis adhuc vmbram ſequuntur; quem quiſque per vnamquamque domum, quartadecima die menſis primi occidebant & comedebant. Ex quo enim venit, cuius vmbra fuerat iſta Ouis (verus ille Agnus Dei Dominus Ieſus qui tollit peccata mundi & dixit; *niſi manducaueritis carnem meam & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ip*ſis) fruſtrà iam Iudæi carnaliter exercent, quod niſi nobiſcum ſpiritualiter fecerint, habere in ſe vitam non poterunt. *Lex enim ſpiritualis eſt*, vt ait Apoſtolus; & *Paſcha* E *noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quæ verò virtutes præfiguratæ ſunt ſpiritales in ipſa hiſtoria Exodi vbi celebratio Paſchæ narratur, qui ſit decimus dies, qui quartus decimus, quæ immolatio perfecti, maſculi, anniculi agni, ad veſperam; qui ſanguis liniendus in poſtibus, quæ cõuocatio vicinorum, quæ calceamenta, qui baculi, quod fermentum, quę azymæ, neceſſe eſt vt adiuuante Domino, à die craſtina incipiamus exponere. Modò autem ea ſolùm de ipſa lectione carpenda ſunt, quæ præſentibus Catechumenis explanari non poſſunt; & neceſſariò tamen ſunt aperienda Neophytis. In vmbra illius legalis Paſchæ non vnus agnus occidebatur, ſed plures. Singuli enim occidebantur per domos: nam ſufficere vnus non poterat vniuerſis; quoniam figura erat nõ proprie-

Reſurrectio Chriſti hoſtes nos extinxit.
Pſal. 67.
Pſal. 110. 9
Luc. 1.
Matt. 3.
Luc. 3.
Pſal. 106.
Pſal. 113.
Pſal. 131.
Rom. 10.
Paſcha verũ.
Ioan. 1.
Ioan. 6.
Rom. 7.
1. Cor. 5.
Exod. 12.

tas Dominicæ paſſionis: Figura etenim, non eſt veritas ſed imitatio veritatis, nam & homo ad imaginem Dei A factus eſt, nec tamen idcirco Deus eſt: Tametſi ea ratione qua imago Dei dicunt, dicatur & Deus; quomodò natura vnus Deus eſt, poſſunne plures. Ergo in hac veritate qua ſumus, vnus pro omnibus mortuus eſt; & idē per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, cōſecrantes ſanctificat conſecratus. Hæc agni caro, hic ſanguis eſt. Panis enim qui de Cœlo deſcendit, ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro ſaculi vita.* Rectè etiam vini ſpecie tum ſanguis eius exprimitur, quia cum ipſe in Euangelio dicit; *Ego ſum vitis vera*, ſatis declarat ſanguinem ſuum eſſe omne vinum quod in figura Paſſionis eius offertur; vnde beatiſſimus Patriarcha Iacob de Chriſto prophetauerat dicens; *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum.* B Stolam quippe, noſtri corporis indumētum, ſuo proprio erat ſanguine ablututus. Ipſe igitur naturarum creator & Dominus qui producit de terra panem; de pane rurſus (quia & poteſt & promiſit) efficit proprium corpus: Et qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum. Qualiter itaque manducari debeat Agnus iſte, ex ipſa lectione debemus aduertere. *Non edetis quid ab eo crudum, neque coctum in aqua, ſed aſſatum igni*, caput cum pedibus & interaneis. Duæ ſunt ſpirituales intelligentiæ in his dictis; quarum ſi vnam ſequaris, ambas noueris. Omne corpus diuinæ ſcripturæ, tam veteris quam noui Teſtamenti, Filium Dei continet; vel venturum promittens in hominem, vel iam veniſſe declarans. Vnde Beatus Philippus inuentus à Chriſto; inuenit Nathanael, & dicit ei: *Quem ſcripſit Moyſes in Lege & Prophetis, inuenimus Ieſum filium Ioſeph a Nazareth.* C Et quid plura? Chariſſimi; in ipſo continetur omnis Lex & vetus & noua: & vt ſic dixerim, ipſe eſt anima Legis. Ipſe enim per Moyſen loquutus eſt, cùm dixit illi; *Ego aperiā os tuum, & inſpirabo quæ debeas loqui.* Ipſe & per Prophetas, cum dicit: *Qui loquebar in Prophetis, ecce adſum.* Ipſe etiam per Apoſtolos, cùm dicit Paulus Apoſtolus; *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Has igitur immaculati Agni carnes, id eſt, doctrinæ eius viſcera, neque cruda ſine interpretatione ſumi oportet, neque cocta in aqua, id eſt, eorum diſſertione diſſoluta atque decocta, qui velut aqua deorſum fluūt, nihil ſupernum ſentientes, ſed aſſata, inquit, igni, id eſt, ſpiritu diuino ſolidata atque toſta. Ignis enim ſurſum verſum tendit. D Vnde dicebat Dominus Iudæis: *Vos de inferioribus eſtis, ego de ſupernis ſum.* Ergo quoniam membra Agni Dei ſcripturas eius diximus, videamus quid eſt caput cū pedibus & interaneis, videlicet vt in capite diuinitatem accipias, in quatuor Euangeliſtarum teſtimonio: pedes ad incorporationem ſumimus, circa finem ſæculi celebratam. Pedes enim extremæ partes ſunt corporis: in interaneis autem percipias occulta myſteria. *Et non relinquetis*, inquit, *ex eo vſque in mane, & os non confringetis ex eo. Quæ autem ſuperfuerunt ex eo vſque in mane, igne cremabitis*: hoc eſt, ſi qua myſteriorum ſuperauerint, in mane illius futuræ Reſurrectionis manifeſtanda: quæ capere modò non poſſumus. *Modò enim ſcio ex parte*, inquit Apoſtolus: *tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Hæc igni cremanda ſunt: id eſt, diuino tradenda ſpiritu: vt, ea E quorum rationem modò non capimus, ardentis fidei ſpiritu conſumantur. Quod autem dixit, *Os non conteretis ex eo*: hoc præcipit, vt omne quod eſt in Scripturis robuſtius atque validius, non comminuatur, neque quaſſetur, ſed ſolidum maneat, quod præceptum non cuſtodientes, meritò Væ excipiunt ab eo, cuius oſſa comminuunt. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum & cyminum, & reliquiſtis quæ fortiora ſunt legis, iudicium & miſericordiam & fidem.* Hæc ſunt oſſa Agni. Et alibi ad ipſos: irritum facitis, inquit, verbum Dei, vt traditiones veſtras ſtatuatis. Adijcit verò Deus in Exodo ſuperioribus dictis, hæc. *Sic autem comedetis illum (agnum videlicet) lumbi veſtes præcincti, & calciamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculi in manibus veſtris, & A edetis illud feſtinanter: Paſcha enim eſt Domini.* De calciamētis & baculis longa ratio eſt quæ alio tempore differetur. De præcinctione lumborum, quod frequenter à me latius dictum eſt, breuiter nunc dicetur. Scribitur in Hieremia. *Et tu præcinge lumbos tuos, & dices ad populum*, &c. Et ad ſanctum Iob: *Præcinge tanquam vir lumbos tuos: interrogabo autem te, tu verò reſpondeas mihi: Vbi eras cum ego fundarem terram? & reliqua.* Apoſtoli quoque audiunt: *ſint lumbi veſtri præcincti.* & cur iſtud tantopere iubeatur, in Ioanne Baptiſta cognoſcitur, qui zona pellicea præcinctus erat circa lumbos ſuos. Lumborum ratio quæ ſit, ſignificat Apoſtolus ad Hebræos: *Adhuc, inquit, in lumbis Patris erat Leui*: id eſt, ſacerdotali genere, quando occurrit ille Melchiſedech. Illi: Cui? Sancto vtique Abrahæ. B Zona ergo pellicea circa lumbos, mortificationem ſignificat vitiorum. Pellis enim quæ aptatur in vſum, nō niſi mortui animantis eſt. Oportet ergo nos ex præcepto Dei mortificare prius concupiſcentias carnis, & ſic accipere corpus Chriſti, qui pro nobis ſeruientibus in Ægypto eſt immolatus. *Propter quod probet ſe homo*, vt ait Apoſtolus, *& ſic de iſto pane manducet, & de calice bibat.* Quod autem dicit, cum feſtinatione illud manducandum: præcipit, ne lento corde, & ore languido Sacramentum Dominici corporis ſumamus, & ſanguinis: ſed cum omni auiditate animi, quaſi verè eſurientes & ſitientes iuſtitiam, *Beati*, enim (dicit Dominus Ieſus) *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur.* Concludēs autem propoſita lectio præclara, quæ dixerat, fine digniſſimo: *Paſcha eſt enim Domini. O altitudo diuitiarum, & C ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Paſcha eſt, inquit, Domini: hoc eſt, tranſitus Domini, ne terrenum putes, quod cœleſte effectum eſt, per eum qui tranſit in illud, & fecit illud ſuum corpus & ſanguinem. Nam quod ſuprà generaliter expoſuimus edenda de carne Agni, ſpecialiter in deguſtandis ſeruandum eſt iiſdem myſterijs Dominicæ paſſionis: vt neque crudam carnem, crudúmque ſanguinem, ſicut Iudæus, eſſe putes, & reſpuas dicens, *Quomodo poteſt iſte dare carnem ſuam manducare?* neque in olla cordis carnei, humoribus per naturam ſemper obnoxij, ipſum decoquas ſacramentum commune illud ac terrenum eſſe exiſtimans, ſed vt per ignem diuini Spiritus id effectum, quod annunciatum eſt, credas: quia quod accipis, corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis. D Nam cum panem conſecratum & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Credamus quæſo, cui credidimus. Neſcit mendacium Veritas. Ideo cum de corpore ſuo manducando, & ſanguine ſuo bibendo turbis loqueretur ſtupentibus ac muſſitantibus: *Durus eſt hic ſermo, & quis eum poteſt audire?* vt abſtergeret per ignem cœleſtem eas cogitationes, quas vitandas eſſe prædixi, ſic adiecit: *Spiritus eſt, qui viuificat, nam caro nihil prodeſt. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt.* Et idcirco caput Diuinitatis eius, cum pedibus incorporationis, & interioribus ſimul iubemur manducare myſterijs: vt pariter vniuerſa quemadmodum tradita ſunt, credamus, non infringentes os ipſius illud ſolidiſſimum, *Hoc eſt corpus meū, hic eſt ſanguis meus.* Si quid autem ſuperfuerit etiam nunc E in vniuſcuiuſque ſenſu, quod expoſitione iſta non ceperit, ardore fidei concremetur: quoniam Deus noſter ignis conſumens eſt, purgans, erudiens, & illuminans corda noſtra ad intelligentiam diuinorum: vt & ipſius à Chriſto inſtituti ſacrificij cœleſtis cauſam rationémque noſcamus inenarrabili dono eius, ſine fine gratias relaturi. Nam vere iſtud eſt hæreditarium munus teſtamenti eius noui, quod vobis ea nocte qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus ſuæ præſentiæ dereliquit. Hoc illud eſt viaticum noſtri itineris, quo in hac via vitæ alimur ac nutrimur, donec ad ipſum pergamus de hoc ſæculo recedentes, vnde dicebat idem Dominus; *Niſi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ipſis.* Voluit enim beneficia

Figura eſt imitatio veritatis.
Idem agnus per ſingulas Eccleſias conſecratus, immolatur.
Ioan. 6.
Sāguis Chriſti vini ſpecie exprimitur & offertur.
Gen. 49.
Chriſtus de pane efficit proprium corpus quia poteſt & promiſit.
Ioan. 1.
Ioan. 1.
Chriſtus eſt anima legis.
Eſa. 52.
2. Cor. 13.
Ioan. 7.
Ritus comeſtionis Agni myſticè explicantur.
Exod. 12.
1. Cor. 13.
Matt. 23.
Hier. 1.
Iob. 38. & 40.
Luc. 12.
Luc. 3.
Heb. 7.
Zona pellicea mortificationem ſignat vitiorum.
1. Cor. 11.
Feſtinatio quid.
Matt. 5.
Rom. 11.
Panis tranſit in corpus Chriſti.
Ioan. 6.
Matt. 26.
Luc. 22.
Ioan. 6.
Heb. 12.
Euchariſtia eſt Sacrificiū inſtitutum à Chriſto.
Ioan. 6.

Digitized by Google

ſua permanere apud nos, voluit animas pretioſo ſanguine ſuo ſemper ſanctificari per imaginem propriæ Paſ- A ſionis, & ideo diſcipulis fidelibus mandat, quos primos & Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, vt indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt à cunctis ſacerdotibus per ſingulas totius orbis Eccleſias celebrari, vſquequo iterum Chriſtus de cœlis adueniat, quo & ipſi Sacerdotes; & omnes pariter fidelium populi exemplar paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie & gerentes in manibus ore etiam ſumentes ac pectore, redemptionis noſtræ indelebili memoria teneamus, & contra venena Diaboli dulcem medicinam ſempiterni tutaminis conſequamur. Sicut Spiritus ſanctus hortatur. *Guſtate & videte quoniam ſuauis Dominus.* Quòd autem ſacramenta corporis ſui & ſanguinis in B ſpecie panis & vini offerenda conſtituit, duplex ratio eſt. Primùm, vt immaculatus Dei agnus hoſtiam mundam mundato populo traderet celebrandam, ſine vſtione, ſine ſanguine, ſine brodio, id eſt, iure carnium, & quæ omnibus ad offerendum prompta eſſet, ac facilis. Deinde quomodo panē de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici, & per ignem neceſſe eſt conſummari: rationabiliter in eo figura accipitur corporis Chriſti, qui nouimus ex multitudine totius humani generis vnum eſſe corpus effectum, per ignem ſancti Spiritus conſummatum. Natus eſt enim de Spiritu ſancto, qui ſuper eum in figura columbæ deſcenderat, inde ab Iordane regreditur, teſtante Euangeliſta. *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto*, & quoniam ſic eum decebat implere omnem iuſtitiam, aquas Baptiſmi, vt conſecraret ingreditur, & exinde plenus Spiritu ſancto C regreſſus eſt ab Iordane. Similiter & ſanguinis eius vinum ex pluribus acinis, id eſt, vuis vineæ ab ipſo plantatæ collectum, in torculari Crucis exprimitur, & per capacia vaſa fideli corde ſumentium propria virtute feruefcit. Hoc ſacrificium Paſchæ Saluatoris, omnes de poteſtate Ægypti & Pharaonis Diaboli exeuntes, tota nobiſcum religioſi cordis auiditate percipite, vt ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto, quem ſacramentis ſuis ineſſe credimus, viſcerum noſtrorum ſanctificentur interna: cuius virtus inæſtimabilis permanet in omnia ſæcula.

Diſcipuli Chriſti, primarij ſunt Eccleſiæ Sacerdotes.
1. Cor. 11.
Ore & pectore Chriſtum ſumimus.
Pſal. 32.
Oblationis corporis Chriſti duplex ratio.
Matt 3.
Chriſtus adeſt ſuis ſacramentis.

DE EADEM LECTIONE TRACTATUS TERTIUS: PRIMA *Dominica Paſchæ.*

D Eus loquitur per Prophetam: *Ecce ego facio cælum nouum, & terram nouam, & Luna lucebit ſicut Sol, & Sol ſepties tantum*, Quamuis elementorum futuram renouationem prædicet poſt huius ſæculi finem; *ipſa vtique creatura* (vt ait Apoſtolus) *liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Neque enim Chariſſimi, vel elementa ſic deficient vt non ſint; vel nos ſic moriemur, vt non meliorati ſurgamus: tamen & hoc die promiſſionem Domini cernimus eſſe completam; renouatas ad inſtar cœli & terræ E Neophytorum animas intuentes, & corpora. Lunam quoque, id eſt, Eccleſiam quæ in pace creſcit in perſecutione minuitur (Minuitur autem globo plenitudinis, non lumine claritatis) nunc eam ſicut Solem cernimus per totum ſplendere Orbem. Cæterùm quòd Sol iuſtitiæ Chriſtus ſepties tantum terris hodie luceat quàm lucebat; radij eius teſtes ſunt *qui illuminant omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Nunc enim coruſcat ex ipſo igneus ipſe Spiritus ſeptiformis, qui *velut ignis ſedit ſuper* Apoſtolos, & ardet hodie in vnoquoque credentium. Nam priuſquam pateretur ac reſurgeret Chriſtus, *notus* erat tantum *in Iudæa Deus*: nunc in omnes Gentes fulgor claritatis Dominicæ pertranſit. *A ſummo enim cæli egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Ergo quoniam reparatus eſt hodie Mundus, agamus exultantes natalem reformationis

Iſa. 66.
Rom. 8.
Chriſtus plus hodie lucet quam antea.
Ioan. 1.
Act. 2.
Pſal. 75.

Mundi. *Hic eſt dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur* A *in eo.* Mundi verò natalem cùm dico; noſtrum dico qui renati ſumus in Chriſto, qui eramus antè viuentes quidem peccato, mortui autem iuſtitiæ, & nunc iniquitatibus criminum mortui priſtinorum viuere Deo iam cœpimus conformes effecti primùm mortis, deinde reſurrectionis Chriſti. Conſepulti enim ſumus cum ipſo per baptiſmum in mortem; vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, diem feſtum celebrantes & gloriantes in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti qui acceptus decima die menſis primi, quartadecima die ad veſperum Mundi à Iudæis immolatus eſt. Sed quid ſignificet ille decimus dies, quid quartusdecimus; vt promiſſioni heſternæ ſatis faciam, prout Dominus largiri dignabitur, expla- B nabo. Ait Deus ſancto Moyſi: *Loquere ad omnem ſynagogam filiorum Iſrael, dicens, decima Menſis huius ſumat vnuſquiſque ouem per domos familiarum, ouem per ſingulas domos; quod ſi pauci erunt in domo ita vt non ſufficiant ad ouem, adſumet ſecum vicinum proximum ſuum, ſecundum numerum animarum: vnuſquiſque quod ſufficiat ſibi computabit in agno, agnus autem perfectus, maſculus, anniculus erit vobis; ab agnis & hædis ſumetis, & erit vobis ſeruatus vſque in quartam decimam menſis huius, & occident illum omnis multitudo ſynagogæ filiorum Iſrael ad veſperum, & ſument de ſanguine, & imponent ſuper duos poſtes, & ſuper limen in domibus in quibus manducaturi ſunt eum.* Multiformis ſapientia Dei ita per Legem loquitur, vt iiſdem dictis futura prænunciet, quibus fieri ſalubriter iubet inſtantia. Iu- C dæos tunc in his obſeruationibus, ſecuturæ veritatis vmbra ſaluauit: ſignificans pariter quòd eorum poſteri (beneficiorum immemores diuinorum) ipſum aduenientem trucidaturi eſſent, cuius ſub vmbra ſaluati ſunt. Ab ipſis enim Chriſtus in hunc Mundum veniens, *ſicut ouis ad victimam ductus eſt*; cuius agni, ouis ſanguinem (ſignum videlicet paſſionis) vel in duobus poſtibus, ſeu fide & opere, ſeu corde & ore; vel in liminaribus habentes noſtrarum fontium; ab omni incurſu ſæuientis plagæ protegimur. Quòd autem decima die agnus accipitur, & quartadecima immolatus; hoc ſignificari perſpicio, quia Iudæorum populus, Filium Dei in Decalogo legis acceptum, & poſt tranſmigrationem Babylonis (ſicut ſcriptum eſt) quarta decima generatione naſcentem; crucifixurus eſſet ad veſperum. Ad veſperum D autem, ſiue huius mundi, quia nouiſſimis temporibus ſęculi paſſus eſt; ſiue etiam ad ipſius Solis occaſum, quoniam Crucifixo Domino occidit Sol. Meridie namque, *ab hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Quid potuit eſſe tam veſperum? Nec illud otioſum putes, quod cùm ſuperiùs imperatiuo modo dictum ſit; *ſumant ouem per domos* infrà, indicatiuo modo pronuncietur: *Occident eum omnis multitudo ſynagogæ filiorum Iſrael ad veſperam. Occident*, ait; non, *occidant*: Synagoga quippe Iudæorum, quod erat crudeliter factura, prędictum eſt; non, vt fieret, iuſſum eſt: nec ideò factum eſt quia prædictum erat, ſed ideò prædictum eſt quia erat futurum; vt præſcientiam ſuam Deus in his quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, oſtenderet. Li- E bertatem diximus arbitrij; quia voluerunt Iudæi facere quod fecerunt: & vtique ſi voluiſſent, non feciſſent. Certè ingentis ſacrilegij eſt, vel cogitare quòd Deus qui non ſolùm bonus & iuſtus ſed ipſa bonitas eſt & ipſa iuſtitia, vel iubeat aliquid vel cogat fieri quod factum damnet. An fortaſſe putamus quia ſi pœnituiſſent Iſraelitæ, aliter omnipotens Filius Dei ſaluare non potuerit mundum? *Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Conſidera in Euangelio, quomodò expectauerit Chriſtus pœnitentiam Iudæorũ; vbi exprobrat ciuitatibus in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quòd non egerint pœnitentiam: *Væ tibi*, inquit, *Chorozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro et Sydone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim vtique in cilicio & cinere ſedentes pœnitentiam egiſſent; Verùmtamen dico vobis vobis, Tyro et* ſydoni

Pſal. 18.
Exod. 12.
Ritus manducandi. Agnum, vmbra erant futurorum.
Iſa. 53.
Matt. 27.
Mors Chriſti, prædicta quidem ſed non iuſſa fuit.
Præſcientia ſtat cum libertate Arbitrij.
Rom. 11.
Matt. 11. Luc. 10.

Sydoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis: Et tu Capharnaum que vſque in cœlum extolleris, vſque in Infernum demergeris, A inquit, *quia ſi Sodomis facta fuiſſent virtutes quæ facta ſunt in te manſiſſent vtique vſque in hodiernum diem: ſed tamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quam vobis.* Præſcientia quidem Dei non fallitur, ſed nec homini conceſſa ſemel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo iudicare poſſit, qui liber non fuerit in agendo. Pertinaciam mali damnat Deus, conuerſionem pœnitentis amplectitur. Sed dicat: Nunquid mentiri potuit Deus qui facturos eos prædixerit, quod fecerunt? Quanta ſit virtus omnipotentiæ eius, non conſequimur, qui vocat ea quæ non ſunt tanquam quæ ſunt. Mentiri cum putaremus potuiſſe, ſi ea quæ prædixit impleta non fuiſſent. Ergo & Niniuitis mentitus eſt? Dixit enim, *adhuc triduum & Niniue euertetur*: & euerſa non B eſt, quia pœnitentiam egit in prædicatione Ionæ. Sed intellige: Sermo Dei, gladius eſt ex vtraque parte acutus. Niniue aliter euertenda fuerat, & euerſa eſt, aliter euertenda fuerat excidio, ſi permanſiſſet in ſua nequitia. Euerſa eſt iniquitas eius, quia pœnituit. Sicut diſtat Cœlum à terra, dicit Deus hominibus; ita diſtant ſenſus mei à ſenſibus veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Scriptum eſt: *Altiora te ne quæſieris, & ſublimiora te ne ſcrutatus fueris; multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum.* Iuſtum itaque Dominum, Chariſſimi; & verum & pium in omnibus dictis atque operibus ſuis, vt perfectam ſapientiam conſequaris. Agnus enim perfectus; *maſculus,* inquit, *anniculus erit vobis:* vt nihil mediocre de perfecto ſentias, nihil infirmum de maſculo, nihil de annicolo ſemi plenum: perfectus eſt, *quia in eo habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Maſculus eſt: C quippe quia vt naſci dignatus eſt ex Virgine, vt ſexui vtrique conſuleret. Anniculus eſt, quia poſt illud Baptiſmum quod pro nobis in Iordane ſuſceperat, vſque ad paſſionis ſuæ diem vnius anni tempus impletur; & ea tantùm ſcripta ſunt in Euangelijs, quæ in illo anno vel docuit vel fecit; nec ipſa tamen omnia. Sic enim dicit Euangeliſta Ioannes: *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum* (eorum quippe, quos poſt baptiſmum ſcribitur elegiſſe) *quæ non ſunt,* inquit, *ſcripta in hoc libro; hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam æternam habeatis in nomine eius.* De his autem quæ ante illum geſſit annum ſic idem Ioannes in poſtremis ſermonibus libri teſtatur: *Sunt autem & multa alia quæ fecit Ieſus; quæ ſi ſcriberentur* D *per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere eos libros qui ſcriberentur.* Solus planè Lucas Euangeliſta memorauit prætermittens, quòd duodecim annorum præditus Dominus Ieſus, in templo repertus ſit à Parentibus, ſedens in medio doctorum, audiens eos & interrogans, & quod dixerit parentibus: *Quid quærebatis me? neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Hic eſt annus Domini acceptus, quem de Eſaiæ libro ex perſona ſua ſcriptum in Synagoga legens Dominus Ieſus, ait: *hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Hic eſt annus, cuius coronam (victorialem quippe circulū) operibus bonitatis Chriſti benedicendum, Propheta lætus nunciauit in Pſalmo: *Benedices,* inquit, *Coronam anni benignitatis tuæ, & campi* E *tui replebuntur vbertate,* Corda nempe credentium populorum, percepto ſemine verbi vitæ, fructu etiam centeſimo redundabunt. Quòd ſi in cruce ſimul cum Chriſto pendentium latronum fractis cruribus, ideò Saluatoris crura non fracta ſunt ſicuti ſanctus Euangeliſta teſtatur, *vt Scriptura impleretur, quæ ait; Os non confringetur ex eo:* debuit iuxta prædictam rationem Agnus iſte Dei anniculus immolari, vt omnia quæ de illo ſcripta ſunt complerentur in ipſo; cui eſt omnis honor, virtus & gloria, cum Patre & cum Spiritu ſancto, ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſæcula; Amen.

Libertas arbitrij.
Rom. 4.
Iona. 3.
Heb. 4.
Iſa. 55.
Eccl. 3.
Myſtica agni interpretatio de Chriſto Domino.
Coloſſ. 2.
Ioan. 20.
Ioan. 21.
Luc. 2.
Luc. 4.
Pſal. 64.
Ioan. 19.

QVARTVS TRACTATVS DE LECTIONE EXODI.

CARNALEM Iudaicæ Paſchæ obſeruantiam, ſpiritualibus typis refertam, trino iam Tractatu docuimus; ſemel heſterno die, & bis in vigilijs allocuti charitatem veſtram, euidenter probantes quòd immolatio carnis & ſanguinis vmbraliter iuſſa, rectè ceſſauerit aduentāte agno Dei Chriſto; qui iuxta Apoſtolum, *finis legis eſt, ad iuſtitiam omni credenti.* Nam & ipſe beatiſſimus Paulus, cùm eſſet adhuc in Ægypto, cum Iudæis paſcha ritu Iudaico celebrabat: *ſed poſtquam placuit ei qui ſegregauit me de vtero matris meæ,* inquit, *& vocauit per gratiam ſuam vt reuelaret filium ſuum in me, continuò non adquieui,* ait, *carni & ſanguini.* Ergo, quoniam non oportet rebus carnalibus immorari eum cui filius Dei fuerit reuelatus, quæramus reliquas myſteriorum ſpiritualium partes, in viſceribus propoſitæ lectionis. *Ab agnis,* inquit, *& hædis ſumetis.* Hinc aduertere Iudæi debuerant, legem Dei ſpiritualiter intelligendam; quoniam ab agnis & hædis ſumendum legerunt Agnum qui immolandus erat; cùm ſit iſtud naturę contrarium, vt ſi agnus eſt, ab agnis ſit pariter & ab hædis, Sed hæc eſt omnis ratio in ambiguitate ſermonis; quòd iſte immaculatus Agnus Dominus Ieſus, & iuſtorum & peccatorum carnem ſuſcipere ſit dignatus ex Virgine: corpus enim, non ſolùm de Patriarchis & Prophetis, ſed ex totius humani generis maſſa ſuſcepit. Iuſtos autem comparari agnis, & peccatores hædis; ipſe in Euangelio declarauit dicens agnos à dextris vocandos: *Venite benedicti,* inquit, hædos verò à ſiniſtris pellēdos; *diſcedite maledicti.* Hūc ergo ab agnis & hædis ſumptū, omnis multitudo Synagogæ filiorum Iſrael interfecit, cùm clamarūt omnes Pilato; *Crucifige eum,* Cæterùm; iuxtà hiſtoriam legalis Paſchæ, non omnis Synagoga occidebat vnum, ſed pauci ſingulos per vnamquamque domum. Ibi verò principes ſacerdotum & Seniores perſuaſerunt populo vt peterent concedi latronem Barrabam, Ieſum verò perderent. Perdiderunt enim Saluatorem Chriſtum: & ex ore ſuo iudicati ſunt, vt moreretur in eis verbum Dei, id eſt, eloquium Prophetarum, per quos ipſe loquutus eſt: & ſicut ſcriptum in Prophetis, deficerent in eis ſapientes, viueret verò in illis Barrabas ille latro Diabolus quem tantopere popoſcerunt. Quod autem viuat in illis ſeditioſus ille & homicida; ſeditiones ipſæ teſtantur quas contra Apoſtolos commouerūt, & quas nunc vſque contra omnes ſanctos exercere non deſinūt vbi tempus inuenerint. Nobis autem viuit Chriſtus: Reſurrexit enim nobis, quia non eſt vltra viſus Iudæis; neque intrauit poſt reſurrectionem, Synagogam Iudęorum, ſed ad congregatos Diſcipulos introiuit. Ingreditur ad nos qui ſumus in domo Eccleſiæ congregati, & oſtendit nobis venerādi ſui corporis veritatem; ſi tamē vel meruimus, vel meremur eius eſſe diſcipuli. Etenim B. Apoſtoli, quibus verè commiſſum eſt præparare in ſuperioribus Paſcha Domini, quoniam paucos viderunt ex Iudæis in domo Eccleſiæ, qui non ſufficerent ad conſummandum Paſchæ ſacrificium, conuocauerunt vicinos ex gentibus ſecundum quod præceptum fuerat in lege: *Quod ſi pauci erunt,* inquit, *in domo, ita vt non ſufficiāt ad ouem, adſumet ſecum vicinum proximum ſuum, &c.* nam verè non ſufficiebant ad eum qui pro totius mundi peccatis mori ſuſtinuit. Pauci enim crediderunt ex Iudæis in Ieſum Dominum; vnde Apoſtolus; *ita* (inquit) *in hoc tempore* (non dubium, quod ſicut tempore Heliæ cui ait Deus; *Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal, ita* ergo (inquit) *in hoc tempore,* ſub aduentu quippe Chriſti; *reliquiæ ſecundum electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt,* ex populo vtique Iudæorum: de tanta enim multitudine vix pauci ad Chriſti fidem inueniuntur fuiſſe conuerſi. Propter quod, & de iſtis reliquijs Domini & miſericordiæ Dei Eſaias Propheta teſtatur di-

Chriſti aduentu, vmbra Legis ceſſauerunt.
Rom. 10.
Galat. 4.
Exod. 12.
Lex ſpiritualiter intelligenda eſt.
Matt. 25.
Matt. 27.
Ioan. 19.
Iſa. 1.
Iudæi ſeditioſi & homicidæ.
Ioan. 20.
Luc. 24.
Vocatio gentium, & reprobatio Iudæorum.
3. Reg. 19.
Rom. 11.

Iſa. 1.

cens: *Niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus.* Vos A igitur Neophyti, qui eſtis ad beatæ huius ac ſpiritualis Paſchæ epulas inuitatis; videte quomodò ab omni pollutione eſcarum quas ſuperſtitio Gentilis infecerit, veſtras animas conſeruetis. Nec ſufficit, vt à mortifero dæmonum cibo vitam ſuam cuſtodiat Chriſtianus; ſed vt omnia abominamenta Gentilium & omnes idololatriæ tramites, ſicut quædam ſerpentis Diaboli venena, diffugiat.

Baptizatis fugienda ſunt abominamenta omnia Gentilium. Idololatriæ partes.

Partes enim idololatriæ ſunt, veneficia, præcantationes, ſuballigaturæ, vanitates, auguria, ſortes, obſeruatio omnium, parentalia inquam; vnde, Idololatriæ malum extulit caput erroris. Nam gulæ ſuæ cauſa, primùm cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent; poſt hoc, etiam ſacrificia auſi ſunt eis ſacrilega celebrare: quamuis nec ipſi mortuis B ſuis minùs ſacrificent parentalia, dum ſuper ſepulchrorum menſas tremulis ebrietate manibus vina fundẽtes, ſpiritum balbutiunt.

Gentilium ebrietates in Parentalibus.

Cauete quæſo ab his omnibus; ne indignatus Deus cõtemptores & inimicos ſuos qui noluerunt eum regnare ſuper ſe, tradat illis inferni tortoribus, *illic erit fletus & ſtridor dentium.*

Matt. 8. Luc. 13.

Seruate Neophyti, ornamentum gratiæ ſalutaris: Sobrij eſtote per omnia, ne illud inebriati perdatis: ſolliciti conuenite ad Eccleſiam; orationibus, hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus nobiſcum vigilanter incumbite.

Otium Neophytorum in Paſchate.

Hæc ſint otij veſtri opera: quibus debitum reddentes Chriſto Domino famulatum, mercedem vitæ æternæ conſequi ab ipſo poſſitis. Sint igitur conuiuia veſtra ſobria, caſta cubilia: ſit modeſtus animus, ſermo placidus, mitis inceſſus.

Conuiuia, cubilia, ſermones, inceſſus ipſorum, cuiuſmodi eſſe debeant.

Orate vt beneficia gratiæ ſuæ Deus conſeruet in vobis, C & fides veſtra magis magiſque proficiat largiente Chriſto Domino ſaluatore cui vna virtus eadémque Diuinitas cum Patre & cum Spiritu ſancto, ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſæcula; Amen.

QVINTVS TRACTATVS EXODI.

Vigiliarum Paſchalium nox ſplendidiſſima.

ORDINEM lectionis Exodi vbi lex celebrandi Paſcha deſcribitur, idcirco præpoſterauimus, vt myſterijs reſeruandis debitæ reuerentiæ ordinem teneremus; quia oportebat in illa ſplendidiſſima nocte Vigiliarum, ſecundo tractatu, non dictorum ſequentia ſed congrua Neophytis explanari; vt edendi Paſchalis ſacrificij diſciplinam rudes D Neophyti diſcerent, inſtructi Fideles agnoſcerent. Quibus; pariter & de habitu edentium, vnam ſpeciem tempori aptam diſſerui, duas tam ipſis quàm Cathecumenis reſeruati.

Exod. 12.

Ait enim; *ſic autem comedetis illum*; id eſt, agnum. *Lumbi veſtri præcincti, & calciamenta veſtra in pedibus veſtris, & baculi in manibus veſtris.* Tunc de præcinctione lumborum diximus; nunc de calciamentis & baculis exponamus: Quæ ideò hodie proponuntur, quia tunc ſequenti die & tertio, illa priùs quæ de principijs lectionis conſultò prætereieram, neceſſe fuerit explicari.

Ioan. 1. Carnẽ Chriſti edere debemus.

Agnus Dei verus, quem Ioannes Baptiſta demonſtrat, Chriſtus eſt: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Huius carnem, tam Fideles in myſterio; quàm ſimul vniuerſi credentes in fide; ita debemus edere no E ſtrique cordis interioribus commendare, vt non ſolùm cinctos habeamus caſtitate lumbos, verum etiam *calceati ſimus* (vt ait Apoſtolus) *in præparatione Euangelij pacis.*

Epheſ. 6.

Sicut enim calciamenta terreſtria carnalium pedum munimina ſunt, & vel aſperitati frigoris vel Serpentum morſui vel ſpinarum reſiſtunt aculeis; ita Legis diuinæ præcepta, quibus greſſus noſtrarum mentium munire præcipimur; repugnant & Serpenti Diabolo, & aſperrimo Aquiloni Gẽtilium, & Hæreticorum vndique compungentium ſpinis ac tribulis.

Calceamentorum myſtica interpretatio.

Huiuſmodi ergo calciamentis vti debemus, quotquot Paſcha Dominicum celebramus. Quoniam *lex*, vt Apoſtolus ait, *ſpiritualis eſt*; Et, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

1. Cor. 5.

Itaque & lumbi noſtri præcincti eſſe debent, & calciati pedes. Quid A enim prodeſt homini ſi ſolam corporis habeat caſtitatem; & incautus, & ſine inſtructione calciamentorum Legalium, malis fuerit ſupradictis obnoxius: vel; quod quotidiè in vſu eſt; cordis ſui calcaneum patens præbeat comeſſioni Serpentum? Si cogitet mala, ſi concupiſcat aliena, dolũ meditetur, ſi nutriat iram, ſi inſidietur proximo, ſi mendacio ſtudeat, ſi comedatur liuore, ſi tabeſcat inuidia, ſi venenato ore detrahat bonis: & dum mẽdacis linguæ ſpiculo lacerare nititur innocentes, morſibus Dæmonum qui per ipſum loquuntur, ipſe potiùs lanietur? Quid profuit præcinctos habuiſſe lumbos, ſi diuinorum mandatorum calciamenta non ſeruãs, greſſus cordis tui (id eſt, animæ tuæ baſes) crudeliſſimæ cõciſioni tradideris? Contrarium forſitan videatur aliquibus, quod cùm hic tãtopere calciatos eſſe debere à Deo B iuſſum ſit; alibi, ab eodem Domino Deo, iubeatur ſancto Moyſi & ſancto Ioſue: *Solue calceamenta de pedibus tuis.*

Exod. 3. Ioſ. 5.

Ingens quidem ratio eſt, & multiplicium propoſitionum ambagibus præſtruenda: ſed quia breuitas congruit & prædicantis labori & memoriæ auditoris; nolo vos longiùs trahere. Ibi ſoluitur quæſtio, vbi calciamenta ſoluuntur, dum ſtatim cauſa adijcitur: *ſolue*, inquit, *calciamenta de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Oſtenditur ergo terra Aegypti (vbi datur præceptio illa ſuperior) ſancta non eſſe, & ideo ibi habenda mandantur calciamenta; in ſancta autem terra decernuntur eſſe ſoluenda: quas tamen ob cauſas, euidenter eſt exponendum.

Calceamentorum myſtica expoſitio.

Quamdiu in huius ſæculi Aegypto conuerſamur; oportet nos Paſcha Domini celebrantes, calcia C mentis vti ſanctarum Scripturarum: quia tutus non poteſt eſſe greſſus noſter, niſi mandatis Dominicis contegatur, vſquequo intremus in illam ſanctam promiſſionis terram quæ iuſtis eſt præparata. *Beati enim mites*, ait Dominus Ieſus, *quoniam ipſi poſſidebunt terram*; non vtique iſtam terram quam poſſident peccatores, ſed illam in qua non ſunt ſpinæ & tribuli: In qua non ſunt Serpẽtes & ſcorpij: quippe vbi Diabolus cum cæteris immundis ſpiritibus non accedit.

Matt. 5.

Erit enim tum vnà cum ſuis ſatellitibus in igne æterno quem parauit Deus vtique Diabolo & Angelis eius.

Matt. 25.

Habemus & Ioannem Baptiſtam qui dixerit de Saluatore humani generis Domino Ieſu: *Cuius ego non ſum dignus*, inquit, *corrigiam calceamentorum ſoluere.*

Ioan. 1.

Sed alia in Chriſto ratio eſt, ille non pro D pter ſe calciatus eſt, ſed propter nos, quoniam terra ſuſtinere non poterat maieſtatis eius nuda veſtigia. Calciamenta cùm dicit; greſſus oſtendit ſanctarum Scripturarum, quibus graditur & circuit notitia in omnes qui habitant ſuper terram. Et ideò Ioannes Baptiſta in Euangelio negat vel idoneum ſe eſſe vel dignum qui ſoluat corrigiam calciamentorum eius; id eſt, ſermonem eius: ſiue vt ediſſerat vnum de mandatis eius; ſiue vt nudare valeat & euidenter oſtendere, calciati adhuc in iſto ſæculo Verbi Dei veneranda veſtigia. *Modo enim per ſpeculum videmus in ænigmate*, inquit, *tunc vero à facie ad faciem; vbi non erit aliquid occultum quod non reuelabitur, nec abſconditum quod non ſcietur*:

1. Cor. 13. Matt. 10.

quando ad illum futurum diem feſtum Dominus Ieſus non ſicut ſub incredulis, quia in occulto aſcendit; ſed, ſicut ſcriptum eſt: E *Deus palàm veniet, & Deus noſter, & non ſilebit.*

Ioan. 7. Pſal. 49.

Proptereà & Apoſtoli in Euangelijs alibi prohibentur portare calciamenta in via, dum dicitur eis in Euangelio Matthæi, à Domino: *Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas neque calciamenta neque virgã, dignus enim eſt operarius mercede ſua.*

Matt. 10.

Alibi autem iubentur habere, vt Marcus Euangeliſta deſcribit: *Et circuibat* (inquit) *caſtella Ieſus, docens, & conuocatis illis duodecim, miſit eos binos, dans illis poteſtatem fugare ſpiritus immundos; & præcipiens illis ne quid ſecum tollerent in viam, niſi virgam tantum, non peram, non panem, neque nummos in zona, ſed calceatos caligulis, & ne induerent*, ait, *duas tunicas.*

Matt. 6.

Propter incredulos & paruæ fidei homines, iubentur in via prædicationis, calciamenta habere,

Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli; vt verbum Dei calciatum & contectum in myſterio, propter ſpinas & tribulos blaſphemantium A prædicent. Ad eos autem qui fideli mente audiunt, quaſi iam in ſancta terra, perfecti quippe cordis in fide, vbi nuda de Deo ſecuri poſſent proferre teſtimonia; iubentur non portare calciamenta, videlicet vt aperta figant illic veſtigia Diuinitatis eius: & ideò beatus Petrus *Act. 12.* calciauit ſe in carcere, calciamentis ſuis; & ſic exijt iterum ad hoſtes Iudæos & aduerſarias poteſtates, vt calciatus *Luc. 10.* pedes in præparatione Euangelij calcaret ſuper Serpentes, & Scorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Et Moyſes dicit in benedictionibus, vel ad vnumquemque *Deut. 33.* Fidelem, vel ad perſonam potius Chriſti; *Ferrũ* (inquit) *& æs calciamentum tuum*; vtique vt confringat capita draconum ſuper aquas, id eſt, vt conterat principatus Dæmonum, draconum qui ſunt ſuper aquas Gentilium po- B pulorum. Aquæ verò; quòd populis comparentur in *Apoc. 17.* Gentibus, in Apocalypſi reuelatur Ioannis: *Aquæ*, inquit, *quas vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix Babylon, populi & gentes ſunt.*

Opus mihi eſt & baculo Paſchæ adhuc in Ægypto celebranti: vt ſi imitator ſum S. Moyſi; Hebræum meum (id eſt; intellectum Iſraelitem, qui Deum videre promeruit) ab interitu liberem, percuſſo Ægyptio. Hoc propter ſeipſum quiſque, quãdiù ſeruit legi. Si quis verò eſt Apoſtolicus & per Ieſum proſtrato Ægyptio, magnus factus ac potens; non iam propter ſe baculum portat, *1. Cor. 4.* ſed propter eos quibus dici neceſſe eſt; *quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Por- *Matt. 7.* tet & propter eos *qui veniunt ad nos in veſtimentis ouium, ab* *Iſa. 11. 6.* *intus autem ſunt lupi rapaces.* Quòd ſi lupus deſinat eſſe lu- C pus & cum agno paſcatur, vt ait Propheta: &, ſi leo deſinens eſſe leo, cum boue manducet paleas; baculo opus non eſt. Si enim feralium morum nequitia in tãtam vertatur manſuetudinem, vt cum ouiculis innocentibus ac mundis Chriſti operarijs, vitæ pabulum mites quærant & capiant: & tales vtique ſunt qui in Charitate & ſpiritu manſuetudinis ad perfectum debeant erudiri; dicitur *Matt. 10.* à Chriſto, Apoſtolicis quibuſque ſacerdotibus, vt ne- *Luc. 10.* que baculos correptionum portent in via, quando in diſcipulis obedientibus ac modeſtis terram Sanctam poſſidere iam cœperint. Quod annuat de vobis, puſillanimitati meę, Saluator humani generis, Deus Dominus Ieſus. Cui vna Deitas eadémque omnipotentia, cum Patre & Spiritu ſancto, ante omnia & nunc & ſemper & D in cuncta ſæcula; Amen.

SEXTVS TRACTATVS DE EXODO.

QVANTVM Deus Pater, per virtutem ſuam & ſpiritum ſuum, pro captu virium noſtrarum reuelare dignatus eſt; quantùm Patris & Filij & Spiritus ſancti coæqualis omnipotentia tribuit; quantum ſempiterna ac ſine principio Trinitas inſpirauit; aperuimus dilectioni veſtræ à primis vigilijs Paſchæ vſque in hanc diem, quæ eſſet ratio nominis libri Exodi, quæ virtus Paſchæ, & quæ obſeruatio ibi primùm cuſtodienda decernitur; & quamobrem menſis iſte in quo Deus hoc obſeruandum præcipit, primus E dicatur in menſibus anni; quæ eſſet Aegyptijs, quid ſignificaret ille decimus vel quartus decimus dies, quis eſſet agnus immolationis, & cur aſſumendus eſſet ab ouibus & ab hædis, quæ veſpertina diei, quod illud limen, quid illi poſtes, quis ille ſanguis; & quam ob cauſam neque crudas carnes, neque in aqua coctas, ſed aſſatas igni, & caput cum pedibus & interaneis feſtinanter comedere iubeantur; quod ea eo os non confringendum, quę reliquiarum crematio, & quid myſterij figuratum ſit vel in calciamentis pedum & baculis manuum, vel in præcinctu lumborum. Reſtat vt diſſeramus percuſſionem primitiuorum Aegypti, & azyma cum ama- *Exod. 12.* ritudine, & ſeptem dies azymorum: *Tranſibo*, inquit, *in*

terra Ægypti hac nocte, & percutiam omne primogenitum in ter- A *ra Ægypti ab homine vſque ad pecus, & in omnibus dijs Ægyptiorum faciam vindictam, ego Dominus, & erit ſanguis vobis in ſigno in domibus, quibus vos eritis ibi, & videbo ſanguinem & protegam vos; & non erit in vobis plaga contritionis cum percutio Ægyptum, & erit hic dies vobis in memoria.* Percuſſit quidem Deus in illa nocte tunc temporis, primogenita omnia Ægyptiorum ſicut per Moyſen comminatus fuerat Pharaoni cùm noluit dimittere populum Iſrael: quem populum idem Dominus primitiuum nũcupare filium dignabatur, quando percuſſi tantorum repente funerum ſtrage Ægyptij; Iſraelitas quos tanquam captiuos dudum relaxare noluerant, noctis medio expulerunt: ſed quoniam multò maiora fecit idem Deus pro noſtro populo contra veros Ægyptios, & in nobis completa B ſunt quæ tunc temporis vmbraliter contingebant; redemptionis noſtræ memores, non debemus dona pietatis eius ingrato occultare ſilentio. Die qua immolatus eſt agnus Dei Dominus Ieſus; ad veſperum (imminen- *Matt. 27.* tibus quippe iam tenebris, quæ ſtatim crucifixo eo cooperuerant omnem terram) in illius diei nocte percuſſit primitiua Ægyptiorum Dæmonum: id eſt ſimulachra *Ægyptij myſtice qui ſint.* hominum mortuorum, quæ ipſi prima in hoc Mundo creauerant, vt per ea colerentur. Sed cùm ibi adijcitur; *in omnibus dijs Ægyptiorum faciam vindictam*: Fortaſſe dicas; qui ſunt iſti Ægyptiorum dij? Audi ergo, non ſolùm Dæmones Ægyptios eſſe: ſed etiam cultores eorum, quicunque pertinaciter in incredulitate verſantur, filij tenebrarum cum ſint, Ægyptij ſunt: quoniam filij Ægyptiorum ſunt, filij ſunt Dęmonum. Vnde dicitur vniuer- C ſis incredulis. *Vos de Diabolo patre eſtis.* Sicut enim, *quotquot* *Ioan. 8.* *ſpiritu Dei ducuntur, hi filij Dei ſunt*: ſecundum doctrinam *Rom. 8.* Pauli Apoſtoli: ita quoque quotquot ſpiritu Diaboli abducuntur, filij dæmoniorum ſunt. Ideò autem Scriptura diuina diabolum & exercitum eius Ægyptios nuncupat; quia, à Deo qui lux eſt, alieni facti ſunt, contra Creatorem proprium rebellando. Nam ſanctus Apoſtolus dicit: Quid mirum *ſi Satanas transfigurat ſe in* *2. Cor. 11.* *Angelum lucis?* Probans vtique eum eſſe Angelum tenebrarum, qui ſe quaſi Angelum lucis oſtentare conetur vt fallat. Simili ratione, & omnes increduli aduerſantes Deo & à luce diuinitatis eius errores, Ægyptij appellantur; quos tamẽ hortatur ipſe Dominus ad ſalu- *Ioan. 12.* tem, dicens: *Dum habetis lucem, credite in lucem vt filij lucis ſi-* D *tis.* Itaque ſi voluntatis fides poteſt eos filius lucis efficere; hoc quòd tenebrarum filij ſunt, vitium volũtatis eſt, non naturæ. Nocte ergo qua corpus exanime relinquẽs *Deſcenſus Chriſti ad inferos.* in cruce Dei filius, tranſiit cum anima ad Ægyptum inferiorem vt animas in Inferno poſitas viſitaret; tunc fecit vindictam in omnes immundos ſpiritus Ægyptiorum Deos, interficiens in primogenitis vires principatus eorum. Nã paſſioni proximus dicit Dominus Ieſus; *Ioan. 12.* *nunc iudicium eſt huius Mundi, nũc huius mundi Princeps eijcitur foras*: Et, *ego cùm exaltatus fuero, omnia trahã ad meipſum.* Reuocauit itaq; omnẽ creaturam ſuam ad ſe Dominus Ieſus; quam ſibi, iniquiſſimi vſurpatores diuinitatis, rebelli ſpiritu mancipará̃t, vt ipſius ditioni ſubiecta eſſent omnia, per quem facta ſunt vniuerſa, & qui protexit ac proteget credentes in ſe, à plaga contritionis, per ſi- E gnum crucis ſuæ, cum dicitur: *Et erit vobis ſanguis in ſigno* *Signum Crucis.* *in domibus; vos eritis ibi, & videbo ſanguinem, & protegam* *Exod. 12.* *vos.* Quærendum tamen, priuſquam tranſeamus ad cætera quæ ſequuntur; quomodo dicat, *Protegam vos, quaſi ab alio exterminatore: & iterum Moyſes; Tranſibit Dominus percutere*, ait, *Ægyptios, & videbit ſanguinem in limine, & in vtriſque poſtibus & pertranſibit oſtium.* Quid ergo eſt? Dominus tranſiit percutere Ægyptios, in manu exterminatoris? Abſit! Nam poſt puſillum dicit: *Et non dimittet exterminatorem intrare in domos veſtras.* Si ipſe percutit quomodo dicitur, non dimittet intrare exterminatorem? Hoc itaque in textu ipſius lectionis ſollicitus lector cõſidera, quod vbi dicit; *percutiam Ægyptus*; non dicit, ab exterminatore: vbi autem dicit Hebræos

Digitized by Google

protegendos; non dicit ab eius plaga protegendos qui percuſſit Ægyptios, ſed ab Exterminatoris. A Exterminator autem non percutit Ægyptios quorum amicus & princeps eſt, quoniam, ſicut ait Dominus in Euangelio *Marc. 5.* Marci beatiſſimi, *ſi ſatanas inſurrexit aduerſus ſeipſum, diuiſus eſt*: hoc inquit, facere non poteſt, aut finem habet. Sed vtique (chariſſimi) percutere vult Exterminator Hebræos, Deo percutiente Ægyptios. Nam retributionem molitur in ſeruos Dei; ſatellites ſuos ab eo percuſſos indignans, quoniam Diabolus tum maximè *Dæmon maximè accenditur, cùm extinguitur.* accenditur cùm extinguitur. Tunc enim ſæuit in Dei famulos, quando prima virtus eius in primogenitis occiditur; dum vel idololatriam, vel ſupeſtitionem, vel cæteros principales errores Dæmonum, Deus diſperdet ex nobis. Dicit enim ille nequiſſimus murmurans contra Deum: Tu propter Hebræos tuos percutis meos Æ- B gyptios; & ego, propter Ægyptios, perſequar & inter- *Exod. 15. 9.* ficiam Hebræos tuos. Nam *dixit: Inimicus, perſequens comprehendam pariter ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea;* ſed fruſtratur eius minacitas, ſi præcepto Domini quo nos tutos eſſe poſſe præ- *Exod. 12.* monuit, grauiter pareamus. Adijcitur enim; *& cuſtodies ſermonem hunc legitimum tibi ipſi & filijs tuis vſque in æternũ:* ſcilicet vt ſemper ſolliciti ſimus Paſcha Domini legitimo ſtudio celebrare, & vigilanter facere ea quæ nobis præcepta ſunt; ne per contemptum noſtrum aut negligentiam noſtram, Exterminator aditum graſſandi reperiat, Dei protectoris tuitione ceſſante. Sit ergo vnuſquiſque noſtrum in parte Domini qui percuſſit Ægyptios, ſit Iſraelita; Deum ſemper mente aſpiciens, C vt protegatur à plaga Exterminatoris. Habeat; quinimo habeamus in vtriſque poſtibus ſcilicet in corde & in ore ſalutarem Domini paſſionem. Quomodò? ſicut *Rom. 10.* docet Apoſtolus: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit in ſalutem.* Habeamus in limine frontis ſignum ſanguinis agni, vt non ſinat exterminatorem Deus introire ad nos: neque enim ſolummodò tunc iſtud factum eſt; vel in hiſtoria Legis vel in tempore crucis Domini Ieſu; ſed & nunc ſemper Deus vltor populi ſui percutit Ægyptios; ſemper exterminator Diabolus intrare in domos Iſraelitarum nititur cupiens eos occidere: ſemper Dei Filius tuetur ſuos, & protegit eos vbi ſignum ſuæ paſſionis cognouerit: Ipſi gloria cum Patre & cum Spiritu ſancto, per omnia ſecula; Amen.

SEPTIMVS TRACTATVS
DE EXODO.

Discvssis vabdiotibus mandatorum Paſchalium membris; tres adhuc ſuperfuiſſe de propoſita lectione Exodi, ſpecies; die heſterno prædiximus: quarum primam, de interfectione primitiuorum Ægypti; ſtatim, prout potuimus, interpretati ſumus, duas nunc reſiduas de prohibitione fermenti, & de ſeptem diebus azymorum Domini gratia largiente proponimus explanandas: *Septem* *Exod. 12.* *diebus*, inquit, *azyma edetis; à primo autem die exterminabitis fermentum de domibus veſtris: Omnis qui manducauerit fermentum à primo die vſque in ſeptimum diem, diſperiet anima illius ex Iſrael.* Hæreticorum veterum quidam ex quibus ſunt *Inſanus Marcion, & execrabilis Manichæus.* inſanus Marcion & execrabilis Manichæus; quoniam ſpiritu erroris inducti, Scripturas omnes veteris Teſtamenti reſpuendas eſſe contendunt: per multa Scripturarum capitula; Deum Legis antiquæ, malum conantur aſſerere, quaſi aut alius ſit Deus noui Teſtamẽti quàm qui ex Lege vtique prænunciatus aduenit; aut in comparatione bonitatis Dei, aliquis legitimè bonus eſſe poſſit: cùm vel Angeli vel homines hinc habere iudicentur aliquod participium bonitatis, ſi bonum Deum ſciant, adorent, venerentur ac diligant, perhibente Domino *Matt. 12.* Ieſu, quòd *homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.* Sed dicas: Dei filius perfectam bonitatem cum Patre & Spiritu ſancto poſſidens, & vnam ſciens eſſe bonitatem Trinitatis, ſicut vnam diuinitatẽ, indignè tulit bonum *Vna Trinitatis bonitas & diuinitas.* A ſe iuxta conditionem creabilium bonorum nuncupari, & ait; *quid me dicis bonum?* Hoc eſt: Nolo dicas bonum, *Matt. 19.* quem neſcis; ſcito priùs qui ſum, & cùm Deum verum cognoueris, amplector vt dicas bonum, quia *nemo bonus* *Vnica Deitas in Trinitate.* *niſi vnus Deus.* Ille enim Iudæus, Filio Dei (Deo & homini) velut homini tantùm cuidam (ſanè, bono Doctori) dixerat; *Magiſter bone, quid faciam, vt vitam æternam poßideam?* & idcirco Dominus ad illum; *quid me dicis* (ait) *bonum? nemo bonus niſi vnus Deus*: Vnus eſt enim Deus, vbi deitatis nulla diuiſio eſt. Per omnes libros ſanctarũ Scripturarum; & Patrem Deum, & Filium Deũ, & Spiritum ſanctum Deum legimus, non Deos; quia Deos non ſinit dici Vnitas maieſtatis: eſt enim ſola in Trinitate *Non alia eſt quàm perſonarum in Trinitate diſtinctio.* te Perſonarum diſtinctio, nõ Naturæ diuerſitas. Quod, B ſi Marcion & Manichæus meruiſſent aduertere; nunquam profectò dixiſſent vnum quidem Deum noui Teſtamenti, bonum; alium verò malum, qui per Legem *Marcionis & Manichæi hæreſis, de Azymorum prohibitione.* veterem ſit locutus. Auſi ſunt & in ſupra dicta lege Azymorum aſcribere ei ſæuitiam, dicentes hominis animam diſperdi propter fermentum panis; quo nihil poſſit eſſe crudelius. Væcordes enim non intellexerunt, *Cur, Deus prohibuerit Azyma.* vel quanta eſſet in mandato vtilitas, vel quòd Deus maiorem cauſam tunc vlciſcendi habeat, ſi in exiguis rebus (vbi nulla difficultas eſt obſeruandi) peruicaci tantum ſpiritu contemnatur: faciliùs neceſſitati ignoſcat Deus, quam præſumptioni. Denique ſancto Dauid non im- *1. Reg. 24.* putatur ad peccatum, quòd ui neceſſitate famis conſtitutus mãducauerit ſanctos panes quos non licebat mãducare niſi ſolis ſacerdotibus. Hic verò, videamus quid C potuit neceſſitatis incumbere. Iuſſit Deus Iſraelitas, vt *Exod. 12.* ſeptem diebus Paſchæ fermentatum ſibi panem non facerent! Si fermentatum fieri iuſſiſſet; diligentia illic neceſſaria fuerat, ne deeſſet: quod iuſſit; deſidiæ eſt, non laboris. Negligentiam iubet, vt obedientiam probet; & non vis, vt damnet illam animam quæ diligentiam commodauerit vi contumax! Sed iam videamus, quæ fuerat in ipſa præceptione, vtilitatis ratio; vel Iudæis hiſtorialiter vſque ad Chriſti præſentiam; vel nobis hodie, quæ ædificatio iuxta intelligentiam ſpiritualem Filij Iſ- *Exod. 3.* rael cùm premerentur in Ægypto grauibus captiuitatis iniurijs; gementes proclamauerunt ad Dominum Deũ, vt eos eripere dignaretur. Elegit ex ipſis continuò Deus Moyſen & Aaron, per quos conueniſet Pharaonem D regem Ægypti, vt dimitteret illos: Cùm non dimitteret, multiplicibus plagis cum ſuo populo verberatus, hanc excepit pœnæ vltimam plagam, vt omnium Primogeniti Ægyptiorum illa nocte percuſſi diuinitùs interirent, qua Iudæos neceſſe fuit ex mandato Dei Paſchæ ſacrificium celebrare. Media igitur nocte clamor factus eſt, & vlulatus in tota Ægypto; nulla enim domus erat, in qua non erat mortuus. Tunc Ægypti rex metuens ne & ipſe & omnis populus eius ſimiliter diſperiret; com- *Exod. 12.* pulit Moyſen & Aaronem, vt illa hora noctis educerent omnem plebem de Ægypto: Qui cum perurgerentur exire; quid fecerint aduertamus. *Et ſumpſit*, inquit, *populus conſperſam farinam priuſquam fermentaretur maſſa illorum, & ligauerunt in veſtimentis ſuis, & impoſuerunt ſuper hu-* E *meros ſuos: Egreßi autem, cùm veniſſent in Sochot, coxerunt* (inquit) *conſperſum quod extulerant de Ægypto, ſubcinericia azyma.* Vt ergo memores eſſent huius neceſſitatis, & beneficiorum Dei; iuſſit eos ſeptem diebus primi *Exod. 13.* Mẽſis ita celebrare Paſcha, vt fermentatum panem non ederent, & vt ſemper indicarent filijs ſuis cauſam pro qua iſtud facere iuſſi eſſent (ſcilicet vt ingratus ipſe populus, vel imagine rerum geſtarum admonitus, Liberatori ſuo agere gratias cogeretur: & ideò tantopere eis præcipitur; *ſeptem diebus azyma edetis, à primo autem die exterminabitis fermentum de domibus veſtris: Omnis qui manducauerit fermentatum à primo die vſque in ſeptimum diem, diſperibit anima illa ex Iſrael.* Fecit & alia plurima pro illis Deus, & in Mari rubro & in Deſerto: ſed immemores miſericordiarum Dei (vt de cæteris malis eorũ taceam)

præter

Iſraelitæ fecerunt caput vituli aureum in deſerto. Exod. 32. Ioan. 1. Beneficia collata Iudæis.

præter illud quod fecerant caput vituli aureum, & quòd adorantes illud dixerunt: *Iſti ſunt dij tui Iſrael qui eduxerunt te de terra Ægypti*: A Ieſum quoque Filium Dei, qui eorum liberator extiterat, venientem ad ſe, ſacrilegis mẽtibus reſpuerunt, Vnde ſanctus Euangeliſta Ioannes nõ ſine querela commemorat; *in propria venit venit, & ſui eũ non receperunt*: id eſt; ad eos venit quos de ſeruitute Ægypti liberaſat, quos per mare rubrum veſtigio ſicco tranſduxerat, in quorum conſpectu Pharaonem & Ægyptios reſolutis aquarum circumſtãtium muris obruerat, quos Manna cœleſti ſatiauerat in deſerto, quibus de rupe arida fontes duxerat, quibus eloquia legis crediderat, quibus aduentum ſuum ſecundum carnem vaticinio prænunciauerat Prophetarum, ad quos præcipuè venerat dicens, *Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael*: Iſti, cum non modò ſuſcipere noluerunt; ſed & crucis ſupplitio trucidarunt: B qui tamen idcirco ſuſceptum corpus mori ſuſtinuit, vt & ſuæ Maieſtatis omnipotentiam propria virtute reſurgendo mõſtraret; & vt in ſublata ac deuicta morte vitam credentibus redderet, & plenam crucifigentium nequitiam condemnaret. Quapropter reſurgens tertio die, tranſtulit ſe ad Gentes ſicut dudum fuerat comminatus; *auferetur à vobis regnum, & dabitur Genti facienti fructus eius.* Ergo quoniam nobis qui fideliter Chriſtum ſequimur, datum eſt cognoſcere myſteria regni Dei; videamus quid idem noſter Dominus & Magiſter, de hoc fermento intelligẽdum docuerit.

Matth. 15.

Matt. 16. Marc. 8. Luc. 12.

Attendite (inquit) *vobis, & cauete à fermento Phariſæorum & Saducæorum:* quod cùm clarius iteraſſet; intellexerunt Apoſtoli, non à fermento panis eſſe cauendum ſed à corrumpentis doctrinæ nequitia. C Vnde idoneus Euãgelij prædicator Apoſtolus Paulus, nobis clamat: *Expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi, nam & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; Itaque diem feſtum celebremus*: inquit, *non in fermento veteri, neque in fermento maliciæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Caueamus ergo à fermento malitiæ: vbi enim apparuit fermentum nequitiæ confectum à Diabolo, de conſperſione peccatorum & iniquitatum; ibi, animæ illi appropinquat interitus. Cum ergo videris in anima tua intra te cogitationes prauas, machinantes vt te à Dei cultu detorqueant, aut vt facias aliquod peccatum, ſcito quòd intrauit ibi ille qui fermentum mortis facere conſueuit: propterea caue ne inueniatur tale fermentum in te, & diſperdatur anima tua à Deo. D *Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Videte itaque, ne vel modica mala ſuadenti animo adquieſcere velitis, aut errori Gentilium, aut iniquitati Iudæorum, aut Hæreticorum nequitiæ qui fermento Diaboli, totam fidei maſſam perfidiæ rancore corrumpunt.

Azyma cum amaritudine, quid.

Quod autem dixit Azyma cum amaritudine manducandum; docuit, neminem poſſe ſine triſtitia carnis ſinceram vitam ducere. Amaritudo videtur ieiunium & omnis abſtinentia deliciarum carnaliũ; ſed Paſcha Domini non aliter celebratur; ſed ſinceritatis azyma aliter non editur.

Nemo ſine triſtitia carnis poteſt vitam ſynceram viuere.

Cum verò exieris de Ægypto huius Mundi, actu vel corpore: Mannæ pabulum manducabis, panem cœli accipies; & in illam ſanctorum terram repromiſſionis inductus, amœnitate ſimul Paradiſi & æterna ſuauitate ipſius Domini perfrueris. E Dulcis amaritudo eſt quam ſequitur tantæ retributio ſuauitatis. A prima igitur die vel regenerationis noſtræ vel conuerſationis, eijciamus fermentum nequitiæ de proprijs domicilijs terrenæ huius habitationis; & per ſeptem dies totius vitæ noſtræ, quia ijdem reuoluuntur in ſæcula, ſinceritatis puritatiſque azyma comedamus; vt cœleſtium promiſſionum munera conſequi mereamur: quæ nobis largiri dignetur Deus Pater omnipotens, per coæternum Filium ſuum viuentem ſecum regnantémque cum Spiritu ſancto, ante omnia, & nunc, & ſemper, & in cuncta ſæcula; Amen.

INCIPIT DE LECTIONE EVANGELII TRACTATVS PRIMVS; *qui eſt in ordine Octauus.*

POST illius finem Tractatus quem dilectioni veſtræ intulimus vſq; ad heſternum diem de Exodi libro, vbi lex celebrandæ paſchæ deſcribitur; nunc aliquid de Euãgelij lectione quæ paulò antè decurſa eſt, adiuuante Domino diſſeramus, vt eundem Deum, tam veteris eſſe Inſtrumenti auctorem quàm noui, rebus ipſis teſtantibus comprobemus. Audiuimus enim quòd Saluator humani generis Ieſus ierat inuitatus ad nuptias, ibíque aquam in vini ſaporem naturámque conuertit. Habet planè & ipſa hiſtoria ordinẽ veritatis. Nã & nuptias idem qui ab initio B inſtituerat, benedixit; & creaturam quam fecerat, in id quod voluit, ſua poteſtate conuertit. Ac de virtute quidem Dei omnipotentis, nulla in facto dubietas poterit animæ fideli ſubrepere: tamen illum ad feſtiuitatem nuptiarum, id eſt, in domo epulationis quiſpiam noſtrum non ſine ratione mirabitur.

Gen. 2. Nullus fidelis dubitat de Dei omnipotentia in conuertendis in id quod velit, creaturis.

Enimuerò (Chariſſimi) penè omnis Euangeliorum textus, Dominum Chriſtum inter homines conuerſantem, deſperatis rebus opem contuliſſe inſinuat, & quam maximè mœroribus adfuiſſe; dum Blaſphemantes Iudæos increpat, dum Scribas & Phariſæos fallaciæ, doli, auaritiæ reos vanitatiſque coarguit; dum ciuitatibus exprobrat incredulis, ac minatur; dum Spiritus torquet immundos vt imagini ſuæ captiuatæ ſubueniat, & expulſis Dæmonijs ſalubritati reſtituat mentes obſeſſas; C dum leproſos ſupplicantes emundat; dum paralyticos, linguæ ſolius (qua precarentur) viuentes officio, reformat potiùs quã curat; dum tempeſtate maris periclitantibus, ipſe ſuper aquas ambulans, ſecurus tranquillator aduentat; dum vel cæcatis oculis donum lucis amiſſæ redintegrat, vel à natiuitate cæcis nouum lumen infundit; dum inter mœſtas ægrotantium turbas, medendi petitus adſiſtit; dum luctus varios obſecrantium Parẽtum dimouet, vel morientes eorum charos ſanitati reſtituens, vel mortuos vitæ.

Chriſtus vix vnquam niſi mœſtis adfuit. Luc. 11. Matt. 11. Luc. 8. Ioan. 9. Matt. 9. Luc. 9. Ioan. 11.

Ad hoc enim Filius Dei, ſine initio Deus; in fine ſæculi initium carnis ſumpſit ex Virgine & inter homines conuerſari dignatus eſt, vt huic Mundo ſuccurreret pereunti; quoniam (vt ipſe ait) *non erat opus ſanis medico, ſed male habentibus*: D Medicus enim mœſtitudinis domum potiùs quàm lætitiæ ingredi conſueuit. Aut enim vulnerum dolore afflictis neceſſarius eſt, aut ægritudinis morbo laborantibus, aut longa viſcerum tabe deſertis; quia medici officium proſperitas non requirit. Quid eſt ergo, quòd iſta Euangelij lectio quæ hodie recitata eſt, feſtiuitati nuptiali interfuiſſe Dominum perhibet inuitatum, niſi quòd ibi, vinum (id eſt, virtus lætitiæ ſpiritualis) defecerat; & languebant ſitientium conuiuatum ora, vini lætificantis inopia, quoniam *vinum lætificat cor hominis*, vt ait Propheta? Sed priuſquam Spiritualium ſcientiam reuelemus; rationem facti hiſtorialiter exponamus.

Pſal. 103.

Ideò nuptiarum celebritatem non aſpernatur Chriſtus, vt eundem ſe eſſe teſtetur Deum qui de limo terræ figurauerit ab initio virum & E fœminam, ijſdémque licentiam tribuerit coniugalem, dicens; *Creſcite & multiplicamini & implete terram.* Quod Manichæis perditis adeò diſplicet conſtitutum: quibus ego ob immunditiam ſuam puto non vtique rem nuptialem diſplicere; ſed legem quæ non multas fœminas vni viro, neque vnam fœminam multis viris, ſed etiam vnam fœminam vni viro coniungit: Nolunt enim viuere ipſi execrabiles Manichæi iuxta Apoſtoli Pauli doctrinam, *vt vnus quiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum.* Benedixit ergo quod conſtituerat à primordio legitimum Chriſtus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus: & tamen Virginitatem docuit eſſe meliorem, dum magis per eam naſci dignatur. Probauit ſanctam Virginem

Licentia coniugalis. Gen. 2. Perditorum Manichæorũ turpitudines. 1. Cor. 7. Virginitas matrimonio melior.

ſuum eſſe domicilium Deus, vbi lumen pudoris perpetuum ſeruet ingreſſus; dum ſine detrimento integri- A tatis maternæ naſcitur, ſine corruptela conceptus. Ideóque vas electionis Apoſtolus; ad iſtud bonum quod conſecutus fuerat, cæteros inuitabat dicens innuptis. *Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut ego.* Exemplo fœlicitatis, hortatur; non, Legis poteſtate, compellit; *de virginibus* (*inquiens*) *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do quaſi miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidelis, quia expedit homini ſic eſſe.* Et poſt longam monitionem qua caſtimoniæ beatitudinem conditioni præt ulit nuptiarum, ſententia poſtrema concluſit. *Igitur & qui dat virginem ſuam nuptui, bene facit; & qui non dat, melius facit.*

1. Cor. 7.

Quod ego arbitror non parentibus virginum fuiſſe à B. Apoſtolo dictum, quos conſtat alienæ voluntatis arbitrio dominari non poſſe, ſed vnicuique homini tam B viro quàm fœminæ optionem fuiſſe ab eodem ſancto propoſitam, vt virginem ſuam (hoc eſt; carnem ſuam, virginem natam) aut integritati conſeruet, meliorem partem liberámque eligens; aut agnita conditione, nuptui eam (ſi ſe non continet) tradat. Parentes autem vel conſanguinei quique Virginum tam puerorum quam etiam puellarum, nolo ſibi de ſupradicta libertate arbitrij blandiantur; quod alienis mentibus eos dominari non poſſe tractauimus. Imperare quidem perpetuam continentiam non poſſunt, quia res eſſe noſcitur voluntatis: ſed voluntatem tunc in melius nutrire poſſunt; & debitores ſunt vt moneant, vt hortentur, vt foueant; vt pignora ſua Deo magis geſtiant obligare quàm ſæculo, vt de propinquis ſeminis ſui, vel in Cleri ordine dignos C Altari diuino miniſtros exhibeant, vel in ſanctarum numero fœminarum puellas caſtimoniæ dicatas enutriant vt Eccleſiam Dei talibus nutrimentis ornantes, beatitudinem debitam conſequantur: Scriptum eſt enim, *Beatus qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Ieruſalem.* Iceſt autem præclaro huic eloquio Prophetali, & ſublimior intellectus; ſuo in loco, plena diſputatione pandendus. Sed quia in hunc Tractatum ſalubriter ſumus pertracti ſtudio caſtitatis, dum rationem pandimus cuius intuitu pertexerit Saluator ad nuptias, breuiter interim Neophytis noſtris ſalutare cõſilium ſuggeramus, ſpiritalem ſcientiam lectionis huius figuraliter explanandam, dictis ſubſequentibus oſtenſuri.

Parentes alienæ voluntatis arbitrio non poſſunt dominari.

Parentes, perpetuã continentiam filijs imperare non poſſunt, ſed debitores ſunt vt hortentur ad Clericatum.

Regeneratos vos eſſe per Baptiſmum, & renatos; nuncupatione ipſa qua Infantes vocamini, poteſtis ad- D uertere: Si qui igitur veſtrum, coniugio alligati, ſeruare virgines ſuas magis quàm nuptui dare deſiderant; ſic habeant coniuges, quaſi non habentes, & erit illis retributio magna apud Deum Dominum noſtrum, quòd talem ſuam carnem ſeruauerint qualis baptiſmi ſacramento renata eſt. *Hæc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniciam*: nam & ſi coniugio ſeruieris legitimo poſt lauacrum; non peccaſti: Caue ſolùm, vt aliter non derelinquas fidem; vt à fornicationibus fugias, iam Fidelis effectus. Hoc autem cuſtodire ita demum poteritis, ſi ebrietatem deuitetis & conuiuia inhoneſta, vbi turpium fœminarum colubrini geſtus concupiſcentiam mouent illicitam; vbi lyra ſonat & tibia, vbi omnia poſtremò genera muſicorum, inter cymbala ſaltantium E concrepant. Infelices illæ domus ſunt, quæ nihil diſcrepant à theatris. Auferantur quæſo vniuerſa iſta de medio. Sit domus Chriſtiani ac Baptizati hominis immunis à choro Diaboli; ſit planè humana, ſit hoſpitalis; Orationibus ſanctificetur aſſiduis, Pſalmis, hymnis, canticiſque ſpiritualibus frequentetur: ſit ſermo Dei & ſignum Chriſti in corde, in ore, in fronte, inter cibos, in lauacris, in cubilibus in ingreſſu & in egreſſu, in lætitia, in mœrore; vt iuxta beatiſſimi Pauli doctrinam, *ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid facitis, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti qui vos vocauit ad gratiam, faciatis.* Ipſe enim & præteritis peccatis indulgentiam tribuit, & emendatæ vitæ præmia pollicetur. Sed his pro communi ædificatione moraliter expoſitis; iam venio ad promiſſas allegorias ipſius Euangelicæ lectionis. Et licet ad explanationem myſteriorum Chriſti, idoneum me eſſe non arbitrer, qui necdum merear Beatiſſimi Pauli authoritatem præſumere dicentis; *quoniam loquimur non indoctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes:* deſidero tamen ex ea diuini Euangelij lectione cœleſtem vobis atque arcanam, prout Dominus largiri dignabitur, intelligentiam reuelare. Paulò antè enim, dum propoſiti ſermonis principium diſſerui cauſam pandens, propter quam Saluator ierit inuitatus ad nuptias; tranſcendi ad prædicabilem Virginitatis conſeruandæ tractatum, ibique aliquantulum videor immoratus: Nunc autem replicabo ipſam narrationem beati Euangeliſtæ, vt intellectum ſpiritualem opportuniùs requiramus in verbis. *Et die tertia*, inquit, *Nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & ibi erat Mater Ieſu, vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias; & vinum non habebant.* Quomodo conſumptum erat vinum nuptiarum? Verùm rei geſtæ hiſtoriam, vt oportuit cognoſcentes; iam quis iſte ſit dies tertius in quo factæ nuptiæ memorantur, ſpiritualiter exponamus. Dies lucis eſt, Fratres chariſſimi; & ideò præceptis Domini qui verum lumen eſt, æquiſſimè comparantur teſtante Propheta: *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et alibi iterum: *quomodo lux*, inquit, *mandata tua ſuper terram.* Vnde bene Saluator Dominus admonebat, in luce eſſe ambulandum, dicens: quod *ſi quis ambulat in die, non offendit, quia lucem Mundi huius videt.* Verè enim; ſi quis ambulauerit in luce præceptorum Dei, offendere nequaquam poteſt. Dies itaque fuit in mandato primus, ab Adam vſque ad Moyſen; ſecundus dies fuit ſub lege Moyſi; tertius dies eſt ſub gratia Saluatoris: In quo hodie Sponſus ipſe cœleſtis amator animarum credentium Dominus Ieſus, ſponſam ſibi ex Gentibus coniunxit Eccleſiam, cui annulum ſignaculi ſui & inaures fidei tribueret precioſas (*nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*; videlicet Filium, *quia in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: cuius Sponſus, idem Dei Filius Deus Verbum) Aurea quoque donaret dextralia; probabilium quippe operum, dextrorúmque factorum, nec non etiam cætera ſingillatim precioſa monilia largiretur; quæ ſpiritualium ſunt ornamenta virtutum. Et vt agnoſceres tertia hac die ſpirituales iſtas à Chriſto nuptias in plebe Gentium celebrari; non in Iudæa ſunt, ſed in Cana Galilææ: quod præter teſtimonium ſancti Eſaiæ, qui Galilæam gentium memorauit, ex interpretatione ipſorum nominum clariùs oſtendetur. Cana enim poſſeſſio dicitur: & Galilæa, vel volubilis, vel rota nuncupatur, ex Hebræo interpretata ſermone. Conſtat autem vel populum Gentium ab errore idololatriæ in quem fuerat olim deuolutus, nunc ad Chriſtianę veritatis cultum, celeritate rotæ cuiuſdam currentis ſe præparare. Vnde etiam figuraliter cecinit Propheta Dauid, locutus ad Deum; *vox tonitrui tui in rota:* Intonuit enim è cœlo Deus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam dicens; *hic eſt Filius meus dilectus in quo bene placui, hunc audite.* Cuius tonitrui vox hæret in cordibus plebis huius quæ ex Gentili ſuperſtitione ad fidem Domini Ieſu tanquam rota currens, velociter properauit. Quam ob cauſam etiam beatos Apoſtolos digne arbitramur à Chriſto filios tonitrui nuncupatos; Boanerges. Nã legimus alio in loco Euangelij quoſdã ex gẽtibus deſiderãtes appropinquare Chriſto, aditũ quæſiſſe per Apoſtolũ Philippum qui erat à Bethſaida Galilææ ciuitate; vt opinor, familiaritate confiſos: *Domine*, inquiunt, *volumus Ieſum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ*; Andreas & Philippus vadunt, & dicunt ad Ieſum; &c. His cohærent ea quæ ſuo in loco (vt meminit dilectio veſtra) minutatim diſſerui; vbi confeſtim Dominus legatos gentiũ gratulanter amplectens, & in paucis credẽtibus fidem præuidẽs innumerabilium populorũ; dixit Apoſtolis: *Venit hora vt glorificetur Filius hominis.* Et poſt pauca, vocem conuertens ad Pa-

Neophyti vocabantur infantes.

Continentia magna retributio apud Deum.

1. Cor. 7. 35.

Remedia contra incontinentiam. Infelices domus quæ non differunt à theatris.

1. Cor. 10. 31.

1. Cor. 2.

Io. 2.

Pſal. 18.

Io. 11.

Rom. 10. 17.

Pſalm. 76.

Matt. 17.

Marc. 3.

Ioh. 12.

Io. 12.

ad Patrem, inquit: *Pater glorificat nomen ſuum*; *ſtatimque vox de cælo veniens ait*: *& glorificaui, & iterum glorificabo.* Quam vocem Dei Patris circundantium Iudæorum turba audiens de excelſis cœlorum ſedibus reſultãtem, Pſalm. 6. tonitruum putat, quia verba non aſſequitur: populus enim ſecundum Prophetiam Sancti Eſaiæ, aure audiens & non audiens ſonum tantummodò diuinæ vocis audierat, ſine intellectu ſermonum.

Isa. 8. Apoc. 13. Ideòque Dominus in Euangelio, ad omnes; & in Apocalypſi, poſt doctrinam cœleſtem clamat. *Qui habet aures, audiendi audiat.* Nouerat quippe, vniuerſis ineſſe aures; ſed non omnibus, audiendi: neque enim computabitur audiſſe, qui cordis habitudine obtuſus, quid audiuit, ignorat. Apoſtoli autem, & per Apoſtolos ad fidem Chriſti currentes qui audiendi habebant aures, meruerunt intelligere diuina eloquia, pro magnitudi- Apoc. 4. 6. 8. 10. ne ſui (ſicut in Apocalypſi legimus) tonitruis compa- Matth. 4. rata, quandoquidem digni habiti ſunt, ad ſalutarem notitiam veritatis paterno teſtimonio cœlitus erudiri. Cana autem, parua ciuitas eſt in Galilæa gentium; in cuius Galilææ partibus ſita eſt & ciuitas Capharnaum, vbi beatus Euangeliſta Matthæus Chriſtum teſtatur habitaſſe, dicens: *Cùm audiſſet & Ieſus quia Ioannes traditus eſt, ſeceßit in Galilæam; & relicta ciuitate Nazareth* alterius ſcilicet Galilææ; *venit* (inquit) *& habitauit Capharnaum, maritimum oppidum, in finibus Zabulon & Nephtalim*, vt adimpleretur quod per Eſaiam Prophetam dictum erat.

Isa. 9. *Terra Zabulon & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem, Galilæa Gentium populus qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam; & qui ſedebant in regione & vmbra mortis, lux orta eſt illis.* Ioannes quoque Euangeliſta beatiſſimus Io. 4. memorat quòd Dominus Ieſus reliquerit terram Iudęã & abierit iterum in Galilæam, *oportebat autem tranſire* (inquit) *illum per Samariam*, vbi eum cauſa mulieris Samaritanæ aliquantiſper in ipſo tranſitu remoratum deſcribens, conſequenter adiecit: *Poſt biduum autem exijt inde & abijt in Galilæam. Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit* (inquit) *quia Propheta in ſua patria honorem non habet. Cùm autem veniſſet in Galilæam* (inquit) *ſusceperunt eum Galilæi viſis omnibus ſignis quæ fecit Hieroſolymis in die feſto, & ipſi enim venerant in diem feſtum; venit ergo* (inquit) *iterum in Cana Galilææ, vbi fecit de aqua vinum; erat autem quidam Regulus, cuius filius infirmabatur in Capharnaum: hic cùm audiſſet, quia Ieſus aduenit à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum & rogabat vt deſcenderet & ſanaret filium eius incipientem mori:* Quem ſtatim virtute ſermonis ſui, tanquam medicus cœleſtis, cùm ſanaſſet abſentem; taliter Sanctus Euangeliſta concluſit: *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cùm veniſſet à Iudæa in Galilæam.* Ergo vt ad interpretationem nominum, rationémque figuralem redeam: in Cana Galilææ; id eſt in poſſeſſione gentium; ſpirituales ſub Chriſti præſentia nuptiæ celebrantur, prophetia & Cant. 4. eius perſona loquente ad Eccleſiam in Canticis Canticorum; *Veni à Libano Sponſa; veni à Libano*: id eſt; à thurificatione illa Gentili. Nam Libanum thus interpretamur ex Græco; quod Magi illi ex Gentilitate venientes, Chriſto potiùs offerendum eſſe crediderunt. Libanus denique & mons eſſe arduus apud Phœnices cernitur; ſuperbo imperio gentium comparatus: vnde vel maximè Sponſa hæc vocatur Eccleſia, audiens vocem Chri- Cant. 4. ſti dicentis; *Veni à Libano Sponſa, veni à Libano*: id eſt; ve- Marc. 2. nies & tranſibis ab initio fidei, capite Sanir & Hermon; *& à cubilibus leonum, à montibus Leopardorum*; ſcilicet vt horrentis idololatriæ ſyluas deſerens & ſtabula immanium ferarum; Dæmonum quippe cubilia derelinquens ad omnipotentis Dei cultum properet, eiúſque complectatur fidem; qui eum diuini amoris gratia Sponſam vocare dignatur. Sed dicat aliquis: ſi Deus iuxta Apoſtoli 1 Tim. 2. doctrinam, *omnes homines vult ſaluos fieri & ad notitiam veritatis venire*: cur apud Gentes potiſſimùm, in conſummatione ſæculi iſtæ ſalutares nuptiæ celebrantur; & ſuperioris æui plebes diuino non ſunt copulatæ coniugio? Oſtendam tibi, dilectiſſime; & ipſum protopla- A ſtum Adam, diuinæ familiaritati fuiſſe coniunctum, perceptis ab ipſo Sponſo imaginis diuinę inſignibus, ſapientiæ & intellectus, vitæque perpetuæ ornamentis. Sed poſtquam lenocinante Diabolo fides eſt adulterata mãdati; immortalitas pariter cum libertate diuini amoris ablata eſt: fuit tamen vſque ad diluuium & vſque ad ipſam Legem, iuſtorum quorundam rediuiuus amor erga Deum, & Dei erga paucos ſanctos reformata coniunctio. Verùm quia præter raros quoſque (vt prædixi) ſanctos, fornicabatur omnis terra à Domino, & veſana libidine innumeros ſibi idolorum Deos generatio humana coniunxerat, elegit continuò Deus ſtirpem iuſti Exod. 20. ſeminis Abrahæ, & legitimas coniunctionis tabulas digito ſuo præſcriptas, inter ſe & illam plebem Moyſi miniſtro firmauit. Exinde illa plebs diuina præcepta con- B cipiens, & ſecuta prole ſanctorum, cœpit Deo (cuius poculum Deo meruerat) eſſe chariſſima. Sed proceſſu temporis nimium ſibi de Dei amore præſumens; per delicias ad luxuriam declinauit, & per luxuriam ad contemptum rebellionémque prorupit: itaque verberata eſt & frequenter & variè, quòd adulterijs ſuccubuerit idolorum. Nam ſæpè gladio, ſæpè captiuitati eſt tradita, ſed (ſicut ſcriptum eſt) noluit recipere diſciplinam, propter quod ad eam Deus loquitur per Prophetam: *Non vocaberis vltra mollis & delicata, ſed ſede* (inquit) *in terra, & accipe molam & mole.* Et quid poſt hæc omnia? Isa. 4. *Apparebunt*, ait, *opprobria tua.* Et iterum conqueritur de Isa. 57. ea Dominus apud Prophetam: *vidiſti* (inquit) *quæ fecit mihi habitatio domus Iſrael? abijt ſuper omnem montem excel- C ſum, & ſubtus omne lignum nemoroſum, & fornicata eſt illic* Hier. 2. *in Idolis; & machinabatur*, inquit, *lignum & lapidem, Et* Ezech. 6. *dixi poſtquam hæc omnia fornicata eſt, Reuertere ad me, & non eſt conuerſa & dimiſi eam & dedi ei libellum repudij.* Fugiamus obſecro ab idolis; ne repudiati, ſimiliter mereamur audire: Quem tamen acceperit Iudæa plebs libellum repudij audiamus. *Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis Prophetas* Matth. 23. *& lapidas eos qui ad te mittuntur, quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta, &c.* Poſt paſſio- Act. 13. nem quoque Domini, plenior libellus repudij ab Apoſtolis datur Synagogæ Iudæorum, cùm dicitur: *Vobis oportebat primum annunciari verbum Dei, ſed quoniam repuli-* Osea. 2. *ſtis illud & indignos vos iudicaſtis æterna vita, ecce conuertimur D ad Gentes ſicut mandatum eſt nobis.* Deſerta igitur ac repudiata Iudæorum plebe: noſtra ex Gentibus ſumitur in coniungium plebs, *Vocabo enim non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam.* Prædixerat Dominus per Prophetam ſanè, quoniam primo die ſub mandato, & ſecundo ſub Lege celebratæ, vt expoſui, nuptiæ fuerant: Ideò ſanctus Euangeliſta, non abſolutè ait *die tertia nuptiæ fiebant*, ſed coniunctione propoſita loquitur, *Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi.* Vbi? vtique apud Gentes! nam beatam Mariam conſtat de gente Moabitarum, ex matre traxiſſe originem. Matth. 1. Booz enim genuit Obed ex Ruth; vtique illa muliere Moabitide. *Obed autem genuit Ieſſe, Ieſſe genuit Dauid Regem*, de cuius ſemine naſcitur Ioſeph, cui deſponſata E virgo Maria; eiuſdem quippe tribus, quia aliter non licebat quæ genuit Ieſum qui dicitur Chriſtus. Ibi ergo erat mater Ieſu: vocatus eſt autẽ & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Magnum myſterium pietatis! Ipſe qui ſponſus eſt, inuitatur: inuitatur autem vocibus Prophetarum ita precantium, *Domine inclina cælos tuos, & deſcen-* Psal. 145. *de*: Et iterum: *Excita potentiam tuam & veni, vt ſaluos facias* Psalm. 79. *nos.*

Et his multæ ſunt orationes conſimiles, ſuppliciter inuitantium Prophetarum. Inuitantur etiam ſancti vnà cum Chriſto diſcipuli, velut amici fideles eiuſdem Sponſi cœleſtis, cùm dicitur per Prophetam: *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Psalm 18. Nam Spiritu ſancto repleti linguis erant variarum Gen- Act. 2. tium locuturi. Vnde ſpiritus Prophetalis ea quæ indu-

Digitized by Google

bitanter futura erant, quaſi iam facta pronuncians; addidit. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Et vt oſtenderet clariùs qui eſſent iſti, & cuius eſſent præcones, adiecit: *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Deinde ſequitur Euangeliſtæ narratio: *Et vinum non habebant.* Quòd conſummatum erat vinum nuptiarum; quia vinum ſancti Spiritus non haberent Gentes euidẽter expreſſit. Quòd autem dicit; *quia conſummatum erat vinum nuptiarum*, id eſt; *defecerat vinum nuptiarum*; non abſolutè, &c. non abſolutè dixit; & tu credas, his forſitan defeciſſe quibus adhuc datum non fuerat. Nec enim dixit; *defecerat eis vinum nuptiarum*; ſed, defeciſſe tantummodò ait vinum nuptiarum; tanquam ſi diceret nuptiale. Quapropter defeciſſe intelligitur vinum, non enim nuptiale vinum Spiritus ſancti ceſſantibus Prophetis qui miniſtrauerant in populo Iudæorum. Omnes enim Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt; nec erat quiſquam qui ſpiritale vino Gentes potare ſufficeret ſitientes: ſed expectabatur Dominus Ieſus, qui nouo vino vtres per Baptiſmum, nouos impleret. Nam *vetera* (inquit) *tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua*: ſic tamen facta ſunt omnia noua, vt origo maneret ex veteri, cùm non ex nihilo vinum, ſed ex antiquo aquæ gignitur elemento. Nec legem literæ exiſtimes eſſe temnendam, vnde Spiritus ſanctus (Ieſu operante) per Fideles meritos haurituг; & idcirco in diluuio antiquo homines perierunt, & nunc in Baptiſmo renaſcuntur, quia *litera occidit, Spiritus autem viuificat*. Sola quippe interficit litera; & Spiritu ſancto temperata, regenerat. Periſſe autem conſtat in illo diluuio omnes ipſius temporis homines, præter eos qui intra Arcam quæ typum gerebat Eccleſiæ reperiri meruerunt. Nam ſimiliter etiam nunc omnino ſalui eſſe non poterunt, qui ab Apoſtolica fide & ab Eccleſia Catholica fuerint alieni. Elaboret ergo omni ſtudio vnuſquiſque noſtrum permanere in domo Domini, exercens opera perceptæ gratiæ congrua. Oportet enim in nouum renatos hominem; à peccatis priſtinis iam cauere. Seruate (quæſo) vtres nouos, Neophyti; ne vitam veterem repetentes, vinum nouum (diſrupti) perdatis, rumpit enim vinum nouum vtres veteres, & vinum effundetur & vtres peribunt. Cuſtodite igitur regenerati homines integram nouitatem, & cœleſte vinum in veſtris vitibus conſeruate, & vos ipſos fideles cuſtodite, & conſeruate per Saluatorem generis humani Chriſtum Ieſum Dominũ noſtrũ, regnante cum Patre, & cum Spiritu ſancto ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſæcula.

Pſalm. 18. Io. 2. Matth. 11. Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. 2. Cor. 5. 2. Cor. 3. Gen. 7. *Extra Eccleſiam nullus ſaluabitur.*

TRACTATVS SECVNDVS DE LECTIONE EVANGELII; QVI *eſt in ordine nonus.*

EXPLANAVIMVS heſterno die charitati veſtræ, ex lectione Euangelica quæ Saluatorem noſtrum perhibet de aqua vinum feciſſe in nuptijs; primùm iuxta hiſtoriam geſti, quam ob cauſam ire dignatus ſit: deinde ſecundum ſpiritalem cœleſtis myſterij intellectum, quid eſſet primus dies, quis ſecundus, quis tertius, quæ nuptiarum ratio, qui Sponſus ille eſſet, quæue illa Sponſa, quis locus vbi hebant iſtæ nuptiæ, & quid non primæ illæ nuptiæ factæ ſint, & quamobrem ibi fuiſſe dicta ſit mater Domini Ieſu; deinde cur ipſe ſponſus inuitetur ad nuptias, vel à quibus, quomodò etiam Diſcipuli pariter inuitentur; deinde quid eſſet illud vinum quod non habebant, & quæ fuerit vini nuptialis defectio: & quemadmodum repudiat ob idololatriæ adulterium plebem Iudaïcam & Eccleſia Gentium diuino fuerit amori coniuncta: vnde cauendum nobis eſt (omni genere charißimi) ne aliquo rurſus idololatriæ contagio violemur, & non ſolùm repudiari, ſed & damnari in perpetuum mereamur; quoniam *ſi quis Templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt*, ait Apoſtolus, *quod eſtis vos; cauete attentius, ne ſicut Serpens decepit Euam aſtutia ſua, corrumpantur ſenſus veſtri à caſtitate quæ eſt in Chriſto Ieſu*; ſicut admonet idem beatiſſimus Paulus; & repellamur ab eo qui nos dilexit & dedit pignus ſancti Spiritus in cordibus noſtris. Teneamus ergo gratiam Spiritus ſancti, largo munere Sponſi cœleſtis infuſam, ne ad inopiam priſtinam reuertamur. De qua inopia, tunc in ænigmate ait mater Domini ad eum; *Vinum non habent.* Sed iam quid Dominus ei reſpondeat, attonitis mentibus audiamus. Ait illi Ieſus: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Iuxta intellectus ſimplicis rationem probare ſuffecerit, beatam Mariam virginem ſexus cauſa mulierem nuncupatam, ſicut in Geneſi de Eua ſcribitur; *& immiſit Dominus ſoporem in Adam & obdormiuit, & ſumpſit vnam de coſtis eius & suppleuit carnem in loco eius et ædificauit Dominus Deus coſtam quam ſumpſit ab Adam, in mulierem, & vtique in virginem figurauit illam, & adduxit eam ad Adam, & dixit Adam. Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro ſuo ſumpta eſt*: Sed dicat fortaſſe aliquis paruæ fidei ac parum prudens: Virginem quidem Mariam non ex viro concepiſſe Chriſtum, ſed Spiritu ſancto, vt in Euangelio ad eam loquitur Archangelus Gabriël; non tamen à Chriſto virginem dici vltra poſſe, quam conſtet edidiſſe partum: & ideò non dixiſſe Chriſtum; *Quid mihi & tibi eſt Virgo?* ſed, *quid mihi & tibi eſt mulier?* Audi ergo diuinam rationem, ſpei communia ac vitæ. Naſcitur Chriſtus non ſibi, ſed nobis: Naſcitur enim qui ſemper erat, naſcitur qui in principio erat & Filius Dei, & Verbum Dei, & Deus. Hic ideò prope finem ſæculi ex Virgine natus eſt, *vt Verbum caro factum habitaret in nobis*, permanens tamen Deus eſſe, quod ſemper. Naſcitur autem filius Dei in homine; vt vel ita conditorem ſuum intueri caperet Mundus; & naſcitur de Spiritu ſancto ex Virgine, vt hominem quem de limo terræ plaſmauerat; ſancto Spiritu, ex maſſa eadem reformaret. Si credimus conceptum Virginis; credere debemus & partum, vtrũque impoſſibile videtur homini; ſed eſt omnipotentiæ diuinæ paruum. Quid enim Deo magnum (vt omittam ſublimiora eius opera) qui ex nihilo fecit terram; & de terræ limo, carnem; & de carne viri, fœminam, ita vt neque pars reliquæ terræ aliud eſſet quàm fuerat, neque Adam minus haberet quod Deus abſtulerat, neque fœmina hoc eſſet tantùm quod ex viro ſumptum fuerat: integer Adam oſſa ſua & carnem recognoſcit in fœmina, dicens: *hoc nunc os de oſſibus meis & caro de carne mea*; & tu non vis, vt eum qui hæc operatur, integra Virgo vt filium recognoſcat. Qui ſine corruptela Matris conceptus creditur, cur non etiam ſine corruptela æditus præſumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem naſcendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Cuius facti fidem, ſi quis adhuc terrena cogitatione depreſſus, ſenſúque carneo præpeditus, tardiore gradu ſequitur, ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur; diſcat ex Euangelio Ioannis, eundem Deum poſt reſurrectionem ſuam, bis ad Apoſtolos vbi erant in domo congregati, propter metum Iudæorum, clauſis vtique ianuis introiſſe; & certò introgreſſus. Ne autem non in carne vera eſſe, ſed in phantaſmate putaretur; manus ſuas cæteráque membra Thomæ Apoſtolo attrectanda ingerit dubitanti. Similiter & in Euangelio beati Lucæ, ſimul diſcipulis omnibus conteſtatur, ingreſſus: *palpate me, & videte quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere.* O miranda fides! reſeratæ non ſunt ianuæ; & ipſe intrinſecus, cùm vero corpore Apoſtolicis non ſolum videtur oculis, ſed & manibus pertractatur! Veritas mirabilis facti, cuius rationem non niſi ſola fides aſſequitur, omnipotentiam clamat auctoris, nec ideò negabitur factum, quia magnitudinem diuini operis puſillitas mentis humanæ non tenuerit. Eadem ergo diuinitati

2. Cor. 11. Io. 2. Gen. 2. Luc. 1. Io. 1. Io. 21. Luc. 24. *Ianuis clauſis Chriſtus intrauit ad diſcipulos.*

nitatis virtute, per inuiolabilem fœminam, Mundi huius intrauit hoſpitium; clauſtrum Virginei pudoris etiã naſcendo conſeruans, qui poſt reſurrectionem ianuis obſeratis domum potuit corporeus introire. Illud etiã quæſtioni huic ſoluendæ quam maximè congruit, quod Apoſtolus Chriſtum memorat; *editum de muliere, factum* Gal. 4. *ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret:* Vtique vt ſic illa (cùm Virgo ſit) mulier appelletur, veritate ſexus, non detrimento integritatis; quomodò Deus Dei filius, ob diſpenſationem ſalutis noſtræ ſub lege factus eſſe prædicetur, cùm dator ipſe ſit legis. Io. 1. Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim; cùm illam Chriſtus mulierem nuncupauerit quæ diuino partu ſic cœpit eſſe Mater, vt Virgo ſacratior permaneret. Quod verò ait; *quid mihi et tibi eſt? nondum venit hora mea*; non mihi videtur illa reſponſio, ad iſtam ſuggeſtionem Mariæ ſenſibiliter conuenire, niſi in myſterio locutus eſſe ſpiritualiter Dominus dicatur, vt quoniam vinum Spiritus ſancti ante paſ- Io. 7. ſionem Chriſti ac reſurrectionem Gentibus dari non poterat (Euangeliſta teſtante; *nondum erat ſpiritus datus quia Ieſus necdum fuerat glorificatus*) *merito tunc inter initia ſignorum, matri reſponderit: quid mihi & tibi eſt mulier? nõdum venit hora mea*; tanquam ſi diceret: Quid tam præpropera eſt, tua (ô mulier) ſuggeſtio; cùm hora paſſionis meæ nondum aduenerit, qua perfectis omnibus vel doctrinæ vel operationum diuinarum virtutibus, pro vita credentium mori diſpoſui? Poſt paſſionem reſurrectionẽque meam, cùm ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus ſancti. Quapropter & ipſa beatiſſima; agnito reſponſionis huius profundo myſterio; intellexit, non ſuggeſtionem ſuam præſentem aſpernanter acceptam, ſed ſecundum illam ſpiritalem rationem in myſterio tunc dilatam. Cæterùm nunquam mandaret miniſtris; *quodcunque dixerit vobis facite*; niſi Spiritu ſancto poſt partum diuinum plena, non ſolum reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet, verùm etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini vniuerſum ordinem præuidiſſet.

B. Virgo poſt partum Spiritu ſancto plena.

Quid enim lateret ſapientiæ Matrem capacem Dei, ædem digniſſimam tantæ virtutis, veritate facti hiſtorialiter approbata? Figuras nunc ſpiritualiter propoſitas perſequamur; ſicut enim intellexiſti ſponſum & ſponſam, diem & dies, nuptias & locum; indigentiam vini; & cuius vini; ita etiam Matrem Domini figuraliter accipe, ſanctorum Patriarcharum & Prophetarum iuſtorúmque omnium plebem, vndè originem carnis noſtræ idem Dominus traxiſſe in Euangelio perhibetur, *Liber* enim *generationis Ieſu Chriſti*, ſcribitur, *Filij Abraham* & ſequentium reliquorum.

Mater Ieſu, myſticè quæ ſit.
Matth. 1.

Hæc ergo mater Domini, generatio Patriarcharum & Prophetarum interceſſit pro nobis Gentibus apud æternum Filium Dei, & ſecundum carnem natum; vt donaret nobis indigentibus cœleſtis vini lætitiam. Sunt autem ſimilia illis dictis quæ Apoſtoli ſuggerentes pro Chananæa Gentili quippe muliere, audierunt: *Non eſt bonum tollere panem filiorum, & dare canibus*; id eſt, Gentilibus: qui prius in ſuperſtitione poſiti, canum more conſueuerant immundum ſanguinem iddololatrarum lambere victimarum; contra Dominum Deum non agnitum, ore rabido oblatrantes. Nam canes eramus nos quondam Gentes, & filij erant aliquãdo Iudæi; & idcirco nolebat Dominus tollere panem filiorum & dare canibus: ſed poſtquam Panis ipſe cœleſtis in ſua *venit, & ſui eum non receperunt*; poſtquam cognoſcitur idem Dominus noſter ab Gentibus quondam canibus, & blaſphemo ore contra eum latratur à filijs; poſtquàm Pilato reſiſtenti ne Chriſtum (qui Rex eorum crederetur) crucifigendum pronunciaret, pariter clamauerunt; *nos non habemus Regem niſi Cæſarem*; cauſatur de illis iterum, ſic per Prophetam Deus; *Filios genui, et exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt.* Sed *conuertentur ad veſperum*, quomodo Propheta ait; *et famen patientur, vt canes.* Conuertentur quippe & ipſi Iudæi, ſerò tandem; ad veſperum ſcilicet Mundi. Nam ſcriptum eſt, *ſi fuerit numerus filiorum Iſraël ſicut arena maris, reſiduũ ſaluabuntur:* & Apoſtolus Paulus cæcitate percuſſum fatetur populum Iudæorum, donec introëat Gentium plenitudo.

Io. 1.
Ioh. 19.15.
Iſa. 1.
Pſalm. 58.
Rom. 9. 27.
Iſa. 10.
Oſ. 2.
Roma. 11. 25.

A Conuertentur autem in conſummatione ſæculi, & famem verbi Dei patientur, vt illi canes qui cupiebant ſaturari de micis cadentibus de menſa dominorum ſuorum. Adoptãtur igitur Gentes (priùs canes) in filios; & filij canibus comparantur: Belluæ quippe ſunt omnes increduli; non natura, ſed moribus. Et; *homo in honore conſtitutus non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus et ſimilis factus eſt illis.* Licet ergo Iudæi, maiore cum ſcelere ſacrilegis olim Gentibus ſimilia perpetraſſent; Chriſtus tamẽ eos quos nõ iam ſuo, ſed Patrum iuſtorum merito diligebat (quò ſcilicet iam indignos, adhuc tamen conuerteret) filios appellabat; & paterna pietate miſericors, nolebat relinquere. Nolebat ſe panem cœleſtem vitæ principem, ab ipſis citò ſubtrahere & gentibus commodare; donec B pertinax fides Gentilium, illorum perfidiam confutaret; & donec ipſe in carne adueniens doceret eos & inſtrueret, verberaret curationum beneficijs eos qui ingrati exiſterent, & iuuaret diuinis virtutibus; qui flecti ad fidem negligerent, condemnaret: & ita demum cõſummata in paſſione ſua, eorum nequitia; poſt reſurrectionem propriam migraret ad gentes quibus ſe ipſum panem vitæ tribueret, & per aquam Baptiſmatis poculum ſancti Spiritus propinaret.

Matth. 5.
Pſalm. 48.
Matth. 15.

Iam verò quibus miniſtris dicat mater iſta Domini Ieſu; *quodcunque dixerit vobis, facite*, & quid imperatum quidve factum ſit, videamus. Illuminante oculos carnis, ipſo Domino Saluatore, qui lumen eſt æterni luminis coæternum; præter beatam Mariam propriè matrem, cognouimus ſanctorum C Patriarcharum & Prophetarum plebẽ (originis Chriſti cauſa) eſſe matrem quæ legatione apud eum functa ſit pro noſtra inopia: nunc aduertamus, quibus miniſtris loquatur, *quodcunque dixerit vobis facite:* Miniſtros autem non illos ſecundum rei geſtum ſolos accipio, qui tunc in illo nuptiarum conuiuio miniſtrabant: ſed iuxta ſpiritalis rei commutationem, primò miniſtros noui teſtamenti, intelligo eſſe Apoſtolos; deinde Apoſtolicos ſacerdotes, quibus & lex & omnis ſanctorum Prophetarum doctrina inſinuat, vt quidquid præceperit eis Dominus Ieſus, obſequio prompto perficiant.

Miniſtri nuptiarum, myſticè qui ſint.

Iam quid ab illo iubeatur miniſtris; ſequens loquitur ſermo. Interim quid Euangeliſta interloquatur, auſculta: *Erant*, inquit, *ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem* D *Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.* Nuptiæ iſtæ quamuis in Galilæa Gentium gererentur, & haberent figuram quam diximus; tamen Iudæis tunc agebãtur, & erant ibi verè hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ternas. Nam Iudæi id moris habebant vt priuſquam Synagogam ingrederẽtur; de publico regreſſi domum, priuſquam prandèrent, cutem corporis ſui aqua abluerent. Erat autem menſura aquæ ad abluendum corpus ſufficiens, vel duæ metretæ vel tres, id eſt, amphoræ duæ vel tres, pro quãtitate ſcilicet magnitudinis corporum. Non poſſum parcere tranſiens purificationi Iudæorum immundæ: lauant polluta corpora, abluta ſtatim polluunt: ſemper lauant, ſemper impuri ſunt, & (vt dici ſo- E let) laterem lauant. Illum laterem quem parauerunt in Ægypto, Pharaoni Diabolo, exhibentes ſe ipſos arma iniquitatis peccato, ad conſtructionem hoſtilium ciuitatum. Terrei enim ſunt, & igneo Spiritus ſancti calore nequaquam ſolidati. Quapropter vſquequò deliqueſcant in mortem, laterem ſuum non deſinunt lauare polluendum. Quinimò porcorum more, de aqua in cœnum redeunt. Iſti ſunt porci, quos iratus Dominus legioni Dæmonum tradidit, vt præcipitarentur in lacum, morte necandi perpetua.

Exod. 1.
Iudæi porcis comparantur.
Matth. 8.
Matth. 8. 32.

Fugite immunditiæ exemplum, Neophyti, ne pœnæ participes exiſtatis. Vnum baptiſma nobis Apoſtoli, iuxta diuinam ſententiam decreuerunt: ait enim; *qui biberit ex iſta aqua, non ſitiet in æternum.* Abluti ſemel eſtis baptiſmo ſalutari; nolite de fonte in cœnum regredi, ſeruare donatam munditiem:

Io. 4.

Digitized by Google

Non poteſt iterari quod ſemel eſt amiſſum. Sed iam videamus quę ſint apud Gentes per allegoriam ſex illę hydriæ lapideę, capientes ſingulæ metretas binas & ternas. In vno quóque hominum ſex quædam ineſſe numerantur: viſus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, adtrectatio manuum, inceſſus pedum. Hæc omnia, cùm eſſemus gentes, lapidea erant in nobis & mortua, ſicut Sanctus Propheta Dauid execrando teſtatur, *ſimulacra gentium argentum & aurum*, ſtudio tacuit cæteras viliores materias metallorum, vt in pretioſis multo magis damnaret & vilia. Simulacra ergo Gentium, vt quo ſenſu vituperata ſunt, edicamus, quando ſatis opulentos fabricatores habuerunt: Erunt inquit, inſenſibilia metalla, *argentum & aurum, opera manuum hominum, Os habent & non loquentur, Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt: & quid? ſimiles illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Ergo vnum conſideremus in idolis, erant in nobis iſti ſenſus ſex iuxta ſententiam Prophetæ emortui atque lapidei, ſine officio, ſine motu congruo, ſine officio competenti: ſed mox vbi in Deum viuum à ſimulacris mortuis conuerſi credidimus, viuificati ſumus audientes ab ipſo: *quia ego viuo & vos viuetis.* Et iterum. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etſi mortuus fuerit, viuet & omnis qui viuit*, id eſt, qui iam credit, ſi vſque in finem crediderit, *non morietur in æternum.* Conuerſi igitur ad fidem & viuificati per Baptiſmum, oculos leuamus ad Dominũ, odorem notitiæ eius inſatiabili ſpiritu trahimus, tacitóque teſtamur affectu, *quoniam odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Lectiones diuinas aure percipimus, ore Dominum confitemur, laudamus, benedicimus, obſecramus, manus ſupplices ad cœlum tendimus, pedibus ad Eccleſiam currimus, & vnam Trinitatis Deitatem flexis ad terram genibus adoramus. Vocatis ergo Ieſus miniſtris, Apoſtolis videlicet, & eorum ſucceſſoribus qui ſunt per ſingulas Eccleſias, Sacerdotes, dicit eis, *Implete hydrias iſtas aqua:* Hoc eſt: *baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæ ego mandaui vobis.* Et planè, quia audierant idem miniſtri dicentem venerabilem Mariam, *quodcunque dixerit vobis facite*, impleuerunt eas vſque ad ſummum: plenitudine quippe doctrinæ infuſum Baptiſma cumulantes. Benè autem dixit, *vocatis miniſtris:* Nam Paulus vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei eſt: ſimiliter & omnes Apoſtoli, vocati ſunt: *Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum: Quos enim prædeſtinauit, et vocauit, et quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, hos glorificauit,* Vocatis igitur Ieſus miniſtris iniunxit opus celebrandi Baptiſmatis. Nec illud poſtrema parte huius ſermonis prætereo, quòd iſtæ hydriæ noſtræ capientes eſſe dicuntur ſingulæ metretas binas vel ternas. Super hoc aliqui noſtrorum dixerunt, metretas duas vel tres, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & quoſdam quidem ex Gentibus baptizandis, Patris & Filij tantùm ſcientiam poſſe capere quoſdam verò capaciores etiam Spiritus ſancti: Sed ego arbitror quòd qui Spiritum ſanctum nõ capit, neque Filium capiat neque Patrem: Neque enim Baptizari quis poteſt niſi in integram atque inſeparabilem Trinitatem, quoniam *nemo confitetur* proprietate naturæ eſſe (vt oportet) *Dominum Ieſum Chriſtum, niſi in Spiritu ſancto* Et, *nemo vadit ad Patrem, niſi per filium*, vt ipſe teſtatur: *nemo venit ad Filium, niſi Pater eum pertraxerit:* Igitur qui vnam Trinitatis adorandæ perſonam itt enuerit, denegabit integram Trinitatem. Ergo quum non ſit plus & minus in confeſſione fidei quæ traditur per Chriſti miniſtros in Sacramentu Baptiſmatis, videamus, hydriæ noſtræ quas metretas ſingulæ capiant vel binas vel trinas! ſanctus Apoſtolus Paulus ſcribens ad Corinthios, inter cætera ſpiritualium genera virtutum, quæ aboleri profectu meritorum neceſſe ſit, manſura in æternum tria hæc perhibet. Spem, fidem, & charitatem: *Manent* (inquit) *ſpes, fides, & charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.* Fides eſt qua Trinitatem vnius ſubſtantiæ confitemur, Spes eſt, qua Reſurrectionem carnis & præmia pro meritis futura ſperamus, Charitas eſt, qua ita Chriſtum diligimus vt pro eius nomine interfici, æquo animo patiamur. Sed quia omnes in fide Apoſtolica baptizati, credunt quidem in Trinitatem & ſperant futura; non tamen omnes cum ſancto Apoſtolo ex affectu dicere poſſunt: *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Idcirco quædam hydriæ noſtræ binas metretas capiunt; quædam vero earum ternas: largiatur autem Dominus Ieſus diues in omnes & ſuper omnes qui inuocant eum, vt ternas metretas (perfecti in charitate eius) etiam ſine aperto perſequutionis prælio capiamus; vt in dilectione Dei paratis mentibus ad omnem præſentium pœnarum tolerantiam, conſtantes poſſimus ex occulti certaminis triumphu illuſtrem coronam victricis conſcientiæ promereri. Ergo poſtquam beatiſſimi Apoſtoli, fidelium miniſtrorum functi officio repleuerunt hydrias credẽtium populorum, aqua venerandi Baptiſmatis, & Dominus Ieſus inuiſibili virtute hanc aquã conuertit in vinũ, ita vt Baptizati ab illis confeſtim diuini Spiritus in ſe operantis ſaporem repentina linguarum gratia teſtarentur; ex quibus prior Stephanus Martyr plenus gratia & veritate faciebat ſigna & prodigia magna in populo, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: *Tunc ait ipſe Dominus Ieſus iiſdem miniſtris; haurite nunc & ferte Architriclino, & tulerunt, Vt autem guſtauit Architriclinus*, inquit, *ex aqua vinum factum, & neſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam, Vocat ſponſum Architriclinus & dicit ei. Omnis homo primum vinum bonum ponit, & cum inebriati fuerint id quod deterius eſt, tu ſeruaſti bonum vinum vſque modo.* Explanemus primum facti ipſius hiſtoriam, & ita ad propoſitam rationem ſpiritualis intelligentiæ redeamus. Nuptiæ apud Iudæos cùm fierent; vnus (quantum traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret, pudoriſque curam gereret coniugalis; ſimul etiam conuiuiorum apparatui miniſtros atque ordinem diſpenſaret, & pro hoc officio Architriclinus (id eſt, triclinij præpoſitus) dicebatur. Huic ergo, guſtum vini ex aqua facti, iubentur conuiuiorum miniſtri portare: guſtat Architriclinus neſciens vnde eſſet; & vocato Sponſo, laudat ei ſaporem vini vſque in illud tẽporis reſeruati. His omnibus geſtis probatur virtus Saluatoris in hoc etiam ſigno non phantaſma fuiſſe ſed veritas; quando præpoſitus conuiuij non modò vinum, ſed & bonum vinum teſtatur eſſe quod ei guſtandum miniſtri (Domino iubente) portauerũt. Iam nunc ad ſpirituales literas; recurrentes, quis iſte ſit Architriclinus aduertamus. Architriclinum puto eſſe beatiſſimũ Moyſen, virum de tribu Leui, fidelem Dei diſpenſatorem in tota domo eius; qui non ſolùm in illis antiquis nuptijs illius plebis Iſraël quæ repudiari poſteà meruit, præpoſitus fuit; ſed etiam in iſtis quæ celebrantur in Gentibus Quis enim noſtrum ſine Architriclino Moyſe diſcere potuit, quoniam Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt, & non Dij? & ne abſolutum putes eſſe quod dicitur minus Deitatis ab ipſo; ibi Trinitas prædicatur, ſiquidem Dominum dicit Deum & Dominum. Non enim ſimpliciter dixit; *Audi Iſraël Deus tuus vnus eſt:* ſed quid? *Audi Iſraël Deus tuus, Dominus vnus eſt:* hoc eſt dixiſſe; vnus eſt in Trinitate Deus, vna eſt Diuinitas ac dominatio Trinitatis, manente vera diſtinctione ſubſiſtẽtium Perſonarum. Sicut etiam duæ alæ Seraphim, imaginem gerentes tam Legis & Prophetarum quàm veteris & noui Teſtamenti; hymnum referunt adorandæ Trinitatis, & iugiter clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Dominus*; non, *Domini*: neq; enim recipit pluralem numerum, Patris & Filij & ſpiritus ſancti vna eadémque diuinitas. Deinde; quis noſtrum (vt dixi) ſine Architriclino Moyſe cognoſcere valuit quòd in principio fecerit Deus cœlum & terram & mare, & omnia quæ ſunt in eis,

Marginal notes (left column): *Sex Hydriarum myſtica explicatio.* — *Pſalm. 113.* — *Io. 11.* — *Cant. 4. 10.* — *Curſus ad Eccleſiam. Genuum flexis & adoratio.* — *Matth. 28.* — *Sacerdotes per ſingulas Eccleſias, Apoſtolorum ſucceſſores.* — *Matth 28.* — *Rom. 1.* — *Matth 4.* — *Rom. 8.* — *Baptizandi munus commendatur Sacerdotibus vocatis.* — *Baptizãdum neceſſario in Trinitatem.* — *1. Cor. 12.* — *Io. 6.* — *Tres Metretæ quid ſignificant.* — *1. Cor. 13.*

Marginal notes (right column): *Præmia pro meritis ſperamus.* — *Rom. 8.* — *Act. 3. & 7.* — *Io. 2.* — *Sacerdos Aaronicus, nuptiarum celebritati præerat apud Iudæos.* — *Moyſes myſticus Architriclinus.* — *Deut. 6.* — *Eſa. 20.* — *Alæ Seraphim, legem & Euangelium ſignificant.*

Section letters in the margin: A, B, C, D, E.

in eis, & vnde homo figuratus ſit vir, vnde etiam fœmina ex quibus vniuerſa generis humani propago multi-
A plicata noſcatur? Deinde quæ fuerit prima indulti beatitudo Paradiſi; quod exordium culpæ hominis Deum prouocantis offenſa; denique, quænam generationes
Geneſ. 7. fuerint iuſtorum, quæve iniquorum; & cur vel quando diluuium, & cætera quæ in lege ſcripta ſunt Moyſi, acciderint: & vt breuiter dicam, cuius noſtrum anima diuino amori & ſponſo cœleſti Chriſto coniungi promeruit, ſine huius Architriclini apparatu? Ipſe enim Moyſes, qui prænunciauerat aduentum Chriſti populo Iſraël dicens; *Prophetam ſuſcitabit Dominus Deus noſter de fratri-*
Deut. 18. *bus veſtris ſicut me, illum audite per omnia quæcunque locutus fuerit ad vos. Erit autem, omnis anima quæcunque non audierit Prophetam illum, diſperiet de plebe.* At vbi vidit illos, conſtra Chriſtum quem prædicauerat, repugnare; con-
B tulit ſe ad Gentes, & vnà cum ſanctis Apoſtolis exprobrat populo Iudæorum; *vobis oportebat primùm annunciare*
Act. 13. *Verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, ſic enim mandauit nobis Dominus, Poſui te in lucem Gentium, vt ſis ad ſalutem vſque ad vltimum terræ.* Ergo poſteàquam de a-
Iſa. 42. qua vinum fecit in nobis Dominus Ieſus, vt oſtende-
Rom. 9. ret (ſicut ait Apoſtolus) diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ & baptizatos quoque, ſancti Spiritus ſapo-
Math. 8. re condiuit aquam legalis literæ per corda credentium conuertens in ſapientiam ſpiritualem. Tunc ait miniſtris; *haurite nunc, & ferte Architriclino.* Hauriunt Apoſtoli de hydrijs, baptizatorum Gentilium, Euangelici vigoris ſpiritalem ſaporem in fide gratiam caloris in ope-
C re: vnum ſentitur, alterum cernitur, & portant ad Moyſen. Quis enim ſacerdotum, miniſtrantem Chriſto omnem noui teſtamenti ſapientiam cum lege conferat Moyſi: quod ipſum Dominum & mandaſſe audiat & feciſſe perſpiciat? Nam eùm leproſum virtutis ſuæ attactu mundaſſet; illico eum tranſmiſit ad legem,
Math. 8. dicens; *Vade oſtende te ſacerdoti, & offer pro emundatione tua munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Guſtauit Architriclinus occultum Chriſti à ſæculis ſacramentum, quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis eius
Eph. 3. c. Apoſtolis & Prophetis in ſpiritu, eſſe Gentes cohæredes & cõcorporales & participes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium, cuius factus ſum ego (in-
D quit Paulus) miniſter. Participes igitur factæ ſunt Gentes per vnumquémque Apoſtolum Euangelicum miniſtrum, promiſſionis Dei in Chriſto: illius nempe promiſſionis quam priores conſecuti ſunt ipſi Apoſtoli, qui poſtea cæteris miniſtrarent. Nam eùm conuerſaretur cum illis Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam per dies quadraginta, ſicut in principijs actuum Apoſtolorum
Act. 1. Lucas Euangeliſta teſtatur; *præcepit eis ne ab Hieroſolymis diſcederent, ſed expectarent promiſſum Patris, quod à me audiſtis inquit, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem Spiritu ſancto baptizamini non poſt multos hos dies.* In Euangelij quoque ſui fine; ita eundem Dominum loqui
Luc. 24. ad ipſos Apoſtolos memorat: *Ecce ego* (inquit) *mitto promiſſionem Patris mei in vos, Vos autem ſedete in ciuitate quoad-*
E *vſque induamini virtute ab alto.* Quanquam ergo neſciat Architriclinus Moyſes, ex Baptiſmatis dono tantam gratiam fuiſſe collatam, quam non ignorabant Apoſtoli qui fuerunt miniſtri ſermonis: Admiratur autem, saporem Spiritus ſancti hydrijs ineſſe Gentilium; laudat Sponſi munificentiam, qui tale vinum ſeruauerit Gentibus. Quod vinum, anterioribus nuptijs Iudæi habentes, non ad ſalubritatem ſuam biberunt, ſed inebriati ſunt, etiam pernicioſa grauedine ſauciati, imbecilliores quippe mentibus, & virtutem diuini Spiritus
Pſ. 22. non ferentes: qui autem robuſtus in fide eſt, repletus Spiritu ſancto, non inebriatur. Ideò enim præclarum eſt poculum Dei inebrians, quoniam ſobrias efficit bi-
Eph. 5. bentium mentes diuini potus ebrietas; vnde Apoſtolus ait, *Nolite inebriari vino, ſed replemini Spiritu ſancto.* Nam

& Stephanus ſancto Spiritu plenus, non ebrius, *Vidit* Act. 7.
A *cœlos apertos & Ieſum ad dexteram Dei.* Propterea & beatiſſimus Petrus, ebrietatem deteſtatus eſt dicens: *Non* Act. 2.
enim, ſicut vos putatis (inquit) *hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia; ſed hoc eſt quod dictum eſt per Ioel Prophetam; & erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus, effundam de* Ioel. 2.
Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: id eſt; *in poſſeſſione Gentium; & ma-* Io. 2.
nifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Credẽtes omnes, Diſcipuli ſunt, ſed non Apoſtoli.
Nec hoc otioſum eſt, quòd *Diſcipuli*, ait; non, *Apoſtoli*: Nam vt multitudinem Credentium declaret; diſcipu- Eph. 2. 4.
lorum nomen poſuit, non Apoſtolorum. Sunt enim omnes qui credunt, eius diſcipuli; ſed, vt ait beatus Paulus, *nunquid omnes Apoſtoli?* Studeamus nunc & preceB mur (chariſſimi) vt poſt hoc initium ſignorum quod fecit Dominus Ieſus dando Spiritum ſanctum in cordibus noſtris; cætera quoque in nobis perficiat ſigna virtutum, alij datur enim ſermo ſapientiæ, alij verbum ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum, alij fides in eo- 1. Cor. 12.
dem Spiritu, alij ſanitatum in vno Spiritu, alij operatio virtutis, alij diſcretio Spirituum, alij Prophetia, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum; *hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus diuidens vnicuique prout vult.* Has igitur habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes ſanctificationem ſpiritus in timore Dei ſecundum Spiritum. Idcirco ex propriæ authoritatis arbitrio diſtribuere munera cœleſtium gratia-
C rum prædicauit Apoſtolus dicens: *Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult*; & non, *prout iubetur*; ne quis inimica perſuaſione deceptus, ſuſpicari audeat in illa Trinitatis adorandæ ſubſtantia, aliquid eſſe ſubiectum vel minus potens, vel ſibimet ipſi contrarium; cùm ſit Patris & Filij & Spiritus ſancti vna in omnibus & voluntas pariter & poteſtas, per omnia ſecula; Amen.
Nihil, in Trinitate, ſubiectum, imbecillum aut contrarium eſt.

INCIPIT ITERVM DE EXODI LECTIONE OCTAVVS; QVI EST IN ordine decimus.

EXPLICITIS his quæ propoſueram diſ-
D ferenda; tam de Exodi quam de Euangelij lectione; congruens aliquid diei Dominico reſeruaui, quod Deus in poſtrema parte illius lectionis vbi primum legem Paſchæ adnunciat, ſcribitur præcepiſſe. Nam poſt interminationem, quam dixerat; Exod 13.
Omnis qui manducauerit fermentatum à primo die vſque in ſeptimum diem, diſperiet anima illa ex Iſrael: & adiecit, di- Deut. 16.
cens; *Et primus dies vocabitur ſanctus, & ſeptimus dies vocatus ſanctus erit vobis; omne opus ſeruile non facietis, præterquam quod faciendum erit omni animæ.* Primum diem ſeculi eſſe, Dominicum diem; dies Sabbati ſeptimus probat, in quo requieuiſſe perhibetur Deus dicente Scri- Dominicus dies, primus eſt dierum ſeculi.
E ptura. *Et benedixit Deus diem ſeptimum, & ſanctificauit eum quia in eo requieuit ab omnibus operibus ſuis, quæ cœperat Deus facere.* Cautè loquitur Scriptura diuina, non abſolutè dicens requieuiſſe Deum ab operibus ſuis; ſed Gen. 2.
ab operibus quæ cœperat Deus facere. Non omnipotentem & imperio ſermonis cuncta facientem, laboraſſe exiſtimes, cum requieuiſſe & ceſſaſſe deſcribitur; eũm & alia voluntati ſuæ placita operari non deſinat: ſicut teſtatur in Euangelio dominus Ieſus dicens: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Requies igitur Io. 5.
Dei, non laboris remedium ſed cœptorum finis eſt operum; ſiquidem poſtquã perfecit Mundum, opus ſuũ Requies Dei, quam ſit.
regere non deſiſtit: Ipſius enim nutu, omnium rerũ natura curſum ſuum, vel iuſſa peragit vel prohibita ſubtrahit. Nam in diebus ſancti Noë, ipſius prouidẽtia pollu- Prouidentia Dei Mundus regitur.
tum variis iniquitatibus Mundum, vel cataclyſmo dele- Gen. 8 & 9

uit, vel poſt diluuium reparauit. [*Gen.18. & 19.*] Ipſe ſuper quatuor vrbes Sodomorum vbi maſculi in maſculos turpitudines [A] exercebant, ſulphur & ignem de cœlo contra morem pluit; vt quos ardor illicitus ad expugnandum ipſius naturæ morem ſuccenderat, igneus imber extingueret. [*Exod.12.13. 14.& 15.*] Ipſe genus Patriarcharum cùm delegit ex Gentibus populum ſcilicet Hebræorum; pro cuius libertate, Ægypti regnum nouem plagis afflictum decima interemit; ipſe diuiſit rubrum Mare, quando in murorum firmitatem liquentis elementi vnda diriguit; gelauerunt enim (tanquam murus) aquæ; gelauerunt fluctus in medio maris ſicut teſtatur in Exodo fides illius Cantici triumphalis. Ipſe ergo (inquam) diuiſit mare rubrum quod à Græcis [*Mare rubrũ Græcis, Erythræum.*] nuncupatur Erythræum; vt & plebi ſuæ tranſitum, & perſequentibus foueam præpararet. Egreſſis namque Iſraëlitis per fundamentum maris, ſicco veſtigio; & [B] Ægypiiis omnibus, eodem meatu poſt illos properanter ingreſſis; confeſtim proprium liquorem, ſtupentibus aquis, Deus qui abſtulerat reddidit; & armatas acies equitum, ipſúmque Pharaonem pariter cum quadrigis curruum totóque exercitu vndis obruentibus enecauit. Aquarum muri, qui credentem populum tuiti fuerant; hoſtilem manum, propria ruina proſternunt. Ipſe pluit Manna cibum ſuis cultoribus in eremo; qui [*Exod.16.*] ignem pluerat nefando ſacrilegio criminoſis: ipſe pluit Manna placidus, qui flammam pluerat indignatus. Sed quoniam ſingula per ordinem replicare, propoſitus primi ac ſeptimi dierum tractatus non cœpit; neceſſaria breuitate præteriens, pauca perſtringam. *Ipſe diſrupit* [*Exod.17.*] *petram & fluxerunt aquæ*; tot millibus hominum ſitien- [C] [*Pſalm.77.*] tibus in deſerto; proſtrauit infinitos aduerſariorum populos, plurima inimicarum gentium regna deleuit: Iordanem quoque ſiccauit fluuium, vt credentem po- [*Ioſ.3.& 4.*] pulum in terram repromiſſionis induceret. Ipſe Iordanem ſiccauit fluuium, qui arentem petram, fluminis [*Pſalm.112.*] verterat in liquorem: *à facie enim Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob, qui conuertit ſolidam petram in ſtagnum aquæ, & rupem in fontes aquarum.* Deinde legem quam dederat in Syna, conſtituit in Sion, auxit in Hieruſalem; & poſt offenſam dilecti populi, eandem porre- [*Ioa.1.*] xit ad Gentes. Nam poſtquam veniens in hominem Dei Filius *per quem hæc omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil*; ab ipſis ſuis quondam filiis quos protexerat & exaltauerat, non ſolùm repulſus eſt verùm etiam cru- [D] cifixus clamat vtique per Prophetam: *Filios genui & exal-* [*Iſ.1.*] *taui, ipſi autem me ſpreuerunt; agnouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael verò me non cognouit, & populus meus non intellexit*: tanquam ſi diceret, quoniam non cognouerunt olim bruta animalia Gentilium populorum, regnatorem cœli ſuúmque poſſeſſorem ac Dominum, humanorum peccaminum pannis indutum, & in [*Luc.2.*] anguſto Iudeæ præſepio collocatum; Iſraëliticus verò populus liberatorem ſuum non voluit agnoſcere: aufe- [*Iſa.1.*] ram (ſicut prædictum eſt) ab Iudæa & ab Hieruſalem, validum & validam: Verbum vtique incarnatum, virtutem panis & virtutem aquæ, virtutem cibi cœleſtis & virtutem aquæ regenerantis, & prudentem quinquagenarium; iubilæum ſcilicet remiſſionis annum: & ſapien- [E] tem architectum, Spiritum videlicet ſanctum per quem mihi ædificem Eccleſiam nouam ex Gentibus. Abſtulit enim Dominus cuncta ſalutarium munerum dona vel quæ tribuerat vel quæ promiſerat Iudæis ingratis; & cõtulit ad fidem ſuam prompto ſeruitio ex omni natione conuerſis. Quando ergo requieuit Dominus, qui ſemper eſt operatus, quem ex paucis operibus eius quæ tráſiens memoraui certiſſimè certi ſumus ſemper operatum, [*Opera Dei in elementis & hominibus.*] & quotidie operari perſpicimus? Nam quod elementa tam cœleſtia quàm terrena, humano generi, ſeruiunt; ipſius opus eſt. Quomodo enim non contemnerent exiguum terrenúmque hominem, niſi Creatoris ſui imperio obedirent? Nos ipſi etiam, quòd renaſcimur, quod hæc ipſa opera Domini ex parte nouimus, quòd viuendo vitam quærimus, quòd futurorum ſpem gerentes piè conuerſamur & loquimur; Dei (inquam) Dei ſunt opera. Cuius pietatis & hoc ingens opus eſt, quòd etiam malos atque incredulos patien- [*Pietatis diuinæ opus.*] ter ſuſtineat, clementer expectet: & ſi pœnituerint, ſicut miſericors Pater amplectatur. Requieuit planè tunc etiam Dei Filius ab omnibus operibus ſuis quæ cœperat Deus facere quando conſummatis mirabilibus vniuerſis, & impleto ſexto die omni opere Paſſionis, die ſeptima, id eſt, die Sabbati requieuit ſepultus. Sed quoniam Dei operoſa quies eſt, ipſa requies otioſa [*Deſcenſus Chriſti ad inferiora.*] eſſe non potuit. Nam corpore in ſepulchro ſepoſito Diuinitas cum anima hominis ad Inferna deſcendens, vocauit de locis ſuas animas ſanctorum, quorum corpora ſurrexiſſe Matt. Euangeliſta teſtatur dicens: *Et multa corpora ſanctorum dormientium ſurrexerunt, & exeun-* [*Matth 27.*] *tes, inquit, de monumentis poſt Reſurrectionem ipſius, intrauerunt in ſanctam ciuitatem & multis apparuerunt.* Deſcendiſſe autem Saluatoris animam ad Inferos viſitan- [*1. Pet. 3.*] dos, non ſolum Beati Petri Epiſtola: verumetiam Beati Dauidis Prophetia teſtatur, cum dicit. *Quoniam non dereliqnques animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum* [*Pſalm.15.*] *tuum videre corruptionem.* Filius enim Dei non idcirco cum ſuſcepti hominis anima ad Inferos deſcendit vt eam in inferno relinqueret, ſed vt plurimas reſurrecturis ſanctorum corporibus animas reuocaret. Ob hoc namque is, qui in forma Dei ſemper erat, formã ſerui ſuſcipiens, ſuſcepit & Crucem, vt die tertia reſurgendo, exceptam triumpharet mortem, quam perpeti omnino vitæ Dominum non liceret. Ergo quo- [C] niam poſt Paſſionem ſuam Dominus Ieſus illuceſcente Dominica, à mortuis erat reſurrecturus, & primam ſanctitatem primo Reſurrectionis ſuæ die collaturus: ideo lex antiqua prænunciat, *& primus dies*, inquit, *vocabitur ſanctus, & dies ſeptimus vocatus ſanctus erit vobis.* Primum diem Reſurrectionis vocandum perhibet ſanctum, ſeptimum iam vocatum futurum dicit ſanctum, ſeptimũ milleſimum ſcilicet annum, de quo ait Propheta ad Dominum. *Quoniam mille anni ante ocu-* [*Dies Reſurrectionis ſanctus.*] *los tuos ſicut dies vnus.* Ita igitur in primum diem Reſur- [*Pſal. 89.*] rectionis Chriſto miſerat transferenda feſtiuitas, & ſeptimi diei expectanda nobis eſſet, & requies ſimul & ſanctitas. Cum dicitur *primus dies vocabitur ſanctus*, ſtatimque adiicitur, *& dies ſeptimus vocatus, ſanctus erit* [D] *vobis, Omne opus ſeruile non facietis: præterquam quod erit faciendum omni animæ.* Quod enim primum diem Do- [*Opinatur Mundi conſummationẽ in ſexto millenario futuram quod multis aliis quoque viſũ eſt. Sed qua ratione ſit intelligenda iſta ſententia docemus abunde lib. 1. de Antichriſto.cap.28. 29.30.*] minicum diem nuncupamus ſanctum, credentes eum ſanctificatum Reſurrectione Domini Ieſu, expectamus etiam illum verè ſanctum diem ſeptimi milleſimi anni diem, qui adueniet & poſt iſtos ſex dies ſex milliũ, videlicet annorum ſeculi, quibus completis requies erit veræ ſanctitatis, & fideliter credentibus in Reſurrectione Chriſti. Nam nulla erit ibi pugna contra Diabolum, qui tunc vtique detinebitur ſuppliciis religatus. Nullum certamen contra vitia corporis, quod iam concupiſcentiis obnoxium eſt, erit: nam ſpirituale reſurget corpus, vt Apoſtolus ait: *Quod ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, quod ſeminatur in contumelia, ſurget* [E] *in gloria, quod ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, quod ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Et iterum poſt pauca, idem Beatiſſimus Paulus: *oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem, tunc fiet*, inquit, *ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria, Vbi eſt mors victoria tua? Vbi mors aculeus tuus?* Et quis iſte ſit mor- [*Rom. 7.*] tis aculeus, ipſius Beati Apoſtoli cohærens aperit ſermo. [*Rom. 5.*] *Aculeus autem mortis peccatum, virtus autem peccati lex eſt.* Aculeus quidem mortis peccatum, chariſſimi, quia per peccatum mors, virtus vero peccati lex, quoniam ſine lege peccatum mortuum eſt. Peccatum enim non imputatur, cum lex non eſt. Nam neque Adam fuiſſet [*Lex naturæ quæ ſit.*] mortuus, quod de fructu illius arboris manducauit, niſi contra vetitum manducaſſet, legem mandati contemnens, Neq; hodie aliquis reatũ peccati incurrit, ſi eũ non

adſtrin-

aſtringat, aut naturalis lex, aut mandati lex, aut literæ
lex. Naturalis lex eſt illa, quam Gentes legem literæ
non habentes, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, quia
rationabilis animæ humanæ natura, vt creatorem ſuum
ſentiat, vt proximum non lædat, vt non faciat quod
pati non vult, naturali quadam lege intelligit: vnde
Rom. 1. inexcuſabilis eſt omnis homo, qui vel authorem ſuum
negat, vel facit malum, quod per legem naturæ non
ignorat eſſe malum. Iterum lex mandati eſt, ab omni
fructu ligni, quod eſt in Paradiſo, ad eſcam, edes, ab
iſto autem non edas, & quæcumque ante Moyſen ver-
Gen. 2. bo tantum Dominus præcepiſſe cognoſcitur. Lex li-
teræ eſt: *Non occides, Non mœchaberis, Non falſum teſtimo-*
Exod. 20. *nium dices, &c.* quæ transacto iam dimidio numero an-
norum ſæculi, ideò per legem literæ prohibentur, vt
negligenti homini vel naturalem legem, vel mandati
legem, ſcriptum legis commonitorium traderetur, &
haberet obliuio pedagogum, diſſimulatio compulſo-
Gal. 3. rem, dicente Apoſtolo: *Quoniam lex pedagogus noſter*
fuit in Chriſto, lex autem ſiue naturæ, ſiue mandati, ſiue
literæ, tunc dominatur homini, quando ætas eius capax
eſſe cœperit legis. Et hinc eſt illud, quod Apoſtolus
Paulus ex Iudæis parentibus natus, Hebræus quippe
Rom. 7. ex Hebræis ait. *Ego autem viuebam ſine lege aliquando*, vt
oſtenderet ſolam infantis ætatem ſine lege viuere, quæ
nondum capiat legem, ſed mox vbi venit lex, inquit,
peccatum reuixit: ego autem mortuus ſum, hoc eſt
dixiſſe peccatum quod erat ignoranti mortuum, viuere
intelligenti cœpit, & ego qui viuebam priùs ſine lege,
factus ſum morti obnoxius, niſi declinauero peccatum,
quod iam mihi intelligenti mortem generat, & incipit
mandatum quod mihi ad vitam datum eſt, hoc eſſe ad
mortem. Ille ergo ſeptimus milleſimus annus, vt ad
propoſitum caput redeam, ipſe erit verè beatiſſimus
dies, quando agonis huius, quem nunc patimur de-
ſinente conflictu, optatam victores requiem capient,
ac fœlici ocio perfruentur: nullum ſeruile opus ibi, &
nullum peccati opus facientes. *Quia qui facit peccatum,*
Io. 8. *eſt ſeruus peccati*, vt ait Saluator, ſed hoc planè ſolum
facient, quod faciendum erit omni animæ ſanctæ, ſci-
licet vt copulati agminibus Angelorum, perpetuos
hymnos, & gratiarum actiones Domino noſtro referant
in æternum. Sanè iuxta hiſtoriæ rationem, præceptum
Iudæis fuerat, vt diebus Sabbati ab omni opere pec-
cati quieſcerent, & ea ſolùm quæ animæ congruebant,
exercerent: ſed quoniam hac ſalutari obſeruatione ne-
glecta, omnem Sabbati legem ad otium luxuriámque
contulerint, palam eſt, vnde odiſſe ſe Deus iam non
Iſa. 1. ſua, ſed illorum Sabbata conteſtatur. In Euangelicis
lectionibus fraternitati veſtræ frequenter expoſui, vbi
Saluatorem Sabbatum violaſſe Iudæi vecordes incu-
ſant, quem nos impleuiſſe magis legem Sabbati ipſo-
rum operum, quæ Sabbatis celebrauit, euidenti pro-
batione docuimus, non aliunde inſtructi, niſi ex ipſa
lege, quam pariter legimus cum Iudæis, Scriptum eſt
Exod. 12. enim, *Vna lex erit indigenæ & aduenæ.* Indigenæ procul-
dubio Iudæi erant, Patriarcharum ciues & Propheta-
rum: aduenæ autem, qui Græco ſermone appellantur
Eph. 2. προσήλυτοι, Nos vtique eramus Gentes, vt ait Apo-
Ibidem. ſtolus, peregrini atque hoſpites Teſtamentorum & pro-
miſſionis eorum, ſpem non habentes, & ſine Deo in
hoc mundo. Sed poſtquam credidimus, dicit nobis
Ibid. idem Beatus Paulus: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed*
eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei. Vna ergo nobis cum
Iudæis eſt lex, ſed illi eam carnali ſenſu excipiunt, nihil
ibi ſpiritualis intelligentiæ requirentes: Nos verò in
ea Chriſtum reperimus, in quo ſunt omnes theſauri ſa-
pientiæ & ſcientiæ cæleſtis abſconditi. Denique in hac
Coloſſ. 2. etiam lectione Exodi, quæ ordinem celebrandæ Paſchæ
diſponit vnum Dei agnum cum omnibus myſterijs vitæ
noſtræ inuenimus, ipſum cognoſcentes Dominum ve-
rum & hominem, Dominum gregis & ouem paſtorem

ſimul & paſcua. *Miſericors enim & miſerator Dominus ſemet-* Pſal. 110.
A *ipſum dedit eſcam timentibus.* Nam totius obſeruantiæ ve-
teris legem, per gratiam filij Dei, in veritate noui Teſta-
menti cognouimus eſſe completam, probantes, quo-
modo Paſchæ lex, quæ per Moyſem fuerat data, gratia Ioan. 1.
& veritas per Ieſum Chriſtum facta, cui omnis honor,
virtus & gloria, cum Patre & cum Spiritu ſancto per
omnia ſæcula, Amen.

INCIPIVNT EXCEPTI TRACTATVS DE DIVERSIS CAPITVLIS, quorum primus eſt de paralytico: & in ordine vndecimus.

MEMINI me ſuperiore tractatu ſanctæ di-
B lectioni veſtræ pollicitum, quod adiuuan- Ioan. 7.
te Domino pleniùs explanaturus eſſem,
quam ob cauſam vnum ſe opus feciſſe Do-
minus teſtaretur. Vnde plebis ignauiſſima
Iudæorum, ſcrupulum paſſa, & iniquiſſimo furore ſuc-
cenſa, benedictionis datorem, maledictis blaſphemis
pulſauiſſet, dicens: *Dæmonium habes. Quis te quærit inter-*
ficere? & inſuper vitæ Dominum necis tradere ſuppli-
cio, cogitaret. Probauimus quidem iſtius Euange-
liſtæ teſtimonio, non vnum, ſed multa & innumera-
bilia à Chriſto fuiſſe opera celebrata. Sic enim in fine
libri conſcribit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus,* Ioan. 21.
quæ ſi ſcribantur per ſingula, arbitror nec ipſum mundum ca-
pere eos libros, qui ſcriberentur, poſſe. Sed fortaſſe dicit ſtu-
dioſus auditor. In primis partibus Euangelij loquitur
C Dominus: *Vnum opus feci, & omnes miramini.* In ſubſe-
quentibus ille virtutum cumulus celebratur: & idcircò
nihil quæſtionis ſuper hoc videlicet eſſe relictum. Ve-
rùm, ego ab iſto ſermone ſuperiora libri huius dicta re-
cenſens, inuenio plurima vſque in hunc locum Euan-
gelij Chriſtum Deum noſtrum miranda opera confe-
ciſſe. Iam Nathanaelem viderat priuſquam ſub ficul-
nea conſtitutus à Philippo vocaretur: iam liquorem Ioan. 1. 2. &
ſimpliciſſimum perlucentis aquæ in colorem ſaporém- 3. 4. 5. & 6.
que vini, ſua poteſtate conuerterat: iam Reguli filium
morientem cœleſtis medicus, priuſquam viſitaret, dum
rogaretur verbo ſanauerat. Iam Samaritanæ illius mu-
lieris vitia occulta prodiderat, & confeſſam ſpirituali
fonte mundauerat: iam paralytici membra per triginta
& octo annos emortua vnius vocis præcepto curauerat,
D vel potius reformauerat. Iam quinque millium homi- Marc. 6.
num famem quinque panibus hordeaceis, & duobus Math. 14.
piſcibus ſatiauerat, maiore miraculo conuiuium ſol-
uens. Amplior enim cibi appoſiti quantitate reliquia-
rum cumulus inuenitur tot populorum famelicis co-
hortibus ſatiatis. Iam mare pedibus ambulauerat; ita
vt plantas gradientis, tumens vnda non tangeret: ſed
in catalogo iſto virtutum, adhuc vnum fecerat opus;
quod, frementi contra ſe imperito populo Iudæorum,
quaſi veriſimilem ſæuiendi aditum dediſſe videbatur;
quòd ſcilicet paralyticum curaſſet in Sabbato, cùm lex
otium Sabbati imperaſſet. Itaque Chriſtus, qui *legem* ve- Ioan. 5.
terem *non ſoluere* venerat, ſed implere; tanquam violati Math. 5.
Sabbati reus, inſectationem perpetitur Iudæorum. Co-
E gor hoc loco (fratres chariſſimi) omiſſa præſenti lectio-
nis ſerie, rationem Sabbati explanare, ne iuſta credatur
fuiſſe contra Iuſtum perſequutio iniquorum. Nam Pa-
ralyticus ille qui die Sabbati à Chriſto curatus eſſe me-
moratur; ideò calumniam patitur à Iudæis, quòd ipſa
die qua ſanatus fuerat, lectum ſuum portare videretur.
Sabbatum eſt, inquiunt, *& non licet tibi portare grabatum* Ioan. 5.
tuum: Reſpondit curatus; *qui fecit me ſanum, ille mihi dixit:*
tolle grabatum tuum & ambula. Et in ſubſequentibus; *Ieſus*
eſt (inquit) qui fecit me ſanum. Rudis adhuc ex infirmi- Ieſus, quid
tate Iudaïca, ſed iam gratus de ſalubritate recepta; quo- ſignificet.
niam non præualet calumniantibus facti præſtare ra-
tionem; præcepti atque operis demonſtrat authorem;

D

Qui fecit me ſanum, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula: & adiecit; *Ieſus eſt* (inquit) *qui fecit me ſanum:* A vel, filius Dauid eſt qui fecit me ſanum; vel, filius Ioſeph qui fecit me ſanum. Hæc enim omnia vſitata erant in populo tunc temporis, de Chriſto Domino Saluatore. Sed quid? *Ieſus eſt* (ait) *qui fecit me ſanum:* ſciebat enim; ſciebat, vtpotè Hebræus, nomen *Ieſus* ex virtute deſcendere ſanitatis, Saluator ſiquidem dicitur Ieſus, ſicut declarat Angelus, cum per ſomnium de Chriſto loquitur ad Ioſeph. *Vocabis* (inquit) *nomen eius Ieſum, ipſe enim* *Matth. 1.* *ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ille* ergo (inquit) *me fecit ſanum*, cuius & nomen ſalus eſt. Et quomodò poterit Salus per præſcriptam legem prohiberi ne ſaluet? Videamus tamen (fratres chariſſimi) ſi vel ipſa lex, ocio Sabbati, ſalutis opus excluſit. *Sex* (inquit) *Exod. 20.* *diebus facies opera tua, ſeptimo autem die Sabbatum eſt Domini tui; Non facies in eo vllum opus, niſi quod ſit pro omni anima.* B

Sabbati ratio & obſeruatio. Procliuum eſt ex voluntate humanum genus, & maximè, Iudæorum ad carnalia opera potiùs, quàm diuina, & idcirco conſtitutus eſt vnus in hebdomade Sabbati dies, in quo à carnalibus ceſſare cogerentur, & vacare ſolùm diuinis. Nam neque cibum coquere, neque iter facere in Sabbato concedebatur; ne quis ſub prætextu neceſſitatis humanę, pręponeret terrena diuinis. Verùm poſteaquam Iudæi, neglectis ſpiritualibus negotijs, quæ pro animæ ſalute Dominus agenda præceperat, omnia legitima Sabbati ad ocium luxuriámque contulerant; clamat ad eos continuò Dominus per Prophetam: *Iſa. 1.* *Neomenias veſtras, & Sabbata veſtra, & diem magnum non ſuſtineo; ieiunium & ferias veſtras, & dies feſtos veſtros odit anima mea.* Sabbata (inquit) veſtra; non, mea: non C enim ſunt mea quæ geritis. Meum ieiunium & mea Sabbata quæ ego ſeruanda præcepi, ieiunare iubent à vitijs, ceſſare ab operibus malis, & bonis actionibus inhærere: At, è contrario; veſtra Sabbata veſtráque ieiunia, & litibus inquieta ſunt, & illecebris & luxurijs plena. Ipſe ergo Legis dator in homine veniens; cùm operaretur pro omni anima opera ſalutis (in Sabbato enim docebat) quod prouida ratione præceperat; nec deſtruebat legem, ſed potiùs adimplebat legem: ſcriptum eſt enim, *Non facies vllum opus tuum in Sabbato: tuum* (inquit) *opus; id eſt, humanum.* Et adijcitur; *niſi quod ſit pro omni anima:* ſiue omni animæ, & ad ſaluandam animam. Ideóque legimus priores iuſtos, in lege, *Ioſ. 6.* pro ſalute animarum Sabbatis operatos. Septem die- D bus Ieſus filius Naue iubente Domino circuiuit ciuitatem Iericho, cum Leuitis & Sacerdotibus Arcam portantibus Teſtamenti; & cadunt hoſtiles muri, motu diuino, vt animæ Iudæorum de belli diſcrimine liberentur: In ſeptem verò diebus etiam Sabbatum numerari, à quolibet die computare incipiens deprehendes. *Matth. 12.* Itaque, cum dicitur; *Ieſus eſt qui fecit me ſanum;* admonentur Iudæi, ex nominis communione opera non condemnare ſimilia. Ideóque Chriſtus Dominus; cum aut aridam manum, aut hydropem, aut paralyſim curaret in Sabbatis, tanquàm verè Dominus Sabbati; rem ſuam Legis ſuæ teſtimonijs tuebatur, dicens ad Iudæos: *Chriſtus Sabbatis cur operabatur.* *Licet Sabbatis benefacere animali; animam ſaluam facere, aut perdere?* In hunc ſenſum Legis (vt arbitror) quem ſupra E expoſuimus, eos introducere volens, ſimúlque exprobrans quòd non intelligerent quid eſſet opus ſuum; &, *niſi quod ſit pro omni anima.* Operatur ergo pro ſalute animæ, Chriſtus in Sabbato; & operatur in Sabbato, & implet legem dum conditionem interpretatur Legis; dum operum differentias illuminat, dum fecit quæ lex de Sabbati ferijs exhibet; dum ipſum Sabbati diem benedictione ſua ſanctificatum, beneficijs ſuis efficit ſanctiorem. Nam diuina in eo præſidia omni animæ credenti largitus, opera debita Sabbato reddidit: Vt autem cum Patre, qui tunc etiam operaretur in carne; ait illis: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Et prop- *Ioan. 5.* tereà iniquè magis perſequebantur eum Iudæi, quia non ſolùm ſoluebat Sabbatum, ſed quia & Patrem ſuum dicebat Dominum, æqualem ſe faciens Deo. A Euidenter docuit B. Euangeliſta, æqualem Deo Patri eſſe eum qui verus Filius eius ſit, proprietate naturæ. Licet ergo veterum documenta præceſſerint; nihil tamen huiuſmodi affectionis Dominus geſtiuit opponere; ne quoniam rara ſunt & antiqua, vel incerta apud quoſdam vel fortuita crederentur; ſed quotidianis & vſitatis exemplis eos repercutere magis voluit; vnde ſe iuſtiſſimè vel refutatos, vel etiam confutatos negare omnino non poſſent. *Vnum opus feci*, inquit, *Io. 7.* *& omnes miramini.* Quod illud opus? quia Paralyticum curaui in Sabbato: & adiecit; *propterea Moyſes dedit vobis Circunciſionem, non quia ex Moyſe*, inquit, *Circunciſio, ſed* *Gen. 17.* *ex Patribus;* id eſt, ex Abraham qui primus circunciſus eſt, & ex cæteris Patriarchis: Et in Sabbato (inquit) B circumciditis hominem. *Si circunciſionem* (inquit) *accipit homo die Sabbati, vt non ſoluatur lex Moyſi; mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbato? Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate;* tanquam ſi diceret: Præcepit lex, hoc ſolùm quod pro anima eſt opus faciendum in Sabbato. Et de Circunciſione eadem lege præcipitur, quòd quicumque non circumciderit octaua die natiuitatis omne maſculum; eradicabitur anima illa de populo ſuo. Ergo pro anima eſt, quòd Sabbatis circumciditis hominem; pro anima eſt itidem, quòd & ego hominem totum ſanaui in Sabbato: licet ergo pro anima opus fieri in Sabbato bonum. Quò ſi me in iſto opere violaſſe Sabbatum iudicatis; voſmetipſos indeſinenter violati Sabbati reos eſſe decernitis. *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum* *Io. 7.* C *iudicium iudicate:* *Chriſti patientia.* Tam rationabili patientia vincit inimicos Dominus noſter Ieſus, qui vtique in hunc Mundum vt patiendo vinceret, à Patre deſcenderat. Sed conſideremus breuiter poſtremi huius dicti virtutem: *Nolite*, ait, *ſecundum faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate.* Generalis (vt opinor) iſta ſententia, eſt retinendæ æquitatis magiſtra, omnibus poſita, multis nota, paucis dilecta. Præcipitur enim ne huius ſæculi diuitum perſonis adulantes, iniquiſſimo iudicio faueamus *Peccatum ſilentio timido non nutriendum.* incredulis, & impios, incredulos, rapaces, luxurioſos, inhoneſtos, non ſolùm timido ſilentio nutriamus, verum etiam omni reprehenſione dignos iniuſtis laudibus prædicemus: vel quòd eſt omni fœditate deformius; turpia lucra captantes, alienæ pecuniæ notabi- D liter ſeruiamus, Chriſtianæ libertatis obliti: néve carnalis cuiuſquam formæ pulchritudine illecti, à regione veritatis rectæque ſententiæ ſiniſtro iudicio moueamur; cùm de contemnendis opibus ſcriptum ſit: *Diuitiæ* *Pſal. 61.* *ſi affluant, nolite cor adponere:* Et de negligendo carnis de- *1. Reg. 16.* core Deus ad Samuëlem Sacerdotem loquatur, electurum Regem de filijs Ieſſe, ne admiratus fueris (inquit) proceritatem ſtaturæ, vel pulchritudinem vultus eorum, quoniam *homo videt in faciem, Deus autem videt in cor.* Et idcirco Beatus Dauid minimus atque contemptus, oleo ſanctificato ſublimatur in regnum; & ſe ex humilitate per Dei gratiam, ad ſummum creuiſſe faſtigium dignitatis, peculiari carmine gloriatur dicens: *Puſillus eram inter fratres meos, &c.* Vtiliter ergo per omnia E Chriſtus ait; *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iu-* *Ioan. 7.* *dicium iudicate.* Et quis noſtrum (chariſſimi) ad ſingula quæ prædixi ſeruanda idoneus inuenitur? *Beati qui cu-* *Pſal. 105.* *ſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.* Igitur cum generalis (vt ſuprà dixi) ſit iſta ſententia; ſpecialiter tamen dirigatur ad Iudæos; qui Chriſtum mirabilia facientem, hominem ſolummodò ex facie iudicabant, Deum verò in virtutibus non videntes; Hæreticos etiam Dei filium blaſphemantes, non mediocriter ſententia iſta contundit; quòd humilitatem ſuſceptæ carnis intuiti, immenſæ Diuinitatis conentur metiri ſubſtantiam. Nos autem (Fratres) *gratia eius ſaluati per fidem*, iu- *Eph. 2.* ſtum iudicium iudicemus, æquitatem ſeruantes in omni actione conuerſationis noſtræ. Eſt enim rationabilis animæ iuſtum iudicium, vt eligat Deo magis ſeruire

quàm

Digitized by Google

quàm ſæculo, vt ſtatuat mandatis Chriſti obſequi, non diaboli conſilijs deprauari; vt ſpiritualibus inhærere decernat ſtudijs, nō carnalibus vitijs implicari; & vt æternā beatitudinem futurorum breuiſſimis mundi voluptatibus iudicet præponendam. Recti itaque cordis æquo iudicio gradiamur in omnibus præceptis & iuſtificationibus Domini, vt poſſimus vitæ æternæ conſortium promereri ab ipſo Dei filio ſempiterno; cuius omnipotentia, cum Patre & Spiritu ſancto permanet in omnia ſæcula, Amen.

DE EO QVOD AIT DOMINVS Ieſus; *Nunc iudicium eſt huius Mundi;* Tractatus 12.

POST illam Dei Patris vocem qua glorificatum Filium rurſus glorificandum dixerat, vbi Saluator locutus eſt ad circunſtantes turbas; quod proximè diſſeruimus, huius teſtimonium vocis, non ſui cauſa honoris, ſed noſtræ fidei inſtruēdæ gratia fuiſſe delatum: quid ſtatim ſubſequens idem Dominus adiecerit; textus huius, quæ modò decurſa eſt, indicat Euangelicæ lectionis. *Nunc* (inquit) *iudicium eſt huius mundi.* Conſiderandum puto (fratres Ioan. 12. chariſſimi) cuiuſmodi dixerit tunc imminere iudicium. Si de futuro iudicio quo per ignē iudicabitur hic mundus, ſentiri voluiſſet; non dixiſſet, *nunc eſt*, ſed dixiſſet, *nunc erit*: verùm quia de præſenti loquebatur iudicio, intueri conuenit quod fuerit illud præſens mundi iudicium. Nunquid in primo aduentu ſuo Chriſtus mundum iudicaſſe exiſtimabitur; quem potiùs ſaluaſſe cognoſcitur, ſicut ipſe teſtatus eſt dicens: *Non enim miſit* Ioan. 3. *Deus Filium ſuum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum.* Et in Euangelio B. Lucæ legitur; cùm quidam vicus Samariæ noluiſſet ſuſcipere Saluatorem, indignè ferentes Apoſtoli Iacobus & Ioannes dixerunt ad eum: Luc. 9. *Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo ſuper eos & conſumat eos, ſicut Elias fecit? At ille indignatus prohibuit. O ira miſericors!* quid eſt ergo quod ait; *Nunc iudicium eſt huius mundi?* Iudicium (fratres) dupliei ratione poteſt intelligi: Nam & decernentis ſententia, iudicium dicitur; & ſupplicium patientis dicitur pœna: iudicium alterum agentis eſt, alterum patientis. Iudex facit iudicium, reus ſubit; id eſt, patitur iudicium. Mundum verò, cùm dicit Scriptura, aut facere aut pati iudicium; non elementorum irrationabilium naturas indicat, ſed accolas Mundi ſignificat: ſicuti cùm domus Iſraël dicitur; non parietes vel tecta, ſed homines Iſraëlitæ monſtrantur. Ergo dominator omnium Chriſtus, poſt inuſitatum ſacræ Virginis partum, poſt odorata munifico Magorum cultu cunabula; poſt multiplicem doctrinam cœleſtis eloquij, poſt variarum curationum medelas imperio verbi potentis effectas; poſt iſtud præſens teſtimonium Patris, cùm eſſet iam proximus paſſioni: ſic ait: Ioan. 12. *Nunc iudicium eſt huius Mundi;* tanquam ſi diceret: Nunc, nunc eſt huius Mundi iudicium; vtrùm credere eligat poſt Paſſionem voluntariam virtute propria reſurgenti, vt ex fide ſaluetur; an cùm Iudæis, negandum iudicet eum Iudicem qui negaturus erit proprios negatores, dicens ad illos; Luc. 13. *Neſcio vos, diſcedite a me in ignem æternum operarij iniquitatis.* Siue magis & ita ſentiendum, authoritate cohærentis eloquij vtilius approbamus: *Nunc iudicium eſt huius Mundi;* id eſt, appropinquauit hora vt Mundi Creatorem ac iudicem Mundus iudicet iudicandus. Luc. 13. Similiter namque in Euangelio Lucæ loquitur ad Pontifices, & Preſbyteros, & ſtrategos magiſtratus templi, qui ad eum comprehendendum venerant: *quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus, cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, & non extendiſtis manus ſuper me; ſed hæc eſt* (inquit) *veſtra hora & poteſtas tenebrarum.* Poteſtas tenebrarum, quippe huius Mundi eſt, vel hominum mundanorum; qui in tenebris perfidiæ conſtituti, lumen nolunt aſpicere veritatis; & quia Deus hominibus agendi quodcumque velint, liberum permiſit arbitrium; Liberum arbitrium. exercent in Chriſtum ſacrilegam poteſtatem. Vnde Pilato dicenti; Prou. 19. *poteſtatem habeo crucifigendi te, & poteſtatem habeo dimittendi te,* Dominus ita reſpondit: *non haberes poteſtatem niſi data tibi eſſet deſuper.* Denique vt oſtenderet Dominus, iſtud quod dixerat Mundi iudicium, Paſſionem ſuam eſſe, ita copulauit dicens; *Nunc iudicium eſt huius Mundi,* nunc huius Mundi *Princeps mittetur deorſum,* ſiue, *expelletur foras,* vt in Græcis exemplaribus legimus: Erat enim Paſſio Chriſti expugnatio futura diaboli. Vnde ſanctus Propheta Dauid ad eius perſonam loquitur; Pſal. 50. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris:* licet autē hic verſus, & alio ſenſu poſſit intelligi, huic tamen ſatis congruit: nam Dominus Ieſus in Paſſione ſua iudicatur & vincit; moritur & triumphat. Diabolus autem cur princeps huius mundi dicatur aduertite. Diabolus huius mundi princeps, vſurpatione dicitur, non natura. Diabolus eſt princeps mundi, vſurpatione, non natura. Etenim ſeducens humanum genus, vt derelicto Deo ipſum ſatanam per ſimulachra coleret manufacta; principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem Ioan. 1. in tantùm vt aduenientem verum Principem ſuum non recognoſceret Mundus; ipſius quippe diaboli præſtigijs obcæcatus. Nam in hoc *Mundo erat Chriſtus* (vt Euangelia teſtatur) *& Mundus per ipſum factus eſt, & Mundus eum non cognouit, In propria venit, & ſui non receperunt eum.* Paſſus eſt ergo Dominus ſe huius Mundi iudicio iudicari, ad hunc hoſtem generis humani præcipitandum ſiue expellendum, quia vtrumque vnum eſſe dignoſcitur: & qua ratione, vnum; percipite. Non in planis atque humilibus habitabat diabolus, vbi pulſus ad alium locum credatur abſque caſu ſuo tranſire potuiſſe; ſed cum de ſublimitate cœleſti expellitur, vtique deorſum præcipitatur. Significanter planè in Græco poſitum eſt, ἐκβληθήσεται ἔξω; id eſt, eijcietur ſiue expelletur foras; vt etiam de animis credentium iam cęleſtibus, tanquàm de cœlis noſceretur eſſe pellendus; vt ſcilicet expulſo eo, Chriſtus Dominus regnaret in nobis. Quapropter adiecit; *Et ego, ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.* Ioan. 12. Et quòd exaltandum ſe à terra indubitanter Crucis patibulo indicabat; ſic interloquentis Euangeliſtæ ſermo declarat: *Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus. Ego cum exaltatus fuero a terra,* inquit, *omnia traham ad me ipſum,* videlicet, quòd eleuatus in Crucem, omne ſæculum ad ſuam fidem vocaturus eſſet, Sed quod ait; *omnia traham ad me ipſum*, & non, *omnes*, illud ſignificari exiſtimo, quòd omnia creaturarum genera quæ idolis vel immolabantur vel dedicabantur, Chriſtus ad ſuam benedictionem reuocanda promiſerit, ſubque nomini conſecranda: Neceſſe eſt enim iuxta ſententiam Pauli Apoſtoli, *vt ipſi confiteatur omnis lingua & ſubditus fiat omnis Mundus Deo:* Philip. 2. Deo nempe huic *qui aſcendit ſuper cælum cælorum ad Orientem,* vt Pſalmiſta ait. Pſal. 67. Huic Deo *qui cum aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Cauendum planè nobis (fratres chariſſimi) ne victoriam Chriſti, qua diabolum triumphauit, de captiuitate eius nos redimens ſuo ſanguine pretioſo, & auferens ei humani generis principatum; noſtro vitio irritam faciamus: Illius tyrannidi, per illecebras carnis; eius crudeli iterum regno nos ſubijcientes in contumeliam Redemptoris, vnde meritò conqueratur increpans, & exprobrans: *Quæ vtilitas in ſanguine meo?* Pſal. 29. ſine cauſa meus pro vobis ſanguis effuſus eſt, ſi ita vos geritis. Itaque conuertemini, ne auctor cupiditatum malarum diabolus, iterum principetur in vobis; ſpolia ſe tanto detraxiſſe victori, prædo ſuperbus inſultans. Nam *dixit, perſequens comprehendam, partibor ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea.* Exod. 15. Hac de cauſa nos adhortatur beatiſſimus Paulus Apoſtolus dicens: Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in carne veſtra mortali, neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes:* Et alibi iterum: Rom. 14. *Idcirco enim Chriſtus, & vixit & mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur,*

vtique, vt qui viuunt iam, non ſibi viuant, ſed illi qui pro eis mortuus eſt, ſed & reſurrexit.

A

Talibus ergo fratres, inſtrumentis edocti, omnem noſtram vitam Chriſti ſeruitio mancipemus; cuius regnum cum Patre, & cum Spiritu ſancto permanet in omnia ſæcula, Amen.

DE NATALI DOMINI; CONTRA AVARITIAM IVDÆ, AT PRO pauperibus, Tractatus 13.

PER omnes diuini eloquij libros, Filius Dei non ſolùm Deus, ſed & homo ac filius hominis prędicatur: Et in veteri quidem Teſtamento prænunciatur atque promittitur; *In nouo* autem demonſtratur

Hebr. 10.

B

& creditur, quoniam vetus lex; vt ait Apoſtolus, vmbra erat futurorum bonorum: illorum quippe bonorum quæ completi noſcuntur in Chriſto, quibus homo humani generis hodie per beatiſſimam Virginem natus, redintegrauit imaginem, venenato Serpentis morſu corruptam: vt ſicut opifex mundi à principio fuerat; ſic eſſet vſque in conſummatione ſæculi, reparator. Quis hanc pietatem dignè mirari ſufficiat? quis tantæ bonitatis idoneus prædicator exiſtat? quis proteſtari ſufficiat immenſum & inæſtimabilem Deum, ob noſtram vitam fieri voluiſſe quod homo eſt; & vniuerſarum Virtutum cœleſtium conditorem, ad huius terrenæ carnis humilia deſcendiſſe? Sic tamen homo pro nobis factus eſt, vt non deſineret eſſe, quod Deus eſt.

Ioan. 1.

C

Nam licet *Verbum caro factum ſit* (vt Euangeliſta teſtatur) tamen quia permanet eſſe quod ante hominem fuerat; additur ſtatim *Et habitauit in nobis.*) Quo dicto, & habitator oſtenditur, & habitaculum pariter demonſtratur. Sic ergo cœpit eſſe quod prius non erat, vt nõ deſiſteret eſſe quod erat. Hanc omnipotentiam, Filij Dei & hominis etiam mater Virgo teſtatur; quæ de Spiritu ſancto concipiens, ita Deum & hominem quem pudico vtero geſtauerat, edidit; vt apud incorruptam tanti nominis matrem, poſt diuinum partum glorioſior integritas permaneret. Diuinum rectè diximus partum; quia Deus eſt iſte qui per Virginem natus in carne eſt, dicente Gabriele Archangelo ad eandem;

Luc. 1.

quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei: ex quo enim carnem noſtræ fragilitatis aſſumpſit, idem Filius eſt hominis qui & Dei;

D

quia non alius ex Maria natus eſt, quam qui per maternas illapſus aures vterum Virginis oppleuit; Sancto videlicet ſpiritu ipſe formans hominem ſuum.

Prou. 9.

Sine vllo dãno integritatis, Chriſtus ex vtero Virginis egreſſus eſt.

Siquidem *ſapientia ædificauit ſibi domum* habitaculũ quippe corporis noſtri iam ſuum: quo habitaculo indutus eſt, ſine vllo damno integritatis maternæ egreditur. Nam beatiſſima Maria incorruptibilem pariens; & mater, & virgo eſt. Hæc ad demonſtrandum incarnationis Filij Dei myſterium breuiter dixerim: nunc ad partem venio illius lectionis Euangelicę explanandam quæ iamdudum fuerat alijs incumbentibus prætermiſſa. Nam diſſeruimus (vt meminiſtis) omnem textum lectionis eius quæ cœnantem deſcribit in Bethania Dominum; explanantes diſcubitum Lazari, rationem loci & temporis, Marthæ miniſterium, ſororis

E

eius obſequium, vngienti virtutem, rationémque crinium quibus Maria precioſo myrrho vnctos Chriſti terſit pedes; & quemadmodum Iudas pio debitóque aduerſarius obſequio dum patronus pauperum vult videri, furti reus arguitur; ſed illud omiſimus vel potius reſeruauimus, quid inter hoc locutus fuerit Dominus Ieſus. *Sine*, inquit, *eam*; ſiue, *ſinite*: vtrumque enim, & in

Ioan. 13.

Matth. 26.

Marc. 14.

Græcis & Latinis exemplaribus inuenitur; ſed magis congruere videtur ſenſui cùm legitur, *ſinite &c.* propter illa quæ pluraliter ſubſequuntur; *pauperes enim ſemper habetis vobiſcum.*

Chriſti patientia Generis, reprehẽſione temperatur commiſſa.

Quærendũ ergo, dilectiſſimi, quamobrem ad Iudæ ſolius verba pluraliter reſponderit Dominus; *ſinite eam vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud, Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper.* Admirabilis verò ac nimium prouidens Chriſti patientia! In com-

mune omnibus diſcipulis loquitur, vt aduerſantis Iudæ contumeliam temperet.

A

Neque acriter vt in fraudatorem inuehitur; ſed diſſimulato eius crimine, quem & Euãgeliſta furem nouerat, leni monitu vniuerſos pariter inſtruit; docẽs interim illud quod Maria fecerat, neceſſariò erga ſe celebratum fuiſſe ſepulturæ myſterio. Cæterùm pauperibus largiendi, omni tempore, ſi quid vellent, eſſe poſſe copiam, quia ſemper nobiſcum ſint: ſibi verò in carne non diù à quoquam miniſtrandum; quia poſt imminentem paſſionem reſurgens, continuò ſuſceptum corpus ducturus eſſet ad cœlum.

Quare Chriſtus nõ acrius increpauit Iudam.

Idcirco autem, ſupradicta lenitate ac promiſcuo monitu, Iudæ ſermones Chriſtus euacuat, ne aut ipſi Iudæ occaſionem excuſandi furoris tribueret, aut alicui Apoſtolorũ quicquam ſcrupuli daret, piam fortaſſe ſuſpicanti Iudæ ſuggeſtionem:

B

vel certe, ne cuiquam poſtea lecturo, aliquod offendiculum reſeruaret. Iudas enim, licet ſtudio fraudis & odio Saluatoris, ſub prætextu pietatis tamen illa ipſa fallaciæ verba deprompſerat; *quare hoc vnguentum venundatum non eſt*, inquit, *denarijs trecentis, & datũ eſt pauperibus?* Irreligioſus nimiũ & ſatis importunus diſpoſitor, auari fraudatoris affectu, crimen videlicet proprium ſub ſpecie religionis dum tegere conatur, expreſſit. Irreligioſus planè atq; importunus; quia quod ad honorem Chriſti factum fuerat, non modo ſuperfluũ computauit, verùm etiam ſermone improbiſſimo reprehendit. Fraudator etiam, quia loculum tenens exportabat ea quę mittebantur ad vſus indigentium, ſicut Euangeliſta conqueritur:

Iuda auaritia.

C

Auarus quoque quoniam non ſatiabatur, ſtipendia pauperum quotidie ſubtrahendo; ſed & ſepulturæ Chriſti pretium in propria ardebat lucra conuertere: conuertit autem non in momentanea ſuæ cupiditatis lucra, ſed ſalutis detrimenta perpetua. Siquidem non multò poſt, vniuerſa quę vel impius fur collegerat ex fraudibus perpetratis, vel quæ ſacrilegus Chriſti traditor pro mercede iniquitatis acceperat, cum vita pariter amiſit.

Matth. 27.

Act. 1.

Nam prædictorum facinorum conſcientia ſtrangulatus, mortem debitam laqueo ſibimet intulit præparato; confeſtim rapiendus eſt ad inferni ſupplicia. Quod autẽ vnguentum illud ad obſequium profecerit dominicæ ſepulturæ; idem Saluator in Euangelio Matthæi apertiùs declarauit.

Matth. 26.

Mittens (inquit) *hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Quamuis ergo Dominus Ieſus, conſcientiæ iudex eſſet;

D

noluit tamen Iudam, de occultis eius acrius increpare, ne quoniam veriſimili ratione videbatur locutus, putaretur forſitan iniuſtè correptus, atque hinc iracundiæ eius tantam concepiſſe cauſam, vt inimicis necandum traderet quem ſine vllo peccamine habuiſſet infenſum. Nihil ergo acerbum Chriſtus voluit pro merito ſceleratæ mentis illius loqui, ne Iudas eum tradere videretur iratus.

Liberum arbitrium.

Vult enim Dominus verè iuſtus Iudex, vt meriti proprij ſibi ſit cauſa vnuſquiſque, vult & iuſtum pro ſola iuſtitia pati, vult & iniquum ſi in malitia perdurauerit, reum mortis proprio arbitrio iudicari. Figurauit enim Deus hominem vt Scriptura teſtatur; & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illũ, & dimiſit eum in manu conſilij ſui, poſuit ante eum ignem & aquam, dicens: *Ad quod volueris, extende manum tuam.*

E

Eccleſ. 15.

Poſuit, inquit, ante hominem Deus aquam, & ignem, id eſt, refrigerium & pœnam, remiſſionem & ſupplicium, vitam & mortem. Quis, oro! non refugiat ſupplicium, pœnam, & mortem; & eligat refrigerium, remiſſionem, ac vitam? Sed ille fugit mortem, qui per itinera graditur vitalium mãdatorum: ille donum percipit vitæ, qui per laborem Spiritus, mortalium ſtudiorum mortales actus euitat. Ideóque dictum eſt, *ecce aqua & ignis, ad quod volueris extende manum tuam*, hoc eſt, opus tuum. In manu quippe opera demonſtrantur; quia nec tormentis ſubijci ſine crimine poſſumus, nec præmium ſine certamine promereri, dicente Apoſtolo:

Rom. 3. 5.

Nunquid iniuſtus Deus, qui infert iram? & iterum:

2. Tim. 25.

quoniam non coronatur quis in agone contendens, niſi legitimè certauerit. Certamen noſtrum contra vitia carnis eſt, contra cupiditatem pecuniæ,

contra

Digitized by Google

contra animi iracundiam; quæ ſunt arma diaboli, quibus reſiſtendum eſt vtique galea fidei, lorica continentiæ, miſericordiæ clypeo, in quo poſſimus (vt ait Apoſtolus) *omnia tacula nequiſſimi candentia extinguere*: Etenim *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna reſiſtet peccato*: id eſt, ſicut aqua Baptiſmi ſalutaris extinguit flammam Gehennæ per gratiam; ita eleemoſynarum fluuio, omnis ille coaceruatus poſt acceptam fidem, peccatorum ignis extinguitur; ſi tamen poſt conuerſionem, non iterum renouatis criminibus inardeſcat. Is enim qui eleemoſynis remedium peccatorum pœnitens quærit, debet iam non agere pœnitenda, ne quod vno latere extinguitur, alio ſuccendatur. Fluuium diximus eleemoſynarum, vt largitatem donandi ſentires: ſed rarus qui eſt, qui vel rorem ſpargat eleemoſynæ ſuo refrigerio profuturo? Egreditur de Eccleſia Chriſtianus, & ſurdis auribus precantem pauperem præterit: Ita nos Deus exaudiet obſecrantes; ita inter pericula imminentium Barbarorum, auxilio protegi diuino merebimur: ſcriptum eſt enim, *bonum eſſe ieiunium cum eleemoſyna*. Vtrumque fieri oportebat ad indignationem Domini mitigandam. Sed ieiunare forſitan non potes: & non potes, quia non vis, vel certè eſurientibus alimenta largire. Qui tribus horis, præter ſolitum ieiunus eſſe non potes; poteris profectò intelligere quid patiatur ille, qui per inopiam ieiunat inuitus; quem ieiunare tua crudelitas facit, qui largis dapibus ſaginatus, nec exiguo cibo famem ſolari cogitas indigentis. Sterilitatem cauſaris, neceſſitates prætendis, temporis anguſtias quereris: turpiùs illo indigéte mendicas, quin potiùs Deo ingratus exiſtis dum falsò quereris. Sed eſto! ſi ſterilitas fuerit; hanc tu ſolus ſentis, quæſo; pauper ille non ſentit! Quid; quod argentum nouum quotidie lucrari moliris? Domos marmoribus extruis; Veſtes ſericas comparas; Monilia auro gemmiſque precioſa mercaris? Pudet dicere, pœnitet recordari quantus numerus ruſticorum, de poſſeſſionibus prædicta pompa viuentium; vel fame ſit mortuus, vel eleemoſyna Eccleſiæ ſuſtentatus! Proh dirum nefas! mortui ſunt homines, in quibus omnis cenſus eſt poſſidétis; ita nec præſentis temporis vtilitatibus conſulunt, dum nimia cupiditate cæcatati ſunt! A noſtris ergo incipientes (chariſſimi) benefaciamus egentibus ac miſeris; victum, potum, veſtitum indigentibus miniſtremus, quia operum talium iuſtus retributor eſt Dominus, qui cum venerit in maieſtate ſua, regnum cœlorum largietur, de parte dextra pro merito cõſtitutis nutritoribus inopum. At è contrario, inhumanos atque impios æternis decernet ignibus concremari; ſeipſum dicens in pauperibus vel pietate forum, vel crudelitate neglectum: Tantus erga pauperes ſuos noſtri Saluatoris affectus eſt! Studeamus ergo diligere, & in pauperibus Chriſtum qui nos dilexit per omnia, & qui tanquam bonus paſtor animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis. Sed ſi explanare cœpero, quibus officijs delectationem tuam circa Dominum probes; neſcio vtrum meipſum loquentem diligas, neſcio vtrum me libenter audias: niſi ſi fortè ita religioſus es, vt ſicut lætabaris paulò ante in diuinis beneficijs, ſic etiam præceptis eius parere deſideres, & amplectaris diſcere quę ſint exercẽda erga Deum dilectionis officia. Ipſe Dominus loquitur qualis amor eſſe in eum debeat vniuſcuiuſque credentis. *Qui habet præcepta mea* (inquit) *& ſeruat ea; ille eſt, qui diligit me*. Perfectè enim ille diligit Deum, qui præcepta eius, vel habet in ore, vel cuſtodit in opere. Nam qui perfunctoria cõfeſſione, ore tantum refert diuina mandata; & ea nec mente retinet, nec factis ſeruat, nequaquam poteſt hic dicere, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione*. ſed neceſſe eſt vt cum Synagoga populi contẽptoris, increpantem Deum audiat per Prophetam; *Populus hic me labijs diligit, cor verò eorum longè eſt à me. Nolite errare: Deus non irridetur*. An exiſtimatis quòd Deum diligat tepidus ac negligens Chriſtianus; qui idola in poſſeſſionibus ſuis coli permittit; qui fanum dæmonis & aram diaboli ſtare in contumeliam Dei patitur; qui adulteria & ſtupra exercere non deſinit, qui aliena quotidie rapit, quotidie concupiſcit necare proximum; quibuſcumque modis geſtiens, quò vel voluptatem vel cupiditatem ſuam licentiùs impleat, licet explere non poſſit. Nam ſtupri aſſiduitate, luxuriam carnis non cohibet, ſed accendit, dicente Propheta; *Omnes fornicantes, velut ardens clibanus corda eorum*. Prædatoris quoq; rapacias, non comprimis auaritiã, ſed irritat; ſcriptum eſt enim: *qui amat pecuniam non ſatiabitur pecunijs*. Nec ille Deum diligit qui non miſeretur pauperum, in quibus Chriſtus ſe vel foueri conteſtatur vel negligi: *Quod enim non feciſtis* (inquit) *vni ex minimis his, nec mihi feciſtis*. Et Ioannes Apoſtolus in Epiſtola ſua loquitur: *qui viderit fratrem ſuum in neceſſitate conſtitutum, & clauſerit viſcera ſua ad eum; non eſt charitas Dei in illo*. Mentitur ergo ſe amare Chriſtum, qui eum in egeno non diligit; qui dilectionem quam promittit verbis, negat operibus. Studeat igitur vnuſquiſque factis miſericordiæ approbare quòd Deum diligat; vt dilectio Dei mundet eum ab omni peccato. Vis autem noſſe, quantùm eleemoſynæ ſubleuent onera peccatorum? Audi conſilium quod peccatori diuiti ingerit Propheta Daniel. *Nunc* (inquit) *Rex, conſilium meum placeat tibi: Iniquitates tuas eleemoſynis redime, & peccata tua miſerationibus pauperum*. Sed fortè vel tibi vel filijs tuis ſeruarum æſtimas quod pauperibus negas! Nolo ſis tam periculosè ſolicitus: *Neſcis enim quid pariat ſubſequens dies*. Deus noſter potens eſt & illis dare ſicut & tibi: quinimò quicquid largitus pauperibus fueris; & tibi, & tuis liberis cõtuliſti; deeſſe nihil poterit eis, quibus Chriſtum comparticipem feceris. Nouit retribuere, qui ſe in pauperibus teſtatur accipere. Securus dona: eſt enim repenſor idoneus, qui cœlorum regna promittit. Loquitur Scriptura diuina: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & ipſa pro te exorabit ad Deum*: hoc eſt dixiſſe; vende patrimonium, & eme patrocinium cuius interuentu certus de impetrata venia venturum Iudicem liber merearis aſpicere. In Euangelio autem: *Si vis perfectus eſſe* (ait) *vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni; ſequere me*. Si omnia erogare præcipimur; aduertamus, quis reatus exſpectet eos atque eas quibus ſericæ & purpureæ & auratæ veſtes in vſu ſunt, ſi nudos qualicumque indumento non texerint. Quædam fœminæ onerant auro & margaritis vel ſua vel filiarum membra; & aridis manibus prætereunt inopum precantium turbas. Brutis quoque animalibus equis ac mulis ex argento & auro ſubtilia ornamenta componunt, & homini ad imaginem Dei facto, viliſſima vel veſtimenta vel alimenta non tribuunt: & exiſtimant ſe aliquam requiem in die iudicij inuenire, niſi vel de cætero opera pietatis accipiant. Obſecro vos; miſericordes ſimus in pauperes, vt & ipſi iuxta Domini eloquium, miſericordiam conſequamur. Et diuites, & mediocres, certatim debent eleemoſynas dare pro viribus: Nihil enim intulimus in hunc Mundum, ſed nec auferre aliquid poſſumus. *Nudus exiui* (ait S. Iob) *de vtero matris meæ, nudus iterum reuertar in terram*. Hoc ſecum quiſque portat ex facultatibus quas accepit, quod in opus religionis impenderit, quod pro dilectione Dei fecerit præceptis eius obtemperans: dicetur enim in die iudicij; *Ecce homo & opera eius*, Non dicetur; ecce homo & potentia eius, & hæredes eius. Operum, qui præcepta commiſit, miſericordiæ repenſor eſt; qui docuit pietatem, qui dilectionem ſui in præceptorum probari cuſtodia præfiniuit. Nam ſibi præſtitum reputat quicquid egeno præſtiteris: Vnde alibi legimus; *qui miſeretur pauperibus, Deo fœneratur*: Recipiet enim magna pro modicis, & cœleſtia pro terrenis, ab ipſo Dei filio ſempiterno; cuius regnum cum Patre & cum Spiritu ſancto permanet in omnia ſæcula.

Marginalia (left): *Ephes. 6.* *Eleemoſyna, peccatorum remedium.* — *Pauperum contemptus in Eccleſiæ ingreſſu.* — *Tob. 3. 12. & 13.* *Cõtra eos qui nec ieiunant nec faciunt eleemoſynas.* — *Eleemoſyna Eccleſiæ.* — *Merito bonorum operum Deus retributor eſt.* *Matth. 25.* *Ioan. 10.* — *Ioan. 14.* — *Pſal. 110.* — *Matth. 15. 8.* *Galat. 6.*

Marginalia (right): *Oſee 7.* — *Eccleſ. 5.* *Matth. 25.* — *Ioan 3.* — *Dan. 4.* — *Eccl. 8.* — *Eccl. 29.* — *Matth. 19.* — *Matth. 5.* — *1. Tim. 6.* — *Iob 1.* — *Prou. 19.*

DE PROMISSIONE PARACLETI; Tractatus, ordine 14.

INEFFABILIS prouidentia vnigeniti Filij Dei, veritatem fidei ſalutaris quam pariter excipere humana corda non capiunt, paulatim dignatur ſuis aperire diſcipulis. Nam de vnitate diuinitatis ſuæ cũ Patre, plurima in ſuperioribus dictis docuerat, ſicut proximo Tractatu expoſui; oſtendens intantum nihil diuiſionis eſſe inter Patrem & Filium, vt etiam ſermonem ſuum quem loqueretur ſuum diceret non eſſe, niſi Patris eſſet. Dixerat enim: *& ſermo meus*

Ioan.8 & 15.

quem audiſtis meus non eſt, ſed eius qui miſit me Patris. Quo dicto ſatis claruit, Patris contemptores eſſe vniuerſos B doctrinam Filij vnigeniti contemnẽtes; quoniam quem ſuum ſermonem dicit Filius, hunc ſuum negat eſſe, niſi ſit Patris. Tunc enim Filij ſermo eſt, ſi Patris ſermo eſt; quia *omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt,* inquit; Et alio in loco, ad Patrem dicit: *quoniam tua omnia, mea ſunt; & mea, tua ſunt:* per vnitatem videlicet diuinæ ſubſtantiæ, quæ neſcit aliquid habere ſuum, quod naturæ ſuæ non ſit.

Spiritus ſancti Diuinitas.

Nunc autem ſubſequens adiungit ſtatim; eandem quoque ſancti Spiritus vnitatem credi oportere; dum plenitudinẽ doctrinæ ſuæ, per ipſum Paracletum

Ioan.14.

prædicit conſummandam, dicens: *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens; Paracletus autem ille Spiritus ſanctus quem mittet Pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia & admonebit vos omnia quæ ego dixi vobis.* Prænunciare quidem beatis Apoſtolis eloquio iſto dignatus eſt, C & ſuum (poſt incumbentem Paſſionem) ad cœlos regreſſum; & ſancti Spiritus ſuper eos de cœlis aduentum; cùm dicit: *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens: Paracletus autem ille Spiritus ſanctus quem mittet Pater meus.* Sed neque Spiritus ſanctus in cœlo erat ſolùm, & in terra non erat, neque Filius ita Cœlos aſcenſurus erat, vt terras relinqueret; neque Pater tantum cœleſtem thronum poſſidet, vbi remeare Filius, & vnde Sanctus venire Spiritus perhibetur. Nam Propheta beatiſſimus, huiuſmodi confeſſionem refert

Pſal.138.

ad Patrem: *Quò ibo* (inquit) *à Spiritu tuo, & à facie tua quò vadam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es; Si deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas in directum, & habitauero in poſtremo maris. Si ſumpſero* (inquit) *pennas meas, &c.* D Benè quòd pennas ſuas habet; quibus adſumptis quocumque deſiderat, penetrat. Cæterùm; qualiter Propheta in corpore conſtitutus, vel in Cœlum aſcenſurus erat, vel in infernum deſcenſurus, vel trans vltima maria percecturus? Quas tandem, quas habet pennas? Alas fidei mens credentis aſſumit; vt ſubliniora terrenis, vt

Epheſ.3.

totus in ſpiritu conſtitutus *poſſit comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo & latitudo & altitudo & profundum* ſcientiæ Dei. Iſtas fidei alas hæretici non habentes

Fidei alas hæretici non habent.

de Deo diſputant, & per terrena voluũtur; & à ſublimitate diuini intellectus, ad caduca atque carnalia deducuntur, cogitationum terreſtrium pondere grauati. Nec ad notitiam poſſunt illius immẽſæ diuinitatis accedere, vbi non habet niſi ſola mens fidelis acceſſum; quæ adorandæ Trinitatis vnitatem ſentit, credit, confitetur ac E prædicat; & quoniam dignè exprimere non poteſt, in

Pſal.138.

eo vel maximè gloriatur: *Quò ergo ibo* (inquit) *à Spiritu tuo, & à facie tua quò vadam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas in directum, & habitabo in poſtremo maris; etenim illic manus tua tenebit me, & deducet me dextera tua.* Indiuulſam Trinitatis naturam confeſſio iſta ſignauit. *Quò ibo* (inquit) *à Spiritu tuo?* ipſo nempe Paracleto; cuius plenitudinem ſumen-

Act.2.

tes Apoſtoli, promiſſionẽ Dei fatentur impletam, Petri ore teſtantis: Hoc eſt, quod dictum eſt per Ioël Prophe-

Ioel.2.

tam; *In nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Et à facie tua, quo vadam?* A Filio ſcilicet, qui facies Patris eſt; quoniam Pater videtur in Filio, iuxta ipſius Domini Saluatoris ſententiam, qui obſecranti Philippo; *Domine, oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis;* ita reſpondit: *Tanto tempore ſum vobiſcum, & non agnouiſtis me? Philippe, qui vidit me, videt & Patrem meum; quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre & Pater in me eſt?*

Ioan.14.

A Ne verò diuiſus putaretur, vel Spiritus ſanctus à Patre cuius Spiritus eſt; vel Filius ab eo crederetur ſeiunctus, cuius & facies, & dextera, & ſapientia, & virtus eſt: non ait; *Si aſcendero in cœlum, Spiritus tuus illic eſt:* vel, facies tua & Spiritus tuus illic ſunt: ſed; tu (inquit) illic es: Cum Filio vtique & cum Spiritu ſancto, quoniam Trinitatis adorandæ vna eadémque diuinitas ſemper vbique eſt. Sed, vt Patris & Filij & Spiritus ſancti vna traderetur credentibus fides & diſtincta confeſſio; propterea Pater & Filium mittere, & Spiritum ſanctum ſcribitur; cum neq; qui mittit neque B qui mittatur, Deus credi poſſit, ſi in quodam loco eſt, & & in quodam loco non: id eſt; ipſi Filio credamus loquenti, qui veritas eſt. *Non ſum ſolus* (inquit) *quia Pater mecum eſt.* Et iterum de Spiritu ſancto: *Si ego* (inquit) *in Spiritu Dei eijcio dæmonia.* Et Euangeliſta Lucas: *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt ab Iordane.*

Ioan.8. Luc.11. Luc.4.

Cùm igitur nuſquam deſit Diuinitas Trinitatis, diſpenſatio ſalutis noſtræ eſt, quòd mittens prædicatur & miſſus. Aliter enim credere mens humana nõ caperet Patrem, Patrem eſſe, & Filium, Filium, & Spiritum ſanctum, Spiritum ſanctum, niſi diſtinctionem diſceret ex nuncupatione mittentis ac miſſi. Et rurſus vnã Diuinitatem non agnoſceret Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, niſi miſſum legeret à mittente nullatenus ſeparari. Nam nec Pater (vt prædictum eſt) miſſum deſeruit Filium; nec Spiritus C ſanctus qui dirigendus erat Apoſtolis, vnquam Patri ac Filio defuiſſe monſtratur: ita tamen, vt Filius Dei tantum fuerit incarnatus. Nam *Verbum caro factum eſt,* vt legimus; non Pater, non Spiritus:

Ioan.1.

Quomodò autem iſtud incarnationis myſterium Filius Dei ſalua vnitate Trinitatis impleuerit, illa omnipotentia teſtis eſt; quia idem Dei Filius ſic cum corpore ſuſcepti hominis aſcendit ad cœlos, vt vſque ad finem ſæculi cum ſuis diſcipulis permaneret. *Ecce enim* (inquit) *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

Matth.28.

Vſque ad conſummationem ſæculi (inquit) vobiſcum ſum: non ſolum cum Apoſtolis, ſed cum Diſcipulis; vtique credentibus vniuerſis. Credere itaq; nos oportet, non aliter eſſe Deum, quàm ſeipſe proprio ſermone reuelauit eſſe credẽdum: D Facta quoque eius non debemus rebelli ſpiritu diſcutere; ſed fideli ſtudio admirari, quoniam *rectus eſt ſermo Domini & omnia opera eius in fide.*

Pſal.32.

Curioſitas fugienda eſt in his quæ ſunt fidei.

Si omnia opera in fide; quantò magis iſtud opus ſacratiſſimæ incorporationis eius? Deſinamus ergo fide neglecta, contumelioſis quæſtionibus diuinum pulſare myſterium. Nam ſcrupuloſitas, hæſitanti, intelligentiam factorum Dei ſuperflua curioſitate non inuenit; ſed fidem perdit, quam conſtat eſſe ducem ſalutis ac vitæ. Quod autem nimia ſcrupuloſitas fidem perdat; facilè poteſt ex vna ſpecie diuinæ operationis intelligi.

Curioſitas euertit fidem.

Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux: cùm non aſſequar qualiter eam Creator eius ex nihilo fecerit; niſi credidero tamen & confeſſus fuero eam factam, mendacem Deum ſacrilega cunctatione pronun-

Gen.1.

E cio. Vniuerſa itaque opera eius, & præcipuum diuinum opus incarnationis filij Dei (ſicut Scripturæ ſanctæ prædicant) fideli affectu mens debet vniuſcuiúſque credentis excipere; & quod ſtabili corde crediderit, fido oris obſequio confiteri: *corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.*

Rom.10.

Quod verò plenitudinem doctrinæ ſuæ, per ſanctum pollicetur Spiritum tribuendam; æqualem ſua omnipotẽtia eum, credi voluit.

Spiritus ſancti Deitas.

Non eſt enim in Trinitate Dominus & ſeruus, Deus & Angelus, creator & creatura: ſed eſt aliud idem, aliud perſona. Id enim, natura; ac perinde non Dij ſed Deus, quia diuiſionem non capit vnitas. Deitatis. Ait denique ibi Chriſtus, de Spiritu ſancto; *quem mittit Pater in nomine meo:* id eſt, in Dei nomine, Deum ſcilicet, ſicut filium, profitendum: & ideò Filius Dei de ſe quidem dicit, *Ego*

Ioan.14. Ioan.15.

veni

Veni in nomine Patris mei. Quod & Propheta de illo prædixerat, & pueri in Euangelio laudantes probauerant, dum clamarent; *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Matth. 21.

Rectè, in nomine Domini; non in nomine ſerui; quia Deus, non in ſuo, quia Filius, nomē enim Patris in Filio. De ſe ergo (inquam) dicit Filius: *Ego veni in nomine Patris.* De ſancto autem Spiritu dicit; *quem mittit Pater meus in nomine meo.* Et cùm baptiſmi opus in Trinitate decerneret celebrandum; non ait, *in nominibus*; ſed, *in nomine.*

Matth. 28.

Pater enim Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus ſanctus Deus eſt, ſicut ſanctarum Scripturarum teſtimonijs dilectioni veſtræ ſæpiùs approbaui; ac propterea vnum Trinitatis eſt nomen, cuius vna virtus atque Diuinitas permanet in omnia ſæcula, Amen.

TRACTATVS EIVSDEM DE MACHABÆIS MARTYRIBVS & eorum die natali.

Machabæi inter Martyres honorati, maiores constituerunt.

SI quis veſtrum (fratres dilectiſſimi) fortaſſe miratur, Iudæos viros ſupplicia pro legis præcepto perpeſſos, nunc à Chriſtiana plebe inter ſanctos Martyres honorari: Is profectò, ſi omnem ſanctæ religionis cauſam rationémq; cognouerit; intelliget, probabili ac ſummo iudicio id fuiſſe à noſtris maioribus conſtitutum. Iudæi erant iſti ante aduentum Domini Saluatoris, ſub lege tantùm veteri conuerſantes; quíque cognomentum Machabæorum trahant ex genere, ſicut hodie Aniciorum progenies, vel ſi qua ſunt huiuſmodi nuncupationum vocabula quæ ſtirpem nobilitatis vſurpent, ex diuitiarum terreſtrium cumulo deſcendētem; cùm vera nobilitas, non ſubſiſtat ex diuitijs;

Nobilitas vera.

ſed cognoſcatur in moribus. Quantò enim nobiliores iſti ſeptem pueri, Rege Antiocho: quinimò, quàm clara in iſtis nobilitas Dei; & quàm ignobilis in illo ac pœnalis nota perfidiæ? Iſti Deum Patrem colunt, iſte diabolum: iſti venerantur legem patriam; ille contra Deum rebellans, filium ſe fatetur eſſe diaboli. Cogebat enim contra

2. Mach. 7.

præceptum diuinæ legis, vt ſuillas carnes comederent; non dubium, quòd ſacrificio profano pollutas, *coinquinatis enim & infidelibus nihil mundum.* Sed eſto (vt quidam

Tit. 1.

volunt) ſacrificatæ diabolo carnes illæ non fuerint, quod hoc ipſa ſcribentis hiſtoria manifeſtiùs nō deprompſit; attamen grauiſſimi erat extremíque delicti præceptum diuinum, vel blandientibus præmijs vel ſupplicijs cruciatibus temerare. Præceperat Iudæis Deus, ne porcum cæteráque illi ſimilia manducarent; & erat hoc duplici de cauſa (fratres chariſſimi) ſiue vt luxurioſus populus flammam carnalium vitiorum calidis carnibus non nutriret; perhibentur enim calorem nimium præſtare corporibus: Siue vt porcorum more non viuerent. Nam Sues ſemper immundi ſunt; & de fonte vel de fluuio exeuntes, iterum voluuntur in cœnum; nec vnquam intuentur cœlum, ſed prono ſemper ad terrā capite ventri deſeruiunt. Et idcirco Dominus legionem dæmonum in gregem permiſit ire porcorum: id eſt in eorum gregem, qui tantum ventris ſunt animalia, qui nunquam cœleſtia intuentur, ſed immunditijs ſemper dediti & cœno ſunt obliti vitiorum. Salubriter ergo Deus vel abſtinentiam gulæ, vel continentiam immundarum actionum imperauit. *Lex enim ſancta & mādatum ſanctum, & iuſtum & bonum.* Salutaria videntur, mandata diuina ſunt: nam *qui fecerit ea homo, viuet in illis:* Sed finge nihil noxietatis ineſſe ſuillis carnibus, nec vllum fomentum illecebris augere corporeis; quinetiam eſſe hodie *omnia munda mundis, ſanctificata per verbum Dei & orationem*: præcipientis tamen Dei erat poteſtas & authoritas cogitanda, qui iſtud iuſſerat tunc temporis obſeruari. Nemo enim imperantem Dominum, aut ſine pœna ſui ſacrilegij diſcutit, aut impunè contemnit: Nam neque in illa arbore ineſſe malum potuit, quam inter cæteras arbores Paradiſi bonus Creator plantauerat; cuius fructus ita

Leuit. 11.
Deut. 14.
Suillæ carnes, Iudæis interdictæ duabus de causis.

Matth. 8.

Rom. 7.

Deut. 4.

Tit. 1.

erat ſpecioſus ac dulcis vt concupiſcentiam præſtaret

A

oculis, gulæ conciliaret illecebram: Scriptum eſt enim; *Et vidit mulier fructum ligni quia gratus eſt ad aſpectum & dulcis ad eſcam, & accepit & manducauit, & dedit viro ſuo.*

Gen. 3.

Sed ſi fortè dixeris, non omne quod gratum videtur & dulce, bonum quoque eſſe; quia ſint aliqua etiam mala, quæ grata videantur & dulcia: Credo, acquieſco, conſentio. *Mel enim diſtillat* (vt ait Scriptura) *à labijs mulieris meretricis* quæ ad tempus impingat fauces ſuas, nouiſſimum autem amarius felle inuenies, & acutius gladio vtraque parte acuto. Et certè malum nihil eſt, vel in ſpecie vel in ſexu mulieris; ſed eſt vtique malum in voluntate peccantis, & per intemperantiam concupiſcentiæ tranſgredientis à legitimo iure coniugij. Nam & vini natura cùm bona ſit; rectè tamen damnatur ebrietas.

Prou. 16.

Non res, ſed rei vſus, peccatum facit.

B

Audi modò generalem de creatis omnibus diuinæ ſcripturæ ſententiam, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde:* Tamen quia veritatis ratio poſtulabat, & ſeruilis humana conditio legem Dei dominātis acceperat, proprij arbitrij libertate permiſſa; vnam Deus elegit arborem de omnibus lignis Paradiſi, non vtique malam, ſed in qua eſſe ſciētia boni & mali videtur, in qua ſeruorum ſuorum obedientiam pertentaret; vt libertas arbitrij vel immortalis præmium poſſideret obediens, vel contemnens exciperet mortis interminatæ ſententiam. Manducauit homo, quia voluit; mandatum non cuſtodiuit, quia noluit; morte inulctatur, quia mandatum ſeruare potuit & non ſtuduit. Arbor quidem bona & fructus quidem bonus; ſed præuaricatio Mandati mala, & contemptus Dei malus: atque ita, malum non in fœtu arboris eſt, ſed

Humani Arbitrij libertas.

Homo peccauit quia voluit.

C

in voluntate hominis tranſgreſſoris. Igitur ſi vnius arbuſculæ fructus contra Dei mandatum temerè à Protoplaſtis deguſtatus mortem generi acquiſiuit humano; potuit & Machabæis tunc ſub lege poſitis interitum parare mandati diuini tranſgreſſio, quibus nunc honorem & gloriam præcepti eius cuſtodia cōparauit, fidem Dei in ipſo viriliter conſtanterque ſeruantibus. Nam fidem Dei ſeruat, qui mandati eius iura non violat; quoniam non idcirco illi manducare illicita noluerūt, quòd horrorem paterentur in ſpecie; ſed contumeliam facere prohibenti Deo iuſtiſſimè formidarunt. *Qui in modico fidelis eſt* (ait Dominus) *& in magno fidelis eſt*: In magno fuerunt iſti fideles, cùm idolothyta inter ſupplicia reſpuerunt: in paruo fuerunt fideles, cùm ſolum vt carnes prohibitas non comederent, ſuas potiùs deuorandas

Luc 16.

D

ſupplicijs tradiderunt. Inſignior fides eſt quæ nec in modicis violatur. Formam tolerantiæ præbuerunt iſti beatiſſimi fratres, futuris poſt Paſſionem Chriſti martyribus, vt intelligant quanta animi magnitudine & conſtantia pro Redemptoris nomine dimicare debeant, pro cuius mandato tam pertinaciter certaſſent. Nemini abſurdum videatur quòd eos paulò ante Anicijs cōparaui. Anicij quippe ex Græco ſermone à nobis nuncupantur inuicti. Exercuit enim varia ſuppliciorum genera in eorum corporibus crudeliſſimi tyranni ſeritas: & cùm non valuiſſet conſtātiam fidei in ſex fratribus atrocitate ſupplicij ſuperare callidus perſecutor; in ſeptimo, quia eſſet iunior, ad blandimentorum ſeſe tormenta conuertit, diuitiarum præmijs & honorum promiſſionibus

Inſignior eſt fides quæ nec in paruis frangitur.

2. Mach. 7.

E

puerum torquens, quem tamen detorquere non potuit. Erat enim fratrum ſuorum frater, & filius matris illius, quæ cum ſingulos filios pro Dei nomine puniri, læta, & aſpicit & hortatur, tot martyria pertulit, quot pignora conſecrauit; ſepties in proprijs paſſa viſceribus, octaua & ipſa acceſſit numero, ad octauum Chriſti Reſurrectionis diem cum charis pignoribus occurſura. Vnde non immeritò præſumitur iſta mater beatiſſima Eccleſiæ ſanctæ imaginem præmōſtraſſe, quæ ſpirituales Deo filios parare conſueuit, nihil de carne & ſanguine cogitantes. Iam verò ſi quis à me ſuperioris diſputationis reliquias exigat; inquirens cur illi cibi qui fuerant cauſſa continentiæ in lege prohibiti, non etiam nunc eiuſdem rei gratia arceantur; breuiter vt ſentio, reſpondebo. Sic

Mater Machabæorum ſeptem Martyr, & Eccleſiæ imago fuit.

Cur non & Chriſtiani, quæ Iudæis prohibita erāt cibo.

Digitized by Google

ablatas fuiſſe de medio legalium præceptorum multiplices obſeruationes reor, vt generalia præcepta in ſtatu A pristino perdurarent. Diximus, pudicitiæ ſeruandę cauſa, Iudaico populo abſtinentiam vel porcinæ carnis vel ſimilium quadrupedum nec non & quorumdam volatilium atque piſcium fuiſſe interdictam; adhærentibus licet typis rationabilium figurarum quas Doctor ſpiritualis, proprijs quibuſque locis ſingillatim debet exponere: ſed quoniam terrenorum mentes, perplexitate multiplicium mandatorum onerari potiùs, quàm inſtrui videbantur, indefeſſâ, & in hac parte erga humanum genus diuina prouidentia per Prophetam promittitur Eſaiam: *quoniam verbum abbreuiatum faciet*, inquit, *Dominus, ſuper terram.* Et idcirco beatus Iacobus cum cæteris Apoſtolis decretum tale conſtituit in Eccleſijs obſeruandum, *vt abſtineatis vos* (inquit) *ab immolatis, & á ſanguine; id eſt, á ſuffocatis.* Præter miſerum homicidium, B adulterium, veneficia; quoniam nec nominari ea in Eccleſijs oporteret quæ legibus etiam Gentilium punirentur: prætermiſeruot quoque illas omnes minutias obſeruationum legalium; & ſola hæc quæ prædiximus cuſtodienda ſanxerunt, ne vel ſacrificatis diabolo cibis profanemur immundis, vel ne emortuo per viſcera ſuffocatorum animalium ſanguine polluamur; vel ne immundities fornicationum, corpora noſtra quæ templa Dei ſunt, violemus. Sic ergo permiſerunt omnia manducari, vt fornicatiooem præciperent fugiendam. Noſtri iam debet eſſe moderaminis, tantùm laxare habenas licentiæ, ne præcipites feramur in luxum, ſed vt pudicitia tuta eſſe poſſit; quam beatus Paulus ſine circunciſione gulæ ſciens cuſtodiri non poſſe, ſic ait: *Omnia quidem* C *munda ſunt & nihil abijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, ſed malum eſt homini qui per offenſionem manducat:* id eſt, qui offeoſiooem patitur cùm manducat: & ſubiecit ſtatim ſalutare conſilium; *bonum eſt* (inquit) *non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut ſcandalizatur aut infirmatur.* Quis ille coniunctior frater, quàm homo noſter exterior? cui ne noſtra licentia vel offendiculum, vel infirmitatem, vel ſcandalum pariat, vtendum eſt ciborum licentia non abuteodum, vt ſciamus nos non edendi cauſa eſſe natos ſed viuendi. Quapropter imperio Animæ, carnis conditio obſecundet; ne effrænata licentia (vt ait Salomon) ſeruus regnet, & ſtultus ſaturetur, & ancilla eijciat dominam ſuam, cum Lex præcipiat: *eijce* D *ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo* Iſaac. Eijciamus ergo ancillam, concupiſcentiam; & filium eius, peccatum; vt efficiamur hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, qui lignum Crucis ſuæ proprijs portando humeris, imaginem Paſſionis quam ſub vmbra Legis in ſancto Iſaac præmonſtrauerat, in veritate hominis ſuſcepti compleuit, precioſo ſanguine ſuo vitam noſtram redimens ab æternæ mortis exitio: Ipſe eſt enim noſtra Redemptio; cui omnis honor, virtus, & gloria, cum Patre, & cum Spiritu ſancto per omnia ſæcula, Amen.

Iſa. 10. Rom. 9. Act. 15.

Pudicitia ſeruari nō poteſt ſine gulæ circumciſione. Tit. 2. Rom. 14.

Non edendi, ſed viuendi cauſa nati ſumus. Prou. 30. Gal. 4.

Gen. 22. 6. Ioan. 19. 17.

EIVSDEM TRACTATVS, QVEM PRIMA DIE ORDINATIONIS IPSIVS *quorumdam ciuium Notarij exceperunt.*

IMPERITIÆ meæ conſcius, & ætatis ipſius immaturæ ad Sacerdotij dignitatem pudore deterritus; meritò ſilendi licentiam à ſummis Sacerdotibus poſtulabam. Metuo enim primùm, ne via verborum cœleſtium exiguitatis meæ ſermone teneretur: Deinde erubeſco, quòd tantæ expectatium optatum doctrinæ fructum præſtare non valeo. Vnde imparem me veſtro deſiderio per omnia ſentiens; onus iſtud totis viribus conatus ſum declinare. Sed B. pater Ambroſius, cæterique venerandi antiſtites, ſacramento (quo temerè vos ipſos obligaſtis) aſtricti, tales ad me epiſtolas cum veſtra legatione miſerunt, vt ſine damno animæ A meæ vltra iam reſiſtere non valerem; cui ab Orientalibus quoque Epiſcopis, niſi meum ad vos reditum pollicerer, ſalutaris Communio negaretur. Tali igitur concluſus articulo, & authoritate Sanctorum præſentium ſubiugatus; ſuſcepi hoc ſummi Sacerdotij munus, nec merito dignus, nec ætate aptabilis, nec doctrina maturus. Intuemini ergo quid patiar; qui cum loqui neſciam; tacere non poſſum. Cogor enim Seniorum præcepto obſequi vltra vires meas; nec poteſtatem ſilendi habens, nec fiduciam proloquendi. Sed ſpiritualium Patrum ſalutaria eſſe præcepta, diuinæ legis authoritate perſpiciens; audeo in verba prorumpere, ac tenuem veſtris auribus inferre ſermonem; quem idcirco forſitan patienter accipitis, quoniam populo Chriſti vtile videatur, obedientiam quæ & ſacrificio diuino præponitur & B mandatis Dei omnibus antefertur, exemplo diſcere prædicātis. Nam cum populus Hebræorum, poſt Ægyptia illa potentia, ad vnius Dei notitiam vocaretur, primam didicit obedientiam, tanquam ducem ſeruandorum cœleſtium mandatorum. Sic enim Scriptura teſtatur: *Audi Iſrael; Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt:* Et iterū; *Audi Iſrael præcepta vitæ*, Hoc quod dicitur, *Audi:* non audientiam (vt opinor) ſimplicem ſonat; ſed obſeruandæ legis obedientiam prædicat teſtante rurſum Domino ac dicente: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ manducabitis.* Quod ſi ſecundum B. Pauli Apoſtoli ſententiam, *non auditores ſed factores legis iuſtificabuntur apud Deum:* non iam videbitur perfunctoria iſta auditio, quæ bonorum terræ præmijs honoratur; & non cuiuſlibet C terræ, ſed illius olim promiſſæ, illius fluentis lac & mel. Promiſſionis enim terra Chriſti caro eſt, ex maſſa humani generis de terra formati ſuſcepta, ac dulcibus diuinæ gratiæ ſuccis exuberans; cuius puriſſimo doctrinæ lacte alimur & nutrimur; cuius cœleſtium chariſmatum ſuauitate reficimur; cuius vbertate credentium corda pingueſcunt; cuius bonis obedientium mentes animæque fidelium, & in hoc & in futuro ſæculo ſignantur. Quónam ergo hæc ſpectat tractatio? Nempe vt veſtra dilectio euidenter iotelligat, quanta vis meam compulerit paruitatem arduis obſecundare præceptis, atque aperire os meum ſub tantorum præſentia Sacerdotum, & maximè poſt illam veneraodæ memoriæ patris mei Philaſtrij eruditiſſimam vocem, qua per gratiam Spiritus D ſancti largè effluens, hanc Eccleſiam in fide Trinitatis adorandæ fundauit, in vera ſpe & charitate perfecta conſtituit ad virtutes erexit, io pace reliquit. Hæc ad excuſationem illius quæ in me reprehendi potuiſſet audaciæ, breuiter dixiſſe ſufficiat. Nunc verò ſanctarum lectionum puteus altus eſt, & ego, hauritorium verbi non habens, aquam viuam ſitientibus vobis ioterim miniſtrare non poſſum. Obſecro communem patrem Ambroſium, vt poſt exiguum rorem ſermonis mei ipſe irriget corda veſtra diuinarum myſterijs literarum. Loquetur enim Spiritu ſancto quo plenus eſt, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, & tanquam Petri Apoſtoli ſucceſſor, ipſe erit os vniuerſorum circunſtantium Sacerdotum. Nam cùm Dominus Ieſus ioterrogaret E Apoſtolos. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* ſolus Petrus, omnium credentium ore reſpondit; *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Quid ſtatim muneris accepit iſta confeſſio? beatitudinem ſcilicet, regnique cœleſtis glorioſiſſimam poteſtatem. Solus ergo cùm loquitur Petrus; nequaqoam reliquorum credeotium fides excluditur. Sed congruus ordo ſeruatus, dum priocipi Apoſtolorum primus loquendi locus iure defertur; ne tumultus quidam magis quàm reſponſio videretur, ſi tunc vniuerſi certatim ac pariter reſpondiſſeot. Dicat fortè aliquis; ſicut illos tres io camino fideles pueros, ita in hoc examine omnes Apoſtolos conſona voce debuiſſe eadem profiteri. Sed conſiderandum, quia Iudas ille Iſchariotes quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat: & neque beatitudinem merebatur incredulus;

D. Gaudentius excōmunicationis metu coactus Epiſcopalū ſuſcepit.

Epiſcopus tacere nō poteſt.

Deut. 6. Iſa. 1. Rom. 2.

Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus. D. Gaudentij anteceſſor. Ioan. 4.

S. Ambroſius cōmunis pater omnium ſuo Archiepiſcopatu diœceſanorum. Matth. 19.

S. Petrus accepit à Chriſto glorioſiſſimā regni cœleſtis poteſtatem. Petrus princeps Apoſtolorum. Dan. 3.

neque

Digitized by Google

neque ante diri facinoris perpetrationem, iuſti Iudicis poterat ſententijs prædamnari: poſteà verò, pro commiſſo ſcelere iam damnato Iuda, omnes Apoſtoli Chriſto ſurgente, in Petro claues accipiunt; quinimò cum Petro, cœleſtis regni claues ab ipſo Domino accipiunt,

Ioan. 21. 15. Matth. 28.

quando ait illis: accipite Spiritum ſanctum; quorum peccata dimiſeritis, dimiſſa erunt: Et iterum; *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti:* Ianua quippe regni cœlorum non niſi hac ſacramentorum ſpiritualium claue reſeratur. Precentur modò hi omnes Apoſtolici ſacerdotes, miſericordiam Dei Patris *qui ſuſcitauit te de terra inopem & de ſtercore erexit pauperem, vt faceret eũ ſedere cum principibus populi ſui;* vt etiam

Pſal. 112.

ſancti Spiritus virtutem, ad Eccleſiæ ſuæ gubernaculum tenendum, mihi minimo omnium largiri dignetur per vnigenitum Filium ſuum Redemptorem noſtrum; cum quo viuit & regnat ſemper Deus in vnitate Spiritus ſanctus, ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſæcula ſæculorum, Amen.

TRACTATVS EIVSDEM EXCEPTVS DIE DEDICATIONIS BASILICÆ *Sanctorum quadraginta Martyrum.*

DIVENTS muneribus & cœleſtibus beneficijs condignas referre gratias, puſillitas noſtra non præualet; fratres chariſſimi. Nam vt venerandas ſanctorum reliquias haberemus; Deus noſter tribuit: deinde, vt hanc honori eorum fundare Baſilicam valeremus, ipſe largitus eſt; & hodiè, vt adepti ſummorum Sacerdotum præſentiam, Dedicationem celebrare mereamur, ipſe conceſſit. Conuenerunt enim ſancti antiſtites & Apoſtolici viri, ad perſoluendum beatiſſimis Patribus & præceptoribus ſuis debitæ deuotionis obſequiũ, vt vbertate pleniſſima benedictionum ſpiritualium ditaremur; licet importunitas Barbarorum, maximam partem celebritatis diei hodierno ſubtraxerit, ne cæteri ſancti Antiſtites quos interfuturos credidimus, aduenirent. Iam qui ſunt iſti quorum beatis reliquijs illuſtramur; hinc incipiã numerare. Primo in loco Ioannes Baptiſta eſt; vltimus quidẽ, ſed maximus Prophetarum: nouiſſimus tempore, quia omnis *lex & Propheta vſque ad Ioannem*, ſed merito prior & dignitate præſtantior, quia

Ioan. 1. Matth. 11.

ita de illo Chriſtus loquitur ad Iudæos: *quid exiſtis in deſerto videre? Prophetam? dico vobis, & pluſquam Prophetam; hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce mitto Angelum meum qui præparabit viam tuam.* Vno teſtimonio Saluatoris, beatiſſimus Ioannes Baptiſta, & Angelus, & Apoſtolus, & Propheta præcipuus declaratur. Vetus enim Dei eſt Angelus, qui præcurſor & nuncius Chriſti eſt; verè Apoſtolus eſt, qui miſſus à Deo eſt: deſtinatus enim nuncupatur Apoſtolus. *Fuit*, inquit, *homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Idcirco autem ſanctus ipſe Propheta dicitur & pluſquam Propheta; quia Chriſtum, & ſua, & omnium Prophetarum voce prædictum, digito meruit demonſtrare dicens:

Ioan. 1. Reliquiæ B. B. Ioann. Baptiſtæ, Andreæ, Thomæ, & Lucæ. Ioan. 1.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. Poſt hunc habemus Andream Beatiſſimum; primùm Ioannis ipſius diſcipulum, deinde Saluatoris; quem priorem Chriſtus Apoſtolum ſcribitur elegiſſe. *Erat inquit Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant ab Ioanne, Ecce agnus Dei; & ſecuti erant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem & dixit ei. Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus, & adduxit eum ad Ieſum.*

Thomas, curioſis quidem ſed dignis manibus contrectat membra Chriſti. Ioan. 20.

Tertius B. Thomas, qui poſt reſurrectionem Chriſti ſolus deſiderauit ſolúſque obtinuit vt membra Chriſti, curioſis quidem, ſed vtique dignis manibus, contrectaret. Ardentis ſiquidem deſiderij fuit illud non incredulitatis, quod cõdiſcipulis ſuis qui ipſo abſente Dominum viderant, ait; *Niſi videro & contrectauero, non credam:* erat enim valde anxius, ne non & oculis frueretur eo quod corde credebat; ne priuaretur aſpectu illius lucis qua ſe cæteri Apoſtoli illuminatos gloriabantur. Satiauit ergo eum Dominus, cuius manet illa promiſſio;

Matth. 5. Ioan. 20. 26.

Beati A *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Apparuit ſecundò Apoſtolis vt Thomæ deſiderium adimpleret; profuit cupiditas eius & cæteris, nec ipſe minus aliquid habet quia poſterior Chriſtum videt. Nam detrimenta prioris aſpectus, viſu pariter & attactu compenſat: qui vtique ſi iuxta opinionem quorumdam infidelis fuiſſet; Chriſtus illi poſt reſurrectionem ſuam apparere non fuiſſet dignatus: Scriptum eſt enim;

Sap. 1.

quoniam inuenitur ab his qui non tentant eum, apparet verò his qui fidem habent in ipſum. Quod autem dixit illi Saluator: *Noli eſſe incredulus, ſed credens:* &; *quia vidiſti & credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt:* informare in eo voluit omnes poſteà credituros, vt populus noſter ſimilis Thomæ, qui abſens erat quando apparuit Chriſtus Apoſtolis, relationi eorum indubitatam fidem commodet; B nec exigat in carne conſpicere quem teſtimonio Apoſtolorum poſt paſſionem crucis reſurrexiſſe & viſum fuiſſe didicerit. Neque enim poſtquam regreſſus eſt ad cœlos, ſolis in hoc Mundo virtutibus præſens; debet quotidiè pro cuiuſcumque voluntate, ſingulis vniuerſiſque credentibus in corpore apparere: ſufficiat nobis; quoniam ſancti Thomæ curioſitas & ambiguitas futuræ ſcrupuloſitatis finẽ fecit. Quòd enim abſens fuit, quòd auidiùs & videre & attrectare Dominum perquiſiuit; totum noſtræ procurabatur ſaluti, vt euidentiùs noſceremus reſurrectionis Dominicæ veritatem, quam beatus Thomas ob neceſſariam curioſitatem prouidenter reprehenſus affirmat, dicens ei: *Dominus meus & Deus meus.*

S. Lucas, imitanda examinatione ſcripſit Acta Apoſtolorum.

Quartus Lucas eſt Euangeliſta, qui beatos Apoſtolos C pari merito ſubſecutus, & Euangelij librũ & Actus Apoſtolorum imitanda examinatione conſcripſit. Horum quatuor, beatas habemus in præſenti reliquias; qui regnum Dei & iuſtitiam prædicantes, ab incredulis & iniquis occiſi, Deo ſemper viuere operationum ſuarum virtutibus demonſtrantur,

Miracula demõſtrãt Martyres Deo viuere.

Ioannes in Sebaſtena vrbe prouinciæ Paleſtinæ; Thomas apud Indos Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatem conſummati referuntur. Poſt iſtos habemus Geruaſium, Prothaſium, atque Nazarium beatiſſimos Martyres qui ſe ante paucos annos apud vrbem Mediolanenſem ſancto Sacerdoti Ambroſio reuelare dignati ſunt; quorum ſanguinem tenemus gypſo collectum, nihil amplius requirentes. Tenemus etiam ſanguinem qui teſtis eſt paſſionis.

Reliquiæ Sanctorum quas B. Ambroſius reuelauerat.

Recepimus etiam ſanctos cineres Siſinnij Martyris & Alexan- D dri; quos nuper in ara Agatini, vni venerandæ religionis cultui attentiùs inhærentes, Gens interfecit ſacrilega flammiſq; adhibitis concremauit vt holocauſtum Deo ipſi fierent, qui Chriſtianos ſuos, victimas Dæmonijs miniſtrare, increpatione iuſtiſſima vetuiſſent.

Ara Agatini.

Iam quid poſt iſtos decem, de quadraginta Martyribus dignum loquar, qui ſe itineri meo cùm per vrbes Cappadociæ Ieruſalem pergerem, fideles comites præbere dignati ſunt?

Peregrinatio Gaudentij.

In ipſa enim maxima Cappadociæ ciuitate quæ appellatur Cæſarea, vbi habent ijdem beatiſſimi inſigne Martyrium; reperimus quaſdam Dei famulas monaſterij ſanctarum Virginũ digniſſimas matres (prorſus Mariæ & Marthæ conſimiles) quas meritò diligat Ieſus; natura fide, & ſtudio, & caſtitatis integritate E germanas. Quibus ab auunculo ſuo Sacerdote ac Confeſſore Baſilio, olim traditæ fuerunt horum Martyrum venerandæ reliquiæ, quas deſiderio noſtro incũctanter ac fideliter tribuerunt; idoneos veneratores tanti nos eſſe muneris approbantes, ſimúlque ſub teſtificatione Domini confirentes ſe ſemper oraſſe Deum noſtrum, vt hæc tam precioſa poſſeſſio in tales transfunderetur hæredes, qui eas conſimili fide diligentiáque imitarentur,

a Nepotes S. Baſilij Monaſterij Virginũ matres.

qui ſtudij ac venerationis ipſarum & ſucceſſores & augmentatores exiſterent, & tranſmigrationẽ de hoc Mundo ſuam quotidie expectarent. Exaudita eſt ecce, fidelis oratio: venerabiles ipſas Martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus perpendendas; licet eis ex illo iam tempore celebritas debita

Reliquiæ Martyrum populo propoſitæ Celebritas beneficijs Martyrum mancipata.

nunquam defuiſſe noſtri cognoſcatur officij, præclaris eorum beneficijs ſalutariter mancipata. Sed iam quo ordine ad Martyrij gloriam peruenerint ipſi beatiſſimi, breuiter enarrabo; quamuis ad proſequendas eorum laudes impatem me eſſe confiteor. Planè habent idoneum ſuis meritis digniſſimúmque præconem beatæ recordationis virum, confeſſorem Baſilium Eccleſiæ Cæſarienſis antiſtitem; cuius eloquentia ſingularis & ſermo Apoſtolico ſale conditus, paupertatem mei retundit ingenij. Quid enim à me inferri nouum poteſt, quod non ille in eorum laudibus vbertate eloquij ſui opulenter effuderit, copioſe ornauerit, ſignanter expreſſerit? Ingentis quippe difficultatis eſt, eaſdem virtutes diuerſis ſermonibus prædicare: Aggrediar tamen inſtituendæ dilectionis veſtræ cauſa vel hiſtoriam replicare geſtorum. Milites erant iſti in partibus minoris Armeniæ conſtituti, florentes ætatibus, corporum proceritate ſublimes, experientia belligerandi laudabiles, ſtipendijs militaribus virtutum ſuarum merito honorati; & quod hæc omnia ſupergreditur, Chriſtiani; atque ad omnem probitatem morum, bono venerandæ religionis ornati, & ſpiritualibus armis doctrinæ cœleſtis inſtructi. Statim denique vbi tuba perſecutionis increpuit, fortiſſimos Chriſti milites amor fidei præcinxit ad bellum. Nam cùm per alia edicta ſacrilegi Regis proponi à iudicante cœpiſſent; quibus præcipiebatur ne quiſquam, vel priuatus, vel miles Chriſtianum proferre nomen auderet, ſed vt omnis populus ſacrificare dæmonijs cogeretur: ſpontè prorumpunt in medium, Chriſtianos ſe eſſe clariſſima voce teſtantur; ſeque ab hoc ſalutari cultu nullis terroribus diuelli poſſe pronunciant. Intuitus conſtantiam iuuenum terribilis Perſecutor, ſepoſita authoritate, blandis eos hortatur alloquijs, ne vellent hac pertinacia vti, ne erga Imperatorem ſuum contumelioſi exiſterent, ne eius præcepta contemnerent; ne aliâs deuotiſſimi, in hoc facto offenſam Regis maximam prouocarent; à quo magis beneficia & honores pro hac ſpecialiter obedientia ſperare deberent. Indecorum certè bellatoribus viris eſſe, vt inter ignauos & noxios morte turpiſſima deperirent. Cogitandum illis eſſe iuuentutis ſuæ florem, & iucunditatem lucis huius ac vitæ; quam ſine reſpectu illius rationis imprudentes amittere ſuaderentur. Talibus auditis; Chriſtiani viri meritóque mirabiles, venenatas pernicioſi hortatoris blanditias non ſolùm conſtantibus animis reſpuerunt verùm etiam reſponſione acerrima refutarunt. Quid tu (aiunt) omnium nequiſſime; contra Deum rebellare auſus, famulos eius verbis fallacibus ſupplantare conaris? Quid nos à cultu Dei veri & viui, ad mortua dæmonum ſimulachra inclinare contendis? Quid honorum terreſtrium caducis promiſſionibus & inanium rerum præſtigijs animos noſtros è vigore fidei cœleſtis deprauare pertentas? Execramur munera, quæ detrimẽtum ſalutis important; repudiamus honores qui auferunt illam gloriam ſempiternam, reprobamus amicitias regis, quæ nos à charitate Dei ſeparare deſiderant; reſpuimus & hanc temporalem noſtri corporis vitam; quæ, cum periculo fidei ſeruata, animæ adquirit interitum: poſtremò; nec ſupplicijs præſentibus deterremur. Tradimus carnem pœnis quaſcumque irrogare volueris: ne, abnegantes Chriſtum Deum, ad tormenta perpetua demergamur; quæ diabolo & vobis miniſtris eius, ſunt ab initio præparata. Tunc ille Iudex iniquitatis, huiuſmodi dictis accenſus; furorem ſuum quem paulo antè ſubtiliùs explere voluerat, excogitata ſupplicij nouitate geminabat. Perſpiciens enim regionis naturam nimijs rigentem frigoribus; tempus etiam quo maxima hyemis aſperitas Aquilone flante violentiùs incumbebat, montes niuibus, pruinis arua tegebantur, liquores agnoſcere ſuam naturam ſolis ignibus cogebantur, ſtupebant ingenti glacie Torrentium fluminum curſus: Stagnum quoque vrbi in qua iſta gerebantur ſubiacens longè latéque diffuſum, validiſſimo gelu durante, iter ſolidum plauſtris gementibus commodabat. Hac ergo vi loci vel temporis immanitate perſpecta; ſacrilegij gentilis exactor, iſtud ſupplicij genus ſanctis adhibere imperat, vt nudatis corporibus religati in aperti aëris pruinoſa duritie pernoctarent, balneis longè ſub conſpectu eorum fumãtibus, vbi velox remedium victis callidus Perſecutor animas eorum magis interficere geſtiens promittebat. Sed beatiſſimi Martyres, Spiritu ſancto feruentes, veſtibus ſuis procul abiectis feſtini ad ſtadium properant; coronam tanto certamini propoſitam cœlitùs intuẽtes. Deinde hortatibus mutuis patientiæ vires accendunt, gloriam regni cœleſtis pœnis præſentibus præferunt: & hoc inter cætera replicantes, quòd qui pro ſalute Regis terreni hoſtiles gladios formidare contempſimus; cur non pro fide Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti Regis æterni, omnes irrogatos noſtro corpori cruciatus, æquo animo patiamur; ocyus ad æternæ lucis beatitudinem vitámque perpetuam, glorioſæ mortis cõpendio tranſituri? Inter pruinas ardebat fides; & cœleſtes animi deſiderio Chriſti feruebant. Vrebat acritudo nimij frigoris lucentes rigentium corporum cutes; At occupatæ erga Dei amorem religioſæ mentes, amœnitatem Paradiſi cogitabant. Terebrabantur penetralia viſcerum, gelu; ita vt medullas oſſium, grauiſſimis cruciatibus, internus quidam glacialis tortor vrgeret; & animorum virtus immobilis, curſus ſui metas aſpiciens, de proxima conſummatione gaudebat, fideli tolerantia promiſſum Dei munus expectans. Sed vnus ex eorum numero, breuiſſimi adhuc & etiam ſupremi doloris impatiens; rogare miſer cœpit, vt ad balnea duceretur. Miles intereà cui ſollicitudo iniuncta fuerat, vt illud mortis lauacrum victis quibuſq; reſeraret; dum curioſis oculis, de loco ſublimi agonem virorum ſpectat inſignium, rei exitum captans; videt ducem cœleſtis militiæ deſcendentem cum multitudine Angelorum & fortiſſimis bellatoribus, claras veſtes atque opima ſingillatim præmia erogantem; quæ ſolus ille miſerabilis, cuius fidem diabolus fregerat, non accepit. Ducitur infelix ad balneum: ibíque confeſtim, caloris afflatu quo ſe animandum crediderat, exanimatus; & vitam perdidit & coronam. Luctuoſum facinus gratulatio inopinata ſubſequitur. Repente eius locum, ſupradictæ viſionis admirator inuadit; nudat membra optato ſupplicio: ſe eſſe Chriſtianum, clamore ingenti congeminat; quem ſpectaculi illius admirabilis virtus, ſubitò ex gentili verum fecerat Chriſtianum. Tenetur continuò profeſſionis ſuæ reus; ligatur volens, & ſecantibus vinculis crudeliter innodatur; perſeuerat adſtrictus, gloriatur in pœna, ſpe diuinæ remunerationis effertur. Creſcit inter ſupplicia fides Chriſti; augetur inter tormenta, dilectio. Nam ſenſu Apoſtolico teſtabatur; Me nulla ſuppliciorũ vis, nulla immanitas tormentorum poterit ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In medijs cruciatibus, nouus Martyr, inſtruente Spiritu ſancto eruditur & proficit; moritur & triumphat: Trinitas adoranda, teſtem ſuum inter pœnas fideliter permanentem, Martyrio ipſo (ad vicem Baptiſmi) glorioſiùs & abluit & emendat, & ad cœlorum regna perducit. Commoritur denique quadrageſimus ſanctus cum ſanctis, vt ſacer numerus quem Saluator ieiunijs honorauerat, compleretur, ſicut ipſi beati Martyres oraſſe memorantur. Poſt hæc; iuſſit carnifices, defunctorum corpora longiùs tranſportata ignibus concremare. Relinquebat vnum qui adhuc viuere putabatur, ſi forte mutaret in peius ipſa ſolitudine voluntatem. Ibi eius venerabilis mater quæ talem filium bono ſapientiæ cœleſtis lacte nutriuerat, cucurrit ad cadauer ſpirantis filij; & proprijs cum manibus, vehiculo quo corpora aliorum congeſta ad pyram trahebantur, impoſuit. Vade (inquit) nate, iſtam bonam viam, ſaluus cum coætaneis tuis & glorioſus ad Dominum. O admirabilis & verè digna mater Martyris! quinimò & ipſa iam Martyr, proprijs viſceribus non pepercit dum ſua membra pro Chriſti nomine puniri lætatur in filio. Iam verò

Baſilij ſermo de 40. Martyribus.

SS. 40. Martyrum Hiſtoria.

Martyrum conſtãtiſſimæ voces.

Feruor Martyrum.

Viſio.

Rom. 8.

Baptiſmus ſanguinis.

Matris in filiũ martyrem eximia pietas.

verò oec illud in poſtrema parte reticemus, quòd cùm cineres exuſtorum corporum, mandato Perſecutotis iu fluuium iacerétur; non deſueruut religioſæ manus quæ partem cineris vel furto eriperent vel pretio compararent. Hinc & Eccleſia Cæſarienſis exultat, & noſtra fraternitas non immeritò gloriatur; reſetuarum ſibi prouidentia Dei ſalutare munus intelligens. Portionem reliquiarum ſumpſimus; & nihil nos minùs poſſidere confidimus, dum totos quadraginta in ſuis fauillis honorantes amplectimur: ſicut illa in Euangelio fidelis mulier quæ per fimbriam Chriſti ſaluata eſt; oram tenuit veſtimenti, & virtutem diuinitatis exegit: attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, & ſalutem quam præſumpſerat acquiſiuit. Itaque pars ipſa quam meruimur, pleoitudo eſt: diuidi enim quadraginta iſti Martyres ab inuicem nullo modo poſſunt, quorum ſunt inſeparabiles & indiſcretæ reliquiæ. Nam ſicut animas eorum, igneur ille Spiritur Dei ſalutaris, fidei vnitate coniunxit (*Erat enim omnium credētium cor vnum & anima vna*) ita etiam membra eorum concremans ignis, in vnum fauillæ corpus redegit. Habemur ergo & bos quadraginta & prædictos decem Sanctos, ex diuerſis terrarum partibus congregatos; vnde banc ipſam Baſilicam eorum meritis dedicatam, Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus. Dignum eſt enim vt ad tantorum Martyrum venerandas reliquias proceſſuri, ad concilium Sanctorum nos procedere fateamur. Tot igitur iuſtorum patrocinio adiuuandi; tota fide omníque deſiderio ſupplices, ſecundùm eorum veſtigia curramus; vt ipſis intercedentibus, vniuerſa quæ poſcimus, adipiſci mereamur magnificantes Chriſtum Dominum tanti muneris largitorem; cui omnis booor, virtus & gloria cum Patre & cum Spiritu ſancto, ante omnia & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Ameo.

Cineres Martyrum, furto & pretio coëmpti à Chriſtianis.

Matth. 9. Luc. 8.

Act. 4. 32.

Baſilica, Sanctorum meritis dedicata.

Sanctorum, inuocatio.

RESPONSIO EIVSDEM AD GERMINIVM DE VILLICO iniquitatis.

Seruo Chriſti Germinio, Gaudentius Epiſcopus.

SAPIENTEM virum ſemper conuenit dicta ſapiētiæ cogitare; hiſque intelligendis omne acumen ingenij, omnem vigorem mentis intendere. Et idcirco, tu qui & mundanæ ſapientiæ literis eruditus es, & veram Dei ſapientiam per ſacras literas didiciſti; operam nauare non deſinis ad perquirendos interiores ſenſus verborum Chriſti, quem Dei eſſe virtutem Deíq; ſapientiam docēte Apoſtolo, non ignoras. Nam inter cætera diuinæ legis eloquia, quorum diſperſionem frequeoter exigis; hoc etiā ſpecialiter poſtulaſti, vt parabolam de Villico iniquitatis valde difficilem, cuius nemo veſtrum tibi idoneus videtur ioterpres, ego ſcriptis proprijs explanarē; Explanationem verò ipſam literis tradi, ideò forſitan vis, vt chyrographum teneas reſponſionis meæ de capitulo (vt ipſe fateris) obſcuriſſimo: ſed non formidabo vel eloqui interrogatus, vel etiam ſcribere pro puſillitate ſenſus mei; ſalua fidei ratione, quid ſeutiam. Ac primū, chariſſime, ipſius lectionis verba ponenda ſunt, & ita demùm ratio eſt aperiēda dictorum. Refert in Euaogelij ſui libro beatus Lucas: *Dicebat* (inquit) *Dominus Ieſus ad diſcipulos ſuos parabolam: Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic delatus eſt quaſi diſſiparet facultates eius; & vocato eo, ait ille: quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare: Ait autem villicus intra ſe: quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco; ſcio quid faciam, vt cùm amotus fuero de villicatione recipiant me in domos ſuas: Et conuocans vnumquemque debitorem Domini ſui dicebat primo; quantum debes Domino meo? At ille dixit centum batos olei: Et ait illi; accipe literas tuas, & ſedens citò ſcribe quinquaginta; deinde alij dixit; tu verò quantum debes? At ille ait, centum coros tritici: Et ait illi; Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta: Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecit, quoniam filij huius ſæculi prudentiores quam filij lucis in regeneratione ſua ſunt; & ego vobis dico, facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula: Qui fidelis eſt in minimo, & in multo fidelis eſt; & qui in minimo iniquus eſt, & in multo iniquus eſt: Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuiſtis; quod veſtrum eſt, quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis; quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Nemo poteſt ſeruus duobus Dominis ſeruire, aut enim vnum oderit & alterum patietur, aut alterum contemnet: non poteſtis Deo ſeruire & Mammona.* Perfecti doctoris eſt ad erudiendos diſcipulos, ſimilitudines earum rerum proponere quæ in cooueſatione bumani generis frequentantur, vt auditor idoneus ad operandi ſtudium comparationis magiſterio informetur; nec dubitet hoc opus aggredi, quod poſſibile ac neceſſarium eſſe parabolæ imago monſtrauerit. Et idcirco Dominus Ieſus ſalutarium mandatorum verus magiſter, diſcipulos ſuos, vel tunc Apoſtolos, vel nunc vniuerſos credētes inuitare volens ad eleemoſynas fideliter exercendas; ſimilitudinem propoſuit Villici: vt exemplo buius perſonæ nihil eſſe noſtrum in ſæculo iſto ſignaret; ſed nobis creditam eſſe diſpenſationem facultatum Domini noſtri, vel ad vtendum ex eis ſufficienter cum gratiarum actiooe, vel ad diſtribuendum conſeruis prout cuique opus eſt; nec licere nobis paſſim facultatibus abuti commiſſis, aut in expenſas vſurpare ſuperfluas; cùm ſit erogationis ratio Domino venienti reddenda. Denique poſt finem parabolæ, ſic adiecit: *Et ego dico vobis; facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula:* id eſt; amicos vobis pauperes facite de terrenis facultatibus, quas iniquitas humanæ auaritiæ ſibi vendicat, ne hominibur Dei ex eius rebur quicquam impertiat. Mammona enim, ſermone Syro pecuniæ ſiue diuitiæ nuncupantur. *Facite ergo vobis* (inquit) *amicos pauperes de Mammona iniquitatis; Vt cùm defeceritis,* eadem ſubſtantia in pauperum neceſſitates erogata atque conſumpta: recipiant vos in æterna tabernacula; Iidem videlicet pauperes amici conciliandæ ſalutis; in quibus Chriſtus remunerator æternus ſe huius humanitatis ſatebitur officia percepiſſe. Recipient ergo vos, non ipſi omnino pauperes per ſemetipſos; ſed per eum qui in illis obedientiæ ac fidei noſtræ fructu reficitur, ſuſcepturus miniſtros pietatis buius in æterna tabernacula regni cœleſtis. Dicit enim: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt ab origine Mundi; eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere, peregrinus eram & collegiſtis me, nudus & cooperuiſtis me, infirmus & viſitaſtis me, in carcere eram & veniſtis ad me:* Quibus verecundè ac reuerenter excuſantibur; *Domine quando te vidimus in his neceſſitatibus & miniſtrauimus tibi?* reſpondebit dicens: *Amen dico vobis cum feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* Nulli itaque abſurdum videatur quòd illi nos dicantur ſuſcipere quorum cauſa ſuſcipimur; cùm & ipſe ſuſceptor noſter Dominus Ieſus qui neceſſitatibus humanis non ſubiacet, ſe in illis eſuriiſſe: & ſitiiſſe, & peregrinum, & nudum, & infirmum, & incarceratum fuiſſe perhibeat. *Facite ergo vobis* (ait) *amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Et poſt pauca: *ſi in iniquo Mammona fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis credet vobis?* Enimuerò (dilectiſſime) quis, ei qui terrenas facultates iniquitatis plerumque materiam ſuggerentes, diſpenſare fideliter oeſciat; committendas putet eſſe veras cœleſtium rerum diuitias, quibus fidelis diſtributor ac iuſtus ritè meritóque perfruitur? Nam *gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Statim denique ſermo ille Dominicus ita coniungitur. *Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?* Profectò enim quicquid in hoc ſæculo eſt, alienum nobis eſt qui retributionem futuram ſperantes, velut hoſpites & peregrini in boc mundo conuerſari iubemur,

Chriſtus ad eleemoſynas exercendas ſuos inuitat.

Matth. 25.

Pſal. 111.

Luc. 16.

vt vnuſquiſque noſtrum ſecurus Domino audeat confiteri; *Pſal. 38. Matth. 6. Phil. 3.* **A** *Aduena ego ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Propria verò credentibus & æterna poſſeſſio eſt illa cœleſtis, vbi eſſe cor & theſaurũ noſtrũ nouimus: Vbi iam toto affectu mentis, per fidẽ nos habitare præſumimus; quoniã iuxta B. Pauli doctrinã, *conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Noſtrum eſt igitur cœlorum regnum; ſi pollicenti Domino, in humilitate cordis & ſpiritus manſuetudine ſeruiamus. *Matth. 5.* *Beati omnes pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quod vtique regnum nõ poteſt adipiſci omnis qui in alieno huius ſæculi patrimonio tẽporariè ſibi credito, idoneus ac fidelis diſpenſator non fuerit: vnde alio in loco dicebat Dominus; *quam difficilè, qui pecunias habent intrabunt in regnũ Dei.* Et in fine lectionis huius ait: *Matth. 19.* *Non poteſtis Deo & Mammonæ ſeruire.* Dei enim Chriſti ſeruos atq; diſcipulos imperare oportet pecuniæ, non ſeruire; **B** nedũ cupiditati eius obedimus, à charitate ſeruitutis eius, dominante pecunia ſeparemur. Diſpergendæ ſunt ergo pecuniæ indigentibus, ſecundum præceptum Creatoris omnium Dei; quoniam neque noſtræ ſunt, neque illas ſine iniquitate ac ſui pernicie auarus quiſquam detinet. Nam iuxta ſententiam Saluatoris, aditum regni cœlorum ſuis retentoribus intercludunt, & *facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum Dei:* *Ibid.* illum nempe diuitem, qui ſit ob horrorem turpis auaritiæ camelo infirmior. Grauis pecuniarum ſarcina eſt; quæ tenacium ſui mentes auaritiæ pondere ad terram deprimit, *Grauis eſt pecuniarum ſarcina.* nec emergere ad ſuperna, cœlúmque inſpicere, vbi vita noſtra eſt, omnino permittit; cum doceat Beatus Apoſtolus: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite non quæ ſuper terram; Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* *Coloſſ. 3.* **C**

Quoniam verò arcta & *anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam;* *Matth. 7.* oneratos diuitiarum terreſtrium faſcibus ingredi per illam non capit. Expeditos quærit ac tenues omníque continentia caſtigatos, & (vt ita dixerim) filo gracili ſimiles, qui etiam per foramen illius myſticæ acus facilè tranſeant; ſpiritales effecti. Hæc eſt & ratio & vtilitas parabolæ huius; cui primum, iuxta quod iubetur, parendum eſt: & ita intellectus ſecretior ſi reperiri valeat, inquirendus eſt, quia non in ſermone eſt regnum Dei ſed in virtute: *1 Cor. 4. Rom. 2.* *Et non auditores tantum ſed factores legis iuſtificabuntur apud Deum:* **D** nec poteſt aliquis liquido comprehendere interiorem ſcientiam diuini eloquij, Apoſtolo proteſtante: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam imperſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius; quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* *Rom. 11.* Et alio in loco, cum de Adam & Eua ſacramentum diuini ſermonis nimirùm grande ſentiret, & loqui illud dignè non poſſet, ait: *Myſterium hoc grande eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Vis autem noſſe quòd ad æternam vitam, non per notitiam ſecretorum ſed per operum bonorum efficientiam peruenitur? Dominus in Euangelio interroganti cuidam diuiti, ſic reſpondit: *Si vis ad vitam venire, ſerua mandata.* Quæ, cùm ille ſe omnia cuſtodiſſe iactaret; extorqueri tamen ab eo, ad præſens, *Matth. 19.* **E** vnum mandatum non potuit, vt miſericors eſſet in pauperes & theſaurum ſuum transferret ad cœlum: nam ſtatim audito hoc ſermone, abſceſſit triſtis. Nec immeritò triſtis; quia gaudium cœleſtis theſauri, maſo auaritiæ poſſeſſus, poſſidere non poterat. Profectò *radix omnium malorum* eſt amor pecuniæ, vt ingemiſcit Apoſtolus, *quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* *Tim. 6.* Nam precioſæ fidei errorem patitur & inſerit ſe doloribus multis, qui amore terreſtrium (ſicut adoleſcens iſte) diſcedit à Chriſto: dum mandatum eius ſubterfugit, dum à conſpectu Domini triſtis ac lugens, ad pœnas auaris & contemptoribus præparatas, ſpontanea cæcitate deducitur. In ſiniſtra enim parte infructuoſitatis meritò, conſtitutis dicetur: *Diſcedite à me in ignem æternũ quem parauit pater meus diabolo & Angelis eius, quia cùm non feciſtis miſericordiam indigentibus, nec mihi feciſtis.* *Matth. 25.* **A** Venio nunc ad illud quod tantopere à me exegiſti, & quid ſuper eo ſentiam qua potero breuitate narrabo: *Luc. 16. Villicus iniquitatis diabolus.* nulli præiudicaturus, qualiter interpretari voluerit; modò vt explanatio eius traditionem fidei Apoſtolicæ non infringat. Iniquitatis villicum, Diabolum puto eſſe; qui idcirco ob correptionem generis humani ſæculo iſto dimiſſus eſt, vt immanitatem crudeliſſimi huius villici fugientes, ad pietatem Dei ſuppliciter concurramus; cuius miſericordia atque virtute contra omnes infeſtationes eius defenſi eſſe poſſimus: quandoquidem & ipſe villicus ſub poteſtate conſtitutus eſt Domini Dei; illius verè diuitis, qui ſicut docet Apoſtolus, diues eſt in omnes & ſuper omnes qui inuocant eum. *Rom. 10.* *Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Diſſipat autem diabolus facultatem **B** Domini ſui, quando in perniciem generis humani graſſatur: *Facultates Domini, genus humanũ.* id eſt; in noſtram necem, qui poſſeſſio Dei ſumus, ſicut ipſe Dei Filius Patris ſui dicta per Prophetam referendo teſtatur. *Pſal. 2. Pſal. 134.* *Poſtula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et iterum: *quoniam elegit ſibi Dominus, Iacob; & Iſrael in poſſeſſionem ſibi.* Videns ergo Deus in tantum dæmonis audaciam prorupiſſe, vt quos correctionis cauſa tentare ſolùm permiſſus fuerat, vſurpauerit & necauerit, comminatus illi expulſionem, vt immanitas eius metu vltionis interminata frangatur. At ille nequiſſimus hominum mortem quæſtum ſuum computans, æſtuat anxius quòd Dominus ei & poteſtatem dominandi ablaturus eſſet; & quoniam nec operari bonum vult, & petere **C** miſericordiam pœnitens erubeſcit; argumentatur, quomodò præualeat debitores Domini ſui (id eſt; peccatorum debitis inuolutos) non tantùm aperto prælio perſequi, ſed etiam ſub prætextu fallacis beneuolentiæ blanda fraude decipere; quò magis eum in domos ſuas, falſa benignitate ſeducti recipiant, cum ipſo in perpetuum iudicandi. Magnum ſiquidem ſupplicijs ſuis diabolus putat hoc eſſe remedium, ſi pœnarum ſocios multos acquirat. Nam callidus hoſtis, adueniente & comminante Chriſto turbatus; excogitauit venenato conſilio, qualiter hi etiam qui illum perſequentem fugiebant, cedentem ſequantur: Feſtinat enim nouis artibus varijſque tentationum generibus ſupplantare homines; à quorum dominatu, in fine ſæculi ſubmouen- **D** dum ſe penitus eſſe cognoſcit. Nam poſt aduentum Chriſti, duplicato contra hominum genus furore ſuccenditur; ſciens quia modicum tempus habet, ſicut ſcriptum de illo eſt. *Apoc. 12.* Debita conſeruorum ſuorum, quæ in poteſtate Domini ſunt, relaxare ſe falsò promittit; dum vanã, vel in fide vel in opere peccantibus indulgentiam pollicetur; dum perſuadet non imputari ad peccatum ea ſcelera, quę ipſi etiam qui cõmittunt, grauia eſſe crimina non ignorant. Nam confitentur ſui debiti quantitatem, cum ex integro obnoxios ſe eſſe Deo, & pro fide contempta & pro opere neglecto, negare non poſſunt. Qui autem reddunt, quæ Dei ſunt, Deo; iam debitores non ſunt. Nec mireris, ſi debitorũ remiſſionem taliter mentiatur hominibus, quos hac parte ſubtilius conatur oc- **E** cidere; qui Chriſto rerum omnium conditori auſus eſt regna mundi promittere, ſua illa eſſe impudenter aſſerendo. *Hæc omnia mea ſunt*, inquit, *& cui volo, do illa, tu itaq; ſi procidens adoraueris me, erunt tua omnia.* *Matth. 4.* O inenarrabilis Chriſti patientia, quæ idcirco tentatorem loqui permittit, vt ſuſcepto homini artem præliandi atque vincendi, in ſemetipſo demonſtraret! O effrenis diaboli mendacis audacia! Deum ſentit & tentat: Dominum nouit vniuerſæ creaturæ; cui, ſua eſſe mundi regna mentitur, & ei ſe largiturum poſſeſſionem creabilium pollicetur per quem creata eſſe omnia non ignorat! *Ab initio* enim, ſicut ſcriptum eſt, *homicida fuit diabolus, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo.* *Ioan. 8.* Sed iam ad ipſas de quibus quæritur, ſpecies veniamus. Triticum, ſicut ſuprà retigimus; fides Chriſti eſt, vitæ humanæ principium.

Ioan. 6.

Hic enim eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit, & vitam dat huic mundo: Et iterum dicit ipſe; *qui credit in me, etiamſi* A *mortuus fuerit, viuet.*

Ioan. 1.

Oleum verò, bona ſunt opera, quæ non habentes illæ virgines fatuæ, extinctis animarum ſuarum lampadibus in tenebris remanſerunt, à thalamo regni cœleſtis excluſæ.

Matth. 25.

Animas enim noſtras, non ſolùm virgines eſſe in fide oportet atque integras; verum etiã totius boni operis oleum portare ſecum ſemper in vaſis ſuis, ne ipſæ in nobis fidei lampades defectu operum extinguantur.

Iaco. 2.

Nam ſicut caro ſine anima; ita fides ſine operibus mortua eſt, ſecundum Iacobi ſancti ſententiam: Lumen quippe fidei tunc erit iuge atque perpetuum, ſi aſſatim bonorum operum pinguedine illuminetur.

Matth. 5.

Circumuenit ergo Diabolus, hominum genus pollicitationibus falſis, vt debitum fidei & operum non cognoſcant donec ſententia Domini Iudicis in inferni carce- B rem retrudantur; vſque ad nouiſſimum quadrantem, per ſupplicia, exigendi.

Luc. 12.
Debitum fidei & operum.

Quod autem centum vaſa olei (id eſt; operis) perſuadet in quinquaginta tranſcribi: & centum choros tritici (id eſt, fidei) cogit in octoginta transferri; occultior iſta fraus eſt, multúmque ſubtilis circumuentio inimici, dum retractos ab idololatria homines varijs pernicioſorum dogmatum inuoluit erroribus; ſummam ſalutaris fidei minuendo, & ab iniquis artibus remotos boniſque operibus iniſtere cupientes, peſtifero iactantiæ amore ſupplantat. Nam conatur fidem noſtram & opera noſtra, à cẽtenario numero (perfecto ſcilicet, & in dextera conſtituto) ad ſiniſtræ partis doloſa compendia deprauare; Apoſtolicam fidem, ſiniſtro hæreticæ perſuaſionis ſenſu peruertens, & merita C bonorum operum dextrorúmq; factorum, ad ſiniſtros mores plerúmque deducens. Quantos enim diabolus à dexteræ partis vigore; ſiniſtris modis, in viam voluptatum carnalium relaxauit? Quantos debita ſpiritualia religioſis operibus perſoluere geſtientes; à mercede cœleſti illectos, gloria humanæ cupiditatis priuauit; vt dexteræ partis præmia promiſſa non capiant, dum in ipſis bonis operibus, non Deo, ſed hominibus placere feſtinãt? Vnde filius Dei Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos monens, vt iuſtitiam & eleemoſynas & ieiunia & precationes ſuas non ſtuderent coram hominibus celebrare; ne per vitium iactantiæ quod ſiniſtræ parti deputatur, mercedem dexteræ partis amitterent; ait: *Neſciat ſiniſtra tua, quod faciat dextera tua.*

Matth. 6.

Clarè patet ergo quàm ve- D nenata prudentia ille iniquitatis Villicus, debita religionis officia de dextera parte in ſiniſtram commutet. Nec illud otioſum eſt quod maior numerus deperit Domino cui debitores ſumus, ex operibus oleo figuratis, quã ex tritico ad vitalis fidei ſpeciem comparato. Minus enim turpis eſt qui à fide recta, quàm qui ab operibus cognitis, Diaboli fraude ſubtrahitur; Saluatore teſtante: *quid mihi dicitis, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis?*

Luc. 4.

Laudat verò Dominus, non bonitatem, non pietatem, non æquitatem; ſed aſtutiam & callidam prudentiam Villici iniquitatis, quòd dolum ſuum ſubtili nequitia concinnaſſet. Laudat autem minaciter ſimul & prudenter. Minaciter quidem; dum ipſo iniquitatis vocabulo peſſimam Diaboli prudentiam damnat: E prudenter autem; dum contra argumentorum eius conſilia diſcipulos audientes informat, vt omni cautela atque prudentia, tam callido tam nequiter prudenti inimico repugnẽt.

Gen. 3.

Ipſe enim Serpens erat in Paradiſo prudentior omnibus beſtijs, qui Protoplaſtos homines venenato morſu ſeductionis occidit. Cuius Serpentis tortuoſa ingenia, beatus Apoſtolus deprehendens ait; *Non enim aſtutias eius ignoramus.*

2. Cor. 11.

Vnde & Saluator; *Eſtote* (inquit) *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices vt columbæ:* quod alijs verbis Apoſtolus Paulus ediſſerit, cum dicit; *Malitia paruuli eſtote, vt ſenſibus perfecti ſitis.*

Matth. 10.
1. Cor. 14.
Serpentum prudentia.

Prudentes nos eſſe Chriſtus præcepit; non venenatos: ſapientes; non noxios: ſed qui veterẽ peccati tunicam (vt coluber) deponentes; in nouum hominem reformemur; caput noſtrum (quod eſt Chriſtus) omni diligentia conſeruantes & pro eo membra omnia perſequutoribus laceranda A tradentes; vt fides Dei, quæ caput ſalutis ac vitæ noſtræ eſt, ſana & inuulnerata permaneat. Quapropter (dilectiſſimi) imitemur prudentiam Villici huius; non perfidiam: æmulemur aſtutiam eius; non ſectemur nequitiã. Quantum ille in opere iniquitatis ſuæ nocendi peritus eſt, tantum nos ſtudijs ſalutaribus eruditi & omni prudentia inſtructi atque armati eſſe debemus, induentes nos ipſos loricam fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, & ſcutum inexpugnabile æquitatis; in quo poſſimus (vt hortatur Apoſtolus) omnia iacula nequiſſimi ardentia extinguere: ne nos incautos, ſuggeſtionum ſuarum ſpiculis vbicunque configat; ne inermes opprimat, ne interficiat dormientes, ne & vigilantes & armatos ſi vſum belligerandi neſciamus, interimat.

Ephe. 6.

Prudẽtes enim reperiuntur interdum Spiritus immundi; quos filios ſæ- B culi (id eſt tenebrarum filios) Dominus nuncupat; quàm filij lucis, quos Deus qui lux eſt, in adoptionem filiorum vocare dignatur, per lauacri cœleſtis ſacramenta renatos. Vale in Chriſto, chariſſime fili.

EIVSDEM D. GAVDENTII BRIXIENSIS EPISCOPI; RESPONSIO AD Paulum Diaconum, de eo quod Dominus Ieſus dixit Apoſtolis; *quia Pater maior me eſt.*

Ioan. 14.

ANTE iſtum ſacri Euangelij locum, cuius à me intelligentiam fideli ſtudio per literas exigis (Paule frater, carnis C ac ſpiritus germanitate chariſſime) plurima Chriſtus filius Dei viui de diuinitatis ſuæ vna & perfecta cũ Patre ſubſtantia locutus eſſe cognoſcitur, cum diceret Iudæis; *Ego & Pater vnũ ſumus:* cum S. Philippo reſponderet; *qui me videt, videt et Patrem:* cum beatis Apoſtolis communiter loqueretur; *credite mihi, quia ego in Patre & Pater in me eſt.*

Ioan. 10. 30.

Poſthæc ergo & iſtiuſmodi multa quibus ὁμοούσιον ſe eſſe cum patre probauit & eiuſdẽ eſſentiæ, nunc aliquid illaturus quod robuſtis in fide mentibus plenitudinem ſcientiæ cumularet; ſcrupulum dubijs, perfidis fomentum blaſphemiæ miniſtraret, quoniam ſermo Dei *poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum:*

Luc. 2.

præmonuit vnde- D cim beatos Apoſtolos, ſimúlque fidei eorum veſtigia ſecuturos, ne ad auditionem proferendi ſermonis ſcandalum mens alicuius pateretur: *Ne turbetur* (inquit) *cor veſtrum neque formidet; Audiſtis quia ego dixi vobis, Vade & venio ad vos, ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.*

Hanc habent hæretici Arriani formoſiſſimam quæſtionem, qua Filium Dei ore ſacrilego minorem Patre ſuo eſſe contendant, ipſius teſtimonium proferentes, quoniam ait: *quia Pater maior me eſt. Excæcauit eos nequitia cordis eorum*, ne ex ante latis ſermonibus, rationem dicti huius agnoſcerent, vel potiùs, ne veritatem cognitam ſequerentur.

Sacrilegorum Arrianorum formoſiſſima ſcilicet quæſtio.
Sap. 2.

Duplex eſt in Chriſto ſubſtantia, vna, propria alia, noſtra iam ſua: id eſt, vna Dei, alia ho- E minis. Filius enim Dei, ex quo eum illibata Virgo peperit de Spiritu ſancto conceptũ, atq; hoc genere naſcẽdi, *Verbũ caro factũ eſt et habitauit in nobis*, idem cœpit eſſe etiã Filius hominis, qui in principio erat apud Patrem filius Dei, vtique Deus Verbum.

Duplex ſubſtantia in Chriſto.
Ioan. 1.

Exinde, per incrementa ætatis, Creator temporum proficit in virum perfectum, teſtante Euãgeliſta: *Puer autẽ creſcebat & confortabatur & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat in illo.* Quem profectum noſtro profectui profeciſſe intelligẽs Apoſtolus Paulus aiebat, *Donec perueniamus*, inquit, *omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* quamquam perfecta diuinitas quæ, quod erat, ſemper erit & ſine fine, nullo eguerit incremento. Omnia ergo, quæcunque in hac duplici ſubſtantia conſtitutus, vel locutus eſt vel fecit vel pertulit Chriſtus, nunc omnipotentem Dei naturam, nunc infirmam ſuſcepti hominis demonſtrabant.

Luc. 4.
Ephe. 4.

Digitized by Google

Natiuitas carnis, hominem monſtrat; Deum probat inuſitatus Virginis partus: Anguſtum præſepis cunabulum & obuolutio conſueta pannorum, humanam ſignat infantiam; Luc. 2. ſed Angelorum voces, Deum paſtoribus annunciant eſſe qui natus eſt. Nam cùm diceret Angelus; *Nolite timere, ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni plebi, quia natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid, & hoc vobis ſignum,* Math. 2. *inuenietis infantem pannis obuolutum & poſitum in præſepi, & ſubitò, facta eſt cum Angelo multitudo exercitus cæleſtis, laudantium Deum & dicentium. Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Deinde Herodes perſequitur Paruulum; ſed ſtellæ obſequentis fulgor magnum declarat Deum, quem legati vniuerſorum gentium Magi ſuppliciter adorantes, cœleſti Regi Luc. 2. honorificentiam debitam oblatione myſticorũ munerum deferebant. Annorum duodecim puer Ieſus in templo à parentibus anxijs reperitur; ſed in verbis, cum ſapientiam Dei, Doctorum circunſedentium turbæ mirantur. Iſa. 53. Et, *qui peccatum non fecit nec dolus inuentus eſt in ore eius*, ad Baptiſmum Ioannis quaſi homo peccator accedit; noſtra in ſuo corpore crimina; abluturus. Sed & ibi ſtatim naturæ diuinæ proprietatem vox Patris eius è Math. 4. cœlo intonat, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo bene complacui, hunc audite.* Vt ad hominem diabolus tentator accedit: ſed triumphato Diabolo; ſtatim ſuccedunt Chriſto tanquam Deo ſeruientium, miniſteria Angelo- Io. 8. rum. Seditiones furentium Iudæorum declinat frequẽter, vt homo, ſed legiones dæmonum (quaſi ſeruorum) Deus, verbi ſui fugat imperio. Supra puteum ſedet fati- Io. 4. gatus ex itinere, quaſi homo; ſed Samaritanæ mulieris occulta reſerat, quaſi Deus humanarum mentium perſcrutator: & non ſolùm reſerat, ſed etiam lauacro aquæ in æternam vitam ſalientis emundat. Emundat autem fi- Pſalm. 18. deliter ſupplicantem; *Ab occultis meis munda me Domine:* Nam dicit ad eum mulier; *Domine da mihi hanc aquam vt nõ ſitiam amplius*, ardore videlicet extincto peccaminum. Eſurire, ſitire fatigari, dormire, hominis eſt: ſed quinque panibus quinque millia hominum ſatiare, Dei eſt. Io. 5. Et largiri aquam viuam cuius vnus hauſtus bibenti præſtet ne vltra iam ſitiat, ſed ſit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam; non niſi Dei eſt. Et qui labore terreni itineris conficitur, velut homo; rurſus idem ſuper aquas Math. 14. ambulat quaſi Deus. Nã cùm Dominus diſcipulos ſuos iuſſiſſet nauigare trans fretum donec ipſe dimitteret turbas; abſcedentibus turbis aſcendit & orauit in monte: Io. 5. Math. 6. Veſpere autem cùm iam nauicula in medio Mari fluctibus iactaretur contrario vento commotis, ipſe majeſtatis ſuæ virtute ſubuectus ambulabat ſuper terga æquoris nec plantas gradientis tumens vnda tangebat. Periclitantes Apoſtoli quarta vigilia noctis, venientem Chri- Math. 14. ſtum procul aſpiciunt: Petrus rogat; *Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas*, At ipſe, ne quid fideli negaret deſiderio, ait, *Veni: & deſcendens* (inquit) *Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquas vt perueniret ad Ieſum, videns verò ventum validum, timuit, & cum cæpiſſet mergi clamauit dicens; Domine ſaluum me fac, & continuò Ieſus extendit manum & apprehendit eum dicens illi, Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Dum per terram gradiens, fatigationem ſentit; homo eſt: ſed idem dum ſecura poteſtate per fluctus ambulans, Petrum mergentem ſubleuat; Deus eſt. Simulque hoc in loco & illud Arriani conſiderent, quòd du- *Dubiis in fide, præſens eſt naufragium.* bijs in fide Chriſti, exitialis quædam ſit parata ſubmerſio niſi per confeſſionem veram ſupplices ad eius omnipotentiam conuertantur. Alibi quoque dormiſſe nauigans Chriſtus Dominus, à ſancto Euangeliſta deſcribitur, cum diſcipuli in extremo tempeſtatis diſcrimine conſtituti ſuſcitauerunt eum dicentes, *Domine libera nos,* Math. 4. *perimus*; quando ſurgens imperauit vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna: dormit, vt homo; & exurgens, elementis imperat quaſi Deus. Nam tumentes fluctus, verbo compeſcuit, ſtatímque ſiluit increpata tempeſtas, & ad Creatoris ſui vocem plena confeſtim iacuit inflati gurgitis moles. Sed ne huiuſmodi ſingula recenſendo, longius à propoſito ſermone videar euagari, pau- A ca adhuc ex verbis Domini noſtri Ieſu Chriſti adijciam, ex quibus in ipſo & humanæ naturæ conditionem & diuinam perſpicias poteſtatem. Io. 7. Iudæis dicit, *quid me vultis occidere, hominem? &c.* Et alibi confitentem Petrum; *Tu es* Math. 16. *Chriſtus filius Dei viui*: Io. 10. beatum pronunciat quòd dignus fuerit cùi hanc fidem Deus Pater infunderet, verum quippe Filium Dei ſe eſſe, hac eloquutione confirmans. Et qui dixerit; *poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam:* Rurſus ait, *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem:* Et idem qui ait, *Soluite hoc templum, & ego in triduum ſuſcitabo illud:* iterum dicit, *Pater ſi poſſibile eſt transfer Calicem hunc à me.* Ea igitur ratione, ipſe qui ex perſona Dei dixerat; *Ego & Pater vnum ſumus:* ex perſona ſuſcepti hominis dicit; *quia Pater maior me eſt.* B Iam verò intelligenti quæ dicta ſunt, ſequens explanatio apertius declarabit, qua ex cauſa dicatur iſtud quod ſcribitur, & quidnam ſit quod ait: *quia Pater maior me eſt*: quamuis euidenter liqueat teſtimonijs ſupra dictis, Filium Dei ſine vllo initio à Patre genitum, poſtquam naſci ex Maria beata dignatus eſt, & Deum eſſe & hominem, & nunc humilia quæque ſecundum carnem delegiſſe, vel locutum fuiſſe, vel paſſum, nunc immenſam ſublimitatem naturæ Dei, tam verbis docuiſſe quã *Arriani, Iudaici caupones.* factis mirabilibus approbaſſe. Tamen diſtinctionis huius regulam non ſequuntur nequiſſimi Arriani; ſed cau- Eſa. 1. ponum dolo Iudaïcorum, miſcent aquæ vinum; id eſt, humana diuinis, & ita illam meram atque Apoſtolicam fidem, adultera permixtione confundunt, Deo aſcribentes C ignorantiam, infirmitatem, metum, impoſſibilitatem, dubitationem, dolorem, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, cæteráſque hominis paſſiones, quas Filius Dei abſque detrimento diuinitatis ſuæ ita cum homine ſuſcepit atque portauit, vt proprias quidem contumelias quas patiebatur in carne, ſed tamen diuinitas eius (vim naturæ ſuæ retinens) impaſſibilis permaneret. Vnde S. Apoſtolus, ſaluo ſtatu incorruptibilitatis diuinæ, Domi- 1. Cor. 2. num majeſtatis memorat crucifixum. Enimuero ipſius paſſio, non in diuinitatem quæ eſt impaſſibilis, ſed in eius hominem celebrata, pereunti mundo ſubuenit: Iſa. 53. huius namque vulnere nos ſalui facti ſumus. Non quòd diuinitas eius vulnerari potuerit, ſed quia ipſe infirmitates noſtras ſuſceperit & peccata noſtra portauerit ac pro nobis doluerit, ſecundùm Prophetæ doctrinã: D neque enim ipſe infirmatus eſt, vel peccauit, vel ipſe dolores crudelium vulnerum ſenſit. Nam quomodò fieri poterat, vt qui multiplices ægritudinum morbos præcepti ſui poteſtate curauerat, & mortuis iteratam vitam imperio ſuo tribuerat; ipſe ſecundùm naturam diuinam fuerit paſſionibus in carne ſubiectus? Suſtinebat ergo vt homo contumelias paſſionis, & operabatur vt Deus, propria authoritate, virtutes. Vnde Apoſtolus ait; *Crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* 2. Cor. 13. Et hinc eſt illud quòd cùm ad paſſionem deducitur, tactu dexteræ ſuæ nouam format aurem Malcho, contra patientiæ ſuæ propoſitum Petri vlciſcentis gladio ampu- Luc. 22. 51. tatam: & quòd pendens in cruce, Latroni confitenti, Luc. 23. paradiſum donat, & quod in ſepulchro poſitus, corpo- E ra ſanctorum reſuſcitat, & quod reſurgens, in ea videtur qua paſſus fuerat compoſitione membrorum, & ad Ioh. 20. Apoſtolos, intra vnum domicilium congregatos, ianuis Luc. 13. clauſis ingreditur: & quod cœlos aſcendens, diſcipulos fideles non deſerit, cum ipſis ſe permanſurum vſque ad conſummationem ſeculi pollicendo. Hanc diſtinctionem ſi ſequerentur hæretici Arriani, nunquam myſterium vitæ noſtræ in contumeliam Filij Dei conuerterent; *S. Paulus vas electionis.* minorem illum Deo Patre blaſphemis vocibus aſſerentes, quem Vas electionis æqualem Patri eſſe teſtatur, aperiens illam omnem rationem pro qua Philip. 2. Dei Filius (qui & homo) dixerit, *quia Pater maior me eſt. Hoc* (inquit) *ſentite in vobis quod in Chriſto Ieſu, qui in forma Dei conſtitutus, rapinam non arbitratus eſt quòd eſſet æqualis*

Deo:

Deo: Æqualem teſtatur Apoſtolus; minorem conatur aſſerere Arrius. Arbitrio committitur audientium, cuinam credendum cenſeat: vtrum Paulo Apoſtolo, qui electus à Chriſto magiſter gentium, velut ſapiens architectus fundamentum fidei poſuit; quíque *Vſque ad tertium cœlum raptus audiuit arcana cœleſtia*: An execrabili Arrio, qui principis Conſtantini temporibus (cùm venenato corde confeſſionem Catholicæ fidei ſimularet) ambiens, in amicitiam Regis & in gradum Presbyterij vnde meritò pulſus fuerat, reuocari; ad ſimilitudinem Iudæ traditoris *crepuit medius & effuſa ſunt omnia viſcera eius*; ne ſub indumento ouis, lupus ad deuorandum gregem Domini introiret. Huius improbi aſſertionem ſequentes Arriani; exemplum pariter ſequentur & mortis: Nos autem qui Apoſtolicam diſciplinam conſequimur, ad exemplanationem ſupradictam beatiſſimi Pauli, aures noſtrarum mentium fideli commodemus affectu. Sequitur enim; ſed *ſeſe exinaniuit* (voluntaria ſcilicet bonitate humiliando) *ſemetipſum*: Et adijcitur; *formam ſerui ſuſcipiens*; non vtique ſeruus effectus: *in ſimilitudine*, inquit, *hominis factus*. Quod enim factum eſt, in illo vita eſt: Nempe illud quod in eo ſecundùm carnem factum eſt, vita noſtra eſt: ipſo teſtante; *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Deinde adiecit: *Et ſpecie inuentus vt homo*: Nam Dei ſpeciem, quanta ſit (id eſt; ipſum propriè Deum) *nemo vidit vnquam*. Deinde *humiliauit ſeipſum, factus* (inquit) *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, ſpontanea quippe humilitate cum Patris voluntate, volens crucem pertulit, vt mors eius fieret vita credentium. *Propter quod* (inquit) *exaltauit illum Deus*. Quem illum? Eum ſcilicet qui ſupplicium crucis ac mortis excepit; non ſingulariter, Deum, qui ſemper excelſus eſt per naturam. *Et donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Nomen ſuper omne nomen, Deus eſt; & non vtique donatur, vt Deus ſit. Nam in principio apud Patrem filius Deus erat Verbum: ſed homo à Filio aſſumptus, promouetur in Deum, & Filius Dei qui ſemper fuerat, Deus eſſet pariter; & cum ea ſubſtantia quam ſumpſit ex Virgine, totus iterum Deus. *Vt in nomine Ieſu*, Dei quippe & hominis: *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriũ & infernorum, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Ieſus eſt in gloria Dei Patris*: id eſt, vt poſt paſſionis myſterium & aſcenſionis triumphum, iam totus Dei filius cum eo quod pro nobis dignatus eſt aſſumere in gloria Dei Patris (in diuinitate ſcilicet naturæ ſuæ manens) ab vniuerſis cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ Virtutibus adoretur. Prius ergo quam pateretur, priúſquam triumphata morte cœlos victor aſcenderet; priuſquam diuinitatis paternæ in ſinum cum tota qua ex Virgine natus fuerat ſubſtantia remearet, priuſquam ab omni creatura rationabili cœleſtium, terreſtrium, & infernorum agnoſceretur atq; adoraretur Dominus Ieſus in gloria Dei Patris, meritò diſcipulis dicebat: *Si diligeretis me, gauderetis vtique quod vado ad Patrem quia Pater maior me eſt.* Erat enim minor adhuc, in carne natus filius Dei, donec in antiquam gloriam ſuam ſuſcepit hominis naturam. Et ideò alibi, ex perſona eius dicit ad Patrem: *Pater glorifica me ea gloria quã habui apud te priúſquam hic mundus eſſet.* Vtique vt gloriam diuinitatis, quam Deus apud Deum Patrem, Filius ante mundi conſtitutionem ſemper habuerat; cum tota natiuitatis corporea ſubſtantia poſſideret. Propter hoc, ita & poſt reſurrectionem ſuam loquitur quibuſdam de hac diſpenſatione hæſitantibus. *O inſenſati*, inquit, *& tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ! nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita introïre in gloriam ſuam?* Non immeritò, minorem ſe eſſe teſtatus eſt; ſed in eo loco vbi rationem paſſionis & reſurrectionis & aſcenſionis ſuæ propriis inſinuabat Apoſtolis: Ne tum (Arriane) ſententias eius quas de perfecta diuinitatis ſubſtantia ante paſſionem locutus eſt, euacuari poſſe exiſtimes incredulitatis vernaculæ argumento, quo animæ tuæ ſalutem pernicioſa calliditate interi-

1.Cor.3.
Execrabilis Arrius.
Arrij vita, & mors.
Act.1.
Io.1.
Io.14.
Ioan.17.
Luc.24.

mis; ſermo Chriſti, vel cùm de diuinitate ſua docet, vel cum de Incarnatione loquitur, tota claritate diſtinctus eſt. Nam & per Prophetas aliter ſublimitatem Deitatis ſuæ adnunciat, cum dicit; *Audi populo meus & loquar Iſraël, & teſtificabor tibi quod Dominus Deus tuus ego ſum.* Aliter futuræ incorporationis ſuæ humilitatem deſignat, cum dicit: *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Et poſt multa, vt ipſius eſſe omnem textum Prophetiæ non dubites; *diuiſerunt*, inquit, *ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam dimiſerunt ſortem*: quod à crucifigentibus factum de veſtimentis Chriſti, Euangeliſtæ teſtantur. Nemo itaque fidelium conturbetur, quod minorem ſe (in hoc mundo ſecundum carnem poſitus) Patre ſuo dixerit Filius; qui etiam vermi ſeipſum iam tum per Prophetiam comparare dignatus eſt: & hoc quidem non ſine ingentis ratione myſterij. Conſtat enim ſine coïtu generantis, futuræ apis vermem naſci: cuius labores, Reges & mediocres ad ſanitatem afferunt; ſicut ſcriptum eſt: Labores enim paſſionis Chriſti; quem velut apem, virginem permanſurũ Virgo mater dedit, tam Reges à regendo (ſummi videlicet Sacerdotes) quàm mediocres quique ſe ſequentium vel ordinis Leuitici, vel Fidelium plebis, in figura Corporis eius ac Sanguinis pro ſalubritate vitæ communis afferimus; & agnitam dulcedinem myſteriorum, conſcio ore teſtamur: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Sed væ hæreticis, qui id quod dulce eſt, amarum conantur aſſerere. Ibi æqualitatem ſubtrahere de Filio geſtientes, vbi totus in gloria Dei Patris manere cognoſcitur, conſummato myſterio paſſionis. Nam ſic ait ad beatos Apoſtolos; aſcenſionis eius maieſtatis gloriam deſiderio mentis audientes: *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Declarans quippe ideò ſe in vtráque ſubſtantia Dei & hominis, poſt paſſionem reſurrectionémque ſuam cœlos aſcenſurum, vt is qui ob incarnationis humilitatem minor ſeipſo, & idcirco Patre ſuo minor videretur in terris; calcato mortis aculeo cœlos victor aſcendens, æqualis Patri ſicut ſemper fuerat permaneret; & idem qui ſemper Deus, nunc & homo, iam Deus in æterna Patris gloria conſtitutus ſine fine regnaret. Nam qui priùs in imagine, de aqua vinum fecit, cum diceret beatiſſimæ Mariæ; *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*: Ipſe poſt horam paſſionis ſuæ, veritatem præmiſſi ænigmatis eatenus conſummauit, vt ſanè incarnationis aqua vinum fieret Deitatis, quod, hæretici adulterantes verbum Dei, adhuc velut aquam vino permiſcent; cum totus Dominus Ieſus, & quod ex Deo Patre eſt, & quod ex Virgine Matre eſt, Deus ſit vnigenitus in gloria Dei Patris: quoniam quidem Deus diminutus non eſt in homine, ſed homo proficit in Deum: vt ſicut *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*, ita caro Deus fieret & habitaret in cœlis. Vnde conſequenter addidit: *Et nunc* (inquit) *dixi vobis antequam fiat, vt cum factum fuerit credatis: id eſt*; ideò dixi, ſi diligeretis me lætari vos oporteret, quòd ad patrem pergerem, quia Pater maior me eſt, vt cum factum fuerit, credatis æqualem. *Cum factum fuerit!* Quid? Illud vtique, cùm poſt paſſionem meam cœlos aſcendero in illa gloria, qua cum Patre & apud Patrem ſemper habui, permanſurus. Ideò poſtquam reſurrexit à mortuis, quidam dubitãtes increpantur ab ipſo, & audiunt oportuiſſe hæc omnia pati Chriſtum & ita introire in gloriam ſuam, quam ſe ante conſtitutionem mundi ſemper poſſediſſe teſtatus eſt. Quapropter Apoſtolus: *& ſi cognouimus* (inquit) *ſecundum carnem, Chriſtum, ſed iam nunc non nouimus.* Eſt enim Deus & homo, vtrúmque iam Deus in Dei Patris dextera conſtitutus, *quoniam calix in manu Domini vini meri plenus eſt mixti, & inclinauit ex hoc illud, Veruntamen fæx eius non eſt exinanita.* Et quamquam ſciam (chariſſimè) Pſalmi huius textum alio ſenſu, & quidem rationabili, fuiſſe à prioribus explanatum: Ego tamen pro libertate fidei, opportunitatem dictorum ſecutus, traxi ad incar-

Pſalm.49.
Pſalm.21.
Matth.27. Io.19.
Chriſtus, cur à Propheta dictus ſit Vermis.
Pſalm.33.
Io.14.
Beatiſſima Maria. Io.2.
Iſa.1.
Io.1.
Io.14.
Luc.24.
Io.17.
Pſalm.74.

nationis Dominicæ Sacramentum. Nam ſic vel inclinatus vel humiliatus eſt Deus in homine; vt permanens A Deus, eſſet quod fuerat; hominémque propter quem ſe humiliauerat, exaltaret; quia ita *Verbum caro factum eſt vt habitaret in nobis*; (*Io. 1.*) & ita rurſus homo in Deum conuerſus eſt, vt in Deum quidem promotam, naturæ tamen ſuæ ſubſtantiam retineret: atque ideò Propheta ait; *quoniam calix in manu Domini vini meri plenus eſt mixti, & inclinauit ex hoc illud; veruntamen fex eius non eſt exinanita*: vini, inquit, meri plenus eſt mixti. Et mixtum perhibet vinū, & illud ipſum merum teſtatur eſſe; vt eundem credamus Deum, quem pro nobis & hominem confitemur: Nam quem inclinatum nunciat, pariter dicit & plenū; vt is qui ſeſe exinaniuit formam ſerui accipiens, plenus Deus eſſe non deſinat. *Habitauit* enim in Christo *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & de plenitudine eius nos omnes accepimus* (*Coll. 2. Io. 3.*) gratiam pro gratia: Hunc verò calicem bi- B bent (inquit) & peccatores terræ. Rectè iuxta hunc intellectum ait; *bibent & peccatores terræ*; quia peccatores cœli, ex Angelis dæmones facti, ſalutis poculum bibere non merentur: Terræ autem peccatores, contra venena dæmonum morboſque vitiorum, calicem ſalutis accipient & nomen Domini inuocabunt. (*Pſalm. 115.*) *Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Ideò verò calix iſte peccatoribus bibendus tribuitur, quia non eſt opus (*Matth. 9.*) *ſanis medico, ſed male habentibus. Non veni* (inquit) *vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*: tales enim ſapientia Dei, ad iſtum cratera ſalutiferæ mixtionis inuitat cum ſublimi voce hortatur ac dicit; (*Prou. 9.*) *Quiſquis eſt inſipiēs diuertat ad me; & egentibus ſenſu*, ait; *Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Ob hoc autem A inuitatur inſipiens à ſapientia Dei, vt fiat ſapiens; & peccator, vt conuertatur ac viuat. Ad iſtud poculum diuinæ miſericordiæ, vniuerſi generaliter conuocamur: *Omnes* enim *peccauerunt* (vt ait Apoſtolus) *& egent gloria Dei*. (*Rom. 3.*) Quod ſi omnes peccauerunt & egent gloria Dei (maieſtatis quippe eius medela) quos tandem dicimus ſanos, quibus medici officium neceſſarium non ſit? Niſi fortè illi qui ab ipſo iam curati; medicina, vltra non indigent. Cæterùm nemo ſanctorum, medicina Chriſti non indiguit; (*Sancti omnes medicina Chriſti egue runt.*) cùm ſanctos eos non niſi fides eius effecerit, ſicut Scriptura teſtatur in Epiſtola Pauli beatiſſimi ad Hebræos. Et idcirco gratias referens idem prædicabat Apoſtolus: (*1. Tim. 1.*) *fidelis* (inquit) *ſermo & omni acceptatione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc Mundum peccatores ſaluos facere, quorum ego ſum primus.* (*Chariſmatis donum.*) Nec ſibi ali- B quis de ſalute propria ſine Dei Chriſti munere blandiatur; quando Vas electionis, priorem ſe fatetur eſſe omnium peccatorum. Quotquot igitur ex peccatoribus congregati, bibere fidem Chriſti meruimus participes Altaris effecti & donum chariſmatis conſecuti; cum voce exultationis & confeſſionis, Dei munera prædicemus, dicentes: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me: Impinguaſti in oleo caput meum, & poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt!* vt poſſimus materia Domini ſubſequente, habitationem domus eius perpetuam promereri ab ipſo Dei filio ſempiterno; cuius regni non erit finis, quia vicit mortem & perpetuo regnat in ſæcula ſæculorum: Amen.

SIMEONIS ADMIRANDI, NON DVBIVM QVIN STYLITÆ ILLIVS DE QVO TAM MVLTA THEODORITI PHILOTEVS, CAP. 26. ET EVAGRIVS *Eccleſiaſticæ Hiſt. 1. lib. 13. & 14. cap. & lib. 6. cap. 22.*) Sermo de ſemper mente complectendo ſuum cuique diſceſſum.

Duos fuiſſe Simeones Stylitas ſanctitatis laude celeres, alterum ſeniorem, qui tempore Theodoſii iunioris vixit, cuius meminit Euagrius lib. 1. hiſt. cap. 13. 14. Alterum iuniorem, qui ſub Iuſtiniano vixit, de quo idem Euagrius agit lib. 6. hiſt. cap. 22. tam claris argumentis, oſtenditur in notis ad Roman. Martyrologium S. Ianuarij, & in Annalibus Eccleſiaſticis, vt fatuum nimis fuerit velle in dubium reuocare. Primi natalis dies conſignatur in Romano Martyrologio die 5. Ianuarij: ſecundi vero die 3. Septembris. Cuiuſnam autem horum opus iſtud ſit, nobis incompertum. Iunioris ſcimus extare ſcriptorum monumenta, nempe epiſtolam ad Iuſtinum Imperatorem, quæ recitatur Actione 5. Concilij 2. Nicæni.

ANIMADVERTITE fratres mei, quem metum, quod certamen, A quam neceſſitatem habeamus ſuſtinere, in hora exitus noſtri ex hac vita. Quippe quando à corpore cedit anima, ingens timor, grande myſterium peragitur. Adſunt enim boni Angeli & copiæ cœleſtis exercitus, (*Animæ exitus à corpore, quàm plenus ſit horroris.*) atque omnes contrariæ poteſtates, principes tenebrarum. Vtrique ad ſuas ſibi ſedes, animam conantes aſſumere. Itaque ſi anima virtutes hic egregias ſibi aſciuerit, vitámque ſeueram & honeſtam traduxerit; in die ſui exitus, illæ ipſæ quas hic ſibi comparauit virtutes eum comitantur, ſtipantque boni angeli, nec ab illo aduerſario totum dæmone, eam ſinunt contingi. Verùm in gaudio & exultatione cum ſanctis proficiſcitur, & angelis victoriæ hymnos concinnentibus Deo, nec non eam Seruatori Chriſto & gloriæ Regi offerentibus, ipſumque cum ea ſimul adorantibus; cum vniuerſo cœleſti exercitu, in quietis locum perducitur in gaudium ineffabile, in lumen per- A petuum; vbi non eſt mœror nec gemitus, neque fletus, neque anxietas; ſed vita immortalis & perennis lætitia, cum omnibus ſanctis acceptiſſimis Deo in regno cœlorum. Contra ſi in hac vita vixerit probroſis affectibus obtemperans, carnis delitias ſectans, & huiuſce mundi vanitatem: in die obitus eius præſto ſunt praui dæmones, miſeram animam facto orbe cingunt, nec Dei permittunt angelos admoueri, ſed eam occupant dæmones miſeris modis lacbrymantem, demiſſamque ac conquerentem, in loca obſcura, tenebroſa, & triſtia deducentes; vbi cuncti nocentes, ad diem iudicii ac æternæ damnationis aſſeruantur, quò diabolus ipſe fuit cum angelis ſuis præceps datus. Expedit igitur nobis, fratres, hic B ſatagere, & noſtri curā interitus ſuſcipere; ac, quæ nos ab hac vita digreſſos aſſociare, in illiúſque neceſſitatis hora tueri debent, virtutes parare. Sed quænam ſunt, quas diximus virtutes animæ adeſſe, & dæmonib. aduerſarii

huiuſ-

huiuſmodi: Charitas, modeſtia, magnanimitas, continentia, patientia, diſcretio, ſubmiſſio, taciturnitas, fortitudo, iuſtitia, temperanna, virginitas. Et deinceps hæ virtutes nos ſibi vendicant, in horrifica Iudicij hora, nec vllus eſt qui auſit eis obſiſtere. E diuerſo, vitia quæ ſupra diximus animam ſeducere, ſunt hæc: odium, ſpirituum elatio, duritia, acedia, futilis loquacitas, acerbitas, contentio, æmulatio nimia, inuidia ſuperbia, memoria iniuriæ, tenacitas, ſocordia, negligentia, ignorantia obliuio, furor, ira, pigrina, concupiſcentia, exaltatio, mollities, gula lubricitas, & horum omnium radix auaritia, denique omnis Satanica improbitas. Atque hæc ſunt vitia quibus ad dæmones degeneratur, in die obitus noſtri occupantes animam, nec iniuria, nam quæ hic contraximus ſcelera virtutibuſque prætulimus, ſucúmque & copiam fecimus: nec nobiſcum poſt fata procedent, & nobis imperabunt, nec eſt qui nos ab eis eruat. Cognoſcamus itaque & intelligamus dum tempus habemus, quinam ſunt nobis auxilio; & toto animo occurrentes nobis eos adiungamus, vt horam noſtræ neceſſitatis præueniamus, nobiſque ſuppetias ferant, & ab hoſtibus noſtris defendant. Hoſtes vero quales ſunt addiſcamus, quarunque ſint calamitatum authores, ac velut à Serpente vel igni fugiamus. Quod ſi ab initio tracti ab his ſumus & ſubacti dum tempus ſuppetit, & hac in vita verſamur, ab his deſciſcere properemus, ac per pœnitentiam virtutúmque operationem Deum nobis propitiemus, & nos ad exitum accingamus, ne quũ accedens pulſauerit, imparati deprehendamur. Harum rerum autor eſt, & cauſa, cibi potuſque intemperantia & de mulieribus frequens ac ſtulta cogitatio, conuerſatio. Hæc autem reſcindit fames, ſitis, inſomnia, ſeceſſus. Animum item è ſede ſua deiiciunt, ægræ rerum triſtitiam afferentium recordationes; puta, voluptatis libido, gloria inanis, & nimia omnium cupiditas. His enim rebus obnuxius triſtatur qui fraudatur vt minimè voti compos. Cæterum huiuſmodi vitia repurget earumdem rerum contemptus ac deſpectio, per feruentem in Deum amorem.

Quæ hic contraximus peccata poſt Obitum nobis imperabunt.

Peccatorum cauſa & remedia.

Ex S. P. N. Marci, Epiſtola 2. fragmentum.

AVſcultantium Verbum Dei & fructũ bonum producentium ſigna ſunt hæc gemitus, fletus, attentio, ſilentium, demiſſio, perſeuerantia, quies, capitis motus, grauis luctus, dolor cordis ex pio affectu procedens. Opera vero, vigilia, continentia, ieiunium, manſuetudo, magnanimitas, aſſidua oratio, ſacrarum literarum cura, fides, humiliato, fraterna dilectio, labor, aduerſitatis perpeſſio, charitas, ſubiectio, probitas, morum aptitudo, & vniuerſum lumen, qui eſt Dominus. Contra, eorum qui ęternæ vitæ fructum non faciunt, indicia ſunt huiuſmodi: Acedia, elatio, deſpectus, mentis euagatio, murmur, leuitas. Opera autem, edacitas, prodigalitas, ira, furor, detractio, faſtus, arrogantia, incredulitas, importunitas loquendi, ſeditio, obliuio, turbatio, turpis quæſtus, auaritia, inuidia, rixa, faſtidium, blateratio, riſus, gloriæ libido, omniſque ebrioſitas, qui Sathanas eſt.

S. P. N. NOVATI CATHOLICI, DE HVMILITATE ET OBEDIENTIA ET CALCANDA SVPERBIA SENTENTIA: SIVE Homelia ad Fratres, collata cùm M. S. Exemplari S. V. ad Muros Pariſienſes.

SEcularibus aliter in Eccleſia loquimur: aliter vobis loqui debemus. Illis loquimur aliquando res quæ ſonũ habent, & virtutẽ nõ habẽt: delectantur enim tanquã infirmi, ſonis verborum nõ virtute Dei. Vos autẽ in nomine Chriſti, non in hoc delectamini; ſed vultis audire ſalutis verbũ in quo vocati eſtis; & has veſtes lugubres in mundo induiſtis, expectantes meliores apud Deum. Noſtis iam & ſapitis, & iam multum hic tempus habetis: aduerſus quem nobis eſt colluctatio, aduerſarius noſter non eſt foris, ſed intus in viſceribus, & in ipſis membris noſtris habemus obluctationem. Si enim *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, vt non ea quæ volumus, faciamus; videtis quia intus eſt aduerſarius iſte. Aduerſarius autem iſte non vincitur niſi humilitate & charitate; quia & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus non viciſſet Diabolum, niſi humiliatus fuiſſet: humiliatus autem, non neceſſitate ſed charitate. Si enim nos non amaſſet, non humiliatus fuiſſet: amore noſtro humilis factus eſt. Si ergo qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, Dominus Angelorum omnium, qui creauit omnia, propter nos, humilis factus eſt; quare nos propter noſmetipſos humilitatem recuſamus? Via ergo ſalutis non nobis eſt peruia, niſi humilitas. Cùm ceperis humilitatem, quære eam propter Deum & propter ipſam congregationem ſuſtinere. Et in ipſa congregatione quamuis æquales ſitis, vnuſquiſque alterum ſuperiorem ſe æſtimare debet, tametſi non ſit ſuperior: non illud facit, niſi qui humilitatem habuerit. Non neceſſarium ſeruis Dei aliquod præmium * niſi humilitas: quare, humilitas ſi fuerit in homine, obedientem facit illum; obediens verò qui fuerit, non hominibus obedit, ſed Deo. Sic enim Dominus ait: *Qui vos audit, me audit, Qui me audit, audit eum qui me miſit*.* Alius pater eſt; ſequentes Fratres, Patriarchæ ſunt: & quicunque alius inter vos qui forte bonam habet vitam, meliorem continentiam, meliores vigilias, meliorem corporis cuſtodiam; & ipſe propter imitationem, pater eſt. Hæc ergo agite nunc vos vt primum humilitatem cuſtodiatis, non vt hominibus, humiles videamini: ſed Deo illa vera eſt humilitas, quæ Deo & nõ hominibus demonſtratur. Nã humilitas quæ hominibus monſtratur, fictio eſt non humilitas; quod à ſeruis Dei omnino alienum eſſe debet. Non quidem arbitror quia ſint tales in vobis, ſed ne ſurrepat talis morbus, admoneo: homines enim ſumus & hominibus loquimur. Idcirco primum humilitatẽ Fratribus veſtris monſtrare debetis propter imitationẽ, vt fundata ſit ipſa humiditas intus in corde ſecundum Deum. Cùm fuerit enim humilitas fundata propter Deum; tunc dabit Deus illi (id eſt, Fratri tuo) vt & intelligat & ioſitetur humilitatem tuam: nam ſi non fuerit fundata in corde tuo; oſtendit fratri tuo, quia ficta eſt humilitas tua. Prima ergo via ſalutis eſt, humilitatẽ tenere & ſimplicem eſſe, propter Deum non propter hominẽ: non placere inde hominibus; ſed placere inde Deo. Humilitatem ſequitur obedientia, vt obtẽperetis vobis ipſis ſicut ſibi obtemperant mẽbra; & nõ naturali qualitate. Si pes offenderit, manus occurrit, ne totum corpus lædatur † vt cadat, ſicut ait Apoſtolus; *ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Vnde autẽ niſi ex charitate? Si ergo dilexeritis vos ad inuicem, nulla erit conturbatio. Scandala pariatur nemo: non propter cibũ nõ propter potũ, non ob veſtimentũ, non propter vigilias, nõ propter opera, nõ propter coquinã, nõ propter miniſteriũ. Iã cùm vos inuicẽ dilexeritis, ſiquis aliquid faciat quod nõ debet, charitas illa nõ permittit vt offendatis. Habete ergo, Fratres humilitatẽ & obedientiam, quam ſequitur pax; vt ſitis filii pacis: quia *charitas* (vt ait

Monachorum veſtes lugubres.

Gal. 5.

Monachi æquales.

** C. S. V. aliquod primum,*

** C. S. V. Abbas.*

Hypocriſis omnino aliena eſſe debet à ſeruis Dei.

Ficta humilitas, neminẽ ad ſui imitationem trahit.

† C. S. V. mollius, Lædatur.

Cor. 12.

Col. 3.

Apoſtolus) *vinculum eſt perfectionis.* Cùm quis habuit humilitatem, Chriſtum imitatur qui *humilis factus eſt vſque ad mortem.* Cùm quis habuerit charitatem, Chriſtum imitatur, quia *Deus eſt charitas:* ſed prius elaborate vt intus initia veſtra vincatis. Fiat pax primum animæ & cordis cum præcepto Dei, vt aduerſus conſuetudinem corporis & fragilitatem duo ſint victores; præceptum Dei; & conſenſus tuus. Caſus* talis eſt: medicus ægrotus, & ægritudo: ſi iſte ægrotus ſe cum ægritudine dederit, vincitur medicus; efficiuntur duo aduerſus vnum, atque ſuperatur medicus: ſi ergo ægrotus cum medico ſe dederit, vincitur infirmitas. Medicus Chriſtus eſt; ægroti nos ſumus; ægritudinis morbus, conſuetudo peccati eſt. Iam qui ex parte renunciat ſæculo, quamuis viuat in ſæculo attendat cui debeat adhærere, vtrum morbo an medico. Si medico nõ inhæſerit, laborat medicus. Ideo vobis Euangelium in ſæculo clamat & dicit, *eſto conſentiens aduerſario tuo dum es cum illo in via:* non nos docet vt ſimus conſentientes aduerſario noſtro Diabolo; ſed docet vt conſentientes ſimus aduerſario præcepto diuino quod aduerſatur malis noſtris, & aduerſatur conſuetudini noſtræ, & aduerſatur iniquitatibus noſtris. Cùm conſentimus aduerſario noſtro; id eſt, præcepto diuino; ſuperatur morbus: ſi conſentimus, facti ſumus concordes præcepto Dei, & accipimus quaſi iugum Dei; propter quòd ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; Tollite iugum meum quia leue eſt, & ſarcina mea leuis.* Denique conſidera quemadmodũ qui aliquid habent in hoc mundo, timent, ne quod acquiſierunt, perdant; quibus modis torquentur; quaſi ſub grauiſſimo pondere ſolicitudinem habendo; Vos autẽ non aliud laboratis, niſi vt hoc faciatis quod Abbas præcipit. Iam ſub iugo es; non cogites vnde viuas, quia nõ debes cogitare: eſt qui regat, eſt qui curam ferat. Omnino ad vos cogitatio cibi & veſtimẽti non attinere debet: Quod dederit Abbas, ſic puta quaſi Deus dederit: Ipſa eſt enim vera humilitas. Sed forte vnus plus habet; & alter, minus: & hoc tanquam à Deo factum habete. Sed vnus ſedet ad alterá menſam! ſi ſic iubet Abbas, ſi ſic probauit, ſic habete quaſi Deus iuſſerit. Nolo inde interroges, vt dicas; cras ego ibi ſeſſurus ſum! Nolo vt facias conſuetudinem, ne tibi des illam neceſſitatem. Si fortè non eſt quod detur; aut non videtur vt detur: ſic habe, aut quia non eſt quod detur, aut viſum eſt expedire vt non detur. Iſta (fratres) ſi ſeruaueritis, vitam habebitis æternam. Nolite vos permittere malis agi verbis. Si fortè aliquis infirmus cadit, vt loquatur peruerſa: ſtatim cohibere illum, ſtatim dicite: noli facere, noli Frater; peccas: debetis enim (propter quod in vnum eſtis) quia Abbatem vnum habetis, & vos vobis Abbates eſſe. Nunquid vnus (quia duos oculos & duas aures habet) Abbas poteſt omnes audire, aut omnes videre; aut non habet neceſſitatem alicubi exire & aliquid prohibere? vobis Abbates eſtote; & quomodo metuitis Abbatem præſentem, metuite & abſentem quia præſens eſt Deus, Omnino hoc timete, hoc metuite quia Deus ſemper præſens eſt. Et ſi vnus fert curá tãtis; tantò magis vos omnes ferre debetis ne inueniat vnde iraſcatur, vnde doleat, vnde offẽdatur, vnde ingemiſcat, vnde putet quod peribit labor eius tanti temporis: hæc enim tunc nobis poſſunt prodeſſe, ſi habuerimus humilitatem, obedientiam & charitatem. Via alia ad Deum non eſt, niſi humilitas, obedientia & charitas. Ipſe eſt via, veritas & vita. Nam cruciari, ieiunare biduo, triduo, aut quatriduo ſeptimanas facere: frequenter inde ſuperbiunt Fratres, putantes quia quod quidem ipſi faciunt, alius facere nõ poſſit. Infinitum putant eſſe, quod alius non poteſt facere. Aut ambulat nudo pede, & arbitratur quod ipſe ſolus hoc poteſt facere: aut forte nec bibit nec ipſam aquam mixtam. Exercitatio temporalis eſt, quia ſemper illud facere non poteſt: ſed cogitet magis humilitatem, cogitet pietatem, charitatem, obedientiam. Propter enim frangendas vires corporis, propter edomandum ſanguinem & carnem; debet arripere iſta quaſi bonus athleta. Sed non inde glorietur, ne perdat quod fecit. Nam Phariſæus ille qui aſcendit in templum orare: nunquid opera ſua quæ numerabat, modica erant? immenſa erant! ieiunare bis in ſabbato, decimas omnium rerum ſuarum pauperibus dare, non facere fraudem, adulterium non committere infinitum eſt: ſed quoniam iactauit illud in ſuperbiam: totũm quod fecit, ſuperbia fuit. Propterea Dauid dicit: *non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me: Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.* Vbi ceciderunt? in lapſu ſuperbiæ: Inde enim cecidit diabolus, qui per ſuperbiam lapſus eſt. Omnino ergo non admittatur ad ſeruos Dei ſuperbia. Qui ergo iam aliter viuit, vitámque ſuam melius inſtituit: nõ ſit quemadmodum ille Phariſæus. Publicanus autem humiliatus non audet nec oculos ad cœlum leuare, & ſentẽtia Domini collaudatus redit ad domum ſuam iuſtificatus magis quam ille Phariſæus. Expertum namque habemus & in Scripturis ſanctis, & in Fratribus noſtris quòd quicunque viam humilitatis tenuit* præſtat & non perit.

Philip. 2. — *1. Io. 4.* — *Pax animæ cum Dei præcepto.* — *C. S. V. Conſe.* — *Math. 5.* — *Math. 11.* — *Superbia ex ieiunio aliquando oritur.* — *Humilitas domat carnem.* — *Superbia fugienda.* — *Luc. 18. b. c.* — *Pſalm. 35. c.* — *C. S. V. proficit.*

A B C

DRO-

DROGONIS, PRIMVM ABBATIS SANCTI IOANNIS LAVDVNENSIS, DEINDE HOSTIENſis Epiſcopi; de Sacramento Dominicæ Paſſionis,

SERMO.

De Drogone plura ex idoneis ſcriptoribus afferunt poſt alios Poſſeuinus in apparatu ſacro, & Alfonſus Ciaconus de vitis Pontificum in Innocentio II. aiunt claruiſſe tempore B. Bernardi.

Matt. 21.a Zach. 9.b NOLI timere filia Sion, *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper pullũ filium ſubiugalis.* A Veni Domine Ieſu, veni deſiderate cunctis gentibus, quia dormitauit anima mea præ tædio moræ tuæ; & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Oriere Sol amabilis, vt exeat homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam vſque ad veſperam, & operetur non cibum qui perit, ſed qui permanet in æternum. *Noli timere filia Sion*: Timere puſillorum eſt; ideo adhuc filia, quia times. Nondum Ieruſalem, ſed filia Sion; hoc eſt, ſpecula. Ergo diſce ſpeculari; noli timere, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucidè B ſpeculatur. Fides, pupilla eſt oculi tui. Quomodò pupilla oculi eſt ſubtiliſſima: & niſi impigrè ac ſolicitè cuſtodiatur à palpebris, leuiſſimi & tenuiſſimi pulueris tactu confunditur; ſic acie fidei niſi peruigilem ſemper habeat cuſtodiam nihil citiùs conturbatur. Sed noli timere filia Sion; Ecce rex tuus venit tibi: oritur tibi Sol, qui te & cuſtodiat & illuminet & perducat te vbi puluis non eſt. *Venit tibi manſuetus*: qualis ipſe eſt, talem te eſſe vult; manſueſce iugum eius portare. Et ipſe ſedeat ſuper te aſinam ſuam, & pullum filium ſubiugalis. Et quæ eſt hæc aſina? Ipſa quæ caro vocatur & mulier, & virago quia de viro ſumpta eſt. Et quis eſt pullus eius? Maſculus vir. Et quomodo pullus eius eſt? Quia non 1. Cor. 15. priùs *quod ſpirituale ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* C Sedet priùs rex manſuetus ſuper aſinam, poſteà ſuper pullum: priùs caro domatur vt iugo habilis ſit, deinde naſcitur pullus & nutritur & roboratur vt ſeſſorẽ ſuum 1. Cor. 11.a portare poſſit. Et quare filius ſubiugalis? Quia ſub viro eſt mulier, & *mulieris caput vir*; & tamen filius eſt ſubiugalis, quia per mulierem vir, ſed in dolore ipſa pariet. Sedeat ſuper vtrumque Rex manſuetus faciens pacem; nec hæc ſibi inuicem aduerſentur. Venit tibi manſuetus, & tu non vadis ei? *Egredere de terra* patris tuæ, & de cognatione matris tuæ: *& de domo*, id eſt, memoria pa- Gen. 12.a Ezec. 16.a tris tui. *Pater tuus Amorrhæus eſt, & mater tua Chananæa.* Huius patris obliuiſcere, & tunc concupiſcet Rex decorem tuum. Decor magnus eſt, ſi audis & vides & in- D clinas aurem tuam. Audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem. Pſal. 44. Pſal. 54.b Hic decor, hæc omnis gloria ab intus eſt *in fimbrijs aureis*: hunc decorem tuum rex manſuetus concupiſcit. Egredere ergo de ciuitate; quia vidit (inquit) *iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Matt. 21.a Egredere cum pueris Hebræis, qui tranſeunt ſimpliciter in occurſum Domini. Sterne in via *ramos oliuarum*, & opera miſericordiæ pedibus eius accommodes. Accipe frondes palmarum, vt triumphes de principibus tenebrarum. Nihil in te reſideat quod in occurſum Ieſu non prodeat, quia nec vngula in Ægypto, Pharaoni relinquenda eſt. Manus & cor, linguæ cõcinant *Oſanna in excelſis.* Videns vidiſti Domine Deus afflictionem populi tui qui eſt in Ægypto, & inclinaſti cœlos tuos & deſcendiſti liberare nos. Indulta eſt mihi Domine modica quies ab operibus tenebrarum duriſſi-

A mis, quibus mentem meam vehementer afflixit importunus exactor Pharaonis, & Sabbati tui præparatio iam lætificauit animam meam. Veruntamen nondum vſque ad ſpeluncam perueni, vbi pleniùs intelligam puſtulas & næuos qui maculant faciem meam, quæ valde diſplicent in oculis tuis; quoniam & ſi lauero me *nitro*, & multiplicauero mihi *herbam Borith*, maculata ſum iniquitate Hier. 2.e Exod. 1. mea. Et nunc Domine, paſſionis tuæ dies vrgere nos deberent magis, quam præpoſiti Pharaonis: quoniam in operibus tuis iuſtitia eſt & pax & gaudiũ in Spiritu ſancto: Nos autem dormitamus, te Domine pro nobis o- Matt. 26.d rante, quia *oculi* noſtri tempore noſtro *grauati* ſunt. Suſcita nos, vt vigilemus & oremus, ne incidamus in tenta- B tionem; quoniam tribulatio proxima eſt nobis. Quàm citò clauditur oculus ne te videat, collabitur pes noſter in hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, * vbi ſunt * *N. rubus* reptilia quorum non eſt numerus, quæ ſomniorum ſuorum phantaſijs intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, vnde non facilis ad ſuperiora reditus eſt, niſi tu emittas manum tuam de alto & liberes nos de aquis multis. Suſcita nos Domine, vt tecum *vel vna hora* vigilemus & oremus. Quis autem eſt qui tecum vna ho- Luc. 22.d ra vigilet? *Auulſus* enim eſt à nobis *quantum iactus eſt lapidis*, & agonizas prolixiùs, ita vt gutta *ſanguinis* tui decurrat *in terram*. Longè auulſus es à nobis quia lapis eſt 1 Reg. 17.g Dan. 2.e abſciſſus de monte ſine manibus; & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte, & Statuam in pedibus. Iſte C eſt iactus tuus longè à nobis, quia etiam adúſque inferiora velaminis Præcurſor introiſti pro nobis, vbi ſemper interpellas Patrem. Sed vtinam gutta ſanguinis qui Gen. 4.b Apoc. 8.a de agone tuo ſudat, vſque ad terram decurrat; & aperiat terra os ſuum, & bibat illum & clamet ad te, & tecum ad Patrem; meliùs quàm *ſanguis Abel*. Quis autem eſt Domine qui tecum vna hora vigilet? Etiam *in cælo* non *eſt factum ſilentium*, niſi quaſi media hora; quantò minùs in terra, *vna hora*, vigilabimus tecum? Quoties & redis Matt. 26.d ad nos, & inuenis *dormientes*; & tamen benigne ſuſcitas nos, & iterum abis *ſecundo & tertio eundem ſermonem dicens*? Luc 22.e Statim autem vt receſſeris, iterum ſomnus occupat nos, nec vigilare poſſumus niſi quandiù nobiſcum es & Matt. 26.g D ſuſcitas nos. Venis *in ſecunda & tertia vigilia*, ſed *beatus ille ſeruus quem* tunc *inuenerit vigilantem*. Iam primæ & quartæ vigiliæ nulla mentio fit; quia nec primæua ætas ſenſum recipit vigilandi, nec vltima ſpem prolixiùs dormiendi. Et quid eſt Domine, quòd tertiò rediens, co- Hier. 23. Iob. 11.d Matt. 26.d piam dormiendi præſtas? *Dormite iam*, inquis; *& requieſcite.* Nunquid alium concedis ſomnum, vbi requieſcitur, & alium prohibes in quo oculi grauantur? Ita eſt: qui enim vigilat in te, ſuauiter dormit, & ſilet, & ſomno ſuo requieſcit; qui autem dormit à te *ſicut ebrius nocte* neſciẽs grauiter agitatur, *Triſtis eſt*, inquis, *anima mea vſque ad mortem.* Anima triſtis eſt quæ expectat mortis tribulationẽ, quis enim ſciat vtrum ad ſiniſtram an ad dextram eat? Quis enim ſciat quomodò reſpondeat ad arguentem ſe, quando iudex *ſicut parturiens* loquitur? Ideò triſtis anima, ſimilis fiat Pellicano ſolitudinis, qui odit ciuitatem, conuenticula eorum de ſanguinibus, & macie ſolitudi-

nis pallet, & ſicut Nycticorax in parietinis Scripturæ
quærat ſibi eſcam tota nocte, & euolet in Paſſerem ſu- A
Iſa. 42.c per tectum vigilantem & cauentem quando veniat fur.
Vel Iudam non videtis, quomodo non dormit? Quàm
peruigiles habet oculos auaritia! quomodò circuit or-
bem terræ! non ceſſat manus eius, non ceſſat pes, & coa-
ceruat ſibi iram in die iræ. Et tamen dormit Simon, dor-
mit Iacobus & Ioannes: Quare; Quia nõ attendũt quid
poſt paululum futurum ſit; periculi magnitudo ſom-
num fugat! Nunquid dormiuit Petrus in atrio? Nun-
quid dormierũt qui relicto eo fugerunt? Nunquid dor-
miuit adoleſcens quando tenuerunt eum, & ille reiecta
Marc. 14.f *ſyndone nudus* profugit? Et tamen *frigus erat*, quia *ſtabat Pe-*
Ioh. 18.d *trus & calefaciebat ſe*: Magnitudo periculi; & frigus & fa-
mem facit obliuiſci. Euigila tandem, euigila miſerabi-
Mors, omni cruce durior. lis anima; ſi non amore, ſaltem timore. Cogita ſaltem B
cruciatum quem iam paſſura es in morte; certè nulla
crux eſt durior, quam mors. Mors, inquam, ipſa eſt du-
riſſima crux quæ tibi paratur; ad quam quotidiè tu feſti-
nas, & non attendis: vide quomodò te mors crucifigit;
corpus rigeſcit, crura diſtenduntur, manus & brachia
decidunt, pectus anhelat, ceruix langueſcit, labia ſpu-
mant, oculi ſtupeſcunt, facies exudat, vultus horreſcit;
& velut teſta palleſcit. Iſta te manet crux, neſcio vtrum
in lectulo molli, an in cruce rigida ſuauiùs moriatur, ni-
ſi quòd crux citiùs dolorem abſcindit. Quæ videmus
& ſentimus leuia ſunt ad ea quæ intus anima iam præ-
Ezech. 1.e guſtat: Nam ſenſus à corpore citò recedit, animam ſua
mors ſemper comitatur. *Quum ambularent animalia, am-*
bulabant pariter & rota iuxtà ea. Si vita noſtra proficeret, C
tota ſanctæ Scripturæ nobiſcum ambularet; ſed quia
per paludes & ſaxa pedibus euntes offendimus, vix rotæ
nos ſequuntur. Paſſio Domini celebratur, & nos volu-
Tren. 1.d ptati operam damus! Clamat nobis de cruce; *O vos omnes*
qui tranſitis per viam attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut
dolor meus; & nemo eſt qui audiat, nemo eſt qui conſo-
Ioh. 19.e letur, nemo eſt qui reſpondeat. *Sitio*, inquit; Domine,
quid ſitis? Ergo ne plus cruciat ſitis, quàm crux? de cru-
ce ſiles, & de ſiti clamas? Sitio: Quid? Veſtram fidem,
veſtram ſalutem, veſtrum gaudium; plus animarum ve-
ſtrarum quàm corporis mei cruciatus me tenet. *O vos*
omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimi-
lis ſicut dolor meus. Attendite dolorem meum, vt in do-
lore meo videatis dolorem veſtrum; dolor meus, imago
veſtri doloris eſt. Quod attenditis in corpore meo, at- D
tendite & vos; ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro,
Luc. 23.d tranſitis à vobis ad me; tranſite à me in vos, & videte ſi
ſimilis dolor in vobis ſit ſicut dolor meus. *Nolite flere ſu-*
per me, ſed ſuper vos ipſas flete filiæ Jeruſalem. Nam ille do-
lor quem tranſitis, & non attenditis; magis eſt flendus,
quàm dolor meus, propter ſcelus enim veſtrum per-
cuſſus ſum. Hæc nobis de cruce tua clamas, ô benigne
Ieſu, & ſi non verbis, tamen ipſa re; quid tibi reſpon-
deam? quid loquar? aut quid retribuam? feciſti ergo mi-
hi de corpore tuo ſpeculum animæ meæ. Neſciebam
contumelias & terrores, & colaphizantem me inceſſan-
ter Satanam, niſi viderem artem medicinæ tuæ ſimilia
Iob. 6.a ſimilibus curantem, & appenderem *in ſtatera* hinc cala-
Iſa. 50.c mitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dediſti *corpus* E
tuum *percutientibus*, & *genas* tuas *vellentibus*; *faciem* tuam
non auertiſti *à concupiſcentibus in* te, vt alapæ tuæ alapas
meas remoueant, & flagella flagellis expientur, & op-
probria exprobrantium quæ ceciderunt ſuper te aufe-
rant à me approbrium ſempiternum. Hæc ſunt lineamẽ-
ta mundiſſima carnis tuæ, quibus vulnera mea alligaſti,
Luc 10.f ô Samaritane miſericors, vt imponeres me ſuper iumen-
Iſa. 53.a tum tuum & perduceres in ſtabulum, quoniam *verè lan-*
gores noſtros ipſe tuliſti, *& dolores noſtros ipſe* portaſti, *cuius li-*
uore ſanati ſumus. In domo ergo Principis ſacerdotum,
velata facie colaphizatur Chriſtus, quia in domo con-
ſcientiæ cæcata mente colaphizatur Chriſtianus. Quod
enim Chriſtus in publico, ego patior in occulto; quod
ille foris à miniſtris Caiphæ, ego intus à negotijs Sata-
næ; quia *ſuper dorſum meum fabricauerunt peccatores*: faciem *Pſa. 128.a*
A mihi velauerunt, faciem meam in terra defixerunt, &
dorſum incudem ſuam fecerũt, & ſuper dorſum meum
fabricauerunt peccatores: ſed adhuc intra domum con-
tineor, vbi puella moritur & ſuſcitatur, nam & ibidem
Petrus negauit, dicens; *O homo*, non ſum; hominem at- *Matt. 9 c*
tendo, non Deum; hominem timeo, non Deum cuius
veritatem nego. Nõne tibi Petrus in his verbis velatam
habuiſſe faciem videtur? Vnde tertiò colaphizatus eſt?
quia tertiò negauit. Et Paulus tertiò rogauit *Dominum* *2.Cor. 12.c*
vt auferret à ſe Angelum *Satanæ qui* eum colaphizabat. V-
terque ergo Apoſtolus colaphizatus eſt, vterque nau-
fragium paſſus; ille intus, iſte foris, Voluiſſet quidem Sa-
tanas (ſi tamen licuiſſet) tamdiù Petrum colaphizando
cribare ſicut triticum, donec omnem ab eo fidei medul-
B lam excuſſiſſet, ſed *ego* (inquit) *Petre rogaui pro te, vt non de-* *Luc. 22.d*
ficiat fides tua, vnde reſpexit eum Chriſtus, & egreſſus fo-
ras fleuit amarè. Tamdiu faciem habuit velatam Petrus,
donec reſpexit eum Chriſtus. Sed nunquid non etiam
priùs reſpiciebat? etiam; ſed Petrus reſpiciẽtem ſe Chri-
ſtum nõ reſpiciebat, quia velatam faciem habebat; Vn-
de bene alius Euangeliſta, *& recordatus eſt* (inquit) *Pe-* *Matt. 26.g*
trus: recordatus Petri, reſpectus fuit Chriſti, Ergo cùm
peccatorum flendo, recordaris; à Chriſto videris; immò
ſublato velamine Chriſtum vides. *Et egreſſus foràs*: Pro- *Ibidem.*
pterea negabat, quia intus eſſe nolebat; & tamen quan-
do negauit, foras egreſſus eſt. Vnde, foras? de domo
Chriſti, de domo fidelium: At vbi de domo Caiphæ fo-
ras egreſſus eſt; in domum Chriſti intromiſſus eſt. Quot
C ſunt hodie qui dicunt nos ſumus de domo Chriſti, nos
ſumus de domo Eccleſiæ; & ſunt de domo Caiphæ: hoc
eſt, hypocriſis? Quod Petrus negando, hoc iſti faciunt
affirmando, ſed niſi confitendo exeant foras & amarè
fleant; non intrant in Eccleſiam Chriſti. Amaritudo fle-
tuum velamen diluit oculorum. In domo ergo Caiphæ
colaphizatus eſt Chriſtus, quia in domo Caiphæ cola-
phizatur Petrus, & quod Petrus à Satana intus paſſus
eſt, hoc Chriſtus à miniſtris Satanæ foris pertulit. Atten-
de & vide, *ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Vide quis gra- *Thren. 1.*
uiora pertulit opprobria; Chriſtus foris in corpore, an
Petrus intus in corde! Sed iam ad Pilatum eatur. *Mane*
autem facto vinctus adducitur ad Pilatum: quandiu culpa *Matt. 27.a*
latet, nox eſt; At vbi cœperit innoteſcere, mane fit: Tũc
iam ligatur à Principibus ſacerdotum, & traditur Pila-
D to; hoc eſt, Principi tenebrarum; ſicut & Apoſtolus iu- *1.Cor. 5.b*
bet *huiuſmodi* tradere *Satanæ in interitum carnis.* Effertur a- *Luc. 7.b*
doleſcens de domo ad portam *ciuitatis*, vbi ſedet Pilatus
pro tribunali; in porta enim ciuitatis iudicium ſolebat
fieri: Pilatus autem apprehenſum flagellauit. Sæpè dum
culpa retegitur per impudentiam peccatorum effrænа-
tur, augentur flagella, plagæ multiplicantur; *multa* enim *Pſal. 31.d*
flagella peccatorum. His *flagellis* ſeculi Pharao cædebat filios *Exod. 5. e*
Iſrael. Poſt hæc traditur militibus *ad illudendum*; ipſa eſt *Matth. 20.c*
malitia ſpiritualis nequitiæ. Vide ordinem miſeriæ. A *Luc. 23.e*
Principibus ſacerdotum traditur Principi tenebrarum;
qui flagellis ſuis ſibi mancipatum, militibus ſuis expo-
ſuit altiùs illudendum, & poſtea nouiſſimè crucifigen-
dum: poſt crucem enim nõ reſtat ſupplicium, quia pec-
E catum morte terminatur; ſed vitata iam morte, maiori
Dæmonum ludibrio peccator agitatur. Exuentes quip- *Matt 27.e*
pe eum veſte totius Chriſtiani decoris, quaſi pro regio
ſplendore chlamydem ei coccineam (hoc eſt, veſtimen-
tum mixtum ſanguine) circundant, cùm propter crude-
lem ſanguinolentiam à pleriſque & honoratur & circũ-
datur: vnde *& plectentes coronam de ſpinis* ponunt ſuper ca- *Ioh. 19. a*
put eius, cùm de rapina pauperum ſpineas ei diuitias
coaceruantes, caput eius ad regnum elationis efferunt.
Vendicat enim pecunia, quod Sapientia ſibi dicere ſo- *Vendicat ſibi pecunia, quod olim Sapientia.*
lebat; *Per me reges regnant & conditores legũ iuſta decernunt*:
Vbi pecunia, ibi rex, ibi clientium copia. Vnde & arun-
dinem in dextra eius ponunt; Poteſtas enim & regnum *Prou. 8. b*
impiorum arundo eſt, vento agitata: Regnum autem *Matt. 27. e*
Chriſti, virga ferrea. Et benè in dextera arundo ponitur; *Pſal. 143. e*
quia

Marc. 15. b quia *dextera eorum, dextera iniquitatis.* Iam quod ſequitur luce clarius eſt, quia genu flexo talibus illuditur potiùs quàm ſeruitur. *Aue rex Iudæorum, & expuentes in eum,* laudibus ſuperuacuis (*Pſal. 10. a* *laudatur* enim *peccator deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.*) *Marc. 15. b* Acceperunt arundinem *& percutiebant caput eius;* *Militum rapinæ in Principum caput redundabunt.* A talibus enim rectoribus, milites eorum poteſtatem accipiunt nocendi & deuorãdi pauperes, quod totum tamen redundabit in caput eius cuius authoritate ſe tuentur. *Pſal. 1.* Hæc tertia mors eſt, quando ſedet fœtens *in cathedra peſtilentiæ:* his mortibus infœlix anima, ante extremam crucem morte afficitur; & quod miſerabilius eſt, talibus opprobrijs quaſi pro magnis honoribus delectatur; & talis quotidie ducitur ad crucem, baiulans ipſe ſibi ſuæ damnationis ſupplicium. *Matt. 27.* Sed quid eſt quòd poſt illuſionem, chlamyde exuitur, & ſuis veſtibus reinduitur; niſi quòd ſæpè, ſuperbus Adam cùm per dolorem carnis confinia mortis ingreditur, depoſita elatione, ad putredinis ſuæ conſiderationẽ reuertitur? vbi videlicet vel miſeratione diuina pœnitentiæ fructus inuenit, vel poſt tremendum iudicium *Act. 12. d* duplici contritione conteritur. Sic Herodes cùm veſte regia præfulgidus, pluſquàm decuit à populo ei acclamaretur; mox percuſſus ab Angelo, exutus chlamyde veſtem ſuam reinduit, & conſumptus à vermibus, expirauit. *Marc. 15.* Rectè ne illuſus? *Aue Rex Iudæorum: Quid ſuperbis terra & cinis?* *Eccl. 10. a* quid veſte nitida gloriaris? Subter te ſternetur tinea, & operimentũ tuum vermis eſt; hæc tua veſtis eſt; illuſerunt tibi qui chlamyde coccinea circundederunt. *2. Mac. 9. b* *Act. 12. d* Sic Antiochus & Domini natalis hoſtis Herodes; alienis veſtibus depoſitis, in ſuis vermibus expirarunt. Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam; vide vbi & quomodò te requiſiuit & inuenit nouus Adam: oſtendam tibi in corpore eius ignominias animæ tuæ. Non ſatis fuit quòd per colaphos & noua irriſionum genera, poſt te fugientem, clamitans & miſerans percurrit; & vſque ad nouiſſimum crucis ſupplicium, te animam efflantem conſecutus inuenit & apprehendit? Quis enim latro ille niſi Adam fuit? qui ex quo primum in Paradiſo ſui ipſius homicidium perpetrauit; tamdiu à Chriſto fugit reus & abſcondit ſe, donec in crucis articulo nouiſſime conſumptus & comprehenſus fugere & latere amplius non potuit: Ibi tandem comprehenſus, ad te bone Ieſu conuerſus eſt, culpam ſuam confeſſus eſt, pœnam libenter amplexus eſt, tu enim admonebas ne pati abhorreret, quod te quoque ſecum pati videret. Ille ergo tibi de toto hoc mundo ſolus & vnus adhæſit; & ideò ſolus de toto hoc mundo tecum in Paradiſum intrauit, vbi & tam firmiter non iam cuſtos Paradiſi ſed ciuis & domeſticus Dei collocatus eſt, vt ampliùs inde *Luc. 23. f* cadere iam non poſſit. O beatiſſimum latronem; immò non latronem ſed Martyrem & Confeſſorem, neceſſitàtem enim vertit in voluntatem, & pœnam commutauit in gloriam & crucem in triumphum. *Latro, in Cruce, Confeſſor, Martyr.* In te beatiſſime Confeſſor, Martyr, de totius mundi ſterilitate, fidei reliquias collit Chriſtus: tu fugientibus Diſcipulis & Petro negante, ſocius & comes paſſionis eius fieri gauiſus es; tu, Petrus in cruce fuiſti; & Petrus in domo Caiphæ, latro. Tamdiu hic, Petrus, latro fuit, quamdiu intus latitans Chriſtum foris negauit: & ideo & Petrum *Chriſtus, latronem, ſecum pariter in Paradiſum introduxit.* præceſſiſti in Paradiſum, quia qui te cruce complexus eſt dux & rector tuus, eadem die qua ipſe ingreſſus eſt, fidelem & glorioſum militem ſecum te pariter introduxit.

Pſalm. 69. *Egenus & pauper ego ſum* Domine, & *claudus ex vtero matris meæ* & ecce ſedeo *ad portam Templi* tui *quæ dicitur Specioſa,* non valens nec volens introire; quin potius egeſtate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ; æreas & falſas imagines hominum, vbi coarcetuem mihi talentum iniquitatis, faſciculos deprimẽtes. *Act. 3.* Et ecce *hora orationis nona* eſt; aſcendunt *Petrus et Ioannes* Apoſtoli tui vt orent ad Templum ſanctum tuum; ego autem hæreo terræ & luto, terrena & vana ſapiens, & alijs introeuntibus ego foris remaneo non quærens cum eis ea quæ Patris tui ſunt, ſed quæ primi patris mei, A quæ me ſiue foras quotidie ponunt, & male concupiẽũt, Ecce iam hora orationis nona eſt, inclinata eſt dies, prope eſt nox; cum ſurrexero manè diluculo, de his quæ nunc mendico nihil in manibus meis reperiam. Hora inquam, orationis nona eſt; oraſti hac hora pendens in cruce, oraſti *inclinato capite clamans voce magna* & expiraſti; *Ioh. 19. c* oraſti inclinato capite in ſpiritu humilitatis; & clamans voce magna, altiſſimo & ſecretiſſimo affectu paterno & noſtræ charitatis; in illo (Domine) clamore valido expiraſti, & eundem quem de nobis tunc habebas compaſſionis animum tecum aſportaſti, & credo Domine quia tecum adhuc reſeruas, quia charitas tua refrigeſcere neſcit. Erat autem hora orationis nona: Et quare nona orationis erat hora? quia* circa horam nonam tene- B bræ factæ ſunt. ** Tenebræ factæ ſunt vſque in horam nonam.* Repellendus erat horror tenebrarum, qui vniuerſam operuerat terram; repellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare, *Luc. 23. f* ex quo tu cœpiſti ad auram poſt meridiem deambulare; ex quo tunc non ceſſaſti clamans, *Vbi es Adam?* *Geneſ. 3. c* Sequẽs poſt tergum fugientis & abſcondentis ſe quantum in ipſo fuit qui & dimiſſus eſt de Paradiſo voluptatis, & peruenit vſque ad condignum ſuæ cruciatum iniquitatis. Sed *nos,* inquit, *digna factis recipimus, hic autem quid fecit!* *Luc. 23.* O Adam quã ſerò in hæc verba prorupiſti: Modò te primùm inueni. *Act. 3.* *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo:* ideò eſt hora orationis nona. Nona orauit; nam decima Paradiſum intrauit. Propterea non introibat claudus in Templum, quia nondum vſque ad decimam generationem *Pſalm. 120.* peruenerat, ſed Petrus ad eum *in nomine* (inquit) *Ieſu* C *Chriſti ſurge & ambula.* Verè vos eſtis *montes* ad quos *leuaui oculos meos, vnde veniet auxilium mihi;* ſed *auxilium meum à Domino,* quia dixiſti; *in nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula.* In verbo Chriſti laxas rete, & in verbo Chriſti claudum leuas. In verbo Chriſti ſolidantur baſes eius & plãtæ. Quæ ſunt baſes eius? Fides & timor: & quæ plantæ? Spes & charitas: ideò bene Petrus & Ioannes ſimul aſcendebant; quorum alter fidei, alter charitatis inſigne ferebat. Aſcendebant ad templum tuum Domine, tecum ſimul oraturi vt & ipſi tecum ſimul introëant in Paradiſum Sanctuarij tui. Quia ſciſſum eſt in morte tua velamentum quod erat ſuper faciem Moyſi: *Exod. 4. d* Sed noluerũt introire ſoli, quia nec tu Domine ſolus Paradiſum introiſti. Tu latronem, iſti claudum introducunt. Sed ne- D que iam latro in Paradiſo eſt, neque claudus in Templo, quomodò enim claudus eſt qui ſtat & ambulat, exilit, & Dominum laudat? Aut quomodò latro eſt, ſi cum Chriſto in Paradiſo? *Non* enim *iuxta te habitabit malignus.* *Pſal. 5. a* Latro fuerat quando latebat ante confeſſionem, Iuſtus autem poſt orationem; quid enim orauit? *Memento mei dum veneris in regnum tuum,* *Luc. 23.* O magna fides, ô magna ſpes, ô magna charitas; erat pro futuris, non præſentibus; non vult de cruce deponi, ſed in regno Chriſti reponi: quid enim eſt aliud dicere? quam, *cupio diſſolui & cum Chriſto eſſe.* Neſcio quid Paulus magis iſto latrone cupierit *Memento mei!* O cor contritum & humiliatum! Quid minus vel humilius potuit rogare, quàm vt ſui memor *Philip. 1. d* eſſet? Memento mei! cuius mei, inquam; tam indigni, tam peccatoris: iniquitatem meam ego cognoſco & E peccatum meum contra me eſt, cõfundor oculos meos ad te leuare, tibi ſoli peccaui, tu ſolus potes à peccato meo me mundare, malum contra te feci, cum me tibi volui cœlare; latro ſum animæ meæ, homicidium quidem feci; volui occultare, ſed malum coram te feci; memento mei, miſerere mei, meritò in hanc miſeriam deueni, qui tuam beatitudinem deſerui; diues eram, & ecce quam pauper factus ſum! De omni ligno Paradiſi poteram comedere & delectari, & ecce crucior & morior in hoc ligno, memento mei; tui oblitus eram; ſed tu cum iratus fueris, miſericordiæ memor eris. *Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam:* *Pſalm. 50.* video in te, magnam & tuam; hoc eſt, competentem tibi miſericordiam, quæ te mihi, ad mei conſimilem condeſcendere fecit miſe-

tiam. Ego *digna factis* recipio; tu autem quid feciſti? Video te mihi in pœna ſimilem, quem in actu video tam (Pſalm. 8.) diſſimilem! Non potuiſti me longiùs ſequi. Vnde veniſti? *à ſummo cœlo* egreſſus es, & de vtero Virginis, ſpecioſus forma, proceſſiſti; & mecum pendes in ligno! Quis huc te adduxit? ſola miſericordia. *Secundum hanc magnam miſericordiam tuam miſerere mei Deus.* Deus es, non homo tãtùm: Deus es; ego homo, ego plaſma tuum, ego quem feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam; Imaginis tuæ Deus miſerere. Sed in quo te agnoſcam miſereri? in eo quòd imaginem meam in te video ſimilem, & eãdem mecum miſeriam pati; quid ergo reſtat niſi vt ſperem de tanta miſericordia? quis, inquam, poſſit deſperare? Ergo memento mei dum veneris in regnum tuum. Vadis ad regnum tuum, impleſti negocium tuum! ad hoc veniſti vt me reducas tecum; tecum ire concupiſco, & hanc amariſſimam mortem pati non contremiſco, non erubeſco. Quomodò enim contremiſcerem, vbi te meeum eſſe viderem? etiam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es; aut quomodò erubeſcerem quòd te Dominum cœli portare viderem? Qui enim te erubuerit & tuos ſermones, hunc erubeſces cùm veneris in maieſtate tua, & Patris & ſanctorum Angelorum. (Luc. 14 f) *Qui non baiulat crucem ſuã* & ſequitur me, non eſt meus diſcipulus; hic eſt ſermo tuus: qui hunc ſermonem erubuerit, hunc tu erubeſces; qui enim erubeſcit crucem tuam, erubeſcit gloriam tuã; mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Crux gloria tua eſt, crux imperium tuum eſt; ecce imperium tuum ſuper humerum tuum; portas portantem te. Qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam; qui portat gloriam tuam, portat te; portantem autem te, tu portas ſuper humerum tuum, quia *imperium* (Iſa. 9. b) *tuum ſuper humerum tuum*: ergo qui te portant imperium tuum ſunt; in ipſis enim tu regnas. O maxime imperator! ſed quomodò, aut quò portas imperium tuum ſuper humerum tuum? humerus tuus altus eſt, humerus tuus fortis, humerus tuus pertingit vſque ad Patris conſeſſum ſuper omnẽ Principatum & Poteſtatem & Virtutem. Illuc perducis ouem centeſimam, illuc *deducis o-* (Pſal. 79. a) *uem Ioſeph.* Ad dexteram Patris deducitur ouis Ioſeph! vade iam ſecura ouis Ioſeph; Chriſtus te portat ſuper humerum ſuum: fortis eſt humerus eius, noli timere: al- (Luc. 9 g) tus eſt, noli ad ima reſpicere, quia *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* (Eccl. 40. a) *Graue iugum ſuper filios Adam à die natiuitatis eorum, vſque ad diem reuerſionis in matrem omnium!* Quandiu ſum filius veteris Adam, graue iugum porto: Si eſſem filius noui Adam, leue iugum portarem. Quod eſt iugum graue? Talẽtum plumbi: Et quod eſt onus leue? crux Chriſti. Illud ſicut (Exod. 15. b) ſcriptum eſt, ſubmergitur *in aquis vehementibus*; iſtud enatat ſuper aquas. Mira res! nihil formidoloſius homini quàm crucem pati. Sed quare timent homines crucem? quia latrones ſunt, ſi latrones non eſſent, crucem non timerent; ergo qui timet, latro eſt. Quomodò inquis, (Matt. 21. b) latro eſt? audi Chriſtum: *Vos autem*, inquit, *feciſtis eam*; id eſt, domum meam; *ſpeluncam latronum.* Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos; faciunt ergo homines ſeipſos ſpeluncam latronum; iugulant homines & trahũt in ſpeluncam ſuam. Quod enim maius homicidium, quàm vt ſeipſum interficiat homo? vel quod grauius homicidium, corpus occidere, an ſpiritum? O quoties homo ſpiritum ſuum interficit! quot homicidia in ſemetipſo perficit? quoties voluntariè & ex ſtudio peccatum perpetrat, quid aliud quàm ſeipſum iugulat? (Matt. 26. e) *omnis* enim *qui acceperit gladium, gladio peribit.* Gladius animæ peccatum eſt; peccatum, animæ mors eſt; qui hunc gladium manu propriæ deliberationis acceperit; hoc eſt acceptum habet & gratum; primus in ſeipſum manum (Pſal. 36. b) mittit, primus ſemetipſum interfecit: *gladium*, inquit, *eorum intret in corda illorum.* Nec ſatis eſt ſemel occidere & quieſcere; millies & millies, crudeles in ſe manus conuertunt; & veloces ſunt pedes eorum ad effundendum ſanguinem ſuum, viri ſanguinum & doloſi. Quomodò A doloſi? quia congerunt cadauera mortuorum in ſpeluncam ſuam, & operiunt aggere terræ ne vel ipſi videant, vel ab alijs videantur. Nolunt ipſi videre, ne horrorem vel pudorem ingerant eis in faciem, morticina fœtentia: nolunt videri, ne fortè deprehenſi tanquam latrones homicidæ ad horenda ſupplicia pertrahantur. Quid autem in omnibus ſupplicijs tam horrendũ quàm crux? Ideò timent crucem latrones, quia crux ſcelerum vindex eſt, crux impiorum pœna eſt, crux æqua lance iudicat & remunerat, hinc nocentes, illinc innocẽtes; ideò crux impijs formidoloſa, pijs autem ſuper omnia ligna Paradiſi gratioſa eſt. Nunquid enim Chriſtus crucem timuit? nunquid Petrus; nunquid Andreas? immò & optauit, *exultauit* enim *vt gigas ad currendum viam*: Et, *à de-* (Pſal. 8.) B *ſiderio*, inquit, *deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum an-* (Luc. 22. b) *tequam patiar.* Manducauit Paſcha cum diſcipulis, manducauit & paſcha cùm paſſus eſt, quando trãſiuit ex hoc mundo ad Patrem: *Ego* inquit, *habeo cibum manducare quem* (Ioh. 4. d) *vos neſcitis, meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei*, & voluntas Patris eſt vt calicem bibam. Ergo in cruce mãducauit & bibit, & ebriatus eſt, & dormiuit: Riſit verenda eius maledictus Cham, filij autem referentes, altiſſimi ſoporis myſterium pallio contexerunt, *Immiſit* quippe *Dominus ſoporem in Adam & tulit vnam de coſtis eius,* (Gen. 2. c) *& ædificauit in mulierem & adduxit eam ad Adam*: Manifeſta res eſt, quia dormitauit Chriſtus, & ſopoſitus eſt Chriſtus, & de latere eius quotidie ædificatur, & paſcitur, & nutritur Eccleſia, & adducitur à finibus terræ vt adſiſtat Regina à dextris in veſtitu deaurato circundata C varietate. In cruce ergo Paſcha manducauit, quia aſcendit in palmam, *& collegit fructus eius. Cum exaltatus,* (Ioh. 12. e) inquit, *fuero, omnia traham ad me*: quæ omnia? cœlum, terram, & inferos. Traxit ad ſe Patrem, quia clamor eius; introiuit in conſpectum eius, in aures eius; & contremuit terra, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, quia vocem Filij Dei audierunt. Sic mediator Dei & hominũ medius inter cœlum & terram, Paſcha manducabat, & fructus arboris vndique colligebat, quos in corpus ſuum traijciebat; quia confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio Paradiſi, reſtincta enim erat framea, quæ viam intercluſerat. Quis ergo amplius crucem timeat? in cruce enim pendet omnis fructus vitæ, quia ipſa eſt arbor vitæ quæ eſt in medio Paradiſi; D ipſa eſt altitudo, latitudo, ſublimitas & profundum; ipſa bonos colligit & remunerat, ipſa malos diſperdit & condemnat; ipſa & mœſtorum conſolatio, eſurientium refectio, perfectorum gloriatio. Circuire poſſum Domine cœlum & terram, & mare & aridam, & nuſquam te inueniam niſi tantum in cruce; ibi dormis, ibi paſcis, ibi *cubas in meridie*: Crux enim tua fides eſt cuius latitu- (Cant. 1. b) do charitas, longitudo longanimitas, altitudo ſpes, profundum timor. In hac cruce te inuenit quicunque te inuenit; in hac cruce, anima ſuſpenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit, in hac cruce Domino ſuo adhærens dulciter decantat, *Suſceptor meus es tu, gloria mea* (Pſal. 3. a) *& exaltans caput meum.*

Nullus ergo te quærit, nullus te inuenit, niſi crucifixus. O glorioſa crux radicare in me, vt aſcendam in te! E Sed vbi *crucifixerunt eum* in *Caluariæ* loco. Beatus verò lo- (Ioh. 19. c) cus in quo figitur crux; bona caluities quæ tali fronde veſtitur: ad hanc caluitiem Heliſæus aſcendebat; *aſcende* (4. Reg. 2. d) *calue, aſcende calue.* Vide ſi non caluus eſt & noſter Heliſæus: *Filius hominis*, inquit, *non habet vbi reclinet caput ſuum.* (Luc. 9. g) Ecce quàm caluus eſt qui non habet vbi caput reclinet; caluus eſt, quia regnum eius non eſt de hoc mundo; caluus eſt noſter Heliſæus quia diſcipuli eius *relicto eo omnes* (Matt. 26. f) *fugerunt*; quid enim diſcipuli, niſi *capilli capitis*, qui *omnes* (Matt. 10. c) *numerati ſunt*? Ergo in Caluariæ loco vexillum crucis eri- (Iſa. 3. c) gitur: *pro eo*, inquit, *quod ambulauerunt filiæ Sion extento collo & nutibus oculorum, decaluabit Dominus verticem filiarum* (Pſal. 67. e) *Sion.* Decaluet Dominus *verticem capilli perambulantium delictis* ſuis. *Decaluabit*, inquit, *verticem filiarum Sion*: & fa- (Mich. 1. d) ciet ibi

ciet ibi Caluariæ locum, vt ibi figatur glorioſa Chriſti crux, vbi ſedem ſibi ſuperbia locauerat. *Dilata*, inquit, *caluitium tuum ſicut aquila*. Aquila decaluata, perſpicuo Sole fruitur; ſic animæ caluities quantò dilatatur, tantò ſe puriùs in eam vera lux infundit: qui autem ſibi comã nutriunt, cæcitatis & grauitatis ſibi damnationem acquirunt. *2. Reg. 14. f* Proptereà lucis huius beatæ viſionem perdidit Abſalom, quia grauabat eum Cæſaries, & *non niſi ſemel in anno tondebatur*, & crines ſuos ponderabat ducentis ſiclis pondere publico, vnde in eodem crine ſuſpenſus ad arborem interijt. *Iſa. 38. d* Abſalom, patris pax; ipſe eſt & Iudas, & quicunque *in pace*, Chriſto eſt *amaritudo amariſſima*. *Matt. 26. e* *Aue Rabbi*: *Pſal. 61. b* voce & oſculo, Patri pacem ferebat, *ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant*. *Pſal. 40. a* *Homo*, inquit, *pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem*. *Vnus eſt & multi ſunt*: Ecce Abſalon, ecce Iudas, B ecce corpus Satanæ. Sed quomodò comam nutriebat? *Ioh. 12. a* *fur erat, & loculos* habebat; iſta eum cæſaries grauabat, & ſemel in anno tonſus, quando ſemel retulit triginta argenteos & proiecit eos in templo: quos ponderauit ducentis ſiclis qui numerus immundorum eſt; & hoc, pondere publico, non pondere Sanctuarij; pœnitentia enim ductus peccatum ſuum valdè ponderauit. *Matt. 27. a* *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*. Singula verba plena ſunt ponderibus; ſed pondere publico, non pondere ſanctuarij, quia plus erubuit infamiam quam conſcientiam, plus ſuam nequitiam quàm Dei miſericordiam ponderauit. *Pſalm. 50.* Audi pondus Sanctuarij: *peccaui, malum coram te feci, dele iniquitatem meam*: hinc iniquitatem meam ego agnoſco, illinc miſericordiam tuam magnam attendo; miſerere mei Deus. Audi & pondus publicum: C *Gen. 4. c* *Maior eſt*, ait Cain, *iniquitas mea quam vt veniam merear*, *Matt. 27. a* *retulit* ergo *triginta argenteos, & proiecit in Templo*. Vide quàm magni ponderabat eos, non proiecit eos in ſterquilinio, ſed in templo: nimirùm talibus ſemper Dijs Templum ſuum deuonerat: *auaritia* enim, *ſimulachrorum ſeruitus eſt*, *Galat. 5. d* & auaritia *excæcat oculos ſapientum*. *Deut. 1. d* Ecce infœlix; qualiter excæcatus eſt! maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, ſeipſum laqueo addixit: amabat hæredes ſuos qui eoſdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reſeruant in ſuo Corban: proiecit eos in templo, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Iamdiù erat quidem quòd à Chriſto receſſerat & auaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat: ſed *quod* fecerat, *in occulto*; *Matt. 10. c* *palam*, omnibus innotuit.

D Exterioris pœnæ qualitas, ſupplicij modum aperuit; *Sap. 11. e* quia *per quæ peccauerit* homo, *per hæc punietur*. *Act. 1. c* *Suſpenſus crepuit medius*: plenus erat venter, & ruptus eſt: Venter crepuit medius vbi ſedes erat Satanæ, crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vaſis Figuli quæ probantur *in fornace*: *Eccl. 27. a* propter quod in agro *figuli in* ſepultura *peregrinorum* *Matt. 16. a* ſortem non habuit; ſed velut teſta crepitans per inane diſſoluitur, *Act. 1.* *& diffuſa ſunt omnia viſcera eius*. *2. Reg. 18. c* Pecuniæ viſcera ſunt auari; illa diffunduntur & perduntur, ſed viri miſericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Iudas & Abſalon per comam capitis ſui, & mulus qui ſedebat pertranſijt: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quia Mundus tranſit & concupiſcentia eius. Crinis Abſalon quo ſuſpenditur, *1. Tim. 6. c* *radix omnium malorum* auaritia eſt: vbi hæc E radicauerit, omnium malorum cæſaries abundabit. Mulus verò ex equo & aſino mixtus, eſt duplex animus qui foris oſtentat quod intus non ſeruat. Talis erat Iudas, talis Abſalon: foris pietas intus malitia; duplex iniquitas, Equus manifeſtè tumet, aſinus ſimpliciter ambulat; mulus nequam & ſubdolus, incautum præcipitat.

Aperi nobis Domine, aperi nobis oſtium lateris tui quod eſt in Arca tua, vt introducas nos cum mundis animalibus ſeptena & ſeptena. Tu es verus Noë quem ſolum inuenit Deus Pater tuus iuſtum coram ſe. Hic eſt inquit, *Genſ. 6.* *Filius meus dilectus in quo complacui*: *Matt. 4.* Tu cognoſcis oues tuas, & ipſæ te agnoſcunt, quia ſunt animalia munda ſeptena & ſeptena qui ſeptiformi gratia & operibus lucis Sabbatum ex Sabbato adepti tam digni ſunt Octauæ conſcribi; qui numerus tantùm in Arca A ſaluatus eſt.

Introduc & nos ad te per oſtium lateris tui, quod eſt fides Eccleſiæ; & claude *oſtium à foris* donec pertranſeat iniquitas: & ceſſante diluuio, iterum nobis aperias oſtium, non iam fidei ſed ſpei; *Gen. 7. c* *oſtium contra oſtium* quod in montis ædificio Ezechielis Prophetæ monſtratum eſt. *Ezec. 40. b* Interim tamen & *feneſtram* habes in Arca, per quam *dilectus mittit manum ſuam*, *Cant. 5. b* & columbam ſuam excitat: *Surge*, inquiens, *amica mea, ſpecioſa mea, & veni*: & cùm euolat poſt te vt apprehendat te, tu effugis & aſcendis *ſuper Cherubin*, *Pſal. 17. a* & volas, *ſuper pennas ventorum*, vt non inueniat pes columbæ tuæ, ſolidum quid de te vbi requieſcat niſi iterum ad Arcam tuam reuertatur, & tu *manu apprehenſam* iterum in ſua manſiuncula reponas: *Geneſ. 8. b* Tutius eſt enim in portu fidei interim præſtolari & quieſcere, quàm te nimis & fruſtra inſequendo, in aquas diluuij intranſmeabiles decidere & ſubmergi. B Aquæ enim quæ *à dextro* templi *latere* effluunt, mille paſſus menſuratæ, vſque ad talos veniunt; *Ezec. 47. a* & poſt alios mille paſſus, vſque ad genua; iterum poſt alios mille, vſque ad renes aſcendunt; poſt alios autem mille paſſus, in tantùm creſcit & intumeſcit fluuius vt terris vadari non poſſit, ſed oporteat retro potiùs redire ad ſolidum ripæ: ideo ſancta *animalia ibant & reuertebantur*; *Ezech. 1. d* Columba quoque cùm non inueniret vbi pes eius requieſceret, *Geneſ. 8. a* ad Arcam reuerſa eſt. At verò coruus ſemel emiſſus neſcit reuerti, quia non ſimplici oculo perſequens vanitatis diluuio interceptus eſt, & meritò. Quid enim columbæ & coruo? *2. Cor. 6. d* quid candido & nigro? quid Iudæ & Ioanni? quid C *Chriſto & Belial?* & tamen Chriſtus inter Iudam & Ioannem medius ſedet inter electum & reprobum latronem medius, & Noë inter coruum & columbam; ſed coruus ſemel emiſſus non eſt reuerſus, quia Iudas egreſſus in aëre ſubmerſus eſt. Sed quid ô Domine quòd *vnus ex militibus lancea latus tuum aperit?* *Ioh. 19.* Quis eſt ille vnus ex militibus, niſi fortè ille qui tunicam tuam inconſutilem ſorte accepit: ipſa eſt nimirum vnitas fidelium, quæ tibi ſoli militat, cuius lancea prædicationis cunctis credentibus latus tuum aperuit: *viuus eſt* enim *ſermo Dei & efficax*, *Hebr. 4. 11.* *& penetrabilior omni gladio ancipiti*. *Abac. 3. 11.* Hæc eſt illa lancea quàm Abacuc Propheta fulgurantem haſtam nominat: *1. Reg. 26. 14.* hanc haſtam cum vrceo aquæ tulit Dauid à capite Saulis inimici ſui dormientis, quia ſuperbis & inuidis ac negligentibus ſermo ſapientiæ ſimul cum gratia ſubtrahi- D tur; ſed dormientem, filius Saruiæ confodere voluit ſemel, vt ſecundò opus non eſſet, niſi hunc Dauid benignè prohibuiſſet; quia peccatorem pigrum & contemnentem niſi miſericors & longanimis patientia Dei ſuſtineret, gladius Satanæ (hoc eſt, iniquitas ſua) in æternum interficeret: Vult enim improbus Satan, quatenus *qui dormit*, *Pſal. 40. 9* *non* adijciat *vt reſurgat*. *Reg. 26.* At verò miſericors Dauid de longinquo vertice ſæpius inclamat; *nonne reſpondebis Abner?* Retribuis enim peccatori mala pro bonis, mitiſſime Dauid; & admones & expectas diutius vt reſpondeat tibi *vnum pro mille*; illis autem vox tua improba videtur, quia inquietum eorum ſomnum inquietas. *Quis es tu*, inquit, *qui clamas & inquietas regem? ab increpatione tua Domine dormitauerunt qui aſcenderunt equos*, *1. Reg. 26.* *Pſal. 75. 7* nec euigilare eos vult auriga ipſorum donec præcipitet in pro- E fundum. Rex enim impiorum ſuperbia, *in vmbra dormit*, *Iob. 40.* *in ſecreto calami*, in locis humentibus, & protegunt vmbræ vmbram eius: Ipſe eſt Abner qui protegit Saul. *Cur*, inquit, *inquietas regem?* Compungitur tamen aliquando & ſuperbum cor, ad vocem Dauid, ſed non vſque ad correptionem. Flectitur humillimis ſermonibus ſuperbus Saul, dicente Dauid; *quem perſequeris Rex Iſrael: quem perſequeris? canem mortuum & pulicem vnum, ſicut perdix in montibus*. Non ſine cauſa, vel cani mortuo vel pulici ſe comparat Dauid, *melior eſt* enim *canis viuus leone mortuo*: *Eccleſ. 9* melior eſt canis viuens Deo, mortuus mundo, quàm leo ſuperbus & reprobus, mortuus Deo, viuens ſæculo. Pulex paruulus & mordet & ſalit; ſic humilis iuſtus, car-

nalium vitia mordet confidenter, & ſalit in montibus
vbi tutiſſimum habet refugium, vt non timeat perdi- A
cem adulteram quæ perſecuta eſt Heliam & Ioannem
3. Reg. 19. Matt. 14. Baptiſtam interfecit. Da mihi Domine portionem in
Matt. 27. 7 terra viuentium, in ſepultura *peregrinorum in agro Aceldema* qui precio magno *ſanguinis* tui emptus eſt; ibi enim
ſepulti ſunt omnes Patres noſtri, qui ſuper terram hanc
aduenæ fuerunt & peregrini: ibi Abraham, pulcherri-
Geneſ. 23. mam coniugem ſuam Sarram in ſpelunca duplici ſepe-
liuit. Sed quid eſt quòd nec gratis agrum ipſum accipe-
re voluit, nec in electis eorum ſepulchris mortuum ſe-
pelire? Quia nec ſine precio ſanguinis Chriſti, gratis ſe
per ſeipſum ſaluandum credidit; nec bonum ſibi æſti-
mauit eſſe, ſi in fœtentibus mundi ſepolchris habitaret.
In electis, ait, *ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum*. Habet
mundus electa ſepulchra; illos vtique quos elationis fa- B
ſtigium, vel ſuperſtitionis operoſitas perſpicuos reddit.
Exod. 12. 30. Exod. 14. Tota Ægyptus ſepulchris plena eſt, *neque* enim *erat domus in qua non iaceret mortuus*. Illa ſepulchra in deſerto do
ſiderabant filij Iſrael: *Deerant nobis*, inquiunt, *in Ægypto
ſepulchra*, vt cadauera noſtra iaceant in deſerto nuda &
inhumata. In talibus ſepulchris noluit mortuum ſuum
ſepelire ſanctiſſimus patriarcha; ſed vbi? *in ſpelunca duplici*; vbi ſpes honorum operum, & amor contemplati-
Dina ſacri Generis ignominia. uæ requieſcit; ibi enim & Lia condita iacet: ergo Sarra
& Lia in ſpelunca doplici, ſimul abſconditæ ſunt. Illa
priùs ſterilis, poſtmodùm iam ſenex, filium gaudij vnú
tantummodò peperit; hęc poſt ſex filios parere ceſſauit,
niſi quod nouiſſime filiam (ſacri generis ignominiam)
peperit. Mira res! hæc quæ ſex habuit filios, *parere* ceſſa- C
re dicitur; illa quæ vnum tantummodò, parere ceſſare
non memoratur: ſed actiua finem habet, contemplati-
ua ſemper parit, illa in dolore, iſta in gaudio parturit, &
tamen vtraque in eodem agro ſepulta eſt. Nam *Rachel
Geneſ. 35. iuxta Bethleem ſubter ſilicem* crucis ſuperpoſita eſt; nimi-
rùm ſedet ad pedes Ieſu, vt de domo panis ſemper fœ-
cunda pariat. Ergo Sarra & Rachel nunquam parere
ceſſabunt: Lia verò, poſt ſex filios; aut omnino parere
ceſſat, aut filiam parit; ipſa eſt carnalis voluptas, quæ ſub
ſpecie diſcretionis nonnunquam ſubrepit actiuæ; ſed
tamen ſi verè vidua fuerit, ſaluabitur; non per filiæ, ſed
1. Tim. 2. 15. *per generationem filiorum*.

In ſpelunca itaque duplici Patriarchæ nobiles vnà
cum ſuis coniugibus ſepulti ſunt; habitarunt enim in ta-
bernaculis ſicut aduenæ & peregrini ſuper terram; ideò D
ſepulturam peregrinorum, tam ipſi quam tota eorum
ſucceſſio, hæreditate poſſident. Sed quid eſt quod Ia-
cob grandæuus, maiore quàm cæteri ambitione, ſuaui-
Geneſ. 50. tate, & gloria ibidem à filio ſuo Ioſeph ſepultus eſt? Per
Iacob grandæuum, perfecta charitas exprimitur; in qua
Pater à Filio, immò cum Filio conſepelitur, dicente ip-
Exod. 13. 19. ſo; *Quia ſi quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater
meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum
faciemus*. Hæc eſt illa glorioſa & ſuauis ſepultura Patris
antiqui dierum, qui diligentes ſe ſibi conſepelit, & ab-
ſcondit eos in abſcondito faciei ſuæ à contradictione
Matt. 23. hominum. Illuc & *oſſa Ioſeph* (Saluatoris noſtri memoria)
Deut. 34 b ex Ægypto, quotidie referuntur à filijs Iſrael: Non enim
in Ægypto oſſa Ioſeph Deus reliquit; qui fœtentia & E
dealbata ſepulchra deteſtatur. Et Moyſen Deus ſepeliuit;
ſed *ſepulchrum eius vſque in hodiernum diem* ab homine non
inuenitur. Denique quis poterit illuc aſcendere vbi ille
aſcendit per medium nebulæ in altiſſimum montem;
& fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus
& vidit & perſcrutatus eſt exemplar Tabernaculi admi-
rabilis quod fixerat Deus & non homo? Propterea *vſ-
2. Cor. 3. 15. que hodie* dum *legitur Moyſes*, velatam habet faciem; quia
ab homine mortali ſepulchrum eius non inuenitur. In
eodem agro & ſanguinis; & glorioſa Regum linea ſor-
tem recepit, qui ſepulti ſunt in ſepulchro patrum ſuo-
rum in Ieruſalem: Illic & Prophetarum viſio, & Macha-
bæorum bellicoſa virtus glorioſè decorata eſt. Compa-
Iſa. 13. 19. retur iam (ſi placet) huic ſepulturæ *peregrinorum*, illa quõ-

dam glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia, Chaldęorum
A turris Babel, Quid ſimile huic noſtræ ſepulturæ repe-
ritur? Ibi, in plures, lingua diſcinditur; hic, quinque ciui-
tates Ægypti, non iam lingua Ægypria, nec Chananiti-
dæ loquuntur, ſed ciuitas Solis vocatur vna. De illa ſiqui- 4. Reg. 9. 42.
dem turre Babel proiecta eſt meretrix Iezabel, fornica-
tionum mater, Idolorum cultrix, auaritię artifex; & cum
eam ſepelire vellent, quia erat filia Regis, non inuene-
runt niſi tantùm caluariam & manuum ſummitates &
ſanguine reſperſum parietem. Hæc ſanè eſt impiorum
ſepultura, hæc digna retributio; quòd, ex eis nõ niſi ma-
nuum ſummitates (hoc eſt; operum vix extrema veſti-
gia) remanent, & caluaries, qui fuerat locus ſuperbiæ
ſpoliatus capillorum gloria; *quia vidi impium ſuperexalta- Pſalm. 36.
tum & exaltatum ſicut Cedros Libani, & tranſiui, & ecce non
B erat*. Hæc eſt caluaries Iezabel quæ veſtita erat decore
meretricio & perunxerat *oculos ſuos ſtibio*. Decaluatus 4. Reg. 9.
eſt ſuperbiæ vertex; non eſt qui iam dignetur aſpicere,
niſi qui voluerit nefas eius abhorrere, vt lauet manus
ſuas in ſanguine peccatoris, & velut equus fortis & ve-
lox, meretricem proiectam, vngula ſua confodiat & cõ-
culcet & prætereat: Hic & paries adhuc ſanguineus re-
lictus eſt, vt terreat viros ſanguinum & doloſos, qui
propter auaritiam ſuam lapidant humilem Naboth.
Sed canes impudentiſſimi, amatores cadauerum, carnes
ſibi fornicarias incorporant, vnde & ſanguinem eius
conſequenter lambunt, quia ſicut libidinis, ita & vltio-
nis participes erunt. Alij verò ſunt canes qui fiunt ex ini-
micis abyſſi; qui famem iuſtitiæ patiuntur; qui circum-
eunt ciuitatem, non Babyloniæ ſed Eccleſiæ: & quod
C mortuum à vitijs ibidem reperiunt, comedunt & ſibi
conſepeliunt. Vnde autem his quos extra ciuitatem
mortuos, volucres (hoc eſt; Dæmones) per inane volã-
tes comedunt; quales fuerunt Achitofel, & Abſalon, &
Iezabel, & Iudas; qui accipientes in vano animam
ſuam, in vano etiam eſſlauerunt eam. Sed redeamus ad
agrum Aceldema vt admiremur & æmulemur potiua
beatorum manſionum gloriam, quoniam memoria im-
piorum cum ſonitu, memoria vero iuſtorum viuet in ſę-
cula ſæculorum; quales fuerunt *Ioſeph* qui *erat decurio vir* Luc. 23. 50.
iuſtus & bonus, & Nicodemus qui quondam noctis, ſed
iam diei miniſter, ad perungendum corpus Domini-
cum, ferebat *mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum*.
Tales ſepulturæ ſuæ miniſtros amabat Ieſus qui corpus
D eius audacter eripiant de poteſtate tenebrarum & ſibi
vendicent; *vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſancti- 1. Theſſ. 4.
ficatione & honore*, ligantes illud caſtitatis legibus & di-
ſciplinæ linteis, & à vermium putredine conſeruantes
per *mixturam myrrhæ & aloës*. Sunt enim hæ ſpecies ama- Ioh. 19. g
ræ quidem, ſed corruptelam remouentes: laborioſa
quidem eſt caſtigatio carnis; ſed aliter neque mens ne-
que ipſa caro ſeruatur impurribilis. *Quaſi libras centum!* O
menſuram bonam & confertam! librandum ſanè eſt in-
ter corpus & animam, diſcretione ſubtiliſſima; vt vnum
quodque plenum ſinum ſe habere gaudeat, & ſit par &
æqualitas inter carnem & ſpiritum; quatenus & menſu-
ra teneatur & non deſeratur perfectio. Hæ ſunt quaſi
libræ centum quæ corpus Ieſu in ſepulchro fidelium,
E integrum ſemper & ſuaue cuſtodiunt. *En lectulum Salo- Cant. 3.
monis ſexaginta Fortes ambiunt, omnes tenentes gladium & ad
bella doctiſſimi*. Lectulus tuus Ieſu Chriſte pluſquam
Salomon; ſepultura tua eſt in qua Sabbato requieſti ab
omni opere quod paraſti. Eſt autem *monumentum* tuum Ioh. 19.
in horto nouum & in petra exciſum; quia amica tua fide-
lis anima, hortus concluſus eſt, & renouatur quotidie in
agnitione tua, & ſolidatur in petra amoris tui conſepe-
liens ſeipſam tibi in interiore homine, in ſecreto taber-
naculi tui: ibi te ambiunt ſexaginta fortes ex fortiſſimis
Iſrael; in quibus opera ſex dierum, opera bona & val-
de perfecta ſunt, vt in ſenario & denario legis, imagi-
nem & ſimilitudinem tuam conſeruent. Iſti melius te
cuſtodiunt quàm fallax impiorum cuſtodia; qui ſunt ad
bella doctiſſimi; non ſolùm carnis illecebras ſed etiam
Poteſta-

Poteſtates aëreas, nocturnóſque timores abigere. Illi autem qui nocte ſicut ebrij ſepulchrum tuum obſident, A illi trepidauerunt timore vbi non eſt timor, quoniam poteſtas tenebrarum lucem non eſt ſuſtinens, ad nunciũ *Matt. 28.4.* vitæ *facti ſunt velut mortui.* Non ergo te cuſtodiunt filij noctis, ſed filij diei, illis enim horrorem incutit ſplẽdor tuus, vt fugiant à te; iſtis autem gaudium, ne approximent ad te. *Matt. 28.13.* *Nobis* (aiunt) *dormientibus venerunt diſcipuli eius & furati ſunt eum.* O mendaces; verum dixiſtis, ſed *mentita eſt iniquitas ſibi!* dormientes enim, Chriſtum cuſtodire *Prou. 8.17.* non poſſunt; ſed *qui manè*, inquit, *vigilauerint ad me, inuenient me.*

Vobis quippe dormientibus; quid niſi ſomnia apparent? Ecce habetis copioſam in manibus pecuniam; illã, ſi poteſtis, cuſtodite ne fures effodiant vel furentur; nam diſcipuli Chriſti ſuum theſaurum diligenter cuſtodient: B vnuſquiſque quod amat, hoc ſeruare ſtudet. Certè Michol amabat Dauid magis quàm patrem ſuum *1. Reg. 19.* Saul: ideò per feneſtram demiſit eum & ſeruauit. Quid eſt hoc? Michol filia Saul, filia quondam ſuperbiæ; poſtquam nupſerat ſpecioſo Dauid, incipit odiſſe patrem ſuum, cui dicitur in Pſalmo; *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam & obliuiſcere domum Patris tui & concupiſcet rex* *Pſalm. 44.* *decorem tuum.* Vnde per feneſtram demittit Dauid, illam intellige *feneſtram per* quam *dilectus* mittit *manum ſuam:* *1. Reg. 19.12.* per hanc feneſtram demittitur ab amica ſua ad amicam ſuam, hoc eſt, ad ſeipſam; & abſconditur in interiore homine, vbi & ſecurus viuat & iniquos lateat. Abſcondit enim ſe & exijt de templo perfidiæ, quoniã dum citharizat coram Saul, vt ſpiritum Domini malum faciat ab eo recedere; ille impius, haſta eum cum pariete tentat C *1. Reg. 16.* configere. Sed declinante Dauid, quid eſt quòd parieti haſta infigitur, niſi quòd recedente Chriſti gratia, mens indurata, ſuæ malitiæ telo confoditur? Quid autem ita hodiéque peroſum habet rex tenebrarum Saul, quàm *1. Reg. 25.44.* Dauid generum ſuum, Propter quod, abſente Dauid, filiam ſuam tulit, & dat alteri marito ignobili; ſed manu fortis cùm redierit & acceperit regnum, rurſus ſuam ſibi vendicat, quia deſponderat ſibi eam ducẽtis præputijs; à qua non ſolùm carnis, ſed & mentis immundicias abſciderat. Væ peccatoribus Domine ſepulchrum tuum obſidentibus, quoniam verè declinas ab eis, & non in*1. Reg. 19.13.*ueniunt te in lectulo tuo ſuaui & florido; ſed potius offendunt ſtatuam cordis ſui tenebris inuolutam, habentes ad caput ſuum pellem caprinam peccatorum ſuorũ D memoriam fœtentem. Beatus autem qui vigilat ad mo*Gen. 32.10.*numentum tuum, & cuſtodit te, & luctatur manè cum angelo reſurrectionis, nec dimittit eum donec audiat aliquid de nomine eius quod eſt mirabile: vt & nomen Iacob commutetur in Iſrael & trãſmiſſo amne doloris, *Matt. 27.60.* ſtatim oriatur ei Sol iuſtitiæ. *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Clauſum eſt Domine, oſtium mẽtis meæ & premit intellectum meum lapis mortalitatis prægrauatus pondere iniquitatis meæ; nec humanæ prorſus vires valent amouere, niſi omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus veniat, angelus conſilij qui diruit maceriã inimicitiarum; & aperiat nobis ſenſum vt intelligamus Scripturas, & videamus linteamina poſita ante nos, humilitatis & reſurrectionis tuæ veriſſima teſtimonia: in quibus qui te ſcrutari te adiuuante potuerit, prægu E ſtabit aliquid de gloria reſurrectionis quam præparaſti diligentibus te, cuius primitias in ſinu tuo iam collegiſti, offerens eas ſemper in conſpectu Patris tui toſtas igni Spiritus ſancti. Et ille quidem angelus tanti gaudij prænuncius, qui reuoluit lapidem & impias mentes perterruit, pias autem blande leniens timere prohibuit: ille inquam angelus non tantum verbo, ſed & vultu, habitu vel tactu, beatæ reſurrectioni teſtimonium perhibuit. *Matt. 28.2.* *Reuoluit* enim *lapidem & ſuper eum ſedit:* lapidem (inquam) qui & nunc aduolutus eſt ſuper nos, & faciem noſtram deprimit: quod in prima reſurrectione quæ eſt animæ, fieri non dubium eſt; vt prementem ſe corruptionis ſarcinam verſa vice ſpiritus ſubijciat, & velut

iudex ac Dominus inferioris ſui regimen accipiat. Quid A autem per candorem niuis, & veſtimentorum ſpeciem; niſi corporis noſtri frigida & mundiſſima caſtitas ſignatur, quæ præſidenti in ſe Angelicæ claritati ſimilis, & teſtimonium præbet & obſequium? Porrò aſpectus eius interiori vbi ſubſignatum eſt lumen vultus tui Domine, ſicut fulgur terribilis eſt & lucidus: terribilis vt inimicens animæ ſcindat medios & perterreat; lucidus autem, vt tibi vero lumini, eum iuſtitia ſemper appareat. Talis erat facies Moyſi ex conſortio ſermonis tui: hoc eſt; *Exod. 3.* luminoſa & terribilis, quia cornuta erat ad ventilandum inimicos, & velata propter ſplendorem quem carnales oculi ferre non poterant. Et nunc Domine ſcimus & gaudemus, quia reſurrexiſti verè à mortuis; & longè diuiſus es à nobis adhuc mortalibus, quia aſcẽdiſti *ſuper equos tuos* igneos, & currum igneum qui *decẽ millibus multiplex* eſt: B *Abac. 3.8.* *Pſal. 67.18.* veruntamen cecidit nobis à te, & apud nos vſque hodie remãſit pallium tuum. Quæ ſunt linteamina corporis tui, quibus potentiæ tuæ opẽ experiamur in tempore opportuno, vt ſpiritus tuus duplex fiat in viſceribus noſtris, quatenus in te, & Deũ & proximũ diligamus. Circundederunt nos dolores mortis, & tribulationes Inferni conturbauerunt nns; circundederunt nos, mortalitatis noſtræ veſtimentum ſcaturiens vermibus qui me aſſiduè comedunt & non dormiunt, qui ſunt dolores prænuncij doloris illius maximi qui venit ſuper nos velut armatus, & improuiſos molitur obruere. Et quis tam prouidus, vt terrorẽ illius poſſit ſuſtinere? Attamen velimus nolimus; certè ſuſtinendus eſt, certè tranſmeandus. Sed noli obliuiſci pallium Heliæ, alioquin Torrens tibi ſine illo non diuidetur. C Sunt & alij Torrentes iniquitatis (pelagus peccatorum meorum) qui conturbant me, atque vtinam ſic conturbarent, vt cum dolore clamarem, *pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius.* *4. Reg. 2.12.* Conturbant enim me Torrentes iniquitatis, auferentes mihi lumen oculorum meorum, vt non poſſim videre piiſſimum Heliam, quando tollitur à me: ſi enim viderẽ, profectò ſpiritus eius duplex fieret in me, & clamarem; *pater mi, pater mi! Miſit Deus ſpiritum filij ſui in* *Galat. 4.6.* *corda noſtra* (ait Apoſtolus) *clamantem, Abba pater.* Duplex ſpiritus, duplo clamat; *pater mi, pater mi:* pater mi, creator; pater mi, reformator. Pater mi, pater mi! ô vox affectuoſa! *currus Iſrael & auriga eius:* portas & regis; ſuſtines & gubernas: quem? Iſrael credentem in te, ſperantem in te, ſuſpirantem ad te! Ecce ſublatus es; amplius te tuus non D videbit Heliſæus: remanſit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, vt præſentia abſentiæ tuæ dolorem eius ſemper & augendo leniat, & leniendo augeat. *Hoc ſumite* (ait) *in meam commemorationem:* *Luc. 22.19.* hoc eſt ſacramentum corporis tui, quod ſumimus in tui cõmemorationẽ corporis tui donec venias. Palliũ tuũ, eſt caro tua qua veſtitus ad nos proceſſiſti; & latuiſti quidẽ perfidos, ſed fidelibus tuis teipſum oſtẽdiſti ſicut & vſque hodie. Sub hoc pallio *abſcondita eſt* maxima *fortitudo tua*, ô fortiſſime Sã*Abac. 3.* *Iud. 16.*ſon; quam etiam dilectæ & non diligenti te, ad vltimum non celaſti, vt inimicam verteres in amicam. In tantùm amaſti mulierem non amantem te, ſed perſequentem; vt propter amorem eius ſapiẽtia tua ſtulteſceret, & fortitudo tua infirmaretur. Sed *quod ſtultum eſt Dei* ſapien E tius factum eſt hominibus. *& quod infirmum Dei, fortius hominibus*, quoniam voluntariè teipſum Patri ſacrificãs, & ex poteſtate tua moriens, concuſſiſti Principes tenebrarum, & regnũ eorum attriuiſti; facta eſt crux tua Iudæis quidem ſcandalum, gẽtibus autem ſtultitia; his autem qui credunt, Dei virtus & Dei ſapientia. Quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à te Domine; ambulas quidem cum his qui diligunt te, & loquuntur & triſtantur ſuper te; ſed tamen peregrina eſt facies tua; & cùm cognoſcas eos, non tamen cognoſceris ab eis. Vere tu es ille Ioſeph qui ad fratres tuos quaſi ad alie*Gen. 42.7.*nos durius loquebaris; non indignatione, ſed miſeratione: dũ illos duos in via ambulantes, & dolebas, & arguebas; *o ſtulti & tardi corde ad credendum!* Veniunt ergo ad *Luc. 24.*

te quaſi alieni, fratres tui, ſed tu benignè appropinquas
eis: veniunt ad te cum aſinis ſtultitiæ & tarditatis ſuæ, & A
cum ſaccis vacuis præ inopia; ſed non ſolo frumento
reples eos, quin & pecuniam reddis ligatam in ore ſac-
Geneſ. 42. culi. *Aperto* (inquit) *vnus ſacco vt daret iumento pabulum,*
inuenit pecuniam in ore ſacculi: reddita eſt (ait) *mihi pecunia, en*
habetur in ſacco, quidnam eſt quod fecit nobis Deus? Vacui &
ſtulti veniunt ad te, ſed tu remittis eos onuſtos & abun-
dantes frumento ſapientiæ tuæ, inſuper & eloquentiæ
pecuniam reddis ligatam authoritate Scripturæ: quia
linguas infantium facis diſertas, vt dent iumentis non-
dum intelligentibus te, pabulum & menſuram tritici
in tempore ſuo. Gradere nunc & nobiſcum Domine,
ne deſolemur & triſtemur in via hac qua ambulamus,
quoniam tu ipſe quondam præcedebas filios Iſraël *in*
Exod. 13. d *columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem,* & ad B
nutum tuum deponebant tentoria, & rurſus erigebant.
Quæ eſt nubes quæ præcedit veros Iſraelitas, niſi veriſ-
ſimum & ſanctiſſimum corpus tuum quod in altari ſu-
mimus, in quo velatur nobis altitudo diei, immenſitas
maieſtatis tuæ, cuius & calorem & ſplendorem morta-
lis infirmitas ſuſtinere non poſſet, niſi mediatrix nubes
interpoſita, & ardorem temperaret deſuper, & tutam
ſubtus te viam præmonſtraret? Hanc nubem totus exer-
citus tuus ſequitur Domine rex Sabbaoth: qui autem
non ſequitur eam in tenebris eſt, & in tenebris ambulat,
& neſcit quò eat, relucet enim de hac ſemita quæ ducit
ad vitam, ſemita humilitatis & patientiæ, ſemita man-
ſuetudinis & miſericordiæ, & quicquid humano gene-
ri per incarnationis tuæ myſterium reuelare dignatus
es. Relucet nobis ex hac luce, legis & prophetiæ gloria, C
quoniam Moyſes & Helias tecum apparuerunt in mon-
Matt. 17. a te, ſed *nubes lucida obumbrauit eos*: nec enim ipſi ſicut &
nos, ſine tua protectione ſaluari potuiſſent, veruntamen
illis ſicut amicis & domeſticis (imò domeſticorum &
amicorum tuorum præcipuis) ſacramenti tui nubes erat
perlucida, quæ nobis iacentibus & proiectis à facie o-
culorum tuorum valde ſubobſcura eſt, ſed imperfectũ
meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribẽ-
tur, quoniam ſub nube tua outtis & perficis, & deducis
velut ouem Ioſeph. Hæc eſt columna nubis quæ per
diem præcedebat filios Iſrael, columna verò ignis per
noctem, Spiritus ſanctus eſt qui ſuper Apoſtolos in
igneis linguis apparuit, qui cæcitatis noſtræ caliginem
illuminat & ſurſum erigit, vt ſapiamus ea quæ ſurſum D
ſunt non quę ſuper terram. Nubes ergo per diem, & co-
lumna ignis per noctem, quia & caro tua diuinitatis æ-
ſtũ temperat, & Spiritus ſancti lux tenebras noſtræ mẽ-
tis illuſtrat. Igitur dum loquereris in via duobus diſci-
pulis tecum pariter euntibus, & nubes peregrina faciem
Luc. 24. tuam tegeret; *nonne* (inquiunt) *cor noſtrum ardens erat in no-*
bis, dum nobis loqueretur in via & aperiret nobis Scripturam?
Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris colũ-
na nubis loquebatur ad eos. Sed vbi tandem cognoue-
runt eum? *in fractione panis*: & verè non cognoſceris Do-
Christus manibus suis fregit corpus suum. mine, niſi in fractione panis: panis, caro tua eſt; fregiſti
manibus tuis corpus tuum: quia poteſtatẽ habebas po-
nendi animam tuam, & iterum ſumendi eam, fregiſti
Abac. 3. a corpus quod foris apparebat, & oſtendiſti medullã quæ E
intus latebat, niſi enim patiaris, non cognoſceris: *ibi* (in-
quit) *abſcondita eſt fortitudo eius.* Quæ eſt autem fortitudo
tua, niſi manſuetudo, niſi humilitas, niſi ſapiẽtia & obe-
diẽtia? Has virtutes fortiſſimas & ſuauiſſimas, in fractio-
ne panis, hoc eſt, in paſſione tua nobis oſtẽdiſti. His vir-
tutibus caro tua (quod nos ſumus) nutritur paulatim &
proficit & perficitur. Et primùm quidẽ inter duas molas
ſpei & timoris, molitur ſicut frumẽtum, vt fiat noua cõ-
ſperſio: deinde cùm in formam panis tranſierit, coqui-
tur in clibano paſſionũ, poſteà cùm benedixeris ei om-
Ioh. 19. 30. ni benedictione ſpirituali, & dixeris *Conſummatum eſt,*
frangis & ipſum corpus noſtrum quod in manibus tuis
eſt & in manus tuas committimus: & ibi agnoſceris, nõ
ſpecie peregrina, ſed in facie propria, vt iam non lancea
nobis latus tuum aperiat, ſed digito palpare & videre
A poſſimus, quia tu es Domine Deus noſter, pater orpha-
norum & iudex viduarum. Nunquid non vides viduam
hanc pauperculam & deſolatam animam meam non ha-
bentem aliquos, neque fratres, neque amicos, neque vi-
cinos à quibus mutuũ accipiam vaſa vacua non pauca,
quæ mihi filij mei ſuggerant & ego infundam de modi-
co olei quod mihi de te reſiduum eſt, vt tu benedictio-
nis tuæ plenitudinẽ omnibus exhibeas? Intelligo enim
Domine, vaſa vacua eſſe literales quoſdam & hiſtoricos
ſenſus Scripturæ tuæ; quæ non pauca ſunt, vt totus mũ- 4. Reg. 2. a
dus ea capere non poſſit. Quæ quidem vaſa ſanctiſſimi
Templi tui, Babylonius rex (hoc eſt, ſuperbiæ principa-
tus) captiua ſibi ducit, ſuiſque conuiuijs, non ad glo-
riam, ſed ad ignominiam ſuam ſeruire cogit; vſurpans ſi-
B bi ſcientiam legis tuæ, & bibens in vaſis Sanctuarij vinũ
proſtitutionis ſuæ, vnguentiſque meretricis donaria tua
commaculans. Propter quod & ex aduerſo parietis, Dan. 5. a
crudelis, ſed iuſta contra eos ſententia cõſcribitur, quia
omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & trade-
tur Medis & Perſis qui argentum non quærant, nec au-
rum velint, ſed venenatis & ardentibus ſagittis paruu-
los & ſtultos eorum ſenſus interficiant. Tu autem Do-
mine, pauperis & deſolatæ viduæ miſereberis, ne peſſi-
mus & importunus fœnerator (quòd ad vſuram per-
ditionis meæ, multa mihi iniquitatis ſuæ talenta credi-
dit) duos filios meos interioris animæ ſenſus ad ſer-
uiendum ſibi tollat. Bonum & ſalutare conſilium tuum,
vt petam mutuò vaſa non pauca, & benedictione ſuper-
C abundantis olei redimam peccata mea; de reliquo au-
tem viuam cum filijs meis.

Sed quia nec vicinos habeo nec liberos à quibus cõ-
modem exercitium mentis meæ, ſtatim vt remiſero ma-
nus, inuadit me creditor ille improbus, & duos filios
meos (hoc eſt, intellectum & affectum) inertiæ, vaniſ-
que illuſionibus ſuis deſeruire cogit. Tu ergo miſeri-
cors, viduarum defenſor, quoniam diues es nimis, & das
omnibus affluenter: tu (inquam) ipſe mihi commoda,
& vaſa quæ noſti ad hoc eſſe vtilia, & oleum, vt tua ſint
omnia, & omnia ſeruiant tibi: quia nolo in Ægyptum
oleum tuum deferre vt non peccem tibi; ſed tãtum mo-
dò ne panem otioſa comedam, quin potiùs tota die ex-
erceat in iuſtificationibus tuis & viuam. Et ecce quod fi-
lius memoriæ meę mihi obtulit; ſicut primum inter ma-
D nus meas incidit, arripiam. Stabat Helias in vertice mõ- 4. Reg. 1.
tis, & mittitur ad eum quinquagenarius primus qui igne
conſumptus eſt, & ſecundus ſimiliter; tertius tamen, hu-
militatis & deuotionis merito reſeruatus eſt. Ecce vas,
ſed vacuum; quia potiùs ſic acceptum crudelitatem re-
ſonat; impleatur oleo, & grauis ex eo ſonus ceſſabit.
Quis enim Helias ſtans in vertice montis; niſi tu Domi-
ne Ieſu qui ſurſum Patri adſiſtis? venit ad te quinquage-
narius primus, quem tibi aridus præ nimia ſiccitate mũ-
dus tranſmittit, & clamat ad te: *Homo Dei deſcende de mon-*
te. Mũdus enim cognoſcit, quia ſaluari ſine te nõ poteſt.
Homo Dei & Deus homo; moueat te quem quæris ho-
mo, vt homini condeſcendas. *Deſcende de mõte,* nullus tibi
poteſt appropinquare, niſi tu appropinquaueris ei nul-
E lus ad te poteſt aſcẽdere, niſi tu deſcendas ad eũ. Homo
Dei deſcende de monte: tu es mons eleuatus ſuper ver-
ticem montium, deſcende & comparere nobis in con-
ualle lacbrymarum. *Si homo* (inquit) *Dei ſum, deſcendat ignis* Luc. 12.
de cælo, &c. *Ignem* enim *veni mittere in terram*; & quem vo-
lo, vt accendat & deuoret te & quinquaginta tuos. Ob-
ſecro Domine & ſuper me deſcẽdat ignis ille, & deuo-
ret in me veterem hominem cum actibus ſuis! Hic eſt
quinquagenarius primus quem tuus ignis deuorat, vt ab
omni opere ſeruili requieſcere faciat. Quinquagenarius
autem ſecundus, ipſa eſt actiua vita quæ ſimiliter finem
habet, ſabbatum ex ſabbato; hanc quoque in holocau-
ſtũ, ignis tuus abſumit; & in primo quidẽ quinquagena-
rio crematur hircus, in ſecundo aries incenditur; tertius
autem qui eſt reſurrectionis vel contemplationis, finem
non ha-

Digitized by Google

Ioh. 21. non habet, ſed cum Helia ſemper viuit. Vnde bene lectum eſt in Euangelio, de magnis piſcibus centum & A quinquaginta tribus qui omnes in vnum piſcem redacti ſunt, quem ſuper prunas poſitum ſeptem diſcipuli viderunt, & vnà cum Ieſu qui octauus erat, pranſi ſunt. Ipſe numerus; hoc eſt, centum & quinquaginta, qui ſunt tres quinquagenarij & ſeptem diſcipuli; requiem concorditer ſonat, & ſicut ſinguli quinquagenarij, ad vnitatem; ita ſeptem, ad octauam: hoc eſt; ad Chriſtum tendunt, & *Reprobi omnes cum Diabolo vnum corpus ſunt.* in vno omnes conſentiunt. Sicut autem vnum corpus, vnus panis, vnus homo, vel vnus piſcis Chriſtus & omnes electi; ita diabolus cum omnibus reprobis vnum corpus & vnus hoſtis. Eſt enim *aquila grandis*, magnarum alarum, &c. *Aquila*, propter nimiam naturæ ſpiritualis perſpicaciã, *grandis*, propter ſuperbiæ altitudinem: *magnæ alæ adhærentes ſibi & extollentes eum*; malignorũ ſpirituum poteſtates: *longo membrorum ductu*; peſſimi homines, quorum miniſterio fungitur ad pugnandum contra bonos. B Et bene; *longo*: quia adhuc quotidiè veniunt, & durant vſque in finem ſæculi, ducatum ſuperbiæ ſequentes: *plena plumis*, fallaciæ dolis, & auaritiæ, quia eaſdem artes varijs modis ad decipiendum transfigurat. *Venit ad Libanum*, animam ſemel fidei & vitæ meritò candidatam. *Tulit medullam cedri*: Cedrus imputribilis, altitudo ſpei, cuius medulla eſt charitas, quam ſingulariter nititur expugnare diabolus. *Summitatem frondium eius auellit*, & ſermoné ſapientiæ qui excellentiſſimus eſt, euellit ab amore Dei. *Et tranſportauit in terram Sennaar*: hoc eſt, fœtoris eorum: quod ſignificat inanem gloriam. *Iſa. 7. 18.* *In die illa ſibillabit Dominus muſcæ quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur.* Sibilla Domine; & huic muſcæ immundæ, animæ meæ peccatrici, vt ſpiritus tuus C bonus deducat me in viam rectam, vt vadam ad excelſam & montuoſam promiſſionis terram, quæ de ſuperioribus tuis irrigatur, & de cælo expectat pluuiam; non ſicut terra Ægypti quam fluuius de terra ebulliens totam cooperit. Non eſt enim mõs oppoſitus, non eſt aliquod obſtaculum concupiſcentijs Ægypti; ſed ſicut de terrena mente ebulliunt ſuper detectam animæ ſuperficiem, ſine mora decurrunt. Habet enim ſeptem oſtia fluuius Ægyptius, quæ de vno capite (id eſt; ſuperbia) deriuantur. Horum extremum intelligitur luxuria carnis; de qua muſcæ immunditiæ ſemper amatrices naſcuntur: Nec iſtam deſpicit ſuperabundantia gratiæ, ſed ſibillat & euocat eam de extremo fluminum, & iungit D api quæ erat in terra Aſſur. *Vt veniat & requieſcant ſimul in Torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuerſis foraminibus.* Apis virgo eſt: ſed quãdiu eſt in terra Aſſur (hoc eſt, elationis) mel non poteſt operari; ſola enim repromiſſionis terra lacte & melle fluit: Sibillante ergo gratia, muſca & apis conueniunt, & ſimul requieſcunt in Torrentibus; valliũ. In illis Torrentibus; & apis de ſuperbiæ, & muſca de luxuriæ ſordibus emunguntur. Torrentes vallium, diſciplinę ſunt humilitatis. Quare Torrentes; Quia ſi quis mœror, ſi qua grauitas in corrigendis vitijs; cito præterreunt: vnde *mulier cum parit triſtitiam habet, quum vero peperit, iam non meminit preſſuræ*: *Ioh. 16.* nam labor vertitur in amorem, & tædium in deſiderium, & amaritudo in dulcedinẽ; ſicque de Torrentibus vallium proficiunt ad cauernas petrarum. Pe- E træ, firmiſſimi atq; fortiſſimi in fide patres ſunt; in quorum paſſionibus velut ſuis exemplaribus, muſca & apis quaſi columbæ nidificantes requieſcunt, vnde nõ ceſſat manus eorum, nõ ceſſat pes; ſed in omnibus frutetis bonorum operum iugiter exercitatæ, ſic demum ad contemplationis foramina perueniunt. Hæc ſunt opera tua Domine Ieſu, quia ſunt bona valde. Sic Mariæ Magdalenæ ſibilaſti; de qua non vnum, ſed ſeptem Ægypti flumina eiecisti. *Matt. 25. Luc. 7.* Vide quomodò requieuit in Torrentibus vallium; intrauit inter epulas diſcumbentium, cucurrit ad pedes Ieſu; effundebat ſuper eos Torrentes lachrymarum: ad lauanda ſui Domini veſtigia, non alias quàm oculorum ſuorum vndas attulit, capillis ſuis pro linteis vſa eſt, tum verò vbi affectus vehementior incanduit & A vberauit, carbo lachrymarum imbre reſperſus fortius exarſit. Videres, ab illa, ſacratis veſtigijs creberrima & inſatiabilia oſcula infigi, videres effuſæ vnctionis ſuauitate totam domum compleri.

Quid igitur illa niſi in Torrentibus vallium requieſcebat, de qua tot & tanti gratiæ Torrentes effluebant? vnde & dimiſſis ei peccatis multis quia multum dilexerat, iam ſicut colũba quæ lacte eſt lota, reſidebat ad pedes Ieſu iuxta fluenta pleniſſima; cùm quidem ſoror eius Martha ſatageret circa frequens miniſterium. Quid *Maria Magdalena primùm vnxit pedes Domini, deinde caput.* memorem de ſepulturæ officio quod præuenit; de pedibus aſcendens ad vnctionem capitis, cùm in ea fremeret illud auaritiæ ſepulchrum fœtens, odorem pietatis ferre non ſuſtinens? Non potuit amor tantus, Chri- B ſto etiam moriente mori: fugientibus & latentibus viris (hoc eſt; Apoſtolis) mulier imperterrita *ſtabat ad monumentum; plorans!* *Ioh. 20.* Non habebat virum; & tota ſuper mortuum ardebat! Corpus erat ſublatum, & à monumento recedere non valebat! quò plus de manibus & oculis auferebatur, eò ardentiùs, animus inſequebatur! Si fieri potuiſſet; redimẽdo corpori ſepulchrum lachrymis impleſſet: *ſtabat* (inquit) *plorans*; id ſolùm ei de re reſidebat; corpus erat ſublatum, ſed quis auferat ei ploratum? Indulge domina, indulge totis habenis; & effunde procurrentes in infatigabiles lachrymas, donec ſublatum (imò reſurgentem) Dominum tuum conſequaris: iterum & iterum inchoare, vel locum vacuum vbi poſitus fuerat ſæpiùs intuere! amplius & amplius ipſe te ad plorandum locus irritat, dum eius quem quæris C abſentiam tibi repræſentat. *Vidit* (inquit) *duos Angelos* *Ioh. 20. 12.* *in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi fuerat poſitum corpus Ieſu; mulier* (inquiunt) *quid ploras? quem quæris?* Equidem benè noueratis, ô pijſſimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret; quare illam cummemorando iterum in fletus excitaſtis? ſed propè erat inſperatæ conſolationis gaudium; ideò tota vis doloris & plorationis excurrat. *Conuerſa retro ſum vidit Ieſum ſtantem, & neſciebat quia Ieſus eſt.* O pium; ô delectabile pietatis ſpectaculum! ipſe qui quæritur & deſideratur, & occultat ſe & manifeſtatur: occultat ſe vt ardentiùs requiratur, & requiſitus cum gaudio inueniatur; inuentus cum ſolicitudine teneatur, & tentus non dimittatur, donec in amoris ſui cubiculo manſionem facturus, intro- D ducatur. Hac arte ludit ſapiẽtia in orbe terrarum, & deliciæ eius eſſe cum filijs hominum. *Mulier quid ploras? quẽ quæris?* habes quem quæris; & ignoras! habes verum & æternum gaudium, & ploras? habes intus, quem foris requiris! Verè ſtas *ad monumentum foris plorans*! mẽs tua monumentum meum eſt; illic non mortuus, ſed in æternum viuens requieſco; mens tua hortus meus eſt. Bene exiſtimaſti quia hortulanus ſum; ſecundus Adam ego ſum; operor cum cuſtodio paradiſum meum. Fletus tuus, pietas tua, deſiderium tuum, opus meum eſt: habes me intra te, & neſcis: ideò quæris foris, & ecce ego foris apparebo vt te intro reducam, & inuenias intus quem foris quæris. Maria noui te ex nomine; diſce me cognoſcere ex fide. *Rabboni, id eſt, Magiſter*: quod eſt dicere; doce me quærere te, doce me tangere & vngere te. *Noli* (ait) E me tangere ſicut hominem, nec ſicut prius tetigiſti & vnxiſti mortalem: *nondum aſcendi ad Patrem meum*; nondum credidiſti me Patri coæqualem, coæternum, & conſubſtantialem: hoc igitur crede; & tetigiſti me. Hominem vides; ideò non credis: quod enim videtur, non creditur. Deum non vides, crede & videbis, credendo, me tanges, ſicut illa mulier quæ veſtimenti mei fimbriam tetigit & confeſtim ſanata eſt: quare? quia fide ſua tetigit me. Hac manu tange me, his oculis quære me, his pedibus feſtina currens ad me, nec longè à te ſum, Deus enim appropinquans ego ſum, verbum in ore tuo *Matt. 9. 20.* & in corde tuo ſum, quid propinquius homini quàm cor ſuum? Illic intus inuenior à quibuſcunque inuenior, nam quæ foris videntur, opera quidẽ mea ſunt, ſed

tranſitoria ſunt, ſed caduca ſunt, ego autem bonum ar-
tifex, in ſecretiſſimis & mundiſſimis cordibus inhabi- A
to. *Data eſt* tibi Domine Ieſu *omnis poteſtas in cœlo & in*
terra; rex magne, rex virtutum; quia factus es obediens
Pſal. 8. Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce *ele-*
uata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, & omnia ſubiecta ſunt
2. Reg. 2. ſub pedibus tuis. Regnauit Dauid priùs in Hebron ſe-
ptem annis ſuper Iudam; poſtea verò vnctus eſt ſuper v-
niuerſum Iſrael, & regnauit in Iſrael triginta tribus an-
nis. Cùm autem ſuper Iudam tantùm vngereris fortiſſi-
me Dauid, in Hebron; iam mortuus erat in eis Saul rex
ſuperbiæ: alioquin viuente illo, & dominante eis pecca-
to; non dicerent tibi, *os noſtrum & caro noſtra es*. Quis e-
nim membrum Chriſti, & membrum ſimul poteſt eſſe
2. Cor. 6. d meretricis? *aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? Ecce nos* (in-
quiunt) *os tuum & caro tua ſumus*; ſed & heri & nudius
tertiùs cum eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras educens & B
reducens Iſrael; & verè ſic eſt: regnante adhuc Principe
tenebrarum ſuper nos, tu ſuſtines in multa patientia va-
ſa iræ apta in interitum, & exis ante nos prouocans ad
bellum cōtra vitia, & liberas & educis indignos de ma-
nu peccatorum. Idcirco primus Iudas (id eſt, confeſſio)
vngit te ſuper ſe regem in Hebron: mortuo quippe Sau-
le, beneficiorum tuorum reminiſcitur, & errorem ſuum
confitendo trāſitum facit de peccatis ad te, rex iuſtitiæ!
Regnas autem ſuper Iudam ſeptem annis in Hebron,
quoniam reddis eis ſeptuplum in ſinu eorum, & ſeptu-
plum vitijs expiatos quibus præerat ſuperbus Saul, tua
virtute ſeptemplici reformas. Poſteà tranſitus regni tui
fit in Ieruſalem ſuper vniuerſum Iſrael, quia per nego-
tium confeſſionis, illuminatis iam ſenſibus peruenitur C
ad viſionem pacis in qua factus eſt locus, & ipſe eſt
mons quem cōſtitueras diſcipulis vt irent in Galilæam,
vt viderent & adorarēt te ibi poſt reſurrectionem tuam,
quia iam vnxerat te Deus tuus oleo lætitiæ præ partici-
pibus tuis, vt eſſes primogenitus mortuorum & prin-
ceps regum terræ. Porrò in Ieruſalem regnas *triginta tri-*
bus annis: triginta tres habet decades: in decade, lex quæ
decem præceptis conſiſtit; in ternario triplex animæ
profectus accipitur, quæ viuendo, meditādo vel aman-
do legem Dei cuſtodit. De primo dicitur, *laudabo*
Pſal. 145. *Deum in vita mea*; de ſecundo, *lex tua meditatio mea eſt*; de
Pſal. 118. tertio, *quomodò dilexi legem tuam Domine*. Tres verò qui
ſuper triginta ſunt; quoſdam contemplatiuorum ex-
cellentiſſimos iudicant, qui puritate conſcientiæ, ple- D
nitudine ſapientiæ, perfectione charitatis, ſummæ Tri-
nitati approximant. Hic eſt etiam numerus fortiſſimo-
rum, qui ſunt in exercitu tuo potentiſſimi; quorum ta-
men eminentiſſimi, vſque ad ſapientiam & fortitudi-
nem tuam nō perueniunt, quoniam *quis in nubibus æqua-*
Pſal. 88. *bitur Domino, ſimilis erit Domino in filijs Dei?* Tu es quaſi *te-*
2. Reg. 23. *nerrimus ligni vermiculus*, qui virginaliter æditus, humi-
litate & charitate tua omnem perforas duritiam; immò
imperio Spiritus tui octingentos interficis principes
malitiæ. *Quis ita fortis, vt tu?* quis ita miſericors, qui
fleſti ſuper Ieruſalem, planctum feciſti ſuper interitu
inimicorum tuorum? Et nunc Domine doles tu ſuper
Saul & Ionathan filium eius, qui occumbunt quotidie
ſuper montes Gelboë! Niſi enim doleres, non cla-
Act. 9. 4. mares de cœlo; *Saule, Saule quid me perſequeris?* quos e- E
nim, Saul, niſi ſuperbos in Eccleſia tua prælatos ſigni-
ficat, qui ab humero & ſurſum eminere ſibi videntur ſu-
per vniuerſum populum? Quid verò per Ionathan, niſi
dociles & elegantis ingenij adoleſcentes, qui moribus
& colloquijs maiorum deprauati, amicitiam ſuam non
poſſunt excolere cum Dauid, niſi furtim & quaſi ca-
uentes ab inſidijs detrahentium & illudentium ſibi?
Meritò ergo ploras (ô benigne Dauid) ſuper Saul, & ſu-
per Ionathan filium eius, plorandi enim non eſſent, ſi
2. Reg. 1. 21. bene occubuiſſent. Sed *ſuper montes Gelboë* qui decurrunt
in profundum, *nec ros* gratiæ, *nec pluuia* doctrinæ veniet
amplius, quia *ibi abiectus eſt clypeus fortium*, clypeus Saul.
Clypeus fortium, ſpes eſt diuinæ protectionis, quo

ignita diaboli iacula repelluntur, quibus grauiter vul-
A neratus eſt Saul à ſagittarijs, in tantùm vt ſeipſum
deſperatione interficeret. Clypeus autem Saul, pro-
priæ virtutis confidentia eſt, quæ non valet reſiſtere
ſagittis incircumciſorum: væ autem his qui amiſerunt
ſuſtinentiam, hoc eſt, clypeum fortium, Et maledi-
ctus homo qui confidit in homine, quod eſt, clypeus
Saul, erit enim ſicut myricæ in deſerto, quia nec ros nec
pluuia veniunt ſuper vos montes Gelboë. *Quomodò ce-*
ciderunt fortes? Etenim ſi fortes, quomodo ceciderunt,
& , ſi ceciderunt; quomodò fortes? ſed *non glorietur ſa-* Ier. 9. 23.
piens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua; ſed *gloria-* 1. Cor. 1. d
tur, in Domino glorietur, & *qui ſtat, videat ne cadat*. Nam 1. Cor. 10. 12.
etſi ſint aquilis velociores, vt contemplatiuos veloci-
tate intellectus ſuperuolent: etſi leonibus fortiores, vt
in fortitudine operis, veros prædicatores ſuperent, ta-
B men ſi de ſe præſumentes, clypeum ſalutis abijciunt:
erunt corruentes coram inimicis ſuis, qui autem con-
fidit in Domino, ſicut mons Sion non commouebitur
in æternum. Sed maluit Saul incumbere ſuper haſtam
ſuam, quàm inniti ſuper Dominum, idcircò baculus
Ægypti arundineus perforauit manum eius. Sua eum
haſta & ſuus auriga qui currum inſolentiæ eius agita-
bat, interfecit. *Sciebam* (inquit) *quòd viuere non poſſet*. 2. Reg. 1. 10.
Neſcit enim humiliari arrogantis obſtinatio, vt viuere
poſſit. Iube rex iuſtiſſime Dauid, iube puero tuo (id
eſt, ſpiritui puræ diſcretionis) vt interficiat in me Ama-
lechitam hunc armigerum Saulis, qui auſus eſt etiam
nunc quotidiè manum mittere in Chriſtum Domini.
Ne pluas ſuper nos coturnices Domine, deſideria car-
C nis noſtræ, quæ non niſi duobus cubitis leuantur à ter-
ra, quia non attingunt dona Spiritus ſancti. Ne pluas
ſuper nos, ſicut puluerem, carnes, quia caro puluis eſt,
& in puluerem deducit. *Omne quod intrat in os, in ventrem* Matt. 15. 17.
vadit & in ſeceſſum emittitur: talis eſt omnium volupta-
tum carnalium finis, *& ſicut arena maris, volatilia pennata*: Pſal. 77. 27.
gaudet edacitas, pennulas mouet, ſed mox in arenam
maris conuertitur: gaudet luxuria, modicum volitat,
ſed mox in arenam maris tranſit: omnis dulcedo car-
nis in amaritudinem finit; modicum leuant infœlicem
animam, ſed mox aggrauant in arenam. Tu autem Do-
mine, Manna nimirum es *ſicut ſemen coriandri*, quod
fractum mola candorem producit, & dulcedinem qua-
ſi panis oleati: hic eſt panis Angelorum, quem mandu-
D cauit homo. Dicunt adhuc increduli; *Manhu! quid eſt* Exod. 16. 31.
hoc! quia minutum & humilem vident & quaſi deſpe-
ctum ſermonem tuum, & ideò redeunt & concupiſcūt
carnes magnas Ægyptias; quia neſciunt, neque guſta-
uerunt abſconditum intus Mannæ ſaporem, *habentem* Sap. 16.
omne ſuauitatis delectamentum: redeunt ad carnes, exſic-
cant eas ad Solem in circuitu caſtrorum. Mira res; vno
eodémque Sole, & carnes indurantur & Manna li- Exod. 16. 21.
queſcit! ſiccantur carnes, vt amplius durabiles ſint;
indurantur iniqui, vt ſuas diutius expleant voluptates!
tuum autem Manna liquefiebat cum Sol incaleſceret;
quia *anima mea liquefacta eſt vt Dilectus loquutus eſt*. In- Cant. 5.
caleſce ſuper nos, Sol meridiane, vt liqueat Manna, &
fluant aromata illius *ſicut Torrens in Auſtro*. Colligite filij
Iſrael, colligite manna, & frangite mola; & replebitur ſi-
E cut adipe & pinguedine anima noſtra. Moleſtus eſt la-
bor, ſed fructuoſus: *labores manuum tuarum manducabis*, &
iam *beatus es & benè tibi erit* in futuro; frangite (inquam)
mola, corpus & animam, & inuenietis medullatum
corpus, ieiunijs laboribus, vigilijs; animam, diuinæ Le-
gis ſtudijs. Non excidat tibi lex de ore cordis tui; volue,
reuolue; verſa & reuerſa, & tunc intelliges quid ſapiat
Manna. Sic faciebat ille qui dicebat; *quàm dulcia faucibus* Pſal. 118.
meis eloquia tua, Domine, *ſuper mel* & fauū *ori meo*. Eſto apis
virginea; collige de floſculis Man: Habes hortum volu-
ptatis plenū roſis & lilijs, mira varietate depictum; quid-
quid illic inuenies, ſuaue eſt & odoriferum; conde abū-
danter alueolo tuo: & quid ampliùs dicā? vnus idémque
cibus & api mel, & ceruo fōs aquæ, & panis qui cor ho-
minis

minis confirmat; hic eſt panis oleatus: ſanat ægrotum,
robotat ſanatum, faciem exhilatat, omne delactamen- A
tum & omnem ſapotem ſuauitatis habet. Vbi ſunt co-
turnices? vbi ſunt carnes exſiccatæ? certè putruerunt in
dentibus edentium. Si in dentibus putruerunt; quan-
tò magis in ventribus? immò etiam computruerunt iu-
menta in ſtercore ſuo; panis autem Angelorum quem
manducauit homo, putreſcere neſcit; non vadit in ſe-
ceſſum, ſed tendit in excelſum; illuc reducit hominem,
vnde traxit imaginem. Diues es Domine, & indefi-
ciens eſt horreum tuum; ciba hodiè pauperem tuum
de micis quæ cadunt de menſa filiorum tuorum: clamat
egenus tuus ad fores tuas, quia non habet hodie quod
manducet. Domine ſic infirmus etiam ſum, quòd os
meum aperire non poſſum. O quàm ſanus erat qui di-
Pſalm. 118. cebat; *os meum aperui, & attraxi ſpiritum!* ergo Domine a- B
peri labia mea, & ciba me laude tua; verus eſt cibus: de
alio cibo non viuit tota ciuitas tua Ieruſalem, quoniam
tu adipe frumenti ſatias, & Torrente voluptatis tuæ ine-
brias. Væ his qui ieiunant à laude tua, nimirùm ſedent
ſuper ſtercora ſua vt bibant vrinam peccatorum ſuo-
rum, hoc eſt, temporalibus inhiant vt carnis illecebras
expleant: talibus enim das terram æneam & cœlum
ferreum, vt non pluar eis annos tres & menſes ſex, quia
nec fidei, nec bonorum operum fructum faciunt. Ter-
ram habent æneam, quia labia eorum ſicut cymbalum
tinniunt; & cœlum ferreum, quia cor durum & infle-
Pſal. 49.16. xibile gerunt. De qualibus Pſalmiſta; *Peccatori autem di-
xit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum
meum per os tuum?* Non viuunt iſti de laude tua Domine,
ſed moriuntur fame; non panis & aquæ, ſed verbi tui. C
3. Reg. 17. Non autem interficies fame animam Iuſti; quia in tem-
pore ſiccitatis præcepiſti coruo & viduæ Sareptanæ, vt
paſceret ſeruum tuum Heliam. Tu enim paſcis Domi-
ne paſcentes te: vnde etiam hydria farinæ & lecythus
olei non deficit Viduæ paſcenti te. Paſcit te coruus, pa-
ſcit & Vidua; ſed vidua, pane ſubcinericio; coruus, car-
ne veſpertina. Peccator, coruus eſt: Coruus erat Za-
chæus publicanus; vnde etiam volauit in arborem ſyco-
morum. *Hodie* (inquit) *oportet me apud te manere*, hodie
Luc. 19.8. coruus paſcet Heliam. Quomodò pauit? *ecce dimidium
bonorum meorum do pauperibus*, ergo pauit Chriſtum, & pau-
peres cum Chriſto; immò in pauperibus, Chriſtum. Vn-
de? de carnibus: hoc eſt; de temporalibus: temporalia
enim & carnalia pro Chriſto relinquere; hoc eſt Chri- D
ſtum carnibus paſcere. Et hoc veſpere fit; in confinio te-
nebrarum & lucis, vt proficiat & dicatur, *veſpere & ma-
ne dies vnus.* Priùs paſcit coruus, deinde vidua: coruus
enim, vidua fit; coruus mutatur in columbam, & gemi-
tus edit. Quare? quia vidua eſt, quia mortuus eſt Spon-
ſus qui lauit eam à peccatis ſuis: hoc eſt; à nigredine cor-
ui. Sponſus eius mortuus eſt; vnde etiam in memoriam
eius, duo ligna colligit, vt faciat ſibi & filio ſuo (hoc eſt;
ſpiritui) modicum viatici; & moriatur cum ſponſo
ſuo. Sed priùs paſcendus eſt Helias; & de ipſa farinula
nouæ conſperſionis faciendus eſt ſubcinericius panis
paruulus. Operum noſtrorum primitias requirit Chri-
ſtus; & non vt alta ſapiamus, ſed humilibus conſentia-
mus, cauentes à fermento Phariſæorum *quod eſt hypocri-
Matt. 16. ſis.* Iſte ſimplex & humilis intellectus, ſubcinericius pa- E
nis eſt paruulus quem à nobis exigit Chriſtus: nec ſine
farina vel modico olei debet eſſe bona mulier, quia *hila-
2. Cor. 9. rem datorem diligit Deus.* Sed quiſquis habet farinæ vel o-
lei paululùm; ſibi videtur, quia eſurit & ſitit iuſtitiam.
3. Reg. 17. *Non habeo* (inquit) *niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ
in hydria, & paululum olei in lecytho.* Pugillus, exigua eſt
capacitas: farina; mundus & ſubtilis fidei candor: hy-
dria, humilitatis circunſpecta cuſtodia, ne ventus ſu-
perbiæ tantam gloriam in puluerem deducat & diſper-
gat. Qui modicùm in ſe habet, intelligit, quibus armis
debet cuſtodire, ne & hoc ipſum amittat. Ergo Domi-
ne, coruus & vidua paſcunt te in Sarepta Sidoniorum,
cui ficus maledicta aruit in terra Iudæorum. Publicani,

meretrices, & peccatores præcedunt Phariſæos in re-
gnum cœlorum. In domo Phariſæi foris diſcumbis, in
domo peccatricis intus epularis. Paſce Domine *pullum
coruorum*; filium peccatorum clamantem ad te, *quoniam* *Pſalm 146.*
pater meus, & mater mea dereliquerunt me, tu autem non re- *Pſal. 26.4*
linquis ſperantem in te. Indurasti Domine, cor no-
ſtrum, induraſti cor noſtrum ne timeremus te, oppoſui-
ſti nubem, ne tranſiret oratio. Aufer à nobis Domine
ſicut & promiſiſti, *cor lapideum*, & da nobis cor carneum *Ezec. 36.*
vt ſpiritum tuum ponas in medio noſtri. Spiritus tuus
adueniens, initium ſapientiæ, timorem Domini quaſi
baſem & fundamentum ponit: timor autem Domini
ſtabile cor facit, vt domus ſeptemplicis gratiæ ſuperæ-
dificata perſeueret immobilis. Tu noſti Domine quàm
inquietum eſt cor meum, & inſtabile ſicut puluis & ve-
lut arena maris; vt quicquid moliar ſuperædificare, po-
tius in ruinam capitis videar coacervare. Quam bene
dictum eſt; *peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis* *Thr. 1. 8.*
facta eſt. Peccatum peccauit, ſcelus coaceruauit, propter-
eà inſtabilis facta eſt: nunc foris, nunc intus, nunc in
angulis platearum garrula & vaga, quietis impatiens,
nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Ecce quàm
bene depicta eſt meretricialis væcordia animæ meæ; &
quid faciam? reuertere ad priorem virum tuum, & no-
li diuaricare pedes tuos omni tranſeunti; propterea in-
ſtabilis & vilis facta es, nimis iterans vias tuas: peccatum
peccauit Ieruſalem, vias ſuas nimium iterauit! Redi
ergo ad virum tuum priorem, & dic ei; *confige timore tuo* *Pſal. 118.*
carnes meas: & ille, tibi; *prohibe linguam tuam à malo*, coër- *Pſal. 33.14.*
ce gulam, iugula luxuriam, omnes corporis tui illicitos
motus amputa. *Quicúmque ſunt Chriſti, carnem ſuam cru-* *Gal. 5.4*
cifixerunt: non ſatis eſt hoc; fecerunt hoc Philoſophi,
fecerunt hoc inanis gloriæ cupidi, faciunt hypocritæ;
carnem ſuam crucifixerunt, ſed mercedem à Chriſto
non acceperunt: quare? quia timorem Domini non ha-
buerunt. *Confige timore tuo carnes meas!* multi carnes con-
fixerunt, non tui timore, ſed vanitatis timore: non ſatis
eſt hoc; *confige timore tuo*; non ſolùm carnis ſed animæ lu-
xuriam. Animæ luxuria, eſt inanis gloria; *perdidiſti om-* *Pſal. 72. 4*
nem qui fornicatur abs te. Quid refert perire carnis im-
munditia; an animæ luxuria? Ergo non ſolùm carnis,
ſed & animæ crux tollenda eſt! Membrorum mortifi-
catio, crux carnis eſt; crux animæ timor Domini: timor
Dei configit animam, vt non reſpiciat ad dexteram ne-
que ad ſiniſtram. Eſt & tertia crux Spiritus, quæ eſt cha-
ritas. *Chriſto* (ait Apoſtolus) *confixus ſum, quis me ſeparabit* *Gal. 2. 19.*
à charitate Chriſti? illa crux (hoc eſt; charitas) cor meum *Rom. 8. 35.*
carneum & molle & tenerum facit; vnde & per vitulum
tenerrimum Chriſtum intelligamus, præ nimia charita-
te crucifixum. Ad illam ergo crucem qui peruenit; com-
poſitam nubem tranſit, & in conſpectu Dei orationem
effundit. Vnde etiam Moyſen in monte Sinai, ſex die- *Exod. 24.4*
bus nubes operuit, ſeptimo autem die vocauit eum
Dominus de medio caliginis, Erat autem (inquit) ſpe-
cies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem
montis, in cõſpectu filiorum Iſrael; Ingreſſuſque Moy-
ſes medium nebulæ, aſcendit in montem. Quid enim
per ſex dies quibus nube tegitur Moyſes, intelligitur, ni-
ſi ſex illæ virtutes quibus aſcenditur ad ſapiẽtiam? in ſo-
lo autem vertice ſapientiæ, ignis charitatis ardentiſſimę,
ſpeciem diuinæ gloriæ declarat: quicquid infra ſeptimũ
ſapientiæ gradum eſt, caligo reputatur & nubes. Prima
igitur crux; per timorem, & pietatem, & ſcientiam; car-
nem crucifigat: ſecunda crux; animæ fortitudinem, cõ-
ſilium & intellectum poſſideat; vt fortitudine terreat
diabolum, conſilio dirigat proximum, intellectu cuſto-
diat ſemetipſum; nam tertia crux hæc omnia trãſcendit,
& collecta in vnitate charitas, in pace in idipſum dor-
miens requieſcit. *In principio* Domine *cælum & terrã* (hoc *Geneſ. 1.*
eſt; Angelicã & humanam naturam creaſti) ſed facta hac
breui mentione de Angelis; ad ſolum hominem ſermo
tuus conuertitur. *Terra autem erat inanis & vacua, & tene-
bræ ſuper faciem abyſſi.* Videmus Domine & preſtò eſt ſen-

ſibus noſtris, magna & mirabilis hæc machina mundi;
A quæ ſua pulchritudine & magnitudine, ſapientiam, &
virturem, & bonitatem immenſam, incomprehenſibi-
lem & æternam prædicare non ceſſat. Verùm & hæc
quàmuis omnium & ſenſum & facundiam mortalium
ſuperent; ad nouum potiùs cœlum & terram nouam,
quæ tu modò creas e te alſeris, aciem mentis intendere
Ioh. 5. 17. liber. Dicis enim in Euangelio, quia *Pater meus vſque mo-
dò operatur & ego operor*: quid niſi nouum cœlum & no-
uam terram? De abyſſis enim terram formas, & de terra
cœlos: peccator, abyſſus eſt; ſed cùm de tenebris facis
Rom. 13, 12. lumen ſplendeſcere, vt abijciant *opera tenebrarum* & in-
duantur *arma lucis*; nouam terram & nouum cœlum
creaſſe cognoſceris. Ecce animaduerto Domine, quia
terra mentis meæ adhuc inanis & vacua eſt & *tenebræ ſu-
per faciem abyſsi*: inanis eſt, quia fluitat miſera inquietudi-
ne, per inania nugarum, & phantaſmatum ſuorum, va-
cua bonorum operum fructibus. Vel; ſicut habet alia B
tranſlatio; *inuiſibilis & incompoſita*. Eſt enim velut quod-
dam Chaos, confuſione ſua teterrimum & inuolutum;
ignorans tam finem ſuum quàm principium, & naturæ
ſuæ modum, niſi quòd à ſummo Creatore de nihilo
mirabiliter factam ſe credit, & poſt hanc vitam, vel ad
inferos pro ſuis meritis, vel ad cœlos pro miſericordia
ſui auctoris transferendam. Incompoſita ſanè eſt, quæ
virtutum decorem & diuinæ imaginis cui aſſimulata eſt
ſpeciem non ſeruat, ideò in abyſſum cęcitatis ſuæ retun-
ditur, & tenebris illuſionum ſuarum, facies illius ob-
ſcuratur. Talis eſt anima mea (Deus meus) talis eſt ani-
ma mea; terra eſt inanis & vacua, inuiſibilis & incompo-
ſita, & tenebræ ſuper faciem abyſſi. Veruntamen ait; &,
Abac. 3. 10. *abyſſus dedit vocem ſuam*; & *abyſſus* inferior & obſcura, *in-*
Pſal. 41. 8. *uocat abyſſum* inferiorem; te, qui exuperas omnem ſen-
ſum. Inuocat te Domine abyſſus mentis meæ, vt etiam
de me nouam terram & nouum cœlum crees. Hoc in-
uocabat Dauid; & nos cum Dauid inuocamus, *cor mun-* Pſalm. 50.
*dum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus
meis*. Iam aliquid ſe factum eſſe ſciebat; ſed noua crea-
tura nouum cœlum & terram fieri ſe poſcebat. *Auri-* Pſalm. 43.
*bus noſtris audiuimus, & patres noſtri narrauerunt nobis opus
quod operatus es in diebus eorum*: hoc opus eſt in diebus, vn-
de dicit; *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*: fin-
xiſti enim ſigillatim corda eorum, creans in eis lucem
& diuidens lucem à tenebris; appellans lucem diem, &
tenebras noctem: hoc eſt quod operatus es in diebus
eorum, & in diebus antiquis, horum dierum, ſenex A-
braham & alij quàm plures pleni fuiſſe commemoran-
tur, ſicut & illi quibus dicebat Apoſtolus; *fuiſtis aliquan-* Epheſ. 5. 8.
do tenebræ, nunc autem lux in Domino. O creator opti-
mè; ſi vſque modò operaris *opus* hoc *quod operatus es in*
B *diebus antiquis*; quare & in anima mea opus hoc non o-
peraris? Anima enim mea inanis & vacua eſt, & tene-
bræ ſuper faciem abyſſi, dic vt *fiat lux*; & fiet! iam crea- Gen. 1.
ſti eam, vt aliquid ſit; crea eam, vt lux ſit. Dic vt fiat lux;
& fiet lux. Hoc opus & in Lazaro & in Paulo opera-
tus es: illius facies ſudario ligata erat, quia tenebræ erant
ſuper faciem abyſſi: huius ab oculis (cùm baptizaretur)
tanquam ſquamæ ceciderunt, vt reuelata facie gloriam Do- Act. 9. 18.
mini ſpecularetur; quæ cor meum aſſiduè coram te fa-
ciunt dormitare, per has, Apoſtoli & in agone tuo dor-
mitabant; *erant enim* (inquit) *oculi eorum grauati*. Sed iam Mar. 14. 40
hora eſt Domine nos de ſomno ſurgere, tuba tua cre-
briùs intonante; *ſurge qui dormis & exurge à mortuis, & il-* Epheſ 5. 14.
luminabit te Chriſtus. Illumina Chriſte tenebras meas; dic
animæ meæ; *fiat lux*, & fiet lux.

S. ELIGII NOVIOMENSIS EPISCOPI; HOMELIÆ 16.

Habetur nomen S. Eligij Romano Martyrologio inſcriptum inter reliquos ſanctos prima die Decembris, cuius vitam ſanctitate & miraculis admirandam ſcripſit S. Audoenus Rothomagenſis Epiſcopus, de eo plura ex varijs autoribus in notis ad Roman. Martyrologium. Diſceſſit in cœlum anno ſalutis 665. vt habet Sigibertus in Cronico.

In natali die Domini; de Pace ſeruanda, & de Eleemoſyna.

HOMELIA I.

AD AVRES veſtræ charitatis; C
ô Domini & fratres mei dile-
ctiſſimi; primam noſtræ locu-
tionis vocem incipiens emitte-
re, & more infantium balbu-
tientium quaſi imperfecta ver-
ba formare; quo primùm vtar
exordio, aut quis meum os ni-
mia clauſum imperitia aperiet
primus ſermo? Vel quæ linguam meam tarditatis liga-
tam nexibus, abſoluet oratio? Certè, cum Dei gratia, ve-
ſtris ſuffragantibus meritis, Oratio! Oratio (inquam)
non illa quæ eſt Oratorum, id eſt, dicendi peritorum, &
arte conſtat, ac promitur eloquentia: ſed quæ eſt deuo-
torum Chriſti, ſcilicet fidelium, & in conſpectu eius,
mente effunditur benigna, & à benigno Domino, aure D
percipitur & acceptatur placida. Quam nunc quoque,
à mea paruitate coram ipſo prolatam, efficiet exaudibi-
lem ſancta charitas veſtra: à qua, vt me humilem huic
Eccleſiæ conſtitutum Præſulem, veſtris dignemini illi
commendare precibus in cuius manu & ſermones no-
ſtri & nos ſumus, totis præcordiorum depoſco niſibus.
Adeſtote ergo (Fratres) votis meis, adeſtote pijs conati-
bus, adeſtote precibus, Conuenio namque vos, verbis
Doctoris gentium, beati Pauli Apoſtoli, quibus inter
cætera Epheſios hortatur dicens: *per omnem orationem &* Epheſ. 6.
*obſecrationem, orantes omni tempore, in ſpiritu, & in ipſo vigilan-
tes in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis & pro
me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum
facere myſterium Euangelij*. Veſtris igitur ſanctis orationi-
bus à Deo me exaudiri poſſe confiſus, iam nunc effun-
do in conſpectu eius orationem meam, & ſupplex, eius
benigniſſimam imploro clementiam dicens: *Domine la-* Pſal. 50.
bia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: & ne
offendam in verbo, & ne peccem tibi, *pone Domine cuſto-* Pſal. 140.
diam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Itemque in
me impleri expoſtulo, *vt audiam quid loquatur in me Domi-* Pſal 84. b
nus Deus: & vt ipſe in vobis illud adimplere dignetur,
quòd ſubiungitur, *quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*.
Ex his ergo verbis, noſtræ orationis initium ſumam de
iſtius per Pſalmiſtam (à ſancto Spiritu) prolata dulcedi-
ne promiſſionis; & ad vos incipiat de pace ſeruanda ad-
monitio ſalutaris; quæ poſco firmiter hæreat animis ve-
ſtris: ac priùs in commune, communem Dominum de-
precemur, vt ipſe ſecundum pollicitationem ſuam; in
nos (hoc eſt; in cor noſtrum) loqui dignetur; & det vo-
bis pro-

Digitized by Google

bis probare idem, cognoſcere & intelligere *quæ ſit voluntas eius bona & bene placens & perfecta:* [Ro.12.b.] & dicatis ei cum Pſalmiſta, [Pſalm.24.] *dirige nos in veritate tua, & doce nos quia tu es Dominus ſalutaris noſter.* Itémque; *doce nos facere voluntatem tuam:* [Pſal.142.10.] vt nos, faciendo quod præcipit; eum loquentem illis audiamus auribus quas in Euangelio requirit, dicens: [Mat.11.b.31.a. Mar.4.& 7. Luc.8.& 14.] *qui habet aures audiendi audiat.* Ille, nos, de ſe ſemper loquentes, & ad ſe de quacunque tribulatione clamantes audiat, clementer exaudiat; ac depulſa omnium inimicorum noſtrorum infeſtantium tam viſibilium quam inuiſibilium, ſæua quam pro peccatis noſtris iuſtè patimur, aduerſitate; *loquatur & faciat pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos & in eos qui conuertuntur ad cor:* [Pſalm.84.9.] quam ita demum promerebimur ſi *ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis* [Epheſ.4.3.] ſtudeamus. Vnde, vos & vnumquenque veſtrum vnà mecum admonere volo, vt, quia ſecundum Apoſtolum omnium Chriſtianorum, [S. Paulus Apoſtolus omnium Chriſtianorum.] vnum corpus & vnus ſpiritus debet eſſe vt *vnus* eſt nobis *Dominus, vna fides, vnum Baptiſma,* [Eph.4.5.] ad vnam ſpem vocationis noſtræ, vnita cum proximis mente, curramus. Enimuero quàm Domino gratum, & quantum ſit bonum illius quæ ex Deo eſt pacis & concordiæ; hodierna die patefecit nobis manifeſtiſſime, vnanimiter concinens chorus cœleſtis Militiæ, cùm nato eo qui pacificaret cœleſtia cum terrenis; pro tam iocunda lætitia noſtræ reparationis, ſuæque ac noſtræ vnanimitatis, concordi cecinit voce; [Luc.2.] *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quidem pulchrè, nato illo de quo Propheta olim prædixerat, quòd inter cætera nomina tanto puero digna, vocaretur *Princeps pacis* (& certe eius pacis, *cuius non erit finis*) [Iſa.9.] nunciatur ab Angelis, *in terra Pax hominibus bonæ voluntatis:* [Luc.2.c.] quæ pax, alia non eſt, quàm ille qui hodie naſci dignatus eſt. *Ipſe enim eſt pax noſtra,* [Eph.2.c.] ſecundum Apoſtolum, qui facit vtráque vnum. Hæc denique fuit illius, mirabilis cauſa, myſterij; quo illud Verbum [Ioh.1.] quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil; in fine ſeculorum, *caro factum eſt & habitauit in nobis,* vt mediator fieret Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, verus Deus & verus homo, in vnitate perſonæ; & ſolueret in carne, ſuas inimicitias quas peccando & recedendo à Creatore ſuo contraxerat genus humanum. Si autem quæris, quomodò illis inimicitias ſoluerit, noſque per mediatoris officium Deo Patri reconciliauerit, & Angelorum collegio ſociauerit; duos quoque parietes ex Iudæis & Gentibus venientes (factus idem, Lapis angularis) in vnitatem fidei coniunxerit; audi Apoſtolum dicentem; [Eph.2.16.] *Per vnum nouum hominem faciens pacem vt reconciliaret ambos in vno corpore, Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Et, ſi noſſe vis; idem Dei & hominis filius ad quid venerit, aut quid in carne egerit, quidve tibi imitandum propoſuerit ipſe ſanctus Apoſtolus tibi conſequenter demonſtrabit: *Veniens* (inquit) *Euangeliſauit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem his qui prope; quoniam per ipſum habemus acceſſum, ambo in vno ſpiritu ad Patrem.* Euangeliſauit autem pacem, adimplendo hoc quod dudum promiſerat per Pſalmiſtam; [Pſalm.84.] *quoniam loquetur pacem in plebem ſuam:* cùm non ſolum, in ſua natiuitate, paſtoribus pacem per Angelos nunciauit: ſed & per ſeipſum diſcipulis ſuis dixit; [Ioh.14.27.] *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* quod non tantum his qui tunc impræſentiarum eum audierunt loquentem, dictum credimus, ſed etiam nobis omnibus, ſi tamen verè eius diſcipulatui inhæremus. Ita ergo nos probare poſſumus, ſi verè eius diſcipuli ſumus, ſi hæc verba eius in noſtro corde fixa tenuemus & opere ſollicitè exercere ſtudeamus. Quibus iterum ait, [Ioh.8.] *in hoc cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Igitur quoniam Dominus commendauit charitatem ſuam in nobis, & cùm inimici eſſemus reconciliauit nos ſibi per mortem filij ſui, & huius reconciliationis & iuſtificationis gratiam qua gratis iuſtificati ſumus, nullo modo ad condemnationem noſtram negligamus, ſed iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad ipſum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quam vt inconcuſſi tenere valeamus, pacem etiam cum Proximis noſtris illibatam cuſtodiamus, reddentes iuxta præceptum Apoſtoli, omnibus, debita; *cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* [Rom.13.] Vnde & beatus Petrus præcipit; *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* [1.Pet.2.] Rex autem, in recte viuendo & agendo, nominis ſui dignitatem cuſtodiat. Principes & iudices, quod ſibi ſacra dicit ſcriptura, libenter audiant & obediant, atque libentius faciant. *Diligite* (inquit) *iuſtitiam qui iudicatis terram, Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* [Sap.1.] Et illud; *nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; Seruite Domino in timore, &c.* [Pſalm.2.] Publicani & peccatores Beatum Ioannem Baptiſtam ſibi dicentem audiant, & obediant: *nihil* (inquit) *ampliùs quàm quod, conſtitutum eſt vobis, faciatis, & ne vltra præſcriptum, quid exigatis.* [Luc.3.] Milites, quod ſibi ab eodem dicitur attendant; nec calumniam facientes prædam acquirant. *Neminem* (inquit) *concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Omnes verò in commune auſcultent, quod omni Ordini, atque omni congruit & neceſſarium eſt ætati; vt iuxta facultatem virium ſuarum, operibus Eleemoſinæ inſiſtentes, cuncti in omnibus quibus indigent Proximi, ſic eis ſubueniant quomodò ſibi ſi neceſſe fuerit deſiderant ſubueniri. Sic enim dicitur, [Luc.3.] *qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Itémque, [Matth.7.b. Marc.10. Luc.6.d.] *quod vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis:* hæc nempe lex eſt naturalis. Ergo his ſanctis parentes admonitionibus; [Matth.19.] ſi quis veſtrum hucuſque aliena rapuerit, à modò ſua dare incipiat: & qui hactenus ſua parciùs dabat; iam nunc quia Deo fœneratur recepturus centuplum, ea largiùs expendat: hæc de incerta longæuitate ſuæ vitæ cogitans, ſi ea retinere velit, ea forte citiùs quã putat ſe amiſſurum; ac proinde ſpem ſuam totam potiùs Dei miſericordiæ committat: [Pſalm.39.] *Beatus* namque eſt *vir cuius ſpes eſt in Domino Deo ipſius.* Memor ſit vnuſquiſque [Luc.12.c.] illius Euangelicæ parabolæ, quid Dominus dixerit diuiti horrea ſua deſtruenti & maiora facienti: *Stulte hac nocte; & cætera.* Vnde ad noſtram (dilectiſſimi) exhortationem; retexam vobis antiquorum primùm veridicam relationem quæ ita ſe habet. Narrauerunt Senes de quodam hortulano, [Hortulani ob intermiſſam eleemoſynam, diuinitus morbo affecti, hiſtoria.] quia laboraret & omnem laborem ſuum expenderet in Eleemoſynam, & tantùm ſibi retinebat quantùm ad victum ipſius ſufficeret. Poſtea verò Sathanas miſit in corde eius dicens; collige tibi aliquãtam pecuniam, ne cùm ſenueris aut ægrotaueris, opus habeas ad expenſas; & collegit & adimpleuit lagenam de nummis. Contigit autem eum infirmari & putrefieri pedem eius: & expendit quod collectum fuerat, in medicos; & nihil ei prodeſſe potuit. Poſteà verò venit quidam de peritis medicis dicens ei; niſi ſcideris pedem tuum, totum corpus tuum putrefiet: & conſtituerunt diem incidere illi pedem. Illa autem nocte rediens in ſe, & pœnitentiam agens de his quæ geſſerat, ingemuit & fleuit dicens: memor eſto operum meorum priorum quæ faciebam cum labore intento meo, ex quo pauperibus miniſtrabam. Et cùm hoc dixiſſet, ſtetit Angelus Domini, & dixit ei: vbi ſunt nummi quos collegiſti, & vbi eſt ſpes de qua tractaſti? Tunc intelligens, dixit, Peccaui Domine, & modò vlteriùs non faciam: & Angelus Domini tetigit pedem eius, & ſanatus eſt ſtatim, & ſurgens manè, abijt in agrum operari. Venit ergo medicus ſecundum conſtitutum diem, cum ferramentis, vt ſecaret pedem eius, & dicunt ei, exijt mane operari in agro. Tunc admiratus medicus perrexit in agrum vbi operabatur ille, & videns eum fodientem terram, glorificauit Dominum qui reddiderat ei ſanitatem. Hæc & his ſimilia (fratres) ſollicitè conſiderantes, & ſemper in omnibus operibus noſtris, nouiſſima noſtra memorantes, ſecundum quòd nos beatus admonet Apoſto-

2. Theſſ. 3. d. dus, *bonum facientes non deficiamus*. Tempore enim ſuo; quæ nunc in ſeminibus miſericordiæ expenderimus, metentes, bonorum operum manipulos centuplicato fructu plena mercede recipiemus; cum *in pace* vera in idipſum (id eſt, in id quod nulla rerum viciſſitudine variatur, ſed ipſum in ſe permanens in commutabili perennitate conſiſtit) huius vitæ peracto curſu dormiemus in futura beatitudine æternæ vitæ, & requieſcemus, ipſius benigni Dei ac Domini noſtri gratia largiente; qui cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti viuit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

In die Purificationis S. Mariæ, de Euangelio, & de vſu Luminarium.

Homelia II.

Ioh. 1. REVULIT nobis (chariſſimi) ſeries lectionis Euangelicæ, quomodò Dominus Dei filius qui in principio (hoc eſt, in Deo Patre) ſemper erat, & Deus erat, & apud Deum erat, & Deus erat, per quem omnia facta ſunt: in plenitudine temporis ex muliere factus, ſit etiam factus ſub lege, vt redimeret eos qui erant ſub lege, & vt oſtenderet ſe non veniſſe legem ſoluere ſed adimplere. Vnde & hodierno die qui eſt quadrageſimus ab eius natiuitate, ſecundum veteris legis præceptum in templo Hieroſolymitano cum muneribus voluit præſentari, qui erat legiſlator, & ipſius templi Dominus; cuius rei geſtæ modum, modò audiſtis cum recitaretur Euangelium. Sed quoniam in hac relatione, hiſtorica quædam (niſi altius repetantur) videntur eſſe ſubobſcura, quædam verò inſunt myſtica, & quædam inſtitutioni moralis intelligentiæ fœcunda: in his quæ ad hiſtoriam pertinent vel ad moralitatem, aurem cum populo præbete communem. Deo autem gratias quia intelligendis ſecretioribus, plurimi veſtrum aures habent audiendi, quales Saluator à ſuis requirit auditoribus, quibus etiam dicit: *vobis datum eſt* Mar. 4. a. Luc. 8. *noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Igitur iam nunc expediantur cum Dei auxilio, quæ vobiſcum vulgaris capere valeat multitudo: in quibus exequendis, ſit adiutorium noſtrum in nomine Domini qui fecit cœlum & terram. Vocabulum (fratres) ſolennitatis hodiernæ, à vobis dicitur conſuetè, Purificatio ſanctæ Mariæ: de qua purificatione, talia inſonuit lectio auribus charitatis veſtræ. Luc. 2. *Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt eum in Ieruſalem vt ſiſterent eum Domino ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Legis tale Leuit. 12. a. erat præceptum: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum immunda erit ſeptem diebus; & in die octauo circumcidetur infantulus: ipſa triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ; omne Sanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium: ſin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ: cùmque expleti fuerint dies purificationis eius, pro filio ſiue pro filia deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro peccato: quòd ſi non inuenerit manus eius nec potuerit offerre Agnum; ſumet duos turtures vel duos pullos columbæ, vnum in holocauſtum & alterum pro peccato; orabitque pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur.* Hæc præcepta legalia ſi diligenter inſpiciantur, non ſolùm Dominus Ieſus Chriſtus ſed etiam beatiſſima genitrix illius, ab omni legis ſubiectione abſolutiſſima reperitur. Cum enim non omnem mulierem quæ pepererit, ſed quæ ſuſcepto ſemine pepererit; lex immundam dicat, atque his oblationibus vna cum prole mundari decernat: conſtat quia non illam ſub hac neceſſitate conſtringit quæ ſine ſuſceptione virilis ſeminis virgo concepit & virgo peperit. Nequaquam ergo immunda iudicatur quæ S. Spiritu obumbrante, totius munditiæ & ſanctitatis Auctorem genuiſſe probatur. Denique & ipſe puer Ieſus purus ab omni contagione peccati; cuius agni oblatione indigeret purificari; qui eſt *Agnus Dei, & qui tollit peccata mundi*? Ioh. 1. Sed quòd tam ille legis Domi-
A nus, quàm & glorioſa mater eius; cùm, lege nihil deberent, ſponte tamen ſe decretis voluerunt ſubdere legalibus, nobis exemplum præbuerunt quanta humilitate, quanta obedientia Dominicis præceptis parere debeamus. Si autem quæritur iuxta literam; cur mulieris & pueri purgatio quadraginta diebus impleatur, in partu verò puellæ 80. dierum ſpatio tempus prolongetur! ſciendum eſt quia in maſculi parturitione tot diebus purgatio peragitur, quot diebus homo in matris vtero formatur: humana verò conceptio ſic perfici dicitur; vt primis ſex diebus, quaſi lactis habeat ſimilitudinem; ſequentibus nouem, conuertatur in ſanguinem; deinde duodecim diebus ſolidetur; reliquis duodecim, vſque ad perfecta lineamenta membrorum formetur; & hinc Hominis conformatio in vtero matris.
B iam reliquo tempore vſque ad tempus partus, magnitudine augeatur. Sex autem & ix., & xij., & xij. in vnum coacti faciunt, 39. Si ergo minorem numerum, infra maiorem concludas; videbis præceptum eſſe tantis penè diebus hominem mundari quot formatur in vtero. Pro fœmina autem hic numerus geminatur: quia (vt aiunt Phyſici) fluxus ſanguinis pro maſculo, eſt ſeptem dierum; pro fœmina quatuordecim: vt quantò ex ſexu infirmior, tantò ſit ipſa natiuitate inquinatior; Vnde quatuordecim diebus immunda fieri, & 66. ab ingreſſu templi præcipitur ſuſpendi. Matris immunditia cur duplo eſſet maior cum puellam peperiſſet. Porrò 14. & 66. faciunt 80. in quo (ſicut diximus) numerus ſuperior duplicatur: à patribus verò talis ratio redditur. Ideò mulier maiori ſubiacet maledictioni, quia fœmina primum ſeipſam, Gen. 3. 1. Tim. 2. deinde & virum decepta decepit. Illa Serpentis perſua-
C ſioni conſenſit, & virum perſuaſioni ſuæ conſentire coëgit; Vir autem ſoli conſenſit mulieri. Inter hæc ſciendum eſt, quia omnis iſta purificatio accipienda eſt in myſterio: ſed nos ad propoſitum reuertamur. Impletis igitur ſecundum legem diebus purgationis eius; ſcilicet vel ipſius Domini vel intemeratæ Genitricis illius; *tulerunt illum parentes eius in Ieruſalem* ad templum Domini *vt ſiſterent*: id eſt; ſtatuerent ſiue offerrent vel conſecrarent eum Domino, *ſicut ſcriptum eſt in lege Domini; quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.* Exod. 4. Legimus in Exodi libro, quia cum morarentur filij Iſrael in Ægypto, & grauiſſimo Pharaonis premerentur dominio, clamauerunt de tribulatione ſua ad Dominum: qui miſertus eorum propter dilectos ſibi Patres
D eorum, miſit ſeruos ſuos Moyſen & Aaron, & *poſuit in eis verba ſignorum* & prodigiorum *ſuorum*, & percuſſit decem plagis Ægyptum. Pſalm. 104. In decima verò plaga, *percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti*, à primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum, & eduxit populum ſuum de Ægypto, in manu potenti & brachio excelſo: Pſal. 134. Exod. 11. & ex eo tempore præcepit vt ſibi omnia primogenita filiorum Iſrael, ſiue ex Exod. 13. hominibus ſiue ex iumentis tam mundis quam immundis conſecrarentur, ea tamen ratione, vt munda quæque offerrentur & Sacerdotum eſſent, pro hominum verò primogenitis (exceptis his qui de Tribu Leui erát, & in miniſterium Tabernaculi teſtimonij perpetuò te-
E nebantur) precium darent, immunda autem, aut mundis commutarentur, aut intra menſem quinque ſiclis argenti redimerentur, aut certè interficerentur. Et hoc eſt iuxta literam quod dicitur, *quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur*. Omne ſcilicet maſculinum tam de hominibus quàm de pecoribus, adaperiens vuluam, *ſanctum Domino vocabitur*: id eſt, in Domini oblatione ſanctificatur. His autem præceptis nos moraliter inſtruimur, vt omnia primogenita noſtra maſculina (id eſt, principium bonorum operum, & fortia quæque virtutum quæ quaſi cordis affectu concipimus) ipſo effectu, Domino offeramus: id eſt, non noſtris meritis, ſed diuinæ gratiæ & laudi deputemus dicétes cum Pſalmiſta, *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Pſal. 113. a.

riam: Immunda verò animalia; fluxa videlicet & diſſoluta quæque ac malè geſta, cum immundis deputemus A declinando à malo & faciendo bonum; & ſic aſini primogenitum oue mutemus, vt vbi priùs fuit ſtultitia & immunditia, ſubſtituatur caſtitas & innocentia: aut redimamus quinque ſiclis argenti, perfectam agentes pœnitentiam pro ſingulis peccatis quæ per quinque corporis ſenſus contraximus: aut ſi ſtatim redimere non poſſumus; interficiamus: id eſt, ſi nondum perfecta ſequi non poſſumus, peſſima tamen vitemus. Verbi gratia, ſuperbus aut auarus, guloſus vel luxurioſus aliquis, ſi non poteſt perfectæ humilitatis virtutem, ſiue largitatis, abſtinentiæ, aut continentiæ mox habere; ſaltem malum radicitus euellens, ſuperbiam atque auaritiam, gulam, & luxuriam ſtudeat damnare. Notandum ſanè quod dicitur; *omne maſculinum adaperiens vuluam*: quia his verbis B Euangeliſta morem cõſuetæ natiuitatis expreſſit, & non ſic intelligi voluit ſicut latrant hæretici, quòd Chriſtus vterum matris (naſcendo) virginitate priuauerit, cum mulier non tunc virginitatem amittat quando parit, ſed quando cum viro dormit. Denique Dominus Ieſus, plenus & perfectus Deus, plenum & perfectum hominem ex matre ſine patre ſuſcipiens, plenitudinem & perfectionem omnium gratiarum ei contulit, ſicut ad ipſam Gabriel Archangelus loquitur dicens; *Aue Maria gratia plena*; nec integritatem & gratiam virginitatis illi abſtulit. Cur autem puerum Ieſum parentes eius tulerunt in Ieruſalem, Euangelium ſubdit cum ait; *Et vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.* Iam ſuperius audiſtis quòd lex C ita præcepit vt qui poſſit pro filio, die quadrageſimo; pro filia verò 80. die natiuitatis offerret agnum anniculum, holocauſtum; & turturem ſiue pullum columbæ pro peccato; ſi quis autem agnum inuenire nequiret, duos turtures vel duos pullos columbæ, vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato offerret. Vnde hac cõſiderata oblatione quæ pro Domino offertur: etiam paupertas Matris offerentis conſideratur, quia nequaquam agnum reperire potuit, quæ duos tantùm turtures vel duos pullos columbæ obtulit. O admirabilis per omnia, diuinæ diſpenſatio dignationis! O cunctis imitanda fidelibus humilitas pij Saluatoris! O amplectendum fidelibus animis, exemplum ſpontaneæ paupertatis! Benignus Deus, & Dominus omnium, diues in om- D nes qui inuocant illum, qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui in altis habitat & humilia reſpicit in cœlo & in terra; pauper & humilis pro nobis fieri dignatus eſt, vt nos ſua paupertate & humilitate excelſos faceret ac diuites: hîc quidem, in fide & ſpiritaliũ diuitiarum (id eſt; ſanctarum virtutum) libertate, in futuro autem, hæredes regni quod repromiſit diligentibus ſe! Sed & in eiſdem oblationibus, eſt adhuc aliud quòd ſollicitè perſcrutemur: Agnus namque innocentiam, columba ſimplicitatem, turtur ſignificat caſtitatem: harum quoque auium vtraque, pro cantu habet gemitum; vnde non incongruè lachrymas deſignant humilium. Si quis igitur noſtrum à timore Domini concipit, ſiue forte, ſiue infirmum & necdum perfectum virtutis opus; E quaſi filium vel filiam parturit: vt autem Domino conſecrari valeat; agnum innocentiæ & columbam ſimplicitatis, turturem quoque caſtitatis illi neceſſe eſt offerat, quia innocens & ſimplex atque caſta iuſtorum conuerſatio, gratiſſimum eſt ſacrificium Deo. Si verò tam pauper quis fuerit vt veram innocentiam, qua nec ſibi nec proximis nocuerit; cum ſimplicitate puri cordis & caſtitate mentis & corporis offerre nequiuerit: duos ſaltem turtures, vel duos pullos columbæ; id eſt, duo cõpunctionis genera (timoris ſcilicet, & amoris) offerat. Vnum videlicet, hoc eſt, timorem pro peccato, pro quo timet & gemit ne ad tartari ſupplicia pertrahatur. Poſteà verò alterum in holocauſtum; id eſt, amorem pro cœleſtis patriæ deſiderio, cùm iam veniam præſumens non gemit pro ſupplicio, ſed quia tandiu à deſiderato

Chriſtus plenitudinem gratiarum Matri ſuæ contulit.
Luc. 2.

Maria Deipara, exemplum ſpontaneæ paupertatis.

Duo compunctionis genera.

Dei regno differtur. *Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon; & iſte homo iuſtus & timoratus expectans conſolationem Iſraël.* Dignum pro certo erat vt quia Dominus Ieſus pro omni ordine, ætate, & ſexu redimendo venerat, ab omni etiam ordine, ætate, & ſexu teſtimonium acciperet: quapropter cùm priùs ab Angelis prædictus eſſet & Prophetis; nunc quoque aduentui eius mirabili, omnium deuotio mirabiliter famulatur. Contra naturam, virgo Maria parit; Elizabeth ſterilis filium generat, Prophetáque Ioannes & exultat adhuc in vtero clauſus, Zacharias Sacerdos Pater eius olim mutus, etiam cum loquela Prophetiæ gratiam accipit: Magi veneranter eum adorant, Anna vidua confitetur; & inter eos iſte ſenex Simeon, Euangelico teſtimonio *iuſtus & timoratus* (eſt enim timor comes iuſtitiæ quæ illam optimè nouit ſeruare) magnum præbet teſtimonium natiuitati Dominicæ; qui excreuerat in tantum iuſtitiæ culmen, vt nõ iam ſolummodò ſuam, ſed etiam totius populi Iſraëlis quæreret ſalutem, & aduentus Chriſti expectaret conſolationem, memorans illud Iſaiæ, *dicite puſillanimes, confortamini & nolite timere, ecce Dominus noſter*: Itémque; *conſolamini, conſolamini? dicit Dominus noſter. Et Spiritus ſanctus erat in eo*: dignè; quia iuſtus erat & timoratus: in talibus nãque ſanctus requieſcit Spiritus ſicut dicitur; *ſuper quem requieſcet Spiritus meus niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea? Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Dominum*: quãdoquidem beatus ſenex iſte, Spiritu Dei qui in eo erat reuelante, cognouerat iam tempus inſtare quo Chriſtus C adueniret in carne; aſſidua poſcebat prece, ne eius anima anteà ſolueretur à corpore (quamuis ætas ſenilis eã cogeret iam exire) quàm, id quod ſummo deſiderabat affectu, poſſet videre. Vnde & intrinſeca eiuſdem Spiritus locutione tale meruit in mente accipere reſponſum, non ſe priùs mortem viſurum quàm videret Chriſtum. *Et venit in Spiritu, in templum*: non abſque corpore putandus eſt veniſſe; ſed quod dicit, *in Spiritu*; admonitum & inſpiratum à ſancto Spiritu veniſſe in templum indicat. *Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius vt facerent ſecundum conſuetudinem legis, pro eo*; offerentes ſacrificium: ipſe ſenex veluti iam totus in priſtinum iuuentutis florem renouatus; exiliens præ gaudio, *accepit eum in vlnas*: id eſt, in brachia ſua: *Et benedixit Dominum, &* D *dixit; Nunc dimittis Domine ſeruum tuum ſecundum verbum tuum in pace*: Videntem me, pacem quæ cœleſtia pacificat & terrena; dimittis à vinculis corporis in pace & requie ſpiritus, vt iam *caro* non concupiſcat *aduerſus Spiritum*, nec Spiritus aduerſus carnem; nec vllas huius vitæ corruptibilis corpus patiatur moleſtias. Nec iam metuo mortem, *quia viderunt oculi* cordis & corporis *mei, ſalutare tuum*, eundem Ieſum qui *ſaluum faciet* me & *populum ſuum à peccatis eorum*, & grauis mortis cõteret dominium. *Quod* ſalutare, in hoc primo aduentu *paraſti* fide ac dilectione videndum, *ante faciem omnium populorum*, quicunque voluerint credere in illum! In ſecundo autem aduentu paraſti hunc ipſum Ieſum ante faciem omnium populorum & credentium & incredulorum, vt videat E eum omnis oculus Iudicem iuſtum, & reddat vnicuique ſecundum opera eorum. *Lumen ad reuelationem Gentium*; eorum qui ſedebant in tenebris & vmbra mortis, tam ex Gentibus quam ex Iudæis; vt per fidem illuminentur credentes in eum. Sed quia ante aduentum ipſius quodammodò *notus* eſſe videbatur *in Iudæa Dominus*, & ibi eſſe lux quædam cognitionis eius; profunda verò cæcitas infidelitatis texerat corda credentium: hoc lumen dicitur veniſſe ad reuelationem earum; vt ſublato ignorantiæ & infidelitatis velamine apertiſque oculis mentis, lucem videant magnam. Paratum quoque eſt hoc lumen ad *gloriam plebis Iſraël*, quia credentibus ex Iudæis, ſpiritalis gloria eſt, quòd illis tantum fuit prænũciatus & ex eorum ſtirpe incarnatus, quod inter eos docuit, quòd eos ſuis miraculis glorificauit. Non autem abs re eſt quod reuelationem Gentium, gloriæ Iſraëlis

Dei timor iuſtitiæ eſt comes.

Iſa. 35.

Iſa. 40.
Iſa. 66.

Gal. 5.

Digitized by Google

præpoſuit; ſed quia priùs gentes credituras quam Iudæos præuidit. Vt enim teſtatur Apoſtolus, *tum plenitudo Gentium intrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet.* Hæc vobis (fratres ſufficiant breuiter dicta de lectione Euangelica: quia verò conſuetudo eſt Eccleſiaſtica vt hac die geſtantes manibus lumina, Miſſarum ſolennia celebremus; breuiter quoque dicendum quæ ſint huius rei exordia, cùm Romani, totius mundi potirentur dominio; à ſubiecto ſibi orbe tripertito, per tria quinquennia ſolutionem cenſus indixerunt fieri, & hoc modo, vt aurum vno argentum altero, æs verò tertio perſolueretur quinquénio. Vnum quodque autem quinquennium vocabatur luſtrum, eò quòd ipſo expleto cenſúq; ſoluto (in vnum conueniente populo Romano) ſacrificium celebraretur, & cum cæreis ac lampadibus, vrbs Roma luſtraretur ob honorem Infernalium Deorum, & præcipuè Februi (ideſt, Plutonis) qui Dominus inferni dicebatur, à quo & menſis Februarius vocabulum ſortitur; in cuius parte extrema (id eſt, in Calendis) hoc agebatur: ideò verò tunc infernalibus dijs ſacrificabant; quia, eorum præſidio, nationes orbis ſe ſubiugaſſe putabant. Nunc igitur vanæ ſuperſtitionis errorem pulchrè Chriſtiana deuotio ad veram conuertit fidei religionem; cùm iam non poſt quinquennium nec vt olim circa finem menſis Februarij, vna luſtratur ciuitas Roma ob honorem Februi; qui falſò, luſtrationum (id eſt; purgationum) potens putabatur & Deus infernorum; & ob dignitatem eius quæ iam ceſſauit terreni Romanorum imperij: ſed per ſingulos annos circa initium eiuſdem menſis, vniuerſa Dei ciuitas (ſancta videlicet Eccleſia) illuſtratur; fidei lumen, quod filiorum ſuorum fulget in cordibus, deſignans cereorum lumine quod eorundem geſtatur manibus ob honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti qui eſt vnus & verus Deus cæli & terræ & inferni: quique verus homo pro nobis factus, hodierna die in templo præſentari; & cum eſſet ſine ſorde peccati, legalem purgationem cum hoſtiarum oblationibus pro ſe fieri, ſanctique ſenis Simeonis manibus ſuſcipi, atque ab eo & à Beata Anna cæteriſque iuſtis qui eius expectabant aduentum ſe voluit conſiteri. Nos ergo (chariſſimi) hodiè ſolemniter recolentes huius rei memoriam, & cum Domina noſtra glorioſa genitrice eius Maria eum oblaturi; vel cum beato Symeone, ipſum ſuſcepturi; cum cereis & hymnis, puritate mentis atque lucidis operibus ſplendidi, in conſpectu eius aſtare debemus deuoti, ſedulò recordantes dignitatem nobis repromiſſi perennis & felicis imperij, cœleſtis ſcilicet regni, quod tunc omnes Electi ſuot accepturi, quando (iuxta parabolam Euangelij) cum bonorum operum lampadibus occurrentes Sponſo immortali; ipſi, ſponſa eius effecti, amantiſſimum thalamum intrabunt; ad quem nos introducere ſecum dignetur idem benignus Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Rom. 11. — *De Cereorum Eccleſiaſtica geſtatione in die Purificationis.* — *Gentilis ſuperſtitionis errorem chriſtianâ deuotio in veram conuertit religionem.* — *Matth. 25.*

In Quadrageſima, de ieiunij laudibus.

HOMELIA III.

QVANTA ſit erga nos (Fratres dilectiſſimi) diuinæ pietatis miſeratio; & quàm multiplicibus modis, noſtræ proſpiciat ſaluti clemens eius dignatio: nec vlla poteſt proſpicere cordis humani cogitatio; nec aliquibus effari verbis oris noſtri valet aſſertio. Viriata enim denique in primis ſuis Parentibus tota ſtirps generis humani, & ſempiternę ſolum obnoxia damnationi, nulla ex ſe poterat habere vires hanc euadendi, quæ, relicto, imò contempto, auctore vitæ, ſe ſponte mancipauerat mortis auctori: Et ideò, iuſto Dei iudicio, *quia iuſtus Dominus Deus noſter & non eſt iniquitas in eo*; æterna iuſtè perpetui ſupplicia cogeremur omnes qui in Adam peccauimus, & in ipſo ipſi quoque originaliter lapſi ſumus: niſi Dominus noſter quemadmodùm incomparabiliter iuſtus, ſic ineffabiliter & pius*. Cùm itaque in fouea perditionis proſtrati iaceremus, & ſuo merito pereundum eſſet omnibus; diuina non tulit bonitas ſuum irremediabiliter perire opus; ſed elegit ex ipſa perditionis maſſa quos gratis* ſaluaret, & ſua ſolummodò iuſtificaret gratia. Quod cùm tranſactis retro ſeculis multifariam contuliſſet patribus noſtris, huius tamen perfectionis ſummam hac nouiſſima ſeculi ætate dignatus eſt conferre nobis in vnigenito Domino noſtro Ieſu Chriſto; quia vt teſtatur beatus Petrus Apoſtolus, *non eſt in alio aliqua ſalus neque aliud nomen ſub cælo datum eſt hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Hinc dicit & Coapoſtolus eius Paulus; *omnes peccauerunt & egent gloria Domini, iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu quem propoſuit Dominus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Ergo (fratres chariſſimi) quia tanta gratiæ Dei munera gratis accepimus; dignum, immò valde neceſſarium eſt nobis ne ei ingrati ſimus, & ne collatam nobis gratiam in aliquo negligamus: Vnde & nos admonet idem Apoſtolus dicens: *hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quibus monitis, ad omnem Dei mandatorum obedientiam prouocamur; vt quia de maſſa peccati, ſegregati & per fidem vocati ſumus, remiſſionémque peccatorum in Baptiſmo percepimus, digna fidei opera faciamus, ne fides per gratiam Dei nobis attributa (ſi fuerit ſine operibus) non ſolùm otioſa, ſed etiam mortua iudicetur: Ac per hoc gratiam Dei, in vacuum, id eſt, inutiliter, recepiſſe videamur. Dominus namque Ieſus mittens Apoſtolos in vniuerſum mundum prædicare Euangelium, præcepit eis dicens, *Ite docete omnes gentes*; fidem ſcilicet ſanctæ Trinitatis, *baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: & addidit; *docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* In quibus verbis apertè ediſcimus, quia qui fidem recipimus, noſtrâmque illi in Baptiſmo ſpopondimus ſeruiturem; omnibus mandatis eius vt obedire ſtudeamus neceſſe eſt: vt dum ea quæ iuſſit, facimus ad bonorum operum præmia quæ nobis fidelis & qui non mentitur Dominus repromiſit, ipſo auxiliante peruenire mereamur. In ſermone autem Apoſtoli, quem in medium deduximus, quo nos hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiamus: gratiam Dei non ſolùm intelligere debemus, fidem quam primùm in Sacramento Baptiſmi percepimus; ſed omnia quæ nobis à Deo donantur bona, ſiue ſint ſpiritualia ſiue ſint ea quæ Paulus Apoſtolus dicit eſſe *fructus Spiritus*, vt eſt *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas*, & cætera: ſiue ſint corporalia; in quibus eſt, corporis ſanitas, frugum vbertas, aëris ſerenitas, temporum pax & tranquillitas, & his ſimilia eius dona de quibus ab Apoſtolo cohortamur ne ea inaniter recipiamus. Eius quoque talenta, quæ vnicuique noſtrum ſecundum propriam dedit virtutem, ne ſine lucro bonorum operum retineamus; ſed dum tempus eſt negotiandi in exercendis lucris Dominicis, in his quæ accepiſſe perpendimus, occupemur; ne cùm venerit rationem cum ſeruis poſiturus & fideles negotiatores remuneraturus; ſi inuenerit nos gratiæ ſuæ talenta, quod abſit, recepiſſe, in vacuum; iure damnatos, projciat in tenebras infernorum. Sed potiùs totis ſtudeamus viribus vt vnuſquiſque noſtrum pro apportato lucro audire mereatur; *Euge ſerue & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*: Vbi nos ſecum gaudere concedat ipſe benignus Dominus & Deus noſter.

Nunc ergo (fratres) quia ſacros dies ieiuniorum celebramus; ſcire debens quoniam ſicut corpori vulnerato medicamenta, ſic (& multò ampliùs) animæ peccatorum vulneribus ſauciatæ; medicina neceſſaria, ſunt ieiunia: maximéque quia primos Parentes noſtros, propter gulam, à Paradiſi gaudijs expulſos nouimus, procurandum

Pſalm. 10. b — ** Hic deeſt quippiam,* — *quale ſit illud fortaſſis, aduentu ſuo nos redemiſſet vel tale aliquid.* — ** Iſ. 52. a gratis venundati eſtis & abſque argento redimemini.* — *Act. 4. b* — *Rom. 3. c* — *2. Cor. 6.* — *Matth. 28.* — *Gal. 5.* — *Matth. 25.* — *Matth. 25. b* — *Ieiuniorum dies ſacri.* — *Geneſ. 3.*

Digitized by Google

Ieiunij vtilitas.

curandum nobis eſt (ſi ad ea reuerti cupimus) vt per abſtinentiam, viam nobis illo redeundi præparemus. Quid autem ſint, & quantum ſacra proſint ieiunia; audiat in breui charitas veſtra. Ieiunia ſunt gratiæ Dei primordia, reconciliationis ſacrificia, ſalutis remedia, caſtitatis fundamenta. Hæc vitam imitantur Angelicam, his excitantur mentes fidelium, his reficiuntur animæ per hæc moriuntur culpæ, delentur delicta, his gradibus peruenitur ad cœleſtia, his armis dimicamus contra Diabolum & vincimus exemplo Domini noſtri Ieſu Chriſti qui per ieiunium noſtrum præliatur contra diabolum; non quòd ille, aut ieiunio aut iſto egeret certamine, ſed vt primum nos doceret debellare, & poſteà donaret vincere. Certamen igitur magiſtri ac Domini noſtri agnoſcamus, & ſic certare diſcamus. Continuis quadraginta diebus ac noctibus ieiunauit: *poſtea verò eſuryt*: quod videns Tentator ex pharetra malitiæ ſuæ direxit illi primum ſpiculum gulæ. Quare (inquit) eſuris? *ſi filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Et quid ad iſta Dominus fecit? clypeum ieiunij prætendit, & ignitum hoſtis iaculum in ipſo extinxit atque confregit, dicens: *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei:* ac ſi diceret; temporalem corporis ſuades ſumere cibum, vt æternum & vitalem animæ auferas victum: cum homo ex anima conſtet & corpore, prius anima debet refici Dei verbo, & poſteà corpus pane terreno. Hoc intentis auribus audiat qui verè viuere audeat, qui verè viuere deſiderat: hunc panem auidiſſimè perquirat; illo animam paſcat dum caro ieiunat. Perſpicimus euidentiſſimè quòd laqueo gulæ etiam Dominũ voluerit Diabolus capere, quoniam eo nouerat ſe primum Adam inuaſiſſe; & ſic, per eſum pomi vetiti ſtrangulaſſe: ſed ſecundus Adam (abſtinendo) illius laquei vincula diſſoluit, & nos omnes abſoluit: atq; per abſtinentiam; ipſius dolos, nos poſſe vincere edocuit. Nec noua lex eſt abſtinentiæ; hæc quippe data eſt homini poſito in Paradiſo, cùm ei præciperetur à Domino: *de ligno ſcientia boni & mali ne comedas; quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* In huius igitur mandati iuſſione & eiuſdem tranſgreſſione, poſſumus ſcire quantum ſit bonum obſeruatio ieiunij, & contra, violatio eius, quantum ſit malum. Quandiu interdicto abſtinuit cibo Adam, nec legis fuit præuaricatio, nec infirmitatis (quæ anteà non erat) cognitio; nec culpa, nec illecebra, nec labor, nec timor, nec mors, nec terrena meditatio; quæ protinus ſucceſſerunt omnia, poſtquam mãducauit de arbore interdicta. Nam mox à Paradiſi beatitudine eiectus, & in hanc quã patimur miſeriam eſt proiectus, vita ſpoliatus, mortalitate veſtitus. Vnde & aptum ſibi accepit indumẽtum ex pellibus mortuorum animalium: dicit enim Scriptura; quia *fecit Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Ecce quomodò gula veſtit, & quomodò nudat: aufert ornamenta virtutum, veſtit ignominia vitiorum; ſibi obedientem, à facie Dei abſcondit; & vt facti furti conſcium, ad latebras mittit, Paradiſi fœlicitatem claudit, & omnium vitiorum ianuam pandit. Sequentis etiã æui patres (ſi conſideres) per gulam cecidiſſe, & per abſtinentiam ſtetiſſe cognoſces. Sanctus Noë vir ſobrius, mundo pereunte, inter vndas diluuij ſeruatus; qui in Arca ſe ſuóſque necnon & omnes beſtias, pecora, & ipſas volucres temperantes (Domino præcipiente) aluit; poſtmodum vini poculo intemperanter ſumpto dehoneſtatus eſt; & à filio ſuo Cham ludibrio eſt habitus. Loth nepotem Abrahæ, quem nec Sodomitica ſcelera nec ipſa vicerunt incendia; vicit gula, & captiuum vſque ad inceſti pertraxit contagia. Conſidera Moyſem, xl. diebus ieiunantem, & ita cum Domino loquentem *vt loqui ſolet homo ad amicum ſuum.* Attende Danielem, qui trium hebdomadarum ieiunium continuauit, & Angelica colloquia promeruit; cuius etiam abſtinentia leonibus indixit ieiunia. Helias Propheta in fortitudine vnius panis ſubcinericij, cum modico aquæ poculo ambulauit xl. diebus & noctibus; quem in tantum abſtinentia prouexit, vt curru igneo in cœlum raperetur. Videamus Ioannem Baptiſtam; cuius erat eſca, locuſtæ & mel ſylueſtre: ipſe quoque Domini Dei filius Deus noſter Ieſus Chriſtus; vide quomodò te ſuo ieiunio docuerit ieiunare, & ſacrauerit hoc tempus quadrageſimale. Sicut tentatorem ſuperauit; ſic te ſuperare docuit. Quamuis igitur tam magnæ virtutis ſit ieiunium; non tamen putetis illud vobis poſſe ſufficere ſolùm, niſi duarum emendetur teſtimonio rerum, aſſiduitate ſcilicet orationum, & largitate eleemoſynarum: his enim certè alis ſubleuatur ad cœlum. De oratione admonet Apoſtolus: *eſtote* (inquit) *prudentes, & vigilate in orationibus.* Et Dominus ad diſcipulos; *vigilate & orate vt non intretis in tentationem.* De eleemoſyna audi qualiter huic coniungatur oratio, etiam ipſa dicente Scriptura: *abſcondite eleemoſynam in ſinu pauperis & ipſa orabit pro vobis ad Dominum.* Et non ſolùm pro peccatis orat, ſed etiam peccata delet; ſic enim ſcriptum eſt: *ſicut aqua extinguit ignem, ita Eleemoſyna extinguit peccatum.* Habentes ergo, à mundi exordio propoſita nobis iſta & alia innumera ſanctarum virtutum exempla, his ſemper exercendis operam demus; maximè iſto tempore, ieiunijs & orationibus atque eleemoſynis vacemus: quatenus per hæc à peccatorum purificati ſordibus, ſanctum Paſcha Domini cum ſinceritate mentis & corporis dignè celebrare mereamur, præſtante ipſo benigno Domino noſtro Ieſu Chriſto qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth. 4. — Gen. 3. — Patres & gula lapſi ſunt & ieiunio ſteterunt. — Gen. 7. — Gen. 9. — Gen. 19. — Eccl. 24. & 34. d — Dan. 10. — Dan. 6. — 3 Reg 19. — 4. Reg. 2. — Marc. 1. — Matth. 4. — Chriſtus ieiunio ſuo ſacrauit tempus Quadrageſimale — Ieiunij duo alæ. — Luc 21. g — Matth. 26. — Mar. 6.14. — Eccl. 29.15. — Eccl. 3.33.

In Cœna Domini: de eo quod Chriſtus lauit pedes Apoſtolorum, & de Pœnitentium reconciliatione.

Homelia IIII.

NOVIT veſtra dilectio, quia ſacratiſſimus omníque deſiderabilis Eccleſiæ Cœnę Dominicæ dies, annua feriæ, temporis recolitur. Cuius mirifica ſacramẽta, vt noſtra dignè queat fragilitas celebrare; atque de eiſdem licet renuiter, ſaltem vtiliter aliquid explicare: charitate veſtra (quam ſcimus, noſtris non deeſſe optatis) à Verbi de cuius operibus & verbis ſalutaribus (ad profectum) verbum loqui deſideramus, nobis implorandum eſt, poſſe. Ergo vt huius diei myſteria perſpicere aliquatenus, & nonnulla pro modulo noſtro valeamus effari condignè, rogemus ſupplices, dicentes cum Pſalmiſta, *cor mundum crea in me Deus:* Itémque, *repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam.* Recitata modò nobis eſt Euangelica lectio, in qua commendatur fidei noſtræ excellens ſuper omnia & ſciens omnia, vera filij Dei diuinitas & aſſumpta pro nobis ac de nobis vera carnis humanitas, & magnæ quam in ſeipſo nobis imitandam propoſuit humilitatis vtilitas. Commendatur inſuper omnibus, illa qua nos nimium dilexit, gratuitæ bonitatis charitas: qua ille qui morte finiri, & noſtri dilectionem finire neſcit, *in finem* (hoc eſt, vſque in mortem) *dilexit nos.* Ait itaque Ioannes Euangeliſta: *ante diem feſtum Paſcha, ſciens Ieſus quia venit eius hora vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Paſchæ nomen, cùm ex veteri inſtitutione ideò ſit dictum quòd in eo poſt agni occiſionem, populus Iſraeliticus ab Ægyptia ſeruitute liberatus, ad terram olim promiſſæ hæreditatis & pacis tranſierit, quia Paſcha, tranſitus dicitur: hoc tam myſticè ſignauit Euangeliſta quàm ſolerter exprimere ſtuduit. *ſciens Ieſus quia venit eius hora vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*: hoc ſcilicet his verbis innuens, quòd illud Paſcha figuratiuum in quo Agnus ille legalis ſine macula iubebatur immolari, eiúſque ſanguine poſtes & ſuperliminaria domorum ſignari vt filij Iſrael ſic ab exterminatore liberari poſſent, verum præfigurauerit

Pſalm. 50. — Pſalm. 70. — Paſchalis nomen a quo ſit dictum.

Paſcha quo noſter Agnus, immò Agnus Dei Chriſtus, ſine macula peccati conceptus, natus, & conuerſatus, pro A ſalute noſtra eſt immolatus, & ſic ſuum ac noſtrum Paſcha ſacrauit, quando ex hoc mundo ad Patrem tranſijt. Eius ſanguine ſi poſtes noſtri, anima ſcilicet & corpus, atque ſuperliminare frontis, ſeu intentio noſtræ mentis ſyncere fuerint illita, à Diabolo exterminatore peſſimo, veraciter erimus tuti: ipſúmque caput noſtrum, in charitate imitando, Paſcha quod ille celebrauit (nos, vſque ad mortem diligendo) & nos membra ipſius, fiducialiter celebrabimus, ſi fugientes Ægyptum (id eſt, hoc tenebroſum & inſtabile ſeculum) hinc ad virtutes ſaluberrimum tranſitum faciamus, vt eruti de poteſtate tenebrarum, digni efficiamur ad repromiſſum nobis eius pacatiſſimum regnum tranſire. Sequitur Euangeliſta: *& cœna facta cùm Diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas Symonis Scariotes; ſciens quia omnia dedit Pater in* B *manus, & quia à Deo exiuit & ad eum vadit:* Pauliſper conſiderare libet, iſtius tranſitus quanta ſit excellentia; Cùm dixiſſet; *vt tranſeat ex hoc mundo:* addit, quo ſcilicet, *ad Patrem:* cui videlicet coæternus exiſtit Filius, vnius cuneo diuinitatis, æqualis gloriæ & maieſtatis. Cùm tamen iſte tranſitus, aſſumptæ ſit humanitatis;

Ioh. 13.

item ſubinſert: *ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit & ad eum vadit.* Omnia, inquit, & bona & mala: Bona, in effectum; mala, in vſum. Vnde Apoſtolus; *nihil* (inquit) *dimiſit non ſubiectum ei.* Hinc & Pſalmiſta longè ante præcinuit dicens, *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius:* Intérque omnia, ipſum illi tradidit traditorem, & eos quibus tradendus erat, & mortem quam paſſurus erat. Sciens igitur ſe omnia in poteſtate C habere; ſciens quia à Deo exijt per humilitatem incarnationis, & ad eum vadit per victoriam reſurrectionis, *ſurgit à Cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe, deinde miſit aquam in peluim & cœpit lauare pedes diſcipulorum & extergere linteo quo erat præcinctus.* Hæc, licet à Domino geſta ſunt actu corporeo; ſpiritali tamẽ ſcrutanda ſunt intellectu. *A Cœna* itaque *ſurrexit*, quia à ſecreta & ineffabili quiete Patris ad nos venit; Veſtimenta poſuit; id eſt, ſemetipſum exinaniuit, non ita vt deponeret quod habebat ſed vt acciperet quod non habebat: Linteo ſe præcinxit, dum ad perferendos mortalitatis noſtræ labores formam ſerui induit: Aquã in peluim miſit, & pedes diſcipulorum lauit; quia aqua quam cum ſanguine, de latere ſuo, in cruce pendens, D in terram fudit, in ſe credentium immunditiam diluit. Eodem quoque linteo pedes eorum extérſit; quia corporis ſui pro ipſis in mortem traditi & reſuſcitati indumento, non ſolùm terrena in eis contagia purgauit, ſed etiam in ſe fidelem ſolidauit. Et quidem ad exemplum humilitatis, hoc Dominus hodierna die corporaliter egit; ſed quotidiè illud in nobis agere ſua gratia, ſpiritualiter non deſiſtit. Pedes etenim nobis lauat, cùm ſecundùm humanitatem, pro peccatis noſtris Patrem interpellat; & ſecundum diuinitatem cum Patre eadem nobis donat. Nos quoque ipſius exemplo & mandato commoniti; & corporaliter hoc agere, & multò magis ſpiritaliter debemus inuicem pedes lauare: hoc eſt; alterutrum peccata dimittere, & pro eiſ- E dem à Deo dimittendis inuicem exorare, ſicut & Apoſtolus admonet: *donantes* (inquit) *vobiſmet ipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet culpam, ſicut & Dominus donauit nobis ita & nos inuicem.* Ad quod exemplum exequendum, & ſi ex cordis noſtri duritia aliquo modo retardamur, oratione Dominica tamen neceſſario compellimur, dum quotidiè Deo crebrius dicimus; *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et vt hoc non fictè (quod abſit) ſed ex corde fiat; neceſſe eſt, ipſo Domino ſic comminante: *ſi vos non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Itémque: *ſic & Pater meus cæleſtis faciet vobis ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Vt igitur audiuit veſtra dilectio; hæc omnis pe-

Hebr. 2. 8. *Pſalm. 8.* *Ioh. 19.* *Col. 3.* *Dominica oratio neceſſario compellit nos, quæ inuicem peccauimus, condonare.* *Matth. 6.* *Pœnitentium reconciliatio fit in die Cœnæ Domini.*

dum lotio, noſtrorum peccatorum eſt purgatio: vnde A non congruè hac ipſa die, ſicut Eccleſiæ tenet conſuetudo, pœnitentium fit reconciliatio. Vt enim ante nos dictum eſt à Patribus; cùm tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta corporis & ſanguinis Domini differenda ſint; auctoritate Antiſtitis debet ſe quiſque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Lectum quippe modo eſt, *qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini:* Hoc eſt eum indignè illud accipere, qui accipiat eo tempore quo debet pœnitentiam agere. Vnde mihi ad vos (ô fratres) nunc habendus eſt ſermo, quos mater ſancta præſens Eccleſia, noſtro officio hodie reconciliat Deo. Ad vos igitur noſtra imò Doctores Gentium Pauli, per nos iſta ſit exhortatio, vt agnoſcat vnuſquiſque veſtrum ex B ſemetipſo, ſi reconcilietur vel non reconcilietur Deo, quamuis reconciliari eius Eccleſiæ noſtro videatur miniſterio; & ſciat per quem fiat, vel quid ſit ipſa reconciliatio. Loquitur beatus Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios ſpecialiter; omni autem Eccleſiæ generaliter: *ſi qua in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua omnia, Omnia autem ex Deo qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum, & dedit nobis myſterium reconciliationis.* Diligenter (quæſo) attendite quæ ſit iſta noua creatura, & ipſi ſtudete noua eſſe creatura, quia non vetera quãdiu manent vetera, ſed noua recõciliat ſibi Deus Pater per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & per eos quibus dedit reconciliationis miniſterium: Vetera autẽ ſunt peccata, ad veterem hominẽ pertinentia; quæ ſunt, C infidelitas, iniuſtitia, inobedientia, cõcupiſcentia mala, auaritia, rapina, adulterium, homicidiũ, furtum, falſum teſtimonium, & quæ idem Apoſtolus ad Galatas enumerat, dicens: *manifeſta ſunt opera carnis:* idem, *opera peccati, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, ira, rixa, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Qui ergo ex vobis talibus & his ſimilibus inuoluti ſceleribus fuerint, & per confeſſionem ac pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint; ſed adhuc in hac vetuſtate perdurant, non ſe à nobis reconciliari poſſe exiſtimẽt, niſi priùs veterem hominem cum actibus ſuis nunc enu- D meratis expolient, & nouum induant, & ipſi in eodem nouo homine (id eſt, in Chriſto) noua creatura (id eſt, noui homines) per pœnitentiam fiant, ſicut dudum per Baptiſmum facti fuerant, vt hoc Apoſtoli dictum illis meritò conueniat, *vetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua omnia.* Si igitur condignam Deo pœnitentiam obtuliſtis de præteritis, & ſic hæc eadem vlterius admittere nõ vultis; ſed cum Dei gratia & adiutorio, in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate perſeuerare deſideratis: tunc ſcire poteſtis quia noxia vetuſtate exuti, noua creatura facti eſtis, & verè Deo reconciliamini per Chriſtum & per nos quibus dedit miniſterium reconciliationis: & ita gaudentes, Apoſtolum ad vos & de vobis dicentem audietis, *hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſan-* E *ctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Si autem (vt diximus) aliter eſt, nemo veſtrum ſe fallat, nemo ſe ſeducat, nemo circumueniat: non enim poteſt Deus ſicut homo, vllis decipi fraudulentijs, clamante omnibus Apoſtolo: *Nolite errare, Deus non irridetur.* Qui enim peccando factus eſt ei inimicus; niſi ſatisfaciendo, non poteſt reconciliari vt fiat amicus. Reconciliatio námque eorum eſt, qui anteà inimici fuerunt: & conciliantur amici, reconciliantur inimici. In reconciliatione autem veſtra, nolite nos Epiſcopos attendere vt auctores, ſed vt miniſtros: nam quis ſit auctor, manifeſtat nobis idem egregius Gentium doctor: cùm etiam dixiſſet, *Ecce facta ſunt noua omnia*, addidit: *omnia autem* (id eſt, inuocationis genera) *ex Deo qui reconciliauit nos ſibi*

per

1. Cor. 11. *Exhortatio ad Pœnitentes Eccleſia reconciliandos.* *1. Cor. 5. 17.* *Gal. 5. 15.* *2. Cor. 5.* *1. Cor. 6. 11.* *Gal. 6.* *Epiſcopi, non authores ſed miniſtri reconciliationis pœnitentium.* *2. Cor. 5. 17.*

Digitized by Google

per Chriſtum. Ecce per quem fit reconciliatio; ſcilicet per Chriſtum, qui eandem nobis procurans per ſuam paſſionem rediſt ad præmium. Sed ne imperfectum remaneret, quod procurauerat, & quoniam ipſe quidem corporalem pœnitentiam ab eis abſcondebat quibus ſecundum diuinitatem dignatus erat polliceri, *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem Sæculi:* dedit Apoſtolis ſuis nobiſq; eorum ſucceſſoribus, poteſtatem ligandi atq; ſoluendi in cœlo & in terra; quam poteſtatem ſoluendi, vocat Apoſtolus *miniſterium reconciliationis.* Ideóque quia vices Chriſti agimus; quos ille inuiſibiliter abſoluendo, dignos ſua reconciliatione iudicat; nos, viſibiliter reconciliando, per officium noſtri miniſterij abſoluimus: Eos verò qui funibus peccatorum ſuorum, ante Dei conſpectum, adhuc tenentur adſtricti, nos quomodo abſoluere poſſumus? Nam quamuis Deus (ſicut dicit ſanctus Leo Papa) ſic ſuæ bonitatis præſidia ordinauerit, vt indulgentia ipſius niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri; quia Mediator Dei & hominum Dominus Ieſus Chriſtus, hanc Eccleſiæ Præſulibus poteſtatem tradiderit, vt & confitentibus ſatiſfactionem & pœnitentiam darent; & eoſdem, ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per medicinam reconciliationis admitterent: huic tamen operi inceſſabiliter ipſe Saluator interuenit, nec vnquam ab his abeſt quæ Miniſtris ſuis exequenda commiſit. Quæ à vobis dicta ſint ad cautelæ veſtræ ſtudium; non vt nobis iniiciamus laqueum. Si enim inter vos aliqui ſunt (quod abſit) qui ſe hucvſque pœnitentiam agere ſimulauerint potius quàm verè egerint; neque iſtis de Dei miſericordia deſperandum eſſe dicimus, ſi hodie etiam ad ipſum ſaltem ex toto corde conuertantur, apud quem nullas patitur moras vera conuerſio, dicente ſpiritu Dei per Prophetam: *cum conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit:* Et alibi; *dic tu iniquitates tuas prior vt iuſtificeris:* Itémque, *quia apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio.* Denique multiplex miſericordia eius; ad expiationem criminum, multiplices fructus nobis pœnitentiæ contulit: non enim tantùm ſimplici illo pœnitentię nomine ſalus ęterna repromittitur, de quo Apoſtolus Petrus, *Pœnitemini igitur & conuertimini vt deleantur peccata veſtra:* Et Ioãnes Baptiſta, *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum:* ſed etiam fit abſolutio peccatorum per charitatis affectum, per eleemoſynarum fructum, per profuſionem lachrymarum, per confeſſionem criminum, per cordis & corporis afflictionem; præcipuéque per morum emendationem: interdum etiam per Sanctorum interceſſionem, per indulgentiam quoq; ac remiſſionem noſtram qua peccantibus in nos dimittimus: quibus omnibus modis aboleri poſſe peccata diuina, teſtis eſt ſcriptura. Cum ergo indulgentiæ aditus nobis ſalutares, Dei noſtri potentia ineffabilis patefecerit: quis miſer miſericordiam & ſalutem deſiderans, deſperatione aliqua frangatur; cùm ad veniam, etiam multiplicibus remedijs, inuitetur? Oportet igitur dum tempus eſt, nos per hæc & his ſimilia, ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia; & ex fide credere indubitanter, pœnitentia iſtiſque modis relaxari poſſe peccata, *quia Deus non vult mortem peccatoris ſed vt conuertatur & viuat,* ſicut ipſe dicit in Euangelio: *venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* Si enim ille qui eſt ſcrutator cordium & renum, proſpexerit noſtrum ſpiritum contribulatum; gratum ſibi acceptabit ſacrificium, quia non ſpernit *cor contritum & humiliatum.* Ipſe enim vt doceret, his medijs à morte ad vitam nobis fore redeundum; ante ſuam paſſionem Lazarum ſuſcitaturus quatriduanum, fleuit mortuum, *infremuit ſpiritu,* & volens *turbauit ſeipſum,* vt nobis ſignificaret quomodò flere, fremere, & turbari debeamus, cùm peccatis mortui eorum nimia mole premimur; ſi reuiuiſcere deſideramus. Benignus igitur Deus qui iuſſit à Lazaro remoueri lapidem, & ſic demùm Patri gratias agens cum magna voce clamauit, &

Marc. 28
2. Cor. 5.
Abſolutio viſibilis inuiſibilis.
Ioel. 2.
Iſa. 43
Pſal. 129.
Act. 3.
Matth. 3.
Luc. 3
Medicina multiplex contra peccata.
Ezech. 18.
Luc. 19.
Pſal. 50.
Ioan. 11.

A viuificauit; qui eſt reſurrectio & vita: à nobis grauem peccatorum molem remoueat; nóſque omnes ad gloriam ſuam, occulta intus gratia viuificare & reſuſcitare dignetur: qui cum coæterno Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

In cœna Domini, de ſacrificio Abrahæ & Iſaac

HOMELIA V.

INTER quotidiana Scripturarum ſtipendia quibus veſtræ mentes reficiuntur (fratres) meditando in lege mandatorum Dei die ac nocte vnum ex maioribus ferculis charitati veſtræ porrigam cyatum, vt in hac tanta celebritate feſtiuum habere poſſitis conſortium. Cyatum autem ſpondeo, quia fialam propinare nequeo: per fialam quippe doctrina exuberans; per cyatum verò, parua ſcientia demonſtratur. Si ergo mediocritate cenſus mei, intrare in ſanctuarium Dei nequeo; proptereà minùs tacebo: ſeruus namque qui vnum talentum acceperat, ideò damnatur quia illud ad erogandum non dederat. Sanè huius Dominicæ cœnæ veneranda ſolemnitas, præter ea quæ Chriſtus corporali pœnitentia exhibuit; multis ante legem, multis ſub lege refulſit miniſteriorum oraculis. Quid eſt, fratres mei, quòd iam ſenex Abraham, qui pater excelſus Iſaac filium, qui riſus interpretatur, genuit; niſi quia ſeneſcente iam mundo, Pater de cœlis Filium ſuum in terris, pro redemptione humani generis naſci voluit. Abraham Iſaac filium ſuum ad immolandum Deo obtulit; quapropter, vnigenitum Filium ſuum pro nobis omnibus tradidit: & ſicut Iſaac ipſe ſibi ligna portauerat quibus erat imponendus; ita & Chriſtus geſtauit in humeris lignum crucis ſuæ, in quo erat crucifigendus. Sed illud quod figuratum eſt in Iſaac, transgeſtum eſt ad arietem: cur? quia Chriſtus ipſe Ouis; ipſe Filius; ipſe Agnus: Filius quia natus, Aries quia immolatus: ſed quid eſt quòd in vepribus hærebat Aries ille? Crux cornua habet: ſi enim duo ligna compinguntur ſecum inuicem, & ſpecies crucis redditur; vnde & ſcriptum eſt de eo; *Cornua in manibus eius.* Cornibus ergo hærens aries, crucifixum Chriſtum ſignificabat: vepres autem, ſpinæ ſunt; & ſpinæ iniquos ſignificant & peccatores qui ſuſpenderunt Dominum in Cruce. Quod autem Aries occiſus eſt, & Iſaac occiſus non eſt; ideò factum eſt, quia Iſaac figura & non veritas erat, & in eo deſignatum eſt quod poſtea in Chriſto cõpletum eſt; beatus enim Presbyter Ieronymus ſcribit quòd ibi oblatus eſt Iſaac vbi poſtea crucifixus eſt Chriſtus; cuius paſſio, noſtra eſt ſalus, & liberatio: quam dignè celebrantes, myſteriorum huius Dominicæ cœnæ, ipſe de quo loquimur nos capaces & conſortes efficiat Ieſus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit in ſæcula ſeculorum, Amen.

Matth. 25.
Geneſ. 22. 4
Gen. 22.
Abac. 3.

In Cœna Domini; de non procraſtinando in agenda Pœnitentia.

HOMELIA VI.

QVIA (Fratres mei) de his eſtis, ſicut ait Apoſtolus, quibus *lac opus ſit, non ſolidus cibus:* Ideò ruſtico ſermone vos alloquimur, vt ſi myſteria ſecretorum capere non poteſtis, ſaltem vel minima cibi cœleſtis in ventris memoria reponatis. Et quia hæc Dominicæ cœnæ ſacra feſtiuitas, multa in ſe habet myſteria; ideò ſpecialiter in ea pœnitentibus, confugium vnicum videtur eſſe ad Dominum. Et non ſolum publicè pœnitentibus, ſed etiam omnibus Chriſtianis; quia licet nos in aperto à ſe Eccleſia non abiecerit ſicut illos; tamen omnis vita Chriſtiani ſemper in pœnitentia & compunctione debet conſiſtere. *Nemo enim mundus à ſorde, nec infans ſi ſit*

Hebr. 5.
Chriſtiani tota vita debet in pœnitentia conſiſtere.

Ioan. 25. Rom. 3.

vnius diei vita eius ſuper terram: omnes enim *peccauerunt & egent gloria Dei*, vt ait Apoſtolus; *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*. Tribus namque modis, capitalia crimina damnantur, & minuta iugiter redimuntur. Attentiùs cogitemus quòd ſi quamdiu viuimus cum bonis operibus agimus, plenam nobis ſecuritatem de Dei miſericordia pollicemur. Cùm enim omnes homines pœnitentiam velint in fine vitæ ſuæ accipere, vix paucos videmus eam, ſecũdum quod deſiderant adipiſci. Quanti enim qui ſe ad extremum vitæ ſuæ pœnitentiam acceptuтos eſſe credebant, aut ſubita ruina oppreſſi ſunt, aut fortè naufragio demerſi, aut ſanguinis ictu, vel illa infirmitate quæ apoplexia dicitur & neruorum contractio, ita percuſſi ſunt, vt non ſolùm pœnitentiam petere, ſed etiam ſignare ſe aut orationem Dominicam dicere omnino non poſſent? Cùm verò tantis caſibus fragilitas humana ſubiaceat; nimis periculoſa eſt deſperatio; vt non in longa tempora nos ad agendam pœnitentiam reſeruemus, qui vnius diei vitam in poteſtate habere non poſſumus. Et ideò cum timore & tremore audiamus Dominum dicentem per Prophetam; & pia nos adhortatione monentem: *noli tardare conuerti ad Dominum*. Et vt hoc obtinere, Deo auxiliante poſſimus; iugiter ſupplicemus; vt nobis pius Dominus inſpirare dignetur, omnia mala velociter fugere, & ea quæ bona ſunt infatigabiliter exercere; res alienas non concupiſcere, capitalia crimina non admittere; minuta peccata ſine quibus eſſe non poſſumus, per indulgentiam inimicorum & eleemoſynam pauperum indeſinenter redimere; & ſecundum vires noſtras, ieiunijs, vigilijs & orationibus, cum perfecta charitate frequenter inſiſtere; infirmos viſitare, in carcere poſitos requirere, peregrinos excipere, & eis humiliter pedes abluere: nec ſolùm nos ipſos pacem cum omnibus cuſtodire; ſed etiam illos qui diſcordes ſunt, ad concordiam reuocare. Si nos tantis operibus fideliter occupatos, dies tranſitus noſtri inuenerit; ſicut iam dixi, etiam ſi in hora mortis noſtræ pœnitentiam accipiamus: ſecuri de hac luce migrabimus: & non ſolùm pœnas euadere, ſed etiam ad æternam vitam poterimus donante Domino fœliciter peruenire.

Pauci in exitu pœnitentiã accipiunt.

Eccl. 5.

Minuta peccata.

Ad publicè pœnitentes; vt ſeriè pœniteant: Ad cæteros verò, de illorum reconciliatione gratias Deo agant.

Homelia VII.

DEus omnipotens iuſtus & miſericors, qui inæſtimabili pietate hominem perditum; opprobria & contumelias; & ad vltimum, mortem ſuſtinendo reformauit vitæque reſtituit, & ad cœli palatia tranſtulit: ille ſcrutator cordium & renum, intrinſecùs corda noſtra inſpicit; & diuinitatis ſuæ potentia conſiderat ſi per lamenta pœnitentiæ illi ſatisfeciſti: nos autem qui puri homines ſumus, tantummodò facies intuemur. Vnde ſaluti veſtræ conſulentes, hortamur vt ſi quis veſtrum fictè pœnitentiam accepit, aut pœnitere diſſimulauit, ad recõciliationis ſacramentum nullatenus accedere præſumat; ſed magis ſordes ſcelerum diluat fontibus lachrymarum cæterarumque operibus virtutũ. Si verò quantum humanæ fragilitati ſcire permittitur, dignè pœnituiſtis; & deinceps ne talia facere velitis, tota mentis cõtritione promittitis, dexteras manus veſtras in ſublime extendite vt ab hinc cœleſtem conuerſationem, & vitam Deo dignam gerere oſtendatis. Omnes verò in commune Deum laudare, benedicere & glorificare debemus, qui eos quos inuidia diaboli diuerſorum fœdauit contagione vitiorum, & quaſi ſuos hactenus habuit; nunc iam per pœnitentiam mundatos, & intra ſinum Eccleſiæ reuocatos videmus; illius tenera dono ac aſpiratione, qui *Vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Vnde oportet (Fratres) vt magis magiſque, ſemper Domini timorem præ oculis habeatis, qui vos velut pius Paſtor ad paſcua vitæ cœleſtis inuitat & remunerare deſiderat; per omnia illi gratias agentes, & obſecrantes vt de præteritis male actis, veniam vobis tribuat, & de futuris cautelam concedat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cuius honor & gloria manet per omnia ſæcula, Amen.

Dextra manus eleuatio per pœnitẽtes ad ſignum permutatæ.

1. Tim. 2.

In die Cœnæ Domini; ad Clerum, Plebem, & publicè Pœnitentes.

Homelia VIII.

QVia metuenda pariter & deſideranda Dominicæ Cœnæ Sacramenta celebramus (Fratres chariſſimi) hæc nos dignè exequi poſſe minimè credimus, niſi veſtris orationibus fulciamur. Et metuenda ſunt quidem, quia Sacramentorum tam magnifica myſteria ab indignis tractantur: deſideranda verò, quia in his tutiſſimũ noſtræ ſalutis ſperamus habere ſuffragium. Spem veniæ peccator accipit; captiuitas ſuperata recedit; Et de conuerſis peccatoribus, gaudium eſſe in cœlo coram Angelis Dei, veritatis vocem cantãtes nouimus. Licet enim in nobis non ita exuberans inueniatur doctrina, vt meritò æquiparari valeamus, *homini patrifamilias qui profert de theſauro ſuo noua & vetuſta*; noua ſcilicet, de ſuauitate regni; Vetuſta, de terrore ſupplicij: tamẽ quantulumcúmque ſupernæ dulcedinis hauſtum Domino inſpirante guſtantes, libauimus ipſum charitatis veſtræ mentibus, & tanquam fidiſſimis nũmularijs infudimus; quia Dominicæ diſpenſationis pecuniam veſtræ ædificationi creditam, dictis & operibus exercere valetis. Sed quoniam legiſlator Moyſes cum quo loquebatur Deus *velut homo ad amicum* ſuum, conſilio indiguit Ietro cognati ſui: & Paulo Apoſtolo qui *vſque ad tertium cœlum* raptus fuiſſe dignoſcitur; ob humilitatis cuſtodiam *datus eſt ſtimulus carnis ne magnitudine reuelationum* extolleretur: non abs re veſtræ charitati ſuggerimus, & ſemper ante oculos habere monemus (quamquam induſtriæ veſtræ non ignotum eſſe credamus) quodquidem Sapiens ſalutaribus breuiter edocuit verbis; *in omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua; & in æternum non peccabis*. Duæ namque ſunt mortes in vnoquoque noſtrum: vna videlicet animæ per peccatum; & altera corporis, propter peccatum ad pœnam peccati. Mors verò animæ eſt, quando Deus illam deſerit ob multitudinem peccatorum; & mors eſt corpori, quando ab anima deſeritur. Et duæ ſunt reſurrectiones; vna animæ in Eccleſia per verbum Filium Dei, quando per gratiam eius reſurgit à morte iniquitatis: & *hæc eſt reſurrectio prima*; quam qui habet, in ſecunda quæ eſt corporis, fœliciter reſurget in vitam æternam per Verbum Dei carnem factum Filium hominis qui accepit *poteſtatem iudicium facere*: Quod iudicium, in fine ſæculi erit; & ibi non erit reſurrectio animarum ſed corporum. Petamus igitur corde contrito & humiliato cum lachrymis, bonis operibus ſuffragantibus; nos ſuſcitari à morte animæ in præſenti vita, vt viuamus in Chriſto; & vt reſurgentes corpore in fine ſæculi, æternaliter viuamus cum Chriſto. Habeamus ſedulò ante mentis oculos, horam exitus noſtri de corpore; præueniamus Dei faciem in confeſſione peccatorum noſtrorum, & lachrymis, & bonis operibus indulgentes his qui nos peccauerunt, vt indulgentiam peccatorum noſtrorum obtinere poſſimus apud Dei miſericordiam: & non negligamus bona quæ nunc agere poſſumus, quia exuti corporibus, poſtea, bona vel mala gerere non poterimus, ſed pro his quę in iſto ſęculo egerimus, condignam remunerationem in illo accipiemus ab eo qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Vos etiam Sacerdotes qui per ſingulas Parochias veſtræ ordinationis, gregi dominico præeſtis; admoneo vt mecum, forma &

Cœna Dominica Sacramenta, & metuenda ſunt & deſideranda.

Luc. 15.

Matth. 13.

Matth. 25.

Exod. 33.

2. Cor. 12.

Eccleſ. 7.

Corporis & animæ mors & reſurrectio.

Reſurrectio prima & ſecunda.

Apoc. 20.

Ioan. 5.

Pſal. 94.

Sacerdotes per ſingulas parochias præfecti Gregi Dominico.

exemplum

exemplum benè viuendi ſitis omnibus vobis ſubiectis, dicente Domino: *Sanctiſ eſtote, quoniam ego Sanctum ſum, dicit Dominus Deus veſter.* Porrò ſi quemlibet veſtrum remordet alicuius perpetrati facinoris conſcientia, qua fronte poteſt redarguere quemlibet, in ſimile crimen, prolapſum? Quocirca præ oculis habere debemus increpationem illam quæ diuina voce, per Pſalmiſtam, Sacerdotibus peruersè viuentibus dicitur; *quare tu enarras iuſtitias meas & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum?* Vnde (Fratres) omni cuſtodia muniamus cor noſtrum, petentes Domini miſericordiam; vt cum omni ſimplicitate & modeſtia atque puritate mentis & corporis noſmetipſos regamus, plebémque nobis commiſſam pabulo diuinæ exhortationis paſcamus; & quicquid exceſſerint, digna emendatione & monitione corripiamus, ne illud incurramus Propheticum: *ſi* (inquit) *adnunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, animam tuam liberaſti: ſi autem non adnunciaueris, ille quidem in iniquitate ſua morietur; ſanguinem vero eius de manu tua requiram:* ſed potiùs audire mereamur; *euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.* Hoc poteſt etiam tradi quod Eli Sacerdos qui non corripuit filios; morte mulctatus eſt: ipſi quoque filij eius mortui ſunt, & Arca Dei capta eſt, & hoc Sacerdotio poſteritas eius priuata eſt. Phinees è contra, quia zelo Dei accenſus, fornicarios peremit, Sacerdotio Domini voce, functos eſt in æternum.

Leuit. 11. 19. & 20. — *Pſal. 49.* — *Ezech. 33.* — *Matt. 25.* — *1. Reg. 4.* — *Num. 25.* — *Pſal. 105.*

Pius & miſericors Dominus ſciens infirmitatem generis humani, ſine qualibuſcúmque peccatis præſentem vitam non poſſe tranſigere, talia medicamenta dignatus eſt prouidere quæ non ſolùm diuites, ſed etiam pauperes, abſque vlla excuſatione poſſent peccatorum ſuorum adhibere vulneribus. Quæ autem ſunt iſta medicamenta? Illa vtique duo de quibus Deus dixit; *date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis;* pertinet ad eleemoſynam quæ datur eſurientibus, nudis atque captiuis; *dimittite & dimittetur vobis,* pertinet ad eleemoſynam per quam indulgetur omnibus inimicis, dicente Domino; *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, & Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Satis delicatè nobiſcum agitur, quando in poteſtate noſtra datur qualiter iudicemur in die iudicij: *Si enim dimiſeritis* (inquit) *dimittetur vobis;* ſi non dimiſeritis, non dimittatur vobis. Sed dicit aliquis; non poſſum indulgere inimicis mei: cui nos reſpondemus; ſi non habes peccatum quod tibi indulgeat Deus, non debes indulgere proximo tuo; ſi verò incomparabiliter plus peccaſti tu Domino, quam in te peccauerit homo; quare iubente Domino non dimittis parum, vt tibi Dominus dignetur dimittere multum? cum grandi timore conſideranda eſt illa terribilis & metuenda Dei noſtri ſententia quam ſeruus ille crudelis audire meruit: *ſerue male, omne debitum dimiſi quoniam rogaſti me; nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Et quid poſt hæc? tradidit eum tortoribus donec redderet vniuerſum debitum: & vt hæc, etiam tardioribus inſinuaret; adiecit: *ſic & Pater meus cæleſtis faciet vobis ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Nam qui hæc implere noluerit, ipſe ſibi ianuam diuinæ miſericordiæ claudit; quia quælibet reliqua opera quæ quiſque fecerit, omnia euacuabuntur, ſi in eo charitas veſtra non fuerit, quæ non ſolùm amicos, ſed etiam vſque ad ipſos perueniat inimicos. Non enim mentitur Apoſtolus Paulus in quo Chriſtus loquebatur: *ſi diſtribuero,* ait; *in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt:* Et; quia *radix omnium malorum eſt cupiditas,* & radix omnium bonorum eſt charitas. Debet ergo vnuſquiſque à ſe eradicare quod malum eſt, & inſerere in ſe quod bonum eſt. Itaque qui per odium & iracundiam, radicem in ſe charitatis extinxerit, nihil in eo, vnde ad æternam vitam perueniat remanebit. Ille verò qui ſupradicta mala in corde ſeruat, & credit ſe multa eleemoſynis peccata ſua poſſe redimere; audiamus de eo Dominum in Euangelio dicentem: *ſi offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & nunc veniens offeres munus tuum.* Sententia iſta euidenter oſtendit, quod ſacrificium offerre vel eleemoſynas facere nihil proderit niſi priùs reconciliatio præceſſerit inimici. Nam quòd etiam orationem noſtram Dominus non velit audire ſi odium voluerimus in corde ſeruare; ipſe in Euangelio dixit: *qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Et iterum: quid prodeſt, *quòd dicitis mihi; Domine, Domine; & non facitis quæ dico?* Quæ ſunt iſta quæ Dominus ſpecialiter ſe dixiſſe aſſeruit? Vtique illa quæ ad pacem & concordiam pertinent; *diligite,* inquit, *inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos:* Et illud; *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis:* Et illud; *in hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem:* non enim tam res noſtras, quam noſipſos deſiderat Deus: & quia nos ſcit multùm amare terrenam ſubſtantiam; ideò vult ſibi offerri quod amamus, vt ſecundùm illius præceptum *vbi* præceſſerit *theſaurus* noſter illuc ſequatur *& cor* noſtrum. Quis non contremiſcit illam beati Ioannis ſententiam; *qui,* inquit, *fratrem ſuum odit, homicida eſt.* Et iterum: *qui dicit ſe in lumine eſſe, & fratrem ſuum odit: in tenebris eſt vſque adhuc, & neſcit quò eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Vt autem hæc quæ ſupra diximus, pleniùs & euidentiùs poſſitis agnoſcere, ſcitote veraciter quia nullus homo poteſt Dei miſericordiam promereri, qui charitatis præcepta contemnit, aut inimicis ex toto corde non vult indulgere. Ad hoc enim pertinet quod Paralyticus ille qui in Euangelio curatus à Domino deſcribitur, triginta & octo annis iacuiſſe in infirmitate refertur. Duo enim minùs habuit à quadraginta; Quadragenario ſiquidem numero curſus vitæ noſtræ, & conuerſatio noſtra myſticè deſignatur: Et ideo ante Paſcha, quia præſentem vitam ſignificat, xl. dierum ieiunium obſeruamus; vt Paſcha quod æternæ vitæ imaginem habet, cum gaudio celebrare poſſimus. Moyſes quadraginta diebus ieiunauit, Elias verò eundē numerum ieiunando compleuit; & Dominus ac Saluator noſter, nihilominus quadragenarium ieiunium conſecrauit; & in eremo populus Iſraeliticus quadraginta annis eſt demoratus poſtquàm meruit de Ægyptia ſeruitute liberari. Languidus ille de quo in Euangelio legimus, qui triginta & octo annis in infirmitate iacuit; typum generis humani habere videtur, habens duo minus à quadragenario numero. Quæ ſunt iſta duo, niſi duo præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, & dilectio proximi; quæ duo talia ſunt, vt ſine ipſis reliqua nihil poſſint. Sane qui hæc duo in quibus tota Lex pendet & Prophetæ, non habuerit; languidus Paralyticus iacet; venit autem Chriſtus, qui per gratiam ſancti Spiritus exhibuit nobis iſta duo. Denique & pro illo qui inciderat in latrones; duos denarios dedit: & apud Samaritanos, duos dies tranſegit vt in eis charitatem Dei & proximi confirmaret. Et vidua illa in typo Eccleſiæ, duo æra miſit in Gazophilacium, & Dominus, ad prædicandum, bipertita charitate binos diſcipulos deſtinauit: Iſta enim duo ante aduentum Chriſti, humanum genus habere non meruit. Quid ergo huic paralytico Dominus dixerit, audiamus: *Surge, tolle grabatum tuum:* Iſta duo languidus ille minùs habebat. Quid enim eſt, *Surge;* niſi Dominum dilige? Omnis enim qui Dominum diligit, cor habet ſurſum. Et quid eſt, *tolle grabatum,* niſi dilige proximum? Cur autem proximi dilectio per grabatum deſignetur; Apoſtolus dicit: *Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Ergo ſi præuentus fuerit in aliquo Frater tuus, portetur à te: & ſi tu præuentus fueris, ſuſtineat te. Vt hæc igitur obtinere poſſimus, profuſis imploremus precibus, vt charitas Dei quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non ex nobis,

Marginal notes: *Duo medicamenta peccatorum.* — *Luc. 6.* — *Matt. 11.* — *Indulgere inimicis, ſpecies eſt eleemoſynæ.* — *Matth. 6.* — *Iniurias eſſe condonandas.* — *Matth. 18.* — *1. Cor. 13.* — *Matth. 5.* — *Ioan. 14.* — *Matth. 5.* — *Ioan. 14.* — *Matth. 6.* — *Luc. 12.* — *Quadragenimalis ieiunij myſterium.* — *Exod. 34.* — *3 Reg. 19.* — *Luc 10.* — *Ioan. 4.* — *Marc. 12.* — *Luc 21.* — *Marc. 6.* — *Luc. 10.* — *Gal. 6.*

ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, in nobis iugiter permaneat donec contemplationi diuinæ viſio- [A] nis illæſos aſſiſtere faciat. Rogo vos vt diligentiùs conſideretis, & quantùm poteſtis expaueſcatis vel caueatis, ne vobis ille crudelis humani generis inimicus ita ſubripiat, quomodò ſolet incautos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus & adulteris, inceſtuoſis & ſacrilegis, vanam ſecuritatem ingerit; vt cùm crimina quotidiana committant, putent quod Deus corruptorum iudicum more, pecuniam accipiat & peccata dimittat. Accipit planè Deus pecuniam, & eleemoſynis delectatur; ea tamen ratione vt vnuſquiſque peccator quando offert Deo pecuniam, offerat illi & animam ſuam. Quænam (fratres) iuſtitia eſt, vt aliquis criminoſus pecuniam ſuam per eleemoſynam Deo offerat, & animam ſuam [B] diabolo per iniqua opera tradat? In pecunia imaginem Imperatoris offert Deo; & in ſeipſo, imaginem Dei tradit diabolo, cùm Dominus dicat in Euangelio: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Quomodò in nummo imaginem Cæſaris, ſic in vobis ipſis reddite Deo imaginem Dei. Nam quamlibet largas eleemoſynas aliquis tribuat; ſi capitalia crimina non declinat, timeo ne falſa temeritate deceptus, & pecuniam perdat & peccatum non redimat. Aliud eſt enim mutare vitam, aliud tolerare vitam. Mutare vitam eſt, à capitalibus criminibus abſtinere: Tolerare eſt, minuta peccata ſine quibus eſſe non poſſumus, eleemoſyna quotidiana redimere. Nam qui ſubſtantiam ſuam tribuit Deo, & animam ſuam offert inimico; impletur in [C] eo quod ſcriptum eſt: *qui baptizatur à mortuo & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Quam rem Apoſtolus exprimens ait; *canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Quod & ipſe Dominus in Euangelio confirmat: *ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Quod denuò Salomon conteſtatur & clamat. *Fili, peccaſti? ne adiicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare vt tibi remittantur.* Quam rem non de minutis peccatis, ſine quibus eſſe non poſſumus; ſed de capitalibus criminibus dixiſſe manifeſtum eſt. Duo namque iudicia in ſanctis Scripturis legimus; vnum per aquam in diluuio quod præfigurauit baptiſmum in quo ab omnibus peccatis mundati ſumus: & aliud quod futurum eſt per ignem, quando veniet Deus ad [D] iudicium; de quo Pſalmiſta ait: *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit, ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida:* vt tempeſtas examinet, quos ignis exuret. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, nec ab æterno (quod abſit) nec ab illo igne tranſitorio exuramur: de quo igne iudicij Dei, Apoſtolus ait; *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit:* quod de igne purgatorio eum dixiſſe non eſt dubitandum. Quem ignem, aliter impij ſentient, aliter ſancti, aliter iuſti. Impij ſi quidem de illius ignis cruciatu, ad perpetuas ignium flammas detrudentur: Sancti verò qui ſine omni peccatorum macula, in corporibus ſuis reſurgent; quia *ſuper fundamentum* quod Christus eſt, *aurum, argentum & lapides pretioſos;* id eſt, ſenſum [E] fidei lucidum, eloquium ſalutis clarum, & opera pretioſa ædificauerunt; tanta facultate illi igni præualebunt, quantâ integritate fidei & dilectionis Chriſti in hac vita cuſtodierint præcepta. Erunt ergo quidem iuſti minutis quibuſdam peccatis obnoxij; qui ædificauerunt ſupra fundamentum quod eſt Chriſtus, *fœnum, ligna, ſtipulam;* quæ ſignificant leuium peccatorum diuerſitatem, à quibus non dignè adhuc expurgati inuenientur cum cœleſtis ciuitatis gloria digni inuenientur. Illo quoque tranſitorio igne, & toto extremi iudicij die completo; vnuſquiſque ſecundum modum meritorum, aut damnabitur, aut coronabitur. Illum ergo diem (fratres chariſſimi) tota intentione cogitemus, vitam corrigamus, mores mutemus; mala tentantia, reſiſtendo vincamus; perpetrata autem fletibus puniamus. Aduentum námque æterni Iudicis tantò ſecuriores quandoque [A] videmus, quantò magis nunc diſtrictionem illius timendo præuenimus. Quid enim prodeſt illi qui ieiunat ſuper peccata ſua; & iterum ambulans in ea, hæc eadem facit? vnde magnopere deliberandum eſt, vt ſi bona quædam aliquando inchoauimus, digna perſeuerantia in eis permaneamus, dicente veritate; *qui perſeuerauerit vſque in finem:* ſubauditur; In bonis operibus: *hic ſaluus erit.* Eatenus præterea, mala dignis fletibus puniamus; vt à futuris, ipſo nos cuſtodiente qui non dormitat, in æuum caueamus; quo ante eius conſpectum ſinceri & ſine offenſa, iuxta Apoſtolum valeamus apparere. Eò pertinet quod dictum eſt; *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et Paulus dicit fidelibus; *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Domino.* Viuentes cum bonis operibus in [B] actiua vita; mortui erant peccato; & quaſi iam ſepulti, æternæ vitæ contemplatione. Et idem magiſter Gentium iubet vt exhibeamus *corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Hoſtia quippe occiditur, vt offeratur; Sed hoſtia viuens eſt corpus pro Domino afflictum: quod viuens dicitur, quia viuit in virtutibus, & eſt occiſum à vitijs; Hoſtia verò quia iam huic mundo eſt à prauis actibus mortuum: viuens quoque dicitur quia cuncta quæ præualet, bona operatur. Tales ergo dum poſſumus nos præparemus, quales Domini adiutorio ipſius miſericordia digni ſumus & nunc & quando operari nequibimus. Nunc ad vos ſermo noſter dirigitur, quos mater Eccleſia quaſi non ſuos recognoſcens ob fœditatem ſcelerum veſtrorum, dudum à [C] ſe repulit: modò verò, quia Domino per dignos pœnitentiæ fructus placuiſtis mandantes vos (quantum humana fragilitas permittit) ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, per crebra ieiunia & afflictiones corporum; quaſi iam ſuos ad ſe reuocat. Immenſa namque Dei pietas, ſinum miſericordiæ ſuæ omnibus aperit dicendo per Prophetam, *mox vt ingemuerit ſaluus erit:* & Pſalmiſta inquit; *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Vos ergo non corde redeatis in Ægyptum, ſemel de illius ſeruitute liberati, quia vt beatus Petrus Apoſtolus ait; *non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Jeſu Chriſti.* Et in Apocalypſi [D] Ioannes Apoſtolus: *qui dilexit nos* (inquit) *& lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* quia factus Sacerdos *ſecundum ordinem Melchiſedech*, per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Cur ergo in ſiniſtra parte Eccleſiæ poſiti eſtis? Non ſine cauſa viſus Eccleſiæ hoc obtinuit; verùm quia Dominus in iudicio: *oues;* hoc eſt, iuſtos *à dextris; hædos* verò, id eſt, peccatores à ſiniſtris ponet; hædi enim ſignificant peccatores. Vnde & cilicia quæ ſunt indumenta pœnitentium, è pilis hædorum atque caprarum fiunt: hædus namque in lege, pro peccato ſemper iubetur offerri; ſignat tamen Chriſtum qui in ſimilitudinem carnis peccati oſtenſus eſt, & pro noſtris delictis oblatus eſt: Ipſe enim peccata noſtra portauit in corpore ſuo ſuper lignum. Quocirca ſi ad priſtinam actionis vitam, quantùm Dominus [E] vos cuſtodire dignabitur, redire non valetis; manus veſtras in ſublime porrigentes, oſtendite, quia magis cœleſtia quàm terrena diligitis, & *veſtra iam conuerſatio in cœlis eſt.* His veſtræ promiſſionis ſignis, quibus magis Domino quam diabolo ſeruire promittitis; gaudium nobis permaximum exhibetis, quia vt Dominus patefecit, de conuerſo peccatore *gaudium* fit *in cœlo coram Angelis Dei.* Niſi enim Dominus de conuerſione veſtra gauderet; nullatenus hominem perditum in terris quæreret, & quæſitum morte ſua redimeret. Prodigus etenim filius (hoc eſt; Gentilis populus) qui omnem ſubſtantiam ſuam diſſipauerat viuendo luxurioſè; mox vt ad Patrem rediit, dicendo; *Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis:* ſtatim ab ipſo benignè eſt ſuſceptus, ac pro reditus eius

Minuta peccata eleemoſynis redimuntur. — *Eccleſ. 34.* — *2. Petr. 2.* — *Eccl. 19.* — *Geneſ. 7.* — *1. Petr. 3.* — *Pſal. 46.* — *Ignis tranſitorius.* — *1. Cor. 3.* — *Ignis purgatorius.* — *Minuta peccata.*

Pſal. 31. — *Rom. 4.* — *Coloſſ. 3.* — *Ioel. 2.* — *Pſal. 50.* — *1. Petr. 1.* — *Apocal. 1.* — *Pſal. 109.* — *Pœnitentium locus in ſiniſtra Eccleſiæ parte.* — *Matth. 25.* — *Cilicia ſunt indumenta Pœnitentium.* — *Manuum eleuatio per Pœnitentes.* — *Luc. 15.* — *Ibid.*

Digitized by Google

eius lætitia, vitulus occiſus eſt; ipſeque ſtola prima & calciamentis eſt indutus. Patris huius duo Filij fratres; alter apud Patrem remanſit, alter verò diſſipata ſubſtantia viuendo luxurioſè à patre receſſit. Pater ergo horum fratrum, Deus omnipotens intelligitur, qui habuit duos filios: quorum maior, Iudæos ſignificat, qui in cultura vnius Dei permanſerunt; minor verò vt dictum eſt, populum ſignificat Gentium qui relicto creatore adorauit creaturam. Is autem in ſe reuerſus; id eſt, à noxijs oblectamentis recedens, ad conſciētiam interiorem, mentis intentione redijt: *& ſurgens venit ad Patrem*; hoc eſt, ad ſocietatem Eccleſiæ acceſſit per fidem, vbi eſt legitima & fructuoſa peccatorum confeſſio. *Cùm autem longè eſſet*; hoc eſt, cùm nondum adhuc Deum intelligeret: *vidit illum Pater*; hoc eſt, miſertus eſt illius: *& accurrens cecidit ſuper collum eius & oſculatus eſt eum.* Supra collum filij cadere eſt in amplexus filij brachium inducere. Brachium autem Dei filius eſt; qui à Patre Deo ad hæc infirma mundi miſſus eſt. Oſculatus eſt; cùm videlicet, ad ſpem veniæ peccatorum verbo gratiæ redeūt; cùm per filium diceret; *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Dixitque filius ad Patrem; Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus:* Poſtquam ad Patrem reuerſus eſt: hoc eſt; in Eccleſia poſitus, incipit peccata confiteri. Sed non dicit omnia quæ ſe dicturum ſupra promiſerat; dicit enim: *Iam non ſum dignus vocari filius tuus*; nec addit quæ ſuperiùs ſe dicturum meditabatur *fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis.* Cùm enim adhuc longe eſſet, & Patrem non haberet; cupiebat vel mercenarius eſſe, at poſtquam Patris oſculo meruit honorari; generoſiſſimè iam dedignatur mercenarius eſſe. Multam námque intelligit eſſe diſtantiam inter ſeruum, mercenarium, & filium: ſeruus namque eſt qui adhuc metu pœnarum gehennæ, vel legum mundanarum formidine abſtinet; mercenarius verò eſt, qui deſiderio ac ſpe regni cæleſtis bona agit; filius verò eſt, qui affectu boni, & virtutum amore delectatur, & Deo per charitatem famulatur, quam ſummam & perfectionem omnium Apoſtolus commemorat, dicens: *nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; maior autem horum eſt charitas.* (1.Cor.13.) Ergo prodigus iſte; primo, quaſi ſeruus ad ſe reuerſus, diræ famis ſupplicia cœpit formidare: mox reuerti ad patrem volens; de ſtatu mercenarij cœpit cogitare: poſtquam verò occurrens pater amplexatus & oſculatus eſt eum; oblitus ſtatum ſerui, oblitus & mercedem mercenarij deſolatam, de hæreditate cœpit ſollicitus eſſe parentis: & hoc eſt quod Apoſtolus ait; *perfecta charitas foras mittit timorem.* (1.Ioan.4.) *Dixit autem pater ad ſeruos ſuos; citò proferte ſtolam primam & induite illum.* Stola prima, eſt beata veſtis innocentiæ, quàm protóplaſtus Adam bene à Deo conditus accepit; ſed malè à diabolo deceptus amiſit. Vnde & poſt culpam cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, hoc eſt; gloria immortalitatis perdita, pellicæum, hoc eſt, mortale, acceperunt indumentum. (Geneſ.3.) *Date annulum in manu eius*: per annulum ſignaculum fidei accipitur: Annulum ergo prodigus filius accepit, cùm Chriſtus per fidem Eccleſiam ex gentibus ſibi ſociauit. Dantur & in pedes calciamenta, quæ officium Euangelizandi deſignant. Adducitur vitulus ſaginatus & occiditur: id eſt, ipſe Dominus Ieſus filius Dei, qui benè, vitulus dicitur ſaginatus, quia caro eius ſpirituali pinguedine & virtute opima eſt, adeò vt ſola ſufficerit ad tollenda mundi peccata. Et ait: *Manducemus & epulemur.* Intuendum quid pluraliter dicitur: *manducemus & epulemur*: Pater namque & ſerui illius ſunt epulati: quia noſtra ſalus eſt Patris gaudium, in quo noſtrorum eſt remiſſio peccatorum. Hoc præſignauit olim quod Abraham tribus Angelis hoſpitio receptis, vitulum tenerrimum occidiſſe legitur & eis appoſuiſſe: (Gen.18.) quia immolata pro noſtra redemptione Caro Chriſti totius Trinitatis lætitia eſt. *Et cœperunt epulari*: epulæ iſtæ, nunc in Eccleſia per totum orbem dilatata celebrantur: quotidiè enim in ſancta Eccleſia, vitulus iſte ſacerrimus Deo Patri per Sacerdotes offertur, & in vitam æternam paſcit percipientes: qua cùm quotidiè immolatur, ſemper integer permanet & immaculatus & viuus. (*Vitulus ſacratiſſimus, Deo quotidie per Sacerdotes offertur.*) Quapropter quia tam pium habemus Dominum: nemo de miſericordia diffidat, quæ tunc euidentiùs eminet quando peccator ſanctificatur & abiectus erigitur. Neque enim de qualitate noſtrorum operum, pendet cœleſtium menſura donorum; aut in iſto ſæculo in quo tota vita hominis tentatio eſt, vnicuique retribuitur quod meretur; vbi, ſi iniquitates noſtras obſeruaret, nullus iudicium ipſius ſuſtineret: Grauiter namque peccantem cum peccatis ſuis non perdidit, ſed miſericorditer ad veniam reuocauit teſtante Apoſtolo Paulo: (1.Tim.1.) *fidelis* (inquit) *ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Habeamus ergo (Fratres chariſſimi) fiduciam de miſericordia Conditoris noſtri: Cogitemus quæ facimus, recogitemus quæ fecimus; largitatem ſupernæ pietatis aſpiciamus, & ad miſericordem Iudicem, dum adhuc expectat cum lachrymis veniamus. Conſiderantes namque quod iuſtus ſit, peccata noſtra non negligamus; conſiderantes verò quòd pius ſit, non deſperemus. Præbet apud Dominum, nobis hominibus peccatoribus fiduciam Deus homo, eſt nobis ſpes magna pœnitentibus, quia aduocatus noſter, factus eſt Iudex noſter, qui *non vult mortem peccatoris ſed vt conuertatur & viuat.* (Iſa.6.) Et licet (fratres chariſſimi) per diuinam gratiam nobis collatam, & per impoſitionem manuum Epiſcopalium, credatis vos poſſe abſolui à peccatorum veſtrorum vinculis, (*Epiſcopalium manuum impoſitio.*) quia ſtatim reſtituemini ſacris altaribus: nullus tamen debet vitam ſuam negligere; ſed omni vitæ ſpatio (tanquam in ipſo pœnitentiæ rigore poſitus) debet ante oculos habere mala quæ fecit; ne ſecuritate torpens, rurſus ad eadem aut ad maiora flagitia prolabatur, dicens cum Pſalmiſta; *quoniam iniquitatem meam cognoſco, &c.* (Pſal.50.) Eſaias quoque peccatoribus dicit, *lauamini, mundi eſtote.* (Iſa.1.) Lauatur itaque & mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterum non admittit. (*Vera pœnitentiæ modus.*) Lauatur, & non eſt mundus, qui plangit quæ geſſit, nec deſerit; & poſt lachrymas, ea quæ fleuerat repetit. Sic denique & alibi animam pœnitentem, atque iterum delinquentem, ſermo diuinus increpat, dicens: *quam vilis facta es nimis iterans vias tuas!* (Hier.2.) Quiſquis ergo culpas præteritas plangit; hunc neceſſe eſt modum teneat, vt ſic amiſſa defleat ne iterum flenda committat; quatenus diuino munitus auxilio, facinora quæ geſſit, ſeuera corporis afflictione & Eleemoſynarum largiflua redemptione purget atque conſumat: ſicque renouatus irriguis lachrymarum fontibus, ante conſpectum tremendi iudicis mundus appareat; dignè, ab ipſo, pro benefactis quæ fecit coronandus. Et quia in hac die ſacratiſſima, fiunt plurima in ſancta Eccleſia, (*Quænam in die Cœnæ Domini fiant in Eccleſia.*) quæ neceſſariò debet ſcire veſtra induſtria, ſicut pœnitentium reconciliatio, ſacri Olei benedictio, ſancti Chriſmatis confectio, fraterna pedum ablutio, Eccleſiarum quoque & ſacrorum vaſorum purificatio; dignum iudicauimus, quantùm Dominus dederit, hæc veſtræ fraternitati diſſerere. Chriſtus itaque in hac die poſt typicum illud Paſcha completum ad verum Paſcha tranſiens, myſterium Corporis & Sanguinis ſui primùm Apoſtolis tradidit, & propter humilitatis formam commendandam eo die pedes eorum lauit; & hinc eſt quòd eodem die, altaria templique parietes & pauimenta lauantur, & vaſa purificantur. (*Parietum & pauimentorum Eccleſiæ ablutio in die Cœnæ Domini.*) Quo die etiam pœnitentes reconciliantur; quia ſcilicet ipſa die qua Sacramenta Corporis & Sanguinis ſui Dominus primum confecit ac diſcipulis tradidit; oportebat, vt ad hæc præſumenda, pœnitentes reſtaurarentur; eo videlicet tempore, quo ſanguis Chriſti in remiſſionem omnium peccatorum fuſus eſt. Eodem denique die, proinde ſanctum Chryſma conficitur, quia *ante biduum Paſcha* Maria caput Domini ac pedes vnguento perfudiſſe perhibetur, (Marc.14. Ioan.12. Matth.26.) Vnde & Dominus

Diſcipulis ſuis dixit; *ſcitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Chryſma igitur, hoc (A) eſt, vnctio à Chriſti nomine ſumpſit vocabulum: Meſſias namque Hebraïcè; Chriſtus Græcè; Vnctus dicitur Latinè. Vnde & Pſalmiſta; *Propterea*, inquit, *vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Cur vnxit te? vt diligeres iuſtitiam & odiſſes iniquitatem; quod ita eſt intelligendum: O tu Deus, id eſt; Fili, nunc te Deus tuus, hoc eſt; Pater, cui es conſubſtantialis & coæternus Filius, vnxit te! Quomodo? Oleo ſcilicet inuiſibili, non viſibili: *oleo exultationis.* Idem, ipſo Spiritu ſancto qui in ſpecie columbæ ſuper illum apparuit, quo etiam conceptus & natus eſt, & de quo ad Baptiſtam dictum eſt: *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptiſat in Spiritu ſancto:* de quo, vt prædiximus, myſticè eſt natus, & ſecundum (B) traditionem ipſius, baptizati renati ſunt: in quo ſolo baptiſmate quod in Catholica celebratur Eccleſia, fit remiſſio peccatorum, per eum *qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Dauid etiam vultus noſtros, oleo exhilarando, id eſt, mentes noſtras, gratia Spiritus ſancti (quam deſignat materialis olei vnctio, qua corporaliter vnguntur fideles) illuſtrandas præcinuit. Vnctus eſt ergo nobis Deus, & miſſus eſt nobis: & ipſe Deus vt vngeretur; homo erat: ſed ita homo erat, vt Deus eſſet. Ita Deus erat, vt homo eſſe non dedignaretur: & ideò vnctus Deus, quia & homo Deus factus eſt Chriſtus. Non potuit apertiùs dici nomen Chriſti quàm vt diceretur, vnctus Deus. Dixit autem, *vnxit:* non dixit, *vncturus eſt:* quia in prædeſtinatione iam factum erat quod B. Petrus in Apoſtolorum Actibus di- (C) xit, *hunc Ieſum à Nazareth quem vnxit Deus Spiritu ſancto.* Vnctus eſt ergo Ieſus vt dictum eſt, non oleo viſibili, ſed dono gratiæ quod viſibili ſignificatur vnguento quo Baptiſatus vngit Eccleſiam. Nec tamen tunc vnctus eſt Spiritu ſancto, quando ſuper eum baptiſatum velut columba deſcendit: tunc enim corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam, præfigurare dignatus eſt, in qua Baptizati, præcipuè accipiunt Spiritum ſanctum iſta myſtica & inuiſibili vnctione. Alij autem reges qui typum illius prætulerunt & regnando, Chriſti conſortes dicti ſunt: oleo corruptibili ſunt vncti: hic verò Dei Filius, ſaluo ſuperiori ſenſu, à Deo Patre, oleo exultationis, hoc eſt Reſurrectionis, Aſcenſionis, Dominationiſque, eſt delibutus: quia Chriſtus natura vnctus, nos per gratiam. (D) Nobis enim ad menſuram datur donum gratiæ, diuidente ipſo *ſingulis prout vult*, In Chriſto autem, vt dixit Apoſtolus, *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Vnde Propheta: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ: & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Omnes verò ſancti, non plenitudinem Spiritus eius: ſed *de plenitudine eius*, quantùm ille donat, accipiunt. Ipſe autem qui exiſtens Deus ante ſæcula, per Spiritum ſanctum in vtero virginis homo conceptus eſt in fine ſæculorum: ibi ab eodem Spiritu vnctus eſt vbi conceptus, nec ante conceptus, & poſtmodùm vnctus eſt: ſed hoc ipſum de Spiritu ſancto & carne Virginis concipi; Spiritu ſancto vngi fuit. Itaque ſunt participes (E) eius, filij hominum, quia & ipſe Filius hominis, particeps factus eſt mortalitatis illorum, vt faceret participes immortalitatis ſuæ; quam immortalitatem aſſequi valemus, ſi modò per confeſſionem dignos pœnitentiæ fructus expiati, & meritis ac orationibus ſanctorũ Chriſto reconciliati, atque per acceptionem Corporis & Sanguinis eius in fide recta permanentes; vnum cum illo facti ſumus, ipſi incorporati in quo Princeps huius mundi & ſuum aliquid requiſiuit & inuenire non potuit, quoniam ſolus eſt *inter mortuos liber*, per quem nos à peccati ſeruitio, veraci iam libertate ſoluimur, quia ei qui verè liber eſt, per Corporis & Sanguinis eius acceptionem vnimur. Sicut enim verè carnem corporis noſtri, Chriſtus aſſumpſit; & verè homo qui ex Maria

Pſal. 44. Hebr. 1.
Ioan. 1.
1. Petr. 2.
Act. 10.
Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.
Pſal. 44.
Coloſſ. 2. Iſa. 11.
Ioan. 1.
Ioan. 14.
Sicut Chriſtus fuit verus Deus & verus homo, ſic eſt vera eius caro quam in Sacramento ſumimus.

virgine natus eſt, Ieſus Dei Filius eſt, non quemadmodum alij homines per gratiam ſed natura filius ex ſubſtantia Patris: Ita vera eſt caro & verus eſt ſanguis eius quem ad manducandum & potandum in myſterio ſumimus, ſicut ipſe teſtatur: Et nos qui verè ſub myſterio carnem & ſanguinem corporis eius ſumimus; per ea, naturaliter vnum cum illo efficimur; in quibus manet poſt conſecrationem ſimilitudo panis & vini, ne ſit quidam horror cruoris, ſed manet in eis gratia redemptionis. De naturali enim in nobis Chriſti veritate ipſe ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus; *qui edit carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo.* De veritate carnis & ſanguinis eius, nullus relictus eſt ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: & hæc accepta atque hauſta; id efficiunt, vt (B) nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit. Eſto ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo dum ſecundum hoc quod nos ſumus in Deo eſt. Sciendum eſt præterea, quia Apoſtolus ipſam acceptionem Euchariſtiæ, Dominicam cœnam vocat. Sed quoſdam mouere poteſt quod Chriſtus diſcipulis, poſtquam cum illo in cœna comediſſent & bibiſſent, Sacramenta corporis & ſanguinis ſui tradidit, ſicut illic ſcriptum eſt. *Cum* (inquit) *illi manducarent, accepit Ieſus panem, & benedixit:* & manducans dixit; *quoniam vnus ex vobis tradet me:* Poſteà enim tradidit Sacramentum; & ſic liquidò apparet, quando primò acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non accepiſſe ieiunos: Nunquid tamen propterea calumniandum eſt Eccleſiæ vniuerſæ (C) inſtitutum, quod à ieiunis ſemper accipitur. Hoc enim placuit Spiritui ſancto; vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani, corpus dominicum intraret priuſquam cæteri cibi; atque ideò per vniuerſum orbem morem hunc eſſe ſeruatum. Namque Saluator quò vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Sed & illud à multis quæritur; ſi quotidie quilibet fidelis debeat corpus & ſanguinem Chriſti accipere; an ſe aliquibus diebus à tanto Sacramento ſubtrahere, cum Apoſtolus dicat; *probet autem ſeipſum homo, & ſic de illo pane edat, & de calice bibat!* Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! Vnde (D) dicit Apoſtolus, *Iudicium ſibi manducat & bibit.* At non bucella Dominica venenum fuit Iudæ; & tamen accepit; & cum accepit, in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit; ſed quia bonum malus malè accepit. Dixerit ergo aliquis; non quotidiè accipiendam Euchariſtiam! quæſieris; quare? quoniam (inquit) eligendi ſunt dies quibus puriùs homo continentiúſque viuat, quo ad tantum ſacramentum dignus accedat, *qui enim manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Alius; contra: Imò (inquit) ſi tanta eſt plaga peccati atque vlcus morbi vt medicamẽta talia differenda ſunt, authoritate Antiſtitis debet quiſque ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam, & eiuſdem authoritate reconciliari. Faciat igitur vnuſquiſque quod ſecundum (E) fidem ſuam piè credit eſſe faciendum: neuter enim eorum exhorret corpus & ſanguinem Domini; ſed ſaluberrimum conſilium illud honorare contendit: neque enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit; Zachæum dico & illum Centurionem; cùm alter eorum, gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum; alter dixerit, *non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Ambo Saluatorem honorificantes; diuerſo, & quaſi contrario modo: Ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti, & ſicut in primo populo vnicuique piorum Manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore vniuſcuiuſque Chriſtiani Sacramentum illud quo ſubiugatus eſt mundus. Nam ille, honorando, non audet quotidiè ſumere; & ille, honorando, non audet in illo die prætermittere. Videte ergo

Poſt conſecrationem manet ſimilitudo panis.
Ioan. 6.
De veritate corporis Chriſti nullus relictus eſt ambigendi locus.
1. Cor. 11.
Matth. 26.
Cur Euchariſtiæ Sacramentum ſumatur à ieiunis.
Rarò an ſæpiùs ſit communicandum corpus Chriſti.
1. Cor. 11.
Luc. 22.
Luc. 19. Matth. 8.
Sacramento corporis Chriſti ſubiugatus eſt mundus.

Digitized by Google

ergo (fratres) quia ſi ſeparemini à Corpore Domini qui fideles eſtis; metuendum eſt ne fame moriamini: ſi autem accipitis indignè; metuendum eſt ne iudicium manducetis & bibatis. *Anguſtia vobis vndique:* veritas dicit, ſi malè viuitis, in æternum moriemini: At non poteſtis benè viuere niſi ille adiuuerit, niſi ille dederit. Ideò orate, & manducate; & implebitur os veſtrum laude Dei & exultatione; & dicetis illi de magnis anguſtijs liberati, *liberaſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea.* Ad inuiſibile altare Dei iuſtificatus peruenit, qui ad hoc, præſens iniuſtus, non accedit, cauſam ſuam. Cui rei concordans Apoſtolus dicit, *quia ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur;* pro illis ſcilicet peccatis de quibus idem Apoſtolus ait, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* In pœnitentia, maiorem in ſe quiſque ſeueritatem debet exercere, vt à ſe ipſo iudicatus non iudicetur à Domino, vt & idem Apoſtolus dicit, *ſi enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.* Aſcendat itaque homo aduerſum ſe, tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud, quòd *oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti* vt illic recipiat vnuſquiſque quæ per corpus geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat: nam minatur hoc ipſum Deus peccatori, dicens: *arguam te, & ſtatuam te ante faciem tuam:* atque ita conſtituto in corde iudicio, adſit accuſatrix cogitatio; teſtis conſcientia; carnifex timor; inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat: Poſtremò ab ipſa mente, talis ſententia proferatur, vt ſe homo iudicet indignum participatione corporis & ſanguinis Domini, vt qui timet ſeparari à regno cœlorum, per vltimam ſententiam ſummi Iudicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur. Verſetur illi ante oculos imago futuri iudicij; vt cùm alij accedunt ad altare Dei quò ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, cùm percipientibus alijs vitam æternam, alij præcipitabuntur in mortem æternam, à qua, his ſacroſanctis myſterijs interuenientibus eruamur; & beatæ reſurrectionis gloria fœliciter induamur, accipientes ſtolam albam (animæ ſcilicet beatitudinem) concorporati noſtro Redemptori: vt ſicut ille & Pater vnum ſunt; ita & nos in ipſis vnum effici mereamur, dignè accipientes corpus & ſanguinem ipſius in remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum, & vitam nobis ſine fine manſuram ipſo præſtante qui ſine fine permanet in ſæcula, Amen.

Pſal. 17.
1. Cor. 11.
Gal. 5.
1. Cor. 5.
Anima iudicium.
Peccatoris à ſancta Communione per Eccleſiaſticã diſciplinã abſentis qualis eſſe debeat cogitatio.
Matth. 15.

A B C D

De vulnerato Samaritano.

Homelia 9.

VVLNERATOS vos video (fratres mei) vulneratos vos video: & quod eſt deterius, non vulneribus corporum, ſed vulneribus animarum. Animarum enim vulnera, tantò ſublimiora ſunt & immedicabilia, quantò natura animæ ſubtilior eſt corpore. Corpus enim videtur & tangitur; anima verò inuiſibilis eſt impalpabilis; Vnde & requirit cœleſte medicamentum illius Samaritani; id eſt, cuſtodis totius humani generis Domini Ieſu Chriſti & Saluatoris noſtri, de quo Pſalmiſta: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam:* qui hominem deſcendentem ab Ieruſalem in Iericho (vt Euangelica refert parabola) & à latronibus ſauciatum, iumento impoſuit duxitque in ſtabulum & curam illius egit. Quam parabolam, quia breuiter prælibauimus paululùm eius flores carpamus. Homo ille qui deſcendit ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones ſignificat Adam, qui de ſtatu immortalitatis ſuperbiendo deſcendens, in hanc miſeram vitam deuenit. Latrones in quos incidit, dæmones ſunt in quos deſcendens incidit: nam niſi prius intus in-

Pſal. 126.
Luc. 10.

tumuiſſet; foris tentatus, tam facilè non cecidiſſet. Deſpoliauerunt eum, id eſt, veſte innocentiæ priuauerunt. Plagas impoſuerunt, id eſt, peccata noſtræ conditionis, quæ tam mortalis peccando facta fuerat, intulerunt. Semiuiuum reliquerũt; quia beatitudinem vitæ immortalis exuere potuerunt; ſed non ſenſum rationis à nobis auferre potuerunt. Ex qua enim parte & cognoſcere Dominum poſſumus, viuimus; ex qua verò parte peccatis contabeſcimus & miſeria deficimus; mortui ſumus & letifero vulnere fœdati. ſed Samaritanus, id eſt, cuſtos Dominus ſcilicet & Saluator noſter vulneratum inuenit; quia Chriſtus in hunc mundum veniens, omnes peccatores reperit. Alligauit vulnera eius dum præcepit dicens; *Pœnitentiam agite.* Infudit oleum cùm addidit; *Appropinquabit enim regnum cœlorum.* Infudit & vinum, cùm dixit; *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exſcindetur & in ignem mittetur.* Arbores ſumus (fratres) in agro Dominico conſtitutæ: Deus autem, eſt noſter agricola. Si ergo viderit nos non ferre fructum boni operis, exſcindet nos ab hac vita per mortẽ, & in ignem proijciet infernalem, vbi eſt fletus præ ardore; ſtridor dentium præ frigore: in quo igne ne comburamur; clamat ipſe per Prophetam: *lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere:* & iterum; *nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Conuertamur igitur ad ſalutem noſtram, lauemus lacrymis conſcientiam, extinguamus ignes concupiſcentiæ per ignes pœnitentiæ. Legimus enim Apoſtolo dicente quòd *omnes peccauerunt & egent gloria Dei iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Qui & iterum inæſtimabilem eius gratiæ magnitudinem commendans, ait: *vbi autem abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia;* quia nimirum quanto grauiorẽ Dominus in electis ſuis peccatorum languorem curauit; tanto ampliorem cũctis pœnitentiam gratiæ medentis oſtendit: ſicut Phariſæis eundem miſericordiæ fontem reprehendentibus quando cum Matthæo Publicano, quem poſteà Euangeliſtam & Apoſtolum fecit, aliiſque compluribus manducabat & bibebat; conſona voce reſpondit: *non egent qui ſani ſunt, medico; ſed qui malè habent:* ſeipſum inſinuans verum medicum, de quo Propheta ait; *Verè languores ipſe noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Quia autem addidit; *non veni vocare iuſtos ſed peccatores in pœnitentiam:* oſtendit, ſe omnes ad pœnitentiam vocare, & electos & peccatores. Vocat namque peccatores; vt per pœnitentiam corrigantur: vocat iuſtos; vt magis magiſq; iuſtificentur. Iuſtus ergo dum *ſtat,* ſummopere *videat ne cadat;* quia neſcit ſi tempus pœnitendi accipiet, aut dignè pœnitebit: Peccator verò dum labitur in peccatum, de miſericordia Dei præſumat, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam; *mox vbi ingemueris, ſaluus eris.* Et, *dic tu prior iniquitates tuas vt iuſtificeris; quia apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio:* cuius miſericordiæ nec modum poſſumus ponere nec tempore definire. Stans ergo audiat quod per Prophetam Dominus dicit; *in quacunque die iuſtus peccauerit, omnis iuſtitia eius in obliuione erit coram me,* lapſus verò intendat quod idem in Euangelio ait; *gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Stantibus, ſi ceciderint minatur pœnam; lapſis verò vt ſurgere appetant, promittit miſericordiam. Et quia (fratres mei) multa illicita commiſiſtis; debetis abſtinere à licitis. Licitum eſt enim homini comedere carnes, & bibere vinum, & cætera corpori neceſſaria; quæ, non cum ſaturitate pœnitentes debent ſumere; ſed cum ſuſtentatione corporis, vt quæ ventri ſubtrahunt erogent pauperibus: vt Dominus noſter qui in forma ſerui, pauper & humilis apparere dignatus eſt; vos ſuæ diuinitatis & diuitiarum faciat eſſe participes quando illam deſiderabilem vocem iuſti audient; *quamdiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis:* ipſo præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, Amen.

A B C D E

Matth. 3.
Iſa. 1.
Rom. 3.
Rom. 5.
Matth. 9.
Marc. 2.
Luc. 5.
Iſa. 53.
1. Cor. 10.
Iſa. 43.
Luc. 15.
Qui illicita commiſit, abſtinere debet etiã à licitis.
Eleemoſyna, ſinu eſt ieiunij.
Matth. 25.

In Cœna Domini, de myſterijs eiuſdem diei.

Homelia X.

CVM ſummus Opifex cuncta ex nihilo ac mirabiliter ita diſpoſuerit vt in rerum & temporum ſerie mens humana ſemper ad dulcedinem ſupernæ patriæ aſpiret; ſicut patenter inſinuat huius Dominicæ Cœnæ veneranda Solennitas: dignum eſt (fratres chariſſimi) vt ex credita nobis aliquo tempore diſpenſationis diuinæ pecunia, aliquatenus, pro vt Dominus dederit, veſtris auribus infundam ſermonem: vocatur enim hæc dies, Cœna Domini vocatur & natalis Calicis: & meritò talibus præfulget vocabulis, quia hac eadémque die myſticum Paſcha Dominus cum diſcipulis celebrans, Sacramenta corporis & ſanguinis ſui, illis atque per illos, nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit: eorúmque pedes abluens, vt nos ita alter alteri faciamus, exemplum præbuit. Diſcamus igitur (fratres) humilitatem, ab Excelſo: faciamus inuicem humiles, quòd humiliter fecit Excelſus; nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. Nam quid dicit? *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Oſtendit nobis, vt ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, *ſicut Dominus donauit nobis, ita nos inuicem nobis delicta condonemus*, & pro noſtris delictis inuicem oremus, atque ita quodammodò inuicem pedes noſtros lauemus. Noſtrum eſt, donante ipſo, myſterium charitatis, & humilitatis adhibere: illius exaudire, ac nos ab omni peccatorum contaminatione mundare per Chriſtum, & in Chriſto, vt quòd alijs dimittimus, hoc eſt, in terra ſoluimus, ſoluatur nobis in cœlo. Hac etiam die, toto orbe Chryſma conficitur ad abluendam totius mundi culpam. Pœnitentibus, per indulgentiam ſubuenitur; diſcordes ad concordiam hodiè redeunt. Pacificantur irati iudices, & iam latronibus parcunt. Pateſcunt carceres in toto orbe; dant indulgentiam Principes criminoſis; ſeruis malis indulgent Domini. In ipſa quoque die poſt multa myſteria Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulis ſuis videntibus, glorioſa Aſcenſione cœlos penetrauit. Nec ſine magno myſterio tantum Sacramentum, feria quinta peragitur: à quinque enim quinquagenarius deriuatur numerus; nam quinquageſimo die à Paſchate, & lex in monte Sina populo data eſt, & gratia ſancti Spiritus diſcipulis in cœnaculo miſſa eſt. Hoc autem numero, perpetuitas futuræ quietis rectè oſtenditur, in quo & legis decalogus & mandata, & Spiritus ſancti gratia donatur hominibus; vt apertè demonſtretur, quia quicumque diuinæ legis iuſſa, iuuante Spiritus ſancti gratia percipiunt, ad veram perfectámque requiem tendunt. Quinquageſimus etenim annus in lege Iubilæus, id eſt, dimittens ſiue mutatus appellari iuſſus eſt, in quo populus ab omni operatione quieſceret, omniúmque debita lauarentur, ſerui liberi redirent, & annus ipſe maioribus ſolennijs ac laudibus diuinis eminentior cæteris exiſteret: vnde & meritò per hunc numerum, illa ſummæ pacis tranquillitas indicatur; quando, ſicut Apoſtolus ait, canente tuba nouiſſima, *mortui reſurgent & nos immutabimur* in gloriam; vbi ceſſantibus huius ſæculi laboribus & ærumnis, dimiſſis omnium culparum debitis, in ſola viſionis diuinæ contemplatione cunctus electorum populus in æternum gaudebit, impleto deſiderabili Domini ac Saluatoris noſtri mandato; *vacate & videte quoniam ego ſum Dominus.* Ad cuius perpetuam viſionem, finito huius mundi curriculo, perducere nos dignetur Agnus immaculatus, Deo Patri hac nocte pro totius mundi peccatis oblatus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter; qui cum eodem Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Dies Cœnæ Dominicæ appellabatur natalis Calicis.
Ioan. 13.
Matth. 18.
Latronibus olim parcebatur in die Cœnæ Domini.
Act. 1.
Exod. 20.
Act. 2.
Leuit. 25.
1. Cor. 15.

A

In cœna Domini, ad Populum, deinde & ad Pœnitentes.

Homelia XI.

BONI homines; quia veſtram fraternitatem aliter neceſſe eſt alloqui quam conſacerdotes & cooperatores noſtros, quibus datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: ideò ad vos ſimplici & ruſticano vtentes eloquio conuertamur; vt tantæ ſolennitatis ſacramentum, iuxta prauitatem noſtri ſenſus exponamus vobis ruſticitate verborum. Vocatur hæc feſtiuitas, Cœna Domini; eò quòd hoc die Dominus cœnauerit cum diſcipulis, eíſque Sacramentum corporis & ſanguinis ſui tradiderit, vt nos ab altari

B per Chriſti miniſtros iſta ſumentes, in ipſo viuamus, & ſpiritualiter ipſo pane paſti & ipſo vino potati, non deficiamus in huius peregrinationis miſeria, ſed anima & mente reficiamur. Qua etiam die diſcipulorum ſuorum pedes abluit, exemplum dans nobis, vt ſicut Ipſe fecit illis, ita & nos alterutrum faceremus: id eſt, ſi quiſquam nos læſerit, memores præcepti ipſius, ex corde dimittamus, vt & Pater noſter qui eſt in cœlis, dimittat nobis. Qua etiam nocte tentus eſt à Iudæis, & manè crucifixus, vt à maledicto quod nos per primum hominem accepimus, miſericorditer liberaret, & diaboli laqueis eriperet ac cœleſtis vitæ ianuam ſi præcepta eius faceremus, aperiret. Commendat autem nobis B. Paulus Apoſtolus, *qui raptus fuit vſque ad tertium cœlum*, præcepta viuendi, quæ faciamus, dicens: *maneant in vobis fides,*

C *ſpes, charitas, maior autem eſt charitas.* Spes autem eſt futurorum bonorum expectatio, quæ exprimit humilitatis affectum, & ſedulæ ſeruitutis obſequium: ſpes autem dicta, quòd ſit pes & progrediendi facultas, quia quiſque dum peccatum amat, futuram gloriam non ſperat. Ille enim fiducialiter ſperat, qui Domini mandata fideliter ſeruat: *ſpe* enim, vt ait Apoſtolus, *ſalui facti ſumus.* Ideò non niſi à Domino Deo petere debemus, quicquid ſperamus nos vel bene operaturos vel pro bonis operibus adepturos. Ponamus igitur ſpem noſtram in Domino inſtruente Dauid & dicente: *mihi autem adhærere Deo bonũ eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Et iterum: *ſpes mea in Deo eſt.* Fides eſt iuſtitiæ fundamentum, quam nulla opera bona præcedunt, & ex qua omnia bona pro-

D cedunt. Ipſa nos à peccatis omnibus purgat, mentes noſtras humiliatas Deo reconciliat, ſpem nobis futuræ remunerationis inſpirat, auget in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum poſſeſſione confirmat: *ſine fide* enim (vt ait Scriptura) *impoſſibile eſt placere Deo*, quia nemo poteſt ad veram peruenire beatitudinem, niſi per fidem: fidem illam ſcilicet *quæ per dilectionem operatur*: quia vt Iacobus Apoſtolus ait, *fides ſine operibus mortua eſt.* Et iterum: *quid proderit* (fratres mei) *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* nunquid bene viuit, & bene viuendo fidem rectam cuſtodit? charitas, eſt mater, fons, & origo omnium virtutũ. Ipſa eſt omnis præcepti finis, de qua dicit Apoſtolus, *finis autem præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.* Vnde Dominus ait: *hoc eſt*

E *præceptum meum vt diligatis inuicem.* Omne enim mandatum de ſola dilectione eſt; & omnia vnum præceptum ſunt, quia quicquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Vt enim ait Apoſtolus; *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* Quatuor autem modis charitas conſiſtit: hoc eſt, in dilectione Dei, quę prima eſt: ſecunda ſi noſmetipſos ſecundum Dominum amemus: tertia, proximos; quarta, etiam inimicos. Dominum ergo pluſquam nos diligere debemus; Proximum, ſicut nos, inimicũ, vt proximum. Hæc eſt enim vera charitas quam habere debemus inuicem ſicut Dominus oſtendit & docuit dicens; *diligite inuicem, ſicut & ego dilexi vos. hac maiorem dilectionem nemo habet quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Si autem & animam poni oportet; quantò magis votum & ſtudium maius debet

Matth. 13.
Marc 4.
Luc. 8.
2. Cor. 12.
Nominis ſpei interpretatio.
Rom. 8.
Pſal. 72.
Fidei effectus in credentibus.
Hebr. 11.
Gal. 5.
Iac. 2.
Tit. 1.
Ioan. 13.
Charitatis 4. gradus.
Ioan. 15.

debet intelligi? Difficile quippe eſt vim charitatis exprimere; cùm omnia Dei præcepta, ſola poſſideat charitas dicente Beato Auguſtino: totam magnitudinem & altitudinem diuinorum eloquiorum ſecura poſſidet charitas qua Dominum proximúmque diligimus. Hæc in aduerſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat; in duris paſſionibus fortis; in bonis operibus hilaris; in tentatione tutiſſima; in hoſpitalitate largiſſima; inter veros fratres lætiſſima; inter falſos patientiſſima. Et quia de his tribus præceptis aliquantiſper loquuti ſumus; dicamus quid inter ſe differant. Fides in ſpem proficit, ſpes verò ad charitatem: in præſenti tria ſunt; in futuro ſola charitas ſanctorum Angelorum & Dei; & tunc quicquid fides & ſpes promiſerant, conſummabitur. Maius ergo eſt quod ſemper erit, quam quòd aliquando ceſſabit; quia ſola charitas ibi perfecta erit, cùm perfectos Deo, à quo eſt donata, coniunxerit. Sed quia hæc & alia bona nequaquam à Domino obtinere poterimus, niſi oratione, ieiunio & eleemoſyna; dicamus breuiter; quanta hæc humana ſaluti præſtét beneficia, ſi, vt decet, à nobis fuerint frequentata. Modum namque orationis ſanctiſſimus Martyr Cyprianus nos docet dicens; vt cum ſtamus ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debeamus. Cogitatio omnis carnalis & ſpiritalis abſcedat; nec quicquam animus cogitet quam id ſolum quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem præſatione præmiſſa, parat Fratrum mentes dicendo; SVRSVM CORDA: vt reſpondens plebs; HABEMVS AD DOMINVM, admoneatur nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere; vt claudatur pectus contra aduerſarium & ſoli Deo pateat; nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis accedere patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat & ſubtiliter fallens, preces noſtras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde & aliud in voce. Nam cum quali deuotione & reuerentia ſit orandum, beatiſſimus & ſanctiſſimus pater Benedictus demonſtrat, dicens: ſi cum hominibus potentibus, volumus aliqua ſuggerere, non poſſumus niſi cum humilitate & reuerentia; quantò magis Domino Deo vniuerſorum, cum omni humilitate & deuotionis puritate ſupplicandum eſt; cùm non in multiloquio, ſed in puritate cordis & compunctione lachrymarum nos exaudiri ſciamus? Illinc Dominus in Euangelio; *cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus alterum.* Hinc iterum dicit: *niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter qui in cælis eſt dimittet vobis peccata veſtra.* Hinc rurſus ait; *date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis.* Hinc in inſtitutione orationis, conditionem pietatis poſuit, dicens: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ille, rectè ſui delicti veniam poſtulat; qui hoc, priùs, quod in eum delinquitur relaxat: dimittamus ergo quòd debetur nobis. Relinque proximo tuo (ait Salomon) nocenti te; & tunc, deprecanti tibi, peccata ſoluentur. Ait enim Apoſtolus Paulus; *volo itaque viros orare in omni loco leuantes ſanctas manus ſine ira & diſceptatione:* ſanctæ enim manus ſunt (vt ait Ambroſius) quando cor mundum eſt; quia ipſa eſt Domino acceptabilis oratio, quæ funditur ſine odio fraterno. Ait autem Dominus; *oportet ſemper orare & non deficere:* Et Paulus Apoſtolus ait, *ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate.* Quis autem poteſt ſemper orare, ac ſine defectu & intermiſſione precibus inſiſtere; vt nec alimentum ſumendi nec dormiendi tempus habeat? Cui ergo dicendum eſt; *oportet ſemper orare & non deficere;* niſi ei qui canonicis horis quotidiè, iuxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis pſalmodijs precibúſque conſuetis Dominum laudare & rogare non deſiſtit? & hoc eſt quod Pſalmiſta dicebat; *benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Sedulæ autem preces prouocant animum Iudicis ad miſericordiam; & ſicut militi ſine armis ad bellum exire non conuenit; ita homini Chriſtiano procedere quòlibet ſine oratione, non expedit. Egredientes de hoſpitio armet oratio; regredientibus de platea animo occurrat. Quicquid Chriſtianus inchoat; anteà dirigat orationem ad Dominum: quidquid perficit; & hoc cum oratione perficiat: & ſemper, ſenſu, mente, voce, & opere, omnipotentem Dominum oret, vt det ea velle dicere, pariter & facere, & ea vſque ad boni operis perſeuerantiam retinere quibus ad vitam perpetuam fœliciter peruenire concedat: frequenter orationibus inſiſtat; & mala ſua præterita cum lachrymis & gemitu quotidiè in oratione Deo confiteatur, & caueat ne ad hoc rurſus proruat quod ſe planxiſſe agnoſcit. Meminiſſe enim debet quod dicitur, *ne iteres verbum in oratione tua:* quo videlicer dicto, vir ſapiens nequaquam nos prohibet ſæpè veniam petere, ſed culpas iterare: ac ſi apertè dicat, cùm male geſta defleueris, nequaquam rurſus facias quod cum precibus iterum plangas. Sciat autem fraternitas veſtra, quia tunc pretioſior ſit oratio cum coniuncta fuerit eleemoſynæ: inefficax enim petitio eſt (vt ait beatus Cyprianus) cùm precatur Dominum ſterilis oratio, Nam ſi *omnis arbor non faciens fructum bonum, exſcindetur & in ignem mittetur,* vtique & ſermo non habens fructum, promereri gratiam Domini non poteſt, quia nulla operatione fœcundus eſt. Et ideò Scriptura diuina inſeruit dicens: *bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.* Nam qui in die iudicij præmium pro operibus & eleemoſynis redditurus eſt; hodiè quoque ad orationem cum operatione venienti, benignus auditor eſt. Sic Cornelius Centurio, cum oraret meruit audiri, faciens multas eleemoſynas & orans ſemper Dominum. Hinc circa horam nonam aſtitit Angelus teſtimonium reddens operibus eius & dicens; *Corneli, orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam coram Domino.* Citò orationes ad Dominum aſcendunt, quæ ad eum merita noſtri operis adferunt, vnde & per Ieremiam Prophetam dicitur; *leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.* Ad Dominum quippe corda cum manibus leuare eſt orationis noſtræ ſtudium cum merito boni operis coniūgere. De hoc & ſanctus Leo Papa: oratione (inquit) propitiatio quæritur, ieiunio concupiſcentia carnis extinguitur; eleemoſynis peccata redimuntur, in orationibus fides permanet recta, in ieiunijs inuicta, in eleemoſynis mens benigna; hoc enim perfectum & rationabile ieiunium, quo noſter externus homo ieiunat, & interior orat; & faciliùs per ieiunium oratio penetrat in cœlum. Ieiunia fortia tela ſunt aduerſus tentamenta dæmoniorum; citò enim per abſtinentiam deuincuntur, cum ieiunia bonis operibus Deo acceptabilia ſunt. Qui autem cibis abſtinent, & prauè agunt; dæmones imitantur quibus eſca non eſt, & nequitia ſemper eſt: ille enim demum benè abſtinet à cibis, qui & à malitiæ actionibus & à mundi ieiunat ambitionibus. Neceſſaria namque ſunt animæ noſtræ ieiunia, ſicut vulneribus medicina: medelam enim conferunt vitæ perpetuæ, ita tamen vt duarum rerum teſtimonijs commendentur, orationis ſcilicet ac miſericordiæ; ſicut & Dominus per Prophetam dicit: *nonne hoc eſt magis ieiunium quòd elegi; diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe; frange eſurienti panem tuum, & egenos vagóſque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris; tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & erit ante faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te; tunc inuocabis & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adſum.* Illud ergo ieiunium Deus approbat quod ad eius oculos manus eleemoſynarum leuat; quod cum proximi dilectione agitur, quòd pietate conditur. Quod ergo tibi ſubtrahis alteri largire, & vnde caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc etenim per Prophetam Dominus dicit; *cum ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? & cùm comeditis & bibitis, nunquid non vobiſmetipſis comeditis & vobiſmetipſis bibitis?* ſibi enim comedit & bibit qui alimenta corporis, quæ ſunt communia dona conditoris, ſine indigentibus percipit;

Marginalia: A, B, C, D, E (section letters); *Charitatis effectus.* — *Surſum corda, cur à Sacerdote dicatur.* — *Mentis euagatio in oratione, à dæmone eſt.* — *Matth. 6.* — *Oraturi Deū debemus iniurias condonare.* — *Matth. 5.* — *Eccleſ. 28.* — *1. Tim. 2.* — *Luc 18.* — *1. Theſſ. 5.* — *Horæ canonicæ, ex Eccleſiaſtica traditione ſunt.* — *Pſal. 33.* — *Orandum eſt ante omnem progreſſum.* — *Eccl. 7.* — *Eleemoſyna, orationi adiungenda eſt.* — *Matth. 3.* — *Tob. 12.* — *Act. 10.* — *Thren. 3.* — *Ieiunij effectum.* — *Iſa. 58.* — *Ieiuniū illud demum Deo probatur quod eleemoſynæ connexum eſt.* — *Zach. 7.* — *Sibi ieiunare quid ſit.*

Digitized by Google

& ſibi quiſque ieiunat, ſi ea quæ ad tempus ſubtrahit, non pauperibus tribuit ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodiat. *Ioel. 1. & 2.* Hinc per Prophetam Ioëlem dicitur; *ſanctificate ieiunium:* Ieiunium quippe ſanctificare, eſt adiunctis bonis alijs, dignam carnis abſtinentiam oſtendere: qui enim vult ordinatè dare eleemoſynam, à ſeipſo debet incipere & eam ſibi primum dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ; veriſſiméque dictum eſt; *Eccleſ. 30.* *miſerere animæ tuæ placens Deo.* Propter hoc renaſcimur vt Deo placeamus, quia meritò diſplicet quod naſcendo contraximus: hæc eſt prior eleemoſyna quam nobis debemus; *Luc. 11.* *date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis.* Non ſolùm ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quodcúmque neceſſarium indigenti; *Eleemoſyna ſpiritualis.* verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat: & qui emendat verbo eum in quem poteſtas ei datur, vel coërcet aliqua diſciplina; & tamen peccatum eius quo ab illo læſus eſt vel offenſus, dimittit ex corde, vel orat vt dimittatur ei; non ſolum in eo quod dimittat atque orat, verum etiam in eo quod corripit & aliqua emendandum pœna plectit, eleemoſynam dat quia miſericordiam præſtat. Raphaël quoque Angelus, vt eleemoſyna libenter ac largiter detur, hortatur dicens: *Tob. 12.* *bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna; quia eleemoſyna liberat à morte peccata ipſa purgat.* Oſtendit orationes noſtras ac ieiunia minus poſſe niſi eleemoſynis adiuuentur. Duæ namque ſunt eleemoſynæ: vna corporis; egenti date quicquid poteris: altera ſpiritualis; dimittere à quo læſus fueris. *Eleemoſyna ſpiritualis.* *Vendite* (inquit) *quæ poſſidetis: & date eleemoſynam.* *Luc. 12.* Et iterum: *date eleemoſynam, & ecce omnia munda;* *Luc. 11.* Scilicet vobis. Et Salomon ait: *Prov. 13. 8.* *redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ; qui autem miſeretur pauperi, beatus erit.* *Prov. 14. 21.* Et iterum Scriptura: *Eccleſ. 29. 15.* *conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo; ſicut ignem ardentem extinguit aqua, ita eleemoſyna peccatum.* *Eccl. 3. 33.* Et iterum: *Prov. 21. 13.* *qui obturat aures ſuas ne audiat pauperem, & ipſe inuocabit Dominum & non erit qui exaudiat eum:* neque enim miſericordiam Dei mereri poterit, qui miſericors ei non fuerit; aut imperabit de diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod iterum in Pſalmis Spiritus ſanctus declarat & probat, dicens; *Pſal. 40.* *beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* *Dan. 4.* Et Daniel legitur tale dediſſe conſilium Nabuchodonoſor; *propterea Rex placeat tibi conſilium meum, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniuſtitias tuas miſerationibus pauperum; & erit Dominus patiens in peccatis tuis.* Hic ſi peccata ſua eleemoſynis redimere noluiſſet; vtique nec euadere mala quæ perpeſſus eſt, potuiſſet. *Prov. 19. 17.* Deo enim, eleemoſynis pauperum fœneratur; & cum datur minimis, Chriſto datur. Ipſe enim in iudicio ſuo dicturus eſt, *Matth. 25.* *eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi potum: nudus fui, & veſtiſtis me, & cætera.* Et, *quod feciſtis vni de minimis fratribus meis, mihi feciſtis:* & tunc audient vocem illam beatam, *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum ab origine mundi.* *Tob. 12.* Beatus verò Tobias, filium monens vt eleemoſynas faceret, ait inter alia: *ex ſubſtantia tua, fac eleemoſynam fili mi, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini, quomodo potueris, ita eſto miſericors, ſi multùm tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras, fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam:* miſericordia, verò à compatiendo alienæ miſeriæ, vocabulum ſortita eſt: *Eleemoſyna, compũctionis tempore fit melior, quam alias;* iſta porrò bonorum operum exercitia meliùs, imò inſtantiùs fiunt à nobis cum ex recordatione peccati compungimur, & compungendo peccata confitemur, ſicque ad remedia pœnitentiæ confugimus. Bonum eſt homini, ſemper ante oculos propria adhibere delicta ſecundum Pſalmi ſententiam; *& peccatum meum contra me eſt ſemper.* Sermo Dei tanta debet eſſe peccati recordatio, vt ea quæ geſſit, ſemper cum lachrymis confiteatur: *Peccati recordationem, lachrymæ comitari debent.* vnde & Pſalmus dicit; *conuerſus ſum in ærumna dum configitur ſpina; Peccatum meum cognitum tibi feci, & dixi: pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* *Pſal. 31. 4.* *Prov. 28.* Salomon ait; *qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* *Iob. 7.* Hinc beatus Iob; *quapropter & ego non parcam ori meo.* *Ori ſuo parcere, quid ſit.* Ori parcit ſuo, qui confiteri malum quod fecit, erubeſcit. Sed iuſtus ori ſuo non parcit; quia nimirùm iram iudicis diſtrictam præueniens, verbis contra ſe propriæ confeſſionis non parcit: hinc Pſalmiſta ait; *præueniamus faciem eius in confeſſione.* *Pſal. 94.* Hinc ſcriptum eſt; *dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris:* *Iſa. 43. 26.* ex eo enim vnuſquiſq; iuſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit. Confeſſio enim, pœnitentiam monſtrat; pœnitentia ſatisfactionem oſtentat; ſatisfactio, veniam ſibi diuina pietate conciliat: nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ira Dei poſſit confeſſione placari. O veneranda pietas Dei! Peccauimus, & parcit! deliquimus, & ignoſcit! offendimus, & adhuc placatus exiſtit! Vndè, qualis erga iuſtos ſit demonſtrat, dum talem ſe erga peccatores oſtendit; nec peccator iam poterit excuſari, qui confeſſionem, per quam venia naſcitur, non properauit amplecti, ne poſſet reus gemino crimine detineri; *Confeſſionis negligens, duplici peccati reus eſt.* dum primò legem contempſit vt delinqueret, & confeſſionis remedia amplecti noluit vt periret. Ergo quiſquis peccator ea remedia neglexiſti poſt peccatum, & qui peccando diuina contempſiſti præcepta; confeſſio afferat ſalutem, cui contemptus accelerat mortem. Confiteantur ſinguli (quæſo vos, fratres) delictum ſuum: dum adhuc, qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt; illi ſe anima proſternat, illi mens tota ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat. Rogare generaliter debemus dicit ipſe, *reuertimini* (inquit) *ad me in toto corde veſtro, ſimul in ieiunio, fletu, & planctu.* Duo ſunt namque genera compunctionis quibus ſemetipſos Domino in area cordis immolant fideles; *Cõpunctionis duo genera, ſiue Hoſtia duplex.* nimirùm ſi Dominum ſitiens anima priùs timore compungitur, vel poſteà, amore. Priùs ſeſe in lachrymis afficit; quia dum peccatorum ſuorum recordatur, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit: at dum longa mortis anxietate fuerit formido conſumpta; quædam iam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amorem cœleſtium gaudiorum animus inflammatur: & qui priùs flebat ne duceretur ad ſupplicium; poſtmodùm flere amariſſimè incipit, quia differtur à regno. Contemplatur etenim mens, qui ſint illi Angelorum chori; quæ ipſa ſocietas beatorum Spirituum, quæ maieſtas æternæ viſionis Dei, & ampliùs plangit quia bonis perennibus deeſt, quam flebat prius cum mala æterna metuebat. Vtramque autem noſtræ compunctionis hoſtiam, gratanter accipere dignetur Chriſtus; qui & pro peccato lugentibus atque afflictis clementer errata dimittit, & pro ingreſſu vitæ cœleſtis tota mentis intentione feruentes, æterna ſuæ viſionis luce reficit Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos, *Pœnitentiæ habitus.* facie ſqualida, & crine demiſſo peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantum homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt; quia licet impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis antequam per compunctionis gratiam diuina pietas vos abſoluere dignabitur: tunc enim (vt beatus dicit Gregorius) vera eſt abſolutio præſidentis, cum interni arbitrium ſequitur iudicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat; *Ioan. 11.* quæ videlicet demonſtrat; quia prius mortuum vocauit Dominus & viuificauit, dicens; Lazare veni

foras:

foras: & poſtmodum is qui viuens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt: *cumque egreſſus eſſet qui ligatus fuerat inſtitis, tunc dixit diſcipulis, ſoluite eum, & ſinite abire.* Ecce, illum iam viuentem diſcipuli ſoluunt, quem Magiſter reſuſcitauerat mortuum! ſi enim diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent; fœtorem magis oſtenderent quam virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quòd nos debemus per paſtoralem auctoritatem eos ſoluere; quos agnoſcimus, auctorem noſtrum per ſuſcitantem gratiam viuificaſſe: quæ nimirum viuificatio, ante operationem rectitudinis, in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati. Vnde & huic ipſi mortuo Lazaro, nequaquam dicitur; reuiuiſce; ſed, *veni foras:* Omnis quippe peccator, intra conſcientiam abſcondit ſe, introrſus latet, in ſuis penetralibus occultatur; ſed mortuus venit foras, dum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur; *Veni foras:* ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur; cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras iam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque iam foras; mortuus: id eſt; culpam confiteatur peccator, venientem verò foras, ſoluant diſcipuli, vt Paſtores Eccleſiæ pœnam amoueât quam meruit, quia non erubuit confiteri quod fecit. Si ergo (fratres chariſſimi) de perpetratis malis Deo ſatiſfacitis, indéque erubeſcitis; & non vlterius, ad perpetrata mala animo redire deliberatis, oſtendite nobis ſignum veſtræ ad Dominum conuerſionis & regreſſionis, vt ſimul cum Angelis quibus *eſt gaudium in Cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, de veſtro reditu gaudere poſſimus.

Satiſfacere de peccatis.

Luc. 15.

Poſt datum à pœnitentibus ſignum, ſuæ ad Dominum regreſſionis; idque in altum elatis dexteris, vt ante, Homelia 8. rurſum ſic dicere orſus eſt Epiſcopus.

Deo piiſſimo & ſemper miſericordiſſimo omnes in commune referamus gratias; qui dixit, *nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat:* quoniam non ſolum veſtram pœnitentiam, ſed & dignos pœnitentiæ fructus in vobis aſpicimus. Ait ergo beatus Ioannes Baptiſta, & Domini noſtri Ieſu Chriſti præcurſor ad turbas; *facite dignos fructus pœnitentia;* quibus verbis notum eſt quod amicus Sponſi, non ſolum fructus pœnitentiæ ſed dignos pœnitentiæ fructus admonet eſſe faciendos: Aliud namque eſt fructum facere; aliud dignè pœnitentiam agere. Vt enim ſecundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur; ſciendum eſt quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic iure conceditur vt licitis vtatur; ſicque pietatis opera faciat, vt tamen, ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat, pœnitentiam quippe agere, & perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare, ſi duplicem videlicet fructum, debet habere in pœnitentia omnis peccator; ſiue quia malum per audaciam perpetrauit. Ille ergo pœnitentiam dignè agit, qui reatum ſuum ſatisfactione legitima plangit; condemnando ſcilicet ac deflendo quæ geſſit. Omnipotens quippe Deus contritionem quærit, fletibus flectitur, lugentes lætificat, pœnitentibus præſto eſt. Magnus profectus eſt lachrymarum; plorando ſeruus propiciatur Domino; filius lachrymis mitigat patrem, & aſperam matrem plorans mulcet paruulus: Ita ergo & peccator, profuſis fletibus remouet iram Dei, Petrus namque trinam negationem lachrymis diluit, ſcriptum eſt enim: *& recordatus Petrus, fleuit amarè:* dicit verò Dauid; *Venite adoremus & ploremus coram Domino qui fecit nos.* Et iterum: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte:* Et; *potum meum cum fletu miſcebam, Stratum meum per ſingulas noctes lachrymis rigabo:* Et iterum: *Deus vitam meam annunciaui tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Oportet igitur nos ſalutem noſtram lugere

Iſa. 6.

Matth. 3.

Luc. 3.

Pœnitentiæ fructus digni.

Satisfactio legitima.

Lachrymarũ profectus magnus eſt.

Matth 26.
Marc 14.
Luc. 22.
Pſal. 90.
Pſal. 41.
Pſal. 101.
Pſal. 55.

perditam, atque animam noſtram mortuam lamentari; vt cùm de hoc ſæculo abſtracti fuerimus, ad vitam mereamur peruenire perpetuam, quam non aliter conſequemur niſi perſeuerantia boni operis. Virtus etenim boni operis perſeuerantia eſt: & voce veritatis dicitur: *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Incaſſum quippe, bonum agitur ſi ante terminum vitæ deſeratur: & hæc præcepto Legis cauda hoſtiæ in ſacrificio iubebatur offerri: in cauda quippe finis eſt corporis; & ille benè immolat, qui ſacrificium boni operis, vſque ad finem debitum perducit actionis. Hinc Ioſeph inter reliquos fratres talarem tunicam habuiſſe deſcribitur; Tunica quippe vſque ad talum; eſt opus bonum vſque ad conſummationem: & tunc placet Domino noſtra conuerſatio, quando bonum quod inchoamus, perſeueranti fine complemus. Bonum ergo non cœpiſſe ſed perfeciſſe virtus eſt: nam, non inchoantibus præmia promittuntur, ſed perſeuerantibus dantur. Semper in vita hominis finis quærendus eſt; quia Deus non reſpicit quales anteà fuerimus, ſed quales circa vitæ finem erimus: vnumquemque enim Deus, de ſuo fine non de vita iudicat. Perſiſtamus igitur (chariſſimi) omni cum intentione diuinis in obſecrationibus; vt ea quæ ſibi placita ſunt, faciat nobis cum ſua benedictione inchoare, & vſque ad perſeuerantiam bona perducere conſummatione; quia α & ω, principium & finis Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth 10. & 24.
Exod. 29.
Leuit. 3. 7. & 8.
Geneſ. 37.
Perſeuerandũ in virtutibus vſque in finẽ.
Apocal. 1. & 21.

In die Cœna Domini, de vera Charitate, ad Populum.

Homelia XII.

Fratres dilectiſſimi, quia veraciter in conſcientia mea dicere non valeo hoc quod beatus Gregorius Romanæ vrbis Pontifex, doctrina omníque bonitate redundans dixiſſe legitur ad populum. Sæpe vos admoneo (Chariſſimi) praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare, &c. valde doleo ac mœrore langueſco. Cùm etiam illud ad memoriam reduco quod Dominus per Ezechielem Prophetam, torpentibus ac negligentibus comminatur Sacerdotibus; *ſi* (inquit) *non annunciaueris iniquo iniquitates ſuas, ſanguinem eius de manu tua requiram;* & me pigrum ac deſidem ad hoc opus eſſe recognoſco: totis viſceribus contabeſco. Dum enim timeo de me, & dum formido de animabus mihi commiſſis; duplici timore ac dolore conſumor. Et ideò cum Pſalmiſta clamo; *cor meum conturbatum eſt, dereliquit virtus mea.* Quocirca, etſi non abundantes riuos; certè vel qualeſcúmque guttas poterimus animabus veſtris infundere, procurabimus vt fructifera noſtri cordis terra, accepto verbi Dei ſemine, germinet bonorum operum meſſem: vt veniens Dominus copioſum in vobis inuenire gaudeat fructum. Nunc quoque multis ſæculi occupationibus præpediti; breui ſermone ſed veſtræ ſaluti alioqui accommodato vti decreuimus. Quæ ergo ſit illa breuitas Apoſtolus inſinuat dicens: *finis præcepti eſt Charitas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta.* Iſta breuitas atteſtante beato Auguſtino; & vt teneatur memoriter, eſt ſuauis; & vt cuſtodiatur fideliter, dulcis. Hanc qui neſcit; quærat, vt quærendo inueniat. Pulſet ad oſtium amici, & petat panem: oſtium amici, allegoricè diuini intelligentia ſermonis eſt. Panis intelligentis, charitas, propter maiorem appetitum neceſſitatis. Nam ſicut ſine pane alijs cibis omnibus appoſitis mẽſa inops eſſe videtur: ſic ſine charitate, cæteræ virtutes quaſi nihil eſſe probantur. Hanc qui inuenerit, guſtet quàm ſuauis eſt; hortante Propheta: *guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Hanc qui habere poſſunt in Deo manent, & Dominus in illis, quoniam Deus charitas eſt,

Epiſcopi duplex metus quia rarò concionaretur ad plebem.
Ezech. 3.
Pſal. 37.
Epiſcopus ſæculi occupationibus breui ſermone concionatur ad populum.
1. Tim. 1.
Luc. 11.
Charitas eſt panis vitæ Chriſtianæ.
Pſal 33.

Et vos (fratres) ſi diuites eſſe cupitis veras diuitias amate, quia ille verè diues eſt, in quo Deus habitare dignatur. **A** Si dulcedinem æternæ ſuauitatis guſtare vultis, veram charitatem tenete; non illam quæ tantùm promittitur ore & non ſeruatur in corde, ſed illam quæ ſic ex ore profertur vt tamen in corde teneatur, Ioannē Apoſtolo monente; *Filioli non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Licet ergo (fratres) admonitione ſalutari omnes egeamus, & omnibus in commune proficiat: Illis tamen magis eſt neceſſaria qui maioribus capitalium criminum vinculis alligari eſſe noſcuntur, & qui diabolicis ſponte ſe tradiderunt illecebris, à quibus non valent ſe per ſe exere, niſi valida manus miſericordiæ Dei eos eripuerit. Et quoniam medicorum vices, nos Epiſcopi, quamuis indigni, tenere videmur; vt male habentibus remedia conſolationis adhibeamus: conuertam me ad illos qui antidoto reconciliationis & re- **B** nouationis indigent, quia renouari poſſit, *ſicut Aquila iuuentus* eorum, ipſo adiuuante, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Charitas ficta. — *1. Ioan. 3.* — *Pſal. 102.*

In die Cœna Domini; de Filio Prodigo, ad Pœnitentes.

Homelia XIII.

Audistis ſæpè, fratres, Apoſtolum dicentem, quod *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*; vnde gaudendum eſt generaliter, & nobis & vobis. Quocirca nolite deſperare; nolite metuere, nolite diffidere. Non legimus Dominum manducaſſe cum principibus & potentibus ſæculi; ſed cum peccatoribus & publicanis; venerat enim *quærere & ſaluum facere quod perierat.* Et propterea parabolam de duobus cuiuſdam filijs, quam ipſe diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum inſinuare dignatus eſt (quia vos audire congruit, & ad vos pertinere dignoſcitur) breuiter perſtringimus. *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adoleſcentior ex illis, patri; Pater da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit*: & diuiſit illis ſubſtantiam; pars ſubſtantiæ quæ minorem filium contingit, ipſe ſenſus in homine rationalis eſt; quem minor filius; per quem vos intelligi poteſtis, expetit à patre, cùm homo ſua poteſtate delectatus, per liberum arbitrium ſeſe regere atque à dominio ſui con- **D** ditoris quæſiuit eximere. Et nō poſt multos dies, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. Longè profectus eſt, non locum mutando, ſed animum: quantò enim quiſque plus in prauo opere delinquit; tantò à Deo longiùs recedit: Et poſtquam omnia conſumpſiſſet, facta eſt fames valida in regione illa: omnia quæ diſſipauit ornamenta naturæ quæ conſumpſit ſignificant. Quæ ornamenta, quaſi exponit Pſalmiſta vbi dicit; *homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Et ipſe cœpit egere, & adhæſit vni ciuium regionis illius*: Vnus ciuium regionis illius, cui egens adhæſit, ille eſt qui princeps mundi à Domino vocatur, hoc eſt diabolus. *Et miſit illum in villam ſuam vt paſceret porcos*: In villam mitti, **E** eſt, ſubſtantiæ mundalis cupiditate ſubiugari: Porcos paſcere; eſt eius opera, id eſt, peccata, operari, quibus immundus Spiritus gaudeat. *In ſe autem reuerſus dixit; quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo; ſurgam & ibo ad patrem meum & dicam ei, pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis.* Vox iſta, vox veſtra debet eſſe; quos diabolus miſit ad villam paſcere porcos. Et propterea, poſtquam lapſi fuiſtis in barathrum capitalium criminum, non fuiſtis auſi aſpirare, vt vocaremini filij Patris; ſed mercenarij locum hactenus quæſiſtis. At ſi vos viderit Pater, cor haberet contritum; & deinceps dilexeritis inimicos, & benefeceritis odientibus vos, pro calumniantibus oraueritis, **A** eleemoſynam pauperibus ſecundum poſſibilitatem veſtram porrexeritis, egenos in domibus veſtris receperitis: faciet de vobis, ſicut de Filio Prodigo feciſſe ſubſequenter legitur. *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater eius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Et poſt pauca; fratris illius maiori, ait: *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Si ergo vos veraciter ac puriter confeſſi eſtis & conuerſi de vana veſtra conuerſatione, & veterem hominem exueritis cum actibus ſuis; cúmque qui ſecundum Dominum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate induere volueritis: tunc nos epulari & gaudere oportet ob fratrem noſtrum qui mortuus fuerat, & reuiuiſcit; qui perierat, & inuentus eſt. Videte ergo vt grauia facinora quæ ſal- **B** lente diabolo commiſiſtis, cum gemitibus & ſuſpirijs quamdiu vixeritis, lugeatis: Et quomodò non deerunt vobis quotidiana peccatorum minorum vulnera; ſic nunquam deſint eleemoſynarum & orationum remedia. Diem mortis ſemper præ oculis habete, quia mors venire non tardat, & qui vſque hodiè in publica pœnitentia cilicio induti fuiſtis; induite deinceps ſobrietatem, abſtinentiam, temperantiam: & cùm in veſtrum aut alienum conuiuium veneritis, potiùs requirite holera & legumina quàm epularū ſuperflua; ne per ebrietatem aut gulam, inimicus veſter inuiſibilis verum locum in vobis habere valeat. Et ne fiant (quod abſit) *nouiſſima* veſtra *peiora prioribus*; hoc ideò præmonemus, vt ſemper timorem & formidinem Dei ante oculos ha- **C** beatis. Et talis ſit timor vt deſperatio nō ſe intermiſceat, quia Dominus paratus eſt ſemper recipere peccatores ad pœnitentiam conuerti volentes. Ad hanc autem promiſſionem, id eſt, ne deſperetis de clementia Dei, confirmandam; referam vobis hoc quod beatus Gregorius in quadam Homelia ſua narrat de quodam, qui in monaſterio ſuo ad conuerſationem venit, dicens: præſenti anno in monaſterio meo quod iuxta beatorum Martyrum Ioannis & Pauli Eccleſiam poſitum eſt Frater quidam ad conuerſionem venit, & deuotè ſuſceptus eſt, ſed ipſe deuotiùs conuerſatus eſt quidem, ſed hunc ad monaſterium frater ſuus corpore non corde ſequutus eſt. Nam valde conuerſionis vitam & habitum deteſtatus, in monaſterio vt hoſpes habitabat; & monachorum vitam fugiens moribus, recedere à monaſterij habita- **D** tione non poterat, quia vel quid ageret vel vnde viueret non habebat. Erat eius prauitas cunctis oneroſa; ſed hanc omnes æquanimiter pro fratris eius amore tollerabant. Nam ſuperbus & lubricus, quæ priùs cum hoc ſæculum ſequeretur, vitia neſciebat; irridebat verò ſiquis reprehendere voluiſſet. Itaque cum habitu ſæculari viuebat in monaſterio, verbis leuis, motibus inſtabilis, mente tumidus, veſte incompoſitus, actione diſſipatus: Menſe autem Iulio nuper elapſo, huius quam noſtis peſtilentiæ clade percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens vrgeri cœpit vt animā redderet, & vltima iam corporis parte præmortua, vitiatis artubus, ſola peccatori lingua remanſerat. Fratres aderant, eiúſque exitum in quātum Deo largiente poterāt, oratione iuuabant. At ille ſubitò **E** draconem venire conſpiciens, magnis quippe vocibus, clamare cœpit dicens: ecce draconi ad deuorandum datus ſum; propter veſtram præſentiam deuorare non poteſt. Quid mihi moras facitis? date locum vt ei deuorare me liceat. Cúmque hic Fratres vt ſignum ſanctæ crucis imprimeret, admonerent; reſpondebat virtute qua poterat, dicens: Volo me ſignare, ſed non poſſum, quia dracone premor: Spuma oris eius faciem meam liniuit, guttur meum ore eius ſuffocatur; ecce ab eo brachia mea comprimuntur, quia iam & caput meum in ſuo ore abſorbuit. Cúmq; hoc, ille pallens, tremens & moriens diceret; cœperunt Fratres vehementiùs orationibus inſiſtere & ab oppreſſione draconis præſentis ſuis precibus adiuuare: cùm repente liberatus cœpit magnis vocibus

1. Tim. 1. — *Luc. 19.* — *Luc. 15.* — *Pſal. 48.* — *Ioan. 14.*

Peccatorū minorum quotidiana vulnera. — *Dei timor qualis eſſe debeat.* — *Signum Crucis contra dæmonum tentamenta.*

Vocibus clamare dicens; Deo gratias, ecce diſceſſit, Ecce exijt, ante orationes veſtras fugit draco qui me acceperat. A Mox autem ſequuturum ſe Dominum, & eſſe monachum deuouit; atque à tempore illo, nunc febribus premitur, nunc doloribus fatigatur. Morti quidem ſubtractus eſt; ſed adhuc plenius vitę reſtitutus non eſt. Vos etiam Fratres poſt exhortationem quam habuimus ad pœnitentes; mecum admoneo vt vnuſquiſque veſtrum recurrat ad conſciētiæ ſuæ ſecreta, & interroget ſemetipſum qualiter per totum annum, maximè his ſacris diebus, conuerſatus eſt: Et ſi inuenerit in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum, ſtudeat auxiliante Deo quantocius euellere, & euellendo eradicare; hiſque eradicatis fodiat vomere ſalutari, ac ſtercora, id eſt; bona opera, immittat vt poſſit facere fructum: &, ſi vel hodiè puriter confeſſus ac deuotè cōuerſus fuerit vt valeat dignus B intereſſe ſolemnitati præſentis diei, quæ, quia in ea Dominus cum Apoſtolis ſuis cœnauit, cœna vocatur: Videat ſummopere vt ſacramenta corporis & ſanguinis Domini dignè recipere queat; quatenus potius ſalutem quàm damnationem ſibi acquirat. Lauet prius lacrymis pedes cordis, & poſteà pedes pauperis; quia peccatorum vita iam indigna eſſe non poteſt quæ fletibus lauatur: faciat eleemoſynam ſecundum poſſe ſuum, ſcriptū eſt enim: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*. Hinc iterum dicitur, *conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit*. Non ergo abhorreamus pœnitentes iſtos propter magnitudinem ſcelerum ſuorum; quia poteſt fieri quòd multi ſunt inter nos qui peiora commiſerint; & quamuis in eiuſmodi facinora C dilapſi ſint, hi tales quamuis ſe eſſe exiſtimant; illos tamen feliciores dicere non dubitamus qui in hoc ſeculo à Domino flagellantur: *quos enim amat, arguit & caſtigat, flagellatque omnem filium quem recipit*. Sed quantum de iſtis gaudendum, tantùm de illis lugendum qui neque ad confitenda peccata, neque ad pœnitudinem agendam conuerti dignantur, & minimè ob hoc à Domino flagellantur. Reſeruantur, proh dolor! ad ſupplicium futurum. De quibus Pſalmiſta, *in labore hominum nō ſunt & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia*. Qui ergo in hac quadrageſimali dierum obſeruatione dedimus decimas poſſeſſionum noſtrarū debuimus dare & decimas corporum noſtrorum: nam ſicut multos veſtrum ſcire non ambigimus & ſicut à patribus tra- D ditum eſt, hi dies decimæ ſunt totius anni. Annus quippe in trecentos ſexaginta ſex dies voluitur, de quadragenario ergo numero tolle ſex Dominicos dies, remanent triginta ſex. In abſtinētia, in iſtis diebus præueniamus faciem Dei in confeſſione & in Pſalmis iubilemus ei. Conſideremus quam terribilis Iudex ad iudicandum veniat: prope eſt enim tempus illud, clamante hoc Ioāne Apoſtolo; *Chariſsimi, nunc nouiſsima hora eſt*. Conſideremus iudicium illud quàm diſtrictum, quam ſeuerum, quàmque ſit metuendum: In quo non ſolum ſancti Dei, ſed & Angeli formidabunt iuxta illud Beati Iobi *Columnæ cæli* contremiſcunt & pauent ad nutum eius: & Dominus in Euangelio, *nam virtutes Cælorum mouebuntur*: Mouebuntur, id eſt, timebunt & expaueſcent. Quod E & ſub alio ſenſu poteſt intelligi, mouebuntur, id eſt, ad vindictam excitabuntur: quia iudicium illud per Angelos Dominus exercebit, *& tunc videbunt Filiū hominis venientem cum poteſtate magna & maieſtate*. Poſtulemus ergo ſinguli poſtulemus omnes vt nō tunc inueniat in nobis quod damnet, ſed potius quod remuneret Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu ſancto, per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

Eccl. 29.

Pœnitentes publica horrori eſſe non debent.

Hebr. 12.

Pſalm. 72.

In ieiunium Quadrageſimale eſt decima totius anni.

1. Ioan. 2.

Iob. 26.

Luc. 21.

Matth. 25.

Homilia XIIII.

Debitorem (Fratres) me eſſe fateor pro obſequij veſtri miniſterio; vt cum præueniente nos & comitante Dei gratiæ dono, & ſuggerente ori noſtro fercula, ſic veſtris auribus exhortationis noſtræ inſonet ſermo, quamuis illo veſtris animabus ſalutaris paretur cibi refectio. Sed A quid agam? quo me vertam? vnde mentes veſtras reficiam; qui paupertate & tarditate eloquij coanguſtor; qui in terra deſerta & inuia & inaquoſa conuerſor, qui caligine ignorantiæ & diuerſarum tenebris contrarietatum veluti profunda nocte circumfundor? Vnde ſufficientes tot fratribus & amicis copias erogabo, qui vnum ſaltem amicum, id eſt, animum meum, qui per lata huius ſeculi euagatus & magna defectione laxatus, tandem ad me reuertitur, cum non habeam, vnde vos ſuſtentare valeam, ex me reperire nequeo. Sed inter has pectoris anguſtias (fratres mei) eſt vobis fortiſſimum atque firmiſſimum certi refugij ſolatium, illud Dauidici dicti & facti exemplum, *ad Dominum* (inquit) *cum tribularer clamaui, & exaudiuit me*: Itémque, *in tribulatione inuocaui Dominum & exaudiuit me in latitudine*. B Non igitur in quacùmque difficultate poſiti, aliqua (quod abſit) deſperatione frangamur: ſed in quo nos ſuccumbere cernimus, deuotis orationibus & inſtantiſſimis precibus eius auxilium flagitemus ſine quo nihil boni facere valemus, ipſo dicente, *ſine me nihil poteſtis facere*. Nec ambigendum nobis de effectu precis noſtræ, ſi iuxta admonitionem Euangelicæ parabolæ ſurgentes media nocte, oſtium amici noſtri orando pulſemus aſſiduè, & omnibus momentis non ſolùm diebus ſed etiam noctibus perſeuerantes in ſupplicandi intentione, compellentes eum amicabiliter, qui ſolus, faciendo in nos, miſericordiam, proximum ſe nobis & amicum dignatus C eſt oſtēdere. Nam quis nobis amicitior illo qui pro nobis ſeipſum voluit in mortem tradere? ipſe ergo tantus amicus hortatur iubétq; nos petere quod deſiderat dare & impetrandi dat ſecuritatem non tantùm pro familiaritate, ſed etiam pro importunitate, dicens: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis*. Hac ergo accepta fiducia ab eo, ne vobis immortalitatis huius anfractu grauiter fatigatis, deſit panis refectionis qui confirmat cor hominis, excitemus nos quantocius à ſomno corporis. *Hora eſt enim* (ait Apoſtolus) *iam nos de ſomno ſurgere*. Accedamus ad hunc noſtrum amicum cum fide & piæ appetitionis reuerentia, & pulſemus opportunè importunè, dicentes: Amice reſera nobis oſtium id eſt, intelligentiam tui diuini ſermonis. Com- D moda nobis tres panes: hoc eſt infunde cordibus noſtris, Fidem, Spem, & Charitatem: cognitionem ſcilicet atque amorem ſanctæ Trinitatis, ne miſerabili pereamus fame, remoto ſubſidio alimoniæ ſpiritalis. Si ergo in his precibus inſtanter perſeuerantes fuerimus, proculdubio poſtulata accipiemus, quia in nomine eius poſcimus qui fidelis eſt & non mentitur, dicens: *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. Dei igitur largiſſima bonitate confiſi qui potens eſt omnem gratiam facere in nobis & in vobis abundare & dare ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus: aut cordis ad Dominum aperiamus vt eius gratiæ ſpiritum attrahamus; os corporis vobis reſeramus, vt in nomine Domini loquamur quicquid eiuſdem ſpiritus munere percepimus; E illius Apoſtolicæ ſententiæ memores in omnibus; *omnia quæcunque facitis, in verbo aut in opere; omnia in nomine Domini noſtri facite*. Vos autem (fratres) intenta aure quæ dicuntur accipite. Dominus & redemptor noſter verus Paſcha cum ſuis hodiè diſcipulis conſummās, & nouum quod illo figuratur initians; quàm nimia nos diligat charitate, quantùmque noſtræ congaudeat ſaluti; inter agendum aperit cùm ait: *deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*. Vnde & Ioannes Euangeliſta; quod hæc vis dilectionis vſque ad mortem illum perduxerit, & quòd illud Paſcha (quod tranſitus interpretatur) myſticè ſignauerit; ſicut audiuit modò fraternitas veſtra eleganti ſatis ſententia expreſſit dicens. *Ante diem feſtum Paſcha ſciens Ieſus quia venit eius hora vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Quid eſt, *in fi-*

Pſalm. 62.

Pſalm. 119.

Pſalm. 117.

Ioan. 15.

Luc. 11.

Luc. 11.

Rom. 13.

Ioan. 15.

2. Cor. 9.

1. Cor. 10.

Luc. 22.

Ioan. 13.

nem dilexit eos; niſi quòd in tantùm eos dilexit vt ſeipſum pro eis traderet & præſentem vitam finiret: ſicque ſuo Paſchate; id eſt, tranſitu ex hoc mundo ad Patrem nos de vitijs ad virtutem, de terrenis ad cœleſtia, de caducis ad æterna tranſire doceret? Sed ſcire vos oportet, qualiter verus inſtitutio Paſcha celebrari præcipiat; vt quantum veſtræ ſalutis myſterium in hac adumbratum fuerit celebritate, vnuſquiſq; veſtrum recognoſcat. Le-
Exod. 12. gitur in Exodo ſicut audituri eſtis craſtino, filijs Iſraël per Moyſem præcipiente Domino vt decima die menſis primi tolleret vnuſquiſq; agnum anniculum & ſine macula, per familias & domos ſuas; & ſeruaret eum vſque ad quartum decimum diem eiuſdem mẽſis, immolaretq; cum vniuerſus Iſraël ad veſperum, & carnes eius comederent nocte illa aſſas igni cum azimis panibus & lactucis agreſtibus: *&c.* Quæ cuncta in vero Dei Agno Ieſu Chriſto adimpleta, & ſuo noſtróque Paſchæ ſunt coaptanda; vt quod tunc agebatur figuratè, nunc fiat in veritate. Agnus denique ille, vt diximus, Chriſtus eſt; qui decima die primi menſis Hebræorum, qui apud illos, Niſan; apud nos, Martius vocatur, Hieroſolymam
Matth. 21. paſſurus venit, ſedens aſino, exceptus à turbis cum magno ſanctæ laudationis tripudio. Quod nos, & ſi non condigne, debitis tamen tantùm votis, die celebrauimus Dominico notandum ſanè quod dicitur; *tollat vnuſquiſque agnum.* Dum enim dicit, *vnuſquiſque*; neminem noſtrum ab hac myſtica Paſchæ feſtiuitate vult exceptum haberi; ſed omnes nos, eandem ſumma cum deuotione celebrare. Simus ergo omnes (vt decet) parati ad eſum tanti agni, de quo apertè ſequitur, quòd maſculus fiet, anniculus & abſque macula. Maſculus quippe Agnus dicitur, quia in Chriſto nulla peccati mollities fuit; ſed omnia in virtute ſpiritus, tam doctrina quam opere exercuit. Idem quoq; anniculus: hoc eſt perfectæ ætatis extitit, quia cùm eſſet triginta trium annorũ, ſuam paſſionem expleuit, verè ſine macula alicuius vitij. Non enim
1. Pet. 2. ſicut nos in iniquitatibus conceptus & natus eſt; & neque *peccatũ fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Hic ſeruatus eſt vſque ad xiiij. diem menſis; quòd vt prædiximus x. die, ſe in loco paſſionis præſentauit docens quotidie in
Ioan. 18. Ioan. 7. Templo; & *quoniam nondum venerat hora eius, nemo in eum miſit manus* vſquequo ipſe voluit: qui poteſtatem ponendi & ſumendi animã ſuã habuit: vſq; ad xiiij. ſcilicet diem; hoc eſt hodierna die ad veſperam quando peracta ſacroſancta cœna & lauatione pedum diſcipulorum D ſuorum, à miſerrimo miſeria, ſed à non miſerabili Iuda traditus & à miniſtris comprehenſus in craſtinum eſt crucifixus. Ad veſperam autem agnus immolari præcipitur; quòd in hac nouiſſima ſæculi ætate, iam veſperaſcente mundo, pro nobis Chriſtus occiditur, huius agni noſtri carnes aſſas edere debemus, vt nihil de eo carnale ſentiamus: ſed Spiritus ſancti operatione eum incarnatum; verum in majeſtate Deum, verúmque in humanitate hominem, verè pro nobis propria voluntate mortuum, verè propria poteſtate reſuſcitatum credamus. Sic etiam ſic illius Agni carnes aſſas comedamus, vt percepturi ſacramenta corporis eius, ab omni fluxu cõcupiſcentiæ carnalis nos emundemus; & totos nos virtutibus & igne ſancti Spiritus roboremus. Edendæ E ſunt quoque carnes iſtæ, cum azimis panibus & lactucis agreſtibus. Azima dicimus abſque fermento; fermentum verò, malitiam deſignat & dolum. Abſque fermẽto igitur agnum comedimus; ſi ſacram Eucbariſtiã, ſine malitia, dolo, & ſimulatione, in ſinceritate bonæ vitæ percepimus. Lactuca quoque agreſtis valde amara eſt, & in viris luxuriam reprimit. Significat autem hoc, vt quãdo ad corpus Chriſti (qui & verus Agnus eſt) ſumẽdum accedimus, quamuis de redemptione lætemur, amaritudinem tamen ex recordatione peccatorum habeamus; vt dulceſcat ex venia quod amareſcit ex pœnitentia: ſimúlque reſtenata luxuria ſeruetur corporis & cordis munditia, ne forte (quod abſit) incurrat aliquis illud damnationis periculum quod modò nobis ex Apoſtoli dictis eſt oſtenſum. *Qui manducat, inquit, & bibit indignè,* A *iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.* *1. Cor. 11.* Vnde adhuc in ipſa lege, poſt pauca ſubiungitur: *Renes veſtros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus & comedetis feſtinantes.* Et nos (Chariſſimi) Agnum noſtrum comeſſuri; renes noſtros accingamus: id eſt, delectationes noxias, & carnalium deſideriorum fluxa reſtringamus. Calceamenta in pedibus habeamus: id eſt; operum noſtrorum greſſus, exemplis ſanctorum Patrum muniamus. Nam ſicut calceamentis quæ ex mortuis fiunt animalibus, pedes corporis circundamus; ſic ſanctorum Patrum, qui iam deceſſerunt exemplis, ſenſus animæ & actuum noſtrorum pedes circundare debemus, ne fœtido terrenæ prauitatis luto deturpemur. Et baculos neceſſe eſt in manibus teneamus; vt in cunctis quæ agimus, timorem Dei viuum præ oculis B habentes, ſecundùm ipſum opera noſtra dirigi poſtulemus, cum Pſalmiſta dicentes; *Reſpice Domine in ſeruos tuos:* & cætera; vſque, *dirige*: vt iterum cum eodem dicere *Pſalm. 98.* poſſimus; *Virga tua & baculus tuus ipſa nos conſolata ſunt.* *Pſalm. 22.* Nec prætereundum eſt negligenter quod dicitur; *comedetis feſtinantes*: feſtinantes namque Paſcha comedimus cùm nos hîc non habere certam manſionem recolentes quotidie de feſtinanti & iam iámque imminenti fine ſuſpendimur; aſſiduè meditantes, quoniam incolæ ſuper terram & peregrini ſumus: Vt enim ait Apoſtolus; *non hîc permanentem habemus ciuitatem, ſed fu-* *Hebr. 13.* *turam inquirimus.* Si ſic, fratres, nos præparare ſtuduerimus; tunc dignè, Phaſe ſiue Paſcha, id eſt; tranſitum, Domini celebrabimus: & cum pura conſcientia, ſecuri C ac læti de redemptione noſtra; carnes Agni, id eſt; corpus Chriſti, non ad iudicium, ſed ad ſalutem animæ & corporis, & ad percipiendam cum ipſo ſempiternam gloriam percipiemus: quod ipſe præſtare dignetur, Amen.

HOMELIA XV.

FRATRES, ſicut audiſtis poſt Euangelicam lectionem; admonitus venio ad oues quæ errauerãt de grege mihi commiſſo: & non ſolùm errauerant, ſed etiã quodam modo perierant. Oportet itaque nos per impoſitioné manus & per D gratiam ſancti Spiritus, eas à morbo ſuæ putredinis ſpirituali medicamine eripere, & ſic ad præſepiũ ouilis reducere, &, ſi neceſſe eſt, propriis humeris reportare, de quo Diabolo furente ſublatæ fuerant. Nunc ergo ſermo exhortationis, pro debito paſtoralis regiminis mihi ad vos inchoãdus, & ad illos conſummandus eſt. Sed quoniam in agro cordis mei fertilitatem docendi metere nõ valeo; viſcerali dolore ingemiſco: & ideò quòd tacere non audeo, clamans & dolens ad Dominum dico *vt ape-* *Iacob. 5.* *riat labia mea, & os meum annunciabit laudem eius.* Quapropter precum veſtrarum deuotionem expoſtulo: & quoniam inter vos plures iuſtos eſſe non ambigo; illud Iacobi Apoſtoli impleri non diffido, *multum valet deprecatio iuſti aſſidua Eccleſia,* quæ quinta feria dierum cœna Do- E mini ex antiqua Patrum conſuetudine nuncupatur, eò quòd Dominus in hac nocte cum Apoſtolis ſuis cœnauerit, complens veteris teſtamenti Paſcha, tradénſque eis myſteria corporis ac ſanguinis ſui. De cuius Cœnæ obſeruatione redarguit Apoſtolus Corinthios, dicens: *conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam* *1. Cor. 11.* *manducare*: id eſt, non eſt vobis licitum Dominicam cœnam taliter manducare qualiter vos manducatis. *Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit*: ille ſcilicet qui paupertate præmittitur. *Alius autem*, id eſt, diues quilibet ſanè præpotens, *ebrius eſt.* Hæc ideò dicit quia Corinthij qui per prædicationem eius ad fidem venerant, ſolebant in hac die deferre ad Eccleſiam panem & vinum, & dabant ſacerdoti ad conſecrandum

Digitized by Google

ſectandum, expletíſque myſterijs vnuſquiſque quod dederat recipiebat. Sed & quidam illorum in foribus templi præparabant ſibi conuiuia, in conſpectu pauperum, nihilq; horum, eis expectantibus erogabant: vnde notat eos, dicens: quod *alius eſurit, & alius ebrius eſt*. Et idcirco ſubiungit; *nunquid domos non habetis ad manducandū, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis*? id eſt, pro nihilo ducitis: *& confunditis eos*: hoc eſt, verecundari facitis quod non habent? *Quid dicam vobis? laudo vos; In hoc non laudo*: videlicet quòd ſic inordinatè & ſine charitate comeditis. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quia Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur accepit panem, & dixit; Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* Scitote (fratres dilectiſſimi) veraciter, ac credite firmiter; quòd ſicut caro Chriſti quàm aſſumpſit in vtero Virginis, verum corpus eius eſt & pro noſtra ſalute occiſum: Ita panis quem tradidit diſcipulis ſuis, & quem quotidie conſecrant Sacerdotes in Eccleſia; verum corpus eſt Chriſti. Nec ſunt duo corpora, Caro quam aſſumpſit, & iſte panis, ſed tantùm vnum corpus: in tantum quòd dum ille frangitur & comeditur; Chriſtus immolatur & editur, & tamen vnus & integer permanet. Certè Redemptor noſter conſulens noſtræ fragilitati, tradidit nobis hoc ſacramentum; vt quia ipſe iam non poteſt mori, & nos quotidie peccamus, habeamus verum ſacrificium quo poſſimus expiari à peccatis noſtris. Quocirca cum timore & compunctione mentis omnique reuerentia, debemus accedere ad altare, & ad menſam corporis & ſanguinis Domini, & dicere humiliter cum Centurione; *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* (Matth. 8.) Interim autem dum cogito, dumque in corde meo requiro quibus verbis vos moneam fugere à ventura ira; nulla præſtātiora viſa ſunt quàm ea quibus Dominus in initio ſuæ prædicationis omnibus perſuadere cōtendit dicens: *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum.* (Matth. 4.) Quicunque ergo veſtrum his quadragenum dierum obſeruationibus pœnitentiam & confeſſionis ſuæ debitum ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias: & quicquid templum Dei violando in ſe deſtruxerit, nō deſperet, ſed citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat. Nō enim quod peccat, ſed quòd in peccato perſeuerat, Deo odibilis eſt. Vt ergo verbis Domini ſecundum Marcum vtar, quibus dicit: *quod dico, omnibus dico*, vigilate: (Marc. 13.) Similiter quod dico, omnibus vobis dico; Clericis, Laïcis, ac Sanctimonialibus: vt quicquid ſe recolit inuidiæ aut detractionis, odij quoque & fornicationis ſiue inceſtus vel periurij, cæterorúm-ve vitiorum contagione adtactum, ſaltem, hodiè per diuinæ ſalutis medicamentum, inquantum præualet, ſe purificare procuret. Confiteatur *aduerſum ſe in iuſtitiam* ſuam *Domino, vt remittat impietatem* cordis ſui, & *reliquiæ cogitationum eius diem feſtum agent Domino.* (Pſalm. 31. Pſalm. 75.11.) Tunc enim reliquiæ cogitationis diem feſtum agunt Domino, quando peccator quilibet poſt priùs datam confeſſionem, ſe cohibere pollicetur ab iniquitate ſua, totuſque protumpit in lachrymas & in afflictionem cordis, quoniam *cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit*: (Pſalm. 50.) & huiuſmodi feſtiuitas Angelis exultantibus fit, Veritate atteſtante, quæ ait: *quia gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore coram Angelis Dei.* (Luc. 15.) Quia ergo maiora crimina admittentibus, maiora ſunt adhibenda remedia; conuertam me ad vos quos Eccleſia ex more Pœnitentes vocat; cupiens audire & videre, quanta intentione deflere ſtuduiſtis commiſſa veſtra, & quanto ſtudio deinceps procurare vultis ne in barathrum perditionis, animæ veſtræ relabantur. (*Publicè pœnitentium vulnera.*) Ex ipſis namque fracturis vel vulneribus corporum infirmitates poteſtis cognoſcere animarum veſtrarum. Si enim alicui crus frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum reuocari officiū: ſi verò ſecundo & tertio eodem loco, membra ipſa frāgantur; poteſt intelligere charitas veſtra, cum quantis doloribus & cruciatibus vulnera ipſa curanda ſunt; & tamen poſt longos & multos labores, vix erit vnquam vt ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant reuocari.

Similis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt. Si ergo ſemel aliquis, ſecundo capitalia crimina amiſerit & ad pœnitentiæ fructum confugerit; incolumitatem quam perdiderat, recipiet: ſi verò crimina criminibus cœperit addere, & animarum vulnera tegendo permiſerit putreſcere; (*Metuenda eſt capitalium criminum conſuetudo.*) timendum eſt mirum in modum ne in illo impleatur illud prophetæ; *computruerunt iumenta in ſtercore ſuo*: (Ioel. 1.) & illud Apoſtoli, *ſecundum duritiam cordis tui & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* (Rom. 2.) Nam vt de indulgentia diuina nemo diffidat; Dominus noſter per Prophetam conſolatur nos, *nolo* (inquiens) *mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Sic tamen non ei fidat vt ſine mora ipſius animam repropiciari æſtimet; ne fortè ſi conſuetudinem grauiter peccandi tenuerit; (Ezech. 33.) etiam ſi velit, iam de Diaboli laqueis euadere non poſſit. Dauid, qui & Rex & Propheta diuino munere fieri meruit; poſt tantam gratiam ita perditus eſt vt non ſolùm adulterium committeret, ſed etiam homicidium perpetraret; (2. Reg. 12.) nec tamen ſe ad hoc reſeruauit, vt in ſenectute ſua ad pœnitentiæ medicamenta confugeret: ſed in cilicio proſtratus & conſperſus cinere, cum ingenti rugitu, planctu, & gemitu, pœnitentiam agens impleuit illud quod in Pſalmis dixerat: (Pſalm. 6.) *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et iterum; *cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* (Pſal. 101. 4. Reg. 1. 2. Paral. 33.) Manaſſes quoque Rex vt in Scripturis legimus, tam ſacrilegus & impius fuit vt de illo ſcriptum fuit, quòd totam Ieruſalem omni iniquitate repleuerit: & tamen hic in captiuitatem ductus & in carcerem miſſus, cum grandi humilitate pœnitentiam agens ita gratiam Dei optimi promeruit, vt mereretur inter amicos Dei poſtmodum numerari. (Luc. 7.) Meretrix etiam illa quæ pedes Domini lachrymis lauit & capillis exterſit, audire meruit, quod ei omnia peccata fuerint dimiſſa. Deniq; vos ſacerdotes, qui & ſanctuarij lapides nuncupamini; ſcientiam Scripturarū ſemper exquirite, propter illius Malachiæ Prophetæ dictum; (Malach. 2.) *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*: vt animabus vobis commiſſis, verbum vitæ annunciare queatis timentes illud cuiuſdam incurrere: *væ mihi quia tacui* (Eſa. 6.) perpendite quæ mala negligens Heli ſacerdos perpeſſus eſt; & quam gloriam Phinees qui zelo Dei commotus eſt, ipſo remunerante perceperit. (1. Reg. 2.) Et ideò, quantò poteſtis ſtudio procurate vt animæ vobis commiſſæ, in futuro iudicio potiùs æterna gloria perfrui mereantur quàm in exteriores tenebras proijciantur. Vulnus ſane quod videri poteſt & palpari citiùs ſanatur quam illud quod occultatur. Hoc ideo dico quia ſunt plerique in nobis & ex vobis, quorum crimina ita teguntur vt ad reconciliationis gratiam non admittantur. Hi tales lugendi & ab Eccleſiæ interuentu arcendi ſunt, vt quamuis non reconcilientur per manus impoſitionem & abſoluantur, tamen per bonorum operum exhibitionem & caſtigent corpus ſuum & ſeruituti ſubijciant. *Auertant oculos ſuos ne videant vanitatem*, (Pſalm. 118.) obturent aures ſuas ne audiant linguam derogantem; exerant manus ſuas ad benè operandum, & pedes ſuos ad currendum in via Domini.

Omnis Scriptura (fratres mei) diuinitus inſtituta; ſecundum Apoſtoli ſententiam, *vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendū, ad erudiēdum in iuſtitia.* (2. Thim. 3.) Quapropter quiſquis ſedulus earum eſt meditator, & internè eas cōſpicit inueniet in ſermone ſuaue documētum, & in ſenſu ſalubre conſilium, in myſterio honorabile ſacramentum. Non enim ſolùm modo ſufficit lectoribus diuinorum librorum ſenſus hiſtoricus; ſed etiam diligenter eis eſt conſiderandum, quid per allegoriam eis Propheticus ſermo innuere velit: ſicut habetur ſeries lectionis Agni Paſchalis qui populo Iſraëlitico legali obſeruatione iuſſus eſt immolari, typice demonſtrans Agnum immaculatum Dei Patris Filium, cuius hodie Paſſionis

Ioan. 1. Exod. 12. Cœnam celebramus. De quo Ioannes; *ecce* (inquit) *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.* Qui videlicet Agnus Paſchalis, ad veſperam immolatur; quia vltima mundi ætate pro nobis Chriſtus occiditur. De cuius ſanguine poſtes domorum tinguntur, id eſt, corpora fideliũ: quia oportet Euchariſtiam adſumentes, caſtis cogitationibus & recta intentione bonæ voluntatis munitos fornicationis in nos cohibere incurſum; vt in omnibus redemptione Chriſti nos ſciamus eſſe ſaluandos. Eius carnes aſſas comedimus, ſi nihil in nobis fluidum relinquimus; ſed totum virtutibus ſolidatum, & igne ſancti Spiritus decoctum approbamus, velut Pſalmiſta; *Pſalm. 21.* *exaruit* (inquit) *velut teſta virtus mea.* Quid námque eſt teſta ante ignem, niſi molle lutum? ſed de igne agitur, vt ſolidetur. Virtus ergo humanitatis Chriſti velut teſta exaruit; quia ab igne Paſſionis, ad virtutem incorruptionis creuit. Caro etiã agni cum azimis panibus & lactucis agreſtibus eſt edenda; vt cùm corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis noſtris in fletibus affligamus; quatenus ipſa amaritudo pœnitentiæ abſtergat à mentis ſtomacho, peruerſæ amorem & prauitatem vitæ: vt feſtinanter Paſcha comedendo ad ſolum patriæ cœleſtis anhelemus; *Hebr. 12.* & de peioribus ad meliora pergentes, tenebroſam Ægyptum relinquamus intelligentes nos hic non habere manentem ciuitatem, ſed futuram inquirendam. *Ephes. 2.* Ad quam Mediatoris Dei & hominum paſſione interueniente, toto mentis affectu curramus; vt non hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei ibi eſſe poſſimus, collaudantes illum qui pane cœleſti in hac peregrinatione nos ſanat, vt viſionem æternæ claritatis ſine defectu luminis cernere poſſimus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Homelia XVI.

Fratres chariſſimi; Spiritus ſanctus per Eſaiam Prophetam, Sacerdotibus & Leuitis, omnibúſque Doctoribus Eccleſiæ præcipit dicens: *Eſai. 58.* *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et per Ezechielem Prophetam, *Ezech. 3.* *ſi* (inquit) *non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Sed quia multi qui intra matris Eccleſiæ viſcera ſunt, Catholici videntur & Chriſtianitatis nomine cenſentur; ita in exterioribus dati, vt nec veram fidem Chriſtianorum retineant corde, neque bonis operibus ſe eſſe Chriſtianos oſtendant: neſciunt enim ſacramentum huius nominis ac virtutem; & quoniam nomen Chriſtianum à Chriſto Dei Filio vocabulum ſumpſit, & per ſanctos prædicatores creſcendo vſque in vltimos fines terræ peruenit, idcirco tam Doctoribus quàm auditoribus ſcire neceſſe eſt, ob quam cauſam Dei Filius, qui verus eſt Deus ex Deo Patre, in hunc mundum venerit & veram carnem noſtræ ſimilem, ex ſubſtantia Mariæ Virginis abſque peccato ſuſceperit, & diuinitati ſuæ vniuerit; vt qui erat ex Patre (vt dictum eſt) verus Deus; ipſe fieret ex Matre, verus homo vnus atque idem; non amittẽdo quod erat, ſed aſſumendo quod non erat, ipſe in aſſumpta humanitate propter vnctionem Spiritus ſancti Chriſtus eſt appellatus: à quo omnes credentes in eum per Baptiſmum regenerati, Chriſtiani ſunt appellati. Et quemadmodùm prior populus Iudæorum ex tribu Iuda vocabulum trahens Iudæi ſunt appellati; ita & nouiſſimus populus, ſub Euangelio à Chriſto (vt dictum eſt) Chriſtiani ſunt vocati. Vnde; quia Chriſtiani dicimur, Chriſti opera facere debemus. Et ideò qui ſe culpabilem eſſe recognoſcit; ad emendationem vitæ & ſatisfactionem pœnitentiæ recurrat, certus de Dei miſericordia: quam, ſi ex toto corde pœnituerit, & mala quæ anteà operatus fuerit vltra non fecerit, veniam à Deo conſequetur. *Eſai. 43.* Sic enim ipſe Dominus per Eſaiam Prophetam promittit dicens; *cùm conuerſus ingemueris, ſaluus eris.* Et iterum per eundem Prophetam; *ego ſum, ego ſum* (*dicit Dominus*) *qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non ero memor; dic tu prius iniquitates tuas vt iuſtificeris.* Per Ezechielem quoque Prophetam, *Ezech. 18.* rurſus Dominns ait: *ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis quas operatus fuerat, & fecerit iudicium & iuſtitiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* In Euangelio quoque, Saluator promittit dicens, *Luc. 15.* *gaudium erit in cælo Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis qui non indigent Pœnitentia.* *Prou. 18.* Salomon quoque ait in prouerbijs, *iuſtus prior eſt accuſator ſui.* Certum eſt enim quod nullus iuſtus niſi pœnitens; nemo autem impœnitens iuſtus: quoniam ſicut impoſſibile eſt hominem ſine peccato eſſe; ita abſque pœnitentia impoſſibile eſt ſaluum fieri, quoniam dicente Ioanne Apoſtolo: *1. Ioan. 1.* *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt; ſi vero confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra & mundet nos ab omni iniquitate.* In libris quoque ſanctorum Patrum de ſatisfactione pœnitentiæ, inter cætera hæc ſcripta ſunt: Pœnitentiam ergo peccatoris Deus expectat. Pœnitentia autem illa eſt vera, vt iam ampliùs non faciat homo mala quæ geſſit, ſed de præteritis pœniteat & de futuris caueat, nec ad ipſa iterum reuertatur. Et ideò chariſſimi iuxta Pſalmiſtæ vocem; *Pſalm. 33.* *declinemus à malo & faciamus bonum:* & vt ſcire poſſitis quomodò id fieri oporteat; audite quæ dicturi ſumus attentiùs. Quicunque ſnperbns fuit aut elatus, reprimat ſuperbiam ſuam, & ſit humilis & ſimplex; quia *1. Pet. 5.* *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Qui erat iracundus, vel quod eſt deterius, furibundus & minax, proteruus atque crudelis, compeſcat ſæuitiam ſuam & mentis crudelitatem, & ſit patiens, mitis atque pius, quoniam *Iacob. 1.* *ira viri iuſtitiam Dei non operatur;* & abſque patientia & pietate regnum Dei conſequi nemo poteſt. Qui fuit graſſator idem carnifex, ſiue, quod eſt deterius, homicida, conuerſus, agat dignam pœnitentiam & ſit manſuetus & pius: quoniam ſicut homicidæ, niſi dignam egerint pœnitentiam, vitam æternam conſequi non poſſunt; ita nec graſſatores qui ſine pietate miſerorum membra dilaniant ſiue detruncant. Qui erat inuidus ſiue odioſus, conuerſns à malitia ſua, ſit benignus atque miſericors, diſcat diligere fratrẽ ſuum quem priùs odio habebat. Qui fuit fornicator aut adulter ſeu inceſtus, immundus, conuerſus agat pœnitentiã, & deinceps viuat ſobriè atque continenter. Quicunque eſtis coniugati, viuentibus vxoribus veſtris, cum *Continentia in coniugio.* alijs fœminis nolite commiſceri & fieri adulteri vel fornicarij. Si quando anniuerſariæ feſtiuitates & Dominici dies occurrant, ante aliquot dies, etiam à proprijs vxoribus veſtris vos abſtinere conuenit, vt poſſitis mundo corde & caſto corpore, ad Miſſam Domini accedere, & *Miſſa.* corpus & ſanguinem eius ſine iudicio damnationis accipere. *Quadrageſima tempore continenter viuant vxorati.* Diebus autem quadrageſimæ vos omnibus modis à coniugum commixtione veſtrarum, ſicut decet Chriſtianos, abſtinere opportet: nam vt quidam ſapiens ait, ſimilis reatus eſt fideli Chriſtiano diebus quadrageſimæ etiam cum propria vxore concumbere, ſicut *Carnes, tempore Quadrageſimali prohibitæ.* & carnes in cibo ſumere. Qui erat ſcurra, id eſt, minator turpia ſectans & immunda loquens, corrigat ſemetipſum, & deſinat eſſe quod fuit: diſcat bonum loqui, qui priùs vana & turpia loquendo, tam ſe quàm auditores ſuos maculabat. qui erat auarus aut tenax, id eſt, qui aliena cupiebat, & qui ſua minimè largiebatur, contentus ſuis proprijs rebus, ſit largus & beneficus: id eſt, aliena non concupiſcat, non rapiat, non fraudetur, & inquantum vires ei ſuppetunt, porrigat. *Ephes. 5.* *Qui furabatur, iam non furetur ſed magis laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Qui erat comeſſator, id eſt, glutto aut ebrioſus, ſit parcus & ſobrius. Qui conſueuerat propter humanam famam indiſcretè res ſuas in cibo & potu ſuperfluè effundere,

diſcat

diſcat rationabiliter eas diſpenſare; quoniam ſicut abo-
A minatio eſt apud Dominum auaritia, id eſt; tenacitas, ita peccatum eſt, indiſcreta effuſio: nec tenaces enim nos eſſe vult Deus, nec prodigos, id eſt, effuſos. Qui erat mendax aut falſarius; corrigat malum ſuum, & ceſſet eſſe qualis fuit, ſitque amator veritatis & rectitudinis. Nec noſtrorum vulnerum multitudo nos in deſperationem deprimat; quia maior eſt potentia medici, quàm magnitudo languoris noſtri. Quid eſt enim quod reparate ad ſalutem non poſſit, qui potuit omnia ex nihilo creare? Vnigenitus quippe eſt omnipotenti Patri coæternus, cum quo viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Duos præterea (fratres mei) alloquimur: quos publica actio criminalis, publicam coëgit agere pœnitentiam: vnde vnuſquiſque veſtrum ad ſe rediens, conſi-
B deret ſi per amaritudinem pœnitentiæ Deo ſatis fecerit pro ſuis offenſis & delictorum maculis! Nam licet miniſterium reconciliandi Epiſcopali auctoritate in vobis complere velimus; tamen niſi Spiritus ſanctus, per cuius inuocationem, iſtud officium agitur, corda veſtra intrinſecùs purificata inuenerit; à reconciliationis gratia vacui remanebitis. Quapropter ſi deinceps ad ea quæ pœnituiſtis, redire non vultis; neque alia crimina, cuſtodiente & protegente Deo, perpetrare, in animo habetis: date nobis ſignum quo cognoſcamus quod magis cœleſtia quàm terrena ametis. Deo optimo gratias referamus; qui miſericorditer corda veſtra tetigit, vt mandata eius, corde ac mente exequi velitis, nec ad præterita vitia recurrere; ſed in eius dilectione atque præceptis perſiſtere velle vos oſtenditis, petentes iugiter & obſecrantes pietatem Domini noſtri Ieſu Chriſti vt bonum quod cœpit in vobis agere, dignetur & perficere cum bonis operibus ac largiflua lachrymarum effuſione. Beatum námque Petrum Apoſtolorum principem legimus prius culpam fleuiſſe; quid tamen pœnitens, in fletu dixerit; non inuenimus. Lachrymatus eſſe dicitur; verùm, quòd preces quoque ſatisfaciens fuderit, non refertur. Cur hoc; niſi quod vtiliores ſunt preces lachrymarum, quàm imploratio ſermonum? quia ſermo in precando falli poteſt. Sermo enim interdum non totum hominis profert negotium: Lachrymę, totum ſemper loquentes produnt affectum. & ideò Petrus in pœnitentia ſua iam non vtitur ſermone quo Chriſtum negauerat; ne illi ſermoni non crederetur ad confitendum quo vſus fuerat ad negandum. In omni igitur culpa priùs flendum eſt; & ſic deinde, precandum: lachrymæ enim tacitæ quodammodò preces ſunt. Veniam non loquendo poſtulant; ſed merentur. Cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequentur quam ab ipſo Redemptore noſtro conſequi poſſumus; qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Lachrymæ precibus vtiliores Pœnitenti.

B. Petrus Apoſtolorum Princeps.

PANDECTES SCRIPTVRAE

DIVINITVS INSPIRATÆ VENERANDI PATRIS ANTIOCHI ANTE ANNOS QVIDEM AB HINC nongentos ab Authore æditus: Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſienſis Monacho interprete.

Fuit iſte Antiochus Monachus Paleſtinus Lauræ S. Saba Abbatis, vir ſanctitate & doctrina inſignis, qui ſub Heraclio Imperatore vixit, & ſub cladem Ieroſolimitanam, qua vrbe capta, ſignum S. Crucis à Chorſoe in Perſidem abductum eſt (Incidit ea in annum ſalutis 614.) ſcripſiſſe videtur, vt apparet ex Homelia 107. & alijs locis, præſertim in exomologeſi, quæ eſt ad finem homeliarum in epiſtola dedicatoria. Occaſionem verò & inſtitutum ſcribendi hoc opus ipſemet Antiochus exponit initio Homeliæ 66. De eodem plura exhibent tibi Annales Eccleſiaſtici, Tom. 8. Anno 614.

Ex eiuſdem Godefridi Tilmanni Præfatione in ſuum Antiochum nuncupatoria.

S*VNT qui maiore eloquentia ſcripſerint permulti: at pauci perſpicuam huius (de ſancto Anthiocho loquitur) breuitatem fœliciter aſſecuti ſunt. Rarenter hæc vna dos vnicuipiam contingit: amabilis plurimùm noſtræ iſtius ætatis hominibus. Quam decorè conſeruauit,* τὸ πρέπον*: hoc eſt, ordinis decorum in his digirendis Homilijs libet compendio perſtringere. A fide orditur telam ſui operis: quæ Chriſtianæ religionis virtutúmque omnium ſolidiſſima crepido eſt & baſis totius ſpiritualis fabricæ. Siquidem teſte Aurelio Auguſtino: vbi deeſt agnitio veritatis æternæ, falſa eſt virtus omnis, etiam in optimis moribus, fidei adiungit indiuiduam comitem, Spem; Fabricæ iſtius faſtigium, Charitas eſt: quæ hominem rectà ad regnum prouehit: quare Charitatem & regnum, ad calcem operis relegauit. Iacto proinde fidei ac ſpei fundamento: amolienda primùm veniunt quæ impedimento eſſe poſſint, in quorum cenſu primas tenet Gaſtrimargia, teſte Caſſiano cap. 3. lib. 5. Remolitus primum vitia: mox progreditur ad virtutum ſubſtructionem. Sed & hoc illi perpetuum eſt: Nullam non harum 130. Homiliarum finit deſinens* εἰς τὴν θεοῦ δοξολογίαν *Et quidem hæc de opere. Ad tertium flectendus mihi eſt calamus. Hic mihi cùm primis commonendus videre Lector, vt ne præproperam feras ſententiam ſi quid inter*

legendum ſe offeret tuis auribus inſolens, quod in ſpeciem præferet notam curioſæ nouitatis. Habuit hic pius cum magno Athanaſio commune illud διδακτικὸν: genus vtique docendi preſſum & adſtrictum, ab omni oſtentatione & affectatione prorſus abhorrens. Sex occurrerunt ex verſione & relectione, quæ rudem linguæ Græcanicæ & craſſioris iudicij lectorem offendere poſſent. Primum eſt: Interciſæ aliquot, pendentes & inabſolutæ ſe obtulerunt ſententiolæ: Et has abſolui, mutuatus quod deerat è biblijs Aldinis: quæ quidem Græca feruntur eſſe è 70. editione: ego veriùs crediderim Theodotionis eſſe, ex collatione locorum Hieronymi in Prophetas maximè. Et hæ perquam paucæ: vt illa eſt ex homil. 91. Omnis ſermo ἔγνωκας Et ſub medium ſequentis ex Iob: deſit nonnunquam negatio, μὴ. Alterum eſt, quod niſi nanciſcetur æquum temporis & rerum æſtimatorem, nota illi inuretur nouitatis. Duo proferam inſigniora. Prius, homil. 98. Οἰκέτην famulum, vel populum, ſeruum: pro quo Aldus, ἱκέτην ſupplicem habent: Alterum homil. 119. ſub finem: θήραν venationem eius benedicens: pro quo Aldus, θυγατ. ianuam, Eccleſia, χήραν viduam. Facilis tranſitus, θ. in χ. Lege Hieron. & Auguſt. Tertium occurrit: propria Hebraïca, quàm nos Latini corruptius inducit. Et hoc illi commune eſt cum cæteris Græcis Doctoribus. In Prologo, & Homil. 2. de Spe: Sunamitis profert & interpretatur Cæleſtem quaſi à ſchamain, cæli etymum ſortiatur: quum Sunamitis ſit dicendum à Suna oppido: nempe Abiſax: σαραφθία Hom. 20. pro Sareptana vidua: Iothor pro Iethro. Similia paſſim apud Chryſoſtomum & Nazianzenum Hom. 74. Nabuthe, pro Naboth: vt & Baſilius: Qui Nabuthe Iſraëlitam perdidit? Nónne Achaaz cupiditas vineæ? Quin & Ambroſius Græcanicæ dictionis æmulus, librum ſcripſit de vinea Nabuthe. Horum gratiam arbitror nos debere ſecundum Deum vni Hieronymo. Quartum eſt in amplificandis virtutibus & exaggerandis vitijs cenſeri poterit immodicus: ſed & hoc illi commune eſt cum veteris Eccleſiæ Doctoribus, præſertim Ioanne Chryſoſtomo. Crediderim Antiochenum à puero exercuiſſe ingenium in ſcribendis Panegyricis, Encomiaſticis & Epidecticis orationibus. Quintum eſt: negari non poteſt quin alicubi lapſus ſit de memoria: vt quum Hom. 78. pro Abacuc, inducit Sophoniam: pro Malachia, Micheam ſub finem 107. pro Eccleſiaſtico, iterum Sophoniam. Sed hæc leuicula aſcribenda amanuenſi ſcribæ & exceptori, cui forſan de memoria dictabat. Supereſt ſextum, quod vt plus habet cæteris momenti, eóq; plus periculi: ita & de hoc mihi diſſerendum eſt conſultiùs. Vbi enim maius vertitur periculum, ibi magis eſt conſulendum: li. ff. 14. de Carboniano edicto. l. 1. §. 2. Nec enim præcitandum eſt conſilium, quando res ipſa exigit vt maturiùs agamus, diſt. 50. Ponderet. Dixeris: quid illud eſt? Paucis accipe. Quanti fuerit periculi per omnes omnium ætatum gradus, abúſq; initio primogenie & primum exorientis Eccleſiæ quiduis in apricum depromere è locupletiſſimo penu eloquiorum diuinorum, teſtari abundè poteſt vnus ille Chriſtianæ religionis acerrimus propugnator Gregorius Nazianzenus, quo præceptore noſter Hieronymus gloriari non vno loco ſolet. In Apologetico etenim ſuo docet id perſpicuè triplici ex modo oriri, è ſenſu, è ſermone, ex ipſo auditu. At quãtò eſt hodie alea periculoſioris ſcribere: aut quod in antiquario quopiam Doctore editum iam olim ſit, in alienã transfundere linguam, ac proinde ad communem omnium vſum typis cõmittere, quando quicquid quãlibet ſanctè dixeris rapi id ſoleat in peſſimam partem? A nouatoribus iſtis veterum hæreſeon, nihil neceſſe ſit vt doceam quam obliquè cuncta detorqueantur, quando non Petro, non Ioanni parcunt, non viuido illi organo Spiritus ſancti Paulo ac ne Euangelio quidem. Sed & hoc malum quod ad nos attinet, vtcúmq; tolerabile videri poſſit. Quum enim ſint inſanabiles, præcipiti fuga præuertendi veniunt, iuxta Pauli doctrinam: & modis omnibus vitãdi. Maior eorum cura eſt, qui priuata non item publica authoritate nomen ſibi ſumunt Theologorum qui frontem habent tam effrontem ac præfractam, & eò reciderunt temeritatis vt quaſi quidam Ariſtarchi eorum ſibi vindicent functionem Theologorum quos penes honorarium pendet iudicium expendendi Scripturas, num legitimæ ſint monetæ, an adulterinæ aut ſuppoſititiæ. Eiuſmodi præpropere adeò ſunt & præcipitis iudicij, vt de quouis nondum maturè lecto cenſere auſint ac magna cum libertate pronunciare. Liberet dictum hoc meum duplici experimento confirmare, vt admonitus Lector (ſi quis tandem continget) pios iuxta ac doctos non ſatis æquo iudicij libramine expenſus proſpiciat, ne damnet immeriti erroris, hac præſertim ætate omni tragœdio-graphia ſuperiore. Quod priore loco hic dicendum fuerat, viſum eſt differre in recognitionem operis imperfecti Ioannis Chryſoſtomi in Matthæum. Iam ad id deſcendo quod me propiùs vrget. Initio ſtatim primam αὐτοσχεδιασι vix verſam, vni amiculo dedi legendam, docto quidẽ, ſed (vt exitus docuit) argutiori quam in euoluendis Biblijs diligentiori. In ipſo aditu eius quæ de fide eſt, actutum impegit. Lecto ſiquidem loco:

Fides

Fides enim in ſæculũ ſtabit, apprehenſo mordicùs labro inferiore reſtitabat quaſi in ſalebra hæreret. Mox ſubijcit: hic locus ſapit Hæreſim certò tibi perſuade, nunquam admiſſuros eſſe eum Theologos, quos penes libella conſiſtit iuſti examinis: quamobrem è re tua fuerit tibique conſules ſi ducta litura interleueris. Huic ego: Apoſtolum ſcio Apoſtolicè ſcripſiſſe Fidem & Spem caſuras, Charitatem vero æternùm conſtaturam: imò, nulli explicabile incrementum accepturam in patria, iuxta Eſaiæ oraculum dicentis: Viuit Dominus cuius ignis in Sion, & caminus in Ieruſalem: Fidei enim actus eſt rei nondum viſæ: Spei, nondum habitæ. Conſequens ſanè ſit quòd quũ videbitur ſicuti eſt & habebitur, euacuabitur quod vtrumque ex parte eſt, & proficietur quod eſt fabricæ ſpiritualis apex & faſtigium. Eſt nihilominus Catholica hæc propoſitio: Fides in ſæculum ſtabit. Quod eſt Hebræis עולם hoc Græcis, αἰών, nobis ſæculum vox cuique linguæ polyſema, teſtibus, Hieronymo in Prophetas & Ioanne Damaſceno, cap. 1. Libri, 2. nunc hominis ætatem, nunc ſæculi finem, vt hoc loco ſignat. Sed & locum indico vnde præſcriptis verbis id axioma deſumptum ſit: nempe è 40. cap. Eccle. Tunc primum ab eo ſcrupulum hunc excuſsi. Neque hoc velim exiſtimes eò à me dictum, quòd damnem D. Theologorum pios labores in explorandis Scripturis num legitimæ ſint & lectore Chriſtiano dignæ. Quin adeò non damno, vt etiam tuendæ fidei orthodoxæ, ante Senatuſconſultum in hanc rem ſancitum & editum, neceſſarios cenſuerim ſemper & eadem ratione, vulgi atque Lutheranorum negligendos contemptim rumuſculos, peruicaciæ tantùm & temeritatis Dathanicæ & Abironicæ perquam plenos. De ſuo opificio pronunciat quiuis opifex, ſutor, ſartor, piſcator, pellio: de Theol. re omnium quæ in terris ſunt, auguſtiſsima, ſoli iſti eius rudiſsimi cenſebunt opifices: vni Theologo non licebit in ſuomet campo pronunciare? Et hæc tam multis libuit ſcribere, vt intelligas in quantis hodie verſetur periculis quiſquis ſcribit. Ad ea & pauca venio, quæ nonnihil deſiderant lucis qua illuſtrentur & ſplendeſcant, & hæc, in quàm paucisſima conferã, quandoquidẽ vrget prælum vehementer. Locus qui ſe offert diſcutiendum, primus ille eſt in ipſo Prologi veſtibulo è Canticis Salomonis depromptus, quo Libros Bibliorum (eximiæ inter cæteros authoritatis) parabolica collatione confert ſexaginta Reginis, cùm neutiquam totidem ſint Libri. Cæterum non numerum hic attendit, ſed authoritatem ſiue dignitatem: quod ſat eſt ad eliciendam veritatem Homæoſios cuius ſpecies tres ſunt, εἰκών, παράδειγμα, καὶ παραβολή. Homil. 26. quòd hortatur Monachos, manibus ſtrenuè vt laborent: idem Hieronymus ad Ruſticum, Benedictus, & cæteri. Homil. 49. arcet Symoniachos à iudicio, non qualicunque ſed vſurpatorio, ſuſpicioſo, & temerario, maximè à iudicio reprobationis quod ſolius eſt Dei: non item prohibet publicum ſiue contentioſum in hoc inſtitutum, vt protegatur innocentia, & malitia puniatur. 2. q. 1. Quæ Lotharius. Homil. 63. initio videri poſsit omni prorſus iuramento interdicere voluiſſe Chriſtianis, collatione vtriuſque Legis, quum alioqui Iuramentum ſui natura malum adeo non ſit, vt actus etiam Latriæ ſit, adſint modò tres comites, veritas, iudicium, & iuſtitia, teſte D. Thoma. Verum quando Libri Iuris vtriuſque fuſiſsimè docent, quibus de cauſis liceat iurare, quibus non, ſed & ſchola Theologorum illis eadem de re concinit: ſatis videbor feciſſe ſi docuero, Antiochum voluiſſe à reproba conſuetudine iurandi auocare Fratres quos nulla vrgebat iurandi neceſsitas, quam conſuetudinem, nemo pius qui non execretur. Hoc voluiſſe Antiochum, verbum, παρακαλοῦμαι, hoc eſt, προτρέπομαι, adhortor, admoneo: facile indicat. Proinde per iuramenti non neceſſarij conſuetudinem ipſi experimur quanta proclinitate rapiantur ad periuria homines, & blaſphemiam ſacrilegam: quare locum hic habet, quod inducis Gloſ. in illud, ſed quia peierare; 22. q. 1. cap. In nouo Teſtamento. Argumentum eſt, quòd quandòque prohibetur aliquid non propter ſe, ſed propter illud quod inde ſequi non poteſt. 11. q. 3. Nolite, & 27. diſt. Sed & venerabilis Beda in illud Iacobi, Ante omnia Fratres: & cæt. Conſuetudinem prohibet iurandi, ne ex ea deueniatur in periurium. Homil. 84. quæ eſt de inſomnijs: fidem non habendam Inſomnijs docet exemplo luculenter: Id vero intelligendum, niſi diſcretio ſpirituum adſit. Sunt enim ſpecies variæ, quas Auguſtinus in Libro de ſpiritu & anima exequitur: Hippocratis quoque commentarius fuſiſsimè in huius Apoteleſmata de Somnijs. Apathian inſuper ſumit non pro omnimoda illa erga affectiones ſiue paſsiones animi immobilitate: qui error Philoſophorum erat: aduerſus quem Laërtius, Diogenes & Plutarchus: ex Latinis Aulus Gellius, S. Hieronymus, atque Auguſtinus aduerſus Pelagium: Sed pro Euthymia: id eſt, pro ſtatu compoſiti animi requieti ac ſedati ab intemperie tumultuantium affectionum: hoc eſt: pro tranquillitate. Verum me hîc dicere, ipſe ſibi teſtis eſt locuples ſub finem Homil. 79. quæ de Agone eſt. Denique videri poterit alicubi varius in acceptione dictionum, quæ ſuapte natura Polyſe-

mæ ſunt. Duæ occurrunt potiſsimum. Homiliam vigeſimam inſcribit, περὶ σωφροσύνης: *quam inſcriptionem vertendam docet (vti vertimus) ſubinductio exemplorum: De caſtitate ſiue pudicitia. Inducit enim Ioſeph Suſannam, Sarephanam viduam, Gregorium Neocæſarieñſem, Cyrum de quo apud Xenophontem: Neque enim ſobrietatem aut ſanitatem mentis hoc lolo ſolùm indicat. Sed & ſub eius Homiliæ finem locum inducens ex. cap. 2. ad Titum* Σωφρόνως καὶ δικαίως τῶν ὠσεβῶς, *ni fallor* σωφρόνως: *ſumit, pro*, caſtè, *pudice; vt ſi acoluthia ſententiæ: nos tamen religioſum duximus variare Eccleſiaſticam lectionem, interpretati*, Sobriè & iuſtè. *Simile quiddam in Homilia 106. comperies*: Εὐχὴν *enim, pro oratione vbi ſumpſit; ſub finem videtur pro voto accipere*: Si voueris, *& cæt. Sed ea vox quum vtrumque indicet, locus eſt excuſationi. Et hæc ſanè ſunt candide Lector, quorum gratia anxius hærebam.*

EPISTOLA ANTIOCHI MONACHI LAVRÆ SABÆ ABBATIS AD EVSTACHIVM PRÆPOSITVM Monaſterio Datalenæ Ancyræ ciuitatis Galitiæ.

Lauram Neoterici Græci inſigne dicunt Monaſterium, pro magna hominum copia quæ deuotionis ergo inſtar multarum aquarum confluunt.

CVM ad me ſcripſeris, Euſtachi pater venerãde, te magna affici moleſtia, dum è loco ad locum & è regione ad regionem migrare cogeris metu vigentis Caldæorum calamitatis: fame etiam ac ſiti laborare, non panis & aquæ, ſed iuxta Euangelicum propheticum dictum verbi Dei; cum neque libros circumferre poſsitis, neque ita facile in locis in quibus exulatis, quæ vultis inuenire valeatis: Cumque mea iuſſeris humilitati, vt epitomem aliquam diuinarum ſcripturarum ad te mitterem, quæ neque circumferendo grauis eſſet præ magnitudine, neque ſui tenuitate in ea aliquid eorum quæ ad vtilitatem & ſalutem animæ faciunt deſideraretur; obtemperaui libenter tuis mandatis, & quamprimum quod petis faciendum putaui. E ſacra igitur ſcriptura centum quinquaginta excerpſi capita inuenta quidem ſimul, inuicem tamen ita diſiuncta, vt qui ea legerit, nulla confuſione trahatur. Et hæc tuæ miſi pietati, quæ cum acceperis, Deo, vt par eſt, gloriam & gratiarum actionem reddas, qui ſuam virtutem imbecillis impertitur, vt in infirmitate perficiantur. Tu vero cum tuis gratis precibus nos foueas, vt quod reliquum eſt nobis vitæ huius, iuxta Dei voluntatem peragere poſsimus: Si vero aliquid (vt facile fieri potuit) imperfectum offenderis, ignoſcas queſo te meæ tenuitati, tum temporis anguſtiæ tribuas, qua tuis mandatis volui obtemperare. Quoniam vero illud propterea ſcripſiſti, vt tibi aliquid diceremus de ſanctis patribus noſtræ Lauræ, an vera ſint quæ à nonnullis audiſſe dicis, de eorum videlicet vita & nece, cum vix illa credi poſsint, & ſenſum omnem ſuperent, neceſſarium propterea duxi breuibus tibi prius aperire quæ ad illos attinent, ea deinceps ſubijcere, quæ diximus ſacræ ſcripturæ capitula. De laudabili autem vita eorum in præſentiarum agere id temporis non poſtulat, nec mea lingua illa poſſet facile percurrere: illud tantum dicam, quod reuera homines erant diuini (ſi homines tantum illos oporteat dicere potius quam angelos, cum in exercitatione ſpirituali & Monaſtica vita & laboribus quos pro pietate ſuſtulerunt à iuuentute ſua inſenuerunt) ſenes quidem venerandi vt canos capillos habebant, ſed mente magis præſtabant & humilitate honeſti modeſti, veridici, irreprehenſibiles, iuſti, pij, ab omni turpitudine & prauitate alieni, omnibus bonis ornati, & diuino repleti amore, nonnulli ipſorum centum excesſerunt annos & quinquaginta ſex in quieta & Monaſtica vita cum peregiſſent, nec à Laura, & Monaſterio vnquam receſſerunt: nonnulli vero neque ad Eccleſiam proceſſerant, nec ciuitatem amplius viderant, ex quo vitam Monaſticam ſemel fuerant amplexati; varijs etiam virtutibus emicabant, terreſtres ſcilicet angeli & cæleſtes homines. Quapropter hunc finem ſunt adepti, & victoriæ præmium ſunt conſecuti. Cum enim Iſamelitæ ad noſtrum acceſsiſſent Monaſterium vna ſeptimana antequam S. Ciuitas fuiſſet occupata, vt vniuerſa ſacra vaſa Eccleſiæ iam diripuiſſent, plerique patres aufugerunt quam primum, remanſerunt autem in Monaſterio qui fortiores Chriſti fuerant ſerui, ſacrum illum locum deſtituere nullo pacto volentes barbari vero cum illos comprehendiſſent, & multos dies illos inhumanè tractaſſent, & tormentis afflixiſſent pecunias hoc pacto ſeſe inuenturos putantes, apud quos nihil huius ſæculi reperiebatur.

Philip. 1. ILLI ſimul atque intellexerunt, ſua ſe tandem ſpe ac propoſito excidiſſe; in efferatiſſimam verſi rabiem, ad vnum membratim beatos illos conciderunt; qui & lætitia incredibili perfuſi ac proinde alacri vultu renidentes, omni cum actione gratiarum, animas reddiderunt Domino: quippe qui non ita pridem in votis habuerant reſolui & *cum Chriſto eſſe*. Corpora verò pluſquam tragicè cæſa quum non paucos dies in humum diſiecta, ſine ſepulturæ beneficio iacuiſſent; ab Arabia illò vſque adpropera uimus, Et quidem eximius Abbas Nicomedes ſpectaculum illud miſerabile cæſorum patrum

Τὰ ἅγια λείψανα *ſanctas reliquias* contemplatus, deliquio animi concidit, atque illinc relatus mortuus prope eſt. Modeſtus præterea, & ipſe ſanctiſſimus, aduentum noſtrum quum anteuertiſſet, & Sanctorum illorum luſtraſſet priùs habitacula omnia, itidem angore animi contractus, multis ſe protulit lachrymis, ac ſancta quæ eatenus reſederant Sipſana * circumplexus, in Patrum ſuperiorum depoſuit conditorijs. Is ad hæc, vbi ſolennem perſoluit & ex more conſuetum Canonem, illud

Eſa. 57. mox oraculum Eſaiæ exerta voce deprompſit, *Viri iuſti tolluntur & nemo recogitat, A facie iniquitatis ſublatus eſt iuſtus. Erit*

Sap. 3. *in pace ſepulchrum eius.* Et; *Spes illorum immortalitate plena; In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quia Deus tentauit illos,*

ὡς ὁλο- *& in-*

*& inuenit eos dignos ſe, & quaſi holocauſti hoſtia * accepit eos & in tempore viſitationis ipſorum, ſplendeſcent ac refulgebunt.* Et hæc de ſanctis illis quum ediſſeruiſſet, vnumquémque noſtrum adhortari cœpit ne quò emigraremus, loci illius noſtri deſertores; magis verò eas quæ imminebant tentationes generoſo pectore perferremus, Dominicæ illius memores ſententiæ: *Quia anguſta eſt porta, & arcta via * quæ ducit ad vitam.* Sed & Apoſtoli dicentis; *Quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Huius itaque admonitionem viſum eſt gerere morem; eóque in Lauta duos prope menſes manſitauimus. Rumore enim rurſus exterriti nouæ Barbarorum excurſionis ſuffugimus in Monaſterium ſanctæ ciuitati propinquum, quòd quidem ab ea diſparatur ſtadijs fere viginti, cui nomen Abbaôs Anaſtaſij. Vbi neminem prorſus tum loci incolam inuenimus. Sed & ibidem loci, duos alios prope quum demorati eſſemus menſes, rurſum admoniti ſumus ſanctiſſimi ſuperius dicti Modeſti adhortatione, vt poſtliminio reuerſi in proprio habitaremus loco. Tanti itaque Patris probo ac ſalutari conſilio perſuaſi; & quidem nonnulli è veſtigio in Laurenſe conceſſimus Monaſterium ibidem loci habituri; quidam autem remigrarunt aliquantò ſerius Lauram, timore exterriti gentis Sarracenicæ haud procul habitantis; alij contra in eodem permanſere Monaſterio, vnà cum ſanctiſſimo ſuo præſide Iuſtino, qui in Lauta renunciaret mundo huic; quò loci plurimum exegerat temporis, ac tanto ſplendore inclaruerat virtutum, vt dignitate Preſbyterij cohoneſtari promeruerit. Iuſtinus hic, Dei cùm ſit ſapientiſſimus cultor; in illo ſuo Monaſterio, gratia præduce Chriſti, numeroſam admodùm confluentium eò loci adſciuit congregationem; ſic tenax & obſeruans Canonis ac cæterarum conſtitutionum Laurentij Cœnobij, vt ab his neutrobi euariet ſui ſemper ſimilis, adeò vt non facilè quis vſpiam inueniat inter vitæ communis * profeſſores qui ſic tueatur ac ſeruet mordicùs ſpiritualem viuendi ſanctionem. Floreris, & quotidiana virtutum acceſſione ſucceſſit, ſitque magnus temporis progreſſu, vt ille olim eximius Iſaac: ita vt & nos quoties aciem mentis in hunc vnum preſſius intendimus ac veluti ad ſcopum recta collineamus; incredibili profundamur gaudio. In omni circum regione, tanti Patris celebritas inſtar prælucidi luminaris intermicat, ſplendorémque ſuum eiaculatur. Semen eſt hic Sancti patris noſtri Sabæ. Nos proinde humiles & abiecti, gratia primum Dei, deinde ſeria admodùm & accurata diligentia præmemorati ſanctiſſimi Modeſti, ſedentariam hanc exigimus vitam in liberiore & tranquilliore otio; pro his etiamnum quæ paulò contigere priùs, actiones gratiarum perſoluentes & glorificantes Deum qui & mortificat & viuificat, quique mirabilia magna facit & ſolus. Ipſius enim benignitas, ſuæ erga nos adaperuit viſcera miſericordiæ locúmque hunc noſtrum non mediocri fauore ac promotione extulit, quam hactenus magnificentiùs multò. Cæterùm id gratiæ nobis eſſe indultum crediderim per priorum Sanctorum merita, qui hîc Domino, ſynceriore affectu, venerabilem exhibuere latriæ cultum. Sed & illud nobis grauitò indulſit munus ſua ſolius prouidentia dignum, modis omnibus venerabilem Thomam, virum longe eruditiſſimum, omniúmque virtutum ornamentis perpolitum; qui ab ipſa tenellæ ætatis infantia, vitam exercuit ſilentij taciturnitate requietam & tranquillam. Vir hic eximiæ manſuetudinis laude omni eſt conſpicuus, perquam humanus: alienis malis quàm condoleſcat ex animo, vix cuiquam credibile ſit. Verè corde eſt humilis, circa orationem & Canonem ordinis præferuidus, quò contingit, vt Deus (hoc præſide) diſcipulos propagarit in effuſam & numeroſam amplitudinem. Numerus proinde ſanctorum patrum, quos tyrannica ſuſtulit impreſſio eſt, 44. Horum memoria Maio menſe celebratur, 15. menſis die. Gratia item Chriſti, ſed & ſolerti ſedulitate iam dicti venerandi apprime Patris noſtri Modeſti, cũcta id temporis incoluntur effuſæ iſtius eremi Monaſteria. En igitur pater mihi venerabilis Euſtathie, quæ de ſanctis illis Patribus noſtris, déque Laurenſi cœnobio veſtræ erga Deum charitati duxi inſinuanda; & quidem conciſo ac perbreui ſermone. Superſunt nuncia aliquot ſane quam læta, quorum fideli relatu, & veſtra & omnis ſynceriter Chriſtiani anima meritò poſſit exhilareſcere. Hæc igitur expromptus & alacer annũcio vobis. Modeſtus ſanctitatis eximiæ vir (de quo non ſemel dictum) non eorum modò prouidam gerit curam ſollicitus, quæ per hanc vaſtam eremum ſparſim diſiecta ſunt Monaſteriorum; ſed & moderandæ huic ciuitati ac vniuerſæ circum finitimæ regioni ſolerter proſpicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad viuum nobis exprimit imaginem noui cuiuſpiam Bezeleelis aut certè Zorobabelis. Gratia etenim plenus Spiritus ſancti, templa Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti quæ quidem barbarico igni conflagrarunt, in ſublime erigit omni prorſus digna veneratione, puta ædes ſanctæ Caluariæ ac ſanctæ Reſurrectionis; domum inſuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ mater Eccleſiarum eſt. Sed & ſanctæ Aſſumptionis ædem à fundamentis exædificat; adeo vt per hæc læta initia, de futuris quoque ſpes ampliſſimas concipiamus, idque vel ob eos maximè qui huc ſperantur venturi ab externis regionibus, ſancta hæc loca vt adorent, vt omnes in commune glorificemus Deum. Ipſum addecet gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

καρπώματ(α) ὁλοκαυτώματος, quaſi integrã oblationem hoſtiæ.
Matt. 7.
τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς, via afflictionibus ſepta.
Act. 14.
Presbyterij dignitas.
Canon monaſticus.
** Cœnobiticæ.*
Priorum ſanctorũ merita.
Canon ordinis.
SS. 44. Martyrum memoria.
Exod. 31. 36.
Zach. 4.
Omnia veneratione digna Hieroſolymitanæ vrbis Templa.
Peregrinatio Hieroſolymitana.

EIVSDEM SANCTI PATRIS N. ANTIOCHI, Prologus: ſiue veriùs, fragmentum Prologi.

DIXIT *in Canticis Salomon*; Sexaginta ſunt reginæ, & octaginta concubinæ, & adoleſcentulæ quarum non eſt numerus. *Sanè nos pro virium modulo, per haſce * ſexaginta Reginas aſtruimus inſinuari ſelectos & authoritatis, præter cæteros, eximiæ libros in vetere nouoque Teſtamento reconditos. Octoginta concubinas eas eſſe Sripturas intelligo, quæ in priorum claſſem nentiquam accenturiatæ ſunt, ac proinde minus approbantur. Hinc dictæ ſunt Apocryphæ; hoc eſt, obſcuræ nec ſatis compertæ authoritatis. παλλακαὶ, hoc eſt, Concubinæ, eo nominantur, quòd quum illegitimæ ſint, non queunt induci ad perſuadendum cum liberiore omnium aſſenſu. Iam verò iuuenculas, arbitror delineare nouæ dogmata prædicationis; nempe Doctorum orthodoxæ Eccleſiæ, ob indelibatam & abſolutam puritatem ſermonis ipſorum. Etenim iuuenculæ, nomenclaturam ſortiuntur à mundicia virginali. At enim Scriptura:* Quærant Regi adoleſcentulam virginem, Et inuenerunt Sunamitem quæ ipſum ex calefaceret: *hoc eſt, cœleſtes prorſus ſententias. Hoc itaque feruore redaccenſus; ad melicam citharam emodulans dicebat:* Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. *Siquidem Sunamitis, ſua interpretatione ſonat. * Cœleſtem. Et; Frumentum iuuenculis & vinum ſuaui odore lætificans virgines: Incorrupti enim qui ſunt pluuio aluntur humore rorulenti illius panis qui de cœlo deſcendit, quique manet in æternam vitam. Iſtis potio hauritur ex cratere vineæ illius veracis; Nam caſtorum verba plena ſunt pudoris. Et; Sermones iuſtorum mundi ſunt; iuxta Scripturam. Innumerabiles præterea aſſeruntur eſſe, ob copioſam multudinem ſermonis doctrinæ illorum; Tam enim eſt multiplex, vt eam ad-*

Cant. 6.
** Dignitatẽ attendit, non item numerũ, quod ſatis eſt Homonſi.*
Scripturæ Apocryphæ.
3 Reg. 1.
Pſalm. 38.
** Vide Præfationem.*
Chriſti tunica inconſutilis.
Hier. 15.

Digitized by Google

metiri aut in numerum referre nemo queat. Ex tela igitur harum ſexaginta Reginarum, ſparſim ſelegi ac deſumpſi ſtamina aliquot, orſurus cinctorium renum aut, ſi mauis, ſuffibulum, quo vnà cum fide circuncincti futuri Lectores, diuini amoris feruorem concipiant ac proinde recaleſcant. Vt enim tela ex multis conflata ſtaminum particulis, in vnam & impartilem artè tectoria coaleſcit tunicam; ſic & vniuerſa Scripturæ diuinitùs inſpiratæ Oracula in hunc finem conſpirarunt, planè vt Dominicæ diſpenſationis inconſutilem tunicam præſignarent, quam ex vtero ſuſcepit glorioſæ ac ſanctæ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, pro tempore quidem corruptiuæ morti obnoxiam, quod ſimilis noſtri eſſe voluit ad tolerandas corporis iniurias; eadem rurſus nulli futura erat obnoxia corruptelæ, vt nos miſerabili corruptelæ exemptos in priſtinam reuocaret libertatem, ac demum iugo emancipatos diræ ſeruitutis ad incorruptionis gloriam tranſcriberet; vitæ inſuper reſtitutos, donatiuo conueſtiret trabeæ immortalitatis. Id quidem dixerim perizoma non illud Iudaicum quod iuſſus eſt Hieremias in arcano quopiam loco recondere, & idem in Euphrate fluuio computruit: quin illud verius intelligo quod ad nouæ gratiæ legem pertinet, quod nobis ipſe Dominus ſuomet præmonſtrauit exemplo.

Et principium Epiſtolæ, & finis iſtius deſideratur Prologi.

PANDECTES SCRIPTVRÆ DIVINITVS INSPIRATÆ VENERANDI PATRIS ANTIOCHI, MONACHI quondam in Laurenſi cœnobio S. Sabę Abbatis ad Euſtachium: Godefrido Tilmanno Cartuſiæ Pariſienſis Monacho Interprete.

De fide, Homelia prima.

Hebr. 2.
** Fide ſcilicet, quæ per lectionem operatur* εἰς ἀκίδρασμόν τοῦ.
Eccleſ. 40.
Hebr. 10.

A DOMINO cooperante, & ſermonem confirmante aggredimur primum hunc qui de fide eſt, ſermonem; atque ita deinceps qui ſequentur, ſerie continenti. In primis neceſſe ſit, vt credas in *Deum, quia eſt, & exquirentibus ſe remunerator ſit.* Fides enim in ſæculum ſtabit. Et; *Iuſtus ex fide * viuet.* Iuſtus autem qui veraci fide nititur, fidem habet mirè efficacem: Fidem, in quam, quotidiana acceſſione coaleſcentem; fidem * nulla ex parte hæſitantem; fidem ad opera laude digna illuſtrantem, vt per ea glorificetur vniuerſorum Deus. Fides principium eſt diuinæ vocationis. Quiſquis perfectè credit, lapis eſt templi Dei, lapis eſt ſolerti apparatu læuigatus & exæquatus in ſubſtructionem Dei Patris, lapis in ſublime euectus machina quapiam admirabili Ieſu Chriſti, quæ Crux eius eſt; præſidio adiutus funiculi qui Spiritus ſanctus eſt. Fides hominis, prædux vitæ eſt: Charitas ipſa, via eſt, ad Deum vſque ſubuehens hominem. B Qui eiuſmodi eſt, Theophorus fit, ſiue Chriſtophorus, Templum inſuper Dei & ſanctorum ſedulus luſtrator locorum; nulla non ſui parte, per obſeruationem mandatorum Ieſu Chriſti, perpolitus & adornatus. Vitæ origo eſt ea quæ per fidem & dilectionem operatur, cui nihil anteponitur. Fidem ſanè dixerim non qualemcúnque, ſed opere ipſo commendabilem, cum fides ſine operibus mortua in ſemetipſa ſit. Opera proinde fidei iſtius operatoriæ, ſunt; charitas; Gaudium, bonitas, humilitas, exultatio in Domino, fiducia erga Deum. Prætereà, carnem affigere cruci; quod eſt, eam auocare ac ſedare ab omnibus ſuis operibus, quemadmodùm à ſuis interquieuiſſe legitur Deus: Tollere crucem ſuam & ſectatorem eſſe crucis; quod eſt, ſpiritualiter viuere: Quod ſi præduce Spiritu ingrederis; imputabitur tibi ad iuſtitiam. C Hæc ea ſunt efficacis fidei opera. Qui fide percurrit viam mandatorum; cœleſtem illam aſſequetur Ieruſalem. Planè ſi fidem habeamus, & in fide ſumus, & in eadem ſolidi conſiſtimus ac ſtabiles; in Domino pulchrè habuamus. Etenim per prophetam loquitur Dominus, *Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum.* Nec ſecus Hieremias; *Ecce Domine, oculi tui reſpiciunt fidem.* Dicit & Petrus; *Miniſtrate in fide veſtra virtutem & charitatem.* Rurſus: *Superædificantes vosmetipſos in fide, ſobrij eſtote, vigilate quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circumit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes fide.* Et A Paulus: *In quo cùm credideritis, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Iterum: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Rurſus; *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum. In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſeniores: iuxta fidem* enim *defuncti ſunt omnes hi.* Itemque; *Iuſtitiam autem Dei per fidem in omnes qui credunt, vt promiſſionem accipiamus Spiritus per fidem.* Et: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium; imputatur fides ad iuſtitiam.* Itaque inducit. *Propter hoc ex fide, vt ſecundum gratiam firma eſſet promiſſio omni ſemini; non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ. Non eſt autem ſcriptum propter ipſum ſolum, ſed etiam propter nos quibus reputabitur credentibus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: Iuſtificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Item Timotheo; *Sectare iuſtitiam, fidem, charitatem, pacem cum omnibus qui inuocant Dominum.* B Et, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Ioannes etiamnum; *Hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti; & vt, credentes, vitam æternam habeatis.* Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus qui verus eſt Deus noſter, ait: *qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Rurſus idem: *quis putas fidelis eſt ſeruus & prudens?* Alijs quoque dixit: *Fides tua te ſaluum fecit, vade in pace.* Marthæ item: *qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet.* Diſcipulis ait: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ille faciet.* Et, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Rurſus: *creditis in Deum? Et in me credite.* Et quidem hactenus de fide abundè teſtimonium arbitror me depromſiſſe è locupletiſſimo penu diuinarum Scripturarum. Aſtruimus porrò fidem eſſe, qua ipſi credimus in Patrem, & Filium C & Spiritum ſanctum, conſubſtantialem & viuificantem Trinitatem cunctis ſupereminentem. Neceſſarium proinde ſit, diuinæ Scripturæ vſum ac teſtimonia hac de re depromere ad illuſtrandas legentium animas. Itaque per omnem qui de diuinis eſt, tractatum, auguſtiſſimam Dei maieſtatem ſacris cõſpicimus celebrari hymnis, nunc quidem vt ſingularem vnitatem, propter ſimplicitatem impartilitatis naturæ omni ſuperioris eóque inenarrabilis illius per quam tanquam virtutem vnificam ipſi in vnum coaleſcimus & counimur: Nunc verò Trini-

Operatoria fidei opera.
Carnem cruci affigere quid ſit.
Tollere crucem ſuam.
Pſal. 100.
Hier. 5.
2. Pet. 2.
1. Pet. 5.
Epheſ. 1.
περὶ τῆς πίστεως.
Epheſ. 6.
Heb. 11.
Rom. 5.
Rom. 4.
Rom. 5.
2. Tim. 2.
Heb. 11.
1. Ioh. 3.
Io. 7.
Matt. 24.
Luc. 8.
Ioh. 11.
Ioh. 14.
Fides Trinitatis neceſſaria.

Trinitatis nomine prędicatur, vt tanta illa maieſtas, quali-
cunque delineatione declaretur tribus ſubſiſtere per-
ſonis, alioqui prolificationis immenſæ. Huiuſce rei
gratia diximus, quoniam Theologi nomina omnia quæ
diuinam maieſtatem inſinuant, ſua interpretatione re-
ferunt ad ſuperſubſtantialem ſimul & conſubſtantia-
Attributa Dei. lem Trinitatem; ceù ſunt, Deus, Dominus, Bonus, Lux,
Vita, Veritas, Imperator omnium, Omnipotens, Do-
minus Sabaoth, quod interpretatur *exercituum*, & ple-
raque alia, quæ ab ipſis Theologis depromuntur, qui-
bus religioſè collaudatur Deus, quatenus ſinimur eam
Trinitatem pro modulo noſtro intelligere, ab eadem
Mar. 10. edocti, dum, ſeipſum ediſſerit. *Quid me interrogas de bo-
no? Nemo bonus, niſi vnus Deus.* Et his qui excolendæ vineæ
Matt. 20. operas ſuas elocarent; *quia ego bonus ſum.* Et; *Spiritus tuus
Pſal. 142.* *bonus.* Et Moyſi, *Ego ſum qui ſum.* Et Ioannes; *quod erat ab
Exod. 4.* *initio.* Et; *Qui venit.* Et: *imperator ſiue omnipotens Dominus,
1. Ioh. 1.* *nomen illi.* Et, *Spiritus veritatis qui eſt, qui à patre procedit.*
Pſal. 167. Sed & Thomæ; *Ego ſum via veritas & vita*, Et; *ſanctifi-
Ioh. 15.* *ca eos in veritate tua.* Et; *Verbum tuum veritas eſt.* Et, *Cùm au-
Ioh. 17.* *tem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum
Ioh 16.* *veritatis qui à Patre procedit.* Rurſus; *Cum autem venerit ille
Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem, Ille me glorifi-
cabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Rurſus; *Quæ-
cunque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo acci-
Ioh. 5.* *piet & annunciabit vobis.* Iterum: *ſicut Pater ſuſcitat mor-
tuos & viuificat, ſic & Filius, quos vult, viuificat.* Et; *Spiritus
eſt qui viuificat:* ſed &, *Dominus Spiritus eſt.* Et, *omnia ex Deo,
& per ipſum & in ipſo creata ſunt omnia:* Et; *omnia per ipſum
Pſal. 103.* *facta ſunt.* Et; *Emittes Spiritum tuum & creabuntur.* Et; *Verbo
Pſal. 32.* *Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.*
Atque vt ſingula compendio perſtringam, ipſum diui-
tiæ maieſtatis Verbum ait: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et;
Ioh. 10. *Omnia mea tua ſunt, & tua, mea.* Itémque, Quæcunque
Ib. 17. ſunt & Patris & ipſius Filij; eadem prorſus Spiritui ſan-
cto & in maieſtate Deitatis auguſtiſſimo ipſe Filius ad-
ſcribit propter indiſcretam parilitatem communis &
vnius naturæ, puta propter reuerendam culturam diui-
næ operationis, fontanam ac perpetem creatricis po-
Matt. 28. tentiæ cauſſam, dum dicit: *Profecti docete omnes gentes, ba-
ptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Ita-
que per hæc ſuperiùs dicta, declaratur, quia Theologia
omnis & vnita eſt, & diſcreta, neque tamen quæ diſcre-
ta ſunt, quicquam admittunt confuſionis. Et quidem
ea quæ vnita ſunt, & ſiue quæ ad vnitã pertinent Theo-
Theologia & vnita eſt & diſcreta. logiam; has habent nomenclaturas totiùs indices Dei-
tatis: puta; Superbonum, Pulchrum, Ens, Viuificans,
Auguſtiſſima diuinitas, Perquam plenè extans ſubſtan-
De his abunde Di. Areop. cap. 11 de diuinis nominibus. tia, quæ viuunt cuncta producens Sapiens; & quæcun-
que id genus nomenclaturæ, ex quàm optima ipſius &
munificentiſſima liberalitate profectæ occurrunt, qui-
bus bonorum omnium auctor eſſe denominatur. Ad
diſcretam verò Theologiam pertinent denominatio-
nes; ceù ſunt, Superſubſtantialitas atque opulentia Pa-
tris: eædem & Filio & Spiritui ſancto perę̨que commu-
nes, vt nihil in his debeat intelligi diuerſi aut diſſimili-
tudinis, præterquàm ſola parilis naturæ communio in-
ter ſeſe coaleſcens. Per fidem itaque cum cœpetimus
cognoſcere Deum, ne, quæſo, ignoremus quantùm no-
bis indultum gratiæ ſit, cuius cauſa Dominus ipſe veriſ-
ſimè paſſus eſt. Ob hoc enim ſiuit ipſe Dominus caput
Matt. 26. a ſuum myrra optima perfundi, vt ſuauiſſimæ immortali-
tatis fragrantiam ſuæ aſpiraret Eccleſiæ. Nemo igitur
ſe illini permittat graueolenti putore infidelitatis, per
Principem ſæculi iſtius ſuggerendæ; nequando exerre-
mus à calle rectitudinis, quò vel tandem ſpe perfrui
contingat vitæ æternæ in Chriſto Ieſu Domino noſtro,
cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

De ſpe. HOMILIA II.

A Fine digreſſi, ad eam progrediamur quæ *Matt. 13.*
ſecundas obtinet, Spem: quæ ſanè, fidei ro-
ſcida aſpergine perfuſa fructum adferet; vnũ
quidem trigeſimum, alterum ſexageſimum,
alium rurſus centeſimum. Spe enim conſtabilita, vix vl-
la alia virtus peræquè ſublimis. De charitate autem, quę
ternam ſortitur in claſſe virtutum nomenclaturam; pri-
miceria alioqui cùm ſit, cæteráſque omneis anteueniens
dignitate, poſteriore loco explicatiùs diſſeremus. Pri-
mus Enos filius Seth, iuſtus ex iuſto, ſperauit inuocare *Gen. 4.*
* nomen Domini Dei. Quicunque præſidio Spei, in ** ἤλπισεν ἐπικα-λεῖσθαι*
Deum conſtantis, nixi, velut manu ducuntur; mirè hos
Deus ad ſublimem & theoricam anagogen ſubuehit,
ac propriæ lucis ſplendore corruſco irradiat. Dauid exi- *3. Reg. 1.*
mius Rex ſenio defeſſus, cùm ſuiſmet iuſtificationibus
B nullo pacto recaleſceret; adſciuit ſibi virgunculam v-
nam, nempe Sunamitem, quæ ipſum excalefaceret (Su- *De Sunamitide lege Praefationem.*
namitis proinde ſua interpretatione ſonat cœleſtem)
cæterùm non agnouit eam rex: hoc eſt; nihil vitij aut *Eccl. 4.*
corruptulæ intulit ſpei ſuæ cœleſti. Mihi vide, num id
Scriptura illa inſinuet: *Si fuerint duo, vtique calor illis neuti-
quam defuturus eſt;* nimirùm ſi fidem viuida conſtáńſque
comitabitur ſpes. Sed & peculiare ſpei opus eſt hoc; ſe
poſſidentem, reddit præferuidum, iuxta B. Petri ſenten-
tiam dicentis: *Succincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfectè* *1 Pet. 1.*
*ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in reuelatione Ieſu Chri-
ſti quaſi filij obedientiæ.* Eodem ſpectat illud Ieſu filij Si-
rach. *quis ſperauit in Dominum, & derelictus eſt? aut quis per-* *Eccl. 2.*
manſit in timore eius & deſpexit eum? Melicus inſuper Pſal- *Pſal. 39.*
C morum concentor; *Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes* *Pſal. 5.*
eius. Et; *Lætentur omnes qui ſperant in te.* Rurſus, *In ipſo ſpe-* *Pſal. 27.*
*rauit cor meum & adiutus ſum, & refloruit caro mea, & ex
propria voluntate.* Sed & alios velut manu ducens inſti-
tuebat, inuitans ad complexum ſolidæ ſpei, dum dicit:
Sperate in eum omnis congregatio populorum, effundite coram illo *Pſal. 61.*
corda veſtra, quia Deus adiutor noſter. Et, *Spera in Dominum,* *Pſal. 36.*
& fac bonitatem. Et; *Reuela Domino viam tuam & ſpera in
eum, & ipſe faciet.* Eſaias item: *ſperauimus in nomine tuo & in* *Iſa. 26. b*
memoria tui deſiderium noſtrum. Rurſum Paulus; *Spe ſalui*
facti ſumus, Spes autem quæ videtur non eſt ſpes, quod enim videt *Rom. 8.*
quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per pa- *τῆ μετα-χεῖν par-ticipandi.*
tientiam expectamus. Iterum: *Forte ſolatium habemus, qui confu-*
gimus ad tenendam propoſitam ſpem quam ſicut anchoram habe- *Heb. 6.*
mus tutam ac firmam. Inducit: *quia debet in ſpe qui arat arare,* *1. Cor. 9.*
D *& qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* Et in Lucæ Euan-
gelio de Symeone, *acceperat enim reſponſum à Spiritu ſancto,* *Luc. 2.*
non viſurum ſe mortem priuſquam videret Chriſtum Domini.
Neque hic mortificauit ſpem, ſed erat expectans rem
quam magnopere deſiderabat, nimirum vt videret Re-
demptorem ac Saluatorem mundi. Cúmque accepiſſet
& aſtrinxiſſet vlnis, lætitia perfuſus dicebat, dimitte
me Domine venire ad te Regem meum, neque enim
fruſtratus ſum ſpe mea. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

De Conuiuio.

HOMILIA III.

E De epulari conuiuio Parœmiaſtes ait: *Si ſederis* *Prou. 23.*
*ad cœnandum in menſa potentium attentè conſidera
quæ apponuntur tibi & iniice manum tuam, ſciens
quoniam oportet te talia præparare, quod ſi inſatiabi-
lior es, ne deſideres cibos eius.* Alter item: *ad menſam magnam* *Eccl. 31.*
*ſediſti? ne aperias guttur tuum ſuper illam, memento quoniam
malum, oculus nequam: quocúnque inſpexerit, ne extendas manum
tuam, & ne comungere es in catino: Intellige quæ ſunt proximi ex
teipſo, & quaſi in omni re * cogita: Comede vt homo, quæ appo-* ** ἐπὶ παντὶ πράγματι.*
*nuntur tibi, & ne nimis deuores, vt ne odio habearis: Deſine prior
gratia diſciplinæ, & ne ſis inſaturabilis, ne forte offendas: quòd ſi
in medio multorum ſederis, prior illis ne extendas manum tuam.
Quàm ſufficiens eſt homini erudito, exiguum.* Moyſes: *Attende* *Deut. 6.*
*tibi ipſi, ne dum comederis & ſaturatus fueris, obliuiſcaris Do-
mini Dei tui,* Concinit Apoſtolus: *Siue comeditis, ſiue bibitis,* *1. Cor. 10.*

ſiue quid aliud facitis; omnia ad gloriam Dei facite, non item ad

Rom. 14.

diſceptationes cogitationum. Ille quidem credit licere veſci omnibus, hic autem infirmus cùm ſit, holera manducat. Inducit: *Qui* A *manducat, non manducantem ne iudicet: Tu enim quis es qui iudicas alienum ſeruum? ſuo Domino ſtat aut cadit.* Iterum: *qui manducat, Domino manducat & gratias agit Deo.* Rurſus: *Noli propter cibum perdere opus Dei.* Inducit: *Omnia quidem munda, ſed malum eſt, propter offendiculum manducare.* Et: *Beatus qui non iudicat ſeipſum, in quo in eo quod probat. Qui autem diſcernit; ſi comedat, damnationem incurrit, quia non ex fide, verumtamen eſca nos commendat Deo, neque ſi comedamus, abundabimus, neque ſi non comederimus, minus habebimus.* Parœmiaſtes: *Ne te decipiat ſaturitas ventris, Anima enim ſatura * illudit fauis; anima autem eſuriens, etiam amara, dulcia videntur.* Apoſtolus inſinuans nullum non cibi genus eſſe mundum, ait: *Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui agnouerunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione ſumitur, Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et; *omnia munda mundis.* Et, *Ad manducandum inuicem expectate.* Lex inſuper: *dum comederis & ſaturatus fueris, benedicito Dominum Deum tuum.* Dauid, Deo neutiquam ingratus: *dediſti,* inquit, *lætitiam in corde meo, à fructu frumenti & olei.* Iterum: *quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſaturauit bonis.* Cupiens porrò Dominus, modeſti vt ſimus ac frugi homines, ait: *Quando inuitatus fueris ad prandium, ne cas diſcubitum in primo accubitu, ne fortè honoratior te veniat inuitatus ab illo, & veniens qui te & illum inuitauit dicat tibi, da huic locum, & tunc incipies cum pudore nouiſſimum locum tenere. Sed cùm inuitatus fueris, vade, diſcumbe in nouiſſimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit dicat tibi, Amice aſcende ſuperius; Tunc erit tibi gloria coram omnibus tibi accumbentibus, quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Et hæc quidem quatenus ad intelligentiam ac ſpirituale commodum attinet, ſatis ſint. Non diſſentaneum fuerit meminiſſe ſententię illius Iob: *quod ſi buccellam meam ſolus comedi & non pupillum participem feci, quoniam ab adoleſcentia mea * enutriuit ve pater.* Iterum, Dominus: *Cum feceris prandium aut cœnam, ne vocaueris amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte & ipſi reinuitent te & fiat tibi retributio: ſed quando feceris conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris quia non habent retribuere tibi, retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

* ἐμπαίξει, vel ut noſtra Editio, calcabit.
Prou. 27.
1. Tim. 4.
1. Cor. 11.
Deut. 8.
Pſal. 4.
Pſal. 106.
Luc. 14.
* ἐξέτρεφον ὡς πατήρ, pro quo, Iob. cap. xxxi b. grandiuit ad oleuit, vel creuit mecum.
Luc. 14.

B

C

De edacitate ſiue ventris ingluuie.

Homilia IIII.

NVLLI non hominum apprimè neceſſarium ſit vim inferre ventris edacitati; eámque iuſta temperie moderari: in primis tamen eos addecet, quibus curæ eſt pia ſeruitute colere Deum. Honeſtum ſanè ſit prandium omne illud quod moderata tranſigitur quantitate. Nam citra vllam temperiem ac irretentè ſuffarcinare ventrem eduliis, perquam ſimile eſt naui onere immodico degrauatæ; quo velut oppreſſa nullo negotio vndoſis fluctibus immergitur & peſſum it. Et quidem corpus alimonia eget; E non item cupediariis lautitiiſque ferculis quibus ſe ad voluptatem inuitet & ſatiet. Ciborum frugalitas illi opportunior, non inamœna ſatietas: Edulio opus, quod ſatis ſit, non item luxu profuſiore qui artus colluuiet corporis. Illa ſiquidem mirè iuuat & corpus & animam, quippe quæ ſoſpitatem parit corpori, robur confirmat, & habitudinem addit pulchrè temperatam: extrema verò vtrumque lædunt, nec ſimpliciter. Neque enim ſanitati ſolùm noxia ſunt genuina quadam ſua ad corruptelam procliuitate, ſed & morbos vix eluctabiles ac permoleſtos pariunt. Rei iſtius euidens argumentum exhibent monachi, qui cum exiguo contenti abeant cibo, vtique comperiuntur & acumine intellectus perſpicaciores, & corporis temperatura illis ſaniores, quos iuuat totos ſe immergere vitæ mollioris illecebris. Neque id boni ſolùm, ſed & dum ventris frenas ingluuiem; animæ per hoc imminuis turbulentas affectiones. Nam qui ſe vinci ſinit ciborum intemperie; vtique materiam exaggerat illicem atque incentiuam voluptatum. Vt enim copioſam lignorum congeriem igni ſi admoues maiorem excitas flammam, ita & copia ciborum ſi inditur ventri, alit concupiſcentiam. Eſculentorum ſplendidus ac profuſior luxus guttur quidem oblectat; ſed & vermen intemperantiæ alit irrequietum ac peruigilem. Quemadmodùm enim terra ſitu ſqualens & inarata, ſuapte natura edit ſpinas; ita mens ventris ſtudio addicti hominis, indecotas prorſus cogitationes progerminat atque obſcœnas. Monachus iuſto edacior aliud nihil cenſendus quàm proprii tributarius ventris. Et quidem is ad cenſum enumerat ſanctos, & eorum commeminit inter colloquia, re autem vera intemperans cùm ſit, neutiquam illorum vitam æmulatur & mores. Ventri ſaturando addictior, nulla alia re tam gloriatur aut ducit venerationi, quàm quòd latiſſimo eſt ventre & ampliſſimè capaci. Planè illi venter ſit promptuarium, & honoratior ſtercorum apotheca: ſed & halitus ipſe qui in ſic edaci habitat, anxiè interclùſus, mirè turbulentus eſt ac prætriſtis. Dumque is ægerrimè fert, quam ex ſe ſpirat grauεolentiam, à ſeipſo ſi quà fieri poſſit, quærit ſecedere, ſeque fugit. Vt enim fumus dirè angit apes & perſequitur, ita & exatiandæ gulæ ſtudioſus, gratiam à ſe repellit Spiritus ſancti. Præſtiterit igitur eiuſmodi lautitias condimentorum ventris ingluuiem prolicientes prætercurrere, & perquam tenui pabulo neceſſitatē declinare corporis; ne quando aſſimiles deprehendamur fuiſſe populo illi qui ſuo ventri tam anxiè inſeruiſſe legitur. *Sedit* enim (ait) *populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Dum enim & edunt & bibunt immoderatiùs, in obliuionem diuini venere mandati: nec ſolùm, ſed & in maleſuadam ac væſanientem impegerunt idololatriam. Rectè igitur ſucceſſoribus talium Apoſtolus ſcribit: *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.* Iterum: *eſca, ventri, & venter, eſcis, Deus autem & has & hunc deſtruet.* Rurſus: *ſi propter cibum contriſtatur frater tuus, non iam ſecundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt:* Inducit, *qui enim tales ſunt, Domino noſtro non ſeruiunt,* D *ſed ſuo ventri, & per ſuauiloquium & benedictionem ſeducunt corda innocentum.* Rurſum: *Prudentia carnis, mors, prudentia vero ſpiritus, vita & pax, bonum enim eſt gratia ſtabilire cor, non, eſcis.* Iterum: *non enim eſt regnum cælorum eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritus ſancto.* Sed nec quidem genialis vitæ ſplendor aut illecebroſa voluptas (ceù iam dictum mihi eſt) quæ in diem mortis pabulum condit & theſaurizat vermibus: Ipſa enim indulgentioris vitæ illecebra, aliud nihil eſt, quàm molliculus & epularis cibus reptilium, vel teſte Iacobo, qui opprobrans ſcribebat, ſuo ventri anxiè nimis ſeruientibus: *delicati eſtis ſuper terram & laſciuiſtis, & enutriſtis corda veſtra in die occiſionis.* Dominus inſuper incredulis Iudæis ait: *Amen, Amen dico vobis, quæritis me non quia vidiſtis ſigna,* E *ſed quia comediſtis ex panibus & ſaturati eſtis.* Infert: *operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

Frugalitatis commoda.

Monachi, delicatis ſunt valentiores.

Monachus edax, quid ſit.

De ſit negatio. ἀδηφάγος.

Exod. 32.

Philip. 3.
Rom. 14.
Heb. 13.
Ioan. 6.

Eiuſdem ſancti Antiochi, de Ebrietate

Homilia V.

EBRIETAS multò exuperat ſuapte grauitate edacitatem, & eius vſu, nobis prorſum ſcripturę diuinæ ſanctio interdixit. Nec enim fas cuiquā turpitudine iſtius gloriari ebrietatis, ceu quidam aſſolent qui nihil tam reſipiunt atque mundi pru-

Digitized by Google

di prudentiam, ſeſe hoc nomine venditantes inſolentius, quòd pulchrè ventrem mero onerarint. Aliud planè temulantia nihil meribibulo confert, quàm emotionem mentis atque paupertatem. Exoleſcit proinde per eam corpus, ac friabile redditur & eneruę. Sane quàm bonum ſit nec improbandum propter infirmitatem corporis modico vti vino. Vt enim terra moderato perfuſa imbre, ſemen quod in viſcera ſua deiectum purum excepit, multo cum fœnore emicare cogit & emergere; è diuerſo, ſi immodicæ pluuiæ madeſcat illapſu & inebrietur, ſpinas profert ſolùm & tribulos: ita & terra cordis noſtri, ſi quidem cum temperie vino vtemur, quæ ſuopte genio ſemina pura accepit, reddit multiplici cum acceſſione, ſi tota vini humore permaduerit ſeque mero copioſiore proluerit, iam, velis nolis, ſpinas & aliud nihil exeret; nempe improbas cogitationes. Neq, id modò; ſed & ebriacum illum efficit ſui ſimilibus, hoc eſt, ſtultis, derediculum; prudentibus autem, per commiſerationem luctum extorquet: Noë enim, ait diuina ſcriptura, vir iuſtus biberat vinum, ſeque eo proluerat immodicè, & iacebat nudus, (nec tamen eo ſcribitur iuſtus, quod vino immadniſſet, ſed eatenus expers vſus vini) & ab imprudente illo Cham, habitus ludibrio eſt; à prudẽtibus autem filijs tecta eſt ignominia nuditatis. Vitemus igitur (Fratres) ebrietatis Dæmonem, vt ne deinùm illi nos exhibeamus deridiculos; quinimò nos ipſos præmuniamus ſobrietate, quæ hunc noſtrum hominem incolumem ſeruet cum primaria eius portione; videlicet mente, ſicut & Parœmiaſtes ſuo præſcribit mandato: *Noli eſſe peccator vini; omnis enim ebrius, pauper eſt.* Iterum: *cui væ, & cui tumultus? cui iudicia? cui inſuauitas & nugæ? cui contritiones ſuperfluæ? cuius liuidi oculi? nonne ijs qui immorantur diutiùs exhauriendo vino? nunquid non his qui peruestigant vbi ſiunt compotationes?* Inducit: *noli inebriari vino, ſed conuerſare cum hominibus iuſtis.* Alius item: *ne eſto virilis in vino, multos enim perdidit vinum.* Iterum: *qui iucundus eſt in vinis congreſſibus, in ſuis munitionibus derelinquet ignominiam.* Ruſum: *Noli eſſe potator vini; non enim conferunt ſtulto deliciæ.* Et: *luxurioſa res & contumelioſa ebrietas; omnis autem qui ſe immiſcet his, non erit ſapiens.* Oxeas Propheta, de vetere illo populo; *Vinum & ebrietatem excepit cor meum.* Eſaias item, miſeros eos inſinuans qui diutiùs immorantur vino, dicebat: *Væ qui conſurgunt manè, & ſiceram ſectantur manentes vſque in ſerum; vinum deuorabit * eos.* Iterum Ioël nihil huic diſſentaneus clamat: *euigilate ebrij à vino, flete vosipſos & lugete omnes qui bibitis vinum ad ebrietatem:* Flere enim & lugere conſtitutum eſt his qui artifices ſunt & operarij vinolentiæ. Eſt enim ebrietas vitium iſtis peculiare qui peſſimè vitam hanc tranſmittunt, & à rectitudine in pudendos errores deflexerunt; vel teſte Iob, qui quoſdam percellens acriter, dicit, *errauerunt ſicut ebrij.* Quibus autem cordi eſt pudicè ac probè conuerſari; ab ebrietate, omni ſtudio ſibi temperant; atque inoffenſè per viam pergunt rectitudinis, per omnia morigeri Apoſtolicæ ſententiæ: *nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* Iterum: *Ebrij regnum Dei non hæreditabunt:* Et illud, *Vidua quæ in delicijs viuit, viuens mortua eſt.* Inducit; *propterea nolite fieri inſipientes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.* Quotquot enim obſcœnæ ſunt & ignominioſæ affectiones; ex vnius ebrietatis ſtirpe prognaſcuntur & ſuppullulant; vt & Dauid aſtruit: *Nox (ait) illuminatio mea in delicijs meis:* hoc eſt; Nox circumfundebat me timidulum, & ignorabam. Delicias per hæc nominat noctem; denſa enim caligo quædam eſt, temulentia, ac tenebræ. Nam qui ſe immodico vino proluunt & immergunt; vtique noctu ſe inebriant, iuxta Apoſtoli ſententiam. Filiarum Lot, hiſtoriam ſciens volẽnſque tranſmittam. Dominus autem priùs dicta priua authoritate fortiter aſtruens; omnibus in commune præſcribit: *videte ne grauentur corda veſtra, crapula et ebrietate.* Ipſi gloria, in ſæcula, Amen.

Terra imodico imbre ſterileſcit.
Gen 9.
Pro 21.17.
Prou 23.29.
Eccl. 31.
Prou. 20.
Oſ. 4.
Eſa. 5.
συχχέθη Aiδus habet.
Eſa. 5.
συχχαύσει: ſuccendet.
Ebrietas peſſimorum hominum vitiũ eſt.
Iob. 12.
Eph 5.
1. Tim. 5.
Pſ. 138. 11.
Gen. 19.
Luc. 21.

A

De abſtinentia ſiue temperantia.

HOMILIA VI.

ABSTINENTIA ſiue temperantia vniuerſo hominum generi apprimè conſentanea virtus eſt: ijs tamen propriùs congruit, qui Deo magnopere ſtudent gratioſi eſſe & amabiles. Sane abſtinentiam dicimus non eam modò qua comite ab eſculentis abſtinemus; ſed & quæ cætera ſuo ambitu complectitur: hoc eſt; abſtinentiam omnium, quorum vſu ipſi interdicimur. Neceſſum igitur ſit iuxta Apoſtolicam doctrinam, vt is qui ſedulò curat eſſe & dici abſtinens; ab omnibus ſibi temperet & abſtineat. Vt enim ab homine quopiam, quomodolibet tandem, reſciſa ſi ſunt membra aliquot; per hoc totus hominis habitus decolor demum fit ac deformatur: ita vna aliqua virtus, ſi è membris cæterarum reſecta comperietur, decus atque elegantiam abſtinentiæ obſcurat prorſus & intercipit. Oportet igitur non eas virtutes ſolùm induſtria qualicumque noſtra conſequi atque exercere, quæ circa moderationem temperiemque verſantur corporis, ſed & illæ nobis adſtiſcendæ veniunt, quæ interiores noſtri hominis concretas & inolitas fæces vi ſua efficaci præualent expurgare. Temperantiæ ſiquidem peculiaris functio eſt; tibi per eam vt temperes & contineas à pecunia ac rationis experte voluptate; nihilque conficias operis quod diuinæ aduerſetur voluntati. Abſtinentia frenum eſt impetum concupiſcibilis potentiæ præpropetum & alacrem frangens, & quaſi obtorto collo præfocans: quo quidem motu inuitamur ad exſatiandos nos epulis præter modum, ad congerendas pecunias, ad parandam nominis proprij famam. Neque enim contingit, vt quippiam aſſequare de genere bonorum, niſi præduce patientia, & ea quæ in genere ambit cæteras atque amplectitur; nempe abſtinentia, ſiue temperantia: *In patientia* enim *veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quiſquis igitur legitimè & cum laude cupit conſequi abſtinentiæ virtutem; is continenter oret. *Indeſinenter orate;* ait Apoſtolus. Oratio & abſtinentia mentem auocant & emoliuntur ab intemperie mundialium voluptatum, ſed & omnem illarum vitioſam operationem, à nobis remotiùs propellunt. Carnem enim & ſanguinem dixit Apoſtolus carnales affectiones quæ mentem proliciunt & pertrahunt ad earum cogitationes ſenſuſque: & eò dixit; *quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſunt poſſidere.* Caro eiuſmodi pabulum dæmonum eſt: *dum enim appropiant aduerſum me nocentes, vt edant carnes meas.* Itaque quiſquis maccrat carnes, & ad tabem nititur virtute abſtinentiæ perducere; vtique Dæmones fame enecat, & ad procinctum conferendi aduerſum ſe reddit multò imbecilliores. Neceſſe igitur iuxta præſcriptam ſententiam, non vt per vnum ſenſuum abſtinens ſis, ſed per omnes: puta per viſum, per auditum, per odoratum, linguam, ventrem & tactum, per inceſſum indecorum, & cætera id genus omnia. Oportet (inquam) abſtinentem, præſtantiore eſſe animo ac ſublimiore, quam aliquando manus vt det victas vlli obſcœnæ voluptati aut concupiſcentiæ vitioſæ. Amatores ſiquidem abſtinentiæ propalam conſpiciuntur, & corporis tueri incolumitatem, & ſecundum animam erga Deum non mediocri perfundi gaudio: nimirùm cùm mens ſe à terrenis iſtis & caducis extricauerit, & ad cœleſtia expetenda ſe totam expanderit. Ab omni enim cùm ſe ſubmouerint intemperie voluptatis, deinceps fiunt eiuſmodi vitioſarum affectionum oſores: Deo proinde accepti deprehenduntur. Oratio item talium, ad Dominum, ſyncera eſt, eodemque ſtudio cum angelis Deum præcipuo venerantur honore. Sed & Scriptura ait; *poſt concupiſcentias tuas ne eas, & ab appetentijs tuis auertere; ne lateris ſuper multis delicijs,*

B
C
D
E

1. Cor. 9.
Luc. 21.
1. Theſſ 5. 17.
1. Cor. 15.
Eccl. 18.
προσίχει, dic, ἐπίχερο.

abſtinens. *neque te exſaties in omnibus delitijs neque te effuderis in multa ferculâ; In multis enim cibis erit morbus; qui autem attendet ſibi, adijciet vitam.* Beatus item Dauid perfectionem indicans abſtinentiæ, ait, *percuſſus ſum vt fænum & exaruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum:* Et; *à voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ:* Iterum; *quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu temperabam.* Paulus item: *mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram:* Rurſus; *expurgemus nos ipſos* (chariſſimi) *ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei, vt efficiamur templum Dei viui.* Petrus: *ſubminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam.* Iuxta igitur mandatum Dominicum neceſſe ſit ſemper ſobrij inueniamur ac peruigiles: Ait enim; *ſint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes, & vos ſimiles: hominibus expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei:* Inducit; *beati ſerui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, amen dico vobis, quia præcinget ſe & faciet illos diſcumbere & tranſiens miniſtrabit illis:* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Pſal. 101.

2. Pet. 1.

A

B

De Ieiunio. HOMILIA VII.

MONACHVS qui merito ieiunij ſynceerioris magnopere cupit Dei gratiam emereri, ſibique conciliare eam familiariter, prorſus is debet primum omnium ſibi ieiunium adſciſcere, non qualecunque, ſed quod puriſſimum ſit peccati omnis; ſecumque, decreto immobili ceu trabali clauo conſtituat, nulli, dum in viuis fuerit, ſeruire vnquam vitioſo affectui, ſed & ſilentij perpetis excolat taciturnitatem; atque iugiter tueatur. Hic talis cum Angelis per quam familiariter congreditur, medióque in cœtu iuſtorum, ſpiritualem agit chóream: ſiquidem liber iam ſtrepitus terreni omnis, ad cœleſtium rapitur contemplationem: hinc dum ſe macerat ieiunio, mœrenti ſimilis conſpicitur primum; at illinc exhilareſcit totus, conſideratione æternorum. Hinc etiam, principio, vim cogitur inferre priſtinæ conſuetudini; ſed idem animo refouetur, & tranquilla perfruitur quiete. Qui ſic ieiunat, videri poſſit aſſimilis flori eius Palmæ quæ ἀλατίος dicitur: &, externè quidem, colore interſpergitur planè ſubtriſti & inamœno, internè autem niueum candorem præfert, ſed & arbor admirabili fructuum vbertate prægnans eſt. Ad eum ſe habet modum quiſquis ſynceriter ieiunat: externè ſubtriſtis ipſo proſpectu videtur, internè, diuini luminis ſplendore illuſtratus, Deo colloquitur multa cum fiducia. *Quantò enim noſter hic homo exterior corrumpitur, tanto verius interior renouatur de die in diem:* ait Paulus. Ieiunium igitur eſt, non ſolum ſi cibum ſumpſeris ſolito ſeriùs, at, ne ſi bis quidem comedas (tale enim ad exercitationem pertinet monaſticam) ſed prouidendum magis ne vtare obſonijs tam vario apparatu concinnatis & inſtructis. Monachi exercitatio eſſe debet, vt menſulam ſuam ad vniformem contrahat cibum. Ieiunium porrò id dixerim, vacare prorſus ratione omni, ſi quidem ad ſumptionem alimoniæ præfiniti temporis opperiris articulum, in ipſa autem hora, cum immoderata atque effreni intemperie te inuitas ad menſam, atque adeò cum carne mentem etiamnum ad voluptatem exatiandam his quæ apponuntur, affigis & alligas. Eſt & illud opus, vt obſerues in abſtinentia quæ circa cibi ſumptionem verſatur, vt nequem cibum aliquando abomineте, hoc enim execrabile cùm primis, ac Dæmonum malignitati per quam ſimile: neque enim ab vllo ciborum genere nobis temperamus, quod ſuapte natura mali ſint (abſit hoc) magis verò vt nos à pollucibiliore eduliorum voluptate atque illecebra auulſi, membra hæc carnis noſtræ quæ facilè inflammantur & intumeſcunt, moderatè caſtigemus: vt ſi quidem ſana ſunt,

Non ἀλατίας, ſed, ἀλάτη, quæ &, σπάθη apud Dioſcoridem, & primo.

2. Cor. 4.

Obſoniorum apparatus imprimis in Ieiunio eſt fugiendus.

Audi Luthere cum tuis aſſeclis.

C

D

E

eum decoro & honeſtate coërceantur; ſi infirma, moderata indulgentia opimentur & pingueſcant. Neque enim vſque adeò delaſſandum corpus eſt eius qui in procinctu verſatur palæſtræ ſpiritualis; ſed quatenus ſufficere poſſit ad legitimè ſuſtinendum ſemel arreptum agonem. Primaria illa lex dixit: *qui votum vouerit, à vino & ſicera ſanctificabitur, & quæcúmque ex vinea conficiuntur, non comedet omnibus diebus votiſui, quia ſanctus Domino eſt.* Daniel inſuper: *ego eram lugens tres hebdomadas dierum, panem deſiderabilem non comedi, neque vinum introiuit in os meum, ſed nec vnguento vnctus ſum.* Quid ita ſe vir tantus macerabat ieiunio; adeò vt nihil gliſceret miniſtrari ſibi eſculentorum? Sanè quòd eſſet vir deſideriorum quæ ſpiritum illuſtrant: hinc dignus habitus cui retruſa myſteria reuelarentur; eorúmque fieret ſpectator quæ cæteris nulli dum reuelata fuerant, nec indignus qui cum Gabriele Archangelo congrederetur familiariter. Nec ſecùs trium puerorum epulares cibi ex ſemine prouenerant terræ illius; & eorundem abſtinentia, ſed & charitas erga Deum ardentis camini ignem in roſcidum vaporem permutauit. Moyſes quoque per dies quadraginta dum ieiunat Legem promeruit accipere. Conformiter & Helias totidem dierum ieiunio Dominicæ gloriæ ſpectator effectus eſt. Anna Samuelem filium impetrauit, præſidio freta orationis & ieiunij. Apoſtolus item: *In laboribus, in vigilijs, in ieiunijs* ſuum ſubigebat ſeruituti corpus. Sed & propheta Ioël: *ſanctificate ieiunium, prædicate curam* * *& medelam, & clamate: Hei mihi, hei mihi, quia prope eſt dies Domini.* Idem poſt pauca: *& nunc dicit Dominus Deus noſter, conuertimini ad me ex toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia miſericors & miſerator eſt, longanimis & multæ miſericordiæ & pœnitens ſuper malitijs veſtris.* Dauid, *ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam:* Et; *genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* Ieiunium porrò illud verum eſt; non modò id, quo tuas ipſius carnes ad tabem & marcorem perducis, ſed & ſi quantùm detrahis priuæ expenſæ per tuam abſtinentiam (quod alioqui inſumpturus fueras edendo) tantùm viduæ impartiaris & pupillo, qua accepta exatietur, & pro collatore beneficij exoret, pérque manus inopis Deo præſentetur accepta eiuſmodi victima, quemadmodum & Eſaias ait, *cùm ieiunas, frange eſurienti panem tuum.* Benigniſſimus Dominus noſter, ſui nos vt erudiret exemplo operis, primus ipſe ieiunauit. Sed de eo qui ſæuo dæmone miſere vexabatur, ait: *hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio.* Inducit; *quum autem ieiunaueris, ne ſis ſicut hypocritæ:* Et; *Beati qui eſuriunt nunc, quia ſaturabuntur.* Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

Num. 6.

Dan. 10.

ἀνδρὸς ἐπιθυμιῶν, leg. ἐπιθυμιῶν.

Dan. 3.

Exod. 24.

3. Reg. 19.

1. Reg. 1.

2. Cor. 6.

Ioel. 2.

Θεραπείαν.

Pſal. 34. 13.

Pſ. 108. 24.

Ieiunium verum eſt quod Eleemoſynam comitem habet.

Iſa. 58. 7.

Mat. 17. 21.

Matt. 6.

Matt. 5.

De Philargyria, hoc eſt, amore pecuniæ.

HOMILIA VIII.

PECVNIÆ amor morbus eſt mirè peruicax, expugnatu difficilis, denique & pernicioſus. Impoſſibile namque, eum qui ſit affectator voluptatum ſimul & congerendæ pecuniæ cupientior, ſecundum Deum vitam vt inſtituat ſuam. Planè ſi quando hic morbus animam internanciſcerit ſegni torpore lenteſcentem, & animam diffidentem Deo, mox illi ſuggerit commenta quædam excuſandi ſui conſentanea, vel quæ vmbram præferant iuſtæ excuſationis. Eiuſmodi prætextus vmbratilis ſecreta cogitatione Monacho ſe offert, ſenectutem prolixam eſſe, præterea infirmam eſſe valetudinem corporis, vt mare, quantamlibet in ſe incurrentium fluminum excipiat multitudinem, nunquam tamen exatiatur aut impletur; haud ſecus auari concupiſcentia; neque enim quantiſlibet expletur diuitijs. Quiſquis igitur

Auaritia, qualis ſit morbus.

Auaritia non ſuggerit excuſandi commenta.

Digitized by Google

Auaritia à radice eſt reuellenda. igitur vult iſtius cupiditatis exſcindere inexplebilem affectionem; ab radice eam conſcindat ac reuellat: Dum A
enim manet radix; caſto labore reſecas ramos, alicunde
enim, rurſus alij emergent ac renaſcentur. Monachus
inhians cumulandæ pecuniæ, enixiſſime intendit operi: qui autem nullum quærit poſſidere peculium; nunc
orationi ſtrenuam commodat operam, nunc in lectione eſt totus: Monachus pecuniæ ſtudioſus theſaurum
κειμήλιον, legere, κεραίνω, pro, ſtrepere, κεκτῆσθαι μετὰ πόνου. corradit & indit marſupio, qui ſine peculio eſt, theſaurum colligit ſibi & condit cœlo, dicit certè Scriptura:
maledictus qui facit idolum & ponit in occulto, haud ſecus facit qui vitioſo affectu laborat auaritiæ: Ille quidem pro-
Deut 27.15. cidit idolo rubigine pallenti ac prorſum inutili, hic autem ſecum circumfert imaginem prorſus inanem, nempe diuitiarum ambitioſam cogitationem. Atque vt venter ſuis ventricolis euadit in Deum, ita iſti aurum pro
Deo habetur. Dæmon hic tinea quædam efficitur in B
oſſibus auari per anxiam & irrequietam ſolicitudi-
1.Tim 6. nem & peruigilium, ipſum arrodens ac depaſcens. Iure
optimo in ſacris literis peſtilenti hac paſſione interdicimur, ceu dictum nobis eſt, qua noſcuntur laborare grauiter, à fide ſpeque obtinendæ ſalutis alieni: imprimis
tamen voluptati ac idololatriæ obnoxij, neque enim ſupereſt illis quicquam ſpei erga Deum, ſed in animalcula regia, qui eum à recto calle deflexerint, in præcipitia
erroris atque perditionis barathrum prono illapſu fe-
Eccl. 31. 6. runtur, vel teſte ſcriptura, *qui diligit aurum, non iuſtificabitur.* Rurſus: *Auaro nihil iniquius*: hic enim, etiam animam
Eccl. 10. 9. ſuam venalem. * habet. Et: *multi dati ſunt in ruinam propter aurum*, vt & Iudas: is enim per auaritiam, non Apo-
ὤνιος ſiue πρακτὸν, aut ptabilem, legendum puto, venalē, ἐμπράκτον. ſtolorum modò excidit cœtu, ſed & proditor factus eſt C
Domini, ac demùm gulam ſibi præfocauit laqueo; iuſtè quidem. Scelus planè eſt & abominatio; lepra (tanquam) eſt, auiditas pecuniæ, vt & luculenter per Giezi
demonſtratum eſt: non quòd volenti neutiquam auferri poſſit, naturalis cùm non ſit; ſed cum, electione libe-
Eccl. 31. 6. ræ voluntatis illam quis inciderit; ab ea vtique mundari poſſit: nec difficile; ſi quidem clamarit ad Dominum
Matt. 8. 2. Ieſum; *Domine ſi vis, potes me mundare*: nolenti vero; fuſtis eſt & trabes offenſionis, ijs qui hoſtias offerunt Domino. Sed & quiſquis inſipiens eſt, capietur auri cupi-
Eccl. 31. 8. ditate; *Beatus* itaque *vir qui inuentus eſt ſine macula, qui poſt aurum non abijt*, iuxta Scripturam. Ait hic enim Iacobus
Iaco. 5. interminatus iſtis pecuniæ helluonibus; *Aurum veſtrum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis.* Item; *Agite* D
nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs quæ aduenient vobis.
His per quam ſimilia, propheta Abacuc dicit auaris
Abac. 2. iſtis opprobrans; *Væ ei qui multiplicat ſibi quæ ſua non ſunt!*
qui per auaritiam malam extorta congerit domui ſuæ.
Sane quàm eleganter dixit; *quæ ſua non ſunt*: etenim ijs
qui tales ſunt, omnibus ſuppetunt diuitiæ; vt & Dauid
Pſal. 51. 9. ſuómet aſtruit patrocinio; *ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum*
Iob. 27. *& præualuit in vanitate ſua*; Iob quoque: *ſi congregauerit peccator quaſi terram, argentum; & quaſi lutum, aurum; hæc omnia iuſti acquirent.* Is de inculpatæ vitæ mundicia ſpem
Iob. 31. 24. ſirmens, dicebat; *ſi conſtitui aurum fortitudinem meam, ſi lætatus ſum pro eo quòd multa adeſſent diuitiæ.* *Melius* igitur
modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Sed & Pau- E
lus conteſtatur, malorum omnium radicem eſſe pecuniæ concupiſcentiam. Eſt enim, qui cupiditate eiuſmodi laborat, nihil indoleſcens alienæ calamitati &
prorſus immiſericors. Dominus ipſe, noſtræque pararius ſalutis, quum probè noſſet affectionem hanc auaritiæ præſentaneam eſſe animę perniciem, congruam me-
Matt. 10. delam adfert, dicens: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque æs in zonis veſtris*: eóque inducit: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum*; cùm interim nullius terrenæ rei poſſeſſio, facile ac liberis alijs in cœlum tranſuolat & attollitur. Ipſi gloria in ſæcula,
Amen.

A *De vitanda munerum acceptione.*

Homilia IX.

QVISQVIS captat munera, aut plus quam par ſit quærit poſſidere; item pecuniæ auidus & fœnerator: quatuor hi, vnum eundémque trahunt currum; ſed eo præduce qui ſu- *Auaritiæ quadriga cuius auriga eſt dæmon ſuperbiæ.*
perbiæ auriga eſt & princeps. Atqui hic Domini imperio deiectus eſt. Eius attamen hic impetus inquietat,
qui ipſum ad animæ vſque depulſionem ſequuntur.
Non igitur æquum fuerit, vt qui ſanæ ſunt mentis, tam
crientis hoſtis fræna patiantur; ne illius aurigatione,
cum ſuo auriga in puteum abripiantur ſupplicij: quin
potius præitore Apoſtolo, rectà contendite ad vitam:
B *habentes* (inquit) *victum, & quibus tegamur his contenti ſimus*, qui enim *volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli.* Profectò qui Apoſtoli mandatum tuebitur, imò veriùs, Domini dicentis, *nolite poſſidere au-* *Prou. 22.*
rum aut argentum, & ne ſolliciti ſitis quid manducetis aut bibatis: is, aurigam ſuperbiæ exturbat curru, atque ſuis
proteret pedibus. Pulchrè igitur Parœmiaſtes, per admonitionem, munera captantibus dicit; *ne opprimas pauperem aut vim illi feceris, Pauper enim eſt*: Item; *qui di-* *Eccl. 4.*
ligit pecuniam, non implebitur pecunia. Propterea, pau- *Idem & Paulus tribuit Domino.*
per facilè nouit ingredi in conſpectu Domini. Et; *ne ſit manus tua extenſa ad accipiendum, & ad reddendum contracta.* Hoc ipſum & Paulus: *Beatius eſt dare quàm* *Act 20.*
accipere. Lex item, *non iuſtificabis impium pro muneribus*:
C Et, *non accipies munera, munera enim excæcant oculos videntium.* Samuel: *num de manu cuiuſpiam accepi munus aut calceamentum?* Ecce teſtis Dominus. Propheta Amos *Exod 23.*
aduerſus populum indignabundus dicebat: *dona electa accepiſtis a pauperibus.* Huic per omnia conſentaneus *Amos. 6.* *Eſai. 1.*
Eſaias, ait: *Principes tui diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Tales qui ſunt miſeros eſſe confirmans inducit: *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, qui auferetis à iuſto quod iuſtum eſt, & capitis xenia!* Et: *Dona excæcant oculos ſapientium.* Iterum, *perdit ſeipſum, qui accipit* *Eſai 5 & 10*
munera, qui autem odio habet acceptiones munerum, viuet. Rurſum: *accipiens munera in ſinibus, iniuſtè, non proſperatur in vijs ſuis.* *Melius* itaque *nomen bonum, quàm diuitiæ.* Dauid proinde precatus Dominum, vt huic eximeretur
D noxæ; dicebat: *Ne ſimul perdas cum impijs animā meam & cum viris ſanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Impios, exleges ſiue iniquos, atque viros ſanguinum dum nominatim perſtringit, inſinuat captatores munerum: Item,
Inſipiens & ſtultus peribunt, & relinquent alienis diuitias ſuas: *Pſal. 48. 11.*
Ac ſi diceret illud: *Stulte, nocte hac repetent à te animam tuam,* *Luc. 10.*
quæ autem *apparaſti tibi, cuius erunt?* Stultos planè eos
nominat, qui ſcopum ſuæ ſpei, diuitijs affigunt: eóque
ſtulti, quum incompertus ſit nec certò deprehēdi queat
iſtius vitæ exitus. Rurſus; *Inclina cor meum in teſtimonia* *Pſal. 118.*
tua & non in auaritiam. Iob quoque, purum declarans *Iob. 36.*
ſe, noxæ huius, *ſi manibus meis vel attigi dona.* Sed & Do- *Luc. 12.*
minus, noſtræ vindex ſalutis; *Videte* (ait) *& cauete ab omni auaritia*: quia non ex eo quo quis abundat, vita eius eſt.
E Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

De ſordida & illiberali parcitate.

Homilia X.

PARCITAS, aut ſi mauis, tenacitas, ab radice progerminat puſillanimitatis, veriùs proficiſcitur ab infidelitate & deſperatione. Etenim ſi circa hæc viſibilia quæ in *Tenacitas vnde oriatur.*
dies ſingulos abundè & opulenter nobis ſuggerit Domini benignitas, haudquaquam fidem habemus ſed variè diducitur animus & vacillat dubius; qui fiet, vt fide
nihil hæſitāte credamus ipſius verbis de his quæ minime

oculis ſubiacent, ſed æterna ſunt nec vllo vnqoam intercipienda fine: cum alioqui ſe ea nobis certò daturum pollicitus ſit bona ſane *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominum aſcenderunt?* Non igitur abs re diuina nos coarguit Scriptura: *Virum puſillanimem quis ſuſtinebit?* Itaque iſtios corporis neceſſitatem fide non dubia Deo permittamos cui manifeſti ſumus; fidem habentes, Spiritui ſancto. Sane rerum omnium curam in eum tranſcribamus, illi vni aſſignemus; quia ipſi cura erit de nobis. Nouit ipſe quorum tangamur neceſſitate, priuſquam poſtulemus eum. Simpliciter gradientium diuinæ, Deus eſt; quemadmodum aſtruit Sapientia: *qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. Rurſus; *Fidelis viri eſt totus mundus diuitiarum; infidelis autem ne obolum quidem habet.* Et; *benedictio Domini ſuper caput iuſti.* Et, *Benedicta anima ſimplex omnis eſt: qui ſeminat iuſtitiam, mercedem recipiet fidelium: non enim enecabit fame Dominus animam iuſti: qui autem confidit in diuitijs ſuis, corruet*. Et: *ſubſtantia præpropero ac feſtinatiore ſtudio quæſita per iniquitatem minuetur: qui autem coacernat ſibi cum pietate, multiplicabitur*. Dicit autem Moſes: *ſi fuerit inter te indigens quiſpiam ex fratribus tuis, non contrahes manum tuam ab eo: ſed mutuò dabis quantocumque eguerit*. Pſaltes item regius; *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, vt eruat à morte animas eorum & alat eos in fame: Diuites* enim pauperes facti ſunt & *eſurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. Et; *Non vidi iuſtum derelictum, neque ſemen eius quærens panes*. Alter item: *Qui miſeretur pauperum, beatiſſimus*. Et: *Animæ ſuæ benefacit vir miſericors*. Concinit bis Apoſtolus: *Qui parcè ſeminat, parcè & metit: vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non tamen ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Sed & animarum & bonorum omnium amantiſſimus Dominus; *reſpicite volatilia cœli, quia non ſeminant neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit ea*: Inducit; *nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus aut quo operiemur? ſcit enim Pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indigetis, quærite autem primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Cor. 2. 9 — *Prou. 18. 14 in Editione 70 in vulgata vero, ſpiritum ad iraſcendum facilem, &c.* — *Prou. 10.* — *Prou. 11.* — *Prou. 13.* — *Deut. 15.* — [illegible] *Pſal. 33.* — [illegible] *2. Cor. 9.* — *Matt. 6.*

Fratrum neceſſitati occurrendum, mutuo vel commodate.

Homilia XI.

Mutvo aut commodatò quid vtendum dare fratribus, maxime qui germanitate fidei tibi iunguntur, ſúntque expectatione futuræ hæreditatis compares; magnopere condocit, iuxta præſcriptum legis quæ ait, *Fratri tuo dabis mutuum:* ei nimirùm qui ſub lege tecum militat: alienigenæ autem non commodabis, hoc eſt, exlegi, quíque à legis iugo extorris viuit. Et hæc quidem lex ipſa ſuo aſtruit patrocinio. Sed & Parœmiaſtes; *qui facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo*. Et: *Qui præualet manu ſua, ſeruat mandata*. Rurſus: *Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis ſuæ; & ne abſtineas benefacere indigenti cũ ad manum habeas & poſſis auxiliari, ne dicas, reuertens redi, & cras dabo*. Peræque his conſinia dicit regius Pſaltes; *Iucundus vir qui miſeretur & commodat*. Rurſum; *tota die miſeretur & commodat iuſtus, & ſemen eius in benedictione erit*. Item: *mutuabitur peccator & non ſoluet, iuſtus autem miſeretur & tribuet*. Quem ſibi præſcribat ſcopum nomine fœnoris Scriptura, noſſe conuenit: δανεῖσαι enim fœnerari, pro benignè & miſericorditer accipere proximum, vt plurimum adſcribitur: quemadmodùm illud adſcriptum eſt: *Propter mandatum ſuccurre pauperi; perde argentum propter fratrem*. Iterum: *quàm ſpecioſa miſericordia in tempore tribulationis*. Conſortabis tibi concorporem atque conſortem, ſed & hunc habiturus es in die reſurrectionis, pararium & conciliatorem. Vicem enim ſuam reſtabitur clemẽter indoluiſſe te, nec commiſiſſe, vt aduerſum te ingemiſceret: ſane non mediocre emolumentum adferet tibi hoc. Ne igitur tam illiberales ſimus & inhumani ob aurum & qualiacunque eſculenta; quorum rubigo & tinea in teſtimonium aduerſum nos futura alioqui ſint. Quin Paulinæ magis ſententiæ geramus morem; *qui tribuit, in ſimplicitate; qui miſeretur in hilaritate*: Et, *neceſſitatibus ſanctorum communicantes*, Alibi item: *diſcant autem & noſtri, bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios, vt non ſint infructuoſi*, Zacharias inſuper Propheta: *Iuſtum iudicate*. Et: *Miſericordiam & miſerationem facite vnuſquiſque cum proximo ſuo*. Et Ioannes: *qui habuerit ſubſtantiam mundi huius & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua: quomodò charitas Dei manet in eo?* His conſentiunt & aſtipulantur, quæ noſtræ omnium prouiſor ſalutis, Dominus, vt faciamus admonet; *Omni petenti te tribue: & volentem petere mutuum abs te, ne auerſeris*. Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

Deut. 15. — *Eccl. 10.* — *Prou. 3.* — *Pſal. 36.* — *Rom. 12.* — *1. Ioh. 3.* — *Matt. 5.*

A B

De Vſuris. Homilia XII.

Mvndi huius homines ante tribunalia nunquam conquieſcent controuertere & lites intendere proximis; couſque dum acceſſorio perfruantur quod præter ſortem contingit, dum maximè præter debitum vſuras corradunt & colligunt; adeò vt quod iuſtè ad illos pertinet, principium fiat magnæ iniquitatis. Quapropter qui vſuras exercent; non abs re ceu execrabiles & ſtrigoſi nominatim perſtringuntur. Sunt planè coram Domino & hominibus abominationi; cùm in genere nulli non Chriſtiano interdictum ſit artificio quouis exercendæ vſuræ, ſicut & de iniqua illa ciuitate ait Propheta; *non defecit de plateis eius vſura & dolus*: Cùm interim iuſto hoc elogium reddat; *argentum ſuum non dedit ad vſuram*. Item; *ex vſura & ex iniquitate redimet animas eorum*. Parœmiaſtes quoque, *qui multiplicat diuitias ſuas cum vſuris & abundantijs, vtique ei congregat qui miſerebitur pauperis*. Item: *Vſuram ſuper vſuram, & dolum ſuper dolum*. *Nonne ego aliquot*, qui per immodicam auiditatem lucri, præter animæ detrimentum, ſortem elocatæ pecuniæ perdiderunt: Dignè quidem; cùm lex præſcribat, dicens: *Fratri tuo non dabis ad vſuram argentum, non cibos, aut rem quamcumque*. Rurſus: *Argentum tuum non dabis ad vſuram*. Et: *ad ſuperabundantiam non dabis cibos tuos*. Eccleſiaſtes de iſtis qui per iniquitatem vſuris extortam locupletantur ediſſerit hunc in modum: *eſt infirmitas grauis quam vidi ſub ſole, nempe eum qui diuitias cuſtodit in malum proprium, & peribunt diuitiæ illæ in occupatione mala, & certe omnes dies illius in tenebris & luctu & in indignatione multa & infirmitate*: Et labor iſtius, in ventum ibit. Conſentit his illud Pauli ad Timotheum: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites eſſe in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam*. Authoritate igitur perſuaſi (fratres) ſcripturæ diuinæ, ab inexplebili illa auiditate congerendi diuitias auocemus mentem: longiſſimè ſubmoueamus nos ab hac execrabili prorſus vſurarum excogitatione: potiùs imitemur beati Zachæi pium zelum, cum eodem dicentes; *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquid defraudaui reddo quadruplum*. Idque vt ab eo promereamur audire, qui cordium noſtrorum arcanos receſſus perſpicuè nouit Domino noſtro ac Saluatore; *hodie ſalus domui huic facta eſt*. Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

Vſurarij, ſunt omnibus execrabiles. — *Pſal. 54.* — *Pſal. 14.* — *Pſal. 71.* — *Prou. 28.* — *Deut. 15.* — *Leuit. 25. 36.* — *Eccl. 5. 12.* — *1. Tim. 6.* — *Luc. 19.*

C D E

De immoderata affectione conquirendi ſiue de auaritia.

Homilia XIII.

Ait Do-

AIT Dominus: *nemo poteſt duobus dominis ſeruire,*
Matt. 6. *aut enim vnum contemnet & alterum ſuſtinebit,* A
Rom. 6. 18. *aut vnum oderit & alterum diliget, non poteſt Deo*
ſeruire & Mammonæ. Liberati enim à *peccato,*
ſerui facti eſtis iuſtitiæ, nec iam poteſtis Deo ſeruire &
Mammonæ: cuius interpretatio eſt, ſicut ille dicit; *Di-*
Pſal. 61. 11. *uitiæ ſi aſſluant, nolite cor apponere*: quandoquidem iuxta
Leuit. 13. legis præſcriptum; pars vna corporis lepra ſi aſpergitur,
altera autem ſyncera eſt; totum interim cenſetur im-
mundum. Planè alienæ facultatis appetentior quanta-
libet pecuniæ exuberet copia, nunquam exatiatur.
Quum enim permulta indipiſcetur, rurſus alia tantò
expeter auidius: cúmque ſibi hæc conciliarit; alijs rur-
ſum expanſo concupiſcentiæ ſinu inhiat cumulandis;
nec vnquam væſanientem hunc ſedat appetitum. Nec
enim is nouit, quia quantam habet materiam vitioſæ
iſtius affectionis ſecundùm proportionem; tantò rece- B
Auarus non cogitat ſe moriturum. dit à Deo, fitque particeps apoſtaſiæ. Vtique talis nul-
lum operitur vitæ iſtius finem; neque intelligit in hac
vita inquilinum ſe eſſe atque incolam; & quæ adeptus
eſt non eſſe ſua. Planè is accenſendus venit ordini ſtul-
torum: Particeps enim eſt illius diuitis cui ſuſpecta erat
loci ſui anguſtia. De eiuſmodi eleganter Scriptura lo-
Prou. 30. quitur; *quemadmodùm infernus & perditio non implentur,*
ita oculi hominum inſatiabiles. Beatus itaque Iacobus cu-
piens morbo iſti cupiditatis immenſæ adferre mede-
Iac. 5. lam; per epiſtolam dicit: *Agite nunc diuites, plorate vlu-*
lantes ſuper miſerijs quæ aduenient vobis; diuitiæ veſtræ putrefa-
ctæ ſunt, veſtimenta veſtra à tinea comeſta ſunt. Tales &
Pſal. 38. Dauid perſtringit; *Verumtamen in imagine pertranſit ho-*
mo, ſed fruſtra conturbatur, theſauriZat & ignorat cui con- C
gregabit ea. Iſti enim theſaurorum congeſtores fruſtrà
ſudaſſe competiuntur; nec ſibi vnquam, ſed alijs labo-
1. Tim. 6. 9 raſſe; *qui* enim *volunt diuites fieri, incidunt in tentationem*
& laqueum Diaboli; ſuámque vt plurimùm expetiun-
tur tandem cupiditatem, inamœnam eſſe atque diſpen-
dioſam; quæ & iuxta Apoſtolum demergit homines
in perniciem ac perditionem. Iubet rurſum is, multa
vt circumſpectione vitemus ſuperfluam hanc nec vllis
Ephеſ. 5. finibus circumſcriptam auaritiam, *quæ eſt idolorum cultus,*
per quam venit ira Dei in filios diffidentiæ. Sane quam deco-
rum ſit, vt expuncta ab animo iactantia citra rationem
vllam proficiſcente ex diuitijs; oderis inſuper incenti-
Odiſſe animã & renunciare omnibus: quid ſit. ua quæuis propriæ concupiſcentiæ: id quod eſt; odiſſe
animam ſuam, & à ſe excuſſiſſe omne ſuum peculium D
pro gloria Euangelij Dei! Quiſquis enim cogitationem
funditus amolitur & auocat ab omni ſuperuacanea cu-
piditate; is non magno negotio deprehendit inſidioſas
Diaboli pedicas. Mens enim ſimulatque à ſe depulit
anxias corporis curas; veteratorias illas ac fallaces ma-
chinas inimicorum, pro ratione vitium quas ſortita
eſt, perſpicuè videt. Ait proinde Parœmiaſtes, *non*
Prou. 18. & 22. 1 *proderunt theſauri iniquis; iuſtitia autem, à morte liberat.*
Et, *melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ, ſuper argen-*
tum & aurum gratia bona. Et, *Continens frumentum de-*
relinquet ipſis gentibus. Et; *qui appreciat frumentum; male-*
dictus in populis; benedictio autem ſuper caput diſpertientis. Et;
Prou. 11. 26. *qui confidit in diuitijs, corruet, qui autem benignè ſuccurrit iu-*
ſtis, exorietur. Dominus item, de eo qui apud ſe conſtitue-
rat ſuas demoliri ac ſolo adæquare apothecas, quòd an- E
guſtiores viderentur, illiſque exædificare capaciores:
Luc. 12. 18. *Stulte* (ait) *hac nocte* Angeli abs te repetent *animam tuam,*
quæ autem præparaſti, cuius erunt? Inducit: *ſic omnis qui ſibi*
ipſi theſauriZat, non item apud Deum recondit diuitias. Ipſi glo-
ria in ſæcula, Amen.

De diſtractione, alias importuna occupatione.

HOMILIA XIIII.

ET quidem de diſtractione luculenter admo-
A dum docet nos Eccleſiaſtes quidam, hiſce
verbis: *Dedi cor meum vt exquirerem & conſide-* Eccl. 1. 13.
rarem ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole, quia
occupationem malam dedit Deus filijs hominum vt occuparentur
in ea: Poſt pauca: *Et vidi ego in omnibus operibus meis quæ*
fecerunt manus meæ, & in labore quo ſudaui vt facerem, & ecce
vniuerſa vanitas. Ruſus: *ante faciem hominis dedit ſapien-*
tiam & ſcientiam & lætitiam, peccatori autem dedit, (illud Eccl. 2. 26.
ἔδωκε, *dedit*, intelligi debet pro; Ευνεχώρησε, *permiſit*
*libero hominis * arbitrio*) *vt addat & congreget, id quod vanitas*
quoque eſt. Omnia de puluere facta ſunt, & omnia in pulue- Eccl. 3. 20.
rem reuertentur: Inducit; *melius eſt repleri pugillo quietis,* Eccl. 4. 6.
quàm impleri duobus pugillis laboris. Iterum: *In quibus dedi*
cor meum vt cognoſcerem peccatum meum, & vt viderem ten-
B *tationem quæ facta eſt ſuper terram, quia nec interdiu nec noctu*
ſomnum videt oculus eius, & omnis vita in ſolicitudine
eſt; Principium enim malorum, ipſa diſtractio eſt.
Perſpicuè admodum diuinæ docent literæ & rationi-
bus & exemplis eiuſmodi occupationem, vitam eſſe
impiorum & peccatorum hominum. Omnes quidem Monachatus eſt vita Angelica.
hanc vitare debemus; præ cæteris autem maximè, nos
qui quadantenus mundo huic vale diximus, & ange-
licam vitam vltronei ſuſcepimus exercendam. Sanè
quies libera & expers negotij ſecularis multò eſt cla-
rior atque illuſtrior ſplendore iſto nominis, qui para-
tur obeundis mundi negotijs; vel teſte cum primis A-
poſtolo: *nemo militans implicatur vitæ huius negotijs, vt ei pla-* 1. Tim. 2.
ceat cui ſe probauit: rurſus: *vt quietam & tranquillam vitam*
agamus in omni pietate & caſtitate. His conſentanea, votis
C omnibus expetendus Dominus nos per Martham edo-
cet, dicens eidem: *Martha ſolicita es & turbaris circa mul-* Luc. 10.
ta. Conſimiliter per parabolam de eo inductam qui ſe- Matt. 13.
minat; quando dicit, quoddam quidem cecidiſſe inter
ſpinas quæ vbi aſcenderunt, ſuffocauerunt illud; per
interpretationem infert: ille eſt qui verbum quidem
audit; ſed ſolicitudo ſæculi huius ac deceptio diuitia-
rum præfocant verbum nec fructificat: quod autem in
terram bonam ſeminatum eſt; hi ſunt qui audiunt ver-
bum corde bono; hoc eſt requieto & tranquillo, & iſti
fructum referunt Deo, ille quidem trigeſimum, alter
autem ſexageſimum, alius vero centeſimum. Ipſi gloria
in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quòd hic mundus neutiquam veniat diligendus.

D HOMILIA XV.

VIRI, qui igne charitatis in Chriſtum accen-
ſi parentes reliquimus, filios, fratres, deni-
que omnia quæ iſtius ſunt ſæculi velut ſter-
cora æſtimauimus, vt tandem Chriſtum pro-
mereamur lucrifacere: ne, quæſo, inanem aucupe-
mur hic gloriam, ne curam carnis fecerimus, ne tempo-
raria hæc & obnoxia corruptelæ tantopere deamemus,
ne in terra defodiamus talentum nobis concreditum;
néve hic patriam inquilini quæramus, magis verò fu-
turam illam toto perquiramus pectore; tota animi co-
gitatione ſuſpiciamus beatos illos mundi quidem ex
E profeſſo oſores, eóque amatores Dei. Illos intueamur,
qui mentem nuſquam aliò euariantem in æterna illa
domicilia tranſcripſerunt, qui & *circumierunt in melotis,* 1. Cor. 2. 9
in pellibus caprinis, egentes; afflicti: vt vel deliciarentur ſé- 1. Ioh. 5. 16
que oblectarent contemplatione mundi iſtius opificis,
nulli non pio votis omnibus expetendi; eóque & nos
in admirabiles viros oculis animi defixis, rectà illorum
veſtigijs ingrediamur, in nullam prorſus rem aliam at-
tenti; non ad hominum de nobis æſtimationem, non a-
liud item quiduis reſpectantes ſæculi iſtius: vt cum ip-
ſis poſſimus aliquando bonis illis perfrui quæ parata
ſunt *diligentibus* Deum. Fugiamus itaque mundum
(chariſſimi) & quæ in mundo ſunt: *Mundus* enim hic *to-*
tus in maligno poſitus eſt, prout diuinus prænũciauit ſermo.

Anima enim quæ nõdum ſe extricauit muodi iſtius perplexis curis, & liberam reddidit: Deum germanè ac ſynceriter non poteſt diligere; ſed neque Diabolum prout meretur, odiſſe & execrari; Eſto, colorem prætexere qualencunque puſſit tetricuin & grauem; nempe ſolicitudinem anxiam vitæ iſtius, ſanè ſi deinceps eo vertamus mentem, vt quæ in mundo videntur bona aſpernemur, poſſumus nobiſcum diſpenſante Spiritu ſancto, appetentiam hanc animæ ad terrena propendentem, concordem reddere rationali ipſius affectui. Quòd ſi vt hoſpites habitamus hic, ſi ciuitas noſtra longiore intercapedine diſiuncta eſt & diſparata ab hac quam incolimus, & plane nouimus ciuitatem illam quam certò credimus nos inhabitaturos, quid in aliena apparamus agros, ſubſtructiones, ædificia? addo magnificas ac ſplendidas prolationes ædificiorũ! Vtique quiſquis in aliena ciuitate ſtudioſius apparat hęc; re ipſa innuit nihil iã ſibi ſpei ſupereſſe, vt aliquãdo deflectat iter in eam quæ propria eſt, ciuitatem, nempe cœleſtem illam Ieruſalem. Iſtbæc cogitatio imprudentium eſt hominum, nihil penſi de ſalute animæ habentium; eóque miſerabilium. Non enim intelligit exotica hæc alieni eſſe iuris; & poteſtati ſubeſſe alterius; nimirùm iſtius ſæculi principis. Cùm igitur hic habitemus vt inquilini & alieni; nihil eſt quòd nobis ipſis impendio apparemus, præter frugalitatem vitæ ac virtutem. Qui erga ſuum Dominũ ſyncera charitate toti inardeſcunt, nullo non tempore circumferunt illum in cordibus ſuis, & per ipſius mundata inoffenſè gradiuntur, promiſſis eius fide nihil dubia acquieſcunt, ac ſcopum expectationis ſuę ijs aſſigũt. Bonum ergo, vt pro iſtis facultatibus, pro peculio qualicunque, quæ hodie quidem penes nos ſunt, at craſtinò aut perendiè in alterius conſtituentur arbitrio, pro his (inquam) animas redimamus miſerè afflictas; pro cuiuſque viri, viduis proſpiciendo & pupillis, non item auerſando illos. Vtque in Monaſterijs diſpenſantur; ita conuenit per vnumquemque pauperum ritè diſponere ac diſpertiri diuitias quas quiſque à Deo accepit in vita, & liberaliter inſumere in indignos. In hunc ſiquidem vſum eas nobis impertiuit clementia Domini, vt in obſequium inſumantur pietatis; ac demum pro eiuſmodi in pauperes liberalitate, theſaurum reponemus nullo vnquam æuo intercipiendum. Sanè multò præſtiterit nobis, vt tales coëmamus agros, tale peculium quod æternum duret, nóſque rectà prouehat ad illam nobis promiſſam ciuitatem quæ eſt mater noſtra; quando ad illam quotidiana contendimus peregrinatione. Ne igitur (dilectiſſimi) ceu dictum eſt; tam anxiè mundi bona cogitemus; vt vel tandem, æternis detur perfrui. Mũdum huoc velut curſu præcipiti tranſmittamus; quò ad mundi opificem pertingamus beatifica fruitione: ſiquidem mundi iſtius figura, ad imaginem tranſit inſomnij. Tametſi ipſo vtimur mundo, ne ſic quidem eo abutamur, iuxta Beati Ioannis mandatũ: *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum non eſt charitas Patris in eo, quia omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non ſunt ex Patre, ſed ex mundo ſunt*: Et; *Mundus tranſit & concupiſcentia eius, qui autem voluntatem Dei facit, manet in æternum*. Ait item Iacobus: *qui voluerit amicus mundi eſſe, inimicus Dei conſtituitur*. Paulus quoque: *expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, induite nouum qui renouatur*: Infert: *nihil enim intulimus in mundum, manifeſtum eſt quia nec efferre quid poſſumus; Habentes autem alimenta ac tegumenta, his contenti ſimus*, Et hæc poſtulat Salomon, à Domino; *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ſed ordina mihi neceſſaria & quæ ſufficiant*. Rurſum, Paulus cupiens magnopere vt neglectis terrenis, cœleſtia inambulemus, ſimúlque volens nos conſtituere cœleſtis patriæ municipes, admonet dicens: *Si igitur conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, mortui enim eſtis cum Chriſto & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*. Optat autem nos permutari eleganti admodum tranſmutatione; eóque inducit: *nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate mentis veſtræ*. Clementiſſimus Dominus noſter Diſcipulorum ſuorum ſermonem, ſuæ pondere maieſtatis ſanciens & corrobotans ait: *quid enim proderit homini ſi lucretur vniuerſum mundum, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

Monaſteriorũ Eleemoſyna.

1. Ioh. 2.

Iaco. 4.
Col. 3. 9.
1. Tim. 6.

Prou. 30.

Col. 3.

Rom. 12, 2.

Matt. 16.

De immodica & audaciore fiducia loquendi.

HOMILIA XVI.

TEMERARIA illa & impudens loquendi libertas videri poſſit aſſimilis Clauſoni magno; febri nimirùm exæſtuanti, cuius incendium cæteri neutiquam ferentes illinc ſe proripiunt, curſúque præcipiti in locum concedunt vmbratilem, animæ refrigerandæ gratia. Vmbra hæc refrigeratrix, cenſetur is qui in loquendo modeſtior eſt, eóque circunſpectior. Nam ab illo quidem nec ſalutato deſugiunt, vt ab acri & nares obturante fumo linguæ procacis, ſeſe commodùm recipientes ad captandam auram amœniùs ſpirantem; ad ſuauè fragrãtis incenſi exhalationem, quæ ſilentium eſt. Eius vitant graueolentiam, qui allijs veſcitur; & ei ſe adiungunt propius, qui quopiam fragrat nobili vnguento; hoc eſt, ſuauiloquo. qui ſedula indagine perſcrutatur verbum bonum, & qui caſta Dei eloquia abundè effundit. Nihil enim ſic obſcurare conſueuit & abolere ſplendorem virtutis; vt blandiloqua atque vrbanior ſcurrilitas, vt ludicra ac petulans nugacitas, vt otioſus ſermo & expers frugis bonæ. Item nihil ſic renouat & quodammodo repubeſcere facit animam alioqui inueteratam; vt timor Dei, vt oratio ſane quam ſpecioſa, vt perpes & indefeſſa meditatio eloquiorum Domini vt ſi teipſum obarmes & communias iugi precatione, ſi ſedulò ac veluti per veſtigia ſciſcitere quantùm ex vigilijs reſiliat cõpendij. Illa porrò audacior atque imperioſa libertas loquendi, abominatio eſt, vtque ſcriptura continet Eccleſiaſte, execratio (inquam) apud Dominum, qui firmat oculum: ſed & indocti intemperantis linguæ ſunt. Si verberauerit imprudentẽ in medio conſilij illi opprobrans, nunquam abſtuleris ſtultitiam illius. Rurſus, Sapientia hominis illuſtrat faciem eius: impudens autem facie, odibilis erit. Et in Prouerbijs, Rarius inſer pedem tuum in domum amici, ne fortè ſatiatus oderit te. Auerte abs te ſermones opprobrij. Iterum, Qui benedicit mane amicum exerta voce, nihil differre videtur ab eo qui maledicit. Rurſum, Qui cuſtodit os ſuum & linguam, conſeruat à tribulatione animam ſuam. Et nos igitur pro virili fratres toto niſu prouideamus, ne quem locũ in nobis vitioſus hic nanciſcatur affectus linguæ procacis, nequando aduerſum nos inualeſcat imperioſius. Perquam moleſta eſt hæc animæ intemperies è qua ceu parente cæteræ progerminant & emergunt: eóque fructus exercitij huius noſtri omneis putrilagine ac marcore perdit, virtutes ipſas hominis reddit inanes frugis bonæ. In eos cadit vitioſus hic affectus, quos odit Deus inſenſiſſimè. Vnde & Ozan qui per temeritatem exporrigere manum auſus eſt, vt Arca Dei ſeruaretur incolumis: vt execrabilem ac prophanum in veſtigio morte multauit. Temerè ergo loqui ac ſeſe efferre impotentius, vtrũque apud Deũ & homines caret gratia, quod cum perſpicuè noſſet Dauid, dicebat: Bonũ mihi quod humiliaſti me, vt diſcã iuſtificationes tuas. Et, Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Sed & Paulus: Datus eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet, vt ne extollar. Alius item, Quis gloriabitur mundũ ſe habere cor? Aut quis liberè loquetur corã eo? Vnde & Dominus Petro audacius quam conueniebat locuto, cũ enim is dixiſſet, propicius eſto tibi Domine,

noo

Clauſonem accipe febrem exæſtuantem, de qua Gale.

Scurrilitas obſcurat ſplẽdorẽ virtutum.
Animæ renouationem ſcientia.

Eccl. 9. & 10.

Prou. 10.

2. Reg. 6.

Pſal. [illegible]

2. Cor. 12.

Digitized by Google

non erit tibi hoc, acriter eum coarguit. Vade retro Satana. Atqui idem mox à reſurrectione à Domino interrogatus, Petre diligis me, omni cum timore ac reuerentia reſpondit, Certe Domine tu ſcis, quia amo te. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Quòd abſtinendum ſit à familiari colloquio mulierum.

Homelia XVII.

MAXIMOPERE accommodum eſt ac rationi prorſus conſentaneum, vt ij qui cupiunt vitam hanc tranſmittere inculpatam nec vlla in parte defœdatam, à familiari mulierum congreſſu ſibi temperent. Nihil enim minus conuenit, quàm vt qui ſemel mundum hunc fugerunt, mulieribus ſe inſinuent familiari colloquio; aut per earum congreſſum ac delicias, eneruent & inquinent arreptum propoſitum. Quidam enim, prætextu à compaſſione fruſtrà quæſito, religioſum eſſe cenſent ac pium, vitam exigere communiter cum mulieribus. Quotquot hoc faciunt aggreſſi ex profeſſo ſolitariam vitam, vtique ſuo hoc faciunt periculo, ſéque vltro trudũt in præcipitium iidem ad ingerenda conuicia propenſiſſimi, & ſcandalorum nec mediocrium imiri opifices. Cúmque in omnium oculis ſe vſque adeò gerant indecorè: nec vel ſic tantillum ſuppudeſcunt. Quid non iſti deſignent flagitiorum in occulto, & quæ hominum fallant obtutus; quando in proſpectu omnium ſic impudenter ſe venditant & glorianto? Quonam pacto ad ſobrietatem ac vitæ frugalitatem ſe recipient, qui derìdiculis, nec ferendis ſannis proſcindunt eos quos vident ſibi temperatè ac moderatè viuere? Qua, quæſo, ratione ſperes iſtos interquieturos & ab improbitate deſituros, qui quamlibet euidentibus argumentis cõuicti, miſerè concerpunt ac lancinant ſe coarguentes? Aut quo tandem modo diuina oracula indubia fide iſti reuereãtur & habere poſſint venerationi, qui fabularum loco, ſacra habent eloquia? Qui etiamnum iudicium illud formident: qui vel tenendis memoria Dei mandatis; ſuas operas tam oſcitanter commodant, pro conſuetudine ſuæ ex legis vitæ interim obambulantes? id quod nec fas vlli Chriſtiano, pius qui ſit. Egregium proinde fuerit, à mulierum congreſſu ſi nos ipſos amoliemur quàm longiſſime. Hoc enim Deo cùm primis gratioſum, & hominibus perquã amabile. Ipſe enim vel aſpectus mulieris telum eſt veneno letali litum. Vt primum vulnus affixit animæ, ac miſerè ſauciauit impreſſione ſagittæ; quantò diuturniorem cõiecit moram, tanto periculoſiorem putrilaginem in ea operatur. Qui autem vitabundus ſe à mulieris ſubmouet conſortio; is non facilè id in incurrerit periculi, neque telo mulieris ſaucius aliquando concidet. Quẽadmodum enim ſplendorem lucernæ alit oleum; ſic & colloquium mulieris ignem redaccendit voluptatis. Vtique ſcintilla, diutiùs ſi immoretur adhæreſcens paleis; erumpit in flammam: ſic memoria cuiuſpiam muliereulæ, ſi vel tantillum duret, incendium excitat concupiſcentiæ. Sicut item lapides illi in monte Æoam plagam reſpiciente, è venulis ſuis attritu aut contiguitate eiaculantur ignem: ita mas & fœmina ſi ab inuicem ſemotiùs diſparentur, neutiquam exardeſcet ignis: ſin mari ſe fœmina propiùs admouerit; ignis conflagrabit, atque vniuerſa depaſcet incendio. Ad eum modum ſe habet animal illud rationale, vir, ſed effœminatus. Fugiamus itaque (chariſſimi) illarum conſortia; ſunt enim aliud nihil viro, quàm virus præſentaneum, vt quæ animas noſtras procliuiter admodum ſuis irretiant pedicis, ceù plagis venaticis. Audiamus interim quid de eiſdem diuina iubeat ſcriptura. Primus in aream prodeat Parœmiſtes; à muliere principium peccati, & per eam morimur omnes. Inducit: ne des aquæ exitum, & mulieri malæ fiduciam loquendi aduerſum te. Et, ne impingeris

Mulieris aſpectus eſt veneno illitum telum.

in pulchritudinem mulieris, & mulierem ne concupiſcas. Rurſus: Oculi tui recta videant, quia coram oculis *Eccl. 51.* A Dei viæ hominis ſunt, rectas orbitas facito pedibus tuis non declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram; auerte pedem tuum à via mala. Rurſum; Fili, ne te ſuperet pulchritudo concupiſcentiæ, néve capiaris pupillis tuis: quia mulier animas venatur virorum honorabilium. Implanat hominem multa colloquutione, & laqueis labiorum illicit eum & irretiuit. *Prou. 22.* Ille autem ſecutus eſt eam & exceſſit ..., quaſi bos qui ducitur ad victimam, & quaſi canis ad vincula, neſciens quia pro anima currit. Ne igitur declinet in vias illius cor tuum. Multos enim poſtquam vulnerauit, deiecit: & innumerabiles ſunt quos interfecit. Viæ enim inferi, domus eius deducentes in promptuaria mortis. Et hæc quidem Salomon. Sed quid? Nunquid non Ægyptia illa Ioſeph concupiuit B perfrui pulchritudine carnali deſiderio exardeſcens, cum ille caſtiſſimus eſſet? Cum abnuiſſet adulteræ explere concupiſcentiam, tribulatione ac multiiuga neceſſitate per delationem mendacio adumbratam, pium illum ea transfixit & velut inſubulauit, plane vſque ad mortem: Num vides, vt vaga illa nec ſecum conſiſtens motio carnis Ægyptiæ quantam pepererit iuſto tribulationem? Vel ob hoc ſanè modis omnibus profuerit, ab eiuſmodi vt abſtineamus. *Iud. 17.* Nihil enim adferunt commodi harum mutuæ confabulationes nobis cupientibus lumbum præcingere. An non audiſti de Samſone Nazareo, quo cum inambulabat Spiritus Domini? Et nunc ſic ſanctum mulier ad extremam vſque vitæ cladem perduxit per moleſtam hanc carnem ac nefariam concupiſcentiam. Ob hoc nullo pacto nobis ipſis permittamus, C vt cum muliere vel ſediſſe comperiamur, & vt cõpendio abſoluam, nullam cum illis ineamus conſuetudinem. *2. Reg. 11.* Nec ſecus de Dauide quem & erudiuit & inuenit Deus virum ſecundum cor ſuum, quomodo concupierit perfrui mulieris illius, Bethſabeæ dico, decore incredibili. Hic beatus in quot tandem deuolutus eſt mala? Hanc cum vidiſſet ſanctus alioqui ſe lauantem, & concupiſcentia carnis illius exarſiſſet, quantam flagitiorum lernam hic operatus eſt, modis licet omnibus maximus? peccauit in Deum, non eo ſolum quod in mœchiam ſit prolapſus, ſed quod virum illius iuſſerit interfici. Vides, quantam hic vnctus Domini Rex Dauid confecerit tragœdiam, vt vel conceptam expleret concupiſcentiam? Doceamur & nos hoc exemplo non cõ- D cupiſcere. Si enim viri illi tales cum eſſent; illecebris tamen & lenocinijs mulierum demulcti captíque ſunt, & nos inter pericula incedentes, & in medio laqueorum poſiti adhuc effugiamus expaſſa retia. *2. Reg. 13.* Nec alia ratione Ammon ſororis ſuæ Thamar ineſcatus ſpecie, vita miſerè priuatus eſt. Similem in modum Salomon cum is alioqui ſapientiam haberet, prudentiam, profuſiſſimã cordis latitudinem, diuitias inſuper & gloriam tantam, quantam nemo hominum alius. Et hic tantus per mulieres periclitatus eſt, pérque earum maleſuadum amorem apoſtata à Domino factus eſt. *Dan. 13.* Seniores illi qui iudicium exercuerunt aduerſus Suſannam ij per aſſiduam cõgreſſionem cum alienam pulchritudinem eſſent edocti, ac demum abijſſent præcipites in immenſum pela- E gus concupiſcentiæ inſurrexerunt in beatam illam Suſannam. Hæc quidem de concupiſcentia ſat ſint. Sed & illarum nequitiam Ieſus Sirach filius conſpicuam reddit, & omnibus perſpectiſſimam, dicens: *Eccl. 22.* Omnem nequitiam & non nequitiam mulieris. Cohabitare leoni & draconi melius, quam habitare cum muliere nequã. Rurſus, Parua omnis malitia ad malitiam mulieris. Parœmiaſtes, *Prou.* Procul ab ea facito viam. Ne appropies foribus domus eius, ne impleantur alieni robore tuo, & pœniteat te in nouiſſimis tuis. Satius igitur eius ſequi conſilium, qui dicit: *1. Cor. 7.* Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Domino. Qui verò vxorem habet: cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Clemẽtiſſimus quoque hominum ama-

tot Dominus, cum is clariſſimè noſſet, quantam perniciem, A quamque ineluctabilem corruptelam vitioſus hic affectus concupiſcentiæ inueheret animabus noſtris, tali ſciuit decreto, aduerſúſque hunc pronunciauit: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Deum noſtrum addecet gloria in ſecula, Amen.

Math. 5.

Quod minime conueniat crebro aſſidere cantatriculis.

Homelia XVIII.

Crebro aſſidere cantillantibus mulierculis vix æquè nobis incommodum aliud occurrit. Ob hoc domus hæ dictæ monaſteria nomine ipſo arcent nos ab earum colloquiis iure quidem. B Sola ſiquidem apprehenſio vultus fœminei ſuiuo ſtatim neſcio quam ingerit cordi hominis turbulentam intemperiem, à tranquillitate in diuerſum auocat mentem, ac transfert aliò: cum ipſa inter orandum deinceps hiulca fauce oblatret, nec requiete vacet diuinis laudibus, quin potius huic vni incumbit curæ, nempe de iſtis cogitans. Qui earum colloquijs creber incubuit monachus ſimillinia in corde tacitus comminiſcitur, vt in ligno vermis, vt tinea in veſtimento. Fuge igitur illarum familiares congreſſus, néve illas permiſeris audaciam ſumere aduerſum te. Principio quidem, reuerentiæ nónihil præferunt, atque ita ſuam tegunt nequitiam pallio hypocriſeos, deinceps nonnihil audent impudenter imperioſæ. C In ipſo enim aditu primæ confabulationis multa cum lenitate loquuntur, & prono in terram vultu continenter illachrymantur; reuerenter admodùm habitum motúmque corporis ementiuntur, ſuſpiria attollunt amarulentiæ plena, de ſanctimonia aut caſtitate etiamnum interrogant, magna cum voluptate auſcultant diſſerentem. Alter à primo congreſſu, ſuperiora illa ſenſim repellit ac repudiat. In tertio, quid ita ardentibus oculis ac renidente vultu atriſiſti? Adhæc illa in riſum effuſiſſimè ſoluitur. Tum deinceps ſermones texunt, quæ præmolli quodam lenocinio demulceant atque inuitent affectionem turpitudinis. Et hæc planè aliud nihil ſunt quàm irritamenta quæ te ineſcent ac proliciant ad mortem: quare præſtiterit ardenti igni D propiùs ſe admouere, quam mulieri: præſertim iuuenis vterque ſi eſt. Etenim excuſſo igne, tametſi vehementi dolore affectus; ocius in terram deſilis. At muliebri blandiloquentia præmollitus, non iam paruo negotio te ab illa excutere potueris, ac ſecedere. Bonum igitur, ſed & Deo atque hominibus cùm primis acceptum; vt nos ab illarum conſuetudine extricemus vitabundi, nec eis continenter aſſideamus, nequando earum retibus impliciti periclitemur; quin libertatem quam ociſſimè nobis vindicemus, ceù aſſolent animalcula quæuis ſemel telæ arachneæ illapſa. Nos omnium maximè, qui relicto peculio totos nos Deo conſecrauimus; nihil impoſterum neceſſe ſit cum illis congredi familiarius; quarum quidem confabulatio, & plena eſt vanitatis & animabus mirè detrimentoſa. E Fas igitur defugiamus, ne flagitij quippiam adhæreſcat animabus noſtris: Ipſe enim Dæmon peccati amantiſſimus; commenta aduerſum nos non pauca excogitat ac molitur inſidioſè. Iſtis mulierculis ſuggerit, orent nos cum lachrymis & obteſtatione, eas vt aſſiduè viſitemus, illarum ſaluti & conſulamus; ſpe mercedis à Domino obtinendæ Ab iſtis interim perſuaſi auferimus remunerationem, hulcera nimirum animæ vix vllis curanda antidotis; ſalaces ſcilicet & obſcœnas cogitationes. Adeo deinceps cor tot agitatum intemperijs pœnas luit merito ſuo dignas, dum mens atque affectio concepti facinoris cor miſerum diſtrahunt; inque carnificum morem nunc huc ille, nunc illuc alter pluſquam tragicè concerpunt. Omnem igitur ſuperat vanitatem; nos quum parentes reliquerimus & fratres, conciliare velle eiuſmodi mulierum conſuetu- A dinem, in apertam perditionem animæ. Proſrus rationi diſſentaneum videtur, vt homo cupiat exercitationem monaſticam profiteri, & idem cum muliere, vel comedat vel bibat, aut certè à muliere expetat ſibi miniſtrari, ſiue ipſarum gerere curam; vtq; abſoluam cuncta compendio, ad earum pertingere cognitionem. Pari iure incongruum ſit, eas quæ ſe Canonicas profitentur; communem cum viris tolerare vitam, vt ne quid ſcandali exoriatur noſtri cauſa: quin ſtudeamus potiùs exhibere nos cæteris omnibus irreprehenſibiles. *Scientes* (ait Apoſtolus) *timorem Domini, ſuademus hominibus*; Deo autem manifeſti ſumus. Metuendum ſane nobis, ceù dictum eſt; ne qui per nos ſcandalum vllum incidant, cùm dicat Dominus, quia melius eſt vt lapis molaris pendeat à collo, & is projiciatur in mare, quam vt ſcandalizet B vnum ex his puſillis. Itaque vt à facie ſerpentis, & à perplexo quopiam peccato; ita & ab iſtis porrò ſecedendum, quòd præſentaneam adferat mortem illarum conſuetudo ijs qui vitam exercent monaſticam. Nec illarum declinanda ſolùm colloquia; ſed & de eis cogitationem ab radice conuelli oportere docet Parœmiaſtes: *ne des dimitias mulieri*; mentem tuam, vitam denique & conſilium. Alius: *Cum cantatrice aſſiduus ne eſto, nequando capiaris in argutis operibus illius.* Quin & Eſaiam de iſtis arbitror loqui: *pro eo quòd exaltatæ ſunt filiæ tua Sion, & ambulauerunt extento collo, & nictibus oculorum*; & quæ ſequũtur: Eo inducit; *& Dominus reuelabit habitum illarum in die illa*: id quod nunc temporis contigiſſe arbitror, per aduentum Chaldæorum. C Dicit autem & alio loco: *Virginem ne complexeris, ne fortè ſcandalizeris in increpationibus illius.* Rurſus: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt corda intelligentium.* Proinde Eccleſiaſtes: *amarius morte eſt, conuerſari cum muliere; Ipſa enim laqueus venatoris eſt & ſagena cor illius, vinculum in manus eius; Bonus ante faciem Dei, ſubmouebitur ab ea; qui peccat, comprehendetur in ea.* Infert: *lætare iuuenis in adoleſcentia tua, & ambula in viis innocens & immaculatus & in contuitu oculorum tuorum, & ſcito quia pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.* Nec aliter Apoſtolus: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, quæ geſſit; ſiue bonum ſiue malum.* Nos igitur quæ cæteris ſcripturarum cognitionem adminiſtramus, nec tamen eas explemus opere, multò præ ignaris iſtis atrocius manet iudicium, iuxta verbum D Domini dicentis; *quia ſeruus qui nouit voluntatem Domini ſui, nec fecit ſecundum illam, vapulabit multis.* Inducit: *ab omni cui multum donatum eſt, plus repetent ab eo.* Ipſi gloria in ſecula ſæculorum, Amen.

Mulierum impudens imperium.

Mulierum fraudes in colloquiis.

Vel hinc diſce Lutherane, vota religioſorum non eſſe nouitia.

Canonicæ.

Math. 18.

Prou. 31.

Eſai. 3.

Eccl. 19.

Eccl. 7.

2. Cor. 5.

Lu. 12.

De Fornicatione.

Homelia XIX.

Fornicationis affectus multifidus quidem ex familiari cooritur & ſurgit mulierum cõſuetudine. Nullo enim negotio aſſentatrix illa & illex congreſſio procacium mulierum, ſe hominis inſerit cordi illecebra, veteratoriæ artis perquam plena. Neque id ſimplex malum; cùm fornicationis Dæmo- E nem duplicem eſſe conſtet. Eſt enim, qui aduerſus animam; eſt & qui aduerſum corpus conſpiret. Iſtius rei gratia agon duplex nobis excipiendus aduerſus impurum hunc. Neque enim ſuſtinendo huic conflictui ſatis fuerit corporale ieiunium, ſolum ſi adſit; vt hoſte triumphato palmarium reportes perfectæ ſobrietatis & caſtimoniæ. Etenim neceſſe ſit, adſint hæ comites; cordis contritio, deprecatio iugis ad Deum, crebra meditatio ſcripturarum: His adde laborem, & manuariam induſtriam. Sanè poſſunt hæc, inſoleſcentes atque importunos animæ motus ſupprimere. Præ his omnibus plurimum adfert emolumenti animæ ſeſe deijcientis humiliatio; qua ſine, non fornicationem, non vllam aliarum paſſionum peruincere quis potuerit. Peruigili itaque cuſtodia aſſeruandum cor; ne quid inſyncerae cogitationis

Fornicationis fomes conuictus mulierum.

Medicina ſpiritualis contra fornicationem.

Anima humilitas, vitiis omnibus medetur.

Digitized by Google

nis ιrrepat alicunde. Iuxta enim Dominicam vocem; *ex corde exeunt cogitationes malæ.* Tametſi in noſtra reposi- *Matth. 15.* tum poteſtate eſt, iuxta Apoſtoli ſententiam, vt agonem hunc ſuſtineamus legitimè & coronemur: ſi quando tamen dabitur aduerſus hunc ſpurciſſimum fornicationis ſpirituum victricem palmam obtinere; non eò pertingere nos potuiſſe confidendum proprijs viribus aut monaſtica exercitatione, ſed Domini auxilio. *Fornicationem viciſſe: à Deo eſt.* Neque enim homini cõtingit requietum eſſe ab impugnatione iſtius impuri ſpiritus, donec veriſſimè crediderit ſe nullo pacto, aut ſtudio aut laboribus proprijs emancipari poſſe ab eiuſmodi morbo, ſed Dei ſolùm protectione ac præſidio. Non igitur malum fuerit ad depulſionem aduerſatij, corporiſque tuendam caſtitatem; priuſquam vos ſopor premat, hanc vt ad Deum effundatis in cubili orationem.

S. P. Antiochi ante ſomnum dicenda oratio.

Ad quietem ſoporis, nobis concedentibus; indulge (mi Domine) requiem corporis: tuere nos, ne tenebricoſa peccati iſtius inuoluamur caligine: eripe nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus; concede, in timore tuo ritè vt corporis perficiamus ſanctificationem. Submoue nos ab omni demulcente lenocinio illecebroſæ voluptatis, per tenebras noctis huius. Impetus paſſionum ſeda, ac iube conquieſcere. Ignitam extingue tentationem corporis iſtius. Rebellionem carnis acriùs inſoleſcentem diſsice. Vitioſam affectionem corporis, & carnis prudentiam conſopi, & fac in nobis obdormiſcere. Da nobis tranquilli ſoporis cubile. Peruigiles concede cogitationes ac mentem ſobriam, ne nos grauis opprimat ſopor, ſed qui nos reddat excitatiores ad exhibendum tibi munus nocturnæ ac matutinæ Liturgiæ. *Nocturna & matutina Liturgia.* *Peruigilium noctis nobis clementi impertire gratia tua, ad illuſtrandam hymnis gloriam magnificentiſſimi tui nominis; Patris, Filij, & Spiritus ſancti, in ſecula, Amen.*

Mulierum colloquia fugienda. Egregium planè vti priùs dictum eſt, ſagenas illas atque irritamenta mulierum nos ad ſe prolicientium auerſari; & ab earum ſe ſubmouere colloquijs. Hoc enim ſapientiſſimus alioqui Salomon doctrinæ experientia cùm didiciſſet; omnes nos in commune admonet di- *Prou. 5.* cens: *ne attende ad mulierem malam; mel enim diſtillat à labiis mulieris fornicariæ, & ad tempus impinguat guttur ſuum; in nouiſſimo autem felle amarius quid inuenies; ne igitur oculum tuum intendas in eam.* Rurſus: *ne obuiam procedas mulieri meretrici, ne forte incidas in laqueos illius:* *Prou. 6.* Inducit; *quis alligabit ignem in ſinu, veſtimenta verò non comburet? aut ambulabit aliquis ſuper carbones ignis, & pedes illi non ardebunt? ſic non innocens erit omnis qui tangit eam!* Sed & lex dicit: *Leuit. 20.* *Non fornicaberis; qui fornicatus fuerit cum vxore proximi ſui, morte moriatur.* David autem: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Propheta Oſee aduerſus *Oſee. 4.* populi peccata ſe diſcrucians dicebat; *Spiritu fornicationis ſeducti ſunt, & populus intelligens adhæſit meretrici:* Rurſus; *Fornicantes exfornicati ſunt, dilexerunt ignominiam.* Iterum; *Spiritus fornicationis eſt in eis, dominum autem non cognouerũt.* Apoſtolus per Epiſtolam dicit: *Fugite fornicationem, omne* *Deeſt hic ꝟ, non. 1. Cor. 6.* *peccatum quod fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat:* Infert, *neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui habitat in vobis, quod habetis à Deo, & non eſtis veſtri? empti enim eſtis precio!* Qui enim fidem de Deo genuinam habent ac ſynceram; vtique & Spiritum habent Dei, & nihil eſſe in illis poteſt carnale, cuiuſmodi ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, & cætera. Neque enim qui propriam domum corrumpunt; hæreditabunt regnum Dei; qui enim talia agunt, mortui iam ſunt, Sed & parœmiaſtes: *Auerte oculum à muliere formoſa, In ſpecie enim mulie-* *Eccl. 9.* *rum multi exerrauerunt:* Et, *ne velis cum illa accumbere in vino, ne forte declinet anima tua ad illam, & ſpiritus tuus labatur* A *in perditionem.* Alius item: *fornicatio mulieris in extollentia oculorum.* Scito, quia in medio laqueorum habitas. Iterum Paulus: *neſcitis, quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* *1. Cor. 6.* *tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis? num quid non ſcitis quia qui adhæret meretrici, vnum corpus eſt?* Rurſus: *neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Sed & acrimonia aſperiore vſus, inducit: *ſi quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus, Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Iterum: *Fornicatio autem &* *Epheſ. 5.* *immundicia ne nominetur quidem in vobis, Hæc enim voluntas Dei eſt, ſanctificatio veſtra, Abſtinete vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum, ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore.* Rurſum: *& ſanctimoniam corporis, ſine qua nemo videbit Dominum.* Dominus item: *Qui reliquerit vxorem ſuam niſi cauſa fornicationis, & duxerit aliam, mœchatur.* Et: *qui* B *repudiatam duxerit, mœchatur.* Deum noſtrum addecet gloria in ſecula, Amen.

De Caſtitate. HOMILIA XX.

CASTITAS; honoris eſt præcipui; ac laude digna, & quæ apud Deum & ho- *Caſtitas, nonnunquam aliquando traducitur.* mines plurimùm obtinet ingenuæ libertatis ac fiduciæ extra omnem inuidiæ aleam conſiſtens: tametſi comperiantur nonnulli qui conſueuerint infenſis linguis traducere ac ſugillare eos qui hac comite contendunt diuinæ gratiæ ſibi conciliare fauorem. Veritas dicti luculenter declaratur exemplo Ioſeph ac beatæ illius *Caſtitas Ioſeph & Suſannæ.* C Suſannæ apud Danielem. Maluit enim hæc temporariæ mortis diſcrimen adire; quam vt coronæ ſuæ caſti- *Dan. 13.* tatis vlla ex parte inferret contumeliam & detrimentum: Et iudicium Dei (hoc eſt, Daniel, hæc enim nominis iſtius eſt interpretatio) iudices damnauit iniquos; caſtimoniam verò pudicæ mulieris re ipſa docuit eſſe intentati flagitij liberam, eámque ſubduxit morti. Nec *Gen. 39.* ſecùs contigit beato Ioſeph; qui intoleranda calumnia appetitus per Ægyptiam, eòque in carceris ergaſtulo concluſus, non adeò poſt multum temporis velut ſortitò accepit Ægypti gubernacula. Nec iſtis ſolùm qui ea ætate ſuperant, virtus tantæ caſtitatis inclaruit, ſed & ea prodita memoriæ eſt, & adſcripta ſacris Biblijs tãquam columna ac monumentum ad memoriam poſteritatis D in omnes futuras generationes. Sareptana illa vidua, *Sareptanæ pudicitia. 3 Reg. 17.* merito caſtimoniæ atque hoſpitalitatis; pudica cùm eſſet ac ſancta, magnum illum Heliam promeruit excipere hoſpitio, vtque filius ſuus ad vitam poſtliminio reuocaretur precibus Prophetæ. Similem in modum magnus Gregorius Neocæſareæ Epiſcopus gentiles alio- *Gregorij Neocæſarienſis intemerata caſtitas.* qui parentes cùm haberet, ipſe etiam dum gentilis, ab ipſo ætatis flore, intemeratæ caſtitatis pudorem cuſtodiuit; cuius gratia dignus habitus eſt qui doctrice Matre Domini atque Euangeliſta Ioanne myſterium condiſceret fidei; denique hic orbi inclaruit mirabilium opifex operum. Amatores ſiquidem pudicitiæ & integritatis; non in hac modò vita laudem referunt, ſed & coronam decoris & pallium caſtitatis reportabunt de ma- E nu Domini; ſecúmque dicent: *Exulta nunc anima mea in Domino, Induit enim me pallio ſalutari, & indumento lætitiæ, quaſi ſponſo circumpoſuit mihi mitram, & quaſi ſponſam adornauit me mundo.* Hi fulgebunt in regno patris, ſi modò nihil fictè reliquas ſibi conciliarint virtutes, quibus pulchre conueniat cum vna hac caſtitate. Illic iſtis videbitur vita & longiturnitas dierum tranquilla prorſus & ab omni ſubmota intemperie: ab eo enim regno procul fugit dolor, mœror, ac gemitus longiſſimè ſeiũcta ſunt. Perfectè caſtus omni ex parte communit ac cuſtodit ſe. *Perfectè caſtus, omni ex parte ſe cuſtodit.* Audiui enim de Rege quopiam à fide alieno: Is Epheſi cùm vidiſſet facticulam quandam decore admirabili præcellentem; ex Epheſo eam confeſtim emiſit, veritus ne quis illam violenta impreſſione ſubigeret, & indecori in illam quidpiam admitteretur. Cyrus proinde

Digitized by Google

Xenophon, in Pædia Cyri, & Plutarchus.

Perſarum rex Tympaniſtriam (cui, omnium teſtimonio, admirabilis & ſupra quàm credi poſſet, tribuebatur elegantia corporis) ne videre quidem ſuſtinuit. Quòd ſi talia ſibi adſciuerant teſtimonio à fide exotici, & à ſalutari vnctione alieni; quid nos non conueniat præ illis tantò efficere, qui Chriſti ex profeſſo diſcipuli ſumus? Neceſſe igitur ſit; temperemus nobis non à collocutione modò, ſed & ab aſpectu, qui quidem via eſt recta deducens ad operationem flagitij. * Eſto; ad opus vſque non progrediatur, aliquouſque tamen defœdat cogitationem ac mœchum efficit talem captiuum. Quis (quæſo) eouſque temeritatis prouectus eſt; qui cùm in alienam pulchritudinem continenter & ſpreſſiùs defigat oculos, dicere auſit nulla hinc ſe ex parte lædi? Hoc perquam difficile ſit. Maximè quidem omnium, vitandi ſunt mulierum congreſſus aſſidui. Quòd ſi neceſſe fuerit; oculi quoque diſpalantes ac vagi, velut iniecto fræno coercendi ſunt. Hoc, ſe feciſſe Iob irreprehenſibilis & pudicus, cum amicis ſuis diſſerens ait: *ſi ſecutum eſt cor meum mulierem viri alterius & ſi inſidiatus ſum ad ianuas eius, placeat vtique vxor mea alteri; Furor enim iræ irretentibilis eſt contaminare vxorem viri; Ignis enim eſt omnes conſumens partes: quemcumque adorsetur, ab radice ipſa hunc perdet.* Beatus inſuper Paulus per epiſtolam admonet dicens; Obſecro igitur vos (fratres) *per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam ſanctam, Deo bene placentem.* Et ad Titum, *Presbyteros, ſobrij vt ſint, pudici, caſti: Anus ſimiliter vt ſint in habitu decenti, bene docentes, vt prudentiam doceant adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios diligant, prudentes, caſtas.* Rurſum: *Vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo.* Timotheo quoque: *Viduas honora quæ verè viduæ ſunt:* Inducit; *quæ autem verè vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte & die:* quemadmodum ſancta illa Anna, filia Phanuel, quæ cum viro caſtè vixerat annis ſeptem à virginitate ſua, iuxta Euangelicam narrationem: Ea hæc vidua ad annos vſque octoginta quatuor prouecta, non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens Deo, & prophetico ſpiritu pro vitæ merito illuſtrata; eadem hora ſuperueniens confitebatur Domino & loquebatur omnibus expectantibus redemptionem Ieruſalem, de Domino ac Deo & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Aſpectus eſt via recta ad fornicationẽ. Se neſcii oculi ſunt in amore ducti.

Iob. 31. 9.

Rom. 12. Tit. 2.

Vel, vt abnegata impietate & ſecularibus deſiderijs, &c. Videtur hîc, non pro ſobrie, ſed pro, caſte, & pudice, ſumi.

1 Tim. 5. Luc. 20.

De Virginitate. HOMILIA XXI.

Virginitas cæteris continentiæ partibus præminet.

VIRGINITAS, propinqua germanitate cohæret caſtitati. Eſt autem hæc & cæteris partibus continentiæ ſuperior: quippe quæ cum Angelis ipſis proximè congreditur, ac Deo propinquat per integritatem ac munditiam. Non igitur mediocris prærogatiuæ eſt, poſſeſſio virginitatis; angelicæ puritatis æmula cùm ſit, eòque cœleſtis. Huiuſce dicti mei argumentum eſt; quòd non vſque adeò promptum ſit, in diuinis literis quempiam inueniſſe qui perpeti tenore ſecundum eam, vitam inſtituerit aut ipſam illuſtrarit virtutis nomine ante legem. Sed ne legis quidem tẽpore, facilè quis vllum enumeret; niſi angelum illum terreſtrem, ac planè cœleſtem hominem Heliam Theſbitem; & huius diſcipulum Heliſæum. His fortè accenſendus venit Hieremias. Alios item quis fortaſſe adnumeret; ſed inter Prophetas. Adde his eximium illum in mulierum natis, veteris nouique teſtamenti mediatorem. Hic integer ac verus corpore ſimul & ſpiritu virgo cùm eſſet; ob vitæ ſinceritatem ac munditiam non vocati ſolùm promeruit amicus ſponſi, ſed & dignus habitus qui ipſum Dominum lymphis tingeret ſacri Baptiſmatis. Hos præter; nemo argumentis euicerit, vllum per virginitatem probaſſe ſe Deo, eorum qui vel legiſlationem præiuerint vel vixerint ſub lege. Proinde apud gentiles (adde & eos qui in his Philoſophi dicuntur) nõ ſolùm virginitas ſyncera nunquam ſuum exeruit ſplendorem; ſed nec credunt vllum hominem corporis fragilitate circundatum proprijs illam perſpexiſſe oculis. Iure id; quo enim pacto iſti fidem commodent de virginitate diſſerenti, qui Deos ſuos totius ſpurcitiæ & obſcœnitatis tutelares patronos conſtituunt? qui porcorum inſtar, per omnem impuritatem traducunt vitam flagitioſiſſimè? Iudæi vſque hodiè, ne ſalute quidem dignantur virginitatem; adeò non exercent. Atqui cùm apud nos Chriſtianos perſpiciant toto terrarum orbe eam ſuauè fragrantes & peramœnos flores exerere; ac per omnem ætatem pulchrè regi & officio fungi; iſti per inuidiam eliquantur miſerè & contabeſcunt, iuxta Prophetæ ſententiam: *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet.* Ex quo tempore Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius ſua ſolius erga nos benignitate ex vtero voluit ſanctæ & intemeratæ Deiparæ ſemper virginis Mariæ, ſuo ad nos aduentu inclareſcere mundo; ſimulque vires ſuggeſſit quibus obluctemur Diabolo: facilè deinceps ſit virtutem perficere virginitatis, modò is ex animo velit; vt ardua ſit functio virtutis iſtius; ſed & quæ bonis toto pectore Deum diligentibus per repromiſſionem repoſita ſunt, nulli obſcurum longè eſſe præſtantiora. Nulli tamen poſſibile ad tantæ virtutis pertingere faſtigium, niſi præſidio iuuetur & erga Deum charitatis, & animi de ſe quàm modeſtiſſimè ſentientis, iuxta teſtimonium Deiparæ omni laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxiæ vitio, ſed gloria omni digniſſimæ in hunc modum emodulantis; *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo:* cum enim per hanc, ſubindicet ſuam erga Deum charitatem: mox addit; *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Rurſus; *depoſuit potentes de ſede & exaltauit humiles;* & quæ ordine ſequuntur. Sed & aliquantò prius Gabriëli reſponderat; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* His igitur clariſſimè explicatum reor, quia per ſummam humilitatem & erga Deum charitatem, plena cùm eſſet gratiæ; promeruit ſibi veſtem pertexere virginitatis, nulla ruga decolorem, nulli obnoxiam reatui. Qui autem ad excurrendum ſtadium eiuſmodi, omnibus ſe extricauit remotis; ſecundum Apoſtolicam ſententiam, neceſſe eſt legitimè vt certet & ad palmam vſque ſuum promoueat agonem. Neque enim iſti *aduerſus ſanguinem* modò *& carnem* adornatur *colluctatio; ſed &* *aduerſus* inuiſibiles *poteſtates.* Itaque adoleſcentulus qui ſe propter cœlorum regnum caſtrauit; ſimiliter & virgo quæpiam: niſi per omnia ſeſe præſtiterint ceu addecet veros imitatores Chriſti; neutiquam ad portum prouehentur ſaluti. Vt enim virgo vna aliqua dicatur, nec interim cęteras curet adipiſci virtutes quę virginitati proximè reſpondeant, quæ tuendæ virginitati faciant plurimùm & quadrent: eiuſmodi virginem ſtultam dixit Dominus; quippe quæ nullum præ ſe ferat illuſtre lumen, nihil ſecum geſtiret olei. Talis quæ eſt, aditu excluditur regni cœlorum; neutiquam admiſſa, gaudio vt perfruatur ſponſi, ſed in earum deputabitur collegium quæ ſponſum oderint. Quæ enim eſt talis; peræque ſe habet ac ſi nihil boni confecerit operis, ſed impudenter ſeipſam ſeduxit. Opus itaque ſuum probet vnuſquiſque & exploret, ſeque agnoſcat; alioqui obſeruatio omnis vitæ quamlibet religioſæ, infrugi futura eſt & inanis: eorum nempe qui penes ſe eſſe profitentur virginitatem ac temperare ſibi à carnis illecebris; cùm re ipſa virtutem eius negent. Nam quæ tantopere commendatur caſtratio à lenocinijs carnis, ac vera planè in Domino virginitas ſancta eſt & corpore & ſpiritu, indiuulsè & perpeti tenore Domino ſeruiens in ſpiritu Dei, ſynceriter ac procul omni ſpurcitia ſe probans Domino, ſecum conferens iugiter quibus ſtudijs poſſit ei gratioſa eſſe & amabilis: eòque vnus cum Domino efficitur ſpiritus, ſicut ſcriptum eſt; *Sancti eritis quia ego ſanctus ſum, dicit Dominus:* Neque enim is nomine tenus, tanquam prærogatiua inſigniatur ſublimioris nomenclaturæ, ſanctus dicitur;

Helias Angelus terreſtris Ioannes, veteris & noui teſtamenti mediator, lex enim vſque ad Ioannem. Luc. 16.

Dij gentilium impuri. Iudæi. Chriſtianorum virginitati inuident.

Virginitas facilis eſt chriſtianis volentibus.

Sine charitate & humilitate nemo poteſt aſſequi virginitatem. Luc. 1.

Virginitatem profeſſo legitime certandum eſt. Epheſ. 9.

Matth. 25.

Digitized by Google

dicitur; ſed per omnia ſanctus eſt, & corpore & ſpiritu. Si igitur affectionibus renunciaſti carnis; ſedulo tecum reputa, quem ſubieris veræ virginitatis agonem. Quum te ab iſtis mundi illecebris caſtraſti, ſi quidem id feceris propter regnum cœlorum; magna cum cautione fac retineas ac tuearis ſuſceptum ſemel agonem hunc propoſiti monaſtici. Animo præſenti & arrecto fac vigiles aduerſus omnes colluctatoris tui violentos aſſultus, imitatus prudentis naucleri ſolertiam, qui contra fluctiuomos vndarum vortices perdius ſtat & pernox. Præduce Dei gratia; animi tui impetus aurigæ in morem frena ac moderare, nequando à recto calle exemes deuius. Indiuulſam da operam, Deo vt ſeruias & proinde gratioſus illi inueniaris, dum te illi probas in ſanctimonia corporis & ſpiritus, vt ſtrenuæ conuerſationis ac vitæ ornamentis virtutum perpolitæ aſſequaris gloriam. Eluctate pro virili aduerſus hoſtem agone legitimo; vt corona quam ardentibus votis expetiſti & adamaſti, aliquando potiatis; ac palmari redimitus corona, in illam cœleſtem Ieruſalem, celebricum pompa ſubueharis victor: cuius obtinendæ gratia, prudentiam hanc carnis à te excuſſiſti. Atqui vide, granam tuæ iſtius ſanctimoniæ vt ad Dei gloriam referas, qui minimè ſiuit te in eorum deuolui & concludi manus, qui voluntatem explent carnis & ſanguinis, & ad hæc corruptelæ atque obſcœnæ turpitudinis opera toti propendent, ſed te ſua dextera præmuniuit. Magnum planè fuerit, ſi circa iactantiam, ad honorem ſolùm Dominicæ carnis perpetuò te continueris in ſanctimonia ac puritate. Quiſquis interim ob eam gloriatus hic fuerit; iſti intercipietur fructus omnis ac deperiet. Proinde vt iam dictum eſt, neceſſe ſit, tibi vt concilies virtutes reliquas quæ ſua proportione comites aſſident vni virginitati, Ipſa enim ſublimiore gradu cæteras antegreditur. In vtero ſiquidem virginis Dei Verbum ſibi domicilium delegit ac manſitauit, qua vna ex re, agnoſce quanta præpolleat gloria virginitas. Quotquot autem ſe conſecrant Deo; Chriſtum neceſſe eſt imitemur: Ait enim Paulus, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. In talibus proinde, ne veſtigium quidem inuenire ſit prudentiæ carnis. Sane omni circunſpectione prouidendum eſt proprij cordis cuſtodiæ, nec ſibi vlla prorſus ratione permittat virgo, cum adoleſcentulo quouis, vt aliquid communicet & conſpiret arcani. Virgines verò conſecratione Dei venerabiles, ſed & ætate prouectiores; in vnum ſi comperientur conueniſſe; neceſſitas inſuper appetat adminiſtrandi ferculi: vos virgunculæ, manus veſtras ſuo quæque obuoluite palliolo. Haud ſecus viris arbitror faciendum; vt cum pudore tecta contuentes, caſtè & modeſtè in Domino ſuas ipſorum manus circuntectas toga cùm habuerint, illic ſecedant. Sed & ante omnia virginem addecet, vt ne priuetur ſponſi gaudio ac lætitia, ſuam vt concinnet lampadem, ac oleum infundat; oleum planè morigeræ obedientiæ, idque iuxta Dominicam parabolam qua dicitur: *Prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis*, ſimúlque conuenerunt cum ſponſo, ſanéquam deſiderabili; *& clauſa eſt ianua*. At hæ interim perpeti gaudio perfruuntur ſui ſponſi: Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Monaſtici propoſiti certamen.

Iactantia intercipit fructum virginitatis: ſed cauendum eſt.

1. Cor. 11.

Virginis nihil arcani ſit cum quouis adoleſcentulo. Virgines, Dei conſecratione venerabiles.

Virginibus toga obuoluendæ ſunt manus.

Matth. 25.

De effreni incontinentia linguæ.

Homilia XXII.

Deut. 19.

LEx dicit: *ſi teſtimonium tulerint aduerſus alium, & ipſe non occiderit eum, pœnam luet.* Contingit nonnunquam vt inter epulandum hilariter, cogitatio quædam exoriatur ac ſubſultet gloriæ inanis, volẽs intempeſtiuiter in ſermonem erumpere. Aduerſus hanc bonæ aliæ ſuo ſe obiiciunt teſtimonio cogitationes, quæ reclamant ac proteſtantur non debere te cogitationem illam nimiſquam nugacem in publicum depromere. Hanc igitur niſi freno ſilentij in os iniecto ſuppreſſeris; ſed effreniter & intem-
A peſtiuè ſiueris illam prodire in apricum: deinceps lues quam promereris pœnam, aut certè exigente iuſtitia in atrox aliquod & graue peccatum prolabere. Sermone enim aut rebus ipſis temerarius qui eſt; mirè is eſt turbulentus, & agitatur intemperiis. Atqui idem magna cum voluptate ſtudet cæteris ſancire leges, ac iura cuiſque præſcribere; alijs contentioſiùs adnititur palmarum præripere & euincere: quémque ſermonem ſemel ore protulerit, ratum facit prima authoritate firmat & ſancit. Qui eiuſmodi eſt, vehementer ſe comprobat imprudentem, Audi enim tu, ſed à Parœmiaſte: *qui confidit in audacia cordis, imprudens eſt, ſapientes autem abſcondent ſenſum.* Et, *Os procacis propinquat contritioni; qui verò parcit labiis, intelligens erit.* Rurſus: *qui cuſtodit os ſuum, ſeruat animam*
B *ſuam; qui autem temerarius eſt labiis, perdet ſeipſum.* Itémque: *qui reſpondet ſermonem, priuſquam audiat, imprudentia erit illi & opprobrium.* Iterum: *ſi videris virum velocem ad loquendum, ſcito, quia pra illo ſpem habet ſtultus.* Et, *ſermone procax & temerarius, odibilis erit.* Iacobus: *ſi quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, potens frenare etiam totum corpus.* Rurſus: *ſit omnis homo velox ad audiendum tardus ad loquendum.* Inducit: *ſi quis autem videtur religioſus eſſe, non refrenans linguam ſuam, huius vana eſt religio.* Iterum: *nolite multi eſſe magiſtri (fratres mei) ſcientes quia maius iudicium ſumemus, In multis enim offendimus omnes.* Paulus item: *Vt in vobis diſcatis, non ſupra ea quæ ſcripta ſunt ſapere; vt ne vnus pro vno infletur aduerſus alterum.* Et illud: *Charitas non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa.* Et inſert: *Puto enim quòd Deus nos Apoſtolos nouiſ-*
C *ſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos.* Et illud: *nos ſtulti propter Chriſtum.* Satius igitur, vt ſileas & ſis, quàm vt loquaris, nec interim ſis. Egregium (fateor) eſt docere; modò quæ quis dicit, faciat. Sane vnus fuit magiſter; qui, quæ dixit, fecit: nam vel tacens, digna geſſit Patre ſuo. Qui verbum Ieſu Chriſti penes ſe tenet ac recondit; (ſiquidem perfectus iam eſt) verè is poteſt vel ſilentium Chriſti intelligere, vſque adeò vt per ea quæ ſilentio premit Chriſtus, ſi tamen prodat & agnoſcatur. Nihil vſpiam eſt quod Domini fugiat cognitionem; quin arcana pectoris veſtri in conſpicuo illi ſunt proximè. Iudicium itaque quod manet doctores eiuſmodi, terrorem nobis incutiat. Abundantius etenim iudicium ijs imminet qui quæ dicunt, non faciunt;
D docentes falſi nominis ſcientiam, nullo fructu ſuam doctrinam ferentes, at interim ſenſu carnis extuberantes ac præturgidi. Cæci cùm ſint, viam præſtruunt cæcis, vt vtrique in foueam abeant præcipites: ab exitu enim ſermonis ſui cognoſcetur vir. Eos qui tales ſunt perſtringit Apoſtolus, *hi ſunt incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, inflati, voluptatum amatores magis quam Dei.* Sed & effrenis ille lingua ac præproperus Iudas, cognomento Iſcariotes, dicebat; *Vt quid vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs, & datum eſt pauperibus? dixit autem hoc non quòd pauperis haberet cura, ſed quia fur erat*: potius verò, implacabilis cùm eſſet; ſuæ tegendæ voluntati, quædam in ſpeciem decentia prætexebat homo nefarius. At Dominus longanimiter cuncta hæc perferens,
E reſpondit mitiſſimus, *Sinite eam, in diem ſepulturæ meæ ſeruauit ſibi.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Nugacitas vitio abundant.

Prou. 12.

Prou. 18.

Iacob. 3.

Iacob. 1.

Doctorum improborum abundantius erit iudicium

Matth. 15.

2. Tim. 3.

De Ira. Homilia XXIII.

NEcesse ſit non mediocrem vim ſibi inferat homo & eluctetur, turbulentam hanc vt frenet affectionem iræ, vimque animæ ad iram propendentem vt contineat in officio per longanimem tolerantiam, per orationem, ac ſui quã humilimam deiectionem, adeò vt ſe nec fucatè iudicet, qui in aliorum cenſu numeretur eſſe indignum. Innumeris ſiquidem modis iræ incentor hic Dæmon, ac multiformi conflictu hominem adoritur & oppugnat;

Ira Dæmon imprimis oppugnat certantes monachos.

eos potiſſimum qui ad ſuſtinendum agonem hunc in procinctu iam ſunt: vt quos ingenti cum labore congeris fructus, ſiue ieiunio, ſiue peruigilio noctis, oratione; & decantatione pſalmorum, aut certè adminiſtrandi officio; ad vnum diſpergat omnes ac diſſipet; omnium maximè, ſi quem videat parùm orationi attentum atque exercitatum. Suggerit enim hominis menti Dæmon hic totius malignitatis artifex, quot fructus catenus coegerit; tanto nimirùm tempore, eos vt vel momento intercipiat & diſperdat. Atqui homo talis deinceps inuenitur ebrius; non item à vino. Huic aſſimiles deplorat miſerè Propheta: *Væ qui ebrij eſtis ſine vino.* Homini igitur ſemel infeſto paſſione hac iræ; opus admodùm fit, multum eluctetur præſidio extentæ orationis, eam à ſe vt ableget & agat in exilium. Sanè cui eſt cordi perfectionis ſcopus, cui magnopere placet agon ſpiritualis; ab omni turbulento defectu iræ ſe reddat extorrem. Interdum enim enim ſpiritus hic iræ cordi aſſidens tenebricoſis ſuis intemperiis oculum mentis excæcat adeò, vt in reliquum quæ ſaluti parandæ commodent & conferant nequeamus diſcernere; non vllam deprehendere intelligentiam ſcientiæ ſpiritualis, non vllius obtinere ſalutaris conſilij perfectionem: extorres prorſus efficimur vitæ fœlicioris; non iam capax aut idonea fuerit mens diuinæ lucis contemplationi; non denique ſapientiæ reddimur participes, ſed nec vnum admittimus ſalutare conſilium aduerſus perplexam animi hæſitationem; non iuſtitia moderatrice iam poſſimus in ſobrietate premere cordis intemperiem. Nulla igitur ex cauſa par eſt conciri nos per iram aduerſus fidei comparis virum; præterquam aduerſus proprias affectiones, contra cogitationes improbas, quæ eò deuergunt prono curſu, vt nos à rectitudine auocent veræ viæ. Ob hoc iubet Eccleſiaſtes: *Auerte indignationem à te; quia iuuentus & ignorantia; vanitas:* Et, *Memor eſto creatoris tui, in die iuuentutis tuæ.* Rurſus: *Ira perdit etiam prudentes; ſermo durus ſuſcitat iras.* Et: *Ira patris filius imprudens; iracundiam autem viri mitigat famulus ſapiens.* Rurſum: *Grauis quidem lapis, grauis item portatu arena; ſed ira ſtulti vtroque grauior.* Item: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam eius ne ſibi videatur eſſe prudens.* Iterum: *Stultus ſtatim prodit iram; qui autem aſtutus eſt, conſeruat eam.* Et: *terribile verbum conturbat cor viri.* Et: *ſicut aqua mouetur vi ventorum; ita vir iracundus turbatur cogitationibus ira plenis.* Monachus iracundus aper eſt eremiticus: quoſdam mox vt videat infrendens dentibus exertis vulnus affigit. Iacobus item pulchrè nos docet: *ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram; Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur.* Item: *vnde bella? vnde pugnæ inter vos? nonne hinc; ex voluptatibus veſtris?* Paulus item: *non vos ipſos vindicantes* (chariſſimi) *ſed date locum iræ.* Rurſum: *Omnis amaritudo, & iracundia, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia.* Concinit Dauid: *deſine ab ira, & derelinque furorem.* Et, *Iraſcimini & nolite peccare.* Sed & Dominus, noſtrarum prouidus curator animarum; ſententiam hanc tulit: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio; Qui autem dixerit, fatue, reus gehennæ ignis.* Ipſi gloria, in ſecula, Amen.

Ef. 29. — *Ira, Oratione expugnatur.* — *Nulla chriſtiano, ſed noſtris ipſorum cogitationibus. debemus ſuccenſere.* — *Prou. 15.* — *Prou. 27.* — *Prou. 12.* — *Monachus iracundus eſt aper eremiticus.* — *Iac. 1.* — *Rom. 12.* — *Pſalm. 36.* — *Matth. 5.*

De iracundia, ſiue indignatione, & animoſitate.

Homilia XXIIII.

IAm de acriore illo impetu animi incandeſcentis, ſi quando te adoriatur tentatio quæpiam; puta contradictio aut irritatio, quæ tibi aduerſus vnum aliquem conciat animos: fac memineris orationis Dominicæ atque ipſius iudicij, & confeſtim inordinatus efferueſcentis animi motus reſidebit & conquieſcet. Iſthæc enim præferuida intemperies animi, præter cæteras vitioſas affectiones, plus conciet turbarum. Nec hoc ſolùm, ſed & animam premit miſerè & affligat continenter. Duo iſti affectus, nempe ira & indignatio, nepotes vtique ſunt matris vnius, eius quæ ſtultitia vocatur ſiue imprudentia. Ait enim: *totum animum ſuum profert ſtultus.* Et, *ſtultus ipſo die prodit iram.* Qui igitur ab hac inuiſa & hoſtili parente, quæ iſtos progenuit fœtus, diſparari vult ac ſeiungi, ſeipſum vt vincat neceſſe eſt, in multa patientia & cordis lenitate, ſupplici prece ad Deum, ſuique ipſius abnegatione: & is iugo illo mox emancipatur, fitque filius ſapientiæ. Quid enim? Dei conſtituitur amicus, Deum obſeruat venerabili cum timore: *Initium ſiquidem ſapientiæ, timor Domini.* Et, *qui diligitis Dominum, odite mala.* A timore enim Dei ad eius dilectionem, ordo eſt progreſſus. Sed & Eccleſiaſtes: *aufer iracundiam a corde tuo, & remoue malitiam à carne tua.* In Parabolis quoque: manſueti animi & placabilis vir cordis eſt medicus, tinea autem oſſium, cor * ſenſitiuum. Rurſum, *reſponſio mollis auertit iram, qui praceps eſt ad iram, operatur ſine conſilio.* Rurſum, *Vir prudens multa ſuffert:* Et, *longanimis vir multa eſt prudentia, puſillanimis autem, fortis eſt ſtultitia.* Et: *Vir iracundus neutiquam pulcher;* Et, *totum animum ſuum profert ſtultus, ſapiens autem reſeruat per partem.* Iterum, *ne ſis velox ſpiritu ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtultorum requieſcit. Homo iracundus incendit pugnam, non enim poterit iracundus iuſtificari, Vir peccator turbabit amicos, & in medium pacem habentium immittet calumniam.* Inducit: *ne fueris ſocius viro iracundo, amico quoque furioſo ne cohabites, ne forte diſcas viam eius.* De eiuſmodi etiam Dauid: *furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.* Quemadmodum enim viperæ fœtus matrem arrodunt ſuam, ſic iracundi hominis cogitationes cor exedunt. Vt thymiama inamœnum & execrabile, ita iſtius concentus pſalmorum ſonus inſuauis. Quemadmodum leo in viuario continuè mouetur obliquis flexibus, ita iracundus ſecum verſat cogitationes iræ. Sicut currus, Turrim munitam non mouet loco: ſic animum inirAſcibilem non abripit iracundia. Apoſtolus admonens ait: *deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro:* Infert, *In pace enim vocauit nos Deus.* Iracundi enim, pro Chriſti inimicis habentur, ceù in alio dictum loco, *Cœperunt animo moueri principes.* Sed & Herodes videns quòd illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & miſſis ſatellitibus occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius propter longè pretioſiſſimum margaritum cui vitam inuidebat: nempe Dominum ac Deum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſecula: Amen.

Medicina ſpiritualis contra iracundiam. — *Ira, ſtultitiæ filia eſt.* — *Pſalm. 96.* — *Eccl. 11.* — *Prou. 14.* — * καρδία αἰσθητική. — *Prou. 15.* — *Eccl. 7.* — *Pſalm. 57.* — *Coll. 3.* — *Matth. 2.*

De Triſtitia. Homilia XXV.

Triſtitia intempeſtiua eſt à Dæmone.

QVòd quis intempeſtiuo conficitur mœrore, ab ipſo noſtræ ſalutis æmulo Dæmone proficiſcitur. In hoc enim inſtillat cordi importunam triſtitiam, vt mentem à propoſito auocet & amoliatur orandi, ac proinde hominē ipſum infrugi reddat atque inutilem. Neutiquam igitur admittenda eſt triſtitia, nec eiuſmodi ſuſcipienda importuna ægritudo animi, vt ne inimicum impleas gaudio: quin potiùs calces obijciendi, & reluctandum aduerſus inſidias furiæ iſtius inuentoris triſtitiæ dæmonis. Siquando enim malignus hic ſpiritus clanculario quodam ambitu menti tuæ ſe inſinuauerit: totam eam tetra caligine obſcurabit, nec iam ſinet preces abſoluere te cum alacritate ſpiritus; non ſacræ lectioni permittet fixiùs vt aſſideas, idque magno tuo incommodo. Sic ægreſcentem, non ſinit cum manſuetudine inſerere ſe fratrum ſodalitio: quin odium veriùs menti ſic vitiatæ inſtillat, & ingignit aduerſus propoſiti ſemel arrepti profeſſionem. Omnia denique conſilia, quamlibet ea ſint conſentanea parandæ ſaluti & accommodata, ſemel vbi permiſcuerit ſe mœror hic animam circunfundens; homi-

nem

nem reddit perinde ac veſanientem, mentéque ac ſtupore captum, illi interdicens bona omni conſuetudine ac fratrum congreſſu: adeò vt nec à germanè amicis exhibiti conſilij ſalutaris ſinat excipere ſermones illos, ſed ne etiam reſponſo pacifico ac modeſto dignatur: quin ſic omnes animæ vires circumplexa ſemel triſtitia, totam amarulentia complet atque inſuaui intemperie. Perſuadet proinde; homines vt vitabundus defugiat quaſi authores ſuæ iſtius turbulentiæ. Neque enim permittet, vt agnoſcat ægritudinem quæ ſe vrget, ab intimo prodiſſe animi receſſu, ſed externè. Tunc dueſcit primùm veritas, cùm tentationes quæ miſerum inuaſerant, in apertam ſe proferunt lucem, quod ſola contingit exercitatione. Triſtitia igitur animæ eſt mœrentis deiectio:

Triſtitiæ definitio.

Os autem leonis, helluonis titurion magno negotio abſorbet mœrore tali confectum. Triſtitia vermis eſt cor-

B

dis, ſuammet exedens matrem. Neutiquam hæc experimento didicit, ſuauis quàm ſit guſtus mellis. Monachus mœrore intabeſcens, aſſimilis eſt ei qui exæſtuanti febre laborat. Qui continenti triſtitia laborat monachus, nullo hic pacto mentem ad contemplationis ſurriget ſtudium, neque ad orationem ſynceram quæ ad Deum deſtinetur mentem reflectet. Victor paſſionum, vtique victor triſtitiæ eſt. Quem vicit voluptas, is non facilè effugerit triſtitiæ vincula. Qui continenti triſtitia conficitur, cúmque hac perfecta animæ tranquillitatem ſibi vt comparet, adnititur: aſſimilis eſt ei qui ægreſcit quidem, ſed ſimulatione ementitur habere ſe ſanitatem. Quemadmodum vel colore quis ſe prodit, morbo ſi premitur: ita qui perturbatione animi quapiã agitatur, triſtitiæ conuincitur argumento. Qui mundum

Qui voluptate vincitur, facile vincitur à triſtitia.

C

diligit; is neceſſe ſit vt ſubinde contriſtetur & mœreat: qui autem quæ in mundo ſunt bona, ne tantilli quidem ducit, iugi lætitia perfructur. Quemadmodùm conflatoria ars ea plumbi materia detrahit iugi conflatione & imminuit: ita & triſtitia mundi iſtius mentem atterit. Vt argentum alioqui reprobum colluſtrat conflatorium & purius reddit, ſic triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, cor capiat; licet occaluerit peccati ſcoria. Sanè egregium eſt & animæ conducit non mediocriter, omnem inuectam afflictionem forti perferre animo; ſiue improbitate hominum ea inſligatur impreſſio, ſiue aſſultus hic incentore dæmone irrogetur. Sed & noſſe te exactiùs conuenit nos non iſtius debitores eſſe ærumnæ & affli-

D

ctionis. Opus igitur huic vt obluctemur ſæuo dæmoni, præſidio ſubnixi & orationis & patientiæ: nam qui tentationum iacula à ſe depellere quidem vult, nec ſtiterit ſe armis orationis & patientiæ, adeò à ſe non profligat eas, vt etiam illis perplexiùs inuoluatur. Nos igitur cum beato Dauid tolerantes afflictionum pſallamus; *Vt quid triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam confitebor ei, ſalutare vultus mei & Deus meus.* Neque enim qui tentationum vibramentis eruditur; poſſibile ſit, quin mœreat ac triſtetur. Atque patienter tolerato agone, tales non mediocri perfunduntur gaudio; maximè ſi ſeipſos armis communierint orationis, patientiæ, & dulcium lachrymarum, necnon intelligentia

Triſtitia medetur oratio & patientia.

E

diuinæ Scripturæ. Quanticumque enim ſunt quos labor & afflictio exercuere, in cordibus ſuis? Iure quidem! Coronæ enim agonem fortiter ſuſtinentibus concinnantur. Quod ſi mens inertia animi eneruetur, mox triſtitia atrodere incipit hominis cor, iuxta ſententiam ſuperiorem; ceu aſſolet pallium exedere tinea; vermis lignum in ligni oſſibus prognatus. Deprehenditur homo tunc in denſiſſima verſari caligine cogitationum. Ob hoc vnum, admonet ſcriptura, dicens: *Triſtitiam longe auerte à te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.* Et; *ex triſtitia prouenit mors.* Et, *triſtitia cordis incluinabit & emolliet robur.* Inducit: *ne des in triſtitiam cor tuum, ſed auſer eam abs te, memento nouiſſimorum eius.* Auerte igitur abs te triſtitiam hanc; & ne contriſtet Spiritum ſanctum qui in te habitat, ne forte interpellet Deum & recedat à te: Spiritus enim Dei qui in hanc etiam carnem

Triſtitia ſequitur inertiam.

Eccleſ. 30. &

Spiritus Dei fugatur triſtitia.

ſe effudit, triſtitiam non fert, neque animi anguſtiam.

A

Circunda igitur tibi hilaritatem, quæ omni tempore promeretur gratiam apud Dominum, & delectare in ea. Hilaris enim vir bona quidem operatur & nihili ducit triſtitiam; vir autem turbulentus ac triſtis maligne agit ſemper. Et quidem primùm, maligne agit; Spiritum ſanctum mœſtificat, qui homini datus eſt hilaris. Huc accedit, quia præter hoc iniquitatem is operatur dum Domino confitetur: neque enim viri iſtius ſic turbulenti interpellatio vim vllam obtinet diutiùs perſiſtendi ante altare Dei. Aſſidet enim interpellationi eius ſpiritus triſtitiæ; non ſinens putam eſſe diutiùs eius interpellationem ante altare Dei. Vt enim acetum vino vnà ſi immiſceatur, nihil adfert iucundi guſtus: ad eundem modum, triſtitia miſtim inſerta Spiritus ſancti domici-

Hermæ ſit in Maximo martyre.

B

lio, collocutionem reddit inamœnam. Profuerit igitur triſtitiam eiuſmodi à ſe excutere; ſeque amicire totius indumento hilaritatis. Itaque ab hac triſteria extorres nos, ſtudio omni conſtituamus; quæ triſtitia eſt mundi: *quæ autem ſecundum Deum eſt triſtitia*, iuxta Apoſtoli Pauli ſententiam, *pœnitentiam operatur ad ſalutem*, nec ſanè pœnitendam aut aſpernabilem: triſtitia mundi è diuerſo operatur mortem. Parœmiaſtes: *benedictio Domini ſuper caput iuſti, nec apponetur ei triſtitia in corde.* Rurſus: *cor gaudens & hilare, bonam parit valetudinem; triſtis autem viri exſiccantur oſſa.* Paulus item: *non enim vos volumus ignorare (fratres) de tribulatione noſtra quæ facta eſt nobis in Aſia, quia ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere; ſed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos, Deus.*

Prou. 12.

2. Cor. 1.

Cum beato igitur Dauid dicendum nobis: *Miſerere mei*

Pſal. 68.

C

(Domine) quoniam tribulor, conturbatus eſt in ira oculus meus; quoniam afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Et: *contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici & à tribulatione peccatoris.* Sed; *ſaluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Et: *ne auertas faciem tuam à puero tuo quoniam tribulor, velociter exaudi me: Tu enim refugium meum es à tribulatione quæ circundedit me; Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.* Is triſtitiæ iugo exemptus cùm eſſet; multa cum alacritate dicebat: *Dominus de cælo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios hominum.* Et; *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* quia *de tribulatione inuocaui eum, & exaudiuit*

Pſal. 31.

D

me in latitudine. Sed & Dominus diſcipulis ſuis dicebat; *Amen dico vobis, quia plorabitis & lugebitis vos, mundus autem gaudebit:* Quin & parabolicè de puerpera quod triſtitiam habeat; inducit: *ſic & vos nunc quidem triſtitiam habebitis, iterum autem videbo vos & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Ioan. 15.

De Acedia.

Homilia XXVI.

E

HIc etiamnum dæmon acedia planè intolerandus, cooperatius cùm ſit & nihilo diſpar ſpiritui triſtitiæ: eſt alioqui ea ſua grauitate moleſtior; vt cùm circa horam ſextam, velut ex inſidijs aſſilit monacho, tædioſam ac formidabilem agoniam illi incutiens; vſque adeò vt vel locum oderit, verius autem fratres ipſos inuiſos habeat quibus cum viuit communiter. Quid? ad opus quodlibet, ad diuinæ ſcripturæ lectionem, neſcio quam illi ingerit inſuauem & hiulcam oſcitationem. His adde; eſuriem ſuggerit, tempore prolixiore ſuſtinendam. Ad eum modũ ſupinus ille ac ſecurus, boni operis ſcopum vnicum ſpectat; nempe horam ſumendæ alimoniæ. Interim tamen ſumpto in manus libro legit nõnihil, quẽm & ordine ſuo locat: mox oculorum aciem intendere incipit; inque feneſtras propiùs defigit. Quiddam rurſus legit; deinde ſuos admetitur & enumerat quaterniones.

ἀκηδία, quæ, Thom. 22. q. 35.

Acedioſi monachi deſcriptio.

Plicato mox libro obdormiſcit: ſomni aliquantùm vbi decerpſit; rurſus aſſurgit experrectus. Hæc eò facit, vt horas deterat ac temporis fallat prolixitudinem. Atqui audito primùm ſignifero & indice prandij; quàm alacer, quàm expromptus eò prouolat? Inuenitur proinde & is ad miniſtrandum haud ſegnis, certò ſibi promittens, eiuſmodi munus loco mandati imputatum iri. Subinde tali ſuggerit dæmon hic acediæ cogitationum intemperiem: nempe aliò vt emigret; & quia tempus omne & labor omnis vacua ſibi erunt frugis bonæ & inania, ni ſe ad alia conferat loca. Conſilium rurſus nouat miſero iſti; quia alio nullo pacto poteſt morbi ſic pernicioſi defungi intemperie, niſi continenter euagetur & commeet ſéque recipiat ad fratres; quaſi verò fiat id ob publicam vtilitatem procurandam, aut certè infirmos vt interuiſat. Is tandem nihil diſſimilis comperitur virgulto deſerti; quod vbi aliquantùm interquieuit, rurſus huc illuc aſpiratione ventorum perpellitur. Aut certè, quemadmodum planta quæpiam procerior & exoleſcens genitali loco emota; ita & monachus gyrouagus, ne vnius quidem virtutis frugem referet. Quemadmodum item nubes nullo aquæ humore concreta, venti agitatione percellitur; ita monachus ſpiritu agitatus acediæ, nullam habet ſolidam requiem. Si quando dæmon hic ex adyto cellæ illum quiuerit extrudere; tunc hora maximè communionis ipſum adoritur, vt eius mentem diſſipet & in diuerſa abripiat. Secum interim admurmurat: hoc incommodè nec ſuo loco poſitum eſt; illud item, atque aliud, nihil eſt neceſſe vt hic ſit: dúmque miſerum auocat à laudibus diuinis; quo pacto eius mentem reddit vacuam bonæ operationis, & ab omni fruge alienam? Cuncta hæc; quid aliud operatur, quàm iners otium ac ſocordia animi lenteſcentis? Monachus enim acediæ ſpiritu agitatus ordine concinno nullum vnquam opus clauſerit. Ad orationem, totus cùm deſideat; quàm propendet ad otium? Sane dæmonem hunc quiſquis inſigni triumpho à ſe ablegare vult; in omni ſuo opere modum ſibi præſcribat ordine certo, nec priùs deſciſcat à cœpto opere quàm finem impoſuerit: Continenter proinde oret ac magna animi contentione, atque ita demum ab eo ſe quàm longiſſime ſubmouebit ſpiritus hic acediæ. Iſthæc enim turbulenta affectio ſubuertitur attentè ſi ores; ſi te auoces ab otioſo ſermone; ſi quantùm ſinunt vires, vni cuipiam operi admoliaris manum, ſi diuinis eloqnijs accommodes mentem, ſi denique nihil ægrè feras tentationum aſſultus. Nos enim ni compererit communitos iſtiuſmodi armis; ſuis iaculis ſaucios vacillantes reddet & inſtabiles. Dúmque è locis loca permutamus; aliud nihil anxiè vel cogitare faciet vel circumſpicere, quàm vbi locorum ſympoſia † celebrantur aut Sanctorum memoriæ. Mens interim ſic acedia deiecti; aliud nihil imaginatur & ſecum admurmurat, quàm vt per hæc eleuetur in ſublime, & gloriolam hinc aucupetur. Hoc genere ſtudij fit, vt talem in poſterum mundi negotijs curet obſtringendum; atque ita irretitum velut offa porrecta, ſenſim ineſcat ac decipit iſtis occupationibus mirè detrimentoſis, quouſque tandem prorſus deturbet è faſtigio monaſticæ profeſſionis. Rectè quidem Apoſtolus, perinde ac medicæ artis quiſpiam abſolutus profeſſor; magnoperè cupiens morbi iſtius ab radice excidere cauſas, è quibus prognata acedia eſt, admonet dicens: *Fratres, ipſi ſcitis quomodò oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo; ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes; ne quem veſtrum grauaremus.* Inducit: *non quod non habuerimus poteſtatem; ſed vt nosmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Prorſus itaque conducibile fuerit nobis, vt operi cuipiam manuario commodemus operam: non acediæ ſolùm gratia à nobis depellendæ atque in exiliũ ablegandæ; ſed & vt hinc nobis alimonia ſuppetat, & eadem opera alienæ inopiæ conſulamus. Iugiter proinde illud meditemur B. Dauidis;

Acedioſus monachus, errat ſemper & vagatur.

Monachus erro, non proficit in virtutibus.

Acediæ domandæ methodus.

Agapas intelligit.

ἕως ἂν χρῄζων μου ἀδικοῦ. ἐπαγγέλματος.

2.Teſſ 3.

Quo instituto poſſit Monachus operi cuipiam manuario cõmodare operam.

Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus; quia humiliauit inimicus animam meam, collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſaculi & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: ſed ne auertas faciem tuam à me; ô benigne, *quia ad te leuaui animam meam.* Exaudi me Domine, quia anima in anguſtijs eſt; & ſpiritus præ tædio clamauit ad te. Ne ſinas, prætérquam poſſum, me tentari ſed fac *cum tentatione* etiam *exitum,* vt poſſim ſuſtinere. Eripe me ab iſtis indecentium atque improbarum cogitationum vibramentis. Conuerte me in viam rectam, qua ad agnitionem proueхar veritatis. Concede mihi in ſynceritate conſcientiæ, cúmque omni fiducia puram tibi exhibere ſeruitutem corde indiuulſo, omnibus diebus vitæ meæ. Etiam Domine mi Ieſu Chriſte, figura & ſplendor benedicti Patris tui, qui cordibus noſtris diuina eloquia quaſi ſemina inſpiraſti; miſericors & clemens hominum amator, qui de nobis ſolus quàm optime mereris nihil interim per elationem tibi arrogans; qui nos ſolus donas ſalute, ſolus inſuper iuſtus, qui ſemper es & in omnibus & vbique præſens, qui ambis vniuerſa complexu tuo ac imples; Ieſu Chriſte, idem Dominus, idem & Deus. Tu nos tuis propugna donis, tua miſericordia tuere, quia in te vnum ſpem animę omnem reclinamus. Exactiſſime enim noſti commenta hoſtis infenſiſſimi, nullo non loco obuia. Impreſſiones veteratorias quibus nos ex inſidijs adoritur; quis te vno, Domine intelligit perſpicacius? Tu ſolus Domine auxiliare nobis viſitatione tua ſancta. Ab hac animi ægritudine abſolutus iam ac liber, dic: noui, mi Domine animarum amator; quia dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me & in viam reuocaſti, quia factus es ſpes mea & turris fortitudinis à facie inimici. Deinceps habitabo in tabernaculo tuo in ſęcula; & protegar in velamento alarum tuarum quia tu Deus exaudiſti orationes meas. Etenim dormitauit anima mea præ tædio; ſed tu Domine confirmaſti me in verbis tuis. Si ad hunc modum vna cum cordis ſynceritate preces ad Dominum fuderimus, qui flagitioſiſſima quæque ſe agnoſcentium, perpeti obliuione indulgenter abolet: vtique audire ab eodem promerebimur; quia, *omnis qui petit accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur.* Et; *Fides tua te ſaluum fecit, vade in* pacifica & tranquilla cogitatione. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Orationes contra Acediam, ex Pſalmis.

De Deſperatione.

Homilia XXVII.

Desperationis perturbatio cæteras præ ſe dictas facile anteit, & grauitate, & inexplebili angore. Hominem enim recta præcipitat in infidelitatis barathrum; adeò inclementer, vt nihil illi reliquum faciat ſperandæ ſalutis. Elocatum ſiquidem ac miſerrime proditum, committit exitialium dæmonum torturę; quò fit, vt in cibum illis iam vertatur ac deridiculam inſultationem. Vt enim fidelis vir, ſpéq; quàm optima nitens, ſuaue fit Chriſto edulium. (*Meus enim cibus eſt,* ait; *vt faciam voluntatem Patris mei;* Voluntas autem Patris eſt, vt per eum ſaluetur homo omnis) ita & noſtræ omnium ſalutis æmuli atque homicidæ diaboli voluntas peculiariter vna hæc eſt, hominem vt laqueo implicet deſperationis, denique & perdat. Nos igitur qui Chriſtum induimus, qui concorpores ei ſumus, qui ipſo doctore didicimus; *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam:* certatim contendamus pręſidio ſubnixi pœnitentiæ, tam exorabilem placare Dominum qui mala omnia obliuione interlinet. Id facto nobis opus, ne illud Hieremiæ audire contingat: *nunquid cadens non reſurgit; aut conuertens non conuertetur?* Rurſus: *nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi; quia auerſus eſt populus hic auerſione imprudenti?* Itaque (fratres) cum habeamus prouidum curatorem Deum; ad omnia ipſi accolemur glutino charitatis, non item vt refugæ à tam benigno deſciſcamus. *Appropinquate mihi* (ait) *& appropinquabo vobis:* Ipſi enim cura

Ioan. 6.

Luc. 5.

Hier. 8.

futura

ſcutum est noſtri; vt qui nos tanti æſtimauit, quos proprio redimeret ſanguine. Animæ præſtantis prorſus ac generoſæ peculiaris conditio ea eſt, vt quantæcúmque tandem inundent calamitatum procellæ; nullo vnquam pacto ſinat à ſe auelli ſpei ſolidæ ancoram. Ob hoc enim hominis vita πειρατήριον dicitur: hoc eſt, tentationum ſiue piratarum domicilium. At nos ne ſic quidem à Domino deficiamus, quouſque tentatorem iubeat ſemotiùs à nobis ſecedere; & per tolerantiam atque immobilem animi rigorem vitæ reſtituamur tranquilliori. Quod enim peccati genus vſquam inueniatur atrocius deſperatione? Iudas ille Domini proditor, quàm puſilli erat & abiecti animi? quam rudis & expers conflictus tentationum? Ob hoc enim ſpem omnem à ſe cùm abieciſſet, inſiliente in eum inimico, funiculo ſibi præfocauit gulam. At Petrus ſolida illa petra; nunquid non in peccatum impegit nec mediocre? Verùm is tanquam qui tales conflictus, doctrice experientia didiciſſet, ob maleloquam negationem, ſpem neutiquam abiecit, ſed lachrymas adhibuit patarias apud Dominum & conciliatrices. Quaſnam? ſanè plenas amaritudinis; & quæ ex corde proſilierint deflagrante incendio charitatis. Hanc Petri magnanimitatem hoſtis cùm vidiſſet, nulli dubium ſit, quin ſe illinc concitus proripuerit ingenti cum eiulatu; ac ſi igni illi facies conflagraſſet. Ne igitur (chariſſimi) à nobis ſpem abijciamus impetrandæ illius beatæ vitæ: magis verò quandocúmque eſt neruos intendamus, omnique ex parte eam communiamus lumine fidei. Aduerſus malignum incentorem, multa cum fiducia vociferemur: quid tibi & nobis commune eſt, à Dei conſortio extorris; & cœleſtis municipij refuga perditiſſime, ſerue nequam? nihil enim in nos obtines iuris, Chriſtus enim Dei Filius; noſtri ille denique & omnium plena ſolus perfruitur poteſtate. Illi peccauimus; coram illo nos etiamnum purgauimus. A nobis tu quam longiſſimè, exitialis ac peſtilens ſecede. Siquidem nos Domini crucem omni honore dignam cum teneamus pignoris loco; quamlibet ſublime illud caput tuum, calce proterimus ô ſerpens venenate. Ad hunc ſane modum aduerſus colluctatorem & aduerſarium noſtrum ſpe audaci nitentes deprælienur ac repugnemus; nec vllo vnquam pacto ſinamus nos intercipi laqueo deſperationis, per deditionem. Dæmones enim ipſi, ne in abyſſum præcipitarentur, cùm obſecrarunt Dominum, ſua petitione fraudati non ſunt: quantò digniùs eſt eum exaudiri Chriſtum qui per fidem induit; ſuppliciter deprecantem, à ſpirituali morte vt liberetur? Ne igitur ſpe abiecta deſpondeamus animum; magis autem perſeueremus in confeſſione ſolidi ac ſtabiles, & cum compunctione dicamus: Here mi, Domine cœli & terræ, Rex ſæculorum; quæſo mihi velis adaperire pœnitentiæ ianuam. Siquidem tota afflictione animæ obiecto te verum Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti qui lumen eſt mundi, vt videam tua ſolius exuberanti miſericordia. Admitte, quæſo meam hanc ſupplicationem. Ne meam deprecationem repudies; ſed condona mihi ſic miſerè intercepto in multiplici præuaricatione mandatorum tuorum. Inclina autem tuam ad precem meam mihíque cuncta indulge quæ admiſi nequiter vt homo propria victus voluntate. Quæro enim requiem, nec vſpiam inuenio, eò quòd minime indulgeas conſcientiæ meæ tranquillitatem. Expecto pacem, & ecce non eſt pax mihi, ſed hoc facit abyſſus immenſa iniquitatum mearum. Audi Domine cor meum; ad te enim voce querula ſuſpirat. Neù aures accommoda operibus meis planè improbis & flagitioſis; quin potiùs ad animæ meæ dolorem reſpice, nec cunctetis medicam manum tuam mihi adhibere atrociter ſaucio, tempus proinde reſipiſcendi tua ſolius benignitate impartire mihi. Extrica, quæſo me, iſtis pedicis quæ aduerſum me conſiſtunt, operum meorum. Ne ad tuæ æquilibrium iuſtitiæ mecum admetiaris, neù digna facta requiras in me; vt ne totus in nihilum redigat. Audi Domine in periculo me conſtitutum deſperationis. Omni enim deſtitutus ſum alacritate atque intelligentia ſpirituali, qua meipſum ad rectitudinem reuocare poſſim. Tuis procido & aduoluor ſupplex miſerationibus; mei vt miſerearis in humum miſerè deiecti, dum ipſe mea peccata accuſo & damno. Reuoca me, Here mi eiectitium, in operibus proprijs deprehenſum, & quaſi catena quapiam conſtrictum. Tu enim ſolus noſti compedibus adſtrictos abſoluere; vulneribus nulli dum perſpectis aut cognitis certiſſimam adferre medelam; quæ ſanè ſolus tu clariſſimè perſpicis vtpotè arcanorum cognitor. Quantæcúmque enim mihi imminent vitioſæ affectiones, vnum te comperio quem nominatim oplotem ad eas omneis curandas: medicum nempe malè habentium; eorum ianuam qui pro veſtibuli aditu; querula ac lugubri voce complorant; viam à recto calle exorbitantium; inter tenebras obambulantium, præfulgidum lumen; eorum redemptorem qui rapiuntur ad dependendam pœnam. Manum proinde premis & cohibes tuam, nec facilè iram alioqui aduerſus peccatores paratam exeris & contorques: tempus magis indulges, ipſi vt reſipiſcamus; & hoc nimiſquam multa erga nos tua fit benignitate. Exorere tandem & affulge mihi, Domine, miſerè collapſo; vtique tu ad miſericordiam feſtinus, tardus ad irrogandam pœnam. Manum, quæſo tuam, in me exporrigere tua digneris clementia; & me è lacuſtri fouea iniquitatum mearum ſubleua & attige. Tu enim ſolus Deus noſter qui nihil minus quàm vt oblecteris pereuntium peccatorum depulſione; faciem neutiquam auertis ab eo qui in te vnum cum lachrymis preſſiùs mentis aciem defigit. Exaudi Domine ſerui tui vocem clamantis ad te; luménque tuum illuſtra atque irradia in me qui extinctus iam ſum; roſulentam aſperginem ſancti tui Spiritus inſtilla in me; expromptam animi alacritatem impertire mihi vel gratuitò: vt qui à me ſpem alioqui abieci; corroborem meipſum in te vehementer & confirmem. Verte mi Domine *planctum meum in gaudium mihi; diſrumpe ſaccum meum & circumcinge me lætitia.* Complaceat aliquando vt deſinam, & ab occiduis atque veſpertinis meis operibus interquieſcam, ac demum diluculari & matutina perfruar requie, qua tu tuos electos tranquilliſſimè refoues Domine; à quibus porrò dolor fugit ac gemitus. Regni tui ianua mihi, quæſo adaperiatur: vt eam ingreſſus cum his qui lumine vultus tui Domine perfruuntur; demum ipſe etiam beatifica fruitione æternæ illius tuæ vitæ, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Ad eum modum, ſi deiecto & humili corde ipſi procidemus; vtique noſtram admittet deprecationem. In omni igitur affulgentia lucis diuinæ qua illuſtrari nos ſentimus & circumfundi; hymnorum laudúmque iubilis neceſſe ſit ipſum vt celebremus. Ipſe enim bonorum omnium author eſt, origo, vita, eſſentia. Idem eorum quoque qui ab ipſo deſciuerunt, reuocatio & reſurrectio; qui autem & defluxerunt atque prolapſi ſunt, reſtauratio ac reformatio; ſtantium proinde firmitas, & tutelaris protectio. Dixit Eccleſiaſtes: Eſt ſpes, quia *canis viuus melior eſt leone mortuo*; qui enim viuunt, vtique nouerunt ſe eſſe morituros: mortui verò, ne canem quidem deploratum ſciunt. Sed & Paulus de eo qui Corinthi in graue impegerat delictum; per epiſtolam dicit: *Ita vt è contrario magis donetis & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur is; propter quod obſecro vos vt confirmetis in illum charitatem, vt ne circumueniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes eius.* Nos itaque cum Paulo parilem agonem ſuſtineamus, dicentes: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; apporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; deijcimur, ſed non perimus; ſemper mortificationem Ieſu in corpore circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Rurſus: *Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, quæ conſolatur*

Matth. 26.

S. Antiochi oratio contra deſperationem.

Eccleſ. 9. ὑπὲρ ἧς ἀσι- τὸν κυνα- τὸν ἀπηγ- γασμένον.

1. Cor. 3.

2. Cor. 2.

nos in omni tribulatione per conſolationem qua conſolamur à Deo, quia ſicut abundant paſsiones Ieſu, ita per Chriſtum abundat & conſolatio noſtra: Siue tribulamur, pro veſtra exhortatione & ſalute; ſiue ipſi conſolamur per veſtram conſolationem quæ efficaciter operatur in tolerantia paſsionum ipſum, quas & nos patimur, & ſpes noſtra firma eſt. Ne igitur, chariſſimi, truculentiſſimi iſtius dæmonis, nempe deſperationis, vnquam admiſerimus conſilium; vt ne qua ex parte comperiat aditum quo ſe menti noſtræ blandiſſimus veterator inſinuet, clámue irrepat. Aliud enim nihil deſperatio quàm perfectum diaboli gaudium, quin potiùs nos ipſos recipiamus ad ſobriæ ac melioris vitæ frugem, exemplo filij prodigi. Cum reuerentiâ ſimul & gaudio ad clementiſſimum patrem conuertamur, cui & dicamus; *Pater, peccaui in cælum & coram te*, Suſcipe me vt vnum aliquem è mercenarijs tuis, méque introduc in caolam gregis tui ouiculam hanc miſere perditam, vt ne extra caulæ tuæ ſepta inuentam biſulcula fauce abſorbeat lupus ille truculentus corruptor. Plane noui ego, mi Here, bonum te eſſe paſtorem; àc eorum eſſe tutiſſimum portum qui quauis tempeſtate miſere percelluntur, ſpem certiſſimam de ſe deſperantium, immedicabili morbo deſperationis laborantium præſentiſſimum medicum. Cura ò Domine olei ac vini infuſione vulnera mea, quibus prædones iſti me inclementer cõſauciarunt. Certe, Domine, ipſe dixiſti: *non egent qui ſani ſunt, medico; ſed qui male habent.* Hoc pacto cùm orauerit, iacentem te vt illum paralyticum eriget, dicétque tibi: *Ecce ſanus factus, iam amplius noli peccare.* Idem námque Dominus de vidua illa parabolice, & de iudice iniquitatis dixit oportere nos ſemper orare, néque vnquam deficiſci aut defatigari; eóque inducit: *Deus autem non faciet vltionem electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac noctes, & longanimiter patietur? dico vobis, quia propediem faciet vltionem eorum.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deſperatio eſt perfectum dæmonum gaudium. Luc. 15.

Ἐπίδησον alliga, aſtringe, lege. ἐπιχάλασον. Math. 2. Ioan. 5.

De murmuratione.

Homilia XXVIII.

Et quidem murmurare, ſiuè prætextus alicuius rationi in ſpeciem conſentaneos ferat; ſiuè citra vllum prætextum, vtcúmque res habet virorum eſt contaminatæ & piaculatis vitæ. Recta enim vitæ conſtitutio ac Deo cumprimis accepta eſt eorum qui quacúmque de re adeò non oblatrant, vt etiam referaiot gratiarum actionem. Talis qui nulla de re obmurmurat; imaginem refert aquæ lympidioris ac pellucidę: è diuerſo obſtreperus murmurator, mirè turbulentus, quotidianis intemperijs agitatur. Ille cum actione gratiarum viuit gratioſus; hic planè ingratus. Neſcius murmurationis, nulli non ſe exhibet amabilem murmurator nulli non ſe reddit inuiſum & execrabilem. Ille nulli peruius vituperationi; hic nulli non conſpicitur vituperabilis. Ille conuiciatur nemini; hic vehementer impudens ac temerarius deprehenditur; quò fit, vt talem infensè oderit Deus. Iſthæc affectio ex vita enaſcitur planè impura ac flagitijs contaminata, & ex eo quòd à te excuſſeris Dei timorem. Quemadmodùm diuinæ eſt voluntatis, vt homo per hominem ſeruetur, ita Satanas magnoperè contendit hominem per hominem in laqueum protrudere perditionis. Ne igitur tali adhæreſcatis qui in hoc vitium propendet decliuior, nec linguæ præcipitium vllo remoratur freno; ne cum ipſo præceps ruas ad ſupplicium. Sanè non indecorum ſit vitare eiuſmodi qui nullam norunt linguæ adhibere temperiem, qui nihil tam ſpirant quàm pugnas verborum, qui ſuis agitationibus tam internis quam externis turbas conciunt. Qui talis eſt, comperitur particeps eſſe & conſors exitialibus illis ac plane ingratis Iudæis qui in eremo legũtur murmuraſſe aduerſus Deum, iuxta quod ſcriptum eſt: *& erat populus murmurans aduerſus Moyſem: Et dixit Moyſes, non enim aduerſum nos eſt murmur veſtrum ſed aduerſus Deum.* Rurſus: *quid iurgamini contra me, & tentatis Dominum?* ait item Eſaias: *qui dicunt quòd dulce eſt amarum; & quod amarum eſt, dulce.* Inducit: *murmuratores diſcite obedientiam.* Dauid ad eundem modulum de iſtis dicit: *non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis.* Rurſum: *quorum os locutum eſt vanitates, & dextera eorum dextera iniquitatis.* Dicit autem & Iudas Iacobi frater: *hi ſunt murmuratores, querluſi, ſecundum proprias concupiſcentias ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba.* Nos igitur (fratres) ipſi interquieſcamus à murmuratione; & quid Pilippenſibus Paulus ſcribat audiamus: *Omnia facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, vt ſitis ſine querela & ſimplices filij Dei ſine reprehenſione.* Meritò proinde dictum eſt: *Arbor vitæ eſt, lingua ſanitas, qui enim eam cuſtodit, propinquabit ſpiritui iuxta ſcripturam.* Parœmiaſtes quoque mandat dicens: *cuſtodite igitur vos à murmuratione quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ.* Ne dixeris: *quid factum eſt quia dies priores fuerunt meliores his? quia non in ſapientia hac de re interrogauerunt.* Eiuſmodi enim murmuratorum nepotes, Scribæ & Phariſæi aduerſus Domini diſcipulos pro amore auito murmurabant dicentes: *Vt quid cum peccatoribus & publicanis manducat & bibit?* Iſti igitur preſsiùs tuentes paternam traditionem, quaſi reprobi hæredes improbatæ hæreditatis atque turpiſſimæ; aduerſus etiamnum ſalutis noſtræ vindicem obmurmurabant, quod is dixerat, *Ego ſum panis qui deſcendit de cælo:* Dominus autem ad eos: *quid murmuratis inter vos? nemo poteſt ad me venire, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Murmurabant & primi illi operarij aduerſus Patrem-familias, propter eos qui circa decimam horam venerant, dicentes: *hi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum?* Hoc proinde audierunt: *Amice, non facio tibi iniuriam; nonne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade, volo & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi; an non licet mihi facere quod volo?* Indicans autem eorum æmulam inuidiam atque malignitatem; inducit: *An non oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Ipſi gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Theologus quidam in illud, Sap. 1. Cuſtodite vos à murmurationibus, definit murmurationem, quæ relam cum impatientia. Eccleſ. 10.

Ἀνὴρ ἐπιστήμων ἢ φρόνιμος. vir prudens, ſiue peritus, non murmurabit, & non contriſtabit. Iuſtum quicquid ei acciderit. Prou. 12. Exod. 15.

Aug. in Ioannem De nulla re magis offendiſſe Deum dicitur Iudæicus ille populus quã contra Deum murmurando. Pſal. 105.

Pſal. 2. Sap. 1. Luc. 5. Ioan. 6. Math. 10. τὸν καύσωνα.

De Detractione.

Homilia XXIX.

Detractio & murmuratio germana quadam propinquitate confines ſunt, ac mutuo fœdere copulantur. Vtraq; porro aliud nihil quam rami inconſiderationis & ſtultitiæ. Etenim murmurator ſeipſum perdit. Detractor & ſeipſum it perditum; nec ſolùm, ſed & audiẽtes. Siquidem is hoc vnum ſpectat, ſua vt detractione conciat & alios, proinde & conturbet; ſuæque ſtultitiæ adſciſcat ſibi ac paret complices. Duplex vno hoc peccato ſibi congerit debitum; & ſibi quidem obnoxius primùm fit, deinde iſtis quos detrahendo in ſententiam ſuam adduxit. Quod ſi nos cõtinget audire improbandos ſermones; non tam eum qui protulit, quam nos ipſos coarguamus: pro voluntate enim noſtra & delatores ſermonis vel admittuntur vel reijciuntur. Nihil igitur oportet ob ea quæ in nos recidũt aduerſa, in alios detorquere reprehendendo aut detrahendo; vt ne decidamus à diſcretione rei per ſe honeſtæ ac decentis: in noſipſos potiùs, ſi quid reprehenſibile occurrit, recellamus: Hoc enim per quam acceptum Deo eſt. Sanè decorum ſit nemini prorſus obtrectare; at ne etiam detrahentem audire cum ſuaui pruritu aurium, néve vlli detractioni fidem commodes. Qui enim fidem adhibuit detractioni; is impoſterum aduerſus fratrem ſuũ iniquiore afficietur animo: talis igitur; efficitur reus peccati, cum detractore. Non enim conuenit quicquam proloqui aduerſus fratrem vllum abſentem; calumniandi præſertim intentione, ſiue illi vt inuras notam (id quod propriæ eſt καταλαλιά; id eſt, detractio) tametſi vera ſint quæ dicuntur. Debes potiùs auerſari detrahentem, & aliò

Detractio & murmuratio ſunt rami ſtultitiæ.

Detractio minuit charitatẽ proximi.

& aliò iter deſlectere. Nunquid non maligna hæc eſt detractio; & irrequietum dæmonium, nec vlla vnquam tempetie pacificum? Perpetuò ſiquidem manſitat ac moratur inter velitares verborum pugnas aut ſeditiones. Conuenit igitur à ſe excurere vitioſum illud fermentum & diuturna detrahendi ac murmurandi conſuetudine inueteratum; ſéque transferre ad aſſumptionem nouæ conſperſionis, obedientiæ nimirum & gratiatum actionis. Neque enim decet nos populo illi inueniri aſſimiles qui tam fuit malè gratus Deo vt in eremo aduerſus eum & murmurarit & detraxerit. Sanctos imitemur potiùs, qui ad fulgorem prælucentis gratiæ vitam moderantur ſuam. Obedientes ſimus, nec ingrati: de illis quippe ſcriptum eſt, qui & aduerſus Deum locuti ſunt, & dixerunt: *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Sed & Aaron & Maria detraxerunt

Num. 12.

Moyſi: dixerunt enim; *num Moyſi ſoli locutus eſt Deus?* In illos proinde ira Dei exarſit, & ecce Maria lepra percuſſa eſt. Parœmiaſtes ait: *laqueus fortis viro propria labia ſunt: qui autẽ irretentibiliter vacat labijs, ſupplantabitur.* Rurſus: *gloria viro auertenti ſe à conuicijs, ſtultus autem his implicatur.* Iterum: *vir conuiciator ad tumultum pugna, qui vero cuſtodit os ſuum & linguam, conſeruat à tribulatione animam ſuam.* Et: *qui diligit vitam, parcet ori ſuo.* Rurſum: *quæ viderunt oculi tui, dic; vt ne impingnas in pugnam ne te pœniteat in nouiſsimis.* Iob item amicis ſuis: *Loquimini aduerſum me, nec erubeſcitis aduerſum me conſiſtere.* Pſaltes quoque regius: *detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Rurſus:

Pſal. 100.

Os tuum abundabit malitia, & lingua tua concinnabat dolos; Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Quia dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem; dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa. Et: *qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum: etenim ſederunt principes & aduerſum me loquebantur,* Iacobus quoque

Iac. 4.

admonet dicens: *Nolite detrahere alterutrum fratres; qui enim detrahit fratri & iudicat fratrem ſuum, detrahit legi & iudicat legem.* Petrus item: *deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum & ſimulationes & inuidias & omnes detractiones.*

1. Petr. 2.

Affectionem hanc detractionis omnium odio digniſſimam, iuſto planè odio perſequamur, nequando deprehendamur Iudæis illis detractatoribus nihilò diſſimiles, qui & dicebant: *Hic non eijciet dæmonia, niſi in Beelzebub † principe dæmoniorum.* Dominus autem mitiſſimus & longanimis; quid ad hæc? *Si ego in Beelzebub eijcio* dæmonia; profectò peruenit in vos regnum Dei. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

† Βεελζεβοὺλ lege, *Beelzebub, idolũ muſcæ.*

De Suſurratione. HOMILIA XXX.

RVRSVS ſuſurro & detractor complices cùm ſint, in extremam ſuam operationem conſpirant. Par ſiquidem & vna eſt vtriuſque operatio, vtrúmque recta in viam abripiens perditionis vtrùmque eùm inſensè oderint & Deus & homines. Execrandum enim detractionis ſcelus atque ſuſurrij; in iiſdem comperiuntur, contubernales quum ſint quæ res facilè iodicat talium vitam, longè eſſe contaminatiſſimam atque impuram maximè. Ne igitur in iſtiuſmodi viuendi ratione nobis prorſus interdicta ac nefaria perſeueremus, vt ne Dei iudicium deprehendat nos ſine fœdere vllo & concordi compagine charitatis fuiſſe erga nobis congenerem. Cauet enim interdicto, lex id fieri: *non admittes auditionem vanam; non ſedebis ſimul cum iniquo, vt ſis teſtis iniquus.* Omne verbum improbum, execratio eſt apud Dominum. Salomon item: *Suſurronem & bilinguem maledici dignum eſt; multos enim perdiderunt pacem habentes.* Rurſus: *Lingua duplex, multos commouit pacem habentes; qui attendit ei, non inueniet requiem.* Iterum: *Plaga linguæ conteret oſſa; mors enim mala mors eius.* Propheta quoque Abacuch, *Viri pacifici tui poſuerunt inſidias aduerſum te.* Ieremias item ait: *Iaculum*

Detractionis ſcelus execrandum.

Exod. 23.

Leuit. 19.

Διπλῆς, lege, ἀπώλεσαν.

Eccleſ. 28.

vulnerans lingua eorum. Dauid inſuper iſtos auocare cupiens ab hac inmanitate pluſquam hoſtili præcipiendo dicit: *Auerte linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Quòdque perſpectam haberet efferatam atque minacem voluntatis iſtorum ferociam; inducit: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, Linguis ſuis dolosè agebant, iudica illos Deus, quia venenum aſpidum ſub labijs eorum, etenim aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi, Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me.* Sed, &: *Induantur qui detrahunt mihi pudore.* Et: *Induantur ſicut diploide confuſione ſua, qui dicunt mihi euge, euge.* Sibique apprecatur dicens: *Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua doloſa.* Sed &: meipſum *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo, vt immaculatus efficiar.* Iubet quoque Parœmiaſtes: *ne voceris ſuſurro, & lingua tua ne commoliaris inſidias; ſuam enim ipſius animam inquinat ſuſurro; Vir enim incontinentis linguæ ruet in mala.* Rurſum: *Mors & vita in manu linguæ; qui autem dominantur eius, comedent fructus eius.* Iacobus: *Si quis videtur religioſus eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum; huius vana eſt religio.* Inducit: Ecce, quantus ignis, quàm magnam ſyluam incendit! Et: *lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* Et: *lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus & inflammat rotam natiuitatis noſtræ.* Liquet per hoc intelligi temporariæ iſtius vitæ momenta, quibus ipſa ſurſum deorſum prouoluitur. Quid enim hominis vita aliud quàm rota quæ perpetem rotatu verſatur? Sed & eadem inflammatur à gehenna. Suſurrationem itaque (fratres) quàm maximè fugiamur, vt ne nos amœnitate priuet paradiſi, nóſque tranſmittat in gehennam ignis. Suo enim ſuſurrio ſerpens ille Euam tranquillitate exclnſit paradiſi. Ad eam formulam quidam ſapiens; *Beatus, qui non eſt lapſus lingua.* Et: *beatus qui protectus eſt à facie linguæ.* Et: *Infimorum labi præſtat, quam à lingua.* Paulus proinde: *ne fortè inter vos ſint contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes;* & quæ ordine ſequuntur. Dominus porrò ait: *bonus homo, de bono theſauro cordis ſui profert bonum; malus autem homo, de malo theſauro eijcit mala; Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Immortali Deo ſit gloria in ſæcula, Amen.

Pſal. 33.

Pſal. 5.

Eccleſ. 5.

ὄχλος.

ἕσα.

Vt ne delator querulus ſit, aut importunus reprehenſor.

HOMELIA XXXI.

NE quempiam incuſes aut deferas intempeſtiuiter, neu de re vlla dequeraris non ſatis æquo examine perpẽſa; interdicto ſcriptura cauit: niſi fortè ſi quis aduerſus proximum querimonia vti volet, vt is ad viæ rectitudinem ſe recipiat. Qui enim Dei illud mandatum reueretur quod eſt, *nolite condemnare, vt ne condemnemini*, ſuos ipſe defectus non oſcitanter perſpicit. Vix credibile, quàm ſit homini detrimentoſum, tam attentum eſſe & alacrem ad aliorum contuenda atque expendenda errata, ſuis interim debitis per oſcitantiam neglectis. Dum enim tam es aliorum deprehenſor, querulus aut delator, nihil dubijs argumentis teipſum declaras inculpatum eſſe & irreprehenſibilem. Hunc, quiſquis eiuſmodi eſt, infenſiſſimè auerſatur Deus, & à ſe repellit quàm longiſſimè. Quòd ſi quidpiam te adorietur aduerſæ tribulationis à proximo excitatæ; hanc vide vt feras quaſi tuam, non vt alienam. Etenim dum impatientius conflictaris aduerſum eas quæ te vehementer alioqui premunt violentas impreſſiones, & alios interim incuſas, quaſi qui non noris eas Dei iudicio contigiſſe: tam tu diuinæ reluctaris admonitioni. Sin tu eas æquo toleras animo; planè liquet te ſuſtinere Dominum. Hac de re docet nos Parœmiaſtes: *priuſquam examinaueris, ne reprehendas quemquam de his quæ aure didiciſti; ſed & intellige primum, tunc increpa; priuſquam audieris,*

ne eſpandeas. & in medio ſermonum ne interſeras verbum, quia mors & vita in manu linguæ. Et: *ad aures ſtulti nihil dic; ne* A *forte ſubſannet, eruditos tuos ſermones.* Alter item Sapiens: *cor excipiet mandata; qui autem intolerabiliter vacat labijs, ſupplantabitur.* Dicit autem & Eccleſiaſtes: *ad omnia verba quæ loquentur impij ne apponas cor tuum; & in conclaui cubilis tui ne male dixeris diuiti, quia auis cœli portabit vocem tuam.*

ταιρόν, lege πετεινόν.

Paulus item per Epiſtolam dicit: *Fratres, ſupportantes inuicem & donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: ſicut & Chriſtus donauit vobis, ſic & vos; ſuper omnia autem hæc, charitatem habete quod eſt vinculum perfectionis.* Mos ſane gerendus Paulinæ iſti doctrinæ, qua nos ad ſubeundam palæſtram ceù ceromate linit addítq; vires, nequando in nos audiatur contorta illa Iudæ fratris Iacobi ſententia: *Hi ſunt murmuratores, querulosi, & os eorum loquitur ſuperba, admirantes perſonas quæſtus cauſa.* Nemini B itaque côuenit ſic eſſe querulum, niſi Phariſæis; & ſolis: quippe qui ſeipſos iuſtitiæ nomine venditant. Vnde & diſcipuli Domini acri fame quum vrgerentur, cœpiſſéntque primùm ſpicas conuellere; & inediam qua laborabant, vel tantillo leuare; Phariſæi dixerunt Domino: *Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis;* Iſti quam promeruere, ſententiam condemnationis retulerunt, quòd illos falſa delatione ſugillaſſent qui nulli erât culpæ obnoxij. Dominus ſiquidem iniuriæ omnis immemor reſpôdit: *num legiſtis quid fecerit Dauid cum eſuriret ipſe & qui cum eo erant; quomodo ingreſſus ſit domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat edere niſi ſolis ſacerdotibus?* Illos iſtis verbis cum erudiret, vt ne impoſterum aduerſus inſontes intempeſtiuiter dequererentur, induxit: C *ſi ſciretis quid eſt; miſericordiam volo & non ſacrificium:* vtique hos non condemnaſſetis innoxios. Dominus enim eſt Filius hominis etiam Sabbati. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

De Contradictione. Homilia XXXII.

CONTRADICTIO & contumacia, pari li conſtringuntur malitiæ iugo. Qui enim contradicit; vtique contendit inueniri ei compar robore cui ſua temeritate contumax eſt & rebellis. Huic ſiquidem ſtudiū eſt perpes, veritati vt contrôuertat eámq; impugnet. Dum enim cæteros vt anteeat authoritate, connititur pro virili; frequentes admodùm concit turbas, illorum exemplo de quibus in lege D ſcriptum eſt; nempè, Core, Dathan, & Abiron, quando in faciem reſtiterunt Moyſi. Et iratus eſt furore Dominus; ſúbque illorum veſtigijs adaperta eſt terra, & eos abſurpſit ſimúlque illorum domicilia. Hi enim propria nixi virtute, non item Dei decreto; ambitioſiùs expetebant populi principatum; eóque reclamantes magiſtratui diuina ordinatione inſtituto, iſtiuſmodi ſubiacuere pœnis. Scribit autem & Apoſtolus de iſtis qui contumaciter contradicunt; *quemadmodū Iamnes* † *& Ambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti, mente reprobi circa fidem.* Ad eundem modum Helymas magus reſtitit Paulo & Barnabæ, quærens auertere proconſulem à fide: Is confeſtim excæcatus eſt, iuxta relationem E Apoſtolicorū Actuum. Sed & Apoſtolus, per epiſtolam dicit Timotheo: *Alexander ærarius multa mala oſtendit mihi, reddet ei Dominus; quem & tu deuita, multum enim reſtitit verbis noſtris:* & hic dignam reportauit ſua contradictione, viciſſitudinem ac mercedem. Michæas Propheta lugens efferatam populi rebellionem, ait: *Lingua contumeliata eſt in ore ipſorum:* Hei mihi anima, quia periji pius à terra! Alius item: contradictiones ſuſcitat omnis malus; Dominus autem Angelum immiſericordem immitteret ei. Rurſum: *Sapientia hominis illuſtrat faciem eius, impudens autem facie odibilis erit.* Et; *qui loquitur iniqua, non effugiet; qui ſibi eſt nequam, cui bonus erit?* Similem in modum Salomon, *malus cum contumelia perpetrat mala; qui autem ſeipſos explorant & agnoſcunt, ſapientes ſunt.* Terrorem nobis ſacra hæc incutiat Scriptura; ac proinde ab omni teme-

Num. 16.

2. Tim. 3.

† Ιαννῆς καὶ Ἀμβρῆς.

Act. 13.

Prou. 17.

titate & contradictione deſciſcamus, vt ne eadem de nobis illud pronunciet: *curauimus Babylonem, & non eſt* A *ſanata.* Quin potiùs illud ex Eſaia, ipſi audire promereamur: *ſi volueritis & exaudieritis me; bona terræ comedetis.* Itaque noſipſos communiamus in primis humilitate & ſilentio, ſacrámque ſecuti ſcripturam, in eorum ſortem redigamur quibus curæ eſt ſedare contradictiones. Sanè vt Deo conſueſcas loqui plurimùm, cum hominibus autem quàm rariſſimè; hæc monaſtica exercitatio, ingens eſt animæ ſcutum. Die ac noſte, ad extremam vſque exitus horam, intenta acie mentis ſpectandum eſt, nequando comperiamur Iudæorum ſacerdoribus aſſimiles, qui quidem conſuetudine execrabili Domino reſtiterunt ſemper. Acceſſerunt enim principes Sacerdotum ad Ieſum, dicentes; In qua poteſtate *hæc facis? aut quis tibi* B *dedit hanc poteſtatem? longanimis Dominus, quàm illis reſpondet manſueto? Interrogabo & ego vos, vnum verbum, quod ſi dixeritis mihi, & ego dicam vobis in qua poteſtate hæc facio.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Matth. 21.

De otioſo ſermone.

Homilia XXXIII.

OTIOSI-loquium ex eo ingignitur tibi, quòd per otium vitam tranſmittis, & à te excuſſiſti certam futuræ vitæ ſpem. Si enim æterni illius ſupplicij formidabilis horror, & contra, beati regni deſiderium mentem occuparet noſtram, nullo vnquam momento ſic per inaniloquia C traduceremus vitam: ídque eò maximè, quia Dominicum vrget mandatum, quo ſignificat rationem repoſituros nos eſſe die illo iudicij, de verbo otioſo. Quæcúmque porrò animæ tuæ nihil adferunt æmolumenti, verba otioſa ſunt. Operæ igitur precium ſit, vt ipſi ab immodicis colloquijs intenta cura nobis temperemos; ne quis reſideat locus otioſo ſermoni. Qui enim facilè ſinit intercipi ſe ac vinci à te permodica; à magnis neceſſe ſit hunc in ſeruitutem redigi. Qui parua hæc contemptim negligit; & illis obluctatur, quæ alioqui apud Dominum magni ſunt momenti. Omni igitur cuſtodia cuſtodiendum cor & corpus; nec laxiùs quàm decet perfectos, loquendum nobis maximè qui mundi homines videmur erudire ac viæ ſalutaris eſſe illis præduces, D nequando contingat audire nos; *qui alium doces, teipſum non doces?* Temeritatis planè euidens eſt argumentum ſic otiosè verba effundere & nugari, quemadmodum & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Fili ne æmuleris viros malos, néve concupiſcas eſſe cum eis.* Et inducit: *Os quod non habet operculum, parit ſeditiones.* Et; *Stultus multiplicat verba; qui abundat ſermone, abominabilis erit. Ex multiloquio non effugiet peccatum; parcens autem labijs, intelligens eris.* Rurſus: *apud amicum & inimicum ne enarres vitam alienam.* Et, *ſi non adſit tibi peccatum, ne reueles.* Iob quoque amicis ſuis, *Vtinam obmuteſceretis, vt contingeret vobis ſapientia.* Alter: *Beatus vir qui non eſt lapſus lingua ſua.* Rurſus: *qui moderatur linguam, ſine iurgijs viuet; qui odit loquacitatem, minuit malitiam.* Sed & Eccleſiaſtes, garrula iſta loquacitate inter- E dicit nobis: *Sermones oris ſapientis, gratia, labia ſtulti demergent eum; principium enim oris eius ſtultitia.* Et; *Stultus multiplicat ſermones.* Inducit: *qui diligit vitam, parcet ori ſuo.* His concinit Apoſtolus: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem, vt det gratiam audientibus.* Quum igitur (chariſſimi) tot adeò moneamur Scripturæ teſtimonijs; omni ſtudio vitabundi defugiamus otioſos ſermones; non inutiles modò, ſed & magnopere animabus noſtris detrimentoſos, atque vt dictum iam eſt, vocem illam Domini terroris & fortitudinis plenam perpetim cogitemus, qua pœnam interminatur; *Amen dico vobis quia omne verbum otioſum quodcúmque locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Ipſi gloria, in ſæcula, Amen.

Ἀργολογία, unde naſcatur.

τοῦ κυρίου ἐντολή. Matth. 12. 36.

Quænam dicantur otioſa verba.

Colloquia immodica, ſunt fugienda.

Eccleſ. 10.

Prou. 20.

Iob 13.

Epheſ. 4. λόγος σαπρὸς, i. marcidus, vitioſus.

Matth. 12.

De otio.

De otio. HOMILIA XXXIIII.

Rervm alienarum ſatagere curioſiùs, & quæ ſuperuacanea ſunt nec vllius frugis moliri; prorſus diſſentaneum videtur, nec conuenire ei qui Deo contendit quàm maximè eſſe gratioſus. Qui enim vitæ ſanctimoniam profiteri vult atque mundiciam, necesse ſit perpeti tenore vitam instituat ſuam: hoc eſt, ſibi vt attendat, Deóque quàm proxime poteſt congrediatur omni cum tranquillitate, nec iſtis externis occupata cogitatione, affectu item ſimplici. Sic enim gratia Spiritus ſancti opulentiore is perfunditur. Scriptum námq; eſt in Prouerbijs: *Profundiora te, ne ſcruteris: & fortiora te ne exquiras; quæ autem præcepta ſunt tibi, illa cogita: non enim neceſſe eſt tibi, vt quæ occulta ſunt videas oculis.* Rurſus: *Mulge lac, & erit butyrum, ſi autem expreſſeris nares, exibit ſanguis; quod ſi elicueris ſermones, exibunt iudicia & pugnæ. In pluribus operibus tuis curioſus, ne ſis, ſcientiam autem rerum innumerabilium ne promitte; Pupillas enim oculorum qui non habet, priuabitur lumine.* Sed & Petrus: *hoc primum ſcientes quod venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes & dicentes: Vbi eſt promiſſio aduentus eius?* Et infert: *Propter quod (chariſſimi) ſatagite immaculati & inuiolati ei inueniri; & Domini longanimitatem, ſalutem arbitramini.* Similem in modum Paulus Apoſtolus per Epiſtolam ait: *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui & ſeductores quos oportet redargui: qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet.* Alio item loco: *Etenim quando eramus apud vos; hoc denunciabamus, quia ſi quis non vult operari, nec manducet; Audimus enim quoſdam inter vos ambulantes inordinatè, nihil operantes ſed curioſe agentes.* Sed & hypocritæ atque curioſuli illi Pharisæi Dominum adierunt, dicentes: *quid tibi videtur; licet cenſum dare Cæſari, an non?* Dabimus, an non dabimus? At Dominus, illorum ſuperfluam & curioſam hypocriſin merito dedecore aſpergens, reſpondit: *quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus; illi autem protulerunt ei denarium, & ait illis: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. dicit eis: reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Iſti ſe illinc proripuerunt ingenti cum dedecore: Curioſum enim, confuſio circumuelat & operit. Benigno & clementi Deo noſtro gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Autocloriros acolos aauto προσίγρ Pharisæum. — *καὶ ἔσται βούτυρος Prou. 30.* — *2. Petr. 3.* — *Tit. 1.* — *ἐπιστομίζειν obturare, occludere.* — *2. Theſſ. 3.* — *Matth. 22.* — *νόμισμα.*

De Contemptu. HOMILIA XXXV.

Nihil non contemptim faſtidire & aſpernari, non mediocre eſt peccatum; in his maximè qui Deo quærunt adhæreſcere propiùs. Ne igitur vltro nos ipſos dedamus ceù vilia mancipia iſti ignauiæ & aliorum contemptui; vt ne in imprecationem incidamus Hieremiæ dicentis: *Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter.* Etenim ordinem habent omnia; iuxta Apoſtoli doctrinam, dicentis: *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant.* Ozias ille, Nunquid non inſolens quiddam ac indecorum molitus eſt, Deo dum adolet incenſum? Saül dum immolat; regiæ majeſtatis gradu deturbari promeruit. Non igitur mediocri circumſpectione opus; ſibi vt quiſque attendat, nec quicquam ſupra vinculas proprias ſecum conſtituat aggredi, nequando illud Abacuch in ſe audiat detorqueri: *Arrogans & contemptor, inſolens & ſuperbus, nihil ad finem vſque perducet.* Alio item loco: *Viuo ego, dicit Dominus, niſi glorificantes glorificabo: qui autem contemnit me, erit ignobilis.* Parœmiaſtes: Qui rem qualemcúmque contemnit, contemnetur ab ea: qui autem veretur prætergredi mandatum, ſanus eſt. Michæas item. Filius glorificat patrem, & ſeruus Dominum ſuum. Quod ſi Pater ego ſum, vbi eſt gloria mea? Et; Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Eodem ſpectat illud Dauidis, Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius. Petrus quoque, Iam tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei. Quod ſi à nobis primum, quis finis eorum, qui non credunt? Et ſi iuſtus vix ſaluatur, impius & peccator vbi parebunt? Paulus Corinthijs, propter hoc inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi. Si enim nos ipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum autem iudicaremur, à Domino corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur. Rurſus, Dies Domini tanquam fur in nocte, ita veniet. Quum autem dixerint, Pax & ſecuritas: tunc repentinus ſuperueniet eis interitus. Sed & alius, Ne dixeris, quia miſeratio Domini multa, multitudini peccatorum meorum propitiabitur. Miſericordia & ira apud eum ſunt. Iterum ne tardas conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Secundum multitudinẽ miſericordiæ eius: ita & increpatio ipſius. Virum ſecundum opera iudicat Ezechiel. Si auerſus fuerit iuſtus à *iuſtitia ſua*, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur, in peccato ſuo morietur. Vnumquemque iuxta viam ſuam in quá inuenero eum, iudicabo dicit Dominus. Paulus item, Itaque ne dormiamus, ſed vigilemus & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt. Indocit. Sicut filij lucis ambulate, redimentes tempus quia dies mali ſunt. Sed & Dominus vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quia ſi ſciret pater-familias qua vigilia fur veniret, vigilaret vtique & non ſineret perfodi domum ſuam. Quapropter & vos eſtote parati, qua hora non putatis, filius hominis veniet. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Hier. 48. — *κατὰ τάξιν.* — *2. Reg. 2.* — *Die Malachias.* — *Malach. 1.* — *1. Petr. 4.* — *Ezech. 18.*

De Pigritia. HOMILIA XXXVI.

Pigritia coniuncta nequitiæ eſt & affinis. Serue nequam & piger, ait Dominus. Quum itaque robur abunde ſuppeditet Dominus, vireſque ſuggerat: nullam re ipſa oſtentemus alacritatem animi atq; à nobis porrò expugnamus omnimodam cunctationem ſiue pigritiam, inque veraci vinea impigrè operemur per exactam mandatorum Domini obſeruationem, tanquam ingenui ac legitimi filij, non item vt ſerui improbi ſiue vt operarij mercenarij, qui pietatem aliud eſſe nihil promittũt quàm quæſtum, ſuo interim ſeruientes ventri, per ſuaues ſermones & benedictiones dum decipiunt corda innocentium. Ne iuxta Pauli doctrinam, abutamur Chriſti nomine, quaſi in nundinis negociantes; néve ad congerendam pecuniam ſimus authores, & operarij doloſi transfigurantes nos in miniſtros lucis, cum interim opere ipſo ſimus tenebræ: quin potiùs dignè vocatione conuerſemur & profeſſione hac noſtra, ſanctè viuentes, iuſtè, & piè, prouidentes bona nõ ſolum coram Domino, ſed coram coram hominibus (hoc enim iuſtum) vt glorificetur Deus in omnibus. Excutiamus à nobis quam longiſſimè, lentorem animi. Vt fideles ſerui, diem præſtolemur aduentus Domini noſtri: quo die cœli ſoluentur, terra autem efferueſcet, & euomet eos qui à condito primum orbe obdormierint. Montes atque arida omnis obſtupeſcent à facie eius. Quum venerit iudex cum nubibus, tunc vniuerſa corripiet tremor, & cœlorum virtutes mouebuntur. Multa etenim valde ſeries eſt caſtrorum eius; quia fortia opera, quæ ſolo verbo eius fient in conſummatione & communione, via eius, & nubes pedum eius. Interminatur mari, & exiccat illud. Adueniet enim Dominus cum furore ſuo, quaſi ignis, & quaſi tempeſtas inundans currus. Ignis præcedet faciem eius. Qui comperientur ſtrenui fuiſſe & impigri in operibus bonis ad vitam emigrabunt æternam: contra, qui deprehendentur pigro lentore intepuiſſe ac flagitioſè vixiſſe: ad ſupplicium æternum rapientur. Et quidem viſuri ſunt horrendum illud ac formidabile iudicis tribunal; vbi & ſedes in hoc iudicium apparatæ conſpicientur. Ignis proinde fluminis in morem præterfluens in conſpectu iudicis tanti. Libri inſuper aperti; hinc, omnibus palam fient hominum actiones & per-

2. Cor. 11.

Digitized by Google

ſpicuæ. Quare diei illius ſedulò memores: ne, quæſo lenteſcamus; ne cunctemur ea explere quæ ad areptum vitæ iſtius propoſitum attinent: neque temporarijs his tanquam æternis mentem affigamus. Docet hoc nos

Prou. 12.

Parœmiaſtes: *Si impiger fueris, veniet quaſi fons meſſis tua; egeſtas autem tanquam vir malus, fugiet à te.* Rurſum: *qui operatur terram ſuam, implebitur panibus, qui verò ſectatur otium replebitur paupertate.* Iterum: *In pigritia humiliabitur contignatio & in otio manuum ingemiſcet domus.* Rurſus: *Paupertas virum humiliat, manus autem fortium diteſcent.*

σταξει forte ςαξει perſtillabit.

Iterum: *Deſideria occidunt pigrum; non enim volunt manus eius quicquam operari.* Itémque: *vade ad formicam ô piger, & imitare vias eius, & illa ſapientior.* Illa enim cum ei non ſuppetat vlla agricolatio, neque habens qui ſe eò laboris adigat, parat meſſis tempore cibum. Iterum: *Perge ad apiculam ô piger & diſce quàm hæc ſolerter ac ſtrenuè operetur.* Opus facit ſanequam mundiciæ & honeſtatis pleuum; cuius labores reges iuxta ac idiotæ adhibent tuendæ ſanitati. Item: *Vſquequo piger dormies? quando de ſomno expergiſceris? poſteà adueniet tibi paupertas, & egeſtas tanquam bonus curſor.* Ieremias quoque: *Dormiuimus in confuſione noſtra, & operuit nos ignominia noſtra; Væ nobis quia miſeri facti ſumus!*

Eccleſ. 22. mirè variant exemplaria Græca.

Alius item: Lapidi polluto exæquatus eſt piger, & omnis exhibilabit ſuper ignominia eius. Iterum: *Piger etſi opprobrijs oppetitur, nihil tamen ſuppudeſcit: Boum enim ſtercori comparatus eſt piger.* Toto igitur conatu, fratres, ſubmoueamus nos ab hac inerti ſocordia atque otio, ne nos illo regno priuet, inque gehennam ignis agat præcipites ac deturbet. Audiamus Apoſtoli conſilium, dicentis; *Sollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.*

Rom. 12.

Dauid quoque hunc in modum concinentem auſcultemus: *Benedictus Dominus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Terrorem nobis incutiat ſerui illius exemplum, qui ſibi creditum talentum infodit humo & occuluit, nequando audire contingat à noſtræ omnium vindice ſalutis, *Serue male & piger.* Et: *tollite ab eo talentum.* Et: *hunc inutilem ſeruum eycite in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Matth. 25.

Feſtinemus pro virili, aliquando vt audire contingat; *Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui:* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Aduerſus optimates & præfectos non eſſe contendendum.

HOMILIA XXXVII.

DIVINIS literis erudimur, ne cum eo qui publica fungitur authoritate, velitatibus verbis aut litibus conflictemur. Eiuſmodi enim contentioſa velitatio cum potente quopiam adeò nihil adfert commodi, vt incommodet plurimùm. Inidonei enim nos nec ſufficientes qui cauſam iudicio experiamur cum incomparabiliter nobis eminentiore. Vt enim piſces qui iam adoleuerunt iuſta corporis magnitudine, ex inſidijs imminent nondum per ætatem adultis; quò illos parent in ſuam alimoniam: ita & iſti primores ac magiſtratus nullo ſuo negotio iniurij & ſunt in imbelles & opprimunt, qui ſi quid obtinuerint, indemne illis dedit & impune; neque hinc quicquam ſentiunt doloris adeò vt cum rapto viuant, rapinam à pauperibus vi extortam, ſuam deputent venationem: neque enim ſecum reputare norunt, vita hęc quam ſit incerta. Vtique ſi noſſent; nunquam ſuperuacaneæ iſti ſuæ copiæ fuerant adiecturi indigorum inopumve penuriam! In hoc ſtudia locant ſua, vt Apoſtolico illi mandato authoritatem detrahant & abrogent!

Magiſtratus rapinam putant ſuam venationē quia non meminerunt mortis.

2. Cor. 8.

Veſtra abundantia pauperum ſuppleat inopiam. Rectè igitur diuina nos admonet ſcriptura; iſtorum congreſſum vt vitemus: dicit enim; *ne te extendas vſque ad diuitem, pauper cum ſis.* Diues enim quempiam ſi iniuria affeci, interminatur ac frendet ira, pauper verò iniuriam ſi ſuſtinuit, inſuper & minis deterretur. *Quid enim* (ait Scriptura) *communicabit olla ad cacabum? Ipſa vtique impinget, & eadem*
A *conteretur.* Et: *ne comederis cum eo offulam tuam; euomet enim illam, & diſperdet ſermones tuos bonos.* De his, & Amos Propheta: *pugnis tundebant capita pauperum, & viam humilium declinauerunt. Vinum calumniantium bibebant.* Pulchrè & doctor Gentium Apoſtolus, Corinthijs ſcribens: *Vt quid non magis fraudem patimini? quare non magis iniuriam accipitis? ſed vos iniuriam facitis & fraudatis; & hoc fratribus.* Inducit: *omnino dictum eſt inter vos: An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?* Dominus item de Scribis & Phariſæis ait: *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem nolunt ea mouere,* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Amos 5.

1. Cor. 6.

De Inobedientia. HOMILIA XXXVIII.

B QVEMADMODVM vitam obedientia; ita & inobedientia, efficaciter mortem operatur. Meo huic ſermoni teſtimonium facilè reddit homo is qui primus Dei manu formatus eſt. Dum enim ſui opificis mandato geſſit morem, neutiquam ligni vitalis priuatus eſt vſu: contrà; à paradiſi amœnitate in hanc complorationis ac miſeriæ vallem, per inobedientiam relegatus; ſe ſuamque poſteritatem æternæ addixit morti. Audiuit enim: *Terra es & in terram ibis.* Sed & Iudæi profecti ex Ægypto, quorum cadauera in eremo proſtrata ſunt, *non exaudierunt vocem Domini, & in lege eius noluerunt ambulare.* Dei enim mandato iubebantur ſinguli quique vno quoque die Manna vt veſcerentur, nec quicquam ex eo relinque-

Obedientia vitam, inobedientia mortē operatur.

Exod. 16.

C rent in craſtinum. Cúmque iſtorum nonnulli in alterum diluculum ſibi ſepoſuiſſent; pro Manna reportarunt vermes, iique in putrilaginem ſunt verſi: id quod in ignominiam atque dedecus iſtorum ceſſit male morigerorum, perinde atque diceres: ſola eſt inobedientia author Mannæ in vermes degenerantis, & odoris iſtius grauiter ſpirantis, priùs enim, nihil dum tale contigiſſe conſpicitur: Ob hoc enim iuxta regium Pſalten, nomenclaturã promeruit angelicæ alimoniæ: *Panem* enim *Angelorum manducauit homo.* Filij proinde Heli, Ophni & Phinees quòd patris ſui vocem exaudire noluerint, vnà cum filijs Iſraël in acie gladij conciderunt Domino vindice; qui & Arcam in manus tradidit alienigenarum. Ad hanc exemplarem formulam diuinæ vltionis

Sub Coſdro tyranno.

D nunc nobis quoque contigit. Circumcirca Ieruſalem, populum in ore gladij Chaldæi ceciderunt, nec eſt qui ſepeliat: Crucem verò Syri velut in coloniam ſecum exportarunt: Conſimilem in modum Saül Dei mandatum veteratoria atque ſubdola interpretatione eludens; mente mota væſanire cœpit atque excidit regno, ac demum miſerabili concidit morte; tametſi hunc Propheta Samuel multo tempore lugeret, próque ſalute eius venerabundus ac ſupplex precaretur, adeò nihil iuuit, vt audierit tandem illud voce Prophetica; *melior eſt obedientia, quàm victima, & auſcultatio præ adipe arietum.* Hæc ſanè diuina continet ſcriptura. Diſcipulus proinde male audiens dicto ſuperioris, perinde ac lignum obtortum & obliquè interuerſum, tametſi continenter arguatur,

1. Reg. cap. 15.

E ne ſic quidem vnquam ſe ad rectitudinem recipiet. Frater amans diſcordiæ & litis vt lenis ventus ſed ſtridulus ac diſſonus, ſuo illo diſcordi ſtridore concordem aliorum in commune vitiat ac perdit concentum. Vtq; fucus labores ac induſtriam argumentoſæ apis exedit ac depaſcitur, ita & frater ſegni otio lenteſcens, totius congregationis operationem alioqui efficacem reddet inutilem. Vt miles ignauus ac timidulus manus commilitonum diſſoluit atque eneruat, ita Monachus ſecurus curæ omnis & iners fratrum alacritatem emollit. Tot ac tantis eruditi exemplis timeamus, chariſſimi, ac vitemus iſtius inobedientiæ perniciem, ne cum iſtis qui ætatem noſtram anteuerterunt, damnemur. Quid enim ad te reſiliet emolumenti; ſi virginitatem indelibatam quidem conſeruaſti corporis, at animam dæmoni per inobe-

Diſcordiarū amantes quales ſint.

inobedientiam proſtituiſti? Aut qua fronte ſperes te donatum iri corona, qui ventris ingluuiem & reliquam omnem concupiſcentiam temperantiæ freno ſuppreſſiſti, vni autem ſuperbiæ & ambitioni ex animo deturbandæ nullam impendiſti diligentiam? Dicit Parœmiaſtes: *Filius ſolers obedit patri ſuo; filius autem inobediens in perditione erit.* Rurſus: *quia vocaui & non obediuiſtis; ſed irrita feciſtis conſilia mea: igitur & veſtra perditioni inſultabo; erit enim quando inuocabitis me, ego autem non exaudiam; quærent me mali, nec inuenient, quia timorem Domini noluerunt, comedent igitur fructus viæ ſuæ.* Iterum: *Ne impie egeris multum, & ne ſis durus, vt ne moriaris in tempore non tuo.* Rurſum: *qui declinat aurem ne audiat legem, ipſe quoque in oratione ſua execrabilis.* Alius: *qui renuit cuſtodire diſciplinam patris ſui, excogitabit locutiones malas.* Et, *ſeminans peruerſa, mete mala: Iucunditas enim occurret mors.* Ieremias: *conuertimini ad me, dicit Dominus, & non erat qui audiret vos.* Apoſtolus: *ſi quis non obedit nobis per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini illi, vt confundatur.* Item ad Titum: *Sunt multi inobedientes, loquentes vana, & ſeductores, quos oportet redargui.* Ad Hebræos: *abundantius autem oportet attendere nos, ne forte præter effluamus.* Ab hac igitur inobedientia quæ præſentaneam adfert mortem ſui ſtudioſis, quàm longiſſimè nos auocemus, Chariſſimi & ſpiritualium Patrum hortamenta conſectemur in omnibus morigeri & obedientes, vt illud à Domino audiamus: *qui audit vos, & me audit; qui accipit vos, accipit eum qui me miſit.* Ipſi gloria, in ſæcula, Amen.

Prou. 1.

Prou. 28.

De Obedientia. HOMILIA XXXIX.

QVi ſyncero affectu per omnia ſpiritualium Patrum monitiones ſectatur & obedit; nihil non eorum quæ per ſe facit, ad Dei transſcribit gloriam; & illi vni quicquid laude cum primis dignum magna animi contentione conficere potuerit, multa cum alacritate conſecrat. Vir planè obediens, tametſi in vita præſenti eſt; attamen ita conuerſatur tanquam à mundo extorris & exoticus: Propriam enim voluntatem renunciando cum à ſe excuſſerit; eam perficit liberiùs quæ Domini eſt. Atqui talis in numerum tranſit Chriſti confeſſorum: nec id aſſequitur ſolum, ſed & quod reliquum illi eſt temporis ſui incolatus prorſus viuit curæ omnis liber. Ad hæc, opere ipſo, ſedulum ſe probat Domini imitatorē: Ipſe enim *factus eſt obediens ad mortem, mortem autem crucis.* Sane obedientia eſt, quia quis perſuadetur & obedit citra vllam dijudicationem; adeò vt quòd ſuperioris imperio imponitur, iucundus quis & alacer non item turbulentus expleat. Obedientia renunciatio propriæ eſt voluntatis, nulla non ſui parte perfecta; quæ ſolo moderatoris ſui annutu ad quiduis operandum nihil turbulente mouetur. Ad explenda opere mandata; Obedientia primum ſortitur locum. Inter eas virtutes quæ hominem velut manuducunt & inſtituunt ad pietatem, quiddam egregium in ſe complecti perſpicitur obedientia. Hæc ſtultam illam ſui exiſtimationem ſiue arrogantiam aſpernatur: Inte quidem; patens modeſtiæ cùm ſit atque humilitatis. Principium enim diuinæ eſt dilectionis: vnde & & Dominus iuxta rationem diſpēſationis vſque ad crucem & mortem Patri ſuo obediuit, in hoc, vt eos quos comperiet in hac vita inoffenſum obedientiæ tenuiſſe callem, ad æternā illam reueheat vitam. Quis non talem demiretur ac beatum prædicet? Quin potiùs: quin non hanc admirabilis vitæ rationem ſtudeat æmulari? Voluntatem propriam à te exſcindere, perinde eſt ac ſi proprium fundas ſanguinem; ſed & hæc homini imputatur pro victima. Functio hæc hoc munus viri planè eſt & prudentis & perfecti: Id quod clariſſimè docet nos Eſaias dicens: *Si non feceris voluntatem tuam in die ſancto, & non extuleris pedem tuum ad opus, neque locutus fueris verbum in ira, eris fiduciam habens in Domino, & eibabit te bonis terræ.* Salomon item: *Filius fui & ego patri obediens, & dilectus in conſpectu matris meæ, qui docebant me dicentes, confirmetur ſermo noſter in corde tuo.* Alius inſuper: *qui cuſtodit mandatum, conſeruat animam ſuam, qui autem negligit vias ſuas, morietur.* Rurſus: *Beatus vir qui timet omnia per circumſpectionem; qui enim cuſtodit mandatum, non ſentiet quicquam mali.* Proinde Petrus per Epiſtolam dicit: *ſubiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum.* Et: *famuli ſubiecti in omni loco, dominis non ſolum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Similem in modum Paulus: *Filij obedite parentibus.* Et: *Serui obedite carnalibus dominis veſtris, non ad oculum ſeruientes quaſi placentes hominibus, ſed in timore Dei.* Alio item loco: *Propter hoc ſcripſi vobis, vt intelligatis probationem veſtram, ſi in omnibus obedientes eſtis.* Rurſus: *Veſtra enim obedientia, ad omnes peruenit.* Et de Domino: *Et quidem cum eſſet Filius: didicit ex ijs quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Dominus denique ait: *deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me, Patris:* cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Obediens tranſit in numerum confeſſorum.

Philip. 2.

Obedientiæ definitio.

Chriſtus obedijt Patri, vt exemplo eſſet nobis.

Obedientia, æqualis eſt martyrio.

Eſa 58.

ἐργῶν, lege, ὀργῇ.

Prou. 4.

κατὰ πλάσιν, lege, κατὰ σίον.

τοῖς πάσιν lege, φόβοις, in more.

Coloſſ. 3.

Hebr. 5.

De Calumnia. HOMILIA XL.

PERVICAX & perplexa eſt affectio hæc calumniæ: veriùs dixerim eſſe diabolicam, ſecundùm id quod de ea in Pſalmis dictum eſt, *Humiliabit calumniatorem.* Tales nemini conciliantur, infidi cùm ſint; & per hoc, Deo inuiſi maximè. Illorum accenſendi ſunt conſortio, participio, nec diſpari hæreditati, qui veritatem ipſam perfidiſſimè prodiderunt, denique cruci affixērunt; hoc eſt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ipſe enim dixit: *Ego ſum veritas & vita.* Cauet enim lex ne vnus & ſolus conſiſtat teſtis, ad perhibendum teſtimonium aduerſus peccatum omne quo quis peccauit. *In ore* (ait) *duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* Sed & Saul, præceptum hoc cum veluti obiecto cubito à ſe fuiſſet amolitus ac repudiaſſet, ad vnius ſycophantæ Doech Syri teſtimonium, trecentum ſacerdotes Domini peremit: Rurſus edicto cauet, ne quis proximo ſuo faciat calumniam. Parœmiaſtes item; *qui calumniatur pauperem, exacerbat eum qui fecit illum.* Inducit: *Gloria eſt viro qui auertit ſe a conuitijs: qui autē imprudens eſt immiſcebitur his.* Dauid: *mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia dolos cogitabant.* Idem ſupplex orat eximi ſiue redimi à calumnijs hominum atque hinc promiſſo obſtringit ſe ad cuſtodiam mandatorum Dei. Rurſum: *protege me à conuentu malignantium, qui quidem exacuerunt vt gladium linguas ſuas.* Inducit: *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum; neque eſt in ore eius dolus.* Alius: qui calumniam ſtruit pauperi, aggrauat ſua ipſius peccata. Parœmiaſtes: *qui ad impietatem fortis eſt, calumniatur pauperes.* Iterum: *Leo eſuriens, & lupus ſitiens;* qui cum ſit pauper, tyrannide premit gentem pauperculorum. Et: Rex indigens prouentuum, magnus eſt calomniator. Et: *qui fodit foueam proximo, incidet in eam.* Eccleſiaſtes: *Conuerti ego me, & vidi vniuerſas calumnias quæ fiunt ſub ſole; & ecce lachryma eorum qui opprimuntur calumnijs, & non eſt qui conſoletur eos.* Rurſus: *circumagit ac perturbat ſapientem & perdit generoſitatem eius,* Dominus autem *ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Præmuniamus igitur nos ipſos, fratres mei, aduerſus calumniam, nulla non ſui parte peſtilentem ac pernicioſam; eorum atroci ſupplicio exterriti, qui ambitioſiore ſtudio eam excoluerunt. Aduerſum hanc melicum illud & perquam ſuaue Pauli verbum cum eodem cantilemus: *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramur, tanquam purgamenta mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc:* vt ne cum Iudæis qui Chriſtum infenſo atq; hoſtili oderant animo; compari mulctemur damnatione. Iſti ad Pilatum cùm veniſſent; exerta voce aduerſus Dominum, dicebant: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem, & prohibentem tributa dare Cæſari, dicentem ſe Chriſtum regem eſſe:* Ipſe autem vt agnus innocens, longanimi tolerantia cuncta perferebat. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

1. Reg. 22.

δωήλ, dic Doech.

Prou. 22.

Pſal. 118.

Prou. 28.

ἔθνος πτωχῶν.

Eccleſ. 4.

1. Cor 4.

περίψημα.

De Furto. Homilia XLI.

Latrocinium auſpiciis, ſiue omnia.

DÆMON hic improbandi furti reprobus artifex primùm quidem à vilibus & exiguis rebus auſpicium ſumit ſuæ artis: Atqui temporis progreſſu ad magna ſenſim prouehitur, ac tandem in difficillima quæque deſinit. Eorum enim quæ fiunt vnumquodque, à minimo ſuum capit exordium: Vbi autem ea res ſumpta paulatim alimonia adoleuerit, grandeſcit iam quotidiana acceſſione. Malitiæ enim iſtius deploratiſſima ars, rete quoddam eſt miris technis implexum & inuolutum: qui aliquo vſque ſe iam ſiuit hoc implicari laqueo, ſi quidem cunctetur & negligat his tricis explicare ſe & euoluere, omni mox ex parte adſtringitur. Dum enim extenuat furti grauitatem, ſecum admurmurat tacitus: parua ſunt hæc, nihil

B

hæc ſunt, non eſt peccatum: ac ita deinceps inualeſcēte cōſuetudine, gangrenæ in morem, in vlcus fœdiſſimum proſerpere inuenitur. Conſuetudo enim (ait ille) altera eſt natura. Ecquis tandem ab hac furandi conſuetudine, quantiſcumque laboribus eximitur & emancipatur: vel ſemel ab ea edomitus? ni forſan, is non perfunctoriè ac nullo remorante pudore Chriſti Domini ſupplex procidat pedibus, per orationem, ieiunium, & eleemoſynam, exerta voce dicens, Ieſo: Tu mî Domine, libera (quæſo) me, vt olim liberaſti latronem vna tecum cruci affixum, Leuitoſuper & Zacchæum publicanos! Neceſſe proinde ſit, hunc talem, ad Dominum lachrymas præmittere & offerre: etenim lachrymæ illi perquam acceptæ ſunt. Simul enim Deus vt iſtius videt pœnitentiam, bonam mox aſpirat cordi cogitationem, vt ne in

Melioma ſpiritualis contra furandi conſuetudinem.

διακηπμασύνας, per inopiam forte δεημοσύνης.

C

poſterum quicquam male concupiſcat eorum quæ in peculio ſunt proximi. Quiſquis igitur, ab hac exlege & iniqua operatione nō magno admodum negotio cupit emancipari & liberari perfrui; ſanè is per eleemoſynam & frugalitatem ſiue parſimoniam victus, per orationem & futurorum ſpem neutrobi vacillantem; facilè voti fiet compos. Qui enim ſeruat legem, vtique ab eo protegitur & ſeruatur qui ſanxit legem; Chriſto. Ne igitur (chariſſimi) cunctemur ab hoc per ſe pudendo & ignominioſo dedecore, quàm ociſſimè emancipari. Hæc enim animi ægritudo inſidens animo ſemel, ab eo ægerrimè ſe ſinit auelli; cùm fur credat aliena cupiditatem ſuppillare, rem eſſe magnopere expetendam ac dele-

D

ctabilem: inde fit, vt cùm videtur, non ſua venatorum more conſectari; quæ ſui ſunt iuris perdat miſer. Furto mendacium atque calumnia pari iugo confœderantur: Siquidem lex ait; *non furtum facies, non mentieris, non calumniaberis proximum tuum.* Achar ille ſancitæ legis iſtius ac mandati præuaricator factus; furatus eſt ex anathemate induere palliū & linguam auream & ducentas didrachmas; atque ob hoc peccatum perierat populus, niſi Ioſue famulus Domini ad Deum ſupplex exclamaſſet. At hic ſui tum ſuum prodidit Ioſue, qui & dixit *vt quid turbaſti nos? exturbet te Dominus.* Ecquem recepit fructum de furto præuaricationis? Cum vniuerſo ſiquidem peculio ipſe intercidit; ac mortuus eſt, à populo appetitus lapidibus! Zacharias Propheta, de eiuſmodi: *Et ingre-*

Exod. 20.

Αχαρ, dic, Achan.

Ioſue 7.

γλῶσσαν χρυσῆν.

Arbitror, εἰς, & pro vacare legendum.

Zach. 5.

ὀμνύοντος ἐπιόρκως.

Fur, iuramēto fulcit ſe.

E

dietur maledictio in domum furis & in domum iurantis, & euerſo fiet in medio domus illorum. Habet enim fur iuramentum quo ſe fulcit ac firmat. Itaque furtum omne anathema eſt. Parœmiaſtes: *ad vias impiorum ne acceſſeris, ſed declina ab eis & diſcede.* Sanè, impietatis eſt ſibi vendicare quæ alieni ſunt iuris. Si enim iſti recta ingreſſi fuiſſent; nimirum inueniſſent ſemitas iuſtitiæ. Iure igitur admonet Paulus: *ne dederitis locum diabolo, qui furabatur, iam ne furetur, magis autem laboret operans ſuis manibus quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem habenti.* Rurſus: *nouit Dominus qui ſunt eius*: &; *abſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*: Et infert; *ſi quis igitur ſe emundauerit ab his, erit vas in honorem ſanctificatum.* Per epiſtolam iubet & Tito, *Seruis vt ſint dominis ſuis ſubiecti*, vtque in omnibus ſint grati, non item contradicentes, non furantes; ſed vt

Epheſ. 4.

Act. 5.

A

omnem fidem demonſtrent bonam. Si enim qui ex prædijs proprijs ſuppilarunt, talem reportarunt ex furto exitum (Ananiam dico & Sapphiram, vt in Apoſtolicorum actuum hiſtoria proditum eſt) quantò atrocius illos manet ſupplicium, qui ex alieno compilant & arrodunt peculio? Eiuſmodi enim furtiua compilatio parata eſt conſilij qua ab ipſa deficias veritate, magis autē author Dominicæ proditionis. Scriptum quippe eſt in Ioannis Euangelio: *dixit igitur vnus ex diſcipulis ipſius Iudas Simonis ille Iſcariotes; Vt quid vnguentum iſtud non venijt trecentis denarijs, & datum eſt pauperibus? dixit autem hoc; non quia de pauperibus cura illi erat, ſed quia fur erat & loculos habebat, & ea quæ mittebantur exportabat*: Dominus autem nihil non perferebat longanimiter. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ioan. 12.

B

De Mendacio. Homilia XLII.

MENDACIVM prorſus interdictum Chriſtianis eſt. Vt enim vera qui loquitur verbi veritatis, ſe nihil obſcurè declarat eſſe ſeruum: ita qui ore nihil dubitat mendacia depromere, mancipem ſe eſſe demonſtrat verbi mendacis, magis verò patris mendacis: *a quo enim quis victus eſt, huic & in ſeruitutem redigitur*, ait Petrus. Sunt enim inter animæ vitioſas affectiones pleræque aliæ, quas vel ipſo naturæ ſenſu deprehendimus eſſe peccata: mendacium autem, vbi aſſiduitate occalluit atque indurtuit, ne vnus quidem intelligit, quam ſit hæc animi ægritudo moleſta; imò exitialis. Prorſus ſanctione diuinæ Scripturæ interdi-

1. Petr. 2.

Mendacium quàm lethale ſit, ne vnus quidem intelligit.

C

cimur mendacio. Eſt enim cæteris perturbationibus animæ non paulò plus adferens moleſtiæ atque periculi. *Ego* enim *ſum* (ait Dominus) *veritas & vita*: adeò ſe inquinat ac defœdat quiſquis patris diaboli perſuaſione falſum ſibi arrogat nomen: res enim ipſa luculenter docet mendacium à malo proficiſci. Qui igitur veritatem diligit; nihil obſcure, hic Dominum & diligit. Lex illa prior edicto cauet, ne quis aduerſus proximum falſum dicat teſtimonium eademque iubet, verbum omne iniquum vt auerſere. Sed & ſapientia: *Os quod mentitur, occidit* animam: rurſus; *ne exares & concinnes mendacium aduerſus fratrem tuum, & ne velis mentiri omne mendacium; aſſiduitas enim eius non cedit bonum.* Rurſus: *accendit mendacium teſtis iniquus*, mittit accuſationes in

Sap. 1.

Eccleſ. 7.

D

medium fratrum. Eſaias item de illo nunquam non mendaci populo ad hanc loquitur formulam: *Propter malitiam labiorum, per linguam alteram.* Rurſus: *& poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Sed & Hieremias *quia mendacium & non fides inualuit ſuper terram.* Dauid quoque: *Filij alieni inueterati ſunt & claudicauerunt à ſemitis ſuis.* Siquidem qui alieni à veritate ſunt vtique claudicant, nempe à rectitudine viæ (quæ Chriſtus eſt) tranſuerſi ac detorti: *Ego* enim *via ſum & veritas*, ait Dominus. Et illud; *Inimici Domini mentiti ſunt ei.* Quapropter odio habet omnes qui operantur iniquitatem, Et: *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et: *quia mentita eſt iniquitas ſibi: labia enim doloſa in corde & in*

Pend. e ſententia.

Deſit hic, filij alieni mentiti ſunt mihi.

Pſal. 5.

E

corde locuta ſunt mendacium. Quin ſapientiſſimus Salomon Deo ait; *Duo ſunt quæ peto, ne deneges ſiue auferas à me priuſquam moriar: ſermonem vanum ac mendacem longè fac à me. Abominatio* enim *apud Dominum labia mendacia: qui autem fidelis eſt, acceptus eſt apud Deum.* Et; *qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos; mendax* enim *lingua odit veritatem.* Et: teſtis mendax non erit impunitus; qui autem defert iniuſtè, non ſaluabitur. Et: Teſtis mendax, peribit; *vir autem obediens qui ſibi cauet, loquetur veritatem.* Et: *ne ſis teſtis mendax aduerſus conciuem tuum*, hoc eſt, aduerſus confidelem; *& ne delateris labijs tuis.* Alius item: *Reprehenſio mala, mendacium in homine, qui autem fidelis eſt teſtis, non mentitur.* Item: *Innocens credit omni verbo, veteratorem autem & aſtutum pœnitebit.* Et: *non conueniunt ſtulto labia fidelia; neque iuſto verba mendacia.* Inducit: *eligibilius quid eſt fur, quam qui aſſiduè mentitur.*

Prou. 30.

Deut. 19.

Apoſtolus

Digitized by Google

Epheſ. 4.

Apoſtolus item Paulus: *Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* In actibus quoque Petrus Ananiæ dixit: *Vt quid impleuit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri?* Inducit: *non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Iacobus: Cùm amarum zelum habeatis in cordibus veſtris; nolite gloriari & mentiri aduerſus veritatem. Sed & Dominus, de Antichriſto: *Quum enim loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & & pater eius.* Audita igitur (chariſſimi) diabolici mendacij vituperabili malignitate; quàm longiſſimè ab illo ſecedamus: ad complexum verò veritatis ſtudio omni contendamus pertingere; qui Chriſtus eſt Deus noſter verus. Ipſi gloria, in ſæcula, Amen.

Ioan. 8.

De inani gloria. HOMILIA XLIII.

B

VANIGLORIUS, re ipſa declarat exoſam ſe habere Dei gloriam: ab hominibus enim laudes captat ac venatur pérquam ſuauiter. Hinc ad eas ſecum ambitioſius ſubſultat ac prægeſtit glorioſius quàm vel coëpulonum quantuſlibet cœtus. Talis vt humani fauoris captator iudicatur, ab hominibus enim ſibi exhibitam gloriam, præ gloria Dei diligit, iuxta Euangeliſtam Ioannem. Sanè vt ſunt hominibus apparata bona per afflictionum tolerantiam, ita & per inanem gloriam atque illecebram voluptatis conciliantur mala. Radix proinde obſcœnæ ac turpis cōcupiſcentiæ eſt ex hominibus aucupari laudem; non quidem ipſo ſtatim articulo tentationis, ſed tunc quum exceptas illam & pérquā ſuauiter admittis. Planè malitiæ omnis artifex vana eſt gloria, ſimul & voluptas. Affectio proinde ambitioſior gloriæ iſtius inanis; quàm eſt multiformis? quàm eſt malum ſubtile? Adeò enim nequit plane internoſci, vt ne ab eo vel qui tentatur, deprehendi facile poſſint impreſſiones illius ſic inſidioſæ. Attamen quæ aduerſum ſe inſtrui bellum, initio ipſo nouit anima: eiuſmodi incurſus à ſe facilè remolitur ac depellit; ſi quidem ad aſylum ſuffugerit orationis. Et quidem iſthæc malitia quum tot induat formas; dici vix poſſit, quàm eſt difficilis expugnatu. In omni prope negotio irrepit clam; in habitu, in elegantia formæ, in ipſo inceſſu, in voce ac ſermone, in ſilentio, in opere, in vigilijs, in ieiunijs, in oratione, in lectione, in quiete, in longanimi tolerantia. Per hæc omnia hominem Dei magnopere ſtudet gloria inanis ſuis conficere telis. Si quando perſpexerit non potuiſſe ſe per veſtimentorum luxum profuſiorem hominem prolicere ad ſui conſenſum; illum adoritur, vt tentet per veſtis ſorditiem. Cuius animum nequiuerit ad conſenſum elationis deflectere obiectione honoris, hunc eò tollit, vt vel iam conſentiat arrogantiæ, per hoc quòd æquo fert animo ſe ignominia aſpergi. Ruſſus, ſi quando perſuadere nequiuerit, vt quis magnificè glorietur quòd ſit eloquens; eundem aggreditur quaſi qui requietus ſit & taciturnus; ac propemodùm ineſcat & prolicit ad conſenſum per taciturnitatem. Quem non potuerit ad ambitionem gloriæ emollire per eduliorum ſumptus magnificos; hunc diſſoluit laudi propriæ vt conſentiat per ieiunium & vitæ frugalitatem. Vtque compendio abſoluam, nullam non genus exercitationis dæmoni huic reprobo occaſionem ſuggerit conciendi aduerſum nos belli. Denique monachus comperitur honoris eſſe ambitioſulus; vt qui beneficus ſit citra condignam mercedem: Laborem enim ſuſtinuit, nec recipit ſui mercedem laboris. Iſthæc gloriæ momento euaneſcentis cupiditas, miſere perdit mercedes debitas virtuti. Et quemadmodum lapis in aëra contortus, ad cœli vſque conuexa nunquam pertingit; ita nec hominis oratio humanos fauores captantis ad aures Dei vnquam conſcendet. Vir, prudens ſi eſt, theſaurum, ſuæque virtutis laborem occulit ac recondit. Monachus intelligens ingenioſam & ſolertem imitatur apiculam. Quos externè ſelegerit floſculos, defert in aluearium; intereò mellificium

Inanis gloria eſt radix concupiſcentiæ.

Inanis gloria eſt mali ſubtile.

Inanis gloria in omni negotio clam irrepit.

Gloriæ inanis, artes variæ.

Inanis gloria cupiditas, perdit virtutis mercedem.

fauumque operoſius conficit. Ne labores tuos humanæ

A iſti gloriolæ exponas venum; néve futuram gloriam prodas tam vili mercedula, nempè ob qualemcumque hominum fauorem. Humana gloria deorſum in puluere ſuum figit tabernaculum; quare eius laus momento extinguitur ac deperit: quæ autem virtuti debetur gloria, nullo intercipietur æuo. Nos igitur (chariſſimi) huic animæ perturbationi locum ne cedamus, nequando noſtri dominetur. Cum timore eum exaudiamus qui dicit; *Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent.* Apoſtolicam potiùs æmulati ſententiam ſyncero pectore promamus: *modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? ſi enim adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Ruſſus: *ſic loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra, neque enim* (ait) *in ſermone adulationis fuimus apud vos, ſicut & ſcitis; neque in occaſione auaritiæ* (Deus teſtis) *neque quærentes ab hominibus gloriam: Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Dominus commendat.* In hunc etiam modum loquitur beata illa Samuelis mater Anna: *Ne glorietur prudens in prudentia ſua, & potens in potentia ſua, & diues in diuitijs ſuis; ſed in hoc glorietur, ſi intelligit & facit iudicium & iuſtitiam.* Rex etiamnum Ezechias hominum gloriam quaſi quadam venatiuncula captans, ac profuſiore gaudio victus, ſuos, omnes theſauros Chaldæis, viſendos explicuit: & ecce in veſtigio miſit Dominus Eſayam, qui diceret, *Ecce dies venient & ſument quæ viderunt omnia in Babylonem:* ſicut nobis quoque nunc contigit. Dedecore atque ignominia perfuſi ſumus, & ecce rebellionis calces obtrudimus. Tradidit Dominus fidei noſtræ

C robur venerabilem & honore præcipuo dignam crucem Chaldæis, Sanctuaria noſtra in ſolitudinem redacta ſunt. Pulchrè igitur Parœmiaſtes dicit: melior vir qui in ignominia ſua ſeruit; quàm qui aſciſcit ſibi aliunde honorem, & indiget pane. Ruſſus: *Laudet te proximus, & non os tuum: alienus, & non labia tua.* Pſaltes item regius: *Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos.* Apoſtolus: *quid enim habes quod non accepiſti? quid glorieris, quaſi non acceperis?* Coloſſenſes item admonens: *non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed quodcumque facitis, ex animo operemini, quaſi Domino & non hominibus ſeruientes.*

Pſal. 52.

1. Theſſ. 2.

4. Reg. 20.

Sub Coſdroe.

Prou. 27.

Coloſſ. 3.

Hæc inanis gloriæ affectio ſanèquam vehemens & perplexa eſt, iuxta ſuperiorem ſententiam: nullam enim relinquit virtutum quas operetur homo, cui non impudentius obluctetur, ſeque obijciat. In hoc operam nauat

D accuratiſſimam; fructus monachi intercipere vi poſſit & reddere inutiles. Habet in ſe & hoc cæteris periculoſius. Inter alias enim animi perturbationes conſtituti (puta in fornicatione, & ira) mœrore conficimur; nec iniuria, lugemus quoque, oramus inſuper eximi earum laqueis: aduerſus inanem gloriam ne laboramus quidem; nihil nos contriſtant pellaces illius illecebræ; ſed nec Deum obſecramus, nos vt liberet & ſubducat illius iugo. Sanè blandiſſimam hanc ſed & veteratoriam intemperiem gloriæ inanis oderimus (quæſo) fratres; odio prorſus perfecto, vt ne per eam quanticúmque noſtri labores eant peſſum; ſintque vacui & inanes frugis bonæ. Hominem enim ipſa euocat à Chriſti ſerui-

E tute: denique & à fide qua in Deum credimus, tranſfugam reddit & deſertorem, vel teſte Domino. *Quomodò,* inquit, *poteſtis credere in me, qui gloriam à vobiſipſis capitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

De Superbia. HOMILIA XLIIII.

SUPERBIÆ ægritudo grauitate malitiæ cæteras animi turbulentas affectiones longè exuperat, quam & Deus odit infenſiſſimè, nec vlli prorſus hominum contentanea eſt aut congruens. Pulchrè illi competit & ſoli qui noſtræ eſt æmulus ſalutis; nempe diabolo, ad ſuam ipſius ex-

Digitized by Google

Eſa.14.

plendam malitiam; cùm per eam deturbatus ſit regno cœlorum. Is cùm glorioſius ſubſultaret, ac prægeſtiens diceret; *Ponam thronum meum ſuper aſtra cæli:* momento inuentus eſt non habens vllum tranquillæ quietis locum; ſed quaſi vnus aliquis manceps miſerrimæ captiuitatis, quouis locorum triumphatus oſtẽtatur ad gloriam ſummi Dei. Atque ita peculiaris hic dæmon ſuperbia; cùm præter cæteras affectiones animam miſerrimè affligat & cruciet: eos tamen omnium maximè impugnat; & vt deturbet atque euertat, aggreditur, qui profectu virtutum aliquouſque iam promouerunt.

Perfectiores oppugnat ſuperbia.

Superbia perinde eſt ac morbus quidam peſtilens & tabificus; qui non vnum modò corporis mẽbrum; ſed corpus ipſum dira putrilagine depaſcitur, viciat, conficit. Aliæ enim quantæcumque paſſiones ſint; vnam aliquam portionem animæ ſuis offundunt tenebris, atque eam obturbant: ſuperbiæ intemperies nullam non animę vim horrenda caligine circumfundit; inque non ſimplicem ruinam agit præcipitem.

Tollitur in altũ, vt lapſu grauiùs ruat.

Anima enim ſuperbi in præcelſum aliquod ac ſublime faſtigium ſinitur conſcendere, vnde commodiùs deturbetur in ſubiectam foueam. Vt ramum copia fructuum exuberantem moles oneroſa diffringere ſolet; ſic animam generoſam multiplicique fœtu virtutum præfertilem plerúmque ſuperbia deijcit gradu. Quemadmodum fructus marcore aut carie vitiatus cultori ſuo nihil adfert commodi; ita & ſuperbi oratio, nihil ex Deo relatura eſt frugis bonæ.

Horrenda in ſomnis imagines ex ſuperbia.

Ne dederis ſuperbiæ animam tuam, & imagines horrendas atque plenas formidinis non cogeris perſpicere: Anima enim ſuperbi diuino deſtituitur præſidio; quo fit, vt in dæmonum vertatur ludibrium ac deridiculam gratulationem. Monachus ſuperbus arbor prorſus infrugifera eſt; quippe quæ radicem non habet, eóque violentas impreſſiones ventorum aſſilientium nunquam feret. Quemadmodum inundantis aquæ bulla, mox vt rumpitur, mox euaneſcit; ita ſuperbi memoria à morte vel momento deperit atque intercipitur obliuione. Sicut modeſti ſiue humilis oratio Dei inflectit iram; ita ſuperbi deprecatio exacerbat Deum. Quicumque turgentes ſuperbiæ tumore ac diſſidentes cum fratribus detrectant imperium; eandem cum diabolo conſerunt pugnam.

Superbia, non eſt à natura ſed à dæmone.
Eccleſ.10.

Neque enim naturalis eſt ſuperbia, ſed contumaciſſimi dæmonis ſimulachrum, atteſtante Scriptura: *non concreata eſt homini ſuperbia.* Rurſus: *ſedes principum ſuperborum deſtruxit Dominus.* Principium enim ſuperbi hominis eſt recedere à Domino: quia *initium peccati ſuperbia: & qui tenuerit illam, inundabit in illum abominatio, & in fine ſubuertetur.*

ἐξομβρήσει.
Pſal 72.

In lege item ſcriptum eſt: *Anima quæ quidem fecerit in manu ſuperbiæ, exterretur de populo.* In Eſaia: *& diſperdam omnes ſuperbos.* Pſaltes regius: *Ideo tenuit eos ſuperbia in finem, quia operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Et: *defecerunt & perierunt propter impietatem ſuam.* Et: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Vnde & omni ſtudio vſi ſunt, ſancta tua vt demolirentur, ſanctuaria tua in ſolitudinem redigerent. Cæterùm, tu alleua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, vt confundantur ſuperbi, quia iniuſtè & iniquè egerunt contra nos.

εἰς τέλος.

Semper enim ſuperbi iſti, quemadmodum patres eorum in eremo, nimiſquam præuaricati ſunt legem tuam. Atqui ſeruus tuus Dauid non declinauit à lege tua, nec cum *ſuperbo oculo & inſatiabili corde* ſimul edebat, & ne omnino talis habitabat *in medio domus* illius cogitatio videlicet vlla reſipiens ſuperbiam. Parœmiaſtes: Timor Domini odit malitiam, contumeliámque, & ſuperbiam, ac vias prauas.

Pro κακίαν, Aldi. exemp. habet ἀδικίαν, iniuſtitiam.
Iac.4.

Inducit: *quantò maior es, tantò humilia teipſum; & inuenies gratiam in conſpectu Domini.* Et: *ne exaltes teipſum, vt ne cadas, quia odibilis ante Dominum & homines omnis ſuperbus.* Iacobus: *Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Infert: *humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet.* Timeamus itaque (fratres) & omni cuſtodia cor hoc noſtrum liberum conſeruemus, ac purum exitialis & mortiferi ſpiritus ſuperbiæ. Si quando enim illius tyrãnis aduerſus miſerabilem prorſus animam inualuerit, haud ſecus facit ac ſi tyrannus quiſpiam ſupra modũ ferox & immanis, vnam aliquam ciuitatem & amplitudine loci & ſitus ſublimitate celebrem velut per manus captam à fundamentis totam ſubruit, æquatam ſolo ſuffodit. Longè, & hoc omni comploratione digniſſimum! Execrabilis ſiquidem dæmon hic, viros (vt mihi dictum eſt) in perfectionis culmine iam conſtitutos; ac maximè, qui ſublimis theoriæ merito ad cœlorum vſque faſtigium conſcendiſſe videbantur; modis omnibus admolitur vt ſubruat ac præcipitet. Sed ne illos quidem poſt lapſum ſinit ad pœnitentiæ portum ceù poſtliminio reuerti.

Superbi, vix ad pœnitentiam redeunt.

Quo enim pacto iſti ad pœnitudinis ac reſipiſcentiæ ſinum ſe conferant, qui totum diabolum in ſe excipiẽtes per ſuperbiam, Deum per hoc colluctatorem ſibi conſtituere & aduerſarium? Nos igitur humilitatis præſidio ſubnixi; principẽ hunc ſuperbiæ omnis à nobis quàm longiſſimè profligamus & amoliamur; nobiſcum taciti muſſitantes illud Apoſtoli elogium, quidpiam operis confecerimus virtutis nomine dignum: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Iterum: *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.*

1. Cor.15.

Sed & illud à Domino dictum arcana cogitatione aduerſum ſuperbiæ tentationem admurmurandum venit: *ſine me nihil poteſtis facere.* Ita enim ab eodem Domino promerebimur audire & illud; *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpionem & ſuper omnem virtutem inimici,* Clementem & benignum Deum addecet gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Luc.10.

De ſpecie ſuperbiæ, qua quis de ſe quam ſit par, ſentit altiora.

HOMELIA XLV.

QVI de ſe, quàm æquum ſit, ſentit altiora; complex vtique ſuperbi eſt, & eodem conſpirat. Ad vaniglorium tamen collatus nonnihil euariat & abit diuerſus. Et quidem vnius arboris quum ſint rami, fructus vtriuſque, habent diſcerniculi aliquid. Nam hic, vt ne videatur, propendet in terram decliuis: ille verò vanæ gloriæ ramus in cœlum vſque proſpectat. Hic, fidem vt commodet vanis, mirè alacer ac credulus: Ille, ad conſectanda gulæ irritamenta agilis admodùm & expromptus. Vis dicam? Plane infrugi iſti fructus & inutiles. Qui enim animas noſtras inſenſè oderunt dæmones; quibuſdam inſuſurrant ac ſuggerunt, quaſi gratuiti beneficij loco nobis eam inſtillent & conferant animi inflationem. Deinde vt indulgentiùs ſolito nos ipſos laxemus; adhortantur. Quòd ſi animo præmolliti, locum ceſſerimus ſtultæ iſti de nobis exiſtimationi; nihil eſt quod deinceps inimici laborent vt nos in captiuitatem abducant. Prouidendum igitur ne vel tempore orationis noſtræ ipſi occaſionem vllam inſultandi nobis demus inimico; quod fit dum extrahimur mente, & per eorum ſuggeſtionem abſurdis prorſum & externis ineſcamur cogitationibus; quemadmodum docet Parœmiaſtes: *noli altum ſapere, & ne ſis iuſtus multum: & ne ſapias ſuperflua; ne fortè declines.* Et: *altam qui facit domum ſuam, quærit contritionem; qui autem renuit diſcere, incidet in mala.* Rurſum: *Immundus eſt apud Dominum omnis qui alto eſt corde.* Iterum: *ne glorioſus appareas coram rege, & in locis principum ne ſteteris; melius enim vt dicatur tibi, aſcende ad me; quàm vt humiliet te coram principibus.*

Prou.17. ἐκκλίνης pro quo alij legunt. μὴ ἐκπλαγῇς ne ſtupeſcas.

Alius: ne gloriemini & ne loquamini ſublimia ad faſtum; neque egrediatur verbum iactantiæ de ore veſtro. Paulus quoque Timotheo ait: *Dominus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo qui præſtat nobis omnia abunde.* Alibi: *Fratres, non alta ſapientes ſed humilibus conſentientes.*

Romanis item: *dicis ergo mihi, fracti ſunt rami vt ego inſerar: Bene; propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas, noli altum ſapere ſed time; ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Nos igitur ſynceriter

Rom.11.

ea ipſa

ea ipſa quæ opere perfecit Dauid, melico concentu emodulemur: *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque* A *elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me, ſed humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam.* Conſimilem in modum cum tribus illis pueris: *Quia Domine imminuti ſumus ſuper omnes gentes, & ſumus humiles hodie propter peccata noſtra.*

Pſalm. 130.

Quis enim gloriabitur mundum ſe habere cor? Aut quis profitebitur purum ſe eſſe a peccatis? Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt. Vt hanc planè melicam harmoniam recinentes corde ſyncero; ab ipſo Domino audite promereamur: *qui ſe humiliat, exaltabitur*; & qui de ſe quàm par ſit, ſublimius aliquid ſentiunt, coarguentur. Vt & Phariſæi ab ipſo Saluatore noſtro qui & illis dixit; *Vos eſtis qui iuſtificatis vosipſos in conſpectu hominum*, Deus autem nouit corda veſtra, quia quod inter homines altum videtur, abominatio eſt B apud Deum. Dicit proinde diſcipulis ſuis: *Amen, amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Infert: *quicunque igitur humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Luc. 16.

Matth. 18.

Apud temetipſum, ne quid de te magni concipias.

Homilia. XLVI.

MAGNVM quiddam de ſe ſentire, aut inſoleſcere, & ſibi placere vituperabile eſt. Eiuſmodi elatione animi inſoleſcentis ſacræ ſcripturæ decreto interdicimur; cùm talis C iure in ſenſu numeretur imprudentium, magis verò ſtultorum. Ait enim: *Stultus apud ſemetipſum videtur ſapiens.* Nihil igitur (chariſſimi) nobis ſit curæ, flaccidam hanc & inanem aſſequi prudentiam, magis verò illorum doctrinam virorum quos Spiritus afflauit, in armariolo memoriæ preſſius recondamus, puta modeſtiam animi quàm humillima de ſe ſentientis: atq; eorumdem ingrediamur veſtigijs, nec vllam ob rem corde efferamur aut inſoleſcamus omnino; non propter operis ſolertiam, idoneïtatem ſiue induſtriam, ordinem, iuriſdictionem ſiue rerum adminiſtrationem; non ob ſermonem ſapientiæ, ſiue multiplicem ſcripturarum intelligentiam, ne fortè Domini aduerſus nos prouitemus iram & exaſperemus, qua fiat, vt mente emota ſinamur D in Spiritum deuolui atque incidere blaſphemiæ. Sanè præſtiterit, te vt tradas in diſcipulum, tametſi multa obtueris prudẽtia. Diſpẽſatio enim Dei, cõparabiliter cõmodior atq; vtilior eſt, noſtra hac qualicũnq; prudentia, longè enim per omnia plus adfert emolumenti, ſi efficaciter loquaris. Dum enim doces ſapientiam; aut ſermonem ediſſeris abſque operis ſuffragio; diteſcis quidem tu, ſed de iniquitate. Atqui tui iſti labores iuxta ſcripturam in alienas commigrant domos. Primus Parœmiaſtes per admonitionem dicit: *Eſto fiduciam habens ex toto corde tuo in Dominum; ob tuam autem ſapientiam ne elèueris. Et, ne ſis prudens apud temet ipſum, time vero Dominum & declina ab omni malo.* Et: *ne glorieris in craſtinum, non enim ſcis quid paritura ſit craſtina dies.* Rurſus: *fili; ſi ſapiens fueris* E *tibimetipſi ſapiens eris & proximo; ſi autem malus euaſeris, ſolus hauries mala.* Iterum: *Vide virum qui apud ſemetipſum videbatur eſſe ſapiens; ſpem pro illo habebat ſtultus.* Rurſum: *ſapiens apud ſemetipſum vir diues; pauper autem intelligens condemnabit eum.* Item: *Filius malus ſublimes habet oculos; palpebris autem ſuis extollitur.* Scribit & Iacobus: *nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris.* Omnis exultatio talis maligna eſt. Eodem conſpirat illud Pauli: *nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Eſayas; *væ qui prudentes eſtis apud voſmetipſos, & in conſpectu veſtro ſcientes.* Pſaltes item regius: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vana ſunt.* Et: *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.* Corinthijs per Epiſtolam Paulus: *& ego, ait, quando veni ad vos*

Blaſphemiæ ſpiritus ſequuntur ſuperbiam.

Prou. 3.

Prou. 9.

Iac. 4.

Eſa. 5.

1. Cor. 2.

(fratres) non veni in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, an- A *nuncians vobis myſterium Chriſti; non enim iudicaui me aliquid ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum & ego in infirmitate & in timore & tremore fui apud vos.* Inducit: *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes; Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur: Spiritualis autem diiudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* Rurſum: *confidentiam talem habemus ad Deum, non quod ſufficiens ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis ipſis ſed idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti non litera ſed ſpiritu: Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.* Iterum: *ego meipſum nondum arbitror comprehendiſſe: Vnum autem, ea quæ ſunt retro, obliuiſcens: ad ea verò quæ ſunt priora, extendens meipſum.*

ἀταχῶς. ητ ᾳ.

2. Cor. 3.

Philip. 3.

B Sanè hanc Apoſtoli modeſtiam ſeſe ad eum modum demittentis pro virili (fratres) imitemur; ac deſinamus magnificè de nobiſipſis ſentire ob qualemcũnque nobis indultam ſapientiam & intelligentiam; parabola exteriti quam induxit Dominus de Phariſæo ſeſe glorioſius venditante, atque Publicano.

Ait enim; *Stans Phariſæus apud ſemetipſum hæc orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, aut etiam vt hic Publicanus: Publicanus contra percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.* Inducit: *dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam magis quam ille: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.* Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Luc. 18.

C

Neminem debere contemni.

Homilia XLVII.

NEVTIQVAM fas ſit vllum hominum contemnere aut illius imminuere famam, aut certè aduerſus alium ſeſe efferre impotentiùs; putà quòd idiota ſit, nec agat pro poteſtate ſed priuatus; aut quia deformis eſt, cunctator & ignauus, peccator, rudis & inſcius literarum, denique ob ſimilem quamcunque cauſam. Quos enim nihili ducimus & aſpernamur, Deus clementer reſpectat, & quorum imminuimus famã, illos Dei benignitas reuo- D cat ad moderatam vitæ temperiem. Rurſus: ſi quod accepiſti ſpirituale donum, putà, ſermonem ſapientiæ, aut ſcientiæ, aut doctrinæ, aut prophetiæ, aut miniſtrationis, benedictus Deus per omnia diues: *Deus* (inquam) *qui dat omnibus hominibus, nec improperat.* Tibi interim proſpiciendum, nequando hoc nomine eleuere aduerſus proximũ inſolentius. Iſthæc enim gratia, temporaria cùm ſit, non eſt penes te vnum permanſura. Tales, Dominus abominationi habet & execratur. Donum quodpiam ſortitò accepiſti, Dei benignitate, fac illud impertiare communiter & adminiſtres ſpiritualibus! Vtique iſti perſuaſum habent & pro comperto, quia quæ dicis tu, Domini vtique ſunt, idque ad ædificationem, cum omni modeſtia & manſuetudine, quod ad communem omnium cedit E magnopere commendandam vtilitatem. Scriptũ quippe eſt in Prouerbijs: *ne laudaueris virum in ſpecie illius, & ne abomineris hominem in viſu eius: breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris fructus eius eſt.* E diuerſo: *multi tyranni ſederunt ſuper pauimentum, inſuſpicabilis autem portauit diadema.* Sed & in primo regnorum de filijs Ieſſe dixit Dominus Samuëli: *ne reſpicias ad vultum eius neque ad habitum magnitudinis ipſius, quia abieci eum: quia non ſicut videt Deus, videbit homo: homo enim in faciem proſpiciet, Deus autem intuetur cor.* Et adduxit Ieſſe ſeptem filios ſuos, vtique potentes robore, neminémque ex iſtis elegit Dominus, niſi adoleſcentulum illum Dauid, qui in hominum quidem proſpectu in nullo videbatur cenſu numerandus, at apud Deum magni habebatur loco ſuffragij, vt qui manſuetus erat admodum & modeſtè humilis,

Eccl. 11.

1. Reg. 16.

Digitized by Google

cui & ſecundum hæc teſtimonium reddidit Deus dicens; *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundum cor meum.* Sed A
4. Reg. 18. & regnorum quarto dixit Eſaias Propheta ad Ezechiã: *contempſit te virgo filia Sion: ſuper te caput mouet.* Inducit: *non ingredietur ciuitatem hanc: & exijt Angelus Domini & interfecit de caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Dauid item: *& ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me & mouerunt capita ſua.* Et: *tanquam prodigium factus ſum multis,*
Iob. 30. *& tu adiutor fortis.* Iob quoque: *nunc autem cithara ſum eorum, & me in prouerbium habent.* Cúmq; hunc in prouerbij derididiculi vicem habuiſſent, tũc illum multò copioſius
Prou. 19. extulit in ſublime. Parœmiaſtes item: *Diuitiæ addũt multos amicos: pauper autem etiam ab eo qui erat deſtituitur.* Planè hæc aſſentatorum ſunt & ventri ſuo ſeruientium, qui in hæc ſolum quæ temporaria ſunt defigunt aciẽ mentis ac ſuſpiciunt venerabundi. Atqui pauperis interim ſapientia B contemnitur, nec ipſius ſermones exaudiũtur. Hæc quis dubitet eſſe eorum qui toti extuberant ac turgẽt tumore ſuperbiæ? ſimile quid ex Euangelio: *Quum veniſſet Ieſus in patriam ſuam docebat Sabbatis in Synagoga eorum, & di-*
Matth. 3. *cebant: Vnde huic talia? & quæ ſapientia data eſt ei? ſed & virtutes tales per manus eius fiunt; nunquid non hic eſt fabri filius: frater Iacobi & Ioſeph? & ſcandalizabantur in eo.* Ipſe autem malorum omnium immemor nihil non tolerabat mitiſſimus. Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Ne quempiam deriſui habeto.

Homelia XLVIII.

Deriſui habere vnum aliquem atque contemptui parile quidem iugum eſt, & vnum. Vtrumque enim viciſſim & abſurda atque indecentia arat; & loliaceos demetit zizaniorum fructus, incõbuſtionem ignis. Contingere id mali nobis conſueuit per hoc quod expendenda propria peccata tam lenteſcimus oſcitanter, quòd de eis nihil anxiè ac ſedulo recogitemus, nec formidabilem illum iudicij diem ſolicita penſitemus mente: quo quidem die nudi neceſſe ſit vt præſentemur iudici, & magno tremore inhorreſcentes. Nemo non illic pro ſe eſt reſponſurus, ac pœnas depenſurus non operum modò, ſed & verbo- D rum, cogitationum; arcanarum inſuper animi motionum. Horum memoriam ſi ſedula cogitatione renouaremus, nullus nobis reſideret locus ſic inſoleſcendi per iactantiam, nullo vnquam tempore per arrogantiam efferremur aduerſus tanto nobis meliores. Non conuenit (fratres mei) nos qui ingenue Chriſtianos profitemur; hanc improbandæ vitæ ſectari formulam, ad quam viuunt iſti qui ſpem omnem à ſe diſpunxerunt futuræ illius reſurrectionis: imò luctum magis exerceamus præferuido lachrymarum defluuio madentem; quarum gratia nos Dominus ab amaritudine liberet ſupplicij æ-

Proximum vnde ac ſi rideat, qui de ſuis peccatis & iudicio extremo non cogitat.

Matth. 5. terni. *Beati enim qui lugent* nunc, *quoniam ipſi conſolabuntur.* Planè, qui ſua luget peccata; huic nullus relinquitur locus alterum vt derideat aut deridiculis ſannis aſpergat
Eccl. 7. & exacerbet fratrem. Audi enim, quid dicat Parœmia- E ſtes; *ne deriſeris hominem in amaritudine animæ ſuæ:* Et, *qui deridet pauperem, exacerbat factorem eius.* Rurſus: *Oculum eius qui deridet patrem, & qui inhonorat ſenectutem matris, effodient corui conuallium.* Malignos & obliquos, in vias obliquas mittet Deus. Rurſum: *qui deridet ciues ſuos, in demoneratione*
Prou. 30. *ſenſus erit; vir autem prudens tacet.* Iacobus admonens dicit: *quis ſapiens & ſciens inter vos? oſtendat per bonam conuerſationem opera ſua, in manſuetudine ſapientiæ.* Paulus: *turpitu-*
Epheſ. 5. *do, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinent, ne nominentur quidem in vobis.* Multo igitur profuerit derideri te, quàm vnum aliquem vt ipſe derideas: Iuſti enim deriſui ac ludibrio haberi ſolent, non item deride-
Pſalm. 68. re: traduntur enim in manus peccatorum, iuxta beati Iob ſententiam. Et melicus ille Concentor hymnorum: *aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſalle-*
bant, qui bibebant vinum. Et: *Opprobria exprobrantium tibi* A *ceciderunt ſuper me.* Domini itaque interminationem illam pio tremore accenſi revereamur, qua dicit: *Væ qui ridetis nunc, quia flebitis & lugebitis.* Neminem deinceps habeamus deriſui (Deriſio enim proximi per hoc fit, quia abeſt Dei timor) ne audire contingat nos à Domino; *Hypocrita, eijce primum trabem ex oculo tuo.* Et rurſus: *Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert malum, ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ipſi gloria in ſecula, Amen. Matth. 12.

Non temere condemnandum eſſe proximum.

Homelia XLIX.

Pronunciare in fratrem damnationis ſententiam; nunquid non cætera ſuapte malignitate antegreditur? Nam quos B ſic temere condemnare videmur; adeò illos non grauamus, vt alleuemus magis; dum interim quæ illos vrgebat molem iudicij, in noſmet noſtra temeritate reclinamus, & cõpetimus in noſipſos eam damnationis cẽſuram detorquere. Omni itaque ſtudio (dilectiſſimi) prouidendum nobis, vt ne quẽ condemnemus. Quanto enim dedecore digni nos; qui cùm incurabili ex ſe morbo laboremus; cùm animas habeamus hulceribus nullo prope remedio ſanandis miſerè ſuggillatas; cùm ſimus debitis obnoxij, nulli explicãdis (tam multa ſunt) aliena interim minutula errata excutimus curioſius, ac tota mentis acie contemplamur & C exploramus? At ne fornicarium quidem debes ſententia percellere damnationis; is modò ſibi impoſterum tẽperet à fornicatione, & ad vitæ melioris ſe recipiat frugem. Operationem ipſam fornicationis bonum eſt vt vites; cum autem qui id admiſit flagitij, ne concerpas amarulentius. Qui enim dixit: *Non occides*: vtique & illud dixit, *non condemnabis.* Quòd ſi condemnas, iam per eadem iudicas, per quæ & condemnas. Atqui neutiquã noſtræ eſt functionis de ſalute vllius iudicio vel cõdemnatione decernere: ſed illius, & planè ſolius, qui intimos receſſus cordis noſtri clariſſimè nouit, & retruſiſſima quæq; naturæ totius intelligit perſpectiſſimè. Quis porrò gloriabitur mundum ſe habere cor? aut, quis omni cum fiducia auſit dicere; *mundus ſum à peccatis?* Ne igitur D ſic temerè & inexpenſè, eorum qui peccant deſperemus ſalutem, tametſi ad extremam vſq; lineam prouecti iam ſint malitiæ & improbitatis, etiam ſi tales omni virtutũ deſtituantur præſidio, & à ſe pudorem quàm longiſſimo ablegarint, licet naturæ iſtius conſpicuæ elegantiſſimum quẽmq; ordinem peruerterint, ac pudẽdis flagitijs corruperint. Par eſt enim credere, tales aliquando expergefactos, & à graui quo premebantur, veterno excuſſos, ad Deum erecturos eſſe aciem mentis, & tantò propius ſe aduoluturos pedibus Domini, quãtò ſe longiùs diiunxerãt. Eſto, quis labitur (non iam de anima loquor) quis quæſo; eſt qui non vel lingua ſua peccauit? Nos igitur quæ præſcripſimus, hæc cogitemus attenti; nimirum proprios defectus vt lugeamus, lachrymarum aſpergi- E ne obliteremus; Deum precemur ſupplices, & per hæc, ab inueterata & carioſa peccatorum putredine, noſipſos expurgemus. Nec ſolùm; ſed & alienæ compatiamur calamitati atque indoleſcamus ex animo; eorum maximè qui nobis germanitate iunguntur, vel generis, vel fidei quæ in Chriſtum eſt, eòque ſunt concorpores. Per hæc ſanè quis Dei poſſit ſibi conciliare & emereri gratiam. Apoſtolus proinde per epiſtolam ait: *Tu quid iudicas fratrem tuum?* Aut etiam cur ſpernis fratrem tuum? *Omnes enim præſentabimur ante tribunal Chriſti, itaque rationem reddet ſuorum factorum vnuſquiſque Deo, ne igitur in poſterum, inuicem iudicemus, ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, aut ſcandalum.* Infert: *Propter quod inexcuſabilis es, ò homo omnis qui iudicas; In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas, Scimus enim quia iudicium Dei eſt ſecundum veritatem*
in eos

Κατακρίνειν, vt apud Baſilium & Damaſcenum. κτ̓ διάκριϲιν καὶ κτ̓ πρόσχεσιν, eſt definitè pronunciare vnũ aliquem, nũquam mores mutaturum, aut damnatione dignum quod eſt extrema temeritatis, quum de nullius (dũ viuat) deſperandum correctione ſit & ſalute exemplo ſunt Manaſſes & Latro ille pius vide præfationem, καρδιογνώστης enim eſt ſolus Deus.
Prou. 20.

in eos qui talia agunt. Ruſus: *ſcimus autem eum qui dixit; mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus:* quia iudicabit Dominus populum ſuum. Haud aliter Iacobus, hæc colligit: *Vnus eſt legiſlator & iudex, qui poteſt ſaluare & perdere, tu autem quis es qui iudicas proximum?* Rurſum Paulus: *tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? ſuo Domino ſtat aut cadit: ſtabit autem; potens enim eſt Deus ſtatuere illum.* Dominus his concinit: *nolite iudicare, vt non iudicemini; nolite condemnare, vt non condemnemini.* Ipſi gloria in ſecula, Amen. Iac. 4.

Neminem dandum eſſe ſcandalum.

HOMILIA L.

OMNI cuſtodia (fratres) nos ipſos conſeruemus atque aduigilemus, ne cuidemus vllam ſcandali ſiue offendiculi occaſionem; liberi vt ſimus atque immunes miſerrimæ illius calamitatis, quam talibus apprecati ſunt cùm prophetæ tum Apoſtoli: Nec ſolùm; ſed & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Primus ſe offert Propheta Abacuc: *Væ (ait) qui potat proximum ſuum euerſione doloſa.* Eccleſiaſtes item: *qui fodit foueam proximo ſuo, incidet in eam.* Et: *qui voluit lapidem, ſuper ſe voluit,* Et: *qui demolitur ſepem, mordebit eum coluber.* Paræmiaſtes: *circumcide abs te os prauum, & labia iniqua longè fac à te, quia coram oculis Dei ſunt viæ viri.* Apoſtolus quoque, ad Hebræos ait: *Terra enim ſæpe bibens imbrem ſuper ſe venientem, & pariens herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas & tribulos, reproba & maledictioni proxima eſt; cuius finis in combuſtionem.* Hæc planè diſſerebat iſtis de ſcandalo, quo fidei acceptæ ſegetem premebant qui ſemen quidem verbi acceperant, ſed illud ſpinarum inſtar aculeatis cogitationibus præfocabant; nihil proinde referentes frugis bonæ. Idem & Romanis: *Obſecro igitur vos (fratres) vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula faciunt, præter doctrinam quam vos didiciſtis, & declinate ab eis; tales enim Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per ſuauem ſermonem & benedictionem ſeducunt corda innocentium.* Iterum: *videte ne fortè poteſtas veſtra offendiculum fiat infirmis: ſi quis enim viderit te qui habes ſcientiam, in idolio recumbentem; nunquid conſcientia ipſius cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Inducit: *& peribit infirmus frater, in tua ſcientia; pro quo Chriſtus mortuus eſt? atque ita ipſorum percutientes conſcientiam, in Chriſtum peccatis.* Rurſus: *vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia: ſi ego cum gratia participo: quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Dominus porrò aduerſus tales pronunciauit, dicens: *qui ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, &c. dico vobis quia Angeli eorum in cœlis vident faciem Patris mei.* Rurſus: *Væ mundo, à ſcandalis.* Et: *Veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Benignum & clementem Deum noſtrum addecet gloria in ſecula.

Abac. 2. Prou. 27. Eccl. 27. Eccl. 10. Hebr. 6. Rom. 16. 1. Cor. 8. Matth. 18.

Vt neminem afficias probro aut dedecore, magis autem opere affice.

HOMILIA LI.

QVI contumelioſus in proximum opprobrat quidpiam delicti; ſuis ipſe, quæ alteri intexuit & adornauit, irretietur retibus. Iure quidem. *Quod enim ſeminat quis, hoc & metet.* Is ſiquidem medio in diſcrimine deſtituitur Dei præſidio; quòd per elationem mentis adeò non indoleſcit calamitati alicœ, vt etiam inclementer inſultet, is vt plurimùm in eandem ruinam nec ſemel prolabetur, ni erratum ſuum confeſſus, per pœnitentiam Deum ſibi conciliet & reddat propicium. Ille verò in quem intortum eſt contumelioſius opprobrium; ſiquidem eam contumeliam imperturbato animo exceperit & cum gratiarum actione; per eam humiliationem diuina ope protegitur, ne in eadem iam victus reuoluatur peccata. A Contumelia enim hominis cordi afflictiuam tribulationem adfert: at æquo animo ſuſtinenti author eſt eidem munditiæ & puritatis. Sed & quantò quis pro Chriſti veritate exceperit inſigniorem obiectæ confuſionis ignominiam; tantò is vberiorem gloriam promerebitur. Audiet & illud ab animarum noſtrarum principe medico: *Ecce ſanus factus es; iam amplius noli peccare.* Vnus proinde inter ſapientes dicit: *ne exprobres homini auertenti ſe à peccato:* quin potiùs prouide bona coram Deo & hominibus. Cor igitur noſtrum (chariſſimi) ſolidè firmemus & communiamus; ne ſe occupet explorandis aliorum peccatis, neu cuiquam opprobrium intendat aut contumeliam, ne nos merito noſtro audire conniugat à beato Dauide; *filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Amici quoque beati Iob B exprobratoriè dicebant; *vbi eſt domus principis?* Rurſus: *quid enim ſi tu morieris: erit ne ſubcœleſtis hæc plaga inhabitabilis?* Sed & Eliphaz aliquātò priùs ait: *nunquid non malitia tua multa? Innumerabilia ſunt peccata tua: Pignorabas à fratribus tuis fruſtrà, veſtimentum verò nudorum abſtuliſti, at ne aqua quidem poculo refocillaſti ſitientes, ſed & eſurientes priuaſti fruſtulo panis: Viduas emiſiſti vacuas, pupillos verò afflixaſti: Itaque laquei circundederunt te.* Et hæc quidem commenti adornato mendacio, iuſto iſti contumelioſius opprobrabant; non quod illum odiſſent, ſed vt aſperitate verborum humiliarent alioqui humillimum: Illi etenim, beato viro affines erant. Nam Eliphaz frater patris Iob erat primus. Attamen iuſtus hic contorta in ſe contumeliæ ſpicula omnia generoſo pectore ferebat; & quidem tali plaga incle- C menter cùm eſſet ſaucius. Quin & hos ſuos exprobratores conciliabat Deo, & repropiciabat; quod vtique non contigiſſet, niſi preces interceſſiſſent admirabilis huius Iob. Iam quando iuxta Scripturam; *Homo improperans verbis improperij, omnibus diebus ſuis non erudietur:* & nos igitur Chriſtiani, rectà per ſanctorum callem incedentes dicamus: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtique, & ſi is qui me oderat, ſuper me magna loquutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo.* Et: *tota die exprobrabant mihi inimici, & qui laudabant me, aduerſum me iurabant: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Ait autem & beatus Petrus; *ſi reprobramini in nomine Domini, beati, quoniam quod eſt honoris & virtutis, & qui eſt Dei ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* Et Apoſtolus: *In hoc enim & laboramus* D *& maledicimur, quia ſperamus in Deo viuo, qui ſaluator eſt omnium hominum, maximè fidelium.* Sed & Dominum à cruce pendentem qui prætéribant; blaſphemabant, mouentes capita; nec ſecus Principes ſacerdotum cum ſcribis illudebant dicentes; *alios ſaluos fecit, non poteſt ſe ſaluare! Idem* prorſus *& latrones qui cum ipſo crucifixi erant, improperabant ei.* Longanimis Dominus ex contrario pro illis ſic impijs repropiciabat Patrem: *Pater ignoſce illis peccatum, non enim ſciunt quid faciunt.* Quid aliquantò priùs, nonnihil iniiciens diſcipulis audaciæ, dicebat: *beati eritis cum exprobrauerint vos & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne verbum aduerſum vos, mentientes. gaudete & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cœlis.* Ipſi gloria, in ſæcula, Amen.

Contumeliam qui facit vel qui patitur, quomodo iudicet Deus. Ioh. 5. Eccl. 8. Pſalm. 56. Iob. 22. Amici Iob non male affecti in eum. Eliphaz erat patruus Iob. Matth. 27. Matth. 5.

E

Quod malum malo retaliandum non ſit.

HOMILIA LII.

PAVLO quidem priùs de eo quòd nemini ingerendum ſit improperium, ſed ingeſtū tolerandum æquanimiter, nonnihil diſſeruimus: nunc nobis eſt ſermo aliò tranſcribendus, nempe vt doceamus non cōuenire Chriſtiano, malū vt repēdet, aut retaliet mala. Sanè Chriſti cohæredes ſi eſſe cupimus, magnopere nobis eſt cōtendendum perquā ſimiles vt inueniamur ſanctis Chriſto chariſſimis. Id fiet, ſi manſueti Dauidis imitabimur lenitatem, vt & nos quiddam aſſimile audire à Deo

promereamur, quod & de ipſo Dauide pronunciauit, viro iniuriarum, immemore prorſus, & erga inimicos A perquam benigno, nimirum illud: *Inueni virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et nos igitur tanti Herois prouocati exemplo; nonnihil auxilij præſtemus ac ſuffragemur fratri, à quo qualicunque iniuria pulſati ſumus: ne vel tempore orationis poſtulatio omnis noſtra repudietur, réque abeat in diuerſum quàm petimus. Iubet lex ſubiugale animal inimici (ſi fors labi contingat) vt proinde ſubleues. Iob teſtimonium à Deo reportare promeruit, quòd ſuam adhuc retineret ac tueretur innocentiam. Ioſeph de fratribus nullam expetiuit vltionem, quos alioqui vitæ inſidiatores ſuæ fuerat paſſus. Abel amabili ſimplicitate præditus nec vllius ſuſpicax in ſe iniuriæ, ſimul cum fratricida conceſſit in agrum. In genere; quotquot ſanctos diuinæ B concelebrát literæ, eos aſtruunt per innocentiæ callem vitam inſtituiſſe ſuam. Sed & vnus aliquis ait: *qui reddiderit mala pro bonis, non mouebuntur mala de domo eius.* Iterum: *qui iacit lapidem in altum in ſuum caput iacit.* Et: *qui fodit foueam proximo, incidet in eam.* Et: *qui ſtatuit laqueum, capietur in eo; & qui facit mala, in eum deuoluentur.* Hieremias quoque Deum interpellans aduerſus Iſraël dicit: *ſi redduntur pro bonis mala, recordare, quanta locutus ſim pro eis bona,* Adeò iuſtus hic, perdius & pernox iſtis ſic ingratis exorabilem Dei clementiam ſtudebat conciliare, & flectere iram: vnde & ſemel & ſecundò diuina voce accepit reſponſum; *Noli orare pro eis, non enim exaudiam te.* Ecquid tandem excepit dignæ retributionis? vtrique tam bene de ſe merentem demiſerunt in lacum fœtulentum C ac cœno madidum. Hæc perpetuo Iudæos comitata eſt male grata ſtrenuitas; ſic ſe fortes præſtiterunt. Ioſeph præterea adeò nihil interminatus eſt vltricis vindictæ fratribus; vt vnumquemque complexus ſeorſim, colla illorum oppleuerit lachrymis: tanta erga illos liqueſcebat charitate! Sed & dicebat; *Nolite timere, ego paſcam vos.* Quid proinde poſtulárit Dauid à Deo; expendendum nunc: *Domine Deus meus, ſi feci iſtud* (ait) *ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam vtique ab inimicis meis inanis.* Petrus item admonens ait; *non reddentes malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſsideatis.* Paulus etiamnum: *videte ne quis malum pro malo reddat; ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini & in inuicem & in omnes.* Rurſum: *noli* D *vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Quid Dominus? *diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vobis: quicunque percuſſerit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram; & ei qui vult tecum contendere in iudicio & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium tuum.* Et: *ſi quis angariauerit te miliare vnum, vade cum eo & alia duo* Et: *eſtote miſericordes & perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Exod. 23.
Ipſiſſimis verbis eadẽ prorſus Dionyſi. Areop. epiſtola 8.
Αἰτῶν ἐξεχόντων ἐν τοῖς ἱεροῖς.
Hier. 18.
Gen. 50.
Pſalm. 7.
1. Theſſ. 5.
Matth. 5.
Pro, præbe, ἀντίστρεψον. conuerte.

De memoria acceptæ iniuriæ.

Homelia LIII.

ABSOLVTO vtcúmque ſermone, de eo E quod pro malo neutiquam rependendum ſit malum; ad eum tranſcendamus, qui eſt de memoria acceptæ iniuriæ. Non modò (fratres) non debemus meminiſſe vllius mali à contribulibus aut affinitate propinquis accepti: ſed ex diuerſo cuncti veniunt Chriſtiana longanimitate tolerandi; ac mali noſtra ſunt ſubleuandi benignitate. Nec vtcúmque verùm erga tales noſtræ conduplicemus argumenta liberalitatis, vt vel piorum operum efficacia noſipſos declaremus ingenuos Chriſti eſſe diſcipulos: Ipſe enim Chriſtus in malos atque inutiles ſuam effundit benignitatem. Ad eum modum pia contentione imitari Dominum debemus; quatenus ſinunt viriculæ noſtræ. Sanè ſi qua inceſſit cupido obtinendæ aliquando beatitudinis eius neceſſe ſit iram vt arceamus, non ab opere ſolùm, A ſed nec in mentis domicilium ſinamus alicunde irrepere. Neque enim tanti eſt in ipſo incandeſcentis iræ articulo frenare os, nec vllum depromere verbum concepti furoris index; quanti eſt expurgare cor ab omni acceptæ iniuriæ inamena & inſuaui memoria; vt ne tecum aduerſus fratrem quidpiam malignæ cogitationis tacita mente obuerſet. Siquidem Euangelica doctrina cumprimis iubet ab radice peccata excindi. Iræ enim radicem prorſus à corde ſi excideris, iam non odium erit, non inuidia, ad opus vſque progredietur. Itaque vt radioſiſſimum ſolis iubar ſubtercurrens obumbrat & occulit nubes, ita & menti noſtræ vel ſola acceptæ iniuriæ cogitatio denſam oppandit caliginem. In anima enim ſic tenaci iniuriarum inſidioſæ vulpes ſuum ſibi figunt atque exædificant vmbratile tabernaculum, inque eiuſ- B modi corde turbulento, tanquam in ſpæleis retruſiſſimis deliteſcunt feræ immanes. Vt quiſque caſti pudoris amantiſſimus, longiſſimè ſe ſubmouet ab obſcœno & infami diuerticulo meretricum, ita quoque Deus cor auerſatur & defugit eius qui fixius memoria tenet irrogatam ſibi iniuriam. Quemadmodum fumus obturbat & circumfundit quamlibet perſpicacem aciem oculorum, ſic & orationis tempore memoria contumeliæ mentem ſua intemperie exagitat. Quid itaque faciendum nobis præſcribat Dominus, per ſe ſuóſque ſeruos, intenta percipiamus aure. In primis ſuo teſtimonio præſcriptam confirmat ſententiam Zacharias Propheta: *Malitiam* (inquit) *ne memineritis vnuſquiſque aduerſus proximum ſuum in cordibus veſtris.* Alius eodem reſpicit: C *Vnuſquiſque malitiam proximi ſui ne cogitet in cordibus veſtris.* Rurſus: *qui meminit iniuriæ, iniquus.* Iterum: *qui occultat inimicitiam, concinnat dolum: In omni iuſtitia, ne ſis memor iniuriæ proximi:* ſed, *ſi eſurierit frater tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da ei.* Et: *dimitte iniuriam proximo; & tunc deprecanti te, peccata tua ſoluentur,* Inducit: *Homo homini conſeruat iram & a Deo quærit medelam? Talis caro cùm ſit: reſeruat iram, & quis propiciabit peccata illius?* Infert: *memento nouiſſimorum, & deſine inimicari; abſtine à lite, & minues peccata.* Parœmiaſtes, *timor Domini odit malitiam, contumeliam, ſuperbiam, & vias prauorum.* Rurſus: *ne dixeris, quomodò fecit mihi, faciam ei, quæ mihi fecit iniuſtè.* Et; *ne dixeris vindicabo me de inimico meo; ſed ſuſtine Dominum, vt tibi auxilietur: In vijs enim iuſtitiæ, vita, via autem reminiſcentium iniuria ad mor-* D *tem.* Iacobus: *deponentes igitur omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Paulus item: *nolite pueri effici ſenſibus, ſed innocentia paruuli eſtote.* Hæc itaque pernicioſa perturbatio; memoriæ nempè retentricis iniuriarũ, nobis (fratres magnopere vitanda eſt, vt ne nos à fiducia abalienet quam erga Deum habemus. Neque enim qui hoc ægrotet genere morbi, Deo ſe auſit præſentare cum ſynceritate orationis, nec enim poteſt. Dominico etenim illo præcepto reuocatur & arcetur; *ſi offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia habet aliquid frater tuus aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius vt reconcilieris fratri tuo, & tunc ibi rediens, offer munus tuum.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Maius eſt, nõ meminiſſe iniuriarum, quàm læſum non iraſci.
Contumeliæ memoria in orando, vexat mentem.
Eccl. 30.
Eccl. 28.
Prou. 8.
Prou. 20. & 24.
Iacob. 1.
Τῇ ἀκακίᾳ.
1. Cor. 14.
Matth. 5.

Inimicitias in nullum prorſus exerceri debere.

Homelia. LIIII.

INFENSE atque inimiciter perſequi vnum aliquem qui tibi ſit cõtribulis, aut fidei germana cõmunione fœderetur nefarium prorſus, nec vlli contentaneũ qui Deum vereatur, ſéque ex profeſſo cultui diuino mancipatit. Neque enim Deus inimicitias vlli hominũ exercendas ſua ſanxit lege, prætetquam aduerſus illum homicidam diabolum qui ipſo ſtatim initio orbis cõditi hominem illici lenocinio ineſcatum decepit, atque adeò deceptum, amœnitate exegit paradiſi.

Haud

Haud ſecus iubemur Madianitas execrari & odiſſe, nimirum impuros illos ſpiritus fornicationis atque omnifariæ libidinis incentores, qui improbas cogitationes & nunquam obſcœnas quaſi ſemina cordibus inſerunt A noſtris. Hos pro virili portione vt oderis, neceſſe ſit; eóſque declines quàm ocillimè, nequando nos reddant

Pſalm. 139.

inuiſos Deo per impuram cum ipſis conflictationem & amicitiam, iuxta ſententiam illam: *Nonne qui oderunt te Domine, oderam; & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, et inimicos facti ſunt mihi.*

Aduerſus autem alium quemuis, locum nullum habet inimicitia, præſertim ſi de damno agitur corporali, de detractione, vel contumelia, aut quæcunque tandem ſunt conformia iſti ſeculo & conſentanea. Neque enim aduerſus tuum gentilem ſiue contribulem debes hoſtilem affectum induere ob hæc temporaria, potius agendæ B veniunt gratiæ, quòd nobis ſunt ſalutis certiùs obtinendæ parati. Sola enim eſt malitia quæ nos à familiari Dei congreſſu diremit, hominéſque à charitate mutua auulſit. Hanc igitur aduerſum homines inimicitiam, ante omnia abs te vt amoliaris ac vites, operæpretium eſt: at virtutem continenti ſtudio perſequere, quæ te Deo conciliet, & proximis agglutinet mutuæ glutino charitatis. Scopus enim vnicus hic eſt virtutis & philoſophiæ, vt citra fucum quiduis agat, præſertim ſi cum prudentia coniungitur.

Eſai. 1.

Eſaias Propheta noſtrum hunc ſermonem ſuo confirmat patrocinio; ait enim: *nec ero cum pluribus in malitia.* Hæc quidem de impuris & obſcœnis cogitationibus

ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν.

dicens. Inducit autem: *Lauamini, mundi eſtote, offerte malitias ab animabus veſtris, quieſcite à malitiis veſtris, diſcite benefacere.* C Parœmiaſtes item: *ne diligas inimicitias aduerſus hominem fruſtra, ne forte in te aliquid mali operetur.* Iterum:

Prou. 8.

timor Domini odit malitiam, impudens autem cum contumelia operatur mala. Dauid item ſuppliciter Deo procidens, ait: *ne gaudeant ſuper me qui aduerſantur mihi inique, qui oderunt me gratis, ſed confundantur & vereantur quærentes animam meam.* Et: *auerte mala inimicis meis, & in veritate tua,* (hoc eſt, in Chriſto) *diſperde illos.* Et, *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos, In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Et hæc quidem

1. Reg. 24. & 26.

oraſſe/orelligi debet aduerſus ſpirituales inimicos; non item aduerſus homines. Hiſtoria teſtimonio eſt aduerſus intellectuales hoſtes Dauidem eſſe precatum D Deum. Cùm enim Saul animam Dauid propenſiſſimè appeteret, eúmque perſequeretur manu ſtipatus virorum trium millium, & eſſet Saul ſemel & ſecundò traditus in manus ipſius Dauid & eorum qui cum ipſo e-

2. Reg. 1.

rant, qui etiam dicerent, *Ecce dies in qua tradidit Dominus inimicum tuum in manu tua:* Reſpondit Dauid; *viuit Dominus, non iniiciam manum meam in Chriſtum Domini.* Neque id modò fecit; ſed & Saulis mortem luxit; eumque de-

2. Reg. 18.

didit neci, qui cædem renunciarat Saulis. Nec aliter Abſalonis lugebat mortem, qui necem tam ſtudioſè expetiuerat patris. Arbitror ſanè per hæc nihil obſcuris argumentis declaratum iſtius inimicitias nequnquam in homines intentas fuiſſe; ſed aduerſus Dæmones odio omni digniſſimos. Et nos igitur qui præ cæteris (vel ip- E

Iac. 5.

ſo teſte habitu) ſpirituales videmur, audiamus Iacobum dicentem: *Nolite ingemiſcere in alterutrum, fratres mei: vt ne in iudicium decidatis.*

Matth. 5.

Sed & ipſe Dominus quid dixerit, attenta ac fideli aure percipiamus: *Vobis autem dico audientibus, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, Orate pro his qui calumniantur & perſequuntur vos.* Ipſi gloria, in ſecula, Amen.

Ne teipſum inuideris. HOMILIA LV.

Inuidia, à diabolo, in Caïnum, & ab hoc in Iudæos transfugium.

IAM inuidia quam vehemens ſit animi affectio, veriùs diabolica intemperies, vixque illam admittens medelam; quis referat? Ab ipſo enim diabolo vix dum exarſerat ori-

ginem; & ecce è veſtigio in fratricidam Caïnum tranſiluit; atque ordine deinceps prono curſu in Domini- A nicidas Iudæos deuoluta eſt. Planè inuidia vehemens atque atrox malum ac modis omnibus crudele eſt. Qui enim cuipiam inuidet; animi angore diſcruciatur, contabeſcit miſerè, eliquatur totus. Inuidia enim quaſi vermis in ligno, & in veſtimento tinea, ita cor denique & faciem eius conficit ac macerat hebeti pallore, qui ſemel in ipſius manus incidit. Contra; is cui inuidetur, in hominum proſpectu miris modis promouetur ac proficit, a Domino protectus. Exemplo eſt beatus ille Ioſeph: Quò enim faces fraternæ inuidiæ in illum exarſerant acriùs; hoc ille ſublimiùs a Deo prouehebatur, quouſque tandem ad regni gubernacula promotus eſt. Sic & Saul œſtro extimulatus inuidiæ, ad-

1. Reg. 17.

mirabilem illum Dauid perſequebatur, ſicut ſcriptum B eſt: *Exierunt quæ cum tripudio agebant triumphalem choream puellæ, ac dicebant, percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis.* Dicto ocius parens ille inuidiæ omnis in Saulis corde ſibi delegit viræ domicilium, eique inſuſurrauit, vt diceret: *Dauid dederunt decem mil-*

Pſalm. 108. ἀντὶ τοῦ ὀδύνης legunt alij apud 70. ἐπιβλέπτου ἐπιπονεῖν ὁδύνην reſpicere ad malos non poteris.

lia, mihi autem mille? Et quidem domus Dauid cui ſic inuidebatur quotidiana acceſſione creſcebat & confortabatur; ipſe per hæc ad lyram melicum cantillabat carmen; *Poſuerunt aduerſum mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Iterum: *maledicent illi & tu benedices: Ego autem non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam.* Sed & Propheta Abacuc: *purus eſt oculus tuus, ne videat mala & aſpiciat ſuper labores doloris.*

Abac. 1.

C Apoſtolus item ad Philippenſes ſcribens; pulchrè doctores illos notat inuidiæ: *Quidam quidem per inuidiam & contentionem*, ex concertatione ſcilicet proficiſcentem; *Chriſtum annunciant, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Per admonitionem inducit: *eſtote ergo inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem ſicut & Chriſtus donauit vobis. Eſtote igitur imitatores Chriſti ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione.* Animæ ſyncerioris peculiare eſt argumentum, vt quod loquitur, nihil prorſus reſipiat inuidiæ. Zelum alioqui habet malitiæ omnis exurient & qui iugiter Dei quærat ac firmet gloriam. Nihil minus conuenit, quàm vt profiteamur nos eſſe diſcipulos Domini; re autem ipſa ſinamus nos intercipi peſte inuidiæ; inque vicem tumultuemur. Id D maximè tum contingit, ſi quando videmus quoſdam fratrum, totius ſodalitij quàm minimos aut certè deformes ad magiſtratum obeundum eſſe promotos: audimus Dominum tunc dicentem; *da huic locum, vt recubitu ſedeat ſublimiore.* Quin miremur potius rerum conditarum curatorem, qui ſua ſapienti atque arcana prouidentia, illi quidem velut ſortitò (miſerabilis licet in ſpeciem conſpiciatur) adiudicauit hæreditatem, ſiue cæteros vt antegrediatur authoritate, aut certè vt imperet; nos contra in poſtrema ſedere voluit parte. Ab hac igitur (fratres) peſtili lue inuidiæ quàm ociſſimè defugiamus, quæ diaboli germen eſt: vt ne cõpari mulcta damnationis cũ

Gen. 4.

Caino inuoluamur; qui quidem per ſuſpiria crebra, artuúmq; miſerabilem tremorem, vitã cùm exegiſſet, ama- E ra morte functus eſt. Neu rurſus cum maligniſſimis Iudæis qui per inuidiam mirabilium Dei operum, ipſum

Matth. 27.

ad mortem prodiderunt, vel teſte Euãgelio. Congregatis enim dixit Pilatus: *quem vultis, dimittam vobis, Barrabam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? ſciebat enim, quia per inuidiam tradidiſſent eum.* Dominus autem iniuriæ omnis immemor, quaſi agnus innocens, nihil non tolerabat manſuetiſſimus. Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Ne contenderis. HOMELIA LVI.

CONTENTIOSVS & qui litibus ferendis inſueuit adeò cũ domeſticis habiturus pacem non eſt, ſed ne cum externis quidem. Dum enim ſuæ cogitationi, quam contentionis ſerendæ ſtudio concepit,

cupit modis omnibus vt ſatisfiat; nunquam non ad ingenium & commenta veteratoriæ artis conuerſus comminiſcitur nouitias fraudes; ac veluti acri quopiam œſtro percitus, perpetim nouandis litibus extimulatur. Per hæc interim alijs concit turbas, & ſuis eos exagitat intemperijs. Hic talis nulli non deprehenditur inuiſus atque omnium odio longè digniſſimus: veriùs dixerim, omnium multò miſerrimus. Scriptum quippe in Geneſi eſt, quia Eſaü vxores accepit non ſuæ gentis, ſed externæ, quæ pro conſuetudine contendebant cum Iſaac & Rebecca. Dixit autem Rebecca Iſaac; *diſtædet me vitæ meæ, mihique ipſi infenſa ſum propter filias filiorum Het.* Luculenter per hoc inſinuatur verum eſſe; quia pugnis atq; contentione verborum velitarium digladiari & ſerere lites, eorum eſt qui à Deo ſunt alieni; non item fidelium & qui ſe excolendæ pietati totos conſecrarunt. Religioſi enim verè qui ſunt & Chriſti diſcipuli, ſuum ipſorum æmulantur & Dominum & doctorem. *Non contendet* (ait quidam) *nec clamabit neque audiet quis vocem eius.* Quicquid iſti tandem rei vel operis aggrediuntur; nunquam id per litem & contentionem ad exitum vſque promouent & abſoluunt. Finis enim imponitur operi debitus, per patientiam, orationem, obedientiam, pérque ſolam ſpem generoſam. Ait enim Dominus: *veni, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me patris.* Parœmiaſtes item de contentioſis eiuſmodi: *ne litiges cum homine linguaci, neque ſtruas ſuper ignem illius ligna.* Et, *ne reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam illius, vt ne videatur ſibi ſapiens.*

Gen. 27.

Iſa. 42. Matth. 12. Contentioſi nil vnquam ad exitum perducunt.

Alius quidam: *Lis feſtinata incendit ignem, & pugna feſtinans effundit pugnas.* Rurſum: *ſi ſufflaueris in ſcintillam, accendetur: & ſi conſpueris in illam, extinguitur, & ambo ex ore procedunt.* Dicit & beatus Iacobus: *vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtátia et omne opus prauum.* Paulus præterea: *Iis qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnē animam hominis operantis malum.* Alio item loco: *quemadmodū Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi ita & hi reſiſtunt veritati.* Sed & ad Titum epiſtolam: *ſtultas quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles et vana.* Nos igitur (chariſſimi) quaſi filij obedientiæ, ne quæſo vaniloquis iſtis litigatoribus & cōtentioſis ſimus aſſimiles, vt qui doctrice Scriptura didicimus, quàm noxia ſit & detrimentoſa litigandi conſuetudo; nequando contingat ſubire nos damnationis cenſuram cum iniquis & exlegibus Iudæis, qui veritati perpetuò reſtiterunt, ac dicebant Domino; *Tu de teipſo teſtimonium perhibes teſtimonium tuum non eſt verum.* Rurſus: *tu quis es?* ad quos Dominus reſpondit, Principium ſe eſſe, *quia & ego loquor vobis; Amen dico vobis, niſi credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.* Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Tit. 3.

Ioh. 8.

Neminem oderis. HOMILIA LVII.

SCRIPTVM eſt, quoniam qui diligit Deum diligit & fratrem ſuum; *qui autem odit fratrem,* nō Deo inuiſus ſolùm, ſed & homicida eſt, quē enim odit, arcani affectus cogitatione perimit cuius quidem ſanguinem non acie gladij perſpiciūt homines effuſum, Deus verò illum videt odij maligno affectu peremptum, qui cuilibet oſtrum aut coronam reddit, aut vltricem pœnam pro qualitate non operis ſolùm, ſed & cogitationis & deſtinatæ voluntatis, quemadmodū idem per Prophetam dicit; *Ego venio vt cōgregem opera & cogitationes & inuentiones, ſiue internas conceptiones eorum.* Sed & malitia diuturna cogitatione in animo verſata atque exercita, audaciam addit cordi; quæ tamē per abſtinentiam & ſpem ablata, contritionis gratiam confert cordi eidem. Non igitur fas ſit odiſſe nos vnum aliquem è contribulibus, aut qui fide compares & cohæredes futuri ſunt regni cœlorum. Diabolum porrò indefeſſum noſtræ ſalutis oſorem odiſſe licet, communē omnium hominum hoſtem, maximè fideliū: illum (inquā) cum operibus ipſius malignis oderimus. Nemo qui integra fide ex profeſſo ſit Chriſtianus, peccat hoc genere odij, neq; qui habeat charitatem, odit vllum hominum. Arboris qualitas ex fructu quē profert, liquidò cognoſcitur. Qui igitur ſe Chriſti profitetur eſſe diſcipulum; per ea quæ facit, ſtet ne à Chriſto, intelligetur: quemadmodùm in Prouerbijs ſcriptum eſt, quia *Omnis qui odit fratrem pauperem, hic longè erit ab amicitia; vir autem prudens inueniet eam.*

1. Ioh. 3.

Eſa. 66.

Non alium quam Dæmonem debemus odiſſe.

Ioannes verò: *qui dicit in lumine ſe eſſe et fratrem ſuum odit in tenebris eſt vſque adhuc; ſi quis dixerit, quia ego diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt, qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodò poteſt diligere?* Dicit inſuper & Lex, *non habebis odio fratrem tuum in corde tuo, redargutione redargues eum, & non accipies propter eum peccatum.* Et: *non commonaberis populo tuo.* Conformiter Paulus: *conſideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorū operum.* Et, *eſtote ad inuicem benigni, miſericordes, donantes, inuicem ſicut & Chriſtus donauit vobis.* Infert idem: *ſi linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam factus ſum tanquam æs ſonans aut cymbalum tinniens.* Nos igitur qui Chriſtum induimus, à Domino poſtulemus ne nos ſinat quemquam non ſolum non odiſſe ſed vt diligamus ex charitate non fratres modò aut amicos ſed & in commune oſores atque inimicos noſtros. Tametſi aduerſum nos nonnihil loquantur aut faciant; cuncta tamen in gratiam futuræ retributionis, cum actione gratiarum excipienda ſunt, & æquo animo toleranda. Hominum enim mundi iſtius amatorum ea eſt & ſolennis conſuetudo, vt alios perſequantur, affligent, obloquantur. Dauid teſtis: *Locuti ſunt* (ait) *aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me & expugnauerunt me gratis.* Quemadmodum & Dominus ſuis dixit diſcipulis: *ſi de mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſſet, diligeret, quia autem de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.* Et: *ſi mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Infert: *Beati eritis cum vos oderint homines & ſeparauerint & exprobrauerint & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis; gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.* Iterum: *diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus & perſequentibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt.* Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

1. Ioh. 4.

Leuit. 19.

1. Cor. 13.

Dilectio inimicorum in commune.

Ioh. 15.

Matth. 5.

Nemini inſultandum in afflictione aut angore animi conſtituto.

HOMILIA LVIII.

INSVLTARE cuiuſcunque tandem conditionis homini tribulatione quapiam aut rei peculiaris iactura miſerè afflicto; viri certè eſt temerè inſoleſcentis, non mentis ſatis ſynceræ. Verùs hic ſe illorum probat re ipſa conſortem qui cruci Dominum fixerunt; cui & à cruce pendenti dicebant, *Vah, qui deſtruis templum Dei & in tribus diebus excitas illud! ſalua temetipſum!* Hoc planè flagitioſi eſt hominis & nefarij. Etenim pes ſi fors illiſerit, aut labetur; num inſultabit manus? Sanè res hæc in diuerſum abit, nam olei infuſione aut emplaſtro, pedi medetur. Siquidem vnum corpus ſumus, nihil minus conſentaneum rationi ſit, quàm vnum aliquod corporis membrū quod nonnihil affligetur, habere deriſui ac proinde eidem inſultare. Potiùs enim conueniebat ſic miſerè afflicto pro compaſſionis affectu indoleſcere, & congemiſcere iuxta Apoſtoli verbum. Nec ſolùm alienæ infœlicitati inſultandum non eſt; ſed ne vllo quidem pacto calamitatis alienæ inſultanti, commodandæ aures ſunt. Qui enim tam toti propendent ad exaudiendas delationes eiuſmodi; ſui iam propoſiti vindemiant fructus. Atqui nolim putes; quicquid aduerſæ & afflictiuæ rei contingit hominibus, aſcribi debere ſemper ipſorum peccatis, quoſdam enim inuenias, qui etſi Deo gratioſi ſint tentantur tamen. Diuerſum contingit iſtis à pietate ac lege Chriſtiana alienis quos credimus legatum iri à regno, & proinde puniendos.

Afflicto inſultare, hominis eſt flagitioſi.

Matth. 27.

Calamitates omnes non ſemper nobis eueniunt ob peccata.

Ad hunc modum *qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur*; quemadmodum verbis Parœmiaſtæ erudimur. (A) Is enim ait: *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas ſuper eo, & in ſupplantatione eius ne extollas te, ne forte videat Dominus, & non placeat ei.* Et hæc quidem de inimico. Et: *qui inſultat pereuntis, non erit innocens.* Et iterum: *Væ vobis qui lætamini ſuper malis, & gaudetis ſuper prauitate mala.* Et: *laqueo capientur, qui lætantur ſuper ruina piorum; & dolor mercedis loco apprehendet eos ante mortem.* Et: *memorare dies tenebrarum, quia multi erunt.* Sed & inculpatus Iob: *ſi etiam lætatus ſum ſuper ruina inimicorum meorum, & dixit cor meum; euge!* beatus item Paulus per epiſtolam ſcribit Romanis: *quòd ſi qui ex ramis fracti ſunt: tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos, quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te, dicis ergo, fracti ſunt rami vt ego inſerar, benè, propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time, ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* (B) Infert: *Charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* Ne igitur (dilectiſſimi) committamus, vt ſuggerente inimico hoc noſtro, aliquando inſoltemus proximorum malis; vt ne nos in eaſdem ſinat Dei prouidentia ſemel & iterum deuolui calamitates. Hæc enim ait Iob: *Et vos acceſſiſtis ad me ſine miſericordia, atque videntes vulnus meum extimuiſtis.*

Prov. 14. — Prov. 17. — Iob. 31. — Rom. 11. — 1. Cor. 13.

Nos igitur cum beato Dauid oremus, dicentes Deo: *ne abijcias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me, quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum, dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat, ſed tu Deus meus ne elongeris à me, ne gaudeant ſuper me qui aduerſantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis*: (C) Et quidem tua virtute *conuertantur retrorſum confeſtim confuſi qui dicunt mihi, Euge, Euge!*

Pſal. 70.

Noſtræ igitur partes ſunt, vt optemus mundo iſti eſſe deridiculi, vt nobis ſuis inſultet ſannis; cùm interim Scribæ & Pontifices ſuo illo more inſultant miſeris. Illudebant enim (ait) Pontifices adinuicem cum Scribis, dicentes, *alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere! Chriſtus rex Iſraël, deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus.*

Matt. 27.

Hanc illorum væſanientem inſultationem longanimiter tolerabat benignus hominum amator Dominus. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Alienæ fœlicitati aggratulandum eſſe & congaudendum.

Homilia LIX.

Eximia virtus eſt, aliorum fœlicitati congaudere.

Eximia ſanè virtutis ac Deo ipſi comprimis gratioſa ſit, vt ijs congaudeas & aggratulere, qui tenore legitimo vitam inſtituunt ſuam; quique quotidiana acceſſione promouent ad obſeruationem Dei mandatorum; tametſi ea res apud pleroſque nihili æſtimetur. Verùm ne ſynceriter alteri congaudeas; ipſa veſtigia vultus tui nihil obſcurè produnt. Siquidem iræ aut furoris incandeſcentia inſedit cordi; vel ipſi oculi omnibus reddunt perſpicuum, iuxta Scripturæ ſententiam: *Corde exhilarato, reniteſcit facies.* (E) Perfectæ autem charitatis inſigne hoc eſt; ſi ad proximorum promotionem exhilareſcis, nec fucato perfunderis gaudio. Sunt enim plerique, qui quidem etſi in promotione ſint, habeántque mutuam illam erga fratres charitatem; vbi tamen primùm contingit vnum aliquem ex ipſis ampliore perfrui promotione; ille alter in immane per hoc concidit inuidiæ barathum. Qui autem citra fucum vllum proximo congratulatur rectè fungenti officio; pro illo quoque integram Deo & indiuulſam offert orationem; exemplum ſecutus beati Pauli quibuſdam congratulantis atque dicentis: *Ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſijs Dei pro patientia veſtra & fide in omnibus perſecutionibus veſtris quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij ipſius, vt digni habeamini regno Dei.*

2. Theſ. 1. hic deſit, ἐν ὑμῖν.

Nec ſecùs ad Philippenſes: *ſed etſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis; idipſum autem & vos gaudete & congaudete mihi:* (A) *quemadmodum enim membra* (ait) *pro ſe inuicem ſolicita ſunt, & ſiue gaudet vnum membrum, congaudent omnia membra: ſiue patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſic & nos gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus debemus.* Et: *honore inuicem præuenientes*: eos nimirùm qui nobis ipſis præeminent.

Philip. 2. — 1. Cor. 12.

Sed & Corinthijs ait: *non enim alia ſcribimus vobis præter ea quæ & legitis & agnoſcitis: ſpero autem, quia & vſque in finem cognoſcetis ſicut & cognouiſtis ex parte quia gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra in die Domini noſtri Ieſu Chriſti, & hac confidentia volebam prius venire ad vos vt ſecundam gratiam haberetis, confidens erga omnes vos quia meum gaudium omnium veſtrum eſt.*

2. Cor. 1.

(B) Scriptum autem eſt & in Lucæ Euangelio: *poſtquam autem impleti ſunt dies pariendi Eliſabeth, & ipſa genuit filium, & audierunt vicini & cognati eius, & congratulabantur ei.* Adeò quæ amicorum ſunt peculiariter, communia efficit vinculum legitimæ amicitiæ. Quin & hic; ipſe (inquam) Ioannes ſuis diſſerens diſcipulis, dicebat: *Amicus ſponſi ſtans & audiens ipſum gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Igitur hoc meum gaudium impletum eſt; *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Qui enim ad perfectam vſque promouit charitatem; ſe quidem minorem ducit, proximum verò ingenuè profitetur eminentiorem. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Luc. 1. — Ioh. 3.

Ne cui ingeras triſtitiam.

(C)

Homilia LX.

Qui diligit fratrem ſuum; Deum vtique diligit: contra, quiſquis fratrem ſuum neutiquam ex animo diligit, neque is diligit Deum iuxta Ioannis Apoſtoli ſententiam. Nulli obſcurum eſſe putem, quoniam quiſquis fratrem mœrere facit, idem contriſtat & Deum. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum* (ait) *in quo ſignati eſtis.* Et: *me contriſtauerunt: dicit Dominus.* Rurſum: *quandiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: Et; *quandiu non feciſtis vni ex his, neque mihi feciſtis.* His igitur prædictis idoneè ſatis demonſtrari putem, quoniam qui de fratre bene meritus exhibet obſequium, obſequitur & Deo. (D) Quum igitur (chariſſimi) probè iam nouerimus, nos in hoc obſequi ac inſeruire Deo, ſi nulla in re proximum contriſtemus: modis omnibus adnitamur, ne qua in re vllam ſuggeramus occaſionem ſiue cauſam proximo triſtitiæ & mœroris; ſiue res ferat rationi vtcunque conſentanea, ſiue minùs: vt ne noſtra oratio perinde ac reiectitia quæpiam ouis & reproba, Deo ingrata fiat. *Vnus enim orans* (ait Syrach) *& vnus maledicens cuius vocem exaudiet Dominus?* quemadmodum in Sapientia Ieſu Syrach luculenter expreſſum eſt. Rurſum; *Vnus ædificans & vnus deſtruens, quid commodo adferent præter labores? qui lauatur à morticino, & iterum tangit morticinum; quid vtilitatis in lauacro eius?*

1. Ioh. 4. — Eph. 4. — Matt. 25. — Eccl. 34. Sapientia, liber Ieſu Syrach.

Sic qui ieiunat homo pro peccatis ſuis, & is iterum fornicatur ac eadem fecit quæ priùs; orationem iſtius quis exaudiet? (E) Ecquid profecit humiliando ſe? Inducit: *ne machineris mala aduerſus amicum tuum qui iuxta te habitat & habet in te fiduciam: ex ore enim ſtultorum, baculi contumeliæ expelluntur, labia autem ſapientium cuſtodient eos.* Sanè; qui rectè incedit, timet Dominum; qui autem vias ſuas deprauat, ignominioſus erit. Propheta inſuper Michæas ſuppliciter obteſtans aduerſus Iſrael, *vnuſquiſque proximum ſuum tribulant tribulatione, ad malum manus ſuas præparant.* Apoſtolus quoque: *ſi frater tuus propter te contriſtatur, non iam ſecundum charitatem ambulas.* Dicit autem & Dominus: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo, Rakka, reus erit concilio; qui verò dixerit, fatue, reus erit in gehennam ignis.* Inducit: *ſi igitur offeras munus tuum ante altare, & illic recordatus fueris quia habet ali-*

ἀπωθοῦνται proque ait legunt. γινώσκονται. Prov. 10. Rom. 14. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ εἰκῆ χείρων τοῦ πῆρος.

quid aduerſum te frater tuus, dimitte ibi munus tuum antè altare, & vade prius vt reconcilieris fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Deum noſtrum addecet gloria, in ſæcola ſæculorum, Amen.

Vide, tibi ipſi vt attendas.

Homilia LXI.

Monachorum conuentus ſimilis nundinis.

NVLLA non in te attentam ſui ipſius gerere curam, res quidem perquam ardua, ſed ſalutaris Deóque vel imprimis accepta. Sanè mandatum hoc in genere omnes concernit. Talis qui eſt, peccatum omne vitabundus fugit; omnem verò virtutem, neque non mandata Dei perficit. Hic aliorum defectus quamlibet multifotmes quaſi non videat, neglectim tranſmittit: quippe qui aliorum ſecurus; ſui tantum ipſius attentam curam obit, mentem habens per hoc ad Deum vniformiter arrectam. Talis ſibi temperat, ſéque remolitur ab vniuerſis terrenarum rerum negotijs; eóque mentem ſublimiter attollit ad cœleſtia & æternum duratura. Conuentus hic noſter (fratres) pérquam aſſimilis videtur nundinis. Qui negotiari nouit, non mediocre capit ea nundinatione lucrum: qui artis mercatoriæ rudis eſt; adeò nihil refert compendij, vt plurimum etiam diſpendij ſuſtineat. Generoſæ prorſus ac Deum ſynceriter amantis animæ eſt, ſibiipſi magna cum cautione attendere. Talis præſentia hæc cum inamœna deputet atque inutilia, futura verò inenarrabilia credat & quæ comprehendi non queant; ea tamen præſtoletur ſpe nihil dubia, cupientiſſimè eò interim ſuſpirans, recta ingreditur via, donec ad tranquilliſſimum & ab omni procellarum intemperie requietum obuius appellat Chriſti portum.

προσορμασία.

Operæ igitur precium eſt, quiſque vt attendat ac diligenter exploret, quæ eo contendentibus conducunt. Duo enim angeli dati ſunt homini aſſeſſores, Vnus quidem iuſtitiæ amantiſſimus; alter verò malitiæ omnis incentor maligniſſimus. Et quidem iuſtitiæ angelus verecundiæ atque intemerati pudoris cupientiſſimus, manſuetus inſuper eſt & tranquillus. Hic vbi primum ad cor hominis aſcenderit, cum eo mox ſermonem terit familiariter de iuſtitia, de munditia & caſtitate, de probitate morum, de frugalitate ſiue parſimonia victus, de operatione quæ iuſta ſit, denique de virtute omni gloriæ cœleſtis conciliatrice. Simul atque hæc cuncta ad cor hominis aſcenderint, perſpicuè ſentitur præſentia angeli iuſtitiæ. Contra, angeli malitiæ adminiſtri opera hæc ſunt: Primùm omnium acerrimæ eſt bilis, & ad iracundiam propendet totus, amarulentus ac ſtolidus: huius maligna opera tranquillitatem ſeruorum Dei interuertunt ac ſubruunt. Noſſe ſi voles, quando ad cor hominis aſcenderit, vtique licebit ex operum qualitate. Quum enim acrimonia bilis excitatior & ad iracundiam deuergens acceſſerit, aut amaritudo; perſpicuum euadit, in homine iam eſſe. Deinde intempeſtiua cupiditas multiplicium operationum, eduliorum luxus profuſior, ſtudium ſordentis crapulæ, voluptatum non vniformium conſectatio, concupiſcentia mulierum, immoderata cupiditas augendi peculij, ſuperbia, ſupercilioſa & pōpatica arrogantia, & quæcúnque tandem iſtis confinia ſunt & ſimilia. Sed & conceptiones animi malignæ omnes hoc incentore accenduntur. Nobis itaque circunſpectim attendamus, ac vale ſupremum dicamus iſti ſic improbo ſpiritui: angelum verò iuſtitiæ indiuiduum nobis adſciſcamus viæ huius comitem. Ita enim adhortatur nos lex: *Attende* (ait) *tibiipſi & cuſtodi animam tuam valdè: ne obliuiſcaris Domini Dei tui, & ne recedant ſermones eius à corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ, ſed diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine tua, qui è fornace ferrea eduxit te de ſeruitute Ægyptiorum*: hoc eſt; è iugo Principis tenebrarum mundi huius. Ægyptus enim ſua interpretatione inſinuat tenebras. *Attende tibiipſi, ne poſtquam comederis & ſaturatus fueris obliuiſcaris Domini Dei tui*, & recalcitres vt aliquando dilectus ille populus, nunc autem

Bini angeli hominibus dati à Deo aſſeſſores, & eorum quàm inuicem pugnantes ſint inſpirationes.

A Deo odibilis; ſed verba eius inſeres cordi tuo, & erunt inconcuſſa atque immota ante oculos tuos. Attende tibiipſi ne derelinquas Leuitam omnibus diebus vitæ tuæ; hoc eſt; miniſtros Domini, Sacerdotes enim Leuitæ etiamnum ſunt: Ipſi enim portant peccata populi. *Attende tibiipſi ne forte fiat in corde tuo verbum* quod occultet quidpiam flagitij; hoc eſt, ne curioſè & ſuperuacaneè confictis argumentis tibiipſi blandiaris, magis autem dies tranſmittito vitæ iſtius tuæ citra vllius ſimulationis fucum, ceu per Hieremiam iubet Dominus: *ecce dedi ante faciem veſtram viam vitæ & viam mortis*: hoc eſt; ſeruitutem & libertatem. *Qui enim aliquando eramus tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Attende ijs quæ ſunt in Domino, nequando præterfluant; B comedenti enim vuam acerbam obſtupeſcunt dentes. Vnuſquiſque peccato ſuo morietur; Eccleſiaſtes ait: *Tribuli & laquei in vijs obliqui, qui autem cuſtodit animam ſuam effugiet ea. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, ex eo enim exitus vitæ.* Iterum: *Prepara ad exitum opera tua, & preparare in agrum*, & vade poſt me, & reædificabis domum tuam, quæ quidem præ carioſa vetuſtate tranſgreſſionis Adam, collapſa erat, in baptiſmate autem inſtaurata eſt. Apoſtolus item Paulus: *Videte quomodo ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Et in Apoſtolicis actibus; *Attendite vobiſipſis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus paſcere Eccleſiam Dei.* Et Ioannes; *Pueri, nouiſſima hora eſt, ſicut audiſtis de Antichriſto, quia venit, & nunc Antichriſti multi ſunt: vnde ſcimus quia nouiſſima hora* C *eſt.* Dominus quoque: *Attendite vobiſipſis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Deut. 4.

ὀμοδιάσοι, lege, αἱμωδιάσοι, obſtupeſcunt.

Prou. 24.

Epheſ. 5.

Act. 20.

1. Ioh. 2.

Matt. 7.

De benigna & comi allocutione.

Homilia LXII.

Vir garrulus, non poteſt benigne loqui.

BENIGNA & ſuauis allocutio è bono cordis theſauro exerit ſe ac promit. Niſi enim quis ſuum ipſius cor ab inutili garrulæ locutionis expurgarit abuſu; neutiquam is potuerit compellare fratres benigno affatu. D Tametſi videri poſſit quædam diſſerere auditoribus, ingrati tamen futuri ſunt ſermones ac digni qui repudientur, neque eam rorulentam illam habent aſpergionem gratiæ Spiritus ſancti. Quiſquis cupit nonnihil prodeſſe verbo ſuo, à Deo Verbo ſupplex poſtulet verbum in apertione oris ſui, quemadmodum & Eſayas ait; *Dominus dat mihi linguam eruditam, vt nouerim quem oporteat proferre ſermonem.* Inducit: *audite me, & viuet in bonis anima veſtra.* Parœmiaſtes: *fauus mellis ſermones boni, edulcatio autem eorum auditio & ſanitas animæ.* Quæcunque enim ad parandam ſalutem pertinentes depromuntur; perquam ſuauem dulcedinem atque ſanitatem ingignunt animæ. Sed & prudens in negotijs, inuentor bonorum. Labia amabilia ſunt, quæ reſpondent ſermones bonos. Et: *Labia lenia* E *occultant triſtitiam cordis.* Rurſus: *ſermo triſtis excitat iras, lingua autem ſapientium bona ſcit*: medela enim linguæ, arbor vitæ, Iterum: Os iuſti diſtillat ſapientiam, & labia iuſtorum diſtillant gratias. Et, *Os humile meditatur ſapientiam.* Rurſus: *à fructibus oris, anima viri replebitur bonis; retributio labiorum eius dabitur ei.* Rurſus: *Labia veracia proſpere dirigunt teſtimonium, qui autem volunt habere pacem lætabuntur.* Melicus hymnorum concentor: *eructauit cor meum verbum bonum.* Et; *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Et: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Sed & Paulus per epiſtolam dicit: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit cōditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.* Et ad Romanos: *deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos; id eſt ſimul conſolari in vobis per eam quæ inuicem eſt fidem.*

Eſa. 50.

Prou. 12.

Pſal. 44.

Col. 4.

eſt, fidem. Iterum: *deprecantes vnumquemque veſtrum & conſolantes, vt ambuletis dignè Deo.* Quiſquis igitur ſentit ſe à Deo accepiſſe doctrinæ donum; loquatur omni cum modeſtia, vt alijs ſit ædificationi: ne fortè illi vertatur crimini quaſi qui talentum Dominicum occuluerit. Qui autem nondum donum tale accepit; ſileat interim, nec è corde ſuo proſilientia verba nullius bonæ frugis proferat, ne fortè in ſe audiat detorqueri quod peccatori dixit Deus: *quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam & proieciſti ſermones meos retrorſum.* Bonus ſiquidem homo de bono theſauro cordis ſui; hoc eſt, dono Spiritus ſancti, *profert bonum.* Ipſi gloria in ſæcula; Amen. A

Pſal. 49.

Non eſſe iurandum.

HOMILIA LXIII.

NAM quòd iurandum non ſit. Et quidem vetus illa lex quaſi ſua ſanciret decreta puſionibus, qui necdum eſſent per ætatem ſanctioris diſciplinæ capaces; tantum illud eſt quod cauet, vt nequis per intempeſtiuam occaſionem, neu per dolum iuret proximo ſuo. Nobis autem noſtræ omnium vindex ſalutis Dominus dicit; omnino vt ne iuremus. Ait enim; *ſit ſermo veſter, eſt eſt, non non, quod autem abundantius eſt à malo eſt.* Ac ſi diceret, illi populo priori calloſæ admodum ceruicis ac prædurę, mandaui ſic; *non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua:* Populo nempe illi cuius cor vſque adeò occalluerat, vt contumax ſemper fuerit nec credulus verbis meis. Vos autem qui fidem quæ in me eſt nihil grauatim eſtis complexi; quibus & dedi poteſtatem filios Dei fieri, regeneratis iam ex Spiritu ſancto: vos (inquam) adhortor, omnino vt ne iuretis; vt vel hoc diſcerniculo & inſigni declaretur, qui degeneres ſint qui ve legitimi mei filij. Reuereamur (dilectiſſimi) eum qui nos tanto dignatus honore eſt; Dominum dico, & ipſius Patrem. Sed & omni cum timore, tanquam ingenui ac veraces ſerui hoc eius verbum ſedulò obſeruemus, vt ne iuremus omnino: ne quando in nos illud intorqueat; *Filios genui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Et; *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Ne (quæſo) aduerſus ſermonem hunc Dominicum temerè quicquam aut per contemptum admittamus. Etenim quæ à nobis vel fiunt vel dicuntur citra iuramenti acceſſionem; fidem multò apud homines maiorem impetrant, ſuntque Deo longè gratiora. Rectè igitur denunciat Sapientia: *Iuramento non aſſueſaciat os tuum & nomini ſancto ne aſſueſcas; qui enim per aſſuetudinem iurat, nunquam purgabitur à peccato:* Rurſum. *Vir multum iurans, implebitur ignominia, & non recedet ab eo flagellum.* Sed vel ſola locutio viri iuramentis aſſueti, non ſolùm capillos ſurrigit; verùm aures inſuper infenſe & pugnaciter vellicat audientium. B C D

Matth. 5. Iac. 5. Hier. 4.

† Niſi illa adſint comites: veritas, iudicium & iuſtitia.

Eſay. 1.

Rectiùs enim ἐξιτήσεις, quam vt habet Ald. exemplar, ἐπιφορὰς appones. Eccleſ. 23.

Lex quoque dicit: *non iures per nomen meum in re iniuſta.* Propheta item Zacharias: *Iuramentum mendax ne diligatis, veritatem & pacem diligite.* Dicit & Oſee: *ne iuretis viuentem Dominum.* Michæas: *& ero teſtis velox aduerſus eos qui iurant in nomine meo mendaciter.* Dicit & Iacobus, per epiſtolam: *Ante omnia (fratres) nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum: ſit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non: vt non ſub iudicio decidatis.* Concinit his & Dominus ac Saluator: *Ego autem dico vobis nolite iurare omnino, neque per cælum, quia ſedes Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum pedum ipſius eſt, neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt Regis magni, & ne per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum: ſit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Deo noſtro gloria in ſæcula: Amen. E

Oſee 4. Zach. 8. Iaco. 5.

Matth. 5.

De fideli cuſtodia commiſſi arcani.

HOMILIA LXIIII.

ARCANVM pectoris vnius cuiuſpiam fidei concredere; eorum eſt qui ſunt intimi & domeſticè noti; hoc eſt; quos ſynceræ veritatis ac fidei indelibatæ commendat integritas; non item eorum qui externi ſunt, quorum videlicet fidem nondum habes exploratam: *Vobis enim datum eſt noſſe myſterium regni*, ait Dominus. Qui igitur ſuæ fidei commiſſum minùs fideliter cuſtodierit; proditor iam factus eſt regni. *Matth. 13.* Sanè nimiſquam neceſſarium ſit omni cum circumſpectione prouidere te, vt myſterium tuæ ſemel concreditum fidei contineas, penes te aſſerues & premas: ne is qui tibi germanè amicus eſt, ex amico inimicus perſeueret nunquam conciliandus, quemadmodum & diua ſcriptura doctrice erudimur; quæ & docet ſecretum nullo pacto euulgandum. Dicit enim Parœmiaſtes; *Prou. 17.* *qui celat iniuriam, quærit amicitiam: qui autem renuit celare, diſſociat amicos & domeſticos. Audiſti verbum? commoriatur in te*; ait: *qui enim ſecretum reuelat, perdit fidem.* *1. Eccl. 27.* Rurſus: *ſi reuelaueris ſecretum amici tui, nunquam perſequaris poſt eum: ſicut enim auem è manu tua demiſiſti, ſic perdidiſti Proximum tuum, & non capies eum: noli perſequi eum quia longè abeſt.* Inducit: *Vulnus liceat alligare, & conuitij eſt conciliatio: qui autem reuelauit arcanum, perdidit fidem.* Generoſæ igitur ac virilis animæ eſt, modis omnibus alterius ſecretum penes ſe recondere; nec vllam ob cauſam aut inuectum triſtitiæ nubilum prodere & euulgare arcanũ cum fiducia concreditum. In ſuſtinendo quidem vel ad horam, & continenter premendo ſecretum; nonnihil principio aditur laboris: demum incredibilem gaudij vindemiabis dulcedinem ex fructu continentis linguæ. Seruus enim fidelis ſi eſt, dominicum arcanum penes ſe tacitus ſeruat. Ait enim & Dominus diſcipulis ſuis. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: illis autem*; nempe externis; omnia *in parabolis* dicuntur, vt videntes videant, & non intelligant. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

ἀπωλέσας, lege, ἀπέλυσας.

Continentis linguæ dulcis eſt fructus.

Non cuiuis intempeſtiuiter aut temerè committendum arcanum.

HOMILIA LXV.

VNICVILIBET obuio concredere ſui pectoris arcanum; id peculiare eſt animæ prorſus ineruditæ, & quæ nihildum experta eſt decori atque honeſtatis. Pleroſque contigit perplexas atque vix tolerabiles incidere afflictiones, ex eo quòd quibus non debebant) nimiſquam temerè ſe crediderunt. Neceſſe igitur ſit, circonſpectim & comite conſilio agere omnia; nec inconſultè, vt ferè fit, ſecretum cuiquam committere, vt ne demùm per tuam temeritatem, fructus demetas doloris. Ad aures enim imprudentis bonum eſt nihil dicere, vt & Salomon ait, ne fortè ſubſannet eruditos tuos ſermones. Docet autẽ & alius Sapiens. *Prou. 23.* *Cum ſtulto noli inire conſilium, non enim poterit tegere verbum.* Rurſus: *omni homini ne prodas cor tuum, neque omnem hominem induc in domum tuam: multa enim ſunt inſidiæ calumniatoris.* Rurſum: *coram alieno nihil facias ſecreti, neque enim ſcis, quid pariet.* Iterum: *Vir bilinguis reuelat conſilia in concilio habita: qui autem fidelis eſt ſpiritu, occultat rem.* Michæas Propheta clamat: *Noli fidem habere amicis. & à Contubernali tua caue, & nihil illam fidei committe.* Hoc eo dixit, ne fortè eadem toleremus quæ & Samſon: Iuſto enim huic: quæ cum ipſo viuebat communiter, inexplicabiles conciuit turbas. Samſon enim propoſiti problematis ſolutionem enunciarat: id quod non mediocrem inuexit viro triſtitiam. Nec ſecùs altera thori cõſors, nempe Dalida ſubdolia & illicibus verbis iuſto cùm impoſuiſſet, effecit vt hic tantus publicæ eſſet in-

παλλὰ τὰ ἐνέδρα τῦ διαβόλυ βουλὰς τὰς ἐυουνδρια.

Iud. 16.

Digitized by Google

ſultationi inimicis ſuis: is qui Angelica promiſſione cõceptus eſt, pérque annos viginti Iſraeliticæ Index fuerat. A Idem manibus in Leonis ora iniectis ipſum diſſecuerat; In mandibula aſini mille peremit viros; ex eadẽ maxilla ſcatutientem bibit aquam; hic exuperanti fretus robore, portas Gazæ vrbis cùm emouiſſet loco, vnà cum feris humeris impoſitas, ſuſtulit in montem: & hic tantus abiectæ ac vilis mulierculæ ineſcatus illecebris, momento non tantum modò perdidit fortitudinem, ſed excauatis atque effoſſis oculorum orbibus, ad ludibrium expoſitus eſt puerilis gentis Philiſtinæ, hoc eſt, alienigenæ: quibus cum oppreſſus; diem ſuum obiit. Sequi igitur debemus Dominicam illam ſententiam, *Matt. 7.* quæ dicit: *Nolite dare ſancta canibus, neque proiiciatis margaritas veſtras ante porcos; ne fortè conculcent eas pedibus, & conuerſi diſrumpant vos.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum B Amen.

De Veritate.

HOMILIA LXVI.

MIRABERE forſan, Pater mihi venerabilis Euſtathie, túque & qui lecturi ſunt præſentis operis commentationem; cur veſtra exhortatione admonitus vt ſcriberem, & à vobis cùm ſim auſpicatus telam pertexere iſtius operis, mox tamen quaſi mei ipſius oblitus, haſce conciones ita pertexui vt videri poſſim diſcipulis quibuſdam loqui, quibus opus lacte ſit eruditionis & doctrinæ. Atque nemo miretur; neque vicariam hanc permutationem temerè ob- C iiciat factam eſſe per ignorantiam aut incogitantiam: magis verò gratum habeat timorem non vſquequaque aſpernabilem, quo ſubueritus detrectabã munus ſcribendi: neque enim mei ipſius oblitus ſum. Sed iam ad cauſæ redditionem venio. Occaſionem enim operoſæ iſtius lucubrationis ſic digeſtæ nouerit lector fuiſſe hãc; vt per capita. tibi (Pater) diſtinguerem & contraherẽ in compendium diuinam omnem ſcripturam, veterémque & nouam. Tale enim ſcribendi munus, veſtra ſuſcepi exhortatione; quòd momentis ſingulis loca & ciuitates permutare cogimur, per hanc Chaldaicæ gentis tempeſtatem, quæ totum propè terrarum orbem ſuæ premit tyrannide. Cùm verò teſtimonia doctrinæ diuinitus inſpiratæ quàm veriſſime ſcripta, nonnihil egeant D ſermone morali; perinde atque ſi fabrica quæpiam operoſior & faſtigio ſa magnifico ſumptu ingentium lapidũ *μακρῶν* ac pretioſorum ſubſtructa ſit & compacta, egeat nihil*βιζακίαι.*ominus ad abſolutam & ſolidam ſubſtructionem minutulis ſcrupis & ruduſculis perquam tenuibus, huiuſce rei gratia viſum eſt ſummariam delineationem præſentis opuſculi tali ſerie digerere & efformare; interim non auſus vni vobis peculiariter, ſed in commune omnibus qualemcúnque hanc inferre doctrinam. Siquidem ingenioli mei imbecillitas mihi ſatis ſupérque perſuaſa eſt & perſpecta; nec minùs exploratam habeo & compertam eximiam animi veſtri lenitatem. Nunc autem cùm eo ſit prouectus liber, vt de veritate mihi ſit diſſerendum; neceſſarium duxi, eum tibi dicare peculiariter quaſi diuinum quoddã & inſigne munus. Prorſum B veritas Deus eſt: Neceſſe igitur ſit, vt homo om-*Veritas Deus.* nis, (ſi modò veritatis eſt amantiſſimus) in votis habeat hoc primum, & oret ſibi indulgeri germanæ veritatis cognitionem, déque ea vt ſermonem ediſſerat prorſus amatore veritatis dignum, iuxta illius ſententiam qui *Pſal. 118.* dixit: *ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.* Veritas enim ad eos recipiet ſe, & illuſtrabit, qui eam opere ipſo exercent. Quemadmodum igitur qui profert mendacium, contaminat ac defœdat cor & os (nihil enim ab hoſte humanæ ſalutis, differt mendacium; pater enim mendacij Diabolus eſt) ita & qui veritatem loquitur, animam ſanctificat, & os, & reliqua corporis membra: Veritas enim Chriſtus eſt. Admonens autem Propheta Zacharias populum illum malè morigerum, *Zach. 8.* A ait: *loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, & iudicium pacificum iudicate.* Alius: *Labia veracia dirigunt teſtimonium; qui autem conſeruare volunt pacem, lætabuntur,* Item: *Veritatem poſſide, & ne abiicias ſapientiam atque diſ-* *Prouer. 23.* *ciplinam; quia vir verax implebitur riſu;* hoc eſt, gaudio. Dauid: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Infert: *qui ingreditur ſine macula &* *Pſal. 14.* *operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo;* hoc eſt corde. Principium ſermonum tuorum veritas; & in omnia ſæcula iudicia iuſtitiæ tuæ. Etenim; *opera manuum tuarum veritas & iudicium.* Et, *miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Propter hoc, *intende proſpere, procede,* *Pſal. 44.* *& regna propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam. In ore enim inimicorum meorum non eſt veritas; quia cor eorum vanum eſt: ſepulchrum patens guttur eorum, linguis ſuis* B *doloſe agerunt,* propter hoc *iudica illos Deus.* Sed & veridicus Iob: *non enim celaui verba ſancti Dei mei.* Parœmiaſtes: *Prouer. 19.* *melior eſt pauper in veritate ambulans diuite mendace.* Facere enim quæ iuſta ſunt, & loqui veritatem, accepta ſunt Deo magis quàm ſanguis victimarum. Rurſus: Ape- *Prouer. 12.* riens è labiis recta, quia veritatem meditabitur guttur meum, execrabilia autem in conſpectu meo labia mendacia. Item Apoſtolus: *deponentes igitur mendacium lo-* *Epheſ. 4.* *quimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quia ſumus inuicem membra.* Et: *in charitate non ficta, in verbo veritatis.* Ioannes quoque: *Scimus quia filius Dei venit & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto; hic eſt verus Deus, & vita æterna: qui enim veritatem loquitur: in Deo manet.* Neceſſe igitur ſit, C ea hominis ore nullum effundi ſermonem qui non veritate omnimoda nitatur; vt Spiritus ille veritatis qui idem Deus eſt, intelligatur in hac etiamnum carne ſibi delegiſſe domicilium: qui per hoc, apud omne hominum genus comperitur veridicus; atque ita demum glorificabitur Dominus inhabitans hominẽ. In omni verbo verax eſt Dominus, nec vllum poſſit in ipſo deprehendi mendacij veſtigium. Quotquot igitur ſemet *Mendaces deludunt Deum.* irretiunt mendaciorum funiculis fruſtrantur & eludunt Dominum, fiuntque prædones Domini; dum id quod penes ſe depoſitum eſt, non reddunt incolume & ſanũ. Spiritus enim acceperunt nulla contage mendacij decolorem. Hunc ſi reddiderint Domino interſtinctum variis mendaciorum notis, vtique videri poſſunt contaminaſſe depoſitum: quo fit, vt dici debeant rei alienæ D ſuppilatores. Iam veritatem quiſquis cuſtodit ac tuetur; citra difficultatem vllam poteſt ſibi emereri beatam vitam. Ab ipſa enim protegitur veritate necunde talem adoriatur & vrgeat quidpiam mali. Iure igitur, & pro decoro tuendi hactenus cœpti ordinis ſermonem hunc (qui de veritate eſt) ſuccedaneum tibi (ô venerabilis pater Euſtathi) conſecrauimus. Semper enim *τῆς ἀλ-* Chriſtum indutus, in ipſo viuis & moueris; vtque homo *ηθείας ἐ-* verax, præcipuo & exuberanti amore ipſam deperis ve- *ρασὴς* ritatem Chriſtum: quem vna cum Patre & Spiritu ſan- *μανικώ-* cto compar addecet gloria in ſæcula ſæculorum. *τατα.* Amen.

Neminem præter decorum & diſcretionem coargui debere.

B

HOMILIA LXVII.

PROXIMVM coarguere ſecundùm Deum; Deo ipſi quàm ſit gratioſum & amabile, quis explicet? Aliud enim eſt nihil, quàm inſigne fraternæ dilectionis argumentum; ac piæ erga proximum voluntatis illuſtre ſignum, alieno periculo indoleſcentes, ſyncero cordis affectu & munda prorſus conſcientia. In timore autem Dei id fiat, nec ſine indiuidua eius comite miſericordia, vnum aliquem arguere, hoc vnum ùm mentis ſcopo, ad rectitudinis reuoces viam & conuertas peccatum; Idquidem fiat, oportet: ſed & neceſſe ſit diſcretionis aciem intendere, vbi & quo

Digitized by Google

Diſcretionis vtatur in reprehenſionibus. Peccatores, quo argumento ſint caſtigandi.

quo loci ſit neceſſaria reprehenſio. Vir potens autboritate, ſiue diuinis ſuffarcinatus neunquam reprehendédus venis inanis gloriæ: potiùs enim huic impendens periculum futuræ ignominiæ conuenit inductis exemplis demonſtrare: hoc enim pacto tales non illibenter admittent reprehenſionem. Conſimili ratione nihil profuerit eum increpare, qui à peccatis interquieuit, quémque prioris pœnitet vitæ. Quòd ſi dicis reprehendere te per charitatem erga Deum & proximum: primùm vide illi inclareſcat delictorum grauitas, nec iam mœrore aut triſtitia contabeſcit reprehenſus: Scriptum quippe eſt in Prouerbiis;

Prouer. 27.

melior eſt reprehenſio manifeſta quam abſcondita amicitia, fideliora enim ſunt vulnera amici quam voluntaria oſcula inimici; melior enim qui reprehendit viro iniuſto, & ceruicis duræ. Eius enim qui repente inflammeſcit ira, non eſt ſanitas. Rurſus

Prouer. 28.

qui oſtendit homini vias ſuas; plus habebit gratiæ eo qui ad gratiam linguam ſuam componit. Iterum; *noli arguere malos, nequando oderint te, argue ſapientem, & diliget te, da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit, notifica iuſto, & addet vt accipiat.* Iterum: *qui annuit oculo cum dolo, congregat viris triſtitiam, qui autē cum libertate reprehendit, habet pacem. Argue amicum, ne forte non fecerit,*

Eccleſ. 19.

& ſi fecit, vt ne addat. Eadem prorſus lex ait: *argues proximum tuum, ne forte non fecerit, quod ſi fecit, ne adijciat: quàm*

Eccleſ. 27.

bonum eſt arguere potius quàm iraſci occulte? Inducit: *In conuiuio vini ne arguas proximum, & ne ſpreueris eum in lætitia eius.* Item: *ſi arguerit prudentem, conſiderabit ſenſum; cor ſenſitiuum, anima illius triſtis eſt: qui autem reprehendunt, ſibiipſis videntur, quàm ſint, eſſe meliores.*

1. Tim. 5.

Paulus item Timotheo ait: *peccantes, coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Rurſus: *argue, increpa, obſecra.* Sed & is qui nos ad ſalutem magnopere ſtudet prouehere Dominus ac Saluator noſter, hunc in modum nos adhortatur:

Matt. 18.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum vnum aut duos, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum, quod ſi nec hos audierit, dic Eccleſiæ: ſi autem nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Deo noſtro gloria in ſæcula; Amen.

Vt ipſe coarguaris, debes expetere.

Homilia LXVIII.

Homo (ſiquidem de ſe quam modeſtiſſimè ſentit, ſéque pro abiecto habet & vili) multa cum animi voluptate & beneuolentia eas excepta quæ in ſe recidunt correptiones aut quamlibet aſperam obiurgationem. Beatus igitur Monachus qui ſeipſum aliud eſſe cenſet nihil, quam omnium peripſema. Incredibili enim lętitia perfunditur tacitus, ſuper prima deiectione & contemptu (dum ſeipſum deputat nec fucatè cæteris tantò eſſe minorem) magis quàm pro exhibito honore aut proprij celebritate nominis.

περίψημα. mentum, quiſquiliæ, lomentum.

Vnde & talis à Deo prædicatur beatus, iuxta Eſaiæ teſtimonium dicentis: *Sanctificate eum qui extenuat animam ſuam, qui autem odit correptiones, imprudens eſt:* Sed & huic impendet non ſimplex perturbatio; qui autem diligit eas, liquet hunc nulla iam percelli animi perturbatione; ſed ſedato eſt animo. Quàm igitur profuerit benignè nos excipere qui nos ſuis exercent ſannis & ſcommatibus quamlibet amarulentis; præ illis qui nos adornant ſuis commentitijs laudibus? qui iuxta ſcripturam nihil ab eo differunt qui maledicit. Idem rurſus Eſaias: *audite verbum Domini, qui intremiſcitis ad ſermonem eius, dicite his qui vos oderunt & execrantur, fratres mei.* Sed & Parœmiaſtes: *conterit comminatio cor prudentis, imprudens autem etiam flagellatus non ſentit.* Iterum: *qui repellit diſciplinam, odit ſeipſum, qui autem ſeruat correptionem, poſſidet prudentiam.* Rurſus: *qui habet prudentiam, in bonis erit, & qui cuſtodit correptiones, ſapiens efficietur.*

Prouer. 15.

Et; *qui ſeruat increpationes, ſuam ipſius diligit animam; qui autem oderunt, ignominiosè moriuntur.* Et: *Paupertatem et ignominiam aufert diſciplina; qui autem cuſtodit correctiones, glorificabitur.* A Rurſum: *Plagæ & obiurgationes tribuunt ſapientiam; puer autem decerrans confundit parentes ſuos.* Iterum: *qui diligit diſciplinam, diligit ſenſum, qui autem odit increpationes, imprudens.*

Prou. 12.

Dauid quoque: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Non quidem quòd is deprecaretur aut defugeret vitabundus Dominicam correptionem: ſed eam quæ cum ira graui infertur, diſciplinam à ſe precatione hac vſus amoliebatur ac depellebat. Infert enim: *corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me.*

Pſal. 140.

Sane, quàm eum par eſt magnum cenſeri & admirabilem qui cùm increpatur acriùs & ignominia non leui aſpergitur, perfert tamen: quemadmodùm honeſta illa Chananitis, magnique meriti; quæ quidem ſimul atque à Domino audiſſet, *non eſt bonum ſumere panem filiorum &*

Matt. 15.

B *mittere catellis:* non hæc modò indignata non eſt, ſed ex diuerſo ſeipſam extenuans reſpondit; *Imo Domine, etenim catelli edunt de bucellis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Hoc reſponſo in admirationem tantæ iſtius & humilitatis & fidei ſe ſurrigens Dominus; dixit: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Ipſi gloria in ſæcula.

De Pudore & Verecundia.

Homilia LXIX.

Verecundia (Chariſſimi) ſiue pudor qui ſecundùm Deum eſt, quanto prænitet decore? Nihil enim admittit in ſyncetum aut permiſtum; nulla pallenti rubigine viciatur C hypocriſeos, nihil in ſe prorſum habet quod reprehenſione dignum ſit. Nec ſolum, ſed & inter Deum nóſque ſequeſter eſt. Pudorem hunc igitur anteuertamus aſſequi; vt in Dominico aduentu maiore cum fiducia præſentemur: vicinus enim illius aduentus eſt, & ecce pro foribus adſiſtit. Quæ enim ſecundum Deum verecundia eſt, ne annutu quidem aut vultu arrecto auſit quicquam petere, aut quiduis præſente Deo liberius depromere, præ malorum multitudine, quorum ipſi nobis conſcij ſumus. Si quando igitur dedecore quopiam aut probro aſpergemur, mox cogitemus eam impreſſionem nobis inflictam pro cumulo gloriæ quam nobis à Deo datum iri ſperamus, cúmque actione gratiarum nihil ægrè illam toleremus. Magno enim commodo D noſtro ſinit Deus eam nobis infligi, atque ita interim dum ignominia percellimur, ſecuri erimus triſtitiæ omnis, nulla nos conciet mentis intemperies. Sane non parum vereri debemus Dominum qui tanta lenitate malorum omnium quæ geſſimus, obliuiſcitur, ſi quando alias, nunc maximè temporis, iuxta id quod dictum eſt. Neque enim nunc vel obgannire licet aut aperire os. Siquidem Domine ſeruis tuis & ijs qui te colunt, confuſio iniuſta eſt & illatum opprobrium. Tibi enim Deo noſtro iuſtitia, nobis autem confuſio vultus noſtri, vt hæc probat dies nobis principibus noſtris & regibus noſtris, quia peccauimus, inique egimus & à rectitudine deflexímus viæ tuæ, nec mandatis tuis obediuimus. Quæ enim prophetico afflatus ſpiritu futura

Hier. 31.

E præcinuit Hieremias, nunc temporis contigere. Is enim ait, Confuſi ſumus, quia audiuimus opprobrium noſtrum. Operuit ignominia faciem noſtram, quia ingreſſi ſunt alienigenæ ſanctuaria noſtra, in domum Domini. Sed & Dauid, Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam, quia tota die confuſio mea contra me eſt. Et, Confuſio faciei meæ cooperuit me.

Pſalm. 68. Eccleſ. 4.

Eiuſmodi igitur pudor ſiue verecundia planè bona eſt, cum ſecundum Deum ſit, vt quæ hominem adducit ad pœnitentiam ac proinde non mediocrem adfert animæ fiduciam. Eſt autem & altera confuſionis ſiue verecundiæ ſpecies planè noxia ac detrimentoſa ſecundum ſcripturam quæ dicit, Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio gloria & gratia. Plerique enim dum alios improbi timore verentur, in Diaboli retia non ſemel

Digitized by Google

μὴ *hic vacat* *Prov. 8.*

reuoluti ſunt. Infert, Qui non reuelat impietatem ſuam, non proſperabitur: qui autem exponit & reprehendit, diligetur. Rurſus, Iuſtus accuſator eſt ſuipſius in principio ſermonis. Et, quanto tempore innocentes proximè ſequuntur iuſtitiam, non confundentur. Noſſe enim legem, mentis eſt bonæ. Inducit, Beatus qui in omnibus timet propter circunſpectionem. Et, Præpara ad exitum opera tua. Et, Ne confundaris confiteri peccata tua. Non mediocri opus homini eſt lumine diſcretionis, vt norit vbi debeat ſuppudeſcere & circunfundi verecundia, quæ ad animæ ſuæ promoueat ſalutem, vbi contra debeat eam à ſe recellere ac propellere, quòd ad peccatum ducat. Liceat enim inuenire qui pollicetur quidem ſuoipſius amico verecundi pudoris gratiam; deinque eum ipſum ſortitus gratuito inimicum. Nos igitur dilectiſſimi eam verecundiæ ſpeciem pro virili nobis adſciſcamus quæ ſecundum Deum eſt, imitati Publicani illius exemplum, qui vel in cœlum ſuſpicere & attollere oculos verebatur, interim ſuum tundens pectus hiſque orãs verbis, Deus propitius eſto mihi peccatori, vt illius exemplo abſolutam peccatorum remiſſionem mereamur aſſequi, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

De Modeſtia animi ſiue humilitate.

Homilia LXX.

Exod. 18. ἰοθὸρ. *Ietro.*

MODESTIA animi ſeſe vltrò dimittentis ſiue humilitas hominem altiuolum efficit & aërivagum. Quantò enim quis ſe infra deijcit: tanto hunc ſublimius ſubuehit Deus & alleuat. Sic Moſes, qui Deo iam familiariter congrediebatur. Hic tantus, de ſe cum modeſtiſſimè ſentiret, conſilium nenunquam auerſatus eſt ſui ſoceri Ietro, tametſi tanta prius fuiſſet, nempe auguſtiſſima Dei viſione perfruitus. Verùm quæcunque ille ſuggeſſerat: hic effecit: eóque ipſum Deus præter cæteros omnes qui in terra morabantur, euexit in ſublime. Haud ſecus Gedeon reſpondebat tribui Ephraim moderata vſus & eo opportuniore prudentia dum dicit, Quid feci, nunc vt vos feciſtis? Nunquid non melior eſt racemulus Ephraim: quam vindemia Abiezer? In manibus veſtris tradidit Dominus principes Madian. Ecquid tale facere potui, quale vos? Atqui huic Deus eam contulerat victoriam in trecentis viris. Cæterum iuſtus hic modeſtia ac lenitate reſponſi excitatam iram repreſſit ac ſedauit, quin prius aliquantò Angelo reſpondit, quis ſum ego, aut quæ eſt domus patris mei? Millenarius meus abiectior eſt & humilior in Manaſſe. Sapiẽs quidem dicit: Quanto maior es, tanto humilia teipſum: & coram Domino inuenies gratiam. Nam opera omnia humiliãtis ſe manifeſta ſunt & conſpicua oculis Domini. Os enim humile meditatur ſapientiam: intellectus autem bonus dat gratiam. Ait item Pſaltes regius, Ego autem ſum vermis & nõ homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Rurſus. Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor meus fortis. Qui de ſe moderate ſentit & opus tractat ſpirituale, interim diuinas dum legit ſcripturas, quæcunque occurrunt, vniuerſa in ſeipſum tacita cogitatione reflectit, & non in alterum. Si cupimus Deo noſtro magnopere eſſe gratioſi & amabiles, amicitiámque eius fœliciſſimam exoſculari ſuauiſſimè & amplecti: mentem illi noſtram exhibeamus nudam & ab omni concretione materiæ defecatam, quæ nihil ſæculi iſtius alicunde ad ſe adſciſcat, nullas aduocet molitiones fraudum, nihil commentitium aut ſophiſticum, non item cauillationes ſiue diſceptationes iuris. Auerſatur enim numen illud eos, qui ſe adeũt ſupercilioſa quadam freti perſuaſione. Contra ſi quis Deicola ac pius de ſe alioqui quam abiectiſſime ſentiens, neutiquam turgeſcens aut veluti extuberans inani

Iud. 8.

Eccleſ. 3.

Pſal 70.

A faſtu, nihil temere ſibi adſcribens meritorum tacita cogitatione, magis verò qui ſe inutilem eſſe ſeruum deputet: hunc talem clementer reſpicit Dominus, eiúſque inhabitat mentem gratia Dei veriſſimæ humilitatis inſigne, hoc eſt, nullas in quempiam intorquere contumelias, ſed ab alijs in ſe contortas generoſe & infracto perferre animo. Siquidem nemo (modo is ſit non fucatè humilis) qui cauſificetur aut partes vnquam ſuſtineat tuendi ſe. Vt enim arborum ramos exuberans copia fructuum deorſum verſus inflectit: ita & acceſſio diues virtutum ſeorſum hominis ſe poſſidentis demittit atque humiliat. Rurſus quemadmodum ſtatumen aut vineæ pedamentum ramum communit ac geſtitat fructuum vbertate prægnantem: ita timor Dei eum ſuffulſit, qui virtute adornat ſe. Beatus ille Paulus extenuans ac ſupB primens noſtrum hunc faſtum per epiſtolam dicit, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Iterum. Vt purgamenta mundi facti ſumus, omnium peripſema. Hæc porrò verba in exemplum poſita ſunt inſinuandæ humilitatis. Rurſus, Cognoſcite gratiam Dei, quia propter nos diues cum eſſet, pauper factus eſt: vt nos illius paupertate, diuites eſſemus. Inducit. Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, digne vt ambulemus vocatione qua vocati ſumus, cum omni humilitate & manſuetudine, cum longanimitate ſupportantes inuicem in charitate. Denique infert, Poſtremo omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.

Homœoſis.

Similitudo altera.

Rom. 7.

περιψήμα.

Epheſ. 2.

ἐκλήθητε.

1. Cor. 15.

Quiſquis igitur ſtudet indipiſci virtutem humilitaC tis, quæ à ſolo Deo prærogatur, ſimúlque declinare parentem vanitatis à Deo modis omnibus inuiſum tumorem ſuperbiæ, ceu prius dictum mihi eſt, nihil omittat eorum quæ conducunt ad parandam humilitatis legitimam functionem, ſed tali adſint habitus, pallium, inceſſus, ſedile, alimonia, ſtratus, ſermo, ipſe corporis motus, aſpectus, congreſſus cum proximo ac familiare colloquium, denique quæ ab illo cum labore fiunt: ad frugalitatem & parſimoniam ſpectant omnia. In primis ſuo de ſe iudicio ne ſe totum permittat; memor ſit Domini, qui nequaquam indignum duxit ſubmittere ſe lauandis diſcipulorum pedibus, qui & dixit: *exemplum enim dedi vobis*; nempe humilitatis; *vt quemadmodum feci vobis & vos faciatis inuicem.* Si hæc ſcitis; beati eritis ſi feceritis ea. D Ipſi gloria in ſæcula; Amen. *Ioh. 13.*

De eo quòd proximo condonandum ſit.

Homilia LXXI.

VT proximo ignoſcas in plenitudine cordis, Dominicum vrget te mandatum, vniuerſo hominum generi apprime ſalutiferum. Domini autem mandatum æterna eſt vita. Itaque condonando proximis, veniam ipſi impetramus. Sin remittemus ex animo, noſtra ipſorũ peccata per hunc quaſi copiam ſignaculo inſignimus, ne veniam promereamur. Quis igitur (ſapiens modò ſit) qui cum magnopere cupiat ſuorum nec vlli numerandorum delictoE rum perfrui abſolutione, non cum ingenti gaudio feſtinet proximo condonare minutiſſimos quoſque defectus? Iam hnc à nobis vt fiat, non ore ſolùm præſcripſit Dominus, ſed & opere ipſo præmonſtrauit, quo pacto expleri debeat. Patrem enim ſuum cruci confixus interpellabat, ipſis apprecatus veniam qui ſe extremè & iniquiſſimè diuexabant. *Pater* (ait) *dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Quin & aliquantò priùs, cum dequererẽtur diſcipuli aduerſus quoſdam Samaritas, vt qui hos detrectarant excipere hoſpitio; rogarent proinde ſic inclementes, igne cœlitùs miſſo conſumi, quid reſpõdit Dominus? Vtique eos increpuit: *neſcitis* (inquit) *cuius patris eſtis* animi vin manſueti, clemẽtis, & benigni. Hoc ipſum nos propheticis oraculis edocuit nominus. ait enim Zacharias: *Luc 9.*

Digitized by Google

Zach. 7. charias: *Iudicium iuſtum iudicate miſericordiam & miſerationem facite vnuſquiſque cum proximo ſuo*: Sed & Paulus: A *eſtote igitur inuicem benigni, miſericordes, imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, donantes vobiſmetipſis ſicut & Deus donauit vobis.* Abdias item Propheta: *quemadmodum feciſti, fiet tibi; retributio tua retribuetur in caput tuum.* Debemus ſane alienis indoleſcere malis, nec grauatim mutuas donare offenſas, ſumus enim vnum corpus, & alteri aliorum membra. Debemus inſuper idipſum inter nos atque idem ſapere, perculſi terrore formidabilis ſententiæ Domini ex corde inuicem remittamus offenſas. Dixit enim, quia ſic faciet vobiſcum Pater meus cœleſtis, ſi non dimiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris peccata ipſorum. *Serue* (ait) *nequam, omne illud debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me; nonne oportebat & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum: & iratus tradidit* B
Ephes. 4. *eum tortoribus, quouſque redderet omne debitum.* Quin Petro roganti: *quoties dimittam fratri meo, ſi peccauerit in me? vſque ſepties?* Reſpondit Dominus: *non dico vſque ſepties,*
Math. 18. *ſed vſque ſeptuagies ſepties*: eoque ſubiecit; *dimittite & dimittetur vobis.* Quòd ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum; ſi reſipuerit per pœnitentiam, dimitte ei, ſi ſepties etiamnum in die ad te reuerſus fuerit dicens, me pœnitet, dimitte ei. Deum noſtrum addecet gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

Quòd pro inuicem orandum ſit, & quamlibet immicos.

Homilia LXXII.

PRÆCLARE nobiſcum ageretur, fratres; ſi C per omnia ingrediemur ad præſcriptam nobis à Chriſto formulam mandatorum quandoquidem ſic alterum alteri cohæreſcit & *vi.* innectitur, quaſi annuli aureæ cuiuſpiam catenulæ cōſerti inter ſe & implexi: *Fidelia enim omnia mandata eius confirmata in ſæculum ſæculi.* Prorſus neceſſe ſit eum qui velit verus eſſe Chriſti diſcipulus, tanto erga Chriſtum ſuccendi charitatis ardore, vt ne vllum quidem mandatorum ipſius prætergrediatur; tametſi id exigui momenti aut graue eſſe videatur. Ipſe enim dixit: *ſi diligitis me, mandata mea ſeruate.* Ruſus; *amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, nunquam intrabitis in regnum cælorum.* Et (quidem dile-
Math. 5. ctiſſimi) heſterna collatione ediſſeruimus vobis quàm ſit neceſſe, vt animo ignoſcamus proximis: hodie verò non id ſuggerimus ſolùm charitati veſtræ, vt condonetis offenſas; quin & hortamur, vt pro illis quoque preces effundatis. Iam quando Dominus ipſe ac noſtræ aſſertor ſalutis vtraque hæc obſeruari oportere ſanxit; nemo in poſterum cenſeat grauia eſſe mandata eius. *Iugum enim meum ſuaue eſt* (inquit) *& onus meum leue.* Non
Math. 11. abludit à ſententia Domini Apoſtolus: *diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum.* Ad eum modum inuenire liceat in diuinis Scripturis, mandatum hoc opere impleſſe ſanctos omnes, verius multo abſoluiſſe omnia. Et quidem Propheta ille Samuël populo reſpondit: *abſit hoc à me vt recedam à Domino, vt ceſſem clamare, vt deſinam orare pro vobis ad Dominum.* Rurſus idem: *Abſit hoc à me,*
1. Reg. 7. *vt peccem in Domino, vt ceſſem orare pro vobis.* Vt hunc admirabilem è priſtinæ dignitatis gradu deiecerint Iudæi; imò exinaniuerint, petito ſuper ſe Rege; nulli arbitror
Hiere. 11. non perſpicuum. Sed & Hieremias inſignis etiamnum Propheta, per Iudæorum ingratitudinem tanta paſſus; pro eiſdem nullo non tempore precabatur. Id verum eſſe liquido colligitur per ea quæ illi dicebat Deus: *& tu ne ores pro eis, neque enim exaudiam te.* Ad eundem modum Moſes dicebat Deo, *ſi quidem dimittis eis peccatum, dimitte: quòd ſi non, dele me de libro tuo.* Et hoc ſane non illi modo faciebant qui ſub veteris teſtamenti viuebant iugo;
Exod. 32. ſed & qui ſub gratia nouæ legis. Beatus Iacobus Do-
De hoc ſuſius. mini frater, Angelicam vitam in terris cum vixiſſet; omnium ſuffragiis dici promeruit, iuſtus: nimirum A per conuerſationem ſanctioris vitæ. Hic talis munimē- *2. c. 23 Eccleſ. hiſtor. cui cōſonant.* tum erat populi. Feſtus igitur dies Paſchæ cùm illuxiſſet, inque templum multæ conueniſſent myriades Iu- *Hier. & Sophron.* dæorum, & hunc beatum in pinnaculum templi extuliſſent: Iuſtè te obſecramus (aiunt) vt dicas populo ne in poſterum exerret poſt eum qui dicitur Ieſus; tibi enim omnes nos fidem habemus. Reſpōdit beatus: quid me interrogatis de Filio hominis, en ipſe ſedet ad dexteram Dei in excelſis. Exleges illi & iniqui Pontifices ac Phariſæi acclamarunt: O ô; etiam iuſtus hic in errorem prolapſus eſt! Et dixerunt ad inuicem; malè fecimus, talem teſtem produximus qui ſecundum ſe teſtimonium ferret pro Ieſu; ipſo enim audito non pauci ex plebe crediderunt. Cæteri qui cum eo aſcenderant, è ſublimi præcipitarunt ſanctum: qui cùm in genua B cecidiſſet, nec ſtatim oppetiſſet mortem, ſed oraret pro ipſis; vnus filiorum Rhecam propiùs cùm ſe illi admouiſſet, audiuit orantem & dixit: quid facitis? en quoque pro vobis iuſtus orat. Tunc vnus quiſpiam arte fullo, cùm accurriſſet; lignum intorſit in caluariam eius, quo quidem opifices illi ſordidas veſtes exprimunt; vitámque illi ademit. Similem in modum beatus Stephanus in medio conſiſtens iniquorum exclamauit: *ecce video cælos apertos & Filium Dei ſtantem à dextris ipſius.* Cùmque rapuiſſent eum, eiecerunt extra ciuitatem, & lapidabāt *Act. 7.* inuocantem & dicentem, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Ecce igitur ipſi perſpicimus pro ſuis etiamnum inimicis oraſſe adúſque mortem ſanctos. Iure quidem: nam qui pro ſe afficientibus iniuria quapiam eſ- C fundit precem, illidit quidem & deturbat Dæmones; ſe autem hoc ipſo opere declarat hæredem eſſe regni cœlorum. Admonet præterea Apoſtolus, vt pro omni hominum omnis genere: vtique cum ait: *pro omnibus*: *1. Tim. 2.* per hoc indicat, nos non pro amicis ſolùm, ſed & pro inimicis oportere orare. Itaque ſi Domini imitatores videri velimus; neceſſe ſit non pro amicis ſolùm vt oremus, ſed & pro inimicis; prouocari Domini exemplo. Ipſe enim opere docuit facere hoc nos oportere. Siquidem à cruce dum penderet; Patrem interpellauit pro ſe crucifigentibus: pro amicis item antequam in crucem ſuffigeretur; próque diſcipulis in myſtico illo conuiuio oraſſe legitur. *Vos enim amici mei eſtis* ait. Et: *Iam non dico vos ſeruos.* Orabat tum dicens: *Pater ſancte* D *ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi.* Rurſus, *non rogo vt* *Ioh. 17.* *tollas eos de mundo; ſed vt ſerues eos à malo, ſanctifica eos in veritate tua; ſermo tuus veritas eſt.* Ipſi gloria in ſæcula. Amen.

De non quærendo quæ ſua ſunt.

Homilia LXXIII.

QVemadmodum Dominico mandato vrgemur & mutuas donare offenſas & pro inuicem orare, ita nec debemus quæ noſtra ipſorum ſunt, quærere cupidiùs, ſed quæ fratrum qui eiuſdem ſunt membra corporis; vt ne noſtro vitio vllam adeāt occaſionē noxæ aut detrimēti. Dixit enim Deus Moyſi: *Exod. 3.* E *ſolue calceamentum pedum tuorum*: hoc eſt, ſolue iuſtificationem tuam, carnalem iſtam prudentiam ac faſtū propriæ voluntatis. *Locus enim in quo tu ſtas, terra ſancta eſt*; quam vtique ſortitò hæreditant manſueti. Nos itaque carnalis iſtius voluntatis noſtræ præcidamus præputiū; eam explentes quæ Dei eſt; ne ab eo excidamus qui per Hieremiam dicit: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuentis.* *Hier. 2.* Et, *Ambulauerunt poſt voluntates ſuas malas.* Magna nobis cautione prouidendū, ne fratres noſtros exatiemus poculo turbulentæ ſubuerſionis, nempe ſcandali. Si enim *Rom. 14.* propter cibum, ait Paulus, frater tuus contriſtatur, aut infirmatur, aut offendit; non iam ſecundū charitatē ambulas: *noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Sic autē peccantes in conſcientiā infirmam, in Chriſtū

Digitized by Google

peccamus: Ideóque ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, A dicamus & nos qui religioſi ſumus: non manducabo carnes in æternum, vt ne fratrem meum ſcandalizem. Hæc nihil obſcutè faciebat (fratres mei) beatus ille fidelis prorſus, Dei & Chriſti eius amantiſſimus, idémque ſalutis proximorum cupientiſſimus. Hic ne quis improbo ſuo exemplo ſcandalizaretur; irreprehenſibilem ſe per omnia exhibebat, mortem denique oppetiit. Itaque fratres in omnibus voluntati noſtræ iniciamus frenum, proximi cauſa eam præcidentes: vt ne authores vllius ſimus ſcandali aut ſubuerſionis audientibus, atque vitæ illius noſtræ inſtitutum explorantibus. Ille perquam beatus qui pietatis tuendæ gratia cuncta veretur ac timet! Scriptura namque habet ac beatus Paulus, nemo quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ proximi.

1. Cor. 10. Irreprehenſibiles eſtote (ait) & Iudæis & Græcis & Ecclesiæ Dei, B quemadmodum & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi ipſi vtile eſt, ſed quæ multorum: vt ſalui fiant. Et rurſus: *Charitas non quærit*

1. Cor. 13. *quæ ſuaipſius ſunt, non irritatur, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.*

Rom. 15. Sed & is infert: *debemus autem nos qui potentes ſumus, infirmitates impotentium ſuſtinere, & non nobisipſis placere, etenim ipſe Chriſtus non ſibi ipſi placuit.* Iterum: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sed &

2. Cor. 11. Ioh. 4. Dominus: *meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, Patris, & perficiam opus eius.* Voluntas autem ipſius eſt, vt ſaluem omnem hominem. Rurſus: *deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me, Patris.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

De non concupiſcendo. C

Homilia LXXIIII.

Rom. 8. SCRIPTVM eſt; *quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei*: quòd ſi filij Dei illas diligunt hominum; hoc eſt, humani fauoris vel exiſtimationis ducuntur affectibus: cui obſcurum ſit, talium commiſtura gigni in poſterum gigãtes initio ſtatim conditi orbis celebres opinione atque famoſos? hoc eſt, è quibus germen emerſit gloriæ inanis; nempe ſuperbia, elatio, inflatio ſiue faſtus, arrogantia ſiue immodica exiſtimatio ſui, iactantia ſiue gloriatio. A ſęculo enim emerſit ſuperbia, ac cæteri vitioſi affe- D ctus ex ipſa enati ſunt. Sed quid Deus? *non permanebit*

Gen. 6. *Spiritus meus in hominibus hiis in æternum, quia* carnales ſunt per prauæ concupiſcentiæ corruptelam, quemadmodũ & Paulus Galatas coarguens dicit: *Quum ſpiritu cœperitis,*

Gal. 3. *nunc carne conſummamini.* Egregium ſanè fuerit, ſi quidẽ ab eiuſmodi quæ in mundo ſunt, concupiſcentiis excidemur. Talis enim concupiſcentia omnis aduerſus ſpiritum militat: Cor enim voluptatum allectatoris carcer

φιλήδονος καὶ φιλόπονος. vtique eſt & catena animæ in ipſo exitus articulo: contra induſtrio & laboris patienti, vt libera euolet, aperta eſt ianua. Affectus namque concupiſcentiæ germen eſt ex otio ſuppullulans. Otium enim ſuo velut ſemine gignit concupiſcentiam, atque animi lentorem; magis

Otium, parens concupiſcentia, acedia ac deſperationis. verò deſperationem. Si enim recto rationis iudicio per- E penderemus, quia ſuper terram inquilini ſumus, & quia celeriùs emigrandum hinc nobis eſt; cũcta vtique iſtæc temporaria obnoxia corruptioni & quæ nos rapidiſſimi torrentis inſtar prætereunt; nequnquam tanto expeteremus ſtudio, quippe quæ noſtra non ſunt ac vix tantillo durant tempore. Quare ſinum noſtræ concupiſcentiæ fuſiſſimè laxemus ad ea quæ verè noſtra ſunt, & quæ perennabunt nobiſcum: nimirùm vt ſimus cum Chriſto vt eius incogitabili dulcedine atq; regno mereamur perfrui. Nam qui tales, præſentis iſtius ſæculi omnia, diuitias dico, gloriam, prçfecturam, decoram atque amabilem corporis elegantiam, vt fœdiſſima ſtercora deputant; iſtis nulla in re imponere queat princeps huius ſeculi, vt à rectitudine deflectãt, aut auocare à charitate

Chriſti; aſtruente hoc Salomone; *Concupiſcite* (ait) *ſapien-* Sap. 6.
A *tiam, vt in æternum regnetis.* Et: *quærite prudentiam, & perſiſtite in ſcientia intelligentiam,* & alia id genus nõ pauca ſcripta ſunt. Ab omnibus enim ſcripturæ nobis interdicũt, quæ ſunt per ſe obſcœna & ab honeſtate aliena; ita vt veluti in vnum faſcem conſertim, vbi multa contentione differentiam explicauit bonæ malæque concupiſcẽtiæ, ſubnectit: *aufer à te ipſo omnem concupiſcentiam malam; induere verò eam quæ bona eſt & pudica.* Hac ſiquidem redimitus veſte concupiſcentiæ; facilè illam execrabere atque infenſe oderis quæ improba eſt & vitioſa, proq; animi tui ſententia quaſi iniecto in os freno moderabere. Eſt enim iſtæc maligna concupiſcentia mirè agreſtis ac præferox: nec citra negotium cicuratur aut manſueſit. Supra modum enim formidabilis eſt; quandoquidem cunctos prope abſumit ac deuorat. Per id quod
B dicit; *Agreſtis eſt concupiſcentia mala*: inſinuat talem ſuopte genio emergere, ceu aſſolet emicare herba agreſtis in agro minime proſciſſo & inarato; aut certè ceu animal naturæ agreſtis, quod ſe in agris exatiat paſcuo gramine, citra moderationem rationis. Quæ tandem maligna hæc eſt & qualis concupiſcentia? Ceterùm vtriuſque indoles bonæ iuxta ac vitioſæ, ſermone proximo explicatur eò exactiùs, vt vtriuſque diſcrimine lucidiùs explicato, aduerſati eam omnem quæ vitioſa eſt, vitam noſtram inſtituamus ad præſcriptum canonẽ illius quæ bona eſt & per ſe honeſta. Vnde & lignum illud ſcientiæ ad infuſionem pertinens cognitionis, capax eſt & boni & mali; & hominem indicat capacem eſſe cognitionis & boni & mali. Diſcrimen verò vtriuſque expli-
C cat preſſiùs, non eò vt quis malum cũ bono promiſcuè operetur; quin magis, vt faciens quod bonum eſt, declinet à malo, iuxta ſententiam dicentis; *Declina à malo*
& fac bonum. Sed & primaria illa lex edicto cauet, ne- Exod. 20.
quid eorum concupiſcas quæ ſunt proximi tui. Et qui- 3 Reg. 21.
dem Achas mandatum hoc tranſgreſſus, vineam Naburhæ concupiuit, ſed & iuſtum dedidit neci: ſibi autem ac domui ſuæ extremam inuexit cladem æternæ perditionis. Concupiuit proinde populus concupiſcentiam in deſerto; quapropter illic prociderunt membra illorum. Dicit & Parœmiaſtes: *Otioſus omnis concupiſcentia erit; manus autem fortium in diligentia.* Rurſus: Vana occupatio mentẽ perſcrutatur & explorat non malã. Itémque: *Impius tota die concupiſcit concupiſcentias non bonas, iuſtus autẽ miſericors & miſerator, nec parcit.* Et inducit: *ne te vincat*
D *pulchritudinis concupiſcentia, neque irretiaris tuis palpebris.* Inculpatus quoque nec vlli obnoxius reprehenſioni Iob, qui & pulchrè affectum hunc concupiſcentiæ protriuerat, dicit: *ſi oculum meum ſecutum eſt cor meum.* Apoſtolus item Petrus: *Chariſſimi, obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.* Eodem contendit Paulus: *Mortificate itaque mẽbra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiã, paſſionem, concupiſcentiam malam: non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem: non igitur regnet peccatũ in veſtro mortali corpore, in hoc vt obediatis concupiſcentijs eius, ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.* Rurſus: *In quibus omnes nos conuerſati ſumus aliquando in concupiſcentiis cordium noſtrorum, facientes*
E *voluntates carnis & cogitationum noſtrarum.* Quiſquis igitur cupit concupiſcentiam fugere, totius corruptelæ artificem; quæ hominem recta tranſmittit in pœnitiſſimã abyſſum inferni; is ſibi ſtudioſe paret Dei timorem. *Timor* enim *Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*; ait Dauid. Rurſus idem: *Confige timore tuo carnes meas.* Qui enim iugiter ob oculos mentis ponit & obuerſat impendentem mortem, ignem illum æternum, inſomnem nec vnquam interquieſcentem vermem, illas exteriores tenebras, fletum ac ſtridorem dentium; dedecus quoque illud ignominiæ perquam plenum quo aſpergendi ſunt reprobi, ante formidabile Chriſti tribunal, inque conſpectu & angelorum hominum conſtituti; nullo negotio is interpolat ac prorſus diſſoluit

[Right margin notes:] Naβουθαὶ pro Naboth, ex Ambroſio. — Num. 11. — Prou. 21. — Prou. 6. c. — Iob. 31. — 1. Pet. 2. — Col. 3. — Eph. 2. — Pſal. 18. — Pſal. 118. — ἁγνὸς purus caſtus & pro ſanctus. ἅγιος. — Remedium contra voluptuarias cogitationes.

diſſoluit quantamlibet lenocinantem illecebram voluptatis; omnem denique concupiſcentiam qua oppugnatur, in amorem tranſcribit Dei. A Labores igitur capeſſamus & corporis & ſpiritus, & in articulo ſuſcepti laboris ſecedit concupiſcentia. Pigrum enim ac ſocordem concupiſcentia occidit: non enim volunt manus eius quicquam operari. Dominus animarum amantiſſimus ait: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te, melius enim tibi eſt, vt pereat vnum membrorum tuorum, & non totum corpus proiciatur in gehennam.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum; Amen.

De iuſto iudicio

Homilia LXXV.

B QVI rectitudinem ſeruare cupiunt iudicij; primum quidem poſtulent à Deo, ſibi prærogari ſapientiam atque intellectum, Salomonis exemplum ſecuti: hanc quippe vnam, & primam, & ſolam poſtulationem dari ſibi obſecrauit. Neque tamen ſolam hanc accepit gratiam; ſed & Dei præconio promeruit laudari, quòd recte poſtulaſſet. Deinde vinum vitent; ait enim Scriptura: *aperi os tuum ſermoni Dei & recte cuncta decerne.* Rurſus: *Potentes facile incandeſcunt, vinum itaque ne bibant ne obliuiſcantur ſapientiæ, ne recte iudicare poſſint in cauſa debilium.*

Prou. 31. οἰδυάσται θυμώδεις.

Si quando quid perplexum & explicatu difficile occurrerit, quod cupies diſſoluere: à Deo quære primùm quid illi acceptum ſit & gratioſum: mox eius ſolutionem nanciſcere accommodam ac perutilem. C Et quidem primaria lex iubet dicens: *non facies quod iniuſtum eſt in iudicio, nec adiicies vt cum multitudine declines iudicium.* Et: *non peruertes iudicium pauperis; non accipies perſonam pauperis, neque reuereberis vultum potentis: In iuſtitia iudicabis proximum tuum.* Et: *Iudices tui iudicium iuſtum iudicabunt, neque agnoſcent perſonam; non accipient munera. etenim munera auferunt verba iuſtorum.* Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris.

Exod. 23.

Et Hieremias: *facite iudicium & iuſtitiam, eripite eum qui patitur rapinam de manu oppreſſoris.* Alioqui tam qui iuſtum decernit eſſe iniuſtū, quàm qui iniuſtum iudicat eſſe iuſtum; vterque apud Dominum execrabilis. Qui quærit Dominum, inueniet ſcientiam cum iuſtitia. Rurſus: *Cor viri cogitet iuſta, vt à Deo dirigantur greſſus eius.* Et Parœmiaſtes: *nouit Dominus iudicare pauperculos; impius autem non intelliget ſcientiā.* D Iterum: *Vir prudens, via recta ingreditur: & principium viæ bonæ facere quæ iuſta ſunt.* Iob item: *iuſtitia indutus ſum: veſtitus autem ſum iudicium, quaſi diploydem,* Rurſus: *ſi declinauit pes meus de via, ſi contempſi iudicium famuli mei.*

Hier. 22.

Prou. 22.

Iob. 29. & 31.

Et hæc quidem de iudicij æquitate. Non inconcinnum alioqui fuerit meminiſſe Apoſtolicæ ſententiæ quæ dicit: *Audet aliquis veſtrum, negotium habens aduerſus alterū iudicari apud iniquos, & non magis apud ſanctos!* Inducit: *Iam enim omnino delictum in vobis eſt, quia iudicium habetis inter voſmet; quare non magis fraudem patimini? ſed vos iniuriam facitis; & hoc fratribus! an neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?* Atqui nemo exiſtimet noſtrum de iuſto iudicio ſermonem ſolis iis competere qui de cōmunibus negotiis lites diremptuti ſententiam ferunt, E atque hinc ſupinus obdormiſcat, deſtertens interim ac ſecurus curæ omnis: Omnibus enim ex æquo viuificator ille Spiritus hoc præſcribit mandatum. Ait enim is, per os Dauid; *erudimini omnes, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei in tremore, apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta.* Rurſus: *Beati qui cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſtitiam in omni tempore.* Et: *ſi verè vtique iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.* Si verè; vtique non commentitiè aut mendaciter, neque per hypocriſin. Dixeris: quid igitur ad me iſtud attinet mandatum, cui nulla concredita functio iudiciariæ poteſtatis, cui nihil minus quàm iudicem profiteor? Huic reſponderim. Deus qui hominem condidit, fecit eum ſuæ eſſe ſpontis ac liberi arbitrij: capacem præterea propoſiti alterutrius; aut A virtutis aut vitij. Cumque in faciem hominis inſpirans, multiplicem ſenſum inſeuiſſet, perinde atque in agello quopiam, expleſſetque ſatellitum ordinem: in horum medio iuſſit mentem reſidere primariam atque ſenſuū moderatricem, ceu regem ſtipatum ſatellitio milite; regem planè, ex conditione bonum ac iuſtum. Penes igitur omnino eſt iudicandi libertas, quo diſcerniculo virtus à vitio diſtinguatur; puta temperantia ab effreni libidine, ingluuies ab exercitio abſtinentiæ, ita à manſuetudine, inanis gloriæ ſitis ab humilitate: virtus denique omnis vitium habet cui reluctetur, quo cum iudicium exerceat. Mens igitur ſi malitiam condemnet, ferat autem pro virtute ſententiam; recte iudicauit, fecitque iudicium & iuſtitiam.

Pſal. 2.

Priuata, mētis, iudicandi poteſtas.

Quòd ſi per immoderatam ſumptionem vini ſeipſam fugerit ac neſcierit; prolapſa B iam eſt à rectitudine iudicij, vt ille olim Ochozias, ac miſerè ægrotat ægrotatione ad mortem: hoc eſt, deſciuit à iuſto rationis iudicio, vltroque malitiæ ceſſit palmaris victoriæ teſſeram, ac ſe æternæ morti addixit. Hæc dominus ſuo aſtruit teſtimonio, dicens: *cur autem à vobiſipſis non iudicatur quod iuſtum eſt?* quando vadis cum aduerſario tuo, ad principem; in via da operam liberari ab eo, nequando trahat te ad iudicem, & iudex tradat te tortori, & tortor mittat te in carcerem; Amen dico tibi, non exibis illinc donec reddideris nouiſſimum quadrantem. Ipſi gloria ſoli iuſto iudici Chriſto in ſæcula; Amen.

4. Reg. 1.

Matt. 5.

De iuſta menſura.

Homilia LXXVI.

C QVÆ iuſta ſunt omnia, perquam amabilia Deo ſunt & accepta. Vt enim æquitatem iudicij; ita & in metiendo ſeruatam iuſtitiam diligit Deus. Iuſtus enim cùm ſit; in id reſpicit clementer, quòd iuſtum eſt Iure igitur iubet ſcriptura ſeruandam eſſe æquitatem & ponderis & menſuræ. Nefarium prorſus atque omnem exputans iniquitatem eſt, duplices habere menſuras, paruam & magnā. Vnde & Propheta Amos; eiuſmodi immorigeros nec dicto audientes indicans longe eſſe miſertimos: *Væ ei* (ait) *qui deſiderat diem Domini, Ipſa enim eſt tenebræ; vt faciat paruam menſuram & ſtateram.* D Nec abludit Michæas: *ſi iuſtificabitur in ſtatera iniquus, & in marſupio ſtatera doloſi.* Concinit his regius Pſaltes; *mendaces filij hominum in ſtateris, vt iniuſtè agant.* Simulque inſinuans tales morbo impotentis auaritiæ ægreſcere; infert: *Ipſi de vanitate in idipſum, nolite ſperare in iniquitate, & rapinam nolite concupiſcere, diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.*

Luc. 19.

ὁ ἐπιθυμῶν. Amos. 5. legitur. οἱ ἐπιθυμοῦντες, qui deſiderātis.

Pſal. 61.

Quin lex ipſa iubet, vt in menſuris & menſuris, in ponderibus & in ſtateris iuſta ſint vobis. Addit & illud: *non transferes terminos quos poſuerunt patres tui.* Sed & Sophonias Propheta; *Iudicium operemini & iuſtitiam exquirite, vt protegamini in die iræ Domini.* Nec ſecus Ezechiel: *Iudicium & iuſtitiam facite. Statera iuſta, & menſura iuſta, & chœnix iuſta erit vobis.* Accedit his Parœmiaſtes: *Statera doloſa abominatio eſt ante Dominum, pondus autem iuſtum acceptabile eſt ei.* E Iterum: *Pondus magnum & paruum, & menſuræ duplices immunda ſunt coram Domino: & vtraque in ſtudijs irretientur.*

Ezech. 45.

χοῖνιξ non χοῦς ... menſum diurnum, ſeu modium.

Prou. 11. & 20.

Fortè hæc aliquam multis videri poterunt nullius prope momenti, & indigna quæ depromantur in aream: at certè nihil horum temerè ſiue fruſtratoriè enunciant aut produnt ſcripturæ diuinitus inſpiratæ. Cuncta enim ad ſalutem noſtram, æternam quoque parandam vitam ſanxit ſacer ille ac ſuppliciter adorandus Spiritus. Magno igitur ſtudio vitemus (Chariſſimi) vitioſam auaritiæ affectionem; quæ (erudiente nos Apoſtolo) ſecundum idololatriā, primas tenet. *date* (ait Dominus in Euangeliis) *& dabitur vobis, menſuram bonam, coagitatam dabunt in ſinum veſtrum; eadem enim menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

Luc. 6.

De Pœnitentia.

Homilia LXXVII.

Φάρμακον dictio medica eſt vt probatur, de verborum ſignific. L. 236. ex 4. Odyſſea.

Hic in bonam partem ſumitur pro antidoto ſiue remedio.

Ex Dion. Areop. Epiſt. ad Dorotheum.

QVANTVM in ſe habet dulcoris (fratres mei) Pœnitentia quàm eſt ſuauis! Aliud prorſus nihil quàm ſarciendæ vitæ ſalutare pharmacum, vt eò maximè quia ſuauis eſt Dominus noſter, malè nobis cõmiſſorum facile immemor, benignus, miſerator, humani generis, imò animarum noſtrarum amantiſſimus, modis omnibus proſpiciens noſtræ omnium ſaluti. Hic talis nihil tam ſitit quàm vt reſipiſcamus, noſque pœniteat vitæ turpiter actæ. Super lachrymis ſe recipientium ad meliorem vitæ frugem mirè lætatur & exhilareſcit. Exultat ſuper confeſſione pœnitẽtium; ſuper contrito corde & humiliato incredibili gaudio perfunditur. Quin nimiſquam longanimiter noſtram opperitur conuerſionem; nec interim cõquieſcit, ad ſupremum vſque vitæ noſtræ halitum ſuſtinens; ac demum poſt tot alioqui infandorum criminum myriades, poſt tot flagitia quæ iocentore diabolo ipſi geſſimus, inuitans & exhortans ad ipſum vt conuertamur, quemadmodum voce clamat prophetica: & cùm hæc omnia feceris, vel ſerò ad me reuertere. Addo; nobis longè diſiunctis vltro obuius occurrit, circumplectitur & adſtringit; totque piaculorum notis interſinctum, tot aſperſum probris, & ceruicem vſque nulla non parte ſordibus ſqualentem dignatur benigniſſimus ſuaui oſculo: ac ne cum eiuſmodi quidem de eatenus commiſſis expoſtulat; magis autem fœliciſſimæ illius vitæ futura bona ſe daturum pollicetur: atque vt eſt perquã clemens, indulgentiſſimè non ſolùm priora delicta, ſed & nobis præerogat arrham vitæ ſecuturæ; nimirùm gratiam Spiritus ſancti, ſtolamque exhibet primariam illã incorruptionis, quam ipſi accepimus primùm regenerati ſacri vnda Baptiſmatis, ſed eadem per peccatum miſerè eramus ſpoliati. Hanc ipſam nobis ſynceriter

Luc. 15.

pœnitentibus ac toto pectore ad eum conuertis gratuito donat pius. Ad hæc, diem indicit tranſigi feſtum, eò beatas illas ac ſibi per quam charas virtutes, oſtentans gratulabundus, quam inuenit drachmam (nimirum æterni Regis imaginem) ouemque erraticam impoſitam humeris geſtitans, ad ſui Patris inducit conſpectum, vbi lætantium omnium habitatio in ipſo eſt; animam iſtius ſupra omnes locat, qui à tam clementi Patre vltronei reſiliunt ac ſecedunt. Sed & nobis ſubinde ac temerè dequerentibus ac ſecum expoſtulantibus, non raro ſuſtinet ac perfert longanimis. Itaque (fratres) talem cùm habeamus & ſic miſericordem Dominum; ne cunctemur ad eum conuerti, neu intolerandorum ac innumerabilium more exterriti peccatorum nos ipſos dedamus ſocordiæ, aut in abyſſum pertrudamus deſperationis. Dum enim lenteſcimus & cunctamur conuerti;

Pœnitentiæ procraſtinatio, eſt plenũ Dæmonis gaudium.

plenum paramus diabolo gaudium: Deſperatio autem rectà ad mortem deducit. Accedamus interim ad pœnitentiam, quæ noſtri cauſa apud Deum plena fungatur legatione ac precetur. Nos quoque cum Hieremia

Hier. 14.

propheta clamemus voce exerta: *quia peccata noſtra ipſa reſtiterunt nobis, & quia multæ præuaricationes noſtræ coram te Domine: ſed fac nobiſcum pro gloria nominis tui.* Et: *tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos.* Et cum Michæa oploremus: *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Cum Dauid: *delictum meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abſcondi,* Sed reuelabo & cõfitebor *aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* Tu enim dixiſti Domine: *dic tu primus iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* Spe igitur fretus, Domine, inexhauſtæ & abyſſalis miſericordiæ tuæ; ex ore meo impuro, ex labiis immundis, hanc vnam ſupplicationẽ offero tibi. Memor eſto, quia nomen tuum ſanctum inuocatũ eſt ſuper me, qui me redemiſti pretioſo tuo ſanguine. Signaſti etiam me arrhabone ſancti tui Spiritus:

Mich. 7.

ἐξαγόρευσο. Eſai. 43.

Oratio dicenda tempore pœnitentiæ.

reduxiſti enim me ex altiſſima voragine iniquitatũ mea-
A rum, vt ne in præda abduceret me Inimicus. Ieſu Chriſte ſuffulci me atque ſuſtenta, & eſto mihi auxiliatis tu in bello potens. Seruus enim ſum concupiſcẽtiæ; ab hac miſerè oppugnor: ſed tu Domine, ne me derelinquas in terram diiectum, quandoquidem agnoſco & damno opera mea. Emancipa me, Domine, iugo depreſſum miſerandæ ſeruitutis, qua mundi iſtius obſtringor principi. Tuæ me adſcribito clientelæ, tuus vt ſim per obſeruationem mandatorum tuorum; tu qui via es vitæ meæ, & Chriſtus meus; ſed & facies tua lumen oculorum meorum eſt. Deus domine, & domine vitæ meæ; extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & concupiſcentiam prauam auerte à me. Suſtenta me Domine, manu tua ſancta. Appetitus ventris & concubitus non

Nam deeſt κοιλίας in exemplari.

B apprehendant me, & animæ irreuerenti ne tradas me. Illuſtra in me lumen vultus tui Domine, vt ne comprehendant me tenebræ, ſed & qui obambulat eas, ne clãcularius ſuis dolis abripiat me. Ne tradas Domine beſtiis inuiſibilibus animam confitentem tibi. Ne patiaris Domine ſeruum tuum immaniter torqueri à canibus iſtis, qui à te alieni ſunt & defecerunt. Dignum me efficito, Pater ſancte, hoſpitali munere ſancti tui Spiritus, mẽque exædifica in domicilium Chriſti tui. Dux eorũ qui exerrarunt à via; prædux mihi eſto & comitare, vt ne ad ſiniſtram declinem. Faciem tuam mi Domine flagrantibus votis videre concupiſco. Deus illuſtratione vultus tui dirige me in viam, lumen lachrymarum indulge mihi ſeruo tuo, humorẽ ſancti tui Spiritus huic
C tuo plaſmati liberaliter impartire, vt ne exareſcat exẽplo ficulneæ illius cui tu maledixiſti. Poculum mihi, meæ ſint lachrymæ; vicem alimoniæ ſuppleat oratio mea. Verte planctum meum in gaudium mihi; admitte me in æterna tabernacula tua. Anticipet me miſericordia tua Domine, & miſerationes tuæ apprehendãt me, & remitte omnia peccata mea. Tu enim Deus verus, qui remittis iniquitates. Ne patiaris, Domine opus manuum tuarum vllo atrociore aſpergi opprobrio, ob multitudinem iniquitatum mearum: quin reuoca me per vnigenitum Filium tuum noſtræ omniũ ſalutis vindicem. Excita me miſerè iacentem, vt olim illum telonem Leuin viuifica me peccatorum morte tabefactũ, vt tunc filium viduæ; tu ſolus reſurrectio es mortuorum: Tibi gloria in ſæcula.

D Optet in primis; quem verè pœnitet; & ſe ob ea quæ perperam geſſit durius coargui; & quæ ab aliis ingeruntur opprobria, generoſe ferat; Pœnitentia enim eſt ab imprudentibus ſubſannari: ac interim dum hæc toto perferS pectore, non deſinis Deo offerre confeſſionẽ. Eſaias Deum ſuppliciter obteſtans pro dun admodùm cordis hominibus, proque impœnitentibus; dicit: *Nunquid non poteſt Dominus vos ſaluos facere? ſed propter peccata veſtra auertit faciem ſuam à vobis quia nemo iuſta loquitur neque eſt iudicium verum.* Sed & alter: *quàm bonum eſt, cum qui arguitur, manifeſtare pœnitentiam! ſic enim effugies voluntarium peccatum.* Rurſus: *Peccaſti? ne addas vltra: ſed & pro peccatis tuis prioribus deprecare.* Inducit item: *quaſi à facie ſerpentis fuge à peccato; ſapiens enim timore correptus declinat à*

Eſai. 59.

Eccl. 20. & 21.

E *malo.* Iob item: *quod ſi poſtquam peccaui, voluntariè occultaui peccatum meum; non enim reueritus ſic ſum copioſam multitudinem ciuitatis, quominus proderem, confiterer & euulgarem illud in conſpectu eorum.* Et in actibus Petrus multitudini dixit: *Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, ſi quando venerint tempora refrigerij.* Et nos (chariſſimi) quemadmodum ſuperiùs mihi dictum eſt; vnà nos pœniteat vitæ prioris; corde prorſus ſyncero, à malis quæ ipſi geſſimus, conuerſos ad Deum ac dicentes: Peccauimus, propicius eſto; iniquè egimus, condona; offendimus, conciliare tu nobis. Expurga nos, exemplo meretricis illius; vt publicanum illum nos etiamnum iuſtifica. Veniat ſuper me miſericordia tua; ſuper me roſcidus humor clementiæ tuæ deſtillet; neque ſinas me venundari pretio peccatorum meorum,

Iob 31.

Act. 3.

ἐπιστάζατω.

Digitized by Google

nequando abdormiſcam & emoriar amariſſima morte peccati; quin potiùs redime me à præſenti ſæculo nequam. A Indulge mihi pœnitentiæ tempus; locum purgandæ conſcientiæ imparti. *Non enim eſt pax in oſſibus meis à facie peccatorum meorum, quia iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*, etenim *Domine ſi obſeruaueris iniquitates, quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt!* Credamus igitur Deo, qui vrgentibus peccatis, propriæ vitæ ſpem abiecimus; & conuertamur ad Dominum Deum in plenitudine cordis noſtri, operantes interim iuſtitiam; quodque ſupereſt vitæ iſtius noſtræ vertamus in legitimam ipſius ſeruitutem pro bona eius voluntate, vt medelam accuret oblitterandis prioris vitæ delictis, nobiſque virtutem ſuggerat, quâ aduerſus commenta diabolicæ malignitatis ipſi præualeamus. Terriculamenta mináſve eius nihil omnino eſt quòd timeamus. B Emarcuit enim illius impuri vitus, quaſi neruí præmortui. Quin potiùs omnipotẽtem Dominum reuereamur, illius obſeruemus mandata, atque in hoc vitam expleamus. Si ad eum modũ cum gemitu ac lachrymis ipſum ſupplices obſecrati fuerimus, vtique reſpondebit quod per Ezechielem prophetam dixit: *Viuo ego dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris, magis autem vt conuertatur & viuat.* Ezech. 18. Rurſus: *In quacunque die conuerſus fuerit iniquus ab omnibus iniquitatibus ſuis; & fecerit iuſtitiam, non erunt vltra in memoria peccata illius.* Deſiderat *Dominus magnopere ſalutem noſtram.* Dixit enim diſcipulis ſuis: *dicite eis, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Marc. 6. Ob hoc enim bonus hic paſtor relictis nonaginta nouem ouibus in monte; erraticam illam vbi inuenit, impoſitam humeris refert ad caulam gaudens. Luc. 15. C Conuocat ſublimes illas virtutes, dicens: *Congratulamini mihi, quia inueni perditam illam ouiculam.* Et inducit: *dico vobis, quia ſic erit gaudium in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente magis quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

De patientia.

Homilia LXXVIII.

Et quidem de pœnitentia cùm perpauca diſſeruerimus vobis priore ſermone ſupereſt, Deo cooperante, nonnihil vt dicamus de patientia, quæ ſane hominem recta prouehit ad ſalutis portum. D Ea vtique dicemus, quæcunque ipſius Domini ſuggeret benignitas. Pœnitentia enim indiga admodum eſt patientiæ; citra cuius operam perfici neutiquam poſſit. *Pœnitentia citra patientiam perfici non poteſt.* Neque enim aquila venialis ſi eſt & alterutrius deſtituta præſidio, queat vnquam ſubuolare & in ſublime ſuſtolli. Patientia pœnitentiam perficit, & eam velut indice oſtentat præſigni corona redimitam. Nec eo ſolùm conducibilis nobis cenſenda eſt patientia, quòd efficaciter cooperetur perficiundæ pœnitẽtiæ; ſed quòd nulla prorſum virtus; nullumve Dei mandatum niſi hac comite, legitimè perfici queat. Bonorum igitur, (ſi qua in nobis ſunt) cardo & caput patientia eſt. Omnem proinde tentationem, afflictionem omnem neceſſe ſit vt ſuſcipiamus cum patientia & gratiarum actione; quo vel tandem aſſequi detur E terram illam promiſſionis. Egregium planè ſit, non facile (plani in morem ac vagi) è loco in locum diduci. *Erronem non eſſe, egregium eſt.* Vnuſquiſque enim in quo vocatus eſt, in eo & maneat. Patientia ſolum hoc te edocet, per abſtinentiam infracto vt feras animo tentationes quæ aliũde extrinſecùs te adoriuntur. Quemadmodum enim cera vt plurimũ, niſi recaleſcat aut præmolliatur, non facilè in ſe recipit ſigilli impreſſionem: ita & homo, niſi laborum ac multiuariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam ſinet inſigniri ſe ſignaculo diuinæ gratiæ. Ob hoc Paulo reſpondit Dominus; *ſufficit tibi gratia mea, Virtus enim mea in infirmitate perficitur.* 1. Cor. 12. δύναμις μου. Quando Dominum dimiſit diabolus; tunc venerunt angeli, & miniſtrabant ei. Matth. 4. Quemadmodum igitur dum tentaretur, non leguntur, adfuiſſe A angeli; ita nobis quoque in tentatione poſitis, tãtillo interim ſe ſubmouent tẽpore, nec procul tamen abſiſtunt angeli Dei. Cæterùm mox à tentatoris receſſu, inſtãt nobis ſuggerentes quæ ad diuinæ bonitatis cogitationem faciant; putà, illuſtrationem mentis, compunctionem, dulcedinem ſpiritus, & patientiam: atque ita deinceps, anima talis amiſſas reſumit vires ac refouetur pro modulo toleratæ afflictionis. Eſai. 40. Propter hoc Eſaias; *ſuſtinentes Deum mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ, current & non laſſeſcent, vadent & non eſurient.* Deut. 18. & Moſes ad populum; *Propter hoc tentauit te & afflixit te, vt paſceret te Manna, vt nota fierent quæ in corde tuo verſabantur; quaſi ſiquis erudit homo filium ſuum, ſic Dominus erudiuit te.* Rurſus: *Et afflixit te Dominus, vt bene tibi faceret in poſtremis tuis.* Dicit autem & propheta Nauum: *bonus Dominus expectantibus eum in die* B *tribulationis.* Alius item: *ne dicas, vltionem expetam de inimico meo; ſed ſuſtine Dominum vt auxilietur tibi; non enim fraudobit patientia pios.* Prou. 20. Ad eum modum nihil non ſufferebat leniſſimo & placabili animo vir Dauid. 2. Reg. 16. Neque enim is cùm intoleranda maledicentia laceſſeretur & audiret; *egredere, vir iniquus*: vllum dedit concitati animi indiciũ. Sed & cõſobrinus ipſius tali indignitate permotus cùm dixiſſet: *quis hic eſt canis qui maledicit Domino meo regi? profectus hinc, percutiam eum, & auferam caput ipſius*: hunc durius coarguit, dicens; *dimitte eum, vt maledicat mihi, vt videat Dominus & pro maledictione hac retribuat mihi bona.* γλῶ ζῶν. τοῦ. Quocirca non abs re pſallebat. Pſal. 39. *expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit deprecationem meam.* Rurſus: *expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conſpectu ſancto-* C *rum tuorum.* Qui & nos ad patientiam adhortatur, dicẽs: *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum, ſuſtinentes enim Dominum ipſi hæreditabunt terram viuentium.* Et, Non confundentur qui expectant te Domine, Domine virtutum. Eccl. 27. Vaſa enim figuli probat fornax, & tentatio hominis in cogitationibus eius. Væ autem iis, qui perdiderunt patientiam. Et quid facient, cum viſitabit Dominus? Pſal. 9. Patientia enim pauperum non peribit in finem. σοφονίας. ſmo Abacuq. 2. Ait autem & Sophonias, Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet & non tardabit. Et, Si ſubtraxerit ſe iuſtus, nõ placebit in illo anima mea. Et, Paulus, Si ſuſtinuerimus & conregnabimus. Heb. 10. Rurſus, patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſiones. Iacobus quoque, Omne gaudiũ exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias inci- D deritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Iacob. 1. ἐχέτω habeat, non ἔχει habet. Patientia autem opus perfectum habeat. Inducit idem, Beatus vir, qui ſuffert tentationẽ, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Dominus item, Qui ſuſtinuerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Iterum, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Luc. 21. Ipſi gloria in ſecula. Amen.

De agone.

Homilia LXXIX.

E Agon commilito eſt & conſors patientiæ. Verius initium eſt & finis: ac prope dixerim, amplius quiddam. Adeo enim alterutra alterius ope eget ac mutua compagine, vt neutra poſſit ad victricem pertingere coronam ſine ſua compari. Concinno igitur ordine ac rationi cõſentaneo patientiæ connexuimus agonem. Vtraque enim Domino noſtro Ieſu Chriſto, (qui ſpiritualis palæſtræ totius agonothetes eſt,) vires ſuggerẽte ac protegente, palmarem victoriam reportat aduerſus omnem diabolicæ perturbationis violentam impreſſionem. Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, nec inimici quieſcit: donec inimicos remoliatur & aboleat à facie ſua. Sane temperantia duplex eſt. *Temperantia duplex.* Quædam enim ſunt à quibus neceſſe ſit tibi vt temperes; alia item ſunt quæ opus ſit vt exe-

quaris. Ab improbitate, operæ ſit pretium vt abſtineas nec expleas opere: contra, ab eo quod bonum eſt & honeſtum manus ne contrahito, magis autem eas fac accommodes pio operi. Ab omni igitur malitia manus amolitor honeſto cuipiam operi attentus. Fac contineas ab adulterio, à fornicatione, ebrietate, ab iniquitate & legis tranſgreſſione, à geniali luxu deliciarum, ab eduliorum immoderata copia, ab immodico quæſtu diuitiarum, ab impotenti iactātia, ne quid de te ſenſeris ſublimius, ne per ſuperbiam euehere. Abſtine à mendacio, detractione, hypocriſi. Acceptæ iniuriæ memor ne eſto. Proinde tibi vt temperes ab omni blaſphemia, à furto, à veteratoria fraude, falſo teſtimonio, auaritia, cōcupiſcentia mala, impoſtura & circumuentione, ab inanis gloriæ appetitu, & arrogantia, denique ab ijs quæcūque horum ſunt perquam ſimilia. Ab iſtis igitur operibus quiſquis es ô ſerue Dei qui ſpiritualis vitæ aggrederis, certamen, modis omnibus temperandum cenſeo.

A quibus maximopere ſit etiam continendū.

Sunt contra & bona opera quæ vt opereris, neceſſe ſit, non item vt ab eis contineas. Omnium primum fides eſt: deinde timor Domini, charitas, concordia animorum, verba iuſtitiæ, veritas, patientia, ſubſeruire viduis, pupillos ſolatio deſtitutos parentum interuiſere, ſeruos Dei quauis neceſſitate oppreſſos extricare ac redimere, hoſpitio excipere peregrinos, eſſe requietum & taciturnum, poſtremo vt de omnibus in commune bene merearis, ſenes reuereror, iuſtitiam exerceto, fraternā conſeruato dilectionem. Longanimem conuenit eſſe te ac tolerantem, nullius à quopiam acceptæ iniuriæ memineris, fac eos conſoleris qui animo affliċtantur & laborant. Qui etiamnum in fide hærent perplexi & ſcandali quidpiam adierunt, hos ne abijcito, magis autem adnitere, in viam vt redeāt fidei, bonúque ſint & alacri ad fidem animo. In errores deuios qui exorbitant, tuo hortatu & conſilio ad rectitudinem reuoca. Debito quopiam obſtrictos tibi (inopia ſi premūtur) ne affliċtes. Et liqua his confinia ſunt. Iſthæc opera quiſquis ritè obſeruauerit, non item ab eiuſmodi manus contraxerit per ſocordiam ac lentorem animi, vtique viuet Deo. Opus adhæc fuerit, vt qui in ſpirituali agone decertat, ſuum maceret & tabe conficiat aduerſarium in carne propria deliteſcentem, ne humore exundanti periclitetur mens, & cōcidat præceps in leuorem ac planitiem illicium voluptatum; quò mens ipſa ſpiritualem agonem ſuſtinentium, illuſtrata diuini luminis ſplendore, efficaciùs operetur, legi Dei ſeruiat & condelectetur, iuxta Apoſtoli ſententiam.

Hæc vide opera vt expleas.

Rom. 7.

Sed & eadem adornanda venit & immutanda animi cogitatio, & ad cœlum vſque transſcribenda eſt & attollenda, ſupraque omnem creaturam in ſublime eſt erigendus animus, & flagranti deſiderio, irrequieta atque perpeti cogitatione par eſt vt adhæreſcat & & adſtringatur præceptis, quæ agoniſtæ illi veraces opere ipſo repræſentarunt, ſuaque ſententia ſanxerunt pijs obſeruanda, dum ſe agone ſpirituali exercerent. Illi enim eminus & è longinquo proſpectu, per fidem cōtemplati promiſſiones, nullam affliċtionum acceſſionem prolixitudinem ve recuſarunt perferre. Etenim fidelem eſſe eum crediderunt, qui repromiſit; expectantes interim diem illum Dominici aduentus inſigni claritate præluſtrem futurum, quo ſuos famulos publico præconio declaraturus eſt, cū venerit in nubibus cœliſque vnū ſuos aggregabit ſanctos, nimirùm ſpirituales agoniſtas & integerrimos. Neceſſe igitur eſt vt decertemus: & quidem corpus cōtinuæ aſperitati obijciēdum, aduerſus autem improbas cogitationes omni ſecuritate & patientia præmuniendæ ſunt animæ. Oportet inſuper, vt accuremus teſtimonium conſcientiæ propriæ habere in conſpectu Dei. *Expectans enim expectaui Dominum & intendit mihi.* Non enim poteſt quis indipiſci virtutem, ni priùs (pro illius aſſentione) cum labore & tolerantia affliċtionum, cum hoſte congrediatur. Ex aduerſo enim obluctandum peccato eſt vſque ad mortem; & acri certamine atque indeſinenter in

Anima præmunienda eſt contra cogitationes improbas.

ἕως ἁίματος, Lege quaſi,

procinctu conſiſtendum, iuxta Paulinam vocem. Di-
A cit proinde Scriptura: *ante hominem poſita ſunt vita & mors, & quod placuerit, dabitur ei.* Sed enim pia ac prudens cogitatio, domina aſtruitur eſſe affectionum. Per frugalitatem enim vitæ ſiue temperantiam aduerſus ventris ingluuiem præualet & concupiſcentiam; iuſtitia autem comite malitiam omnem ſubigit, vincit vero fortitudine iracundiam; at prudenti conſideratione ſuppeditat timorem & excludit: Idque non quòd aſſerat eas animi affectiones vi illarum virtutum prorſus exinaniri; quin potiùs miſtione quadam eſſe inuicem coniunctas. Neque enim conſideratio ſiue ratiocinatio quantalibet, poſſit ab radice conuellere omnem paſſionum intemperiem; ſed in hoc indulta homini eſt, vt ipſis obluctetur ac repugnet. Ob hoc ait quidem, Concupiſcentiam nemo veſtrum prorſus
B extirpare poteſt! ſed quid? vt ne concupiſcentiæ ſeruiatur; hoc ipſa præſtare poteſt conſideratio. Sanè non medioeri opus agone, vt reuera & efficaciter dicere poſſimus cum Paulo; *bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, In reliquum repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Idem nos ad *exempli* ſimilis imitationem exercens, dicebat: *qui in agone contendit, non coronabitur niſi legitime decertauerit.* Iterum: *neſcitis, quod qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium! ſic currite, vt comprehendatis: ego igitur ſic curro, non quaſi incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans; ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar,* Ad Philippenſes autem per epiſtolam dicit: *Certamen quod vidiſtis & di-*
C *dicistis in me, & nunc auditis.* Ad Hæbreos quoque: *nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes; & obliti eſtis conſolationis quæ vobis tanquam filijs loquitur: Fili, ait noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Alios item non medioeri laude commendans, ait: *Ita vt nos gloriemur pro patientia veſtra & fide in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, pro quo & patimini; quicumque enim volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Ioannes autem ait: *nolite mirari (fratres) ſi odit vos Mundus, nos ſcimus quia tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Dominus vero; *Contendite intrare per anguſtam portam, quia lata eſt porta*
D *& ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui vadunt per eam; quàm anguſta verò porta, & arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* Ipſi gloria, ad ſæcula; Amen

μετὰ τοῦ ϲχήματος καὶ τοῦ μόχθου.

Deut. 30.

Cogitatio pia, domina ſit affectionū per virtutes.

Nota hanc non tamen immobilitatem erga paſſiones.

2. Tim. 4.

2. Tim. 2.

1. Cor. 9.

Philip. 1.

Heb. 12.

Nēps Theſſ 2. ad Theſſ. 1.

2. Tim. 3.

1. Ioh. 3.

Luc. 13.

De Concordia.

Homilia LXXX.

DEo quàm acceptum ſit tuendæ eccleſiaſticæ vnitatis ſtudium; quis oratione conſequatur? Hac vna, nihil vſquam inter homines comperietur melius. Sed & portandi omnes ſunt, Domini exēplo qui nos patientiſſimè tulit: omnes (inquam) in charitate tolerandi veniunt. Nec vllo prætextu, quamlibet videri poſſit rationabilis (vt ne dicam
E quod id à rationale alienum ſit) conuenit ſe ab Eccleſiaſtici corporis vnitate diuellere ac ſeorſim degere, ſed in vnum coadunatis vna ſit oratio, deprecatio vna, mens vna, vna ſpes in charitate, in gaudio quod nulli pateat iuſtæ reprehenſioni (qui Ieſus Chriſtus eſt) quo quidem nihil poteſt animo inſidere gratius. Debemus igitur omnes nos parili & eodem animo perinde ac ad altare (ita modò loqui liceat) concurrere. Tametſi ſumus multiplici varietate membrorum diſtincti; eadem ſit & ſententia & par voluntas, quum vnum idemque ſimus corpus. Quemadmodum enim examen apum fauum ſibi conficit mellis; ita fratrum congregatio regnum repræſentat Dei. Sicut tubarum clangor bellantium promouet & excitāt alacritatem; ita & practicæ virtu-

Nullo prætextu debemus nos diuellere ab vnitate corporis Eccleſiæ.

Digitized by Google

virtutis doctrina ſtudia diſcipulorum mirè exacuit. Nam quiſquis ſe à cæteris ſegregat & in totum auellit, nihil differre videtur ab aui quæ è nido proprio euolauit, eóque cogitur è loco permutare. Auicula quæ talis eſt nihil difficile capitur per aucupis aut venatoris inſidias. Omni enim ex parte aucupes illi & ſpirituales captores laqueos ac ſcandala iniquitatis præſtruunt & agglomerant illi vago; coruūque rapaces, iſtiuſmodi excauant & exterebrant oculos. Decora prorſus & aptè per omnia congruens fraternæ eſt vnionis conſenſio cum animorum concordia: id quod locum habet vel maximè, vbi ſolida ac perfecta charitas radices ſuas fixiùs impreſſit. Exemplum inuenimus in Eliſæo cum Helia. Ille enim ſemel & bis cùm audiſſet; *Sede hic*: cum iuramento reſpondit, *Viuit Dominus & viuit anima tua, ſi deſeram te.* Nec ſecus, Ruth illa Moabitis ſocrui ſuæ; *hæc faciat mihi Dominus & hæc addat, quia mors inter me & te, ſola diſtinguet.* Iure igitur Booz benedixit ei; dicens: *Reddat Dominus opus tuum, & ſit merces tua plena à Domino.* Hæc alioqui alienæ cùm eſſet gentis; connubio iuncta eſt ipſi Booz, ex quo genuit eximij Dauidis auum. Ecce ſanè; quid *bonum* aut quid *iucundum*, ſi non *habitare fratres in vnum*? Parœmiaſtes item: *Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma* & in editiore loco ſita. Et: *boni duo ſuper vnum quibus eſt eis merces; quia ſi ceciderint, vnus eriget conſortem ſuum.* Et: *Væ vni, ſi ceciderit & non ſit ſecundus qui erigat eum.* Et: *ſi vnus impegerit, duo conſiſtent aduerſus eum. Funiculus triplex non citò rumpetur.* Sed in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt: quia *quotquot crediderant, erant in vnum, et habebant omnia communia.* Aliquanto poſt: *multitudinis eorum qui crediderant, erat cor vnum & anima vna & nemo quidquam eorum quæ poſſidebat dicebat eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia.* Beatus igitur is monachus, qui quòd ad Deum pertinet, cæteros omneis admirationi ducit & honori; idque poſt Deum. Beatus planè monachus, qui in genere omnium ſalutem & promotionem peræquè ac propriam, omni cum gaudio & animi iucunditate peruidet. Monachus eſt, qui vnum ſe eſſe inter cæteros deputat, per hoc quod credit imprætermiſſè ſeipſum contueri in vnoquoque fratrum. Apoſtolus: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita & multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Inducit: *ſed Deus temperauit corpus; ei cui deerat, abundantiorem tribuens honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra.* Ob id debemus mutuiter præſtare operam in ſubleuandis aliorum oneribus; & concordibus animis eadem ſentire, ac pia erga alios geſtare viſcera, modeſtè ac humiliter de nobis ſentire, nihil nō deſignantes operis in charitate; quò vel his operibus promereamur nobis ipſis Dei gratiam adſciſcere & cōciliare fauorem, vt in illius oculis acceptabilis fiat noſtra deprecatio. Dicit enim ipſe Dominus: *Amen dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de quacunque re quam poſtulauerint, fiet eis à patre meo qui eſt in cœlis; Vbi enim ſunt congregati duo vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Vbi eſt vera charitas, ibi eſt concordia. *4. Reg. 2.* *Ruth. 1.* *Prou. 18.* *Pro κατα-ραχθῆ, Alienum exemplar habet ἐπικρα-ταιωθῆ, victus fuerit,* *Eccl. 4.* *Hæc mentem reddunt Authoris, non item verba, corruptus enim locus eſt.* *Act. 4.* *Rom. 12.* *Matth. 18.*

De cogitationibus. HOMILIA LXXXI.

DICIT Scriptura: *Legem in adiutorium dedit.* Adiutorium; ipſi videlicet hominum naturæ: quò homo ſubnixus, perinde atque agricola ferro aſſolet plantam perpurgare, ita agricolationem ſtrenuè exerceret virtutis. A carne quidem, vt à te repellas ac profliges, cùm perſtrepunt atque obturbant ventoſæ illæ faſtus ampullæ, & ad obſcœnam voluptatem proliciunt irritatrices concupiſcentiæ: ab anima verò conſimiliter: quæcunque cogitationes per infirmitatem ipſi animæ turbulentam conciunt intemperiem, vt primum ſentis obrepere; prouideto, vt à te quàm citiſſimè ſubmoueas, ſiue ad ea illectent quæ ſtudium carnis percolendæ reſipiunt ſiue in-

clinent te ad iſthæc temporaria ac terrena. Et quidem ad A eum modum afficimur partim conditione naturæ fragilioris; partim item eò nos promouet & inſtigat malignorum Spirituum inſidioſa ſuggeſtio, qui naturam ipſam ſua malignitate quaſi deſtagantibus vndis tantùm non obruunt; vt & doctrice experientia perſpicuè nouimus. In hoc igitur data lex eſt, ne velut per oſcitātiam agricolæ, planta, alioqui vtilis, nullum adferens fructū, obſoleſcat ſqualore. Dicit autem & Apoſtolus: *Volo viros orare in omni loco, leuantes ſanctas manus ſine ira & diſceptationibus cogitationum.* Iterum: *conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.* Hic itaque vnicus Apoſtolo fuit ſcopus, nos vt redderet puros obſcœnarum & turpium cogitationum; maximè cùm ſiſtimur offerendæ Deo orationi. Inter enim graueolentiam & ſuauem fragrantiam nulla intercedit conſenſio; B neque quicquam conuenit ori purido ac fœtulēto, cum vnguento ſuauiter ſpirante. Qui ſe ſinit cogitationum turbelis abſtrahi; ab eis vtique excæcatur. Vbi enim imagines cogitationum hærent diutiùs, ibi & conſenſio gignitur. Sanè primus ille aſſultus profligandus venit ſemper & proſternendus; ac diſperdendæ cogitationes, de terra, quæ radices ſunt peccatorum: è terra (inquam) quæ eſt cor noſtrum; iuxta Dominicum ſermonem. Dúmque infantiles adhuc ac tenelli filij Babylonis (improbæ nimirum cogitationes) offerunt ſe menti; allidendæ ſunt ſolo, conterendæque ad petram quæ eſt Chriſtus. Tres omnium maximè generales cogitationes incentore diabolo aduerſum nos promotæ in veſtigio eliminandæ ſunt cordis aditu. Harum malignitate nitens C noſtræ ſalutis æmulus Dæmon; & bellum nobis indicit, & eas clam inſtillat ac ſuggerit. Tres dixerim, ventris ingluuiem, ſtudium congerendæ pecuniæ, & ambitionem gloriæ inanis. Per has & ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ac Saluatorem, (cùm integro ætatis flore adoleuiſſet) aggreſſus eſt, omni genere tentationum vt tentaret; Vnde & victus reiectus eſt. Hinc nos ſuo docuit Dominus exemplo, qua arte illius impuri inſidioſæ omnes pudicæ inefficaces reddi debeant, nempe ieiunijs & orationibus. Omni enim conatu leo hic doloſus nobis apparat ac molitur inſidias, deſidens in ſpelunca ſua. Clam enim concinnat hic malorum incentor pedicas nobis, ac retia obſcœnarum cogitationum, & quæ nos à pietate auocent. Atqui ceu dictum D iam eſt multiuariæ eiuſmodi cogitationes, nulla mora, ſed ipſo ſtatim aditu profligandæ ſunt ac declinandæ, ſtudio piæ contradictionis atque orationis. Hæ maximè præuertendæ veniunt, quæ mentem defœdant ac veluti proſtituunt, vt ne inquinent ſanctitatem loci, neu hominem Dei profanent & contaminent. Omnem igitur diuini officij cultum debemus perſoluere Deo, nequando deprehendamur Deum quidem compellare & alloqui labijs tenus: corde verò media in Babylone deſidentes, & captiui arrodere quicquid impurum eſt, ita vt in nos audiamus iure detorqueri: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Agone igitur nobis opus eſt (dilectiſſimi) ac peruigili attentione, vt interim dum emodulamur pſalmos, mens vnà cum corde E concinat labijs: vt ne per hoc quòd orantes credimus Domini gratiam emereri, & conciliare illius fauorem, ipſum tantò exacerbemus atrociùs, dum ſuauē fragranti orationis incenſo tetrum inſpergimus culinæ nidorem, ac proinde orationis noſtræ hoſtia reproba comperiatur ac magnoperè reprehenſibilis, vt olim reiectitia illa Caïni oblatio. Execratur enim impendio Deus, ac deuouet ſputcas atque obſcœnas cogitationes, imò ipſum cor odit tantò infenſiùs, quòd eas nititur ac parit, id quod lex liquidò docet: *Non arabis* (ait) *in vitulo & aſino*: hoc eſt, in munda ſimul & immunda cogitatione nō offeres orationem. Neque adduces pro victima ouem quæ præferat maculam decolorem, vel quæ aurem habeat defectam, aut caudam detruncatam oſtētet & mutilam, aut fœda ſcabie prurientem, ſed neque de manu

Tentatur homo, vel à carnis infirmitate, vel à Dæmonum malignitate. *1. Tim. 2.* *2. Cor. 10.* *Turpes cogitationes, orationis tempore in primis ſunt reijciendæ.* *Conſenſus ſequitur diuturniores cogitationes.* *Cogitationes ſunt radices peccatorum.* *Pſalm. 33.17.* *Pſal. 13.6.9.* *Cogitationū tria ſunt genera.* *Ambitioſus honos & opes, & fœda voluptas. Hæc tria pro trino numine mūdus habet. Bapt. Mant.* *Matth. 4.* *Cogitationes ſtatim initio ſunt profliganda.* *Eſai. 29.* *Gen. 4.* *Deut. 22.* *Leuit. 22.*

tuæ fructum accipiet qui elutus ſit ac parùm ſyncerus. Quantò magis orationem à ſe repellet ac repudiabit tot turbulentam intemperijs, & per contemptum oblatam?
Pſalm. 93. Nouit Dominus arcana cordium noſtrorum, vel teſte Dauid: *Nouit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Et quidem ille peruigili ſtudio adnitebatur, quò eluctari poſſet & extricari à cogitationum intemperie dicens.
Pſal. 100. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Neque enim vllus immundus ſinebatur ingredi domũ Domini, iuxta legem: cuius quidem Domini domus ſumus nos: ſed & Ieruſalem intra nos eſt. Peccatores porrò terræ, cogitationes ſunt, Reptilium more repentes humi; quæ in arcano cordis eculatibulis deliteſcũt.
Pſalm. 68. Appoſitè igitur orat dicens: *reſtitue animam meam à malignitate eorum:* &, *diſperge gentes quæ bella volunt:* Et, *ſaluum me fac de luto vt non infigar, quia tu patientia mea Domine.* Vnde & Dominus, ad eos, qui quapiam tribulatione affli-ctantur: *Inuocaſti me & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis.*
Exod. 17. Manibus igitur expaſſis & attenta mente (fratres) clementiſſimus Deus nobis venit exorandus ac repropiciandus, vt è ſolio ſuo emittat auxiliare præſidium; quo freti, hoſtes ſuperemus, quemadmodum Moſes proſtrauit Amalec. Non enim mediocris eſt periculi, imò exitiale prorſus; arcana quadam perſuaſione paciſci & aſſentire impuris cogitationibus. Ab iſtis enim cogitationibus pertrahitur quis ad operationem, ac ſenſim deſciſcit à Deo. Proinde qui ex compacto aſſenſum præbet iſtis, damnatur, ac ſi operetur peccatum.
ἐγκάτοχον τῷ ψύχῳ. Sap. 1. Neque enim *in maleuolam animam introibit ſapientia, ſed nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo; ſanctum enim Spiritum ſapientiæ effugiet fictum, & ſubtrahet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu,* iuxta
δόλιον. Siue doloſam. ſacræ dogma Scripturæ. Sed & Dominus: *e corde exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.*
Matth. 15. Eiuſmodi ſunt vitia quæ in theſauro cordis ſui, vt reprobus quiſque eſt, recondit. Atqui nos ipſos nullo tempore prouoluamus in conſpectum diuinæ benignitatis ac proijciamus, obſecrantes Dominum, corda noſtra vt expiet, ſic vt digni habeamur qui illi offeramus dona in ſpiritualem illam transſcribenda Ieruſalem, & ab ipſo audiamus, *bonus homo de theſauro cordis ſui profert bonos fructus Deo.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

De diſciplina ſiue correptione.

HOMILIA LXXXII.

DISCIPLINA quominùs bona videri debeat, nulla ſuppetit ratio, maximè ſi ſecundùm Deum eſt. Neque enim eum qui ab ineunte primùm ætate philoſophatus ſit & eruditus ad diſciplinæ & Dominicæ admonitionis tenorem, vſque in ſenectam & ſenium hunc Deus derelinquet. Non enim iniuſtus
Iob. 1. Deus, vt obliuiſcatur diſciplinæ & laboris eorum qui pro gloria nominis ipſius non inſtrenuè ſuſtinent. Quæ
Eccl. 1. ſecundùm Deum eſt diſciplina, in extremis ſuis multa cum libertate ac fiducia loquetur. A nobis vtique Deus etiam bona aufert, quemadmodùm à ſancto Iob diuitias; *Dominus* enim *dedit, & Dominus abſtulit.* Quæcunque ab initio conditi ſeculi mala intulit; de manu eius accepimus: *Bona* enim *& mala Domino*, ait Scriptura. Proinde qui mala hæc inuehit nobis, idem quoq; Deus
Qui non laborat ſpontè, inuitus feret dolores. Prou. 19. æternam inducet lætitiam. Debemus itaque multa cum gratiarum actione accipere in omnibus diſciplinam & correptionem Domini: qui enim pro veritate, quàmlibet perplexos labores non fert vltroneus, nolit licet, multo plectetur diſciplina atrociore. Quiſquis autem explendę diuinæ voluntati ſe ſpontaneus accommodat; per modicos labores vltroneè toleratos, longè euadet acerbiores. Parœmiaſtes ſiquidem ait; *qui timet Dominum, excipiet diſciplinam.* Ruſus; *qui parcit baculo, odit filium ſuum, qui autem diligit, diligenter erudit illum.* Iterum: *erudi filium tuum, ſic enim bonæ ſpei erit, audi fili, & excipe meos ſermones, & multiplicabuntur anni vitæ tuæ, ſuſcipe correptionem meam, ne dimittas eam; filius enim qui omittit cuſtodire diſciplinam patris, excogitabit colloquia praua.* Iterum: *ſtultus ſubſannat diſciplinam patris, qui autem cuſtodit correptiones, aſtutior erit.* Prou. 23.
Ruſus: *da ad diſciplinam cor tuum, aures autem tuas accommoda ſermonibus ſenſus.* Iterum: *ne omiſeris erudire puerum; quia ſi virga eum percuſſeris, non morietur, animam autem eius ſaluabis.* Prou. 4.
Ruſus: *erudi filium tuum, & refocillabit te & dabit ornamentum animæ tuæ.* Iterum: *melius eſt audire correptionem ſapientis, quàm audire canticum ſtultorum.* Inducit: *Audite filij diſciplinam patris; & attendite, vt ſciatis intelligentiam, donum enim bonum dabo vobis; legem meam ne derelinquatis: Intelligite ſimplices aſtutiam, & ineruditi apponite cor; accipite diſciplinam & non argentum, & ſcientiam magis quàm aurum probatum.* Per Sophoniam Prophetam Deus; *timebitis me & accipietis diſciplinam & non peribitis, vt ſeruiatis Domino ſub iugo vno.* Soph. 3.
Michæas: *Paſce populum tuum in virga.* Mich. 7.
Paulus Hebræis dicit per epiſtolam: *fili, noli negligere diſciplinam Dei, neque fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit, quis enim filius, quem non corripit pater? quod ſi extra diſciplinam eſtis, ego adulterini & non filij eſtis.* Hebr. 12.
Corinthijs item: *Si enim ego contriſto vos, & quis eſt qui lætificat me, niſi is qui contriſtatur per me?* Inſert: *Omnis autem diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij ſed mœroris, poſteà verò fructum pacatum per eam exercitatis reddet iuſtitiæ.* Pſalm. 117.
Dauid, *beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum:* &, *caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Pſalm. 17.
Iterum: *corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me.* Et: *diſciplina tua ipſa me docebit.* Iob, antiquior Dauide.
Et qui Dauidis ætatem anteuertit Iob: *nunquid non locus tentationis eſt vita hominis ſuper terram?* Et; quaſi mercenarij diei vnius vita eius. οὐχὶ πειρατήριον ἐστὶν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς.
Quòd ſi hominis vita ſuper terram locus eſt tentationis; qui fieri poſſit vt non tentetur qui in loco conſiſtit tentationis? Sanè à Domino & Saluatore dictum eſt; *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Vtique, hoc veluti indice docet, vt ne ſinamus nos abſorberi à tentatione ac vinci: Prorſus enim tentationem vincere; res commendatione atque Luc. 17.
inſigni præconio digna eſt. Dominus iterum: *quis veſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi; ſtatim vbi tranſieris, recumbe: & non magis dicet ei, para quod cœnem, & præcinctus miniſtra mihi donec manducem & bibam, & poſt hæc tu manducabis & bibes tu?* Inducit: *nunquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat?* non puto! *ſic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia inutiles ſerui ſumus.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

De conſolatione, ſiue conſilio.

HOMILIA LXXXIII.

IN quocunque negotio non mediocris operæ feceris pretium, rémque Deo magnopere acceptam; ſi conſilium expetes. Nemo enim inuenietur qui non indigus ſit conſiliarij; niſi Deus & ſolus, penes quem ſapientia eſt omnis. Nam homo omnis indigus eſt probæ conſultationis, præ halitu quem ore efflat ac ſpirat, vt nos diuinæ Scripturæ erudiunt hunc in modum: *Omnia fac cum conſilio, cum conſilio vinum bibe:* nimirum id quod cor lætificat: ſpirituale videlicet vinum. Qui talis eſt, nunquam aberrat à ſcopo; ſed liber anxiæ ſolicitudinis, ſuam omnem tranquillè exigit vitam. Prou. 13.
Conſilium quærere, eſt argumentum humilitatis. Conſilium enim à quopiam corrogare & expetere, planè argumentum eſt hominum qui ſuperbiam oderint, & de ſe modeſtè ſentiant; eorum maximè qui præſenti vrgentur periculo. Nulli arbitror obſcurum, quia humilibus Deus dat gratiam; ſuperbis autem reſiſtit. Quemadmodum Tobias dicit filio, *conſilium ab omni ſapiente perquire; & ne contempſeris* Tob. 3.

pſeris conſilium vtile. Qui enim particeps eſt boni conſilij, per viam ingreditur mandatorum Domini, vir autem inconſultus, ſibipſi hoſtis eſt. Exemplo eſt Roboam Salomonis filius: qui derelicto ſeniorum probo conſilio, dum puerorum qui ſecum indulgentius fuerãt educati, adhæreſcit conſilio, Iſraelitici regni ſceptra decem perdidit. Rectè igitur ſic inconſultos deprædicat miſeros Eſaïas dicens; *Væ qui initis conſilium, non per Dominum, in occulto facientes; & erunt in tenebris opera eorum!* Conſilium enim malignorum, iniqua conſultat, pij autem, prudentia inire conſilia. Alius item Sapiens, dicebat: *à malo Conſiliario cuſtodi animam tuam: etenim ille ſibipſi conſulit, & ſtabit ex oppoſito vt videat quid euenturum ſit.* Rurſus: *ne conſilieris cum eo qui te toruè intuetur, & à zelantibus te, abſconde conſilium.* Non igitur abs re, ſed congruè (ceù prædictum eſt) in omnibus expectandum nobis eſt conſortium ſpiritualis conſilij à ſenioribus quos vſus rerum prolixior prudentes reddidit, carnalium verò & ineruditorum conſultationes vitandæ prorſus, vt ne pro fulcimento ſcipionis è robore palmæ decerpti, arundineã retineamus virgam quæ manum hominis fodicet ac perforet, ſuæque inſpergat venenum naturæ, aut pro oue, in lupum reuoluamur & incidamus: qui enim graditur cum ſapientibus, ſapiens erit; ſtultis ac dementibus ſenſus eſt procliuior. Salomon verò: *qui ſeducit rectos in via mala in corruptionem ipſe deuoluetur.* Iterum: *Fili, ne te apprehendat conſilium malum, quod relinquit doctrinam iuuentutis: quibus enim non ſuppetit gubernatio, foliorum inſtar decidunt; ſalus autem adeſt, vbi multa conſilia; ſicut enim ciuitas nullis cincta mœnibus, ita qui quidpiam agit ſine conſilio.* Moyſes qui tam familiariter cum Deo loquebatur neutiquam repudiauit conſilium Hiothor; ſed quæcunque ipſius relatu didicit, expleuit opere, eadem comprobans: neque hinc in ſuperbiam extulit ſe, tanta alioqui apud Deum & homines perfruitus gloria. Sed & Paulus Apoſtolus, Chriſtum in ſe loquentem qui habebat; ait Galatis: *aſcendi in Ieruſalem, & contuli cum eis Euangelium quod prædico, ſeorſum autem his qui videbantur eſſe, ne fortè in vanum currerem aut cucurriſſem.* Et is qui dicit ſe non ab hominibus didiciſſe, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti nihil grauatim tulit cum condiſcipulis conferre, conſilij ineundi gratia. Neque enim priuo iudicio tantùm ſibi vni tribuit fiduciæ; veritus ne in vanum curreret aut cucurriſſet. Nos autem, quos latet quæ ſit aut dextera aut ſiniſtra, quantò æquiùs eſt nihil moliri operis abſq; ſpiritualium patrum arbitratu & conſilio, exemplo tanti iſtius Apoſtoli; ſed omni ſtudio illorum conſilio vſi, nõ item in re quauis nitentes noſtra qualicunque prudentia, aut proprijs cogitationibus fidem accommodantes: magis autem ad eorum qui noſtram hanc anteuerterunt ætatem, conſilium decretumve, ceù ad ſcopum rectà collineemus, ne fortè contingat inſidioſa malignitate Dæmonum nobis illudi. Pro ſua enim veteratoria voluntate res quaſlibet in aliam ſubinde permutant formam; in eorum maximè proſpectu qui commentitias artes illorum non admodum ſcitè callent; aut qui plus æquo nituntur fiducia ſui arcus ſiue brachij. In nos enim per humilitatem, ſidit ac delabitur ſancti Spiritus gratia, quemadmodum nos edocuit Dominus: *quum adduxerint vos ad ſynagogas & principatus & poteſtates, nolite cogitare quomodò aut quid reſpondeatis; Spiritus enim Sanctus docebit vos in illa hora quid vos oporteat docere.* Ipſi gloria & imperium in ſecula, Amen.

3. Reg. 12. — *Sceptra, intellige Tribus decem.* — *Eccl. 37.* — *Prou. 13.* — *Prou. 11.* — *Exod. 17. ἐνθουσ. dic, Iethro: vide Præfationem.* — *Gal. 2.* — *Matth. 10.*

De inſomnijs. HOMELIA LXXXIV.

ἀπροπτώσεις.

IAM quando nonnulli ſunt qui per hoc quòd fidem habuerunt inſomnijs, à rectitudine viæ abducti in præcipites errores deflexerunt; huiuſce rei gratia ſubmonemus vos (dilectiſſimi) nequando iſtiuſmodi aerinagis & multiformibus inſomnijs commodetis fidem. Sunt enim hæc aliud nihil quàm mentis implanatæ ac deerrantis ſimulachra, imaginationes, & fruſtratoriæ ludificationes reproborum dæmonum, nobis vt imponant & implanent; ſic miſerè ſeductos vt ineſcent iſtis deliniments atque oblectẽt, vt deinceps nullo negotio hominem pertrahant ad captanda lenocinia illecebroſæ voluptatis, iuxta verbum Iudæ Apoſtoli Iacobi fratris, de eiuſmodi quibuſdam, dicentis: *ſimiliter & hi inſomnia ſua ſectantes, carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem verò blaſphemant.* Eccleſiaſtes item præcipit, dicens: *In ſomnium in multitudine tentationis, & vox ſtulti in multitudine ſermonum.* Inducit: *ne des os tuum vt excitare facias carnem tuam, vt ne iraſcatur Deus ſuper voce tua, & corrumpat labores manuum tuarum, quia in multitudine ſomniorum & vanitatum & ſermonum multorum.* Ieſus item Sirach filius: *Inſomnia extollunt imprudentes.* Infert: *quemadmodum qui pugno captat vmbras & perſequitur ventos, ſic qui intendit inſomnijs, à mendace enim quid egredietur veritatis?* Iterum: *diuinationes & auguria & inſomnia vana ſunt; multos enim errare fecerunt inſomnia, & exciderunt ſperantes eis.* Si cuipiam igitur veſtrum qui in hoc ſpirituali deſudat agone, ſe viſendam obtulerit aut lux aut alia quæuis figura imaginem repræſentans ignis, nullo pacto, eiuſmodi ſpectrum ſinat animo illabi: aliud enim id nihil eſt quàm luculenta fraus, ſubdola arte inimici concinnata. Hoc perſpicuè docet nos Apoſtolus, dum aſtruit impurum illum ſolere ſe transfigurare *in angelum lucis.* Proinde igitur, priuſquam carpendo ſopori in cubili dedas te; ac animæ ſalutare antidotum ad amoliendam & propulſandam ab ea dæmonum impoſturam, vt ores orationem hanc.

Eccl. 5. — *In abſolutus ſermo. Eccl. 34.* — *Spectris non attendendum.* — *Niſi adſit diſcretio ſpirituum.* — *2. Cor. 11.* — *Oratio contra viſiones nocturnas.*

Omnipotens Verbum Patris, tuapte natura perfectus Deus Ieſu Chriſte; per viſcera tua, Ieſu bone, quæ ad miſericordiam propenſiſſima ſunt; qui nunquam à famulis tuis te diſiungis, ſed in ipſis conquieſcis: quæſo, Paſtor bone ouium tuarum Ieſu; ne me tradas inſidioſæ malignitati ſerpentis, nec ſinas me intercipi concupiſcentia Satanæ; ſemen enim corruptelæ in ipſo prognatum eſt. Tu igitur Domine mi, rex ſanctiſſime, Deus adorande Ieſu Chriſte; cuſtodi me dormientem, immortali tuo conſilio; tuóque ſancto Spiritu, quo tuos illos ſanctificaſti diſcipulos. Exime me ſerpentis veteratorij inſidijs. Mihi quamlibet indigno impartire gaudium tui ſalutaris in cubili meo, mentémque meam illuſtra luce cognitionis Euangelij tui: animam meam in in dilectione ſanctæ tuæ crucis; cor meum in ſynceritate verborum tuorum; corpus meum in paſſione tua; idque per gratiam tuæ impaſſibilitatis, cogitationes meas in pace tua cuſtodi: opportuno tempore expergefacito me ad glorificandum nomen tuum. Adorandus enim tu & glorificandus cum Patre & ſancto Spiritu in ſecula, Amen.

Secus habet editio noſtra & 70. viſionis ſpecies ſunt Aug. 5. Gregorio in cap. 7. Tom. 6. Quibus & quatenus fides habenda ſit, lege Præfationem.

Sunt proinde & alia inſomnia, quale illud de quo Iob, *etenim ſemel loquetur Dominus, in ſecundo autem inſomnium, ſicut cùm inciderit timor in nocte.* Nos proinde (dilectiſſimi) non facilè commodare fidem debemus aut aſſentiri inſomnijs; tametſi in ſpeciem videri poſſint ad nos cœlitus demiſſa eſſe (niſi adſit diſcretio ſpirituum, certa nec fallax interpres rei viſæ) ne pro luce fumum inanem captemus. Num (quæſo) per hoc exacerbamus aduerſum nos Dominum? Adeò nihil illum hac vna re exaſperamus, vt illi etiam futuri ſimus gratiores; quippe qui cum timore & circunſpectione nec mediocri aſſeruamus theſaurum ab ipſo nobis concreditum. Et quidem non pauca eius generis exempla poſſimus enarrare quæ ad nos vſque peruenerunt, cùm vetera, tum noua, vt quæ ætate etiam hac noſtra contigerunt, de his qui per inſomnia ludificationes Dæmonum perpeſſi ſunt, & miſerè conciderunt per fidem habitam inſomnijs. Sanè hæc præſenti ſcripto venirent inſerenda ad cautelam

legentium: At ne propoſito nobis ſemel ſcopo excidamus; vnum hoc & ſolum vbi adiecero ceu corollarium, finem imponam præſenti Homiliæ. Fuit in monte Sina monachus quidam, qui celebre adeò edidit ſuæ continentiæ ſpecimen, vt in cellula multos vixerit annos incluſus. Poſtremò multiuarijs reuelationibus diaboli & inſomnijs illuſus, ad Iudaïſmum delapſus eſt, & carnis circunciſionem. Quum igitur diabolus huic identidem vera quædam inſomnia demonſtraſſet, & veluti obiecta illecebra ineſcaſſet illius obſcuratam mentem; nouiſſimè oculis iſtius obijcit copioſam turbam Apoſtolorum Martyrum, aliorúmque omnis generis Chriſtianorum, denſiſſimis tenebris & omni dedecore oppletam: Parte oppoſita; Moſen prophetas, populum quoque Iudæorum (Deo alioqui inuiſum) offert ſplendida admodùm luce conſpicuos, inque gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc cùm ſpectaſſet miſer, in veſtigio ſurrexit; derelictóque ſancto illo monte, in Palæſtinam vſq; peruenit. Recta contendit in Noara & Libyadem, aſyla Iudæorum. Cum iſtis denarraſſet quæ ſibi viſæ fuiſſent, diabolicas apparitiones; circunciſus eſt: ac profeſſus Iudaïſmum, accepit vxorem; inque omnium proſpectu adoerſus Chriſtianos edidit dogmata, propugnator factus Iudaïcæ ſuperſtitionis. Hunc ego vidi ac plerique monachorum. Neque enim quatuor anni ſunt à morte illius, qua miſerè perruptus eſt. Catharri enim profluuium aliquandiu paſſus, & vermium arroſione contabeſcens expirauit. Hunc cum vidiſſemus, ego & alij aliquot monachi; correpti timore, ingenti cum luctu lamentati ſumus. Erat id ſanè quam miſerabile ſpectaculum. Vir hic totus incanuerat in monaſtica exercitatione, conſenuerátq; laboribus attritus; & is tãdem cũ mulieribus iocatur, immundarũ carnium (nempe Iudaïcarũ) guſtu ſe defœdat & inquinat, verba loquitur obſcœna & imputa, blaſphemat Chriſtum, Spiritum ſanctum non tolerandis afficit contumelijs. Et hunc talem illi ex leges Iudæi ſecundũ vocabant Abraham. Merito igitur Dominus dicebat; *Vigilate quia neſcitis qua hora fur veniet.* Inducit: *hoc autem ſcitote, quia ſi ſciret Pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non fineret perfodi domum ſuam.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Monachus Sinayita, illuſione Dæmonum in Iudaïſmum prolapſus.

πύφεχ. lege πύσσεχ.

Matth. 24. Luc. 12.

De puſillanimitate, & duplicitate.

Homilia LXXXV.

NE (fratres) locum demus ſpiritui puſillanimitatis, nequando noſtri dominetur; vt ne ipſi damnemur, dicente Scriptura: *Virum puſillanimem quis ſuſtineat?* quin potiùs omnem noſtram ſollicitudinem proijciamus in Dominum; Ipſi enim cura futura eſt noſtri. A nobis itaque auferamus duplicitatem ſimul & puſillanimitatem. Nulla prorſus ex parte duplices inueniamur, dum quiduis à Deo depoſcimus; in nobis ipſis inſuſurrantes: qui poſſim à Domino & petere & accipere, qui tanta in illum admiſi? Magis autem toto corde conuertere ad Dominum, & pete ab eo nihil dubius aut euarians; & ita facile intelliges quàm copioſa ſint ipſius viſcera miſericordiæ: neque enim vllo pacto, in diſcrimine quouis poſitum te deſeret; ſed plena fide ſatisfaciet petitioni animæ tuæ. Neque enim Deus, vt homines qui acceptæ ſemel iniuriæ tam ſolẽt meminiſſe pertinaciter. Ipſe enim nullius memor iniuriæ eſt; magis in creaturam omnem indulgentiſſimè expandit ſuæ viſcera benignitatis. Tu igitur cor tuum perpurga tantùm ab omni vacillatione & hæſitatione; ac pete ab eo, eriſque tuæ petitionis compos: nam varius & anceps ſi deprehendere; nihil accipies. Qui enim erga Deum animo fluctuant, ac veluti diuiduntur; iſti animo duplices cùm ſint, ne tantillum quidem è ſuis poſtulationibus aſſequuntur. Ac perfecti qui ſunt fidei integritate, quum ſpe nitantur erga Dominum incolumi; quicquid poſtulant, accipiunt; quandoquidem nihil hæſitando nouerint petere. Quòd ſi ſerius quàm velles continget te accipere; ne ob id vacilles animo anxius, quia non in veſtigio tuæ animæ poſtulationem conſequutus es. Omnino enim ob aliquam tentationem, aut certè quia intercedit delicti quidpiam (quod alioqui ipſe ignoras) feriùs accipis. Tu igitur ne interquieſcas aut cuncteris petere à Deo quod magnopere contendit anima tua, & accipies. Quòd ſi delaſſabere inter petendum; teipſum incuſa, nõ item eum qui dat. Duplicitas animi planè diaboli eſt filia; quæ omniũ maximè in ſeruos Dei natiua ſua malignitate debacchatur ac ſæuit. Tu igitur fortem ac ſtrenuam fidem vide indutus vt ſis. Sanè perſtemus ſolidi ac ſtabiles incudis in morem, vndelibet attriti contuſionibus. Excelſi animo athletæ eſt; & vndique cædi, & tamen vincere: maximè in gratiam Dei nihil non toleremus alacres, vt & ipſe nos longanimiter toleret. Studioſiſſimus ac peruigiles. Condiſcamus ferre temporis iſtius iniquitatem, qui ſpe nihil dubia præſtolamur aduentum eius qui ſupra tempora eſt & qui ſine tempore eſt; & inuiſibilis, noſtri cauſa in tempore palpabilis eſſe voluit, impaſſibilis cùm eſſet, dignatus eſſe paſſibilis. Et hic tantus in gratiam noſtræ ſalutis tolerantiſſimè cuncta pertulit. Dicit proinde Scriptura: *qui timetis Dominum, expectate miſericordiam eius, & ne declinetis vt ne cadatis.* Inducit: *quis confidit in eum & confuſus eſt? aut quis inuocauit eum & deſpexit illum; aut quis permanſit in timore eius, & derelictus eſt?* Ne eſto in oratione tua puſillanimis; vt ne inueniare illi aſſimilis populo in Ægypto qui abnuit audire Moyſen, vitio laborans puſillanimitatis. Audi tu Ieſum Naue, dicentem: *cuſtodite vehementer animas veſtras, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ipſe pugnabit pro vobis.* Scriptum eſt & in Iudicum libro: *Ne exacerbemus Dominum, vt ne aſcendat Madian cum iumentis ſuis, & corrumpat fructum noſtrum, & ad extremã paupertatem deuoluamur.* Quin & Eſaïam dicentem: *Conſolamini puſillanimes mente*, Dominus enim iis qui puſillo ſunt animo, infundit conſolationem, & vitam, contritis corde. Nos igitur cum Dauide, corde compuncto Deum interpellemus dicentes: *exercitatus ſum & defecit ſpiritus meus; Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea; Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam;* ſed *ne derelinquas me Domine Deus meus, & ne diſceſſeris à me.* Flagella autem tua auerte à me, quia *à fortitudine manus tuæ ego defeci*: &, *ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine dum expecto te Deum qui ſaluum me facis à puſillanimitate & tempeſtate; adhæſit* enim *pauimento anima mea*, ſed *& viuifica me ſecundum verbum tuum.* Noui enim te, Domine clementiſſime; quia *dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.* Et, *dabis virtutem & fortitudinem* diligentibus te. Sed & quid Paulus nobis præſcribat faciendum, excipiamus auribus arrectis: *Induimini armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Sed & iis qui ſpiritus alacritate præualent, edicit: *Conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* Verba hæc ſanè afflatu numinis ſcripta multa & alacri patientia meditemur, ne fortè audire contingat ſuggillationem illam: *quum deberetis eſſe magiſtri propter tempus, rurſum indigetis vos vt doceamini; & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Profuerit igitur orationes profundere ad Dominum, ne nos ſinat induci in tentationem. Si qua ingruerit, noſque adorietur, eam cum patientia excipiamus & actione gratiarum, vt noſtram non vt alienam. Quòd quis vitioſo cuipiam affectui aſtrictus toto corde omnique cum humilitate crediderit in Dominum, donum accipit ſerenioris conſcientiæ, teſtem habes Scripturã: *hodie* enim *mecum eris in Paradiſo.* Et fides tua te ſaluum fecit, vade in pace: quæ à paſſionum tumultu ſeiuncta eſt: & quæcunque ſunt formulæ conſimilis. Et in ſemine vua matureſcit. Ne igitur expromptam alacritatem noſtram retundant inimici, & animi hebetent acrimoniam dum nos ſcutis colaphizant multiformium tentationũ; Tolerantia enim tentationum concinnantur ac plectuntur

Spiritum ad craſcendam faciam qui potens ſuſtinere. Prou. 18.

Non hæſitandum in oratione. Iac. 1.

Cur ſeriùs accipimus quæ petimus à Deo. Iac. 4.

Duplicitas animi diaboli filia eſt.

Eccl. 2.

Loquutus eſt Aaron & fecit ſigna coram populo & credidit populus. Exod. 4.

Filij Iſraël non audiunt me (ait Moyſes) & quomodo audiet me Pharaon. Exod. 6.

Ioſ. 23.

Iſa. 35.

Pſalm. 76.

Pſalm. 54.

Pſalm. 118.

Pſalm. 60.

Epheſ. 6.

1. Theſſ. 5.

Hebr. 5.

Conſcientia ſerenioris donum.

Luc. 23.

Maturitate ingreſcit, ex cognatur, mole leſcit vua.

Digitized by Google

2. Cor. 12.

tur coronæ, & infirmitatibus virtus perficitur Chriſti. Imò magis pertinaci freti conſtãtia, ad orationem perſiſtamus; Dominum noſtrũ obſecrantes ac dicentes: Domine qui ſolus bonus, erga humanum genus clemens, ſolus ſuauis & mitis, ſolus verax & iuſtus, ſolus miſerator Deus noſter: Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſub Pontio Pilato cruci eſt appenſus & tertia die reſurrexit & ita introiuit in gloriam ſuam pariter & tuam, adueniat quæſo ſuper me ſeruum tuum virtus tuæ maieſtatis, & confirmet me, Domine, & conſtabiliat ſalutaris doctrina Euangelij. Certè Domine, viſcera mea artuſquemeos omnes fac ſplendeſcere infuſione tuæ lucis, tuáque ſolius voluntate. Expia me ab omni malitia & peccato. Conſeruato me immaculatum & irreprehenſibilem ab omni operatione aduerſatij: tuáque benignitate imparti mihi, vt quæ tua ſunt cogitem; quæ tua ſunt ſapiam, in ijs quæ tua ſunt conuerſer; tuo, nempe filiali, timore te timeam ad extremum vſque halitum. Innocore Domine Ieſu Chriſte, ego peccator; vt per inenarrabilem miſericordiam tuam cõſerues corpus meum, animam ac ſpiritum ab omni laqueo oppugnantis me. Ita, Pater ſancte, tua ſolius pietate propugna me ſeruum tuũ nec in tanto diſcrimine conſtitutum deſeras me, vt ne dicant inimici mei; deglutiuimus eum. Tu enim Domine mi, propugnator meus es; in te, *laudatio mea ſemper* & in ſecula, Amen.

Oratio contra puſillanimitatem in tentationibus.

Luc. 18.

Ad hunc modum propiùs adiungamus nos tam clementi Domino; nec vlla ex re ſic miſerè eliquemur aut deficiamus animo: magis verò ſtrenuè contendamus, illius memores ſcripturæ: *dixit autem et & parabolam, quia oportet ſemper orare & non deficere.* Infert: *Deus verò non faciet vindictam clamantium ad ſe die ac nocte, & patiens erit? certè dico vobis, quia faciet velociter vindictam eorum.* Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

De labore qui ſecundùm Deum eſt.

Homilia LXXXVI.

QVI ſecundum Deum ſunt labores, hominem rectà prouehunt ad portum ſalutis, multúmque præſtant fiduciæ apud Deum; qua fretus, dicere ingenuè auſit: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa peccata mea*; quia *laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, et oculi mei defecerunt dum ſpero in Deum meum.* Corpus itaque noſtrum, animámque (chariſſimi) aſſiduis maceremus ieiunijs, manuario item operi noſipſos mancipemus; vt, *cum dederit dilectis ſuis ſomnum*, hoc eſt, requiem; fructum dignæ recipiamus mercedis. Quamnam mercedem? nimirum cùm efficiemur hæredes ac filij Dei. Hæc planè *merces fructus ventris*: hoc eſt temperantiæ. Inueniuntur & tales aſſimiles Apoſtolis maximè qui rerum inopiam ſtudio affectabantur. *Quaſi enim ſagitta in manu potentis, ita* eorum qui ſe excuſſerunt ab omni cura concretioris materiæ ſæculi iſtius. Eiuſmodi ſanè quam beati prædicantur; vt qui honeſtam & commendabilem explent concupiſcentiam, ne confundantur, cum loquentur *inimicis ſuis in porta*: hoc eſt; in articulo ſuæ defunctionis atque exitus è corporis domicilio; quo potiſſimum tempore hominem maligni adoriuntur Dæmones, ſtudio & conatu præoccupandi animam. Qui ſapit & hæc planè nouit; ad mortem vſque non conquieſcet, donec ſuam ipſius animam faciat ſaluam. Nec animam modò faciunt, ſaluam qui ſecundùm Deum ſunt labores; ſed & corpori ſanitatem ac vires conciliant, cui Deus robur ſuppeditat pro hominis propoſito: At otium, malitiam omnem perdocet ſpinarum inſtar aculearum. In manibus enim otioſi ſponte ſua emicant ſpinæ. Et, *Viæ otioſorum ſpinis inſtratæ ſunt.* Tales dum aliud nihil conficiunt operis, totos ſededunt detractioni, diſpuncto à ſe & excuſſo Dei timore. Adde his; temerarij & effrontes, verbis ſunt

Pſalm. 24.

Opus manuarium monachis eſt meritorium.

Pſalm. 126.

Rom. 8.

Pſal. 126.

Dæmones maximè in tempore exitus, hominem oppugnant.

Labor vtilis eſt, otium malitiam omnẽ perdocet.

Prou. 15.

A inconcinnis ac immoderatis, quæ prætextum alioqui præ ſe ferant alicuius doctrinæ, cùm interim non intelligant, neque quæ ipſi loquuntur, neque de quibus affirmant. Hoc genus hominis ſcitè admodum perſtringit concentor Pſalmorum David dicens: *In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Qui enim peccant; nec tamen reſipiſcunt pœnitudine ducti, neque flagris conſcinduntur ſiue caſtigantur hic cum hominibus, illic vtique in dæmonum contubernio pœnas luent nullo circumſcribendas fine. In hoc perdocet nos & inſtruit ſcriptura, laborem vt diligamus; quòd is ad omnia mirè conducit. Dicit enim; *Ne oderis laborioſam operationem, ſed humilia valde animam tuam.* Et: *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi; In deſiderio enim erit omnis piger, via autem fortium plana ſunt* David item: *hoc, labor eſt ante me, donec*

B *intrem in ſanctuarium Dei; ſed & propterea laborabo, vt viuam in finem.* Tu enim dixiſti Domine. *Ego ſum Dominus Deus tuus qui te eduxi de terra Ægypti de domo ſeruitutis*, luti & lateris; nempe obſcœnarum ac turpium affectionũ. Sanè profuerit æmulari Apoſtolum: Ait enim is; *Fratres memores eſtote laborum noſtrorum & afflictionum, nocte ac die operantes fuimus, ne quem veſtrum grauaremus: Ipſi enim ſcitis quia gratis panem non manducauimus.* Sed & ad Corinthios, enumeratis agonibus ſuis quos pro tuenda pietate deſudarat; addit: *In laboribus abundantius.* Iterum: *præ illis abundantius laboraui; non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Et quidem labores nobis ſubeundi ſunt, ſed cum humilitate & arbitratu diſcretiuo ſpiritualium patrum. Ita enim fiet, vt in nullum incidamus errorem; nec dæmo-

C nibus reddemur deridiculi. Impuris enim iſtis ſpiritibus hoc ineſt peculiare ſtudium: feruore indiſcreto accendunt ſemper hominem, ea vt moliatur, quibus perficiundis neutiquam par ſit: Talem, poſtremò deridiculis ſannis proſcindunt. Iuxta igitur Apoſtolum dicendum eſt & ſapiendum, quoties quidpiam operis cum laude ac legitimè geſſerimus: *non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Nec Apoſtolus modò nobis ad omnia, formula vitæ factus eſt, ſed & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuomet exemplo nihil non quod confici debeat, delineauit. Is enim in quem nulla decolor peccati eluuies cadere poterat, Deus cùm eſſet, nec vllius corporalis indigus laboris, nobis tamen erudiendis, nihil non ſuſcepit faciendum, Ieiunauit enim diebus quadraginta, &

D *fatigatus eſt ex itinere*, nec interim habebat prius, vbi caput reclinaret: Idem pernoctabat in orationibus Dei. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Pſalm. 72.

Eccl. 7.

Eccl. 32.

Exod. 20.

1. Theſſ. 2.

1. Cor. 15.

Labores, cum humilitate ſubeundi, & iudicio præfectorum.

Feruor indiſcretus, à Dæmone eſt.

1. Cor. 15.

Matth. 4.

Ioa. 4.

De ſtudio ſiue ſolicitudine, quæ ſecundum Deum fit.

Homilia. LXXXVII.

DILIGENS & ſtudioſa ſolicitudo quæ ſecundum Deum eſt nullo non tempore, nulla non in re bona comprobatur. Sed & Dominicum illud primum mandatum eſt, quod populum à ſeruitutis iugo transſcribit in libertatem ac vindicat. Et

E enim populo illi mandatum fuit, cùm feſtinatione vt ſe ex Ægypto reciperet, vtque in terram bonam è tenebricoſa ſeruitute, curſu concito properaret ad lumen genuinæ libertatis: commiſſúmque illi paſcha vt comederet cum feſtinatione. Paulus proinde per Epiſtolam ſuo dicit Timotheo; *ſolicitè cura, teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem.* Et inducit: *omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Alius: *ſi videris virum ſenſatum, mane ſurge ad eum, & quis ſapiens? adhæreſcite ei, omnem enarrationem velis auſcultate, & prouerbia intelligentiæ non te effugiant.* Iterum: *In mandatis Domini meditare iugiter; confirma cor tuum, & ne decrres à narratione ſenum, quia ab eis diſces intelligentiam, cum prudentibus ſit ſermocinatio tua, & omnis enarratio tua in lege altiſſimi, Viri iuſti erunt conuiuæ tui.* Et hæc quidem omni-

Exod. 12.

2. Tim. 2.

Eccl. 6.

Eccl. 8.

Digitized by Google

nibus appoſitè congruunt; ſed eos alioqui peculiariter reſpiciunt, qui ſe ab omni temporariæ rei extricarunt A ſolicitudine; qui elegerunt abiecti eſſe in domo Dei: imò quos in ſuum famulitium aſciuit Dominus, ac propius adiunxit ſibi. Plane prioris vitæ peccata quæ benignitate Domini indulta ſunt, redibunt de integro; ſiquidem ſupino quodam animi deſidebimus veterno. Vt enim aurum exploratum igni & perpurgatum, ſi minus accurate tractetur, ſtrigoſitatem contrahit & aſperitatem: ita & ſtudioſus virtutis, ſi vel vnam horulam deſederit otioſus; mox à feruore gratiæ refrixit, & in veſtigio ſe illi inſerunt muſcæ peccati quæ exinaniunt ſpiritualis opificij ſuaueolentiam. Quiſquis igitur voles imbellem reddere inimicum; circuncidito peccatum; eſto alis nudus, imitatus paſſerculum cui à puerulis illuditur. Dæmones enim nullo non genere B veteratoriæ malignitatis obarmati conſueuerunt per omnem omnino vitam aduerſus monachos piæ actionis ſtudioſos & eos qui requietam tranquillámque delegerunt viuendi formulam, ſuarum exacuere gladios tentationum. Et quò quiſque ſtudet eſſe arepti propoſiti obſeruantior; eò aduerſus talem copias ſuæ malignitatis apparat inſanius Dæmon, & promouet perplexos vixque tolerabiles conflictus, vt quoquo pacto diuellere hunc ab oratione poſſit. Opus igitur fuerit, vt virtutis ſtudioſus ad opus iturus orationis, ſuam alacritatem oſtenret exprómptam & præferuidam, vt Angeli perſpecta hac promptitudine exhilareſcant, ac proinde cum tali perſeuerent; è diuerſo, dæmones tanto feruore flagellati ſe in fugam proripiant refugè. Debet igitur vel ob hoc, cultor virtutis feruere ſemper ſpiritu. Quē- C admodum enim ferrum igni candens totum à propria natura in eam quæ natiua eſt igni tranſit, fitque propemodum ignis: ita & qui Deo propius adiungitur par eſt, à ſe vt vitæ iſtius ſitus ferrugineo & tenebricoſo obductas curas excutiat & vniatur igni, (quem Dominus venit mittere in terram) fiátque totus ignis, ne à quoquam aduerſariorum intercipi poſſit & expugnari. Ait item & Apoſtolus: *Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.* Qui igitur ſeipſum conſecrauit Deo, neceſſe eſt vt cum cogitatione prorſus ſyncera, & ornamentis bonarum actionum conſpicuus, vnà cum Dauide pſallat ac dicat: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam quid iucundum ſit Domino.* Et illud; *ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Item illud: *Domine dilexi decorem domus tuæ, quia* D *dilecta tabernacula tua Domine, concupiſcit enim & deficit anima mea in atria tua Domine, vt inhabitet in atrijs tuis.* Beata quoque Maria Lazari ſoror, ad pedes ſedebat Domini; multo cum deſiderio perſeuerans, & perquam ſuauiter ipſius exaudiens vocem. Sed & ipſe Dominus docet nos, dicens: *contendite intrare per anguſtam portam, quia multi* (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Gratia feruorem extinguit deſidia.
Eccl. 10.
Luc. 12.
Rom. 12.
Pſal. 26.
Pſalm. 51.
Pſalm. 25.
Luc. 10.
Matth. 7.
Luc. 13.

De Miniſterio. HOMILIA LXXXVIII.

QVI miniſter eſt, multa cum ſedulitate adminiſtrare debet; cùm perſpicuè nouerit opus eſſe Dei. Nulla in re ſit is cunctatior aut mi- E nùs diligens, ſiue ob ingeſtam triſtitiæ nubem, aut quòd à quopiam irritatus eſt; nec tranſmittat, aut ſegniter expleat miniſterium, ob litem fortè à nonnullis excitatam. Quæcunque enim monaſticæ ſunt manſionis; Deo conſecrantur, tanquam ea quæ offeruntur illi. Quàm magno in periculo verſetur is qui neglectim miniſtrat, noſſe vis? Perinde eſt, ac ſi Deum ipſum contemptim aſpernetur, habeátque nihili: *Quandiu enim feciſtis vni ex his minimis; mihi feciſtis, & quandiu non feciſtis, neque mihi feciſtis.* Siue igitur quis adminiſtrat ſedulo, ſiue neglectim inſeruit fratribus; in Deum ipſum illius recurrit ac refertur miniſterium. Iure igitur de iſtis cunctatoribus & malè ſedulis dicebat Hieremias; *maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Talis contemptor, arrogans eſt A & ſuperbus. Nos igitur qui ab eiuſmodi maledictione ſecluſi ſumus, vt pote filij benedictionis; tanquam miniſtri Chriſti, omni cum ſedulitate ac ſtudio, monaſterij nobis concreditam functionem plena fide exequamur: tanquam benedicti diſcipuli illius qui dixit; *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Quid inſuper Apoſtolus dicat, audiamus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus commendantes noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in laboribus, in vigilijs, in longanimitate, in charitate non ficta, in verbo veritatis.* Iterum: *ſicut ſerui Chriſti, facientes voluntatem ipſius ex animo cum beneuolentia ſeruientes, quaſi Domino & non hominibus.*

ὁ διακονῶν.
Manſio monaſtica.
Deo neglectim ſeruire, periculoſiſſimum eſt.
Matth. 25.
Hier. 48.
2. Cor. 6.
Epheſ. 6.
1. Cor. 15.

B Iterum: *Fratres, ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Et ad Timotheum; *Vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* De ſeipſo quoque dicit: *nunc autem proficiſcor in Ieruſalem miniſtrare ſanctis, ſed adiuuate me in orationibus, vt obſequium meum acceptum ſit ſanctis.* Nobiſcum reputemus (fratres) ipſi Apoſtoli qui & columnæ Eccleſiæ, quanto agone ac deſiderio miniſtrabant Hieroſolymitis pauperibus.

Alijs inſuper dicit, *non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis quam demonſtratis in nomine ipſius, dum adminiſtraſtis ſanctis & adminiſtratis.* Petrus item: *vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes:* Inducit: *ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam* C *adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* His concinit Dominus: *qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Iterum: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat; etenim Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

2. Tim. 4.
Rom. 15.
Hebr. 6.
1. Petr. 4.
Ioh. 12.
Luc. 22.

De inopia. HOMILIA LXXXIX.

FACVLTATVM omnium poſſeſſio ablegata ſemel à quopiam & excuſſa nihil obſcurè declarat ſynceram eſſe monachi conuerſationem. Qui nullum poſſidet pecu- D lium monachus, aquila eſt altiuola. Inops monachus, liber fit paucorum vſu, vt quàm plurimis perfruatur. Qui peculio exuit ſe, vtique nouit quia inquilinus eſt & aduena ſuper terram: ex eo enim quòd nihil circumfert ſecum rei temporariæ ac ſecularis, per hoc prodit ſe ſempiterna illa expetere. Qui ſe exuit poſſeſſione facultatum, Heliæ comperitur eſſe imitator, Ioannis item & eorum qui dicunt, *Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Qui tales, ab ipſo ſalutis noſtræ Vindice audiunt, *Quia vos qui reliquiſtis omnia & ſequuti eſtis me,* multiplicia accipietis in ſeculo iſto, & in futuro vitam æternam. Qui inops eſt, ſuper terram quidem verſatur, conuerſationem verò iam in cœlis ſibi comparauit: Inopiæ enim merito, cum Angelis congre- E ditur familiariter, choro accenſetur iuſtorum. Dum enim hæc auerſatur & repudiat terrena, vel ipſa imaginatione colligit iam & contemplatur cœleſtia. Non vides quanto inter ſe diſſideant diſcrimine, hæc corruptiua dimiſiſſe, & poſſediſſe incorrupta, hæc qualiacúnque quæ noſtra non ſunt, reliquiſſe, & illis perfrui quæ parata ſunt diligentibus Deum, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in hominis aſcenderunt?* Quiſquis mundi iſtius oſor eſt & Mammonæ; perſpicuum euadit, quia hic mundi opificem diligit. Inferioribus enim tranſmiſſis, præſtantiora nihil obſcurè expetit. Generoſæ prorſus ac Deum ſynceriter amantis animæ argumentum eſt; nihil mundi poſſidere velle. Qui eiuſmodi eſt; *hæres quidem Dei, cohæres autem ſit Chriſti.*

Synceram monachi conuerſationem indicat voluntaria paupertas.
Monachi, Heliam & Ioannem Baptiſtam imitantur.
Matth. 16.
Luc. 18.
φιλακτημοσύνη.
Inopia voluntaria meritum.
Voluntariæ paupertatis encomia.

Qui

Qui igitur indipiſci vult margaritum illud multò pretioſiſſimum; præſentium bonorum omnium poſſeſſionem à ſe cum gaudio excutiat, vt agrum ſibi comparet in quo vitæ quidem theſaurum inuenit catenus retruſum & conditum. Tunc enim locum quis nanciſcitur, in quo gratia Dei deliuit; cùm temporales haſce diuitias omnes à ſe abiecerit. Rationi prorſus conſentaneum eſt, vt nos (quibus datum eſt ſemel noſſe pietatis viam) vniuerſa quæ adſunt, diſperdamus; nimirùm vt ex his quæ ſuperſunt, iuxta imperium Domini; diſpenſemus facultates: vt ne dum prætexímus in ſingulos dies nos velle implere mandata; deprehendamur malè fuiſſe morigeri tam ſalutari mandato. Primùm enim quod ex eiuſmodi abdicatione facultatum proficiſcitur; ingenua eſt & perquam honeſta libertas curæ omnis; & quę hinc etiamnum reſilit, paupertas nullis patens inſidijs. Dicit itaque Apoſtolus: *non eſt nobis colluctatio aduerſus ſanguinem & carnem:* Hoc de athleticis legibus tranſſumptum pronunciat. Etenim quemadmodum illi non veſte ſolùm exuti (eſt enim id velut præludium ineundi agonis, vt ſpolient ſe veſtibus) ſed & detõſi comam, iuuncti oleo; vt ne capillis prehendi queant, magis autem vt læuore olei cõmodiùs elabi poſſint ac vitare colluctatoris manus; ſicque illi ad ſubeundum agonem prodeunt. Eundem in modum & nobis proſiliendum eſt ad agonem ſpiritualem, ſi tamen inſigniri olim corona percupimus. Exuti primùm veterem hominem cum actibus ſuis; quin externè etiamnum detonſi, noſque ad eleemoſynas exponentes, nudi quoque cura omni ac veſte, in ſtadium aſcendamus excolẽdæ virtutis. Sed & Hebræis idem ait; *Vinctis compaſsi eſtis, & direptionem facultatum veſtrarum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes voſmetipſos habere meliorem ſubſtantiam & manentem in cælis.* Dauid verò Pſaltes: *diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Vtique dixit eleganter: *ſi affluant:* More enim aquæ per elices diffluentis; vniuerſa mundi iſtius nos prætereunt. Hodie ad huius pendent arbitrium; craſtino, futura penes alterutrum. Nos igitur cum B. Dauid melico concentu cantillemus verbum ipſius; *ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.* Et; *dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Et; *pauper & inops laudabunt te Domine.* Sed & ipſe Dominus diuiti: *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende tuas facultates & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis.* Et; *veni ſequere me* ſublata cruce. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Epheſ. 6.
Agonis ſpiritualis ineundi præludia.
Tonſura monaſtica exterior.
Hebr. 10.
Pſalm. 61. ὀχετοῦ τρόπον παραρρέουσι ἡμᾶς ὅλα.
Pſal. 118.
Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

A B C D

De Luctu. HOMILIA XC.

Luctus ad finem vſque vitæ ſi retineatur, gaudium parat.
Matth. 5.

LVCTVS, inopiæ conſors eſt; qui & omnibus nobis congruit, éſtque perquam vtilis. Neque enim virtutes modò operatur, ſed & eaſdem ſolerti tuetur cuſtodia; nobiſque hinc emigrantibus (iuxta Domini ſermonem) author æterni ſit gaudij, & cõſolationis paratius; ſi modò ipſum penes nos retinemus vſque in finem. Pro impetrando igitur luctu ante omnia interpellemus Deum; nobis vt eum gratuitò conferat, futurum indiuiduum comitem omni tempore vitæ iſtius noſtræ. Hunc enim perpetem poſſident qui ipſius ſunt amatores; ſed & orationi inuigilant conſtanter. Qui tales ſunt, induuntur arma lucis, & audiunt illud; *ſtola tua feruida eſt.* Iſtorum verò inimicis quaſi diploïde confuſione circũ-amiciuntur. Luctus ſanè iſtius ſuccedanea hæreditas hæc, cœleſte gaudium, deliciæ non interpretabiles, ineloquibilis gloria, nunquam deſitura exultatio. Hoc ipſum nos inſtruit Eccleſiaſtes; *melius eſt ire ad domum luctus, quàm pergere ad domum conuiuij.* Iterum: *cor ſapientium in domo luctus, cor autem ſtultorum in domo lætitiæ.* Inducit: *ne pigrietis cum flentibus flere; & cum lugentibus lugere.* Dicit autem & Propheta Amos: *ecce dies veniunt, dicit Dominus; & emittam famem ſuper terram; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini; & lugebit terra, & ea quæ in ipſa erunt.* His nunc noſtris temporibus † impletum eſt iſtius prophetæ oraculum: *Omnes enim declinauimus, ſimul inutiles facti ſumus.*

Luctus encomia.
Eccleſ. 7. Ibid.
Amos 8.
Sub Coſdroa Perſarum tyranno.

E

Sed & Eſaias: *propter hoc dixit; recedite à me, amarè flebo ſuper contritione gentis meæ; & ne detis operam, vt conſolemini me.* Hieremias inſuper: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum; & plorabo die ac nocte?* Dicebat item & populo: *deducent oculi mei lachrymas die ac nocte;* Atqui inter nos non eſt qui intelligat. Quæ enim propheticis oraculis præſignata ſunt, occurrerunt nobis. Daniel quoque: *dedi faciem meam ad Dominum Deum meum in ieiunio & ſacco.* Dauid: *tanquam lugens & contriſtatus ſic humiliabar.* Et; *miſer factus ſum, & curuatus vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* Iob item: *Sagitta tentationum eius, ſuper me; Venter meus exæſtuauit à fletu; ſuper palpebras autem meas vmbra mortis.* Attenti igitur ſimus & nos (chariſſimi) & intelligamus ſanctorum viuorum quis fuerit, dum viuerent tenor ac formula: acie mentis condiſcamus quo pacto iſti tempus ſuum exegerint in fletu, ſacco & planctu; vtque per afflictionem & luctum promeruerint effici pueri, famuli, & amici Ieſu Chriſti. Et hæc eo ſunt prodita memoriæ, vt nos ad ſtudium inuitent concupiſcendi luctum; *vt ſint* nobis *lachrymæ panis die ac nocte,* vt per ſingulas quaſq; noctes ſtratum noſtrum rigemus lachrymarum profluuio, vt decolores notæ peccatorum expientur, quibus circumfundimur toti, vt vel ſic digni habeamur quos nuptiali ſtola conueſtiat & adornet Dominus: qui enim ea nuptiarum veſte deprehendetur non eſſe indutus, excludetur regni aditu. Quum igitur habeamus ſic benignum ac clementẽ Dominum, omníſque immemorem iniuriæ; ipſum exoremus ac repropiciemus per ſuſpirioſos gemitus & lachrymas; vt in eius aduentu ſplendida illa amicti ſtola inueniamur. Magnopere is diligit ſalutem noſtram: In hoc enim iubet, à ſe vt auferat Ieſus Ioſedech veſtimenta ſordium eluuie defœdata; & amiciatur podere, ad talos imos vſque propendente: Dicit enim ipſi Ieſu; *ecce abſtuli iniquitates tuas.* Nobis itidem: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur; beati qui flent nunc, quia ridebunt.* Deum noſtrum addecet gloria in ſæcula, Amen.

Iſa. 22.
Hiere. 9.
Dan. 9.
Pſal. 34.
Pſal. 37.
Iob. 6.
Pſal. 41.
Matth. 22.
Zach. 3.
Matth. 5.

A B C

Quòd ſemper captanda ſit temporis opportunitas.

HOMILIA XCI.

D

Oratio intempeſtiua eſſe nunquam poteſt.
Pſal. 33.
1. Theſſ. 5.
Eccleſ. 3.
Coloſſ. 4.

NVLLA non in re ſpectanda venit tempeſtiuitas, præterquam in oratione. Nunquam enim intempeſtiua poteſt eſſe oratio. Ait enim Dauid; *benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Et illud: *Indeſinenter orate, in omnibus* gratias *agite.* Quòd autem cæteris in rebus ſpectari debeat & obſeruari temporis commoditas per Eccleſiaſtem erudimur: ait enim *omnibus ſuum eſt tempus, & tempus omni rei; tempus tacendi & tempus loquendi.* Et: *ſi eſt tibi intellectus, reſponde fratri tuo; ſin autem manum ſuperpone ori tuo; quod ſi tempus appetit loquendi, bonum fuerit vt in tempore dicas verbum.*

† Addictione ἔγκοπος deſit quiddã. Eſt enim intercisa & inabſoluta oratio.
Eccl. 1.

Ait enim, *ſermo veſter ſemper ſit ſale conditus,* in hoc vt noueritis, quo pacto oporteat vnicuique reſpondere. Omnis enim ſermo interruptus. Et; qui addit ſcientiam, addit & laborem, ſiue dolorem, *qui autem temerarius eſt labiis, incidet in mala; propter* enim *ineruditionem linguæ ſuperueniunt iræ:* innocens ſeruat ſuam linguam, vt qui diligit ſuam animam. Qui adulatione vtuntur, ſeducunt corda innocentum; & qui beatificant, in errorem mittunt. Illud, *Tempus flendi:* pro eo ſumitur quod eſt, affligitote animas veſtras. Et hoc, *Tempus ridendi:* pro eo, celebrate mihi diem feſtum. γελάσαι enim, tempus nimitùm ridendi lætitiæ & & gaudij eſt index. *Tempus belli:* luctæ ſcilicet, quum aduerſus hominem cominùs confligit, & cooritur diabolus in illum, multiplicium tentationum armatus telis. *Tempus pacis:* vbi diſcuſſa tentationũ nube, ſerenitas amœna diuinæ gratiæ affulget & inclareſcit, incredibile gaudium inferens animæ. *Tempus iudicij:* nouit cor ſapientis, idque cùm à lucta ac multiiuga

E

impreſſione paſſionum emancipatur anima & aſſeritur
Sap.18. in libertatem: gaudio enim perfuſa dicit; *Indicauit in me* A
Deus de aduerſario meo. Cuique enim res præſtitata ſunt & tem-
Eccl. 5. *pus & iudicium, Et vnus idemque occurſus occurret omnibus his:*
Hoc dicit de hominis morte, propter vitæ incertitu-
Eccl.9. dinem. Inducit enim: *quia neſcit homo tempus* ſuum, ſicut
piſces capti verticulo. Rurſus: *vidit omnem occupationem*
Eccl.1. *quam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea.* Illud,
ἔδωκε *dedit*: venit exponendum pro συνεχώρησε, per-
Eccleſ.9. miſit. Profuerit igitur (ſed & res commendatione cum
primis digna) vt quod dictum eſt, implendum curemus;
nempe illud, *ſint in omni tempore veſtimenta tua candida, &*
oleum in capite tuo ne deficiat: hoc eſt; actiones quidem ani-
mæ & corporis tui puræ ſordium ſemper ſint & incul-
patæ. Omni proinde ſtudio oleum eleemoſynæ tuæ
per pauperum manus effunde ſuper caput tuum; Chri- B
ſtum videlicet. Ipſe enim caput noſtrum eſt qui dicit:
Mihi feciſtes quæcumque fratribus meis minimis feciſtis. Et per
Matth. 25. Eſaiam: *Tempore accepto exaudiuite, & in die ſalutis audiui*
Iſa.49. 2. Cor. 6. *te.* Sanè tempus illud ſic acceptum vbi aduenit & dies
ſalutis noſtræ, nempe gratia: tunc & Apoſtolus illud
velut indice manifeſtiùs prodens, ait: *Ecce nunc tempus*
acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes vllam offenſio-
nem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed honeſte &
ſecundùm ordinem omnia fiant, vnde & Dominus hoc ipſum
tempus indicans, cùm accuſaretur à Scribis & Phariſæis
propterea quòd illius diſcipuli neutiquam ieiunarent:
ora illorum temerè & impudenter oblatrantia compe-
ſcuit, dicens: *Non poſſunt filij ſponſi, quanto tempore ſponſus*
eſt cum eis, ieiunare, venient autem dies, quum ablatus fuerit ab C
eis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Ipſi gloria in
ſæcula, Amen.

Alienæ calamitati indoleſcendum compaſſionis affectu.

Homilia XCII.

OB alienam calamitatem angi animo, incom-
modiſque proximorum mutuiter condole-
ſcere, ſuffragari item & collaborare; quàm ſit
Deo gratioſum & acceptum, quis explicet?
Hoc etenim re ipſa vt præſtemus, vel debito obſtringi-
mur; vt qui ſerui ſumus, aſſeſſores, & ſubminiſtri Dei
Verbi, vt illi nos probemus in cuius accenturiati ſumus
& adſcripti militiam; à quo relaturos nos ſtipendia na- D
uatæ inſigniter operæ certù ſcimus. Animam vtique ad
officia exercêdæ pietatis erga proximos mirè habet pro-
cliuem, quiſquis ſic condoleſcit alienæ infœlicitati.
Qui talem poſſidet animam; nihil non bonorum ex ſe,
tanquam ex illimi quopiam fonte edet, & in cœlum
tranſcribet. Quòd ſi facultates habuerit & peculium,
nihil dubitabit id in hunc pietatis vſum depromere at-
que inſumere. Si quem viderit calamitate premi, pro-
rumpet in fletum, ſi quem comperetit oppugnari ca-
lumnia, manum illi exporriget auxiliarem; nec vlli alij
talem deſeret, quotquot ad ſe peruenerint. Certatim
igitur contendamus, vt fides noſtra, charitas, patientia
tanquam galea, & quaſi haſta, omniſque ſpecies armo-
† πανο-πλία. rum; † nos in procinctu ſpirituali conſerentes, circun- E
ſiſtant. Longanimitatem mutuam inuicem præſtemus,
vitam hanc exigamus in manſuetudine & placabilitate,
vt & nobiſcum Deus. Abiectum & humilem, illachry-
mantem ne contemptim prætereamus: vt ne lachrymæ
tempore orationis fuſæ, à Deo deſpectim videantur. Si
qua interim gratuita dona poſſidemus, nequid hinc no-
bis arrogemus; quin potius pio affectu compartiamur
non habenti, eòque nobiſcum id doni, in finem vſque
permanebit. Dicit igitur qui inter primos in proximum
affectu pientiſſimo legitur fuiſſe Iob: *Ego autem ſuper*
Iob. 30. In abſoluta oratio. *omni impotente fleui; ingemui vero, ſi quem vidi virum affli-*
ctum neceſſitate; quod ſi deſpexi nudum, nec veſtiui eum! Ianua
autem mea omnibus aperta fuit. Eodem reſpicit illud Tobiæ:
Eleemoſynas multas faciebam: ſi quando videbam mortuos in hu-
mum proiectos, colligebam & ſepeliebam eos. Propheta Oſee: Oſee 6.
A *Perſequamur, vt cognoſcamus Dominum, propter quod miſericor-* Matth. 9.
diam volo & non ſacrificium; & ſcientiam Dei pluſquam holo-
locauſta. Michæas: *annunciatum eſt tibi, ô homo, quid bonum* Mich. 6.
aut quid Dominus quærit a te, niſi facere iudicium & diligere
miſericordiam? Sed & in Sapientia habes: *erue eos qui du-* Prou. 24.
cuntur ad mortem, & redimere occiſos ne parcas. Iacobus item: Iac. 2.
ſi frater aut ſoror nudi fuerint & egeant victu quotidiano, dicat
autem quis illis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini, non
dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corporis, quid proderit?
Admonet autem & Paulus dicens: *Induimini igitur tan-* Coloſſ. 3.
quam electi Dei, ſancti dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem,
longanimitatem; ſupportantes inuicem. Sed & de ſeipſo: Rom. 9.
Veritatem dico, non mentior, quia triſtitia mihi eſt magna &
continuus dolor cordi meo, optabam enim ipſe anathema eſſe à
B *Chriſto pro fratribus meis cognatis meis ſecundùm carnem.* Et:
quia ſine patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mem-
bra. Petrus: *In fine autem, omnes vnanimes, compatientes,* 1. Petr. 3.
fraternitatis amatores, miſericordes, humiles, non reddentes ma-
lum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario bene-
dicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſ-
ſideatis. Ipſe etiamnum Dominus ineffabilis clementiæ
nos quem vellet declarare inſigni quopiam argumento
ſuiipſius Patris germanos eſſe filios ait: *Eſtote miſericordes*
ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt. Ipſi gloria in ſæ- Luc. 6.
cula, Amen.

De non habenda perſonarum acceptione.

C

Homilia XCIII.

PERSONÆ acceptio, germana vicinitate
adnectitur ambitioni, qua gratiã captas
hominũ & fauorem. Edicto diuinæ ſcri-
pturæ, comperimus nobis vtroque eſſe
interdictum, vt reprehenſibili ac vitioſo.
Qui enim vitio iſti accipiendæ perſonæ obnoxij ſunt;
nullo non tempore ſermones promunt aſſentatorios, ac
neſcio cuius commentitiæ beatitudinis prætexunt vm-
bram ijs qui prærogatiua quapiam eminent dignitatis &
potentiæ: videlicet proferunt ligna & fœnum; vtique
materiam ſuapte natura accliuem corruptioni, incen-
dentes igne, de quibus ait & Propheta: *Qui vos beatificant,*
ſeducunt vos: admirantes perſonas quæſtûs cauſa. Diues
D enim addit amicos multos, pauper verò, & ab eo qui
erat amicus, diſparatur. *Sapientia pauperis nihili habita ac* Iſa.3.
deſpecta. Atque non iuſtũ ſit talia vt operemur, debemus πλούσιος, Al. πλοῦτος.
magis fidem nihilo diſparem complexi mutuo nos re-
uereri honore: non quidem metientes proximum ger- Et pro,
manitate carnis, ſed in Chriſto inuicẽ amoris indiuidui διαχωρίζεται, habet,
glutino conſœderati; adeò vt nihil alicunde occurrat, λείπεται, relinquitur.
quod nos poſſit à compagine mutuæ dilectionis diri-
mere: ſed è diuerſo iuxta ſententiam eius qui hymnos
emodulatus eſt, *eripite pauperem, & egenum de manu pecca-*
toris liberate eum Deus enim diſſipauit oſſa eorum qui hominibus Pſal. 81.
placent: Confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Non enim bo- Pſal. 52.
num revereri perſonam in iudicio, iuxta Scripturam. Et; Prou. 18. 24.
ne accipere perſonam contra animam tuam, ne autem confundaris Deut. 16.
E *in caſum vnum.* Iuſtus item Iob, *nunc autem inſpecta perſona*
veſtra non mentiar. Iacobus quoque: *Fratres nolite in perſo-* Iac. 2.
narum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi enim
introierit in conuentum veſtrum vir habens aureum annulum
in veſte ſplendida, introierit autem & pauper in ſordido habi-
tu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixe-
ritis ei, Tu ſede hic benè, pauperi autem dicatis, Tu ſta illic,
aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nónne iudicatis apud vos-
metipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? Inducit:
ſi tamen legem perficitis regalem ſecundum ſcripturam (diliges
proximum tuum ſicut te ipſum) benefacitis; ſi autem perſonam
accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quaſi tranſgreſ-
ſores. Nec abludit Parœmiaſtes: *Admirari perſonam*
impij non eſt bonum, neque ſanctum declinare iuſtum in iudicio.
Alius: *Vereri perſonam in iudicio, non eſt bonum, qui dicit* Prou. 24.
impio,

2. Para. 19. *impio, iuſtus eſt: maledicetur in populis: & odibilis erit inter gentes: qui autem reprehendunt, meliores apparebunt, ſuper* Rom. 2. A *eos autem veniet benedictio bona.* Paulus, item: *non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Iterum: *ab his qui videbantur eſſe, quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt perſonam Deus non accipit,* 1. Reg. 16. Deus proinde Samueli de filijs Ieſſe ait: *ne reſpicias in vultum & ad magnitudinem eius, quia homo in faciem videbit, Deus autem intuetur cor.* Ipſe porrò Dominus cùm à quodam audiuiſſet; *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te,* reſpondit illi: Math. 12. Mar. 3. Luc. 8. *quæ eſt mater mea & qui ſunt fratres mei?* cúmque extendiſſet manum ſuam in diſcipulos dixit: *ecce mater mea & fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui eſt in cælis, hic meus frater & mater eſt.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

B

Cohabitandum paucis quidem, ſed bonis.

Homilia XCIIII.

Contẽtionum cauſa eſt, Deũ non timere.

PROFVERIT (chariſſimi) cùm paucis quidem habitare, ſed bonis; id quod Deo longè gratius, quàm vt multis cohabites qui ſint contemptores mandatorum Domini. Vbi enim timor Domini, illic charitas & fratrum concordia; vbi nullus relinquitur timori Dei locus, ibi contentio ac zelus. Vbi reuerentia ac pietas erga Deum, & amabilis erga proximum affectus; illic intermedius horum habitat Deus: vbi autem inuidia ac malè morigera & inobſequens ſubiectio, illic è regione ambitio regnat gloriæ inanis. C Commodum fuerit ac frugi nos mordicus tueri ac retinere ſimplicitatem & innocentiam; atque ad infantilis vitæ formulam mores inſtituere, quibus incomperta eſt prorſus improba malignitas, humanæ vitæ expultrix; neque ſimus aduerſum nos inuectæ vllius iniuriæ memores, neu per malitiam leges præuaricemur: magis autem omnem deponamus malitiam, omnem amaritudinem diuinæ legis præuaricatricem; ſinque vnum coaleſcamus ſpiritum, omni prorſus à nobis depulſa ſimulatione, quatenus in nobis dignetur habitare Dominus pacis, vt ſpiritus ipſe reualeſcat, priſtinæ ſanitati quam gratuitò acceperat, integrum reſtitutus. Si quiſpiam noſtrum veſtem dederit fulloni, nouam quidem illam atque incolumem, & hanc à fullone recipere velit; fullo autem ſi fruſtillatim D conciſam & diſſectam reddiderit, itáne (quæſo) accipiet eam Dominus veſtis? Nunquid non cum illo velitaribus verbis delitigabit, vitióque illi vertet, dicens: veſtimentum dedi in manus tuas ſanum & incolume, quid ita lacerè concidiſti, vt nulli iam vſui accommodum redderes? Quòd ſi vnus aliquis pro qualicumque veſtimento, ad eum modum mœrore conficitur; pugnáque velitari contendit, quia non integrum recipit: quantùm nos adituros ſupplicij par eſt credere, vltore Domino; qui cum ſpiritum accepèrimus nulla contage decolorem ſed ſanum, ipſum mœrere fecimus, quódque vitam hanc noſtram minus compoſuimus religiosè, reddidimus inutilem adeò vt nulli iam vſui eſſe poſſit Domino ſuo? Vſus enim ipſe ſpiritus noſtri, noſtra ipſorum culpa deperijt: E Dum enim ſic per contentionem, zelum, & omnifariam iniquitatem vitam traducimus; vtique nulli obſcurum eſt, quin ipſi nobiſmet apud Dominum conciliemus iram, denique & mortem. Multo igitur ſit præſtabilius degere cum paucis qui boni ſint, quàm cum crebra multitudine inutilium; vt & diuinæ tradiderunt Scripturæ. Ait enim Parœmiaſtes: *Ne deſideres eſſe cum multitudine inutilium, niſi adſit timor Domini cum eis; melior enim eſt vnus iuſtus, quàm mille peccatores; In ſynagoga enim peccatorum, exardeſcet ignis; & ſi fuerit vnus duræ ceruicis, mirabile hoc ſi innocens erit, miſericordia enim & ira à Domino.* Eccl. 16. Alius item: *ne concupiſcas multitudinem inutilium; ſi multiplicati fuerint, ne læteris ſuper eis, niſi ſit timor Dei cum ipſis ne te credas vitæ illorum; Ingemiſces enim luctu intempeſtiuo, melior enim vnus faciens voluntatem Domini, iuſtus, quàm decem milia* Ibid. A *præuaricantium legem.* Et: *Iuſtius eſt emori ſine liberis, quam habere filios impios; ab vno enim ſenſato inhabitabitur ciuitas.*

Apoſtolus proinde: *Nouit Dominus qui ſunt eius &, diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Infert: 2. Timo. 2. *In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed lignea & teſtacea: Quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam.* Quotquot igitur ſumus lignea vaſa & teſtacea, expurgemus noſmetipſos vt efficiamur vaſa ad vſum Domini accommoda, ad omne bonum apparata, vt ne tandem ab ipſo contingat nos audire; *Diſcedite à me maledicti, amen dico vobis, non noui vos vnde ſitis.* Math. 25. ἑτοιμάζω. ὀστρακινα. Idem Dominus: *ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare & ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta eſſet, aſcenderunt ad litus & elegerunt bonos in vaſa ſua, putidos verò foras miſerunt.* B Infert: *ſic erit in conſummatione: exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis ardentem: Ibi erit fletus & ſtridor dentium, Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi:* Math. 7. Luc. 13. *Lata enim eſt porta & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui gradiuntur per eam.* De paucis proinde pijs ac bonis, ait: *quia anguſta eſt porta,* & tribulationum ſpinis ſepta vndique via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui ingrediuntur per eam. Iterum: Luc. 12. *Noli timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Temperandum à ſolutiore & immoderato riſu.

Homilia XCV.

Riſus ſolutus Chriſtiano illicitus.

RIDERE ſolutiùs, neutiquam ijs permiſſum qui ſint germanè Chriſtiani: omnium minime conuenit monachis, qui ſe iam crucifixerunt mundi iſtius vitijs. Ait enim Dominus; Luc. 9. *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* *Chriſti clauis non tranſfigitur, qui ſoluitur riſu.* Qui (quæſo) probabile ſit; hunc crucis Chriſti dulcibus clauis eſſe transfixum, qui ſic ſoleat profuſiore lætitia diffũdi & ridere ſolutius? Neque enim ad eiuſmodi animi elationem aut riſum ſolutiorem vocati ſumus; ne per hæc demùm contingat nos aſſequi vna cum ethnicis illud væ, magis verò per luctum guſtum qualemcúmque prælibemus internæ conſolationis. Luc. 6. Pro animæ enim paranda ſalute vniuerſus hic nobis ſuſceptus eſt agon; D cui aliàs non mediocre impendet periculum, non leue eam tormentum manet, ſed æternum. Pſal. 6. b Quis enim in inferno relinquitur confeſſioni locus; Nullis illic lachrymis aut ſuſpirioſis gemitibus ira flectitur iudicis æquiſſimi. In nullius item gratiam, perfinitę legis terminus prorogari illic poteſt; ſed neque pœnitẽtia vlla iam reſidet. *Animæ peccatricis ſtatus poſt hanc vitam.* Ab exitu iſtius vitæ nulli conceditur reditus: quin ad metam vbi peruentum eſt huius peregrinationis, nihil iam occurret peccatrici animæ non plenum amaritudinis; nihil non plenum intolerabilis moleſtiæ & acerbitatis ijs qui indultum ad pœnitentiam tempus neglectim & ſine fructu tranſmiſerint. His enim primùm horrenda prorſus nullíque non formidabilis facies peccatorum quæ eatenus admiſerint, vltrò ſe ingeret viſendam; dirum planè ſpectaculum & E omni ſupplicio amarius. Sed & hos conſcientia interiore flagro conſcindens, eò adiget vt continenter & vociferentur & eiulent verbis illis comploratione omni digniſſimis: Væ mihi: quid ni hunc præuidi diem, miſer ego? *Angeli circumuolitãtes.* Is quaquauerſum circumaget oculos, Angelos illic circumuolitantes intuebitur; à commiſeratione vſque adeò abhorrentes, vt vel ſola ſpecie incredibilem atque intolerandum incutiant ſpectatori terrorem. Sub horam tantæ iſtius adeundæ neceſſitatis ſuſpirabunt amariùs; quum nunquam finiendis, ſed æternùm duraturis tradentur tenebris illis exterioribus cum fletu & ſtridore dentium; quando nunquam intermorituro vermi arrodendi mancipabuntur; cùm in profundam inferni voraginem agentur præcipites, nempe in tartarum ac

gehennam omni acerbitate ſuperiorem. Hæc planè ſunt; ſunt (inquam) loca hæc atrociſſimi examinis, omni A recogitanda circumſpectione, quæ peccatrices animas hiulco ore excipiunt; nô item ſic animus diffundi debet riſu ſolutiore, aut inſoleſcere per elationem. Præ eiuſmodi tamen par eſt, oculos mentis indiuulsè & preſſiùs defigere in propoſitum omnibus ceu ſcopum; gratiam Dei: quemadmodum & beatus Dauid, qui cum ipſius gratiam venerabundus ſuſpiceret, cum admiratione dicebat; *ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Iterum: *neque elati ſunt oculi mei.* Ad eum modum debemus & nos attenti eſſe & peruigiles; inque eam Dei gratiam oculos mentis fixiùs intendere, ne ipſi occumbamus in mortem, letali dum abripimur morſu ſerpentium; hoc eſt, quæ ipſi admiſimus, peccatorum. Qui enim ſe agnoſcunt ſubeſſe B legi gratiæ: ſua ipſorum delicta nullo non tempore habent præ oculis cordis: ſecúmque, dum benignitatem erga ſe demitantur, taciti inſuſurrant; è quátis nos malis Deus ipſe ſubmouit & eripuit! ecquid nos indigni retribuere poſſimus! Non igitur in riſu, non in elatione mentis inſumamus noſtri iſtius incolatus dies. Nos ipſos (quæſo, chariſſimi) peruigili cuſtodia ſeruemus; ne hoſtis nos intercipiat irretitos intempeſtiui riſus laqueis.

Riſu diffundi non debemus, ſed gehennæ cruciatus meditari.
Pſal. 122.
Chriſtianorū cogitationes.

Quam multas intempeſtiuus hic riſus ex ſe parit indecoras prorſus, imò diabolicas animæ perturbationes! Planè riſus talis imprudentium eſt: veriùs dixerim, ſtultorum ac mente captorum, in contubernio lupanaris ſcortantium. Ob hoc ſcriptum eſt, non conuenire ſtulto C delicias, vt ne hinc ſumat animos, ſéque effetat impotentiùs; quemadmodum ille olim populus profectus ex Ægypto. Vt enim primum iugo Ægyptiorum emancipati ſunt, viderúntque tumulum in altam voraginem depreſſum ſibi patere: tunc ad idololatriam conuerſi ſunt. † Traiecto enim mari, cùm nihil ſibi viderent impendere iam periculi; ſimul atque attigerunt terram, naufragati ſunt. Tunc impegerunt, quum priùs lugentes pertimuiſſent iugo eximi amaræ ſeruitutis. Pulchrè igitur ait Parœmiaſtes: *Riſus ſtultorum in delicijs peccati.* Iterum: *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem aſtutus vix tacitè ridebit.* Iterum: *qui in delicijs nutritur à pueritia, ſeruus erit: in nouiſſimo autem dolebit ſuper ſe.* Inducit: *quaſi vox ſpinarum ſub lebete; ita riſus ſtultorum.* Nos igitur cum B. Iob dicamus: *quod ſi incedebam cum deriſoribus, quæ triſtitia* D *ſunt contingant mihi.* Et cum Hieremia: *Domine non ſedi cum concilio ludentium, ſed timui à facie manus tuæ; ſeorſim ſedebam, quia amaritudine repletus ſum.* Iacobus item non à riſu modò abſterret nos; ſed & vt fleamus ſedulò mandat atque einlemus: *Miſeri eſtote & plorate* (ait.) *Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium veſtrum in mœrorem. In riſu enim ſtultus operatur mala; ſapientia autem parit virilem prudentiam.*

Riſus eſt ſtultorum.
Prou. 19.
Animæ periculum ex delicijs.
† Ex 32. cum antea ſæpius murmuraſſēt pro cibo & potu.
Exod. 16. & 17.
Eccl. 27.
Eccl. 21.
Prou. 28.
Iob 29.
Hiere. 15.
Iac. 4.

Itaque, fratres ſtudioſi prudentiæ ſtultum hunc odeſimus riſum, ne nos demum tranſmittat ac præcipitet in æternum illud ſupplicium, iuxta Dominicā ſententiam: *Væ* (inquit) *qui ridetis nunc, quia flebunt & lugebunt.* Quin imò ſtrenuam demus operam, vt Dominica tandem E voce laudemur atque audiamus; *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Luc. 6.
Matth. 5.

De dilectione proximi.

Homilia XCVI.

Proximum qui diligit, is ſe longiùs iam ab omni ſubmouit peccato. Quin hoc vt faciamus, iubet ſcriptura omnis, cum vetus tum noua: *diliges proximum ſicut teipſum.* Ipſe ſiquidem Dominus mandatum hoc verbis ex lege deſumptis declarauit eſſe ſecundum à primo quod eſt de dilectione Dei. Vnde & Ionathan Saulis filius, id liquido cùm noſſet; præ vxore dilexit Dauidem affectu prorſus ſyncero. Melior enim parua particula cum timore A Domini, quàm theſauri magni abſq; timore. Melior inuitatio ad conuiuium holerum ad amicitiam & gratiam, quàm ferculum vitulorum cum inimicitia, iuxta ſcripturam. Iterum: Melior pauca acceptio cum iuſtitia, quàm multa germina cum iniquitate. *Melior eſt buccella cum voluptate in pace, quàm domus plena bonis cum iurgio.* Sed & Ioannes: Fratres, diligamus inuicem, quia Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet. Iterum: qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum non eſt in eo. Petrus quoque: *noſmetipſos in charitate ſeruemus, expectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Rurſus: *finis autem præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona.* Iterum Petrus: *miniſtrate in patientia pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis, charitatem.* Et poſt pauca: *ante omnia autem mutuam in* B *vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Conformiter & Paulus: *In charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis.* Iterum: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas nunquam excidit.* Et inducit: *plenitudo igitur legis eſt dilectio.* Rurſus: *eſtote igitur inuicem benigni, miſericordes, imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Et: *conſideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.* Et: *ſuper omnia hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* Et: *vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in inuicem & in omnes.* Alij idem dicit: *de charitate autem fraternitatis ipſi vos à Deo didiciſtis vt diligatis inuicem.* Et nos igitur, fratres, perfecta charitate eos complectamur qui nobis vniuntur C parilitate fidei; ſicut & à nobis repetit Dei lex: pro illis quoque & animas parati exponere, ſiquidem eò nos vlla occaſio inuitet. *Maiorem* enim *hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et: *In hoc ſcient omnes quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

1. Reg. 18.
2. Petr. 3. Non eſt hic Petri locus ſed Pauli.
Tim. 5.
1. Pet. 4.
Epheſ. 3.
1. Cor. 13.
Rom. 13.
Ioan. 15.
Ioan. 13.
Ioan. 18.

De hoſpitalitate ſiue benignitate erga peregrinos.

Homilia XCVII.

Hoſpitalitas, virtus eſt Deo gratiſſima.

Hoſpitalitas ſpecioſa admodùm virtus eſt ac Deo per quam gratioſa; maximè ſi conferatur in domeſticos fidei. Huiuſce D virtutis merito Abraham amicus Dei vocatus eſt. Loth quoque per hanc ignis cœlitus demiſſi vindicem fugit iram. Raab meretrix per hoſpitalitatem cum vniuerſa domo ſeruata eſt incolumis: ſed & hæc virtus ſanctorum omniū celebrata eſt præconijs. Primus Parœmiaſtes dicit: *benedictio Domini ſuper caput iuſti ſi eadem ducat, & nunquam addetur ei triſtitia in corde.* Iob inſuper peregrinorum amator; præter cæteras virtutes, benignam hoſpitum acceptionem deprędicat: *eram* (ait) *pater imbecillium; ſeruaui enim pauperem de manu potentum.* Iterum: *benedictio pereuntis ſuper me veniat, os autem viduæ mihi benedixit; oculus eram cæcorum, pes autem claudorum: ianua mea aperta fuit omni afflicto.*

Abraham hoſpitalitatis merito, amicus Dei appellatus.
Prou. 10.
Iob 29.
Ibid.

Eſaias item: *Pauperes ſine tecto induc in domum tuam: ſi vi-* E *deris nudum, operi; & à domeſticis tuis ne auertas faciem; tunc clamabis & Deus exaudiet te; adhuc loquente te, dicet, ecce adſum.* Iterum: *ſi abſtuleris à te verbum murmurationis, & dederis panem eſurienti ex anima tua, & animam exinanitam repleueris: tunc orietur in tenebris lux tua, & erit Deus tuus tecum ſemper, & impleberis ſicut deſiderat anima tua.*

πτωχοὺς ἀστέγους.
Iſa. 58.

Paulus item: *amor fraternitatis maneat, hoſpitalitatis nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Rurſus: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Sed alius: *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.* Si enim voluntas prompta eſt; ſecundum id quod habet, accepta eſt; non ſecundum id quod non habet. *Non enim vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æquitate in tempore præſenti.* Idem ad Titum: *Zenam legiſperitum, & Apollinem ſolicitè præmitte,*

Hebr. 13.

vt nihil

vt nihil illis deſit; diſcant autem & noſtri, bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios, vt non ſint infructuoſi. Iterum: *ſalutat vos Caius hoſpes meus & vniuerſa Eccleſiæ,* pro eo quod eſt, exceptor hoſpitum omnium. Dominus quoque vnà cum eleemoſynas conferentibus peregrinos qui excipiunt aduocans, dicturum ſe pronunciat; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Hoſpes enim eram, & collegiſtis me; eſuriui, & dediſtis mihi bibere; nudus eram, & operuiſtis me.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Rom. 6. A

Matt. 2.

De amore & pio affectu erga pauperes.

Homilia XCVIII.

PRopensvs ille in pauperes & peregrinos amor, tantus vterque biſidus eſt pinguedinis oliuæ: cuius vtriuſque fructus myrra perquam ſuaue fragranti perfundit vniuerſos; cuius aſpergine ſiuit Dominus ſibi inungi & caput & pedes. Sed & hunc ſuum inuoctorem vicaria mercede repignetat; nempe regno cœlorum talem dignatur. Prorſus pauperum amator à Domino promeretur audire; *Miſericordia & fides non te deſerant, alliga eas collo tuo, & inuenies gratiam.* Et: *prouide bona coram Domino & hominibus.* Et: *via iuſtorum vt lux ſplendent, procedúntque & illuminant donec illuceſcat dies.* Mandat autem & lex dicens: *Aperiens aperies manus tuas pauperi vt ne clamet contra te ad Dominum.* Parœmiaſtes vero: *vitam pauperis ne defraudes:* &, *animam eſurientis ne contriſtaueris, & ne retraxeris donum ab indigente. Famulum afflictum ne abijcias, & ne auertas faciem tuam à paupere.* Iterum: *Anima ſua benefacit vir miſericors; perdit autem ſuum corpus immiſericors.* Propheta Oſee: *Semina in iuſtitia; miſericordiam & iudicium cuſtodi, & appropinqua ad Deum tuum ſemper.* Daniel quoque Nabuchodonoſor ait: *Conſilium meum placeat tibi, ô rex: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas in miſericordijs pauperum.* Dauid: *diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Et: *diligit miſericordiam & iudicium Deus.* *Beatus* igitur *qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die enim mala liberabit eum Dominus.* Iob inſuper: *quòd ſi permiſi imbecillem egredi ianuam meam ſinu vacuo.* Alius: *inclina autem iuam ad pauperem & reſponde ei pacifica in manſuetudine. omni eleemoſynæ facito locum, vnuſquiſque enim ſecundum opera ſua inueniet: Qui miſeretur pauperis, ipſe enutrietur. Panem enim ſuum dedit pauperi: qui dat pauperibus, non patietur penuriam.* Iterum: *omnia quæcumque poteſt manus tua facere, quantacumque ſuppetit tibi facultas, facito. Anima ſua benefacit vir miſericors.* Et: *benedictio Domini ſuper caput diſtribuentis.* Et: *redemptio animæ viri, diuitiæ propriæ.* Et: *eleemoſynis & fide purgantur peccata.* Et: *qui miſeretur pauperis, fœneratur Deo ſecundum donum eius retribuetur ei.* Bonum igitur fuerit, quæſita etiam proprijs laboribus quæ tibi ſuppeditauit Deus, in vſus inopum, candido ac ſimplici animo diſpertiri; neutram in partem vacillando, cui dare debeas, cui item non: Vult enim Deus, io commune omnibus vt des ex proprijs donis. Non vult vt fluctuans diſceptes tecum, cui debeas dare, cui non item. Hoc enim munus obſequij in pauperem collati cum animi candore confectum, plurimùm obtinet apud Deum gloriæ. Nam qui nihil dubius ſed ſimplici animo ſic adminiſtrat pauperi, Deo vtique viuet. Sanè eximium quiddam eſt homo; & pretioſus vir miſericors. Apoſtolus: *qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Inducit: *Macedonia autem & Achaia probauerunt collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum qui ſunt in Ieruſalem.* Dominus etiamnum ait: *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis: vbi enim eſt theſaurus veſter, illic erit & cor veſtrum.* Sed &, *attendite ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

μύρον; Luc 7. Chriſtus vicaria mercede inunctorē ſuū repignerat. Prou. 3. 1. Cor 8. Prou. 4. Deut. 15. B

οἰκετὴν, ſeruum, pro quo Ald. ἱκέτην, ſupplicem. Prou. 11. Oſee 10. Dan. 4. C

Pſal. 111.

D

Omnibus ſine haſitatione danda eleemoſyna.

2. Cor. 9.

Luc. 12.

De Viſitatione.

Homilia XCIX.

VIſitatio contubernalis & conuiua eſt propenſi in peregrinos pauperesque amoris ac benignitatis. Sanè, *funiculus triplex difficilè rumpitur:* quin veriùs, triluminare candelabrum ſuo eos circumfundens & illuſtrans ſplendore qui proximos deamant ſynceriter, quique laborum ſunt tolerantiſſimi, ac viam iiſdem præſtruens rectáve deducens ad vitam æternam. Ait enim: *Hoſpes eram & collegiſtis me, eſuriui & paviſtis me, infirmus ſui & viſitaſtis me.* Qui igitur ægrotos, aut carcere retentos, denique quauis neceſſitate miſerè afflictos interuiſit; eum vtique ipſomet teſte viſitat qui noſtri cauſa pauper fieri voluit; nempe Dei verbum. Nulli proinde reor eſſe obſcurum, quam bonum ſit pupillos ac viduas in tribulatione eorum viſitare, pauperes inſuper quos præter priuam penuriam degrauat premit fœcunditas filiorum: in primis tamen & omnium maximè illos ſi viſites qui domeſtici ſunt fidei, hoc eſſe virtutis opus, nemini putem conuertendum. Rurſus quis inficietur eximiæ cuiuſdam eſſe bonitatis & alendæ fratrum dilectioni (quæ in Chriſto eſt) perquam vtile, interuiſere eos qui infeſto dæmone quopiam diuexantur: ſuper illos vocem aliquam quæ Deo placeat, effundere orationem, fide magis quàm verborum multiplicium conſcientia nitentem, potiùs quàm exercitia illa exorciſmorum ad oſtentationē ſtudio emerendæ hominum gratiæ, vt ipſi beneloquentes videamur ac memoriæ viuacis: dum interim apud energumenos fiſtulæ inſtar perſonamus meras nugas ac battologias; non item in fide veritatis, quemadmodùm nobis ſua doctrina præſcripſit Dominus? Ait enim, *hoc* certè *genus in oratione* integra & fide cum *ieiunio eijcitur.* Prudenter itaque & vt exigit decorum, in ſpiritu humilitatis, ſic ægrotans nobis viſitandus eſt. Bonum ſanè eſt collaborare fratribus, ceù dictum eſt, qui morbo quopiam afflictantur & laborant, idq; per vigilias, ieiunia & indiuiduas orationes. Dictum enim à Domino eſt; *Dæmonia eijcito.* cum cęteris, ſanitatis gratuitò conferendæ donis; *nam gratis accepiſtis, gratis date.* Omnia autē honeſtè & ſecundùm ordinem tranſigenda nobis ſunt (ceù eos addecet qui ſanctè Deum verentur) ad fratrum noſtrorum exhortationem & cōſolationem, qui aut ægrotant aut laborum graui faſce premuntur. Atqui ſolerter prouidendum, ne deprehendamur nihilo diſſimiles amicis Iob; cum probro obijcientes fratribus veriſimile aliquod erratum, ſiue etiam peccatum; aut in arcano cordis noſtri receſſu illos condemnantes; aut certè dum inattenti nec ſatis prouidi, verbum in illos detorquemus quod eorum animam vrat & pungat, qua vna re nulli dubium quin in Deum peccemus. Scriptum enim eſt in Prouerbijs: *qui obturat aures ſuas ne audiat infirmum, ipſe inuocabit Dominum, & non exaudiet eum.* Sicut & Iob ait: *non aſpexerunt me proximi mei, famulum meum vocaui & non obediuit mihi, aure autem ſupplicabam vxorem meam; Alienigena eram apud eos, domus enim omnis mortalis, terra.* Alius item Sapiens ait: *ne pigriteris viſitare ægrotos.* Iacobus autem: *Religio munda & immaculata apud Deum Patrem hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.*

Paulus quoque: *mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti; & laborantium, tanquam & ipſi in corpore morantes.* Inducit: *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domeſticos fidei.*

Ad Philippenſes quoque: *quod in principio Euangelij, nulla Eccleſia mihi communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli; quia & Theſſalonicam ſemel & bis miſiſtis mihi; habeo autem omnia & abundo, repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.*

Quid proinde per hæc inſtruimur aliud, quàm vt eos

Eccleſ. 4. A

Matth. 25.

B

Viſitādi ſunt quos fœcunditas filiorum degrauat.

Energumeni viſitandi.

C

Matth. 17.

Matth. 10.

Amici nec inīucundi, nec verbis quæ illos vrant laceſſendi.

D

Prou. 21.

Ald. ἀπεγενόμην, aduenarum.

Iob 19.

E

Iac. 1.

Hebr. 13.

benignè viſitemus qui quauis neceſſitate premuntur; vtque noſtra copia, illorum ſuppleamus inopiam? Idque, vt vel tandem ipſe Dominus cum cæteris nos quoque excipiat, ac dicat: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, infirmus enim fui, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen. Matth. 25.

Spem in nullo hominum eſſe collocandam.

Homilia C.

Qvacvmqve tandem de re, in nullum prorſus hominem reclinanda ſpes noſtra eſt (*maledictus* enim *qui confidet in homine*) ſed in eum conijcienda qui curam noſtri gerit perpetim; nempe in Dominum: etenim diuinis literis prohibemur ſpem proijcere in vllum hominum. Enimuerò qui talis eſt, maledicti cenſura percellitur voce Hieremiæ dicentis; *maledictus qui ſpem habet in homine, & nititur carne brachij ſui.* Et: *benedictus qui confidit in Domino, & erit Dominus ſpes eius.* Sed & Propheta Oſee: *Corruptionis tua Iſrael, quis auxiliabitur? vbi eſt rex tuus? ſaluum te faciat?* Conſimiliter & Dauid: *nolite confidere in principibus, in filijs hominum quibus non eſt ſalus: Bonum* enim *confidere in Domino, quam confidere in homine; bonum ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.* Infert: *da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis; niſi* enim *Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilauerit qui cuſtodit eam.* Eſaias inſuper de nouo populo ait: *nec erunt vltrà confidentes in hominibus, ſed in illum qui fecit eos:* de vetere autem illo populo: *Va qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, qui in equis fiduciam habent & in curribus; &, non erant confidentes in ſancto Iſrael.*

Hier. 17. Oſee 13. Pſal. 145. Pſal. 126. Iſa. 31.

Apoſtolus item Corinthijs: *infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, vt ne glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Inducit: *& ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos, & ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humana ſapientia verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* A nobis itaque (dilectiſſimi) excutiamus hanc de Deo puſillanimem fiduciam; ex qua id nobis obortum eſt mali, vt toti ex hominibus fiducia pendeamus ac ſpe; quod genus facti hominē reddit maledicto obnoxium: imò in illum ſolidam ſpem proijciamus qui dixit, *nolite ſollicitis eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini ſcit enim Pater veſter quibus opus ſit: quæramus* autem iuxta eiuſdem verbum, *primum regnum Dei & iuſtitiam eius*: vt cum iſtis terrenis præſidijs cœleſtia quoque poſſideamus. Imitemur illos Magos qui adeò nihil Herodem extimuerunt, vt etiam illuſerint ei, per aliam viam regreſſi in ciuitatem ſuam.

1. Cor. 1. *Puſillanimis de Deo fiducia.* Hier. 17. Matth. 6. Luc. 12. Matth. 2.

Fidem contemplemur Hæmorrhouſæ, quæ medicis neglectim habitis & tranſmiſſis, retro accedens Domino, oram attigit veſtis Dominicæ; & in veſtigio ſanitati eſt reſtituta. Nos igitur qui toti ex Chriſto ſpe optima pendemus, glorificemus eum in ſæcula, Amen.

Matth. 9. Marc. 6. Luc. 8.

Ne qua fiducia nitamur proprijs viribus.

Homilia CI.

Qvem admonvm ſermo prior expreſſè docuit, nemini licere ſpem ſuam in vnum aliquem proijcere mortalium; & qui talis ſit, maledicto reddi obnoxium: ita & hic interminatur & percellit non diſpari cenſura eum qui præfidenter proprijs nititur viribus. Primus itaque Moſes præcipit dicens: *attende tibi ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & robur fortitudinis mea fecit mihi potentiam hanc; ſed recordare Domini Dei tui qui ipſe dat tibi fortitudinem.* Nec aliò ſpectat illud Prophetæ Amos: *pugnator non ſaluabit animam ſuam, & velox non ſaluabitur pedibus ſuis.* Sed & Anna illa Samuelis Prophetæ mater dicebat: *ne glorietur potens in potentia ſua, quia non in fortitudine potens vir; Arcum enim enim potentium infirmauit, infirmi accincti ſunt robore.*

Deut. 8. Amos 2. 1. Reg. 2.

In Prouerbijs: *Equus paratur in die belli, à Domino autem venit auxilium.* Pſaltes regius: *non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum eſt ei, non enim ſaluatur rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine fortitudinis ſua.* Sed &: *mendax equus ad ſalutem, in multitudine virtutis ſua non ſaluabitur: neque enim ego ſperabo in arcu meo: non enim ſaluabit me gladius meus:* ſed tu Domine ſaluum me fac à tribulantibus me, pudore & confuſione eos aſpergens qui oderunt me, quia tu ſolus es qui recipis pauperem & egenum à diripientibus eum; In te ſiquidem viuimus & mouemur & ſumus. Et: fortitudo noſtra & robur abs te eſt; ſed & capillus de capite noſtro non cadet ſuper terram abſque tuo nutu, ô plaſmator noſter & humanæ ſalutis aſſertor! Hæc igitur cum probè nouerimus, diuina nos erudiente ſcriptura; de noſtri corporis aut viribus aut integra valetudine nihil omnino temerè ac præfidenter ſuſtineamus præſumere, aut prægeſtienti animo inſolere; vt ne illius maledictionem aduerſum nos reportemus, qui confirmat carnem brachij ſui. Plerique enim ſunt qui gloriantes ſe his venditant verbis: manus hæ meæ & me alunt & alios; ſed & quem tuentur manus meæ, viuere poteſt. Planè tales veriſſimè vanæ ſunt mentis ac vaniloqui; craſſa obliuione negligentes Deum factorem ſuum, qui ſanitatem impartit & alimoniam omni carni; & confidunt in virtute ſua. Qui talis eſt, non ſimplici ſuperbiæ morbo laborat; quippe qui à Deo ſe vltroneus diremit ac deſciuit refuga dum primæ ſuæ virtuti aſcribit quæ geſſit cum laude. Quemadmodùm autem aranea, vbi ad telæ ſuæ faſtigium conſcendit, velut euaneſcens momento ruit præceps; ita & qui temerè proprijs nititur viribus, mox ſidit, & ad priorem habitum euanidus relabitur. Tales videri poſſint neutiquam audiſſe Iob dicentem: *ſi autem & manum meam imponens ori deoſculatus ſum, & hoc mihi vtique magna iniquitas imputetur,* quia mentitus ſum coram Domino altiſſimo. Sed neque Eccleſiaſten, Is enim ait: *Verti me & vidi quia non eſt velocibus curſus, non eſt potentibus bellum, ſed nec ſapienti panis; intelligentibus non adſunt diuitia: neque cognoſcentibus gratia.* Inducit: *bona eſt ſapientia pra ſolijs belli: &, peccans vnus perdet bonitatem multam.*

Prou. 21. Pſal. 14. Pſal. 32. *De noſtris viribus nihil præſumēdum.* *Inſani ſunt & blaſphemi qui manuum ſuarum laboribus gloriantur & in eis confidunt.* Iob 31. Eccleſ. 9.

Dominus quoque ſuis ait Diſcipulis: *manete in me, & ego in vobis; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis; ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Iure quidem: Ipſe enim hominum eſt lux & vita & *omnia*: denique *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ioan. 15. Ioan. 1.

Importunam familiaritatem eſſe vitandam.

Homilia CII.

Nimis quàm bonum, nec minus vtile fuerit, intempeſtiuam hominum conſuetudinem defugere, & de eorum via decedere atque auerſari illos qui nihil tam reſipiunt quam quæ ſunt mundi; modò nulla intercedat ingens neceſſitas. Longè enim alius vrget affectus eos, qui mundo huic vale dixere ſupremum; & alius eos quos totos mundi amor ſibi deuinxit. Quemadmodum enim bos ſi accidat bubalo, ſi onagro veterinum quodpiam adhinniat, nulla edetur vox niſi obſtrepera ac diſſona: ſic, ſi familiariùs, cum hominibus mundi monachi congrediantur; monachus ſuipſius poteſtatem non habet. Illius enim ſe addixit ac mancipauit ſeruituti, cuius acceuſus eſt militiæ & adſcriptitius: ceruicem enim illius ſubſtrauit iugo qui ipſum delegit, vt eos demetat, vniuerſim deſecet, qui in concauis vallibus modeſtæ humilitatis diuino abundant frumento, tuos nempe in

Seculares monachis fugiendi.

vnum

ὑετοῖς.

imuni deuexos, pluuijs è cœlo & viuificante ſpiritu ſidentibus inebriatos, cuius roſcidis guttulis ſtillatim cœlo labentibus anima hominis, eiuſmodi germinis in morem, de Deo cogitationes concipiens lætatur & hilareſcit. Etenim qui tranquillæ quietis expetit amœnitatem; quiſquis cupit Deo colloqui familiarius: debet is, in genere omnem omnium prorſus familiarem congreſſum à ſe præcidere. Et hic planè inſtituendæ vitæ modus in ſolos cadit perfectos qui ſeipſos mundo quidem mortificarunt, Deo autem cohæſerunt glutino charitatis. Si qua interim ingruerit neceſſitas ſic perfecto; ſpirituales pares vt compellet, aut ſecum parili concertantes agone, aut certè ex fratribus nonnullos quibus vſui eſſe poſſit; debet vtique cum eis congredi familiariter, ac ſi de Deo diuiniſque rebus texat ſermonem. Prorſus talis æmolumenti plurimùm aut adſeret cæteris, aut certè ſecum referet, ſiquidem ſcriptura ait: *Virum ſi inueniſti prudentem, mane euigila ad illum*: Et, *ſi quis fuerit ſapiens, huic adiungere qui enim conuiuit ſapientibus, ſapiens erit*. Atqui nobis nihil minùs conducit, quàm vt cum mundi iſtius hominibus familiariter cōgrediamur. De nulla enim re alia iſti texunt ſermones, quàm de mūdi negotijs, quorum relatu mens monachi deinceps remollitur laxiùs & flacceſcit; ab operatione interim ſpirituali deſidet ceſſator, eneruis iam reſoluitur ad tuendum monaſticæ exercitationis vigorem, denique & tenor ipſe ſumendi cibi permutatur: demonſtratione ſiquidem fructuum quiſque ſuæ exhibet ſpecimen agricolationis. Ob hoc dixerim, quòd eorum vita qui cœlibes atque expertes thori maritalis degunt, nihil habeat cum mundi hominibus commune; diſſentanea prorſus cùm ſit. Ne quid igitur detrimenti aut noxæ adeat anima tua; neceſſe ſit vt exprompte & alacriter omnem abs te præcidas ſecularium conſuetudinem: etiamſi vt primùm te dediderís receſſui ab illis ſeiūctus, nonnihil mens diſcruciatur quòd eatenus ab obſeruatione regulæ defederis, eouſque vitæ cogeris permutare. In hoc agoniſtæ illi ſpiritualis palæſtræ magno ſtudio expetebant deſerta; vt à ſæculi hominibus diſparati, nullo negotio cum Deo congrederentur familiariùs. Quemadmodum enim virgo interim dum cuſtoditur, multis qui externi ſunt, in deſiderio eſt; mox vt prodijt in publicum, iam non æquè omnibus ſe probat illius decor, ſed in illa quiddam deprehenditur quod detur vitio & notam eidem inurat: ita & monachus tantiſper extorris dum viuit à ciuitate & publico alienus; magno in honore habetur apud Deum & Angelos, quin & hominum ore celebratur: At ſi quando è ſublimi cardine delabetur ſuæ conuerſationis & contemplationis, ſéque vitæ ſæcularis negotijs implicuerit; non iam probatur Deo, ſed & hominibus in contemptum venit. Multò igitur pręſtiterit, vt te quàm longiſſimè ſubducas à mundi hominibus, inque cellula quapiam dedas te cuſtodię, ac ſalueris: ceù caprea vitatis laqueis aſſolet, & quaſi auis è reticulo aucupis. Laquei enim & pedicæ ſunt aſpirantibus ad ſalutem ſecularium congreſſus; ac prolixæ eorum confabulationes mentem prorſus auocant à Dei glorificatione & ſpirituali lætitia. Eò etiamnum ipſam adigunt neceſſitatis, vt aliud nihil contempletur quàm illorum vaniloquia; iuxta Parœmiaſtem: *decepit autem eum multo ſermone, verbis autem labiorum impegit eum*. Quòd ſi propiùs nos adeunt; de animæ ſalutari vtilitate conſulturi; cum iſtis liceat texere ſermonem cum verborum compendio, quæ alioqui diuino condita ſint ſale, & illinc hos actutum proripiamus: Plus enim hac noſtra breuiloquentia ædificabuntur, quàm ſi longiſſimam orationem protogemus de rebus mundi. Quod ſi quiſpiam obijciat; quid vtique Paulus ad noctem vſque intempeſtam legitur protendiſſe ſermonem? Primùm huic reſponderim, quòd ab eis eſſet mox ſoluturus, deinde quia recens erant edocti prima fidei rudimenta. Tunc enim primùm iaci cœperant fundamēta fidei per prædicationem ferendæ. Ad hæc; Paulus Spiritu ſancto

Solitudo talis eſt ad cōtemplationem.

Secularium colloquiorum argumenta.

Cœlebs vita, cum maritali nihil commune habet.

Virgo quādiù domi ſe continet, multis admirationi eſt at non ita ſi prodit in publicum.

Secularium cōgreſſus impedit ſalutē.

Pro λόγοις Ν, Ald. habet, Ερό-χοις τε, laqueiſque.

Act. 20.

erat plenus, nam & per eum ipſe Spiritus loquebatur. Argumentum euidens quòd quis Spiritum ſanctum habeat; primùm quidem ſi manſuetus eſt, ſi requietus, & de ſe quia modeſtiſſimè ſentiat; ſi ſibi temperat ab omni vana cupiditate ſæculi huius, ſeque ipſum cæteris hominibus multò æſtimet inferiorem. Sed ne quis is qui afflatus eſt Spiritu ſancto, quādo vult loqui, loquitur Spiritus: ſed tunc loquitur, ſi quando ſiuerit illum loqui Deus. Quum igitur nonnulli nos adierint vtilitatis captandæ gratia, ſi iſti fidem habeāt diuini huius Spiritus; in primis ad Deum pro omnibus fundatur interpellatrix oratio: nam tunc Spiritus ille diuinus adimplet hominem; qui gratia impletus loquitur iam iuxta Domini voluntatem: Vult autem ipſe, omnem hominem ſaluum fieri. Sanè vt bonum ſit auxilio eſſe verbis tuis ei qui te quiddam rogat; ſed præſtiterit ei, vt cooperere per virtutem & orationem. Qui igitur volet numeroſam aſſequi virtutum copiam; neceſſe ſit, defugiat inanis gloriæ cupiditatem, non cum aliquo multis confligetur ceù dictum iam eſt; ne cōtinenti vſu conſueſcat pergere alijs obuius: nullis conuicietur, quamlibet digni ſint quibus retalietur, qui inceſſunt priores. Non ita cum multis ſermocinetur, etiamſi videri poſſint bona eſſe quæ dicere inſtituit omnia. Immoderata enim & effrenis verborū prolatio qua periclitatur mentis trāquillitas, non ſolùm circa operationem ſpiritualem lenteſcere facit eam ac deſidere, ſed & moleſtiſſimo dæmoni acediæ mancipat illam ac dedit. Sanè quemadmodum exæſtuantis balnei fores continenter apertæ ſi ſunt, intimum illorum calorem ocius efflant & expellunt in ea quę ſunt extrinſecus; ita & anima ſi quando multa ſermocinari volet, tametſi nihil non dicat decorum & honeſtum, memoriam tamen ſui ipſius perdit per vocalis portæ organum. Silentium igitur per omnia bonum ac frugi eſt. Regales quidem theſauri implebuntur auro, & ſenſus eorum qui non fucatè ſunt monachi ſaturabuntur ſcientiæ opulentia. Si qua interim docendi ingruerit neceſſitas; ad animæ correctionem, doceto. In hac tamen docendi ratione volumus adeſſe doctrinæ legitimā incorruptionem, grauitatem, verbum ſanum & irreprehenſibile; vt per nos glorificetur Deus in omnibus. *Arma* enim *noſtra non ſunt carnalia*, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes; vt anima nullis agitata intemperijs, ac miti corde; noſtra oratio ſicut incenſum ſuaue fragrans, acceptabilis ei fiat qui corda ſcrutatur & renes, nempe Deo. Sed & Dominus ſuis dixit diſcipulis; *vos non eſtis de mundo hoc, ſed ego elegi vos de mundo, non iam multa loquar vobiſcum*. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Argumētum euidens quòd quis habeat S. Spiritum.

Morem hunc nos Cartuſiani mordicus tenemus ſi quādo adeunt exteri.

1 Tim. 2.

Mentis tranquillitas, loquacitate periclitatur.

Silentij vtilitas.

Docēdi ratio Christiana.

2. Cor. 10.

Ioan. 15.

De ſilentio. HOMILIA CIII.

VEL hoc nomine nobis æmolumento eſt ſilentium & adiuuat, quòd doceat à malis feriari & interquieſcere. Quòd ſi virtutes quatuor in oratione conciliarit ſibi & aſciuerit, quibus nitatur; nimirùm longanimem tolerantiam, animi modeſtiam, vigiliam, temperantiam: nihil vſpiam inueniet quod breuiore compendio animam reddat circa turbulentas paſſiones ſic ſtabilem, vt ſilentium. Quum igitur ſpecioſa quamque opportuna, & accommoda eſt nobis virtus ſilentij? Aliud prorſus nihil, quàm ſapientiſſimarum cogitationum mater. Benignus etenim ille Spiritus vix aliud tam auerſatur & fugit, vt multiloquij vanitatem; quandoquidem is ab omni turbulenta ſe ſubmouet intemperie atque ludificatoria imaginatione. Silentium igitur tanto cum ſplendeat decore; mater iure cenſetur virtutum monachi, eas enim progenerat per iugem & indiuulſam ad Deum interpellationem. Monachus ſilentij & quietis amator non poteſt non à Deo diligi. Quum enim Dei amore ſoardeſcat; ſoli cupit Deo colloqui per ſynceram orationem. Is, etſi in terra moretur; cœleſtia tamen tranſ-

Silentio ſedantur animi perturbationes.

Taciturnitas, eſt monaſticarum virtutum mater.

Digitized by Google

cendit pia imaginatione: tota enim iſtius mens in hac vna & anxia cogitatione verſatur, vt Deo ſe probet ac A reddat amabilem, ſanctíque Spiritus templum promereatur effici. Hic ceruicem ſuam perquam leni Chriſti iugo & ſuaui ſubſternit acclinis ſemper. Viſibilia cuncta tranſmittens, ad inuiſibilium rapitur amorem; magis verò inuiſibilium (quatenus ea contemplatur) aliquouſque compos iam eſt. Qui tales ſunt, puritate vitæ cum Angelis congrediuntur. Iſti nullo non tempore expetunt adeúntque ſolitudines; vt taciturni ac tranquilli priùs diuina perfruantur allocutione; ſuámque ipſorum mentem ſpeculum efficiant nulla labe interpunctum aut aſperſum, magnum illum imitati Eliam ac præcurſorem & Baptiſtam Domini Ioannem. Beati planè tales, cùm ſuper terram, tum & in cœlis, qui quidem omnia ducunt quaſi ſtercora, Chriſtum vt lucrifaciant, inueniantúrque in miti ac requieto incedere ſpiritu. Idque nos omnium maximè facere addecet, qui in hæc peruenimus tempora. Sic & Propheta Amos; quæ inſtanti tempore contigerunt, ſuo nos præerudiens oraculo, ait: *In tempore illo intelligens ſilebit, quia tempus malum eſt.* Eſaias quoque: *qui odit iniquitatem & manus excutit à muneribus; qui claudit oculos ne videat iniquitatem, hic habitabit in ſpelunca excelſa; Panis ei dabitur, & aqua eius fidelis; Regem cum gloria videbit, & oculi veſtri videbunt terram de longe, Anima veſtra meditabitur timorem.* Is ex Domini perſona dicit: *ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum & trementem ſermones meos?* Hieremias item: *quis dabit mihi in ſolitudine diuerſorium nouiſſimum, & derelinquam populum hunc?* Rurſus: *non ſedi cum colludentibus eis, ſed verebar à facie manus tuæ, ſolus ſedebam, quia amaritudine repletus ſum.* Dauid: *elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Et: *poſui ori meo cuſtodiam, dum conſiſteret peccator aduerſum me; obmutui & non aperui os meum, quia tu feciſti.* Et: *Dominus habitare facit vnius moris in domo:* vir enim prudens quietem agit. Et: *homo ſapiens ſilebit vſque ad tempus.* Et: *qui intelligens eſt, idem & tacet;* ſecundum Scripturam. Eccleſiaſtes: *ſi ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, ne dimiſeris locum.* Ioannes enim in deſertis traxit moram *ad diem vſque oſtenſionis ſuæ* ad populum Iſraël. Dominus quoque, virtutum omnium typus nobis factus; in ſolitudines ſecedebat & orabat, ſuiſque dicebat diſcipulis: *Venite vos in deſertum locum, & requieſcite paululum.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Monachi, Heliæ & Ioannis Baptiſtæ imitatores. — *Amos 5.* — *Iſa. 33.* — ἐν σπηλαίῳ ὀχυρῷ. — *Iſa 66.* — *Hier. 9.* — *Hier. 15.* — *Pſal. 54.* — *Pſal. 38.* — *Eccleſ. 30.* — *Eccleſ. 10.* — *Luc. 1.* — *Solitudo S. Ioannis & Chriſti.* — *Marc. 6.*

De vigilia.

HOMELIA CIIII.

Vigilia, eſt ſcutum firmiſſimum contra dæmones.

VIGILIA ſanè ſcutum miræ magnitudinis & eleganti decore conſpicuum nobis indultum à Deo eſt aduerſus diabolum eiúſque milites; nimirùm contra ſpiritus totius artifices malignitatis. Vigilia alacrior fit, enitet ac firmatur tenui penuria rerum, ſed & peruigili ſenſu ac prudenti cum Deo congreditur familiariter: contrà ſaturitas ventris atque ſatietas illi obiacet & obluctatur; nec id ſolùm, ſed & mentem timidam efficit ac imbecillem, & quæ inter obſcœnatum paſſionum aſſultus deprehenſa; nullo negotio inferior fit atque expugnatur. *Orandum* igitur, *ne fuga noſtra fiat hyeme aut Sabbato:* hoc eſt; dum illidimur importunis affectibus, aut iacemus ſecuri malorum. Si Chriſti milites ſumus; ne defugiamus rectà ingredi, quà (per laborem) ad tranquillitatem conſcientiæ pertingitur; ac pro virili cum noſtro colluctatore depreliemur. In obſeruandis excubijs, ſi attentè ac prudenter vigilauerimus; poterimus vtique vulnere atrociſſimo conſauciare aduerſarium. Et hæ quidem ſecundùm Deum virtutes ſunt; nimirùm, vigilia, oratio, pſalmodia, modeſta humilitas, & Euchariſtia. Hæ, inquam arcus fiunt aduerſus inimicum; laqueus flagra quibus miſerè conſcinditur, modò ne inſolentiùs efferamur, ſi quando inter orandum fuſim nobis defluunt lachrymæ: neque enim ex nobis, ſed ex A illius gratia corriuantur; qui nobis eas ſuppeditat. Egregium ſanè ſit, ſi impenſiore cura par illud virtutum exercebimus, ſobrietatem, & in ſumendo cibo parſimoniam, Vtriuſque ſtudium inualeſcit ac roboratur peruigilio. Vtraque nobis potiſſimùm conuenit; qui in hoc ipſum militamus, vt placeamus illi qui nos ſuæ adſcripſit militiæ. De vigilia enim non vno loco Dominus præcipit; ſanè vigilandum & orandum vt inimici machinas euadere poſſimus. Cum ſobrietate ergo & alacritate ipſam expleamus vigiliam in humilitate & compunctione cordis; ne vlla in re obtineat aduerſum nos infenſiſſimi venatoris atque inuidi diaboli veteratoria malignitas. Qui enim ſtrenuus eſt miles; omni ſe armorum genere communit, nec quicquam facit reliqui B ex apparatu armaturæ ſpiritualis quo non ſe circumſepiat ac obarmet. Et nos igitur induamur thoracem fidem videlicet Chriſti; & galeam crucem ipſius; ſcutúmque & haſtam, ardentem erga ipſum charitatem; & gladium Spiritus, ipſius ſpiritus eloquia: ſicque accincti aduerſus colluctatorem conſiſtamus, arrectis animis tanquam generoſi milites; idque per vigilias, orationes, ac ieiunia, ſicut & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *ne dederis ſomnum oculis tuis, neque dormites palpebris tuis; vt ſalueris tanquam damula ex laqueis, & tanquam auis ex reti.* Ait item & Dauid: *ſi dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino.* Iterum: *Vigilaui & factus ſum ſicut paſſerculus ſolitarius in tecto.* Et: *Prope eſt Dominus ijs qui contriti ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.* Rurſus: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudi-* C *cia iuſtitiæ tuæ.* Iterum: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, ſitiuit ad te anima mea.* Et: *Præuenerunt oculi mei ad diluculum, vt meditarer eloquia tua.* Is in commune ſuis dicebat: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta: & benedicite Dominum.* Apoſtolus: *Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Iterum: *Orantes in omni tempore, in ſpiritu; & in hoc ipſum vigilantes in omni inſtantia & obſecratione.* Idem de ſeipſo: *In laboribus, in vigilijs, in ieiunijs.* Inducit: *de temporibus & momentis, fratres, non neceſſe habetis vt ſcribam vobis; Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet; quum enim dixerint, Pax & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient.* Ne igitur dormiamus ſicut & cæteri; ſed vigilemus & ſobrij ſimus. Dominus item: *Vigilate* D *igitur, quia neſcitis qua hora Dominus veſter veniet; Illud autem ſcitote, quia ſi ſciret paterfamilias qua vigilia fur veniret, vigilaret vtique & non ſineret perfodi domum ſuam.* Iterum: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Rurſus: *beatus ille ſeruus quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit ita facientem; Vigilate ergo, quia neſcitis diem neque horam.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Lachrymis in oratione effuſis, non gloriandum. — *Math. 26.* — *Marc. 14.* — *Armatura Chriſtianorum.* — *Prou. 6.* — *Pſal. 131.* — *Pſal. 10.* — ὡς ϛρουθίον μονάζον. — *Pſal. 118.* — *Pſal. 62.* — *Pſal. 118.* — *Pſal. 133.* — *1. Coloſſ. 4.* — *Epheſ. 6.* — *1. Theſſ. 5.* — *Marc. 3.* — *Marc. 14.*

Math. 24. — *Conſcientiæ tranquillitas.* — *Arma Chriſtiani aduerſus diabolum.*

De pſalmodia.

HOMELIA CV.

PSALMODIA eſt opus incorporearum virtutum Deo adminiſtrantium & indiuulſe adſiſtentium, iuxta quòd dicitur; *Laudate Domi-* E *num de cælis omnes Angeli eius, & omnes virtutes eius.* Iterum: *Laudate Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius; benedicite Dominum omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.* Hoc operis competit & hominibus; *omnis enim ſpiritus laudet Dominum.* Monachis autem peculiari quadam prærogatiua vel imprimis conuenit, quòd inſtitutum vitæ prorſus Angelicæ vltronei delegerunt; *beatus* enim *qui meditabitur in lege Domini die ac nocte.* Et: *qui timetis Dominum, laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob, glorificate eum.* Pſalmodia ſanè iuge eſt ſacrificium, & ſacrificium laudis. Debet monachus, dum ſacris operatur, diuinas & legitima ſanctione conſtitutas laudes reddere Deo iugiter & indiruptè. *Benedicam* ait Dauid, *Dominum in omni tempore, ſemper laus eius*

Math. 14. — *Pſalmodia eſt opus Angelorum.* — *Pſal. 48.* — *Pſal. 116.* — *Pſal 150.* — *Monachi delegerunt ſibi vitæ Angelicæ inſtitutum.* — *Pſal. 1.* — *Pſalmodia eſt iuge & laudis ſacrificium.* — *Pſal. 33.* — *Pſal 46.* — *Pſal 97.* — *Pſal. 29.* — *Pſal. 2.*

lam eius in ore meo. Audiamus quid nos cohortetur, vt faciamus: *pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite ſapienter; pſallite Domino in cithara & voce pſalmi.* Sed &, *bene pſallite ei in vociferatione: exultabunt enim labia mea dum cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti.* Rurſus: *pſallite Domino ſancti eius.* Et: *ſeruite Domino in timore & exultate ei in tremore; Laus enim eius in Eccleſia ſanctorum.* Et: *filij Sion exultent in Rege ſuo. Ego autem cantabo & pſallam in gloria mea, quia concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Et: *dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo; ſic benedicam te in vita mea, in nomine tuo leuabo manus meas;* quia, *ſicut ex adipe & pinguedine repleatur anima mea & labijs exultationis laudabit os meum.* Nam *torrente voluptatis tuæ potabis eos* qui pſallunt tibi. Sed quid neceſſe ſit in medium depromere ſingula quæque ex Dauide teſtimonia, nulli non veſtrum perſuaſa ac perſpecta; quibus nos beatus ille hortatur ad pſallendum? aut certè quid opus, vt explicem quantùm gratiæ & ſpiritualis lætitiæ inſeratur cordi eius qui cum compunctione & peruigili attentione pſallit Domino? Norunt planè, qui didicerunt doctrice experientia; ne cui fortè nugax videar & blatero. Sanè in eo temporis articulo quo memoria celebratur diuinæ laudis, iuuerit multiplicare deprecationem; vt quod per obliuionem exciderit memoria, ipſe Dominus dignetur ſuggerere: atque ita (chariſſimi) in concinendis Pſalmis attenti perſiſtamus; oremúſque voce exerta & cõſtanti, auerſati ſtudium omne multiuariæ cogitationis & curioſæ ſolicitudinis. Hæc enim ſolennis cõſuetudo dæmonibus inoleuit; ſiquando vnum aliquem viderint animo alacri pſallentem aut orantem, cogitationes tunc ſuggerũt rerum proſpectu ipſo neceſſariarum; mentem interim pſallentis per hæc alio detorquent, nempe ad rerum illarum indaginem, vt vel ſic dum ad earum perſcrutationem anxia diducitur totius perdat dulcedinem Pſalmodiæ. Cuius rei gratia, Chriſtus laudem ex ore fidelium, ſed maxima paruulorum prodeuntem perficit: aut certè, per operatoriam atque efficacem vim pſalmodiæ inimicum & vltorem prorſus deſtruet, ſua aduerſum nos tyrannide ſuperbiùs inſoleſcentem. *Inimicum* dixerim virtutum, *vltorem* verò ſiue defenſorem malitiæ, diabolum. Nos igitur in hac noſtra ſimplicitate laudibus concelebrantes Dominum, veteratoris inimici commẽtitias omnes machinas conteramus proſtũmque demoliamur. Sit ſanè in ore tuo perpes ac iugis Pſalmus. Deus, dum nominatim aduocatur, dæmones abs te ſummouet longiùs ac profligat. Sed & neceſſarium vobis, vt illius renouem memoriam; quod alioqui nemo veſtrũ eſt, qui ignoret: nam pſalmodia canon noſter dicitur. Sanè quemadmodum vnus aliquis agricola, niſi ſuum canonem plenum ac bonum reddiderit, in carcerem conijcitur, ſuſpenditur, conſcinditur flagris, quouſque omne reddiderit creditori debitum; ita continget monacho, cùm per oſcitantiam ſibi præſcriptum tranſmiſerit canonem. Is enim gratia mox deſtituitur, ſuis addicitur inimicis, illorum ſuccumbit pedibus & proculcatur; nec vnæ afflictionum procellæ talem adoriuntur, ita vt vociferetur: *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me, & dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius?* Cæterùm: *velociter exaudi me Domine, quia defecit ſpiritus meus.* Et: *ne auertas faciem tuam à me, vt ne aſſimiler deſcendentibus in lacum, quia repleta eſt malis anima mea & vita mea inferno appropinquauit.* Et hæc quiuis dum afflictione angitur, vociferabitur ad Dominum, qui canonem alioqui non omittendum negligit reddere Deo; & per hoc quòd ab opere Dei digreditur ac ſecedit, tribulatione multiplici atteritus eruditur. Incertum prorſus, ſi audiet illud promerebitur: *In tribulatione inuocaſti me & liberaui te.* Periculum enim, ne huic reſpondeat Dominus: *non noui te, diſcede a me operarie iniquitatis*, quia non audiſti vocem meam nec autem commodaſti verbis meis; *ſi enim audiſſes me, pro nihilo inimicos tuos vtique humiliaſſem, & ſuper tribulantes te miſiſſem manum meam.* Propter hoc ieci te, vt eas ſecundùm adinuentiones cordis tui. Nos verò Paulum magis exaudiamus dicentem: *Verbum Dei habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia docentes & admonentes voſmetipſos in Pſalmis & Canticis ſpiritualibus.* Rurſus: *vnuſquiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſin habet: omnia igitur ad ædificationem fiant.* Ob hoc ſanè Deo nullo non tempore exhibeamus ſacrificium laudis: hoc eſt; fructum labiorum confitentium nomini ipſius, & *exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam beneplacentem Deo, rationabile obſequium veſtrum.* Ait autem & Iacobus: *triſtatur quis in vobis? oret; æquo animo eſt quis? pſallat.* Verum vt diximus, quia ſicut ex debito repetimus pſalmodiam, tanquam canonem debitum, ita illam debuimus irreprehenſibilem inculpatámq; offerre: hoc eſt, citra iram cogitationéſque acceptæ vllius iniuriæ; neque enim ſpecioſa laus eſt in ore peccatoris. quòd ſi aduerſus fratrem tuum quidpiam habueris, nec ei ex animo indulſeris, nunquam tua acceptabilis fuerit vel pſalmodia, vel oratio, ſiue eleemoſyna, & cætera eiuſmodi quæ recredis bona efficere. Voce enim Saluatoris audies dici tibi; *vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offer munus tuum.* Pſalmos tuos dum concinis, innocens eſto & ſimplex; vt illi Hebræorum pueri qui quidem Domino occurrerunt cum ramis & pſalmis, dicentes; *Hoſanna in altiſſimis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſal. 118. *Pſal. 62.* *Pſal. 62.* *Pſal. 35.*

Attenta pſalmodia gratiã & compunctionẽ parit.

Dæmonibus curæ eſt, impedire Orationem.

Pſal. 8.

Inuocatio nominis Dei, dæmones abigit.

Canon monaſticæ vitæ pſalmodia.

Pſal. 3. *Pſal. 142.*

Canon pſalmorum reddebatur Deo, contra Eraſmum Lutheranum.

Coloſſ. 3. *1. Cor. 14.* *Rom. 12.* *Iac. 5.*

Pro, ἀθυμεῖ, alij, κακοπαθεῖ affligatur.

Pſalmodia ex debito. *Eccleſ. 15.* *Matth. 5.* *Matth. 21.* *Marc. 11.* *Ioh. 12.*

A B C D E

De Oratione. Homilia CVI.

VACARE orationi indiuulsè ac iugiter cùm primis neceſſarium & nobis perquam frugiferum eſt. A Deo igitur & Patre Domini noſtri Ieſu poſtulemus, nobis vt impertiat intelligentiam ſpiritualem, qua veluti conciliatrice & attentiſſimus & peruigiles, ab ipſo vt poſtulare nouerimus eius voluntatem in nobis fieri. Spiritualem lucem quæ vera eſt lux, quæ & *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, iuſſit ipſi vt peteremus nobis indulgeri. Quando igitur ſacroſanctam & vnius eiuſdémque ſubſtantiæ inuocamus Trinitatem; caſtiſſimis quidem orationibus & quæ nihil inſynceri habeant admixtum, mente verò minimè turbulenta atq; aptiſſima vnione ad diuinam contemplationem: tunc nos beatæ Trinitati propiùs adiungimur, & pro qualicumque labore dona recipimus omnigenæ virtutis, quæ nos erga illam ſolide ac ſtabiliter confirment. Oratio cæteras virtutes facilè antegreditur, ſi modò ſua illius puritate Deo propinquat. Sanè, oratio manſuetudinis eſt iniraſcentiæ germen. Oratio eſt & gaudij gratiarum actionis tutelare propugnaculum; triſtitiæ verò & puſillanimitatis amuletum præſentaneum. Mens igitur componenda eſt orationis tempore, & confirmanda vt ne obſtrepera ſit aut ſecum tumultuetur & inſuſurret; tunc enim poterit quis ſynceriter orare. Oratio, familiare eſt mẽtis cum Deo colloquium; Quo igitur in ſtatu neceſſe eſt vt ſe mens cõſtabiliat & adornet, ſic familiariter cum proprio Domino congreſſura? Nimirùm ſi nihil eam interpellarit externarum cogitationum. Oratio cum luctu coniuncta & ad Deum effuſa in ſpiritu alimonia mentis eſt, haud ſecus ac panis corporis. Beata ſanè mens cui tempore orationis datum eſt, nullis ſe interpellantibus remoris Deum poſſe alloqui. Talis perinde ſe habet, vt aquilæ pullus, dum ſeſe in ſublime attollit. Tota enim fœlici nempe ac diuina permutatione à ſe alienata; radioſo ſplendore intermicat. Ad orationem dum conſiſtemus, ceù prædictum eſt, ne oremus propriam expleri voluntatem, magis autem eam quæ Dei eſt, iuxta doctrinam illam; *Fiat voluntas tua* in me & in te qualibet: ſicque ab eo depoſcamus, vt eius fiat voluntas. Iure quidem! nihil enim tam vult, quam quod bonum eſt & animæ conducit. Nos autem non ita per omnem modum hoc ipſum petimus; licet noſipſos deputemus miſeros multò etiamnum cum

Orationis neceſſitas.

Ioan. 1. *S. Sancta & conſubſtantialis Trinitas.*

Orationis effectus.

Mens orationis tempore, componenda.

Quid ſit oratio.

Oratio pabulum eſt mentis.

Matth. 6.

Lachrymæ à Deo petendæ vt oratione comitentur.

luctu. Qua enim fronte impuri nos ſuſtineamus adſiſtere Domino Sabaoth? Quiſquis igitur orationem puram cupit effundere; prius apprecetur ſibi indulgeri lachrymas ſarciẽdæ puritatis cooperatrices; vt luctu velut pařario, anima præferox cicuretur ac manſueſiat, atque ita demum perfruatur ſyncerè ſuæ voto orationis.

Oratio deprimit ſuperbiã.

Etenim iugis oratio & cõtinens, per cõgreſſum cum Deo familiarem, mentem auocat ab omni prudẽtia faſtúque mundi, eámque Deo præſentem offert; quoque propiùs iungit Deo, hoc maiore adimplet timore ſimul & mitigare. Neque enim ſine humilitate accepta poſſit eſſe oratio; vel teſte ſcriptura: *Reſpexit in orationem humilium & non ſpreuit precem eorum.*

Pſal. 101.

Quocirca, qui cor ſuum ab omni ſorde expurgare contendit; illud perpetim accendat & inflammet memoria Domini. Hoc ſolum iugem exercitationem babet & opus nunquàm intermittendum.

Nullo non tẽpore orandũ, & vbique.

Neque enim aliquando orandum quidem ſit, aliquando feriandum ab oratione ijs qui cariofam peccatorum parrilaginem à ſe excutere cupiunt; ſed ſemper orationi incumbendum, interna quidem mentis locutione, etiam ſi extra oratorias ædes diuerſemur.

Ædes oratoriæ.

Quemadmodum enim aurum ſi quis vult ſcoria exuere & perpurgare, ſinat aurem illud ad teporem ignis qui in fornace exiguus ſit, leneſcere ac feriari; exutam ſemel ſtrigoſitatem ac ſorditiem rurſus ingignit purgatæ illi materiæ: ita & qui aliquando quidem commeminit Dei, non item aliquando, etiam quod orationis merito videbatur aſſecurus, per animi remiſſioris laxitudinẽ perdit. Vtque ferrum, contiguus ignis reddit impalpabile; ita & orationes crebriùs effuſæ mentem corroborant, ſtabiliunt & confirmant ad ſubeundum cum boſte conflictum. Sicut ferrum igni candens, transformatione fit concolor igni; ita & mens illuſtrata ſplendore ignis (nimirum gratiæ) quem *ignem* venit Saluator noſter *mittere in terram*;

Luc. 12.

Eiuſce rei gratia is qui nos ad ſalutis portum cupit prouebere, Dominus, de oratione continenter verba facit. Quin idem nobis factus exemplar orandi, in oratione Dei pernoctabat: exemplo ſuo docens nos quàm longè optimam ex oratione præcerperemus vtilitatem, nec mediocrem ad Deum propinquitatem; ſi modò aſſidua fuerit.

Luc. 5.

Primùm igitur petendum nobis, vt accipere promereamur orandi gratiam (ceu dictum eſt) ab eo qui dat orationem, ſed oranti. Ait enim Apoſtolus: *quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis.* Id gratiæ dum accipimus expleamus opera ab ipſo legis datore Deo imperata.

Rom. 8.
Vota reddẽda Domino.
Leuit. 27.
Num. 15.
Eccleſ. 5.
εὐχὴν, ſtaliones pro oratione poſui, nunc, pro Voto quam ſit homonymon.
Num. 30.
Deut. 23.
Eccleſ. 15.
Eccl. 18.
Pſal. 75.
Pſal. 49.
Pſal. 115.

Ait enim Moyſes: *ſi vouerit votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud, quia requirens requiret à te Dominus Deus tuus, & erit tibi peccatum: quæ procedunt de labijs tuis, cuſtodies.* Et: *Homo qui vouerit Domino & iurauerit iuramentum, non irritum faciet verbum ſuum; omnia quæcumque egreſſa fuerint ex ore eius, faciet.* Alter item: *ne impediaris reddere votum in tempore, & ne expectes vſque ad mortem iuſtificari; priuſquam voueas ſine orare, para teipſum ne ſis quaſi homo qui tentat Dominum. Memento iræ in die conſummationis, & agoniZare ad orationem, quia orationes corrigentium ſe acceptabiles ſunt apud Dominum.* Et: *orationibus iuſtorum obedit Dominus.* Dauid: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Iterum: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Et: *ego vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius.*

Rom. 12.

Paulus quoque: *ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, orationi inſtantes.* Rurſus: *per omnem orationem & obſecrationem orantes in omni tempore, in ſpiritu, & in hoc ipſum vigilantes in omni inſtantia & obſecratione.* Iterum: *volo viros orare in omni loco, leuantes ſanctas manus ſine ira & diſceptationibus.*

2. Cor. 9.
Epheſ. 6.
1. Tim. 2.
Act. 2.

Et in Actibus Apoſtolorum: quia *erant inſtantes doctrinæ Apoſtolorum, & communis, & fractione panis, & orationibus.* Iterum: *nos autem orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Sapientia: *ſicut vouiſti votum Domino, ne moreris reddere illud; quia quæcumque voueris, reddes: melius enim non vouiſſe, quam vouiſſe & non reddere.*

Act. 6.
Eccl. 5.
μιαινόν- των ἰὼβ.
Iob 31.

Sed & iniquorum oſor Iob: *Nihil iniuſtum erat in manibus meis, oratio autem mea pura fuit.* Petrus: *ſobrij eſtote & vigilate in orationibus, & reſiſtite diabolo.* Dominus item: *proptereà dico vobis; omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & fient vobis.* Is cùm eſſet in quopiam loco orans, vtque interquieuit: quidam diſcipulorum eius rogauit illum: *Domine doce nos orare:* dixit Ieſus; *quum oraueritis, dicite, Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, &c.* Inducit: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Infert: *ſi igitur vos cum ſitis mali, noſtis dona bona dare filijs veſtris, quantò magis Pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe?*

1. Pet. 5.
Marc. 11.
Matth. 6.
Matth. 7.
Luc. 11.

Nóſque cupiens, votis omnibus experendus & deſiderabilis Dominus arcana ſua operatione erudiri ad offerendam Deo orationem; dicit: *Quum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo hoſtio tuo ora Patrem tuum qui eſt in abſconſo; & Pater tuus qui videt in abſconſo, reddet tibi in manifeſto.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

ταμεῖα ἅγια.
Matth. 6.
ἐν τῷ φανερῷ.

De Compunctione.

Homelia CVII.

Compunctio quib' ex cauſis homini obueniat.

Compunctio fletum parit & lachrymas. Non mediocri negotio obuenit homini, niſi forſan exercitatio prolixior anteuerterit; aut commemoratio formidabilis iudicij, & vindicatiæ retributionis eorum quæ iniquè geſſimus ſermone, opere, cogitatione. Aut certè per pudorem ac dedecus quod damnandos manet ante illud formidabile tribunal, in conſpectu Angelorum & hominum, vniuerſarúmque cœleſtium virtutum; cùm nuda & aperta erunt omnia, quando vnuſquiſque noſtrum præſentabitur pro ſe reſponſurus, cùm nemo alteri poterit eſſe auxilio.

Iudicij extremi memoria compunctionẽ parit.

Quando cunctis arcana pateſcent, nulli eatenus comperta & explorata, niſi quæ cuiuſque conſcientia nouit: quin potiùs plurima quæ ne cor quidem noſtrum ſcit; præter Deum qui corda ſcrutatur & renes. Cùm *ignis in conſpectu eius* procedet *& inflammabit in circuitu inimicos eius:* quando condemnabuntur hi quidem in tenebras exteriores ablegandi, quæ paratæ ſunt diabolo & angelis eius; illi verò præcipitãdi in ignem æternum. Et quidem alij propellentur, addicendi nunquam dormituro vermi; alij voragini tradentur tartareæ. Ecquid neceſſe ſit, ſingula hæc minutim vt percenſeam; quorum cenſu auditoribus tædium ingenerem? Hæc igitur atque his perquam ſimilia (chariſſimi) ſi expenderimus, ad compunctionem vtique pertingemus, nóſque quàm ociſſimè recipiemus à conſuetis operibus improbis; Die ac nocte plorabimus in conſpectu Domini qui fecit nos. Vbi enim lachrymæ, ibi exorabilis Dei clementia.

Pſal. 49.
Matth. 25.
Iſa. 66.
Marc 9.
Vbi lachrymæ, ibi exorabilis eſt Dei clementia.
Luc. 4.
Marc 14.
Matth. 26.
Luc. 22.
Iſa. 38.

Meretrix illa lachrymis vnius horæ ſed præferuidis, multorum retulit remiſſionem debitorum. Lachrymæ præſentem exhibent Deo orationem; eámq; gratioſam reddunt & acceptabilem. Petrus ipſe amarulentis lachrymis vna hora profuſis non peccatum modò abnegationis promeruit ſibi condonari, ſed & in earum gratiam illi concreditæ ſunt claues regni cœlorum. Ezechiæ regi eximio, quòd tantillum fudiſſet lachrymarum; accreuerunt ad illius vitam anni quinque & decem.

Lachrymæ omnino neceſſaria ad vitæ emendationẽ.

Rorulentæ aſpergines lachrymarum vt dulcor mellis ſunt cordi, aut ſuauè fragrans thymiama apud Deum. Omnimodam ante igitur petitionem neceſſe ſit lachrymarum vtaris præſidio, ad vitæ obtinendam correctionem. Ipſe enim Dominus noſter ſummoperè gaudet dum orationem excipit, quam lachrymæ comitantur cum humili corde, nec vllo pacto ſe offerente quaſi præter multos qui inter nos ſunt: ea enim animi exigitur modeſtia, vt ne tantò ampliùs largitorem iſtius gratiæ exacerbemus. Sunt enim plerique pro peccatis illachrymantes; quos alioqui fugit, qui ſit ſcopus lachrymarum. Hi inſania perciti; demum, mente etiam moti ſunt. Si quis proinde perfectus, aſſecurus eſt compunctionem, ſenſu ipſo experietur, ſe à pane vitæ alimo-

Non illachrymandum temerè.

niam

Alimonia ſpiritualis quæ ſit. *Timor filialis.*

niam accipere ſpiritualem: alimoniam dico, præſtantioris illius (nempe filialis) timoris; alimoniam deſiderij cœleſtis, ſuſpitioſum gemitum internæ conſolationis & compunctionis, mèlleique ac ſuauis cantici ſcientiæ profundioris & diuinorum quorumdam myſteriorum. Compunctio adornat cor concipiendis cogitationibus quæ ſint profundendis lachrymis idoneæ & perquam ſuaues; vnde videre prorſus liceat; ſemina Orationis cum lachrymis inſperſa eſſe in terra cordis noſtri propter ſpem metendi olim gaudij. Meditatio quam comitantur compunctio & oratio, gignit in nobis caſtum Dei timorem, Ait enim lex: *ſedens in domo tua, & ambulans in via, & dormiens ac ſurgens, fixa ſint & immobilia ante oculos tuos, vt diſcas timere Dominum Deum tuum.* Dicit autem & Iob: *perueniat deprecatio mea ad Dominum; coram autem eo ſtillat oculus meus.* Anna inſuper conſternata in Seloïn, flenſque; orationem effudit ad Dominum, dicens: *ſi reſpiciens reſpexeris ad humilitatem meam, & dederis mihi ſemen viri;* & hanc Dominus exaudiuit dedítque illi Prophetam Samuëlem. Altera item Anna Ioachimi vxor, flens in horto ſuo, cùm petitionem ſuam obtuliſſet pro impetrando filio, promeruit accipere ſanctam Virginem Mariam Domini ac Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem, matrem. Dauid ipſe: *Exaudi orationem meam Domine & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas:* ne ſilueris. Et exauditus ait; *miſericors Dominus & iuſtus, quia humiliatus ſum & ſaluauit me.* Et: *eripuit animam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.* Et: *qui ſeminãt in lachrymis, in exultatione metent.* Deinde & illud: *Placebo Domino in regione viuorum.* Illud item: *Enumeſcebant & flebant.* Vt puto, hæc de noſtra captiuitate reddidi oracula; ſi quidem præſcripta hæc in nos incurrerunt. Nos igitur, pro nobiſipſis atque illis debemus lachrymas profundere amaritudinis plenas. Primùm quidem, quòd ciuitas ſancta Ieruſalem incendio conflagrarit; crux quoque ſancta Chriſti Dei noſtri in Perſidem transmigrauit: in eorum item gratiam qui tot accisi bellis perierunt; nobis enim erant concorpores, & eadem nobiſcum inſigniebãtur fide. Ad quem modum Ioël Propheta clamat: *Plangite ſacerdotes qui miniſtratis altari, quia miſerè afflicta eſt omnis terra. Flete ſacerdotes qui miniſtratis Domino, & dicite, parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eius nationes, vt ne dicant, vbi eſt Deus eorum?* In noſtra enim ſitum eſt poteſtate exorare tam clementem Dominum & qui facilè malorum omnium obliuiſcitur; iuxta oraculum Sophoniæ Prophetæ dicentis: *Appoſuit tibi ignem & aquam ad vtrumlibet volueris extende manum tuam: ante homines vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei, Peccantem enim in animam ſuam quis iuſtificabit?* Quis inquam, niſi præferuidæ lachrymæ quas comitetur compunctio? Sitit quidem ſemper noſtram omniũ ſalutem benignus & miſericors Dominus; vel teſte Apoſtolo: *qui omnes homines vult ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

Compunctionis effectus. *Leuit. 21.* *Iob 16.* *1. Reg. 1.* *S. Anna Deiparæ mater, fleuit ad Deũ pro impetrando filio.* *Pſal. 38.* *Pſal. 114.* *Sub Coſdroa tyranno Perſidis.* *Hieroſolymitana vrbis incendium ſub Coſdroa.* *Ioel. 2.* *Lapſus eſt memoria hic: Non enim ex Sophonia depromptus eſt hic locus, ſed ex Eccleſiaſtico 15.* *1 Tim. 2. 4.* *Luc. 7.*

Scriptum auté eſt & in Lucæ Euangelio: *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quia accumberet Dominus in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: cùmque ſtetiſſet retrò ſecus pedes eius, flens cœpit rigare pedes eius lachrymis, & capillis capitis ſui detergere, & vnguento vngebat:* & eo promeruit voce Saluatoris illud audire; *dimittuntur tibi peccata tua.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

SELOÏN) σηλωμ *Selom*, nos propiùs accedimus voci Hebraïcæ; nam *Silo*, eſt pax, vel abundantia; hic pro ciuitate.

De honore parentum.

HOMILIA CVIII.

Parentes cur honorandi.

PARENTES vt honore proſequamur, vtque vicem rependamus beneficiorum; vel ipſe naturæ tenor atque ordo docet nos iure obſtringi. Idipſum confirmat ſanctio legis diuinæ. In primis; quia ſenſile hoc lumen, illorum opera contuemur: deinde & ſpiritualem lucem hauſimus; nimirùm agnitionem fidei quæ nos per regeneratiui lauachri gratiam rectà ducit ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Tum propter pium erga ſuos liberos, quem illorum animis natura inſeuit, affectum: ob laborem quem pro illorum educatione ſuſtinent; & anxiam ſolicitudinem qua interdiu noctúque angũtur dum malè metuunt; ne quid filijs ſuis occurrat fortuiti & aduerſi caſus; ſedulò item dum operantur, ac perplexos adeunt labores quibus liberis ſuis indumentum parent & alimoniam, vtque poſteritati ſeponant theſaurum, & à morte relinquant. Quam quæſo vicem vniuerſis his condignam rependere poſſimus? Quocirca adnitamur pro virili, ea explere quæ ad eorum attinent honorem, famulatum, requiem; idque peculiariter, ſenio dum grauantur: vt vel ipſo filiorum aſpectu recreentur ac propè reuiuiſcant; quemadmodum Iacob, viſo mox Ioſeph. Concertemus cum auiculis quæ vpupæ dicuntur; illis ne diſpares deprehendamur & diſſentanei. Si quando enim parentes ſuos viderint conſenuiſſe, & per ſenium hebetiores eſſe viſu; filij alares pilos parentum conuellunt, deinde allambunt oculos illorum, mox ipſos parentes ſuiſmet alis ſubiectos excalfaciunt ac refouent; atque ita demum eos quaſi pullos recens æditos reuocant ad florem ætatis, ſic vt iuuenes videri poſſint, quaſi ſi ſuis dicant parentibus: quemadmodùm vos pulleſcere nos feciſtis, & labores tolerastis pro educatione noſtra; & nos ſimile quiddam vobis repenſamus. Quid tu igitur nos parentes arctiore vinculo charitatis proſequemur rationis compotes; vt ne aduerſum nos ingemiſcant? Planè res eiuſcemodi neutiquam futura nobis eſt vlli æmolumento; magis autem detrimentoſa admodùm, vt qui comperiemur & patris fuiſſe & matris cæſores. In lege ſcriptum eſt: *Honora patrem tuum & matrem tuam vt bene tibi ſit, & ſis longæuus ſuper terram.* Et: *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Nec abludit Eſaias: *Quæ dicit patri; quid generas? & matri; quid parturis? ſcio ego, quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua.* Alius item: *qui honorat patrem, iocundabitur in filijs ſuis, & in die orationis ſuæ exaudietur.* Iterum: *oratio patris confirmat domos filiorum; maledictio autem matris, eradicat fundamenta.* Apoſtolus: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino; hoc enim iuſtum, honora patrem tuum & matrem, quod eſt primum mandatum in promiſſionibus.* Rurſus: *filij diſcant primum propriam domum religioſè regere & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim bonum & acceptum coram Deo.*

Parentibus qualis honor ſit exhibendus. *Gen. 31.* *ἐφάμιλλοι ὦμεν ἐπόποις.* *Vpuparum in ſeniores parentes pietas.* *Deut. 27.* *Eccleſ. 3.* *Exod. 21.* *Prou. 20.* *Deut. 5.* *Matth. 15.* *Marc. 7.* *Iſa. 45.* *Eccl. 3.* *Eccl. 2.* *Epheſ. 6.* *Coloſſ. 3.* *1. Tim. 5.* *Prou. 15.* *Zach. 13.*

Parœmiaſtes item: *Filius aſtutus obedit patri; filius inobediens in perditione erit.* Iterum: *maledicentis patri aut matri extinguetur lucerna.* Iterum: *qui vim facit patri aut matri, & credit ſe non peccare, ſocius eſt viri impij.* Id ipſum & Dominus ad Phariſæos; *quare & vos tranſgredimini legem Dei propter traditionem veſtram? nam Deus dixit: honora patrem tuum & matrem, & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur: vos autem dicitis, quicumque dixerit patri vel matri ſuæ Corban: quod eſt, munus quodcumque eſt ex me tibi proderit; & non honorificabit patrem ſuum aut matrem.* Sed hæc ſufficere putem, ad explicationem ſumpti argumenti; nempe quòd parentibus vicem debeamus reſoluere. Atqui ne illud quidem ignorare conueniat, à nobis non id repeti ſolùm, vt parentibus ſecundùm carnem, vicem redhibeamus; verùm tantò ampliorem honorem cultúmque nos debere ijs qui ſecundùm ſpiritum patres ſunt noſtri; vt per hos hæreditate aſſequamur benedictionem Dei. Neque enim minus noſtri cauſa iſti afflictantur, aut minore cura premuntur; quin maiore multò: ſiquidem illi carne; hi autem ſpiritu nos regenerant. Hæc porrò omnia non ſermone ſolùm, ſed & opere nos edocet Dominus: ait enim Scriptura; quia *ſubditus erat patri & matri ſuæ.* Sed & in cruce ad Diſcipulum; *ecce mater tua:* & ad Matrem; *ecce filius tuus.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Matth. 7. *Marc. 7.* *Luc. 2.* *Ioan. 19.*

Digitized by Google

Reuerentiam deberi ſenibus.

Homilia CIX.

Aſſurgendum ſenibus.

ET quidem ſenes reuereri modis omnibus Deo eſt acceptum, & hominibus commendabile. Sed & honorem deferre ſanè debitum decliui iam ac deuexa ætate viris; nihilominus Deo gratioſum, nobis verò nimiſquàm accommodum & vtile. Nos etenim ſi continget ad ea vſque tempora prorogare vitam, eandem prorſum recipiemus mercedem. Si verò hinc abeundum ſit intempeſta ætate; nihilominus ſumus habituri Dominum noſtrum mercedis repigneratorem. In vtrouis ipſe merces, qui & mercedis dignæ eſt diſtributor; ſiue hinc ſenex migrabis, ſiue ætatis flore. Ait enim ille: *quemadmodum* B *feciſti, fiet tibi.* Primus Moſes mandat dicens: *A facie cani capitis conſurges, & honorabis vultum ſenioris.* Iob verò: *In multo tempore, ſapientia, & in vita prolixiore, ſcientia.* Alius item: *Corona ſenum, multa peritia: & gloriatio eorum, timor Domini.* Apoſtolus inſuper Timotheo: *ſeniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem.* Omnino illud forſan obieceris: *Oportet ſenes ſobrios eſſe caſtos, ſanos fide & dilectione,* iuxta eiuſdem Apoſtoli ſententiam: *Senectus enim honorabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata, cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata,* iuxta Scripturam. Noſtræ non eſt facultatis, pronunciare de eiuſmodi; magis autem Dei, qui probat corda noſtra: noſtræ autem functionis vni cuilibet reddere ſua debita; *cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: non ſolùm bonis & modeſtis, ſed & dyſcolis.* C Sed & fraterna charitate inuicem beneuoli, *honore inuicem præuenientes.* Scriptum quippe eſt: *Fili ſi ſapiens fueris, tibi ipſi eris & proximo; ſi autem malus, interibis & ſolus exhauries mala.* Nec diuerſus abit Petrus: *Iuniores ſubiecti eſtote ſenioribus: omnes autem inuicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, humiliamini ergo ſub potenti manu Dei, vt exaltet vos in tempore.* Addecet igitur nos qui Chriſtiani ſumus, ſingulis quibúſque vt reddamus debita. Nam & hoc ab ipſo Domino Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto inſtruimur: per ineffabilem enim ſuam ad nos dignationem; nihil indignum duxit Ioannem vt adiret, ab ipſo baptizandus. Ille porrò, prohibebat eum dicens: *ego opus habeo à te baptizari, & tu venis ad me?* D Dominus autem ſeruo: *ſine nunc: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Luc. 6. Marc. 4. Leuit. 19. Iob 32. Eccli. 2. 1. Tim. 5. 1. Tit. 2. 2. Sap. 4. Rom. 13. Prou. 13. 1. Petr. 2.

De longanimitate ſiue lenitate animi, & iracundia.

Homelia CX.

VIRTVTES quidem omnes laude & commendatione cùm primis dignæ ſunt: qui autem placabili animo eſt nec ad iram vllis prolicitur quantiſlibet pulſatus iniurijs; talis vtique ſapiens prudénſque eſt, minùs præceps ſed moderatus. Talis omni ex parte perpolitus eſt & ornatus, ac propria longanimitate magnopere ædificat proximos; E eiúſque comperitur eſſe filius, qui nullo non tempore noſtros perfert longanimiter defectus, qui & ait: *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis.*

Matth. 5. Quemadmodùm enim fons ſilentibus ſcatebris prætерfluens, quotquot ſe adeunt, vltroneus præfert ſuauem potum: ita & vir longanimis ac placidus. Ipſe vultus atque indoles viri ſic cuncta longanimiter tolerantis moderationem animi promittunt ac repræſentant; Ipſíque oculi placidè ac leniter reſpectant. Longanimis enim vir multus eſt in prudentia; puſillanimis verò fortis ſtultus. Longanimis proximos deprehenditur ſufferre ſemper, citra omnem intemperiem ac turbelam. Suos ſemper, non item proximi attendit defectus: cogitat ſecum anxiè, qui poſſit ſe probare Deo. Quiſquis tandem ſic efficietur longanimis; hunc A Spiritus ſanctus ſanè purus ſordium, placidè inhabitat, nec patietur eò inferri à maligno Spiritu quiduis caliginoſum; ſed ſpatioſè habitans cum ſuo vaſe quod inhabitare dignatur, exhilareſcit. Quin & talis Domino miniſtrat multa perfuſus hilaritate. Si qua proinde iracundia ingruerit, mox Spiritus ille ſanctus in anguſtum ſe contrahit, non iam locum habens ſuæ ſynceritati congruentem: illinc etiamnum quærit deſciſcere, quòd locum non habeat (prout expetit) ad ſeruiendum Domino idoneum. In longanimitate habitat Dominus, in iracundia verò diabolus. Spiritus igitur vterque eundem ſi inhabitet locum, minus conducit; imò in malum cedit homini quem vterque inhabitat ſpiritus. Si quis enim accepto in manus abſinthio, ex eo nonnihil infundat dolio mellis; nunquid non totius mellis dulcor B deperditur & euaneſcit? Et quidem per portiunculam abſinthij tantæ ſuauitatis fit depulſio: Perdit enim natiuam dulcedinem, & amareſcit, nec quicquam ſeruat priſtinæ gratiæ apud Dominum ſuum, quòd degenerarit in amaritudinem. Planè vides longè eſſe etiam præ melleo dulcore dulciſſimam: quin & ea vtitur Dominus quàm commodiſſimè; cùm contra iracundiæ furor & amarulentus eſt & prorſum inutilis. Si quando illa concitati animi incandeſcentia ſimul & patientia permiſcentur; cui dubium ſit, patientiam fœda contagione pollui & conſpurcari? ſed nec congreſſus eiuſmodi patientiæ vſui eſſe Deo poteſt. Iracundia enim maligna cùm ſit; ſuaipſius improba operatione ſubuertit ſeruos Dei. Simul enim vt viderit homines requietos C nec vlla ſeditione tumultuantes; ſeipſam colligit ac inſerit cordi vnius illorum qui nulla ex re amareſcit totus, & exaſperatur ob res temporarias, aut certè ob edulia, aut quia colloquium incidit prolixius & idem vanum; puta de dato & accepto, déve ſimilibus negotijs: hæc enim omnia aliud nihil ſeruis Dei ſunt, quàm ſtultitia & vanitas. E diuerſo; longanimitas iiſdem Dei ſeruis, magna prorſus ac robuſta, & quæ admirabili præpollet potentia: quod prauum eſt, ad rectitudinem reuocat; & exultans, ſecura cùm ſit rerum omnium, Dominum glorificat, nihil in ſe habens amaritudinis; lenis & tranquilla.

Patientiam polluit iracundia ſi in eadē anima ſint.

Iracundia nulla aut leues cauſa ſorè ſunt.

Hæc animi moderatio domicilium habet commune cum illis qui incolumem retinent & perfectam fidem: iracundia verò ſtultorum eſt. Ex ſtultitia deinceps re- D ſiſtit amaritudo; ex amaritudine furor: ex ira autem incandeſcentia perſeuerans. Sanctus igitur Spiritus, vt qui loci temperie mirè ſe oblectat ac deliciatur, cuive nulla intercedit cōſuetudo cum implacabili acrimonia reprobi ſpiritus; ab eiuſmodi homine longiùs ſe ſubmouet, deligens ſibi domicilium in homine patiens qui ſit & longanimis. At interim homo ille inanis fit Spiritus iuſti; excæcatur totus, dum exuitur mentis dulcedine ac benignitate.

Spiritus ſancto nulla eſt conſuetudo cū homine iracundo.

Ait autem Scriptura: *melior vir patiens forti.* Et: *ſicut probatur aurum* & argentum *in fornace, ſic electa corda probat Deus;* iuxta Scripturam. Iterum: *Vir manſuetus cordis medicus eſt.* Rurſus: *fili, ſi acceſſeris ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem; dirige cor tuum & ſu-* E *ſtine, omne quod applicitum fuerit tibi, ſuſcipe libenter, & in mutationibus humiliationis tuæ patientiam habe: crede ei & recuperabit te.* Nos itaque (fratres) longanimitatis ac patientiæ merito ſubnixi, vnà cum Dauide concinamus; *Proba me Domine & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna: quia ego in innocentia mea ingreſſus ſum, ſum, redime me & miſerere mei.* Et illud: *me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.*

Prou. 16. Sap. 3. Eccleſ. 2. Pſal. 138. Pſal. 25. 1. Pſal. 40. 13.

Dicit item Salomon: *Vir longanimis, ſapiens eſt.* Et: *Stulto interroganti ſapientiam, ſapientia illi imputabitur: mutum autem ſi quis ſeipſum fecerit, videbitur eſſe prudens.* Iterum: *Vir miſericors, longanimis eſt.* Iacobus: *patientes igitur eſtote* (fratres)

Sap. 4. Prou. 17.

Digitized by Google

Iac. 5.

(fratres) vſque ad aduentum Domini: ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens donec accipiat pluuiam temporaneam & ſerotinam: patientes igitur eſtote & vos, exemplum accipite laboris & patientiæ prophetas. A

Luc. 9.

4. Reg. 1.

In Euangelio quoque ſcriptum eſt: *Videntes autem diſcipuli Iacobus & Ioannes, quia noluiſſent eos recipere Samaritani, dixerunt: Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo & conſumat eos quemadmodum Helias fecit?* Conuerſus autem Ieſus increpauit eos, & dixit, *neſcitis, cuius ſpiritus eſtis: Filius hominis non venit perdere animas hominum, ſed ſaluas eas facere.* Ipſi gloria in ſæcula ſeculorum, Amen.

De his qui præſunt.

Homilia CXI.

Act. 1.

Matth. 5.

AIT Scriptura; quia *cœpit Ieſus facere & docere*, Primùm fecit; & ſic, docuit. nec ſecus ſancit præcepto faciendum, dicens: *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Is igitur cuius fidei tutela animarum à Deo concredita eſt; non mediocri ſtudio aduigilare debet pro ſalute ſubditorum: quippe qui certò ſciat ſe pro illis additurum eſſe animæ propriæ periculum; at quidem pro ſe ne minimam habiturum eſſe excuſationem. Ab eo enim cui multa appoſita ſunt, abundantius repetent. Debet igitur Paſtor totus eſſe mens & oculus; vt ne vna quidem concreditarum ſibi pecudum reiicula fiat & indigna quæ recipiatur à Domino per oſcitantiam, aut decolor ſit impetigine cogitationum, aut per ſuam Paſtoris indulgentiam laboret ac pruriat pecus fœda ſcabie, ne claudicet per irreligioſum ac minus grauem inceſſum, aut defecta ſit aure per inobedientiam, ne cæca eſſe comperiatur per vitioſum aſpectum, aut capta à beſtijs ſiue morticina per improbam operationem. B C

Leuit. 22. d

Ezech. 33.

Paſtor, medicum imitari debet in grege curando.

Cùm igitur is probè nouerit (ceu mihi dictum eſt) ſe pro illis rationem eſſe repoſiturum; par eſt, vt peruigili cura ſua proſpiciat gregi: morémque imitatus medici longè experientiſſimi, cuique affectui vitioſo opportunum & competens adferat auxilium, nullo illorum neglectim tranſmiſſo. Peritus enim ſi eſt præſes, neutiquam ſinet diſcipulum vllius vulneris impreſſione ſauciari. Si quem norit iam ſaucium; nihil cunctatus ſanandum ſuſcipiet. Tu igitur quiſquis præſides diſcipulos tuos ſermonibus obarma, quibus ſe cautim obſeruent ac tueantur. Illorum præmuni pectus, certa promiſſione futurorum bonorum: Scuto veræ fidei circunſepi eos: Ad finem vſque prouehito, præduce ſpe quæ in Chriſtum ceu ſcopum rectà collineet. Pedes obtura ac circumtege angelicis diſciplinis. Præcinge lumbum illorum ſpiritualis lætitiæ ſermonibus. Da illis in manum, gladium; nempe acrimoniam præcidentem vitioſos animi affectus. Si quos ſenſeris cingi ac premi improbo agmine perturbationum aut voluptatū, coordina & tu aduerſus vtrúmq;, inſtructiſſimā aciem. Caue moueris animum aduerſus diſcipulū peccantem: neq; enim ſancti viri eſt ea functio, tibi ipſi vulnus infligere & conſauciare, dum alijs ſtudes mederi; ſed & qui cæteros latent, clementer eos emenda. D E

Iracundiæ furor non miſcendus reprehenſioni.

Medicus etenim medetur quidem morbis, non item aduerſus eum qui inuitus ægreſcit, indignam vllam mouet querelam. Vt igitur medicus dum carnis purrilaginem ſecat; hoc vtiq; facit citra iram: ita & doctor, interim dum reprehendit, nō iracundiæ furorem immiſcet ſuæ reprehenſioni, nec rurſus contradicentium ſuſurris deterritus, quæ addecent frugémve afferunt ſubiectis, ſilentio premit, vt ne vnius noxa in multorum perniciem, ſua cōtage recurrat & dimanet. Hic ne te præſtes longanimiter patientem: non item quæras quod tibi vtile eſt, ſed quod multis; vt incolumes ſeruentur. Rurſus vide ne ſubdito conſenſeris dicenti tibi, fac mecum poteſtatem temporariæ cuiuſpiam morulæ, dum interim recipiam me, vt & hoc vel illud probem, ſicque quod decorum eſt & ex officio concitus abſoluam: qui enim ad eum loquitur modum; nimirū vndecunde venatur occaſionem perficiundæ propriæ voluntatis: eam verò cui ſe ex pacto obſtrinxit, fruſtratur & eludit obedientiam. Oportet interim vt cū patientia hoc obſeruet. A

Qui enim alimonia verbi diuini exprompte atque alacriter paſcit ſubiectos; præparet mentem ſuam ad excipienda flagra, ſed ſpiritualia, omnémque tentationum procellam generoſo ferat pectore: fere enim fit, vt & doctor ad ignominiam & dedecus eloceture, tentationes dum ſuſtinet pro his quæ ad ſpiritualem ſuorum vtilitatem in commune contulit. *Nos enim ignobiles* (ait Paulus) *& colaphizamur* perinde ac palo quopiam cæſi; *vos autem fortes & glorioſi*. Neceſſe igitur ſit, vt homo Dei, in omni opere & ſermone bono inſtructus ſit ac perpolitus, nihilque non perficiat honeſte & ſecundum ordinem, ad eorum informationem quos habet dicto audientes. B

1. Cor. 4.

Præſidis animarum nudum nomen.

Quiſquis igitur præſidet, eò ſortitur præſidis nomenclaturam, quòd ceteros antegrediatur ſtrenuitate operis. Neque enim id nominis (nudum ſi eſt) inducit in regnum cœlorum; ſed nec ſermo inefficax vllā adfert audienti vtilitatem: verùm operatio potens ſi eſt, paſtorem ipſum ceù certo ſpecimine declarat eſſe veridicum doctorem. *Qui* enim *fecerit vnum de mandatis & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*: qui autem per inefficacem operationem *ſoluerit vnum de mandatis, & docuerit* ſermone quidem infrugi, *minimus vocabitur*. Quin potius mercenarij illius cogetur ſubire ſententiam, qui lupo admorſu dentium gregem ſibi creditum dilacerāte ac diſpergente, in fugam ſe proripuit. Oportet igitur ad omnia vſu diſcretionis, ſolers vt ſit & induſtrius: ſed & quæ iuſſerit pro poteſtate facienda; ex æquo & bono coordinet, nec neceſſitate adigat, ſed ſpontaneos ſibi auctionetur diſcipulos: cum proinde qui minus paret dicto, longanimiter ferat, vt ne interim in ſe detorqueri illud Dauidis promereatur audire; *qui fingis laborem in præcepto*. Illud item ex Salomone: *Viſcera impiorum crudelia*. Quin potiùs adnitatur vt audiat; *Intelligentes agnoſces animas gregis tui, & appones cor tuum tuis armentis*. Et, *paſces induſtrie animas iumentorum ſuorum*. C

Matth. 5. 20.

Ioan. 10.

Paſtoribus animarum, neceſſaria eſt & longanimitas & diſcretio.

Pſalm. 93.

Iſa. 40.

Neceſſe rurſus, vt ne ſubditorum errata prætermittas ſilentio, ait enim Scriptura: *Fili, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael; ſi igitur viderit ſpeculator gladium venientem & tuba cecinerit, & qui audierit non obſeruauerit ſe; ſanguis ipſius ſuper caput eius erit: & ſpeculator ſi viderit gladium, & non ſignificauerit, & vnum aliquem apprehenderit gladius; ſanguinem illius de manu ſpeculatoris requiram*. Edocti itaque præſides quantum impendeat periculi ex diſcipulis, peruigili oculo mentis obſeruatore ac prouidere gregi Dominico vtique rationis compoti, ad exemplum beati Iacob: A veſtris oculis recedat ſomnus, die quidem exæſtuantibus cauſone, nocte item gelu afflictis. Pro eis quæ à beſtijs captæ iam ſunt, pecudibus, videte nequando audire contingat vos, *Ecce ego ſuper paſtores, & exquiram oues meas de manu eorum; non enim requiſierunt paſtores oues meas; ſed pauerunt ſeipſos, oues autem meas non pauerunt.* D

Gen. 31.

Ezech. 34.

Et per Hieremiam: *ô paſtores qui perditis & diſpergitis oues paſcuæ meæ: propter hoc ecce ego vltionem expetam de vobis ſuper omni malitia ſtudiorum veſtrorum.* Sanè perfecti viri ſit ſibique proſpicientis & in ſpirituali paleſtra legitimè decertantis, non perfunctoria adminiſtratio, ſcitè vt nouerit fratribus præeſſe, iuxta Scripturam dicentem: *Rectorem poſuerunt te? noli extolli, ſed curam habe illorum, & ſic ſede, & omnem vſum tui facito atque accumbe.* Sed & Gedeon trecentis ſecum militantibus, *a me videte, & ſic facite*. Nec ſecus Abimelec accepto lignorum faſce, inque humeros ſublato, ſequenti ſe populo dixit: *Quod videtis me facere, facite & vos.* Et de Ioſeph melicus Pſalmorum Cantor, *conſtituit eum Dominum domus ſuæ & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſeniores eius ſapientiam doceret.* Paulus item: *admonentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu, in quo & laboro decertans.* Timotheo quoque: *attende lectione* E

Hier. 23.

Adminiſtratio perfunctoria.

Iud. 6.

Actio Regis, plebis inſtitutio eſt.

Pſalm. 104.

Coloſſ. 1.

1. Tim. 4.

Epheſ. 2.
exhortationi, doctrina, Inſta in his. Epheſijs idem ait: *Memo-*
res eſtis, quia per tres annos nocte ac die non ceſſaui cum lachrymis A
Act. 20.
admonere vnumquemque veſtrum. Rurſus: *Argentum aut au-*
rum aut veſtem nullius concupiui; Ipſi enim ſcitis, quia neceſſi-
tatibus meis & qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ;
omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere in-
firmos.
Ad hunc ſanè modum contendat præſes quiuis, vt
forma ſit atque exemplar ſuo gregi in omni iuſtitia &
conuerſatione ſancta, ſanctè & iuſtè conuerſatus, obſer-
uans quæcunque ſunt munda, quæcunque pudica. Si
qua virtus eſt, ſi qua laus, ſi quis bonæ famæ: à præla-
to frugis bonæ atque vtilitatis gratia correctio procedat
locum ſuum vt tueatur in omni diligentia ſpirituali; lau-
dem vt procuret mēbrorum, qua melius nihil eſt. Om-
nes, vt oportet (ſicut & ipſum Dominus) omnes inquā B
ferat in charitate; pro omnibus iugiter oret, poſtulet in-
telligentiam ſpiritualem ſibi conferri, vt quæ magnope-
re conducunt nouerit diſcernere; peruigilet, de ſingulis
anxiè ſolicitus, omniū defectus ac morbos pro modulo
rationis diſcat ferre quaſi perfectus athletes. Vbi enim
fatigationis moles maior, ibi maior etiamnum quæſtus.
Epiſcopi maxima laus: intractabiliores, ad officiū reuocare.
Eodem colyrio non medetur omnibus.
Quòd ſi multitudinem diſcipulorum velit aggregare
copioſam, noli ſtatim illi gratia eſt: ſed ſi minus dicto
audientes atque intractabiliores ad officium & obe-
dientiam, amabili lenitate erga illos vſus, reuocarit:
non enim vulnus omne vno & eodem curatur empla-
ſtro. Curandi veniunt paroxyſmi proluuione & crebra
infuſione humidorum. In omnibus imitare prudentiam
ſerpentis, columbinam æmulator ſimplicitatem: vt quæ C
ſibi quidem patent in faciem, obſeruet: quæ autem mi-
nus in cōſpicuo ſunt, poſtulet ſibi manifeſtari, ita vt nul-
la re deſtituatur, ſed omni abundet gratia. Opportunum
ſanè ſit, vt, ceu nauclerus quiſpiam, generoſe confirmet
ſe aduerſus ventorum turbines, ingentes fluctus & nau-
fragas procellas vndecunque aſpirantis malitię: viæ prę-
dux, vt ſit ad portum vſque diuinæ voluntatis, ijs qui
Mat. 20. 26.
Marc. 10.
Luc. 22.
vndiſonæ tempeſtatis agitantur fluctibus. Dicit autē &
Dominus: *ſi quis vult inter vos maior eſſe, ſit minor, & qui præ-*
eſt miniſtret. Itaque ceu dictum mihi eſt, ijs qui tuæ ſunt
ditionis, modeſte humilitatis eſto formula in omnibus:
Marc. 10.
Ita enim & Dominus; *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed*
miniſtrare & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Ite-
Ioan. 13.
Marc. 23.
rum: *Vos autem me vocatis, magiſter: Vnus enim eſt magiſter* D
veſter, qui eſt Chriſtus. Ipſi gloria in ſecula, Amen.

De renunciatiatione.

HOMELIA CXII.

QVi ſemel mundo ſupremum dicit vale,
ab his debet auocare mentem, quæcun-
que oculis patent, & eam ad inuiſibi-
lium contemplationem attollere: quæ
enim videntur, temporaria ſunt, quæ au-
tem non videntur, æterna. Eò ſiquidem,
Cæleſtia ſperans, terrena deſpiciat
renunciatio dicitur, quod terrenis qui renunciant, in or-
dinem cooptantur cœleſtium: Dum enim patriam hanc E
non inuiti deſerimus, ſublimem illam expetimus Ieru-
ſalem, dum mundi iſtius ſapientes ne ſalute quidem di-
gnamur, magis verò auerſamur ac repudiamus, cum ſpi-
ritualibus viris tantò propiùs congredimur. Virtutes igi-
tur adipiſci magnoperè ſi cupimus, in primis iugi exer-
citio excolendæ ſunt hæ, continentia, patientia, mode-
Difficilia incœpta, leuia redduntur oratione.
ſta humilitas. His omnibus, continēs ſuffragetur ac per-
pes oratio, & quod ſtudioſè efficere molimur, minore
perficiemus negotio. Vt enim domum exædificare qui
vult, materiam apparat prius fabricæ omnibus ſuis par-
tibus abſoluendę idoneam, ita & qui ſuam ipſius domū,
domicilium nempe ſacroſanctæ Trinitatis molitur ex-
Ioh. 14.
truere. *Ego* enim ait, *& Pater meus veniemus & manſionem*
Iſa. 4.
apud eum faciemus. Et illud: *Spiritus ſanctus qui habitat in vo-*
bis. Ad finem vitæ iſtius (ſi ſecundùm virtutē tranſigitur)
hæ adſint indiuiduæ comites, continētia, patientia, mo-
deſta humilitas, & oratio. Ineffabilem enim iuſtitiā nec A
aliquando otioſam aut deſinentem labores progenerāt
ac ſpirituales conflictus. Ne tanti quidem æſtimandi ve-
niūt labores collati ad magnitudinem fœliciſſimæ illius
gloriæ, quam parit virtutis ſtudium, iuxta Domini do-
ctrinam dicentis, *Quia tribulationem habetis in mundo hoc.*
Matth. 14.
Vita militia eſt.
Vitam enim præſentem liquet eſſe certaminum atque
luctarum ſtadium: præmiorum autem quæ certò ma-
nent victores futura illa eſt vita. Dominum igitur ſynce-
ro diligamus affectu, vt nobis ea clementer impartiat,
1. Cor. 2.
quæ diligentibus eum daturum ſe eſſe pollicitus eſt, *quæ*
quidem non *oculus vidit, non audiuit auris, nec in cor hominis*
aſcenderunt. Magno conatu adnitamur ſtudeamúſq; car-
nem hanc vincere & eius prudentiam, adiuuante nos
Dei ſpiritu. Chriſto nobis vires ſuggerente, Satanā dra- B
Matth. 16.
conem implacabilem ſuperemus. Tollamus crucem, ſe-
quamúrque Ieſum qui præſtat victoriam. Curſu feſtino
nec minore fiducia decertemus, vt brauium attinga-
mus ſupernæ vocationis in Chriſto. Omnis enim qui
Brauium perfectæ renunciationis.
currit, ſpe nihil dubia ſubnixus, non item in incertum,
accipit brauium perfectæ renunciationis. Ad hoc opes
aſſequitur ſanctimoniæ operoſas ſanè, ſed nec mediocri
1. Pet. 2.
mercede cumulatas. Et quidem Petrus ſcribit: *quaſi mo-*
do geniti infantes, rationale & ſine dolo lac concupiſcite, vt in ip-
ſo creſcatis: hoc eſt, impermixtam & incorruptam fidem,
vt in ea creſcatis.
Fides quotidiè creſcit in nobis.
Creſcit enim in homine fides quotidiana acceſſione,
dum mentem hominis ſuo illuſtrat ſplendore in bonis
Epheſ. 6.
operibus conuerſantis. Paulus: *Induite vos armaturam Dei* C
vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis collu-
ctatio aduerſus ſanguinem & carnem, ſed & aduerſus principa-
tus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum ha-
rum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ.
Epheſ. 6.
Rurſus: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis tela*
nequiſſimi ignita extinguere per omnem orationem & deprecatio-
nem, orantes in omni tempore, in hoc ipſo inſtantes cum omni inſtan-
tia & obſecratione. Hunc in modum, pro virili ſi ſtrenuam
commodaueritis operam, veriſſimam in vobiſmetipſis
per omnia Chriſti imaginem exprimetis in vita, in con-
uerſatione, in propoſito, ſermone, opere, patientia, viri-
li fortitudine, in prudentia, iuſtitia, longanimitate, in
immemoria acceptæ iniuriæ, pietate, ſanctitate conti-
nentia, in fide, ſpe; denique in perfectiſſima ad Deum D
charitate,
Agoniſtæ iſti prorſus ſynceri ſi ſunt, ab omnibus ab-
ſtinent omni virtute ſe adornātes, inque præceptis con-
2. Cor. 4.
uerſantes Dei, iuxta Apoſtoli ſententiam dicentis: *nos*
qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu
manifeſtetur in mortali carne noſtra, ſcimus enim, quoniam terre-
ſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificatio-
nem ex Deo habemus domum non manu factam, æternam in cœlis,
& in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt,
ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti & non nudi inueniemur.
Monachus ſuipſius poteſtatem non habet.
In nullo prorſum vel ſui ipſius habet monachus pote-
ſtatem, at ne voluntatem quidem retinet propriam. Il-
Gal. 2.
lius eſt dicere: *viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Ite-
1. Cor. 7.
rum: *qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo* E
placeat Deo & expleat opus eius, vt glorificetur in æternum.
At carnales ſpiritualia hæc exequi non queunt, vt ne-
que ſpirituales carnalia.
Matth. 10.
Qui igitur cupiet ſolitariæ iſtius vitæ conuerſatio-
nem angelicam legitimo exercitio excurrere, operæ ſit
huic pretium, ſibi vt cōciliet ſerpentis prudentiā & ſim-
plicitatē columbę, vt nulla non in re voluntatem Dei in-
telligat bonam, beneplacentem & perfectam, atque
ita glorificetur Deus in omnibus per noſtram operatio-
nem diuinæ pietati conformem, pérque ſynceram vitæ
ſanctioris conuerſationem: vt qui nos preſſiùs con-
tuentur & explorant, queant internoſſe, quia ſemen be-
nedictum ac ſanctum ſumus (filij nempe Dei viuentis)
in omni ſermone, ingenuo ac ſpectabili pudore, man-
ſuetudine, vitæ inſtituto, & oratione: quarum virtutum
gratia

gratia nulla in re nullóve pacto mundi iſtius hominibus deprehendimur conformes; quo potiùs vt oouerint pios nos eſſe doctores, ex noſtra ad eum modum religioſè inſtituta conuerſatione; & omni ſcientia, omni prudentia atque iuſtitia exornatos. Lampadem igitur ſyncerioris ſanctimoniæ vitæ ſerua cum omni cautione, ſicut amicos addecet Chriſti. Illorum fac æmuleris vitæ rationem & inſtitutum.

S. Ioannem Baptiſtam imitari debēt monachi. Paulum, Barnabam, & Timotheum, virgines.

Fac repræſentes Ioannem illum Chriſti præcurſorem, vere Angelum Domini, puritate vitæ præſignem: aut certè alterum illum Ioannem ioctator, Domino tam familiariter ac domeſticè notum, quē merito caſtimoniæ virginalis deamabat Ieſus. Paulum item ſectare, Barnabam, & Timotheum, qui vitæ curium atque agonem io caſtitate expleuerunt, nulla aſperſi labe obſcœnæ pollutionis. Quin Heliæ etiamnum & Heliſæi, atque aliorum nec paucorum vitam nihil diſſimilem comperies fuiſſe; nimirum intemeratam nec vlli peruiam reprehenſioni. Hos igitur ſi cupietis efficaciter æmulari; imitamini ſeniores,

Hebr. 13. 1. Cor. 11.

quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Et illud: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Chriſti enim imitatores, ipſius vitam ſtrenuè & efficaciter imitantur: at, qui tales, beati ſunt.

Math. 8. Math. 2. Luc. 5. Luc. 9.

Dixit proinde cuidam Dominus; *ſequere me:* hic reſpoodit Domino; *permitte mihi Domine, vt abeam prius ad ſepeliendum patrem meum.* Cui & dixit Dominus, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Sed & alteri cuipiam: *Sequere me:* Ille reſpondit; *Permitte mihi primum renunciare ijs qui in domo mea ſunt:* Huic, talia, Dominus; *nemo mittens manum ad aratrum & conuertens ſe ad ea quæ ſunt retro, aptus eſt regno cælorum.*

Luc. 14.

Inducit: *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Math. 16. Luc. 9.

Et, *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

De ſubiectione. Homilia CXIII.

Religioſa ſubiectionis initium eſt propria voluntate ſe exuere.

Qvisqvis propoſitum arripit religioſæ ſubiectioois; primùm omnium propria ſe exuat ac ſpoliet voluntate, & ſalutaribus documentis Saluatoris noſtri induatur, crucémque tollat ſuam, iuxta verbum Dominicum, poſtque eum incedat ac ſequatur. Qui in ſubiectione vitam inſtituit ſuā iam emortuas ſuas volūtates derelinquat cum præmortuis, & anteuertat ſiue occupet viuentem cum viuentibus. Qui cōuerſationem ſuam ſtudet in ſtatu ſubiectionis componere; ab iſtius temporariæ vitæ vix extricabilibus curis ſe mortificet & velut mortuus expediat: in eorum ſe referat album qui nullo digni ſuot ferendo de alijs ſuffragio; ſicque illi ad vitam æternam interior dabitur acceſſus.

συμπαξαται, lege ἀποταξαται.

Qui libera electione deſtinat rectà percurrere viam mandatorum Domini, & ad latitudinem vſque cordis occurrere atque illuſtrari, is ſit vt veſtis in fullonaria officina. Quemadmodum enim veſtis quælibet à fullone pertunditur, proteritur calcibus, eraditur & confricatur; deinde inalbeſcit & candicat niuis inſtar: ita & qui in ſubiectione cùm ſit, ſi perquam multis appetatur iniurijs: purgatur enim & fit velut argentum quod igne exploratur, natiuo ſuo prænitens ſplendore.

Mar. 10. Luc. 18.

Qui cupit ad perfectā ſubiectionem promoueri; is vtique deſerit cuncta quæ ad eius coolecutionē certò nouit nihil cōducere, quò ea apprehendere mereatur quæ ad illam conferunt, & fiat veridicus Chriſti diſcipulus, vt cum Petro auſit dicere: *ecce nos dimiſimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* A nubis igitur, fratres, voluntates ooſtras excutiamus; quæ nihil aliud quā repuot humi, viles & abiectæ: mandatum quoq; Saluatoris noſtri illud altiunlum (quipe quod in ſupernam vſque Ieruſalem nos rectà prouehit) obſeruemus. Dicit Dominus; *qui audit vos, me audit, qui autem me audit, audit eum qui me miſit.* Neceſſe itaque ſit eos qui ſe diſciplinæ ſubſtrauerunt, tanquam patres vt deament ſuos, ſi modo veri ſunt, doctores; & quaſi principes, timori eoſdem vt habeant ac vereantur; non etiam per amoris motum familiaritatem

Luc. 10. Doctores amandi vt patres, nec ſpernendi ob familiaritatem.

A illos aſpernentur, aut certè a rigore arrepto ſinant ſe reſolui & emolliri: ſcriptum enim eſt io Sapientia; *Qui honorat patrem, peccatis impetrat veniam.* Et: *qui timet Dominum, honorabit patrem ſuum, & quaſi Domino ſeruiet ei.*

Eccl. 3. Deut. 27. Deut. 5.

Iterum: *honora Patrem tuum, vt veniat ſuper te benedictio ab illo.* Rurſus: *In toto corde tuo glorifica patrem tuum.* Paulus: *obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete, ipſi enim vigilant pro animabus veſtris tanquam rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes; hoc enim non expedit vobis.*

Hebr. 13.

Iterum: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi a Deo, &c.*

Locum hunc, in exemplari corruptiſſimū reſtituimus ex ca. 13 ad Rom. mutuatum.

Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Rurſus: *Vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bona voluntate ſeruientes*

B *ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quia retributionem à Domino accipietis.* Ad Titum, *admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe & dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe & non contradicere.*

ἀντιλέγοντας Tit. 1.

Petrus: *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, quia ſic eſt voluntas Dei vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorātiam.*

1. Pet. 2. Ioan. 6.

Dominum autem. *deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me Patris.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

De obſeruatione mandati.

Homelia CXIIII.

C Mandati obſeruatio hominem rectà prouehit in illam fœliciſſimè vitæ regionem: coontrà; eiuſdem præuaricatio, letale vulnus affigit animæ: idque dicere liceat exactius, diuina nos erudiente Scriptura. Niſi enim ioitio ſtatim conditionis noſtræ, in paradiſo mandatū fuiſſemus tranſgreſſi; haud quaquam contigiſſet audire oos illud, *Terra es & in terram abibis:* neutiquam mundum hunc noſter ille aduerſarius tot retro annis ſæua tyrānide graſſabúdus oppreſſiſſet.

Gen. 3.

Nemo qui Dei maodatū contempſerit in rectitudinē vitam inſtituit ſuam. Saul Dei mandato male moriger, in mœrore vitam cum egiſſet; tēpore ipſi

1. Para. 10. 13. 1. Reg. 2.

præſcripto demū regno quoq; excidit. Filij Heli, Ophni & Phinees, cùm illis immorigeræ aures occaluiſſent ad

D vocem paternæ monitionis, nec paruiſſent dicto, arcam quidem Dei, in manus alienigenarum tradiderunt, ipſi autem vnà cum populo meritam mercedem retulerunt miſerrima morte perfuncti. Huiuſce enim vitandi mali gratia clamat Dominus per Ezechielem.

Ezech. 20.

Abijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, & facite mandata mea, dicit Dominus; & conuertimini a via veſtra quæ mala eſt.

Ezech. 18.

Et: *vt quid morimini domus Iſraël?* Lex quoque: *cuſtodiens cuſtodies mandata Domini Dei tui.*

Leuit. 22. Zacha. 3. e Leuit. 26.

Rurſus: *Viri ſancti eritis mihi: ſi in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, inambulabo inter vos, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, dicit Dominus.* Nos igitur ſi expleuerimus eius voluntatem, ſi ad tenorem mandatorum ipſius progrediemur, ſi quæ illi nouimus eſſe gratioſa & amabilia, ipſi etiam dile-

E xerimus, templum illi efficiemur. Qui enim erga Deum & proximum flagrat charitate, longè ſe ab omni proripiet peccato, ſique à Deo diligetur. Quod ſi deprehendemur contempſiſſe, vtique nouit meritas exigere pœnas de his, ſanctis ſuis qui minus obtemperant mandatis.

Nolimos (quæſo) aduerſum nos eum exaſperare, tam benignus cum ſit Deus noſter, qui aliud nihil quam viſcera miſericordiæ geſtitat; miſericors ſiquidem eſt, ſanctus, purus, impollutus, ab omni concretione materiæ alieniſſimus, ſolus, vnus, exorabilis, ſyncerus, ab omni dolo ſeiunctiſſimus, inraſcibilis, omni denique nomēclaturæ, quæ a nobis vel cogitari vel dici poteſt multò ſuperior ac ſublimior Deus noſter Ieſus Chriſtus.

Lætetur potiùs nobiſcum & hilareſcat, dum ipſi decore vitam inſtruimus, gaudio diffundatur, nobis ſynceriter viuentibus. Ab omni turbela interquieſcat, probè nobis ac pudicè degentibus; dapſili epulo à nobis excipiatur, qui ipſum deamamus, dum nobis pulchrè temperamus ab immoderatis edulijs ac ſobrij ſumus. Si igitur æſtuanti cum feruore, mandatorum ad Dei impletionem accingemur, organa ſenſuum omnium deinceps gratia Dei illuminâs in ipſo actu ſentiendi, noſtras quidem veluti comburet cogitationes; noſtra autem virtus, cor ipſum ita afficiet vt ſecum ratiocinetur & expendat ſpirituales animi conceptiones, non iam ſecundum carnem, in pacifica quadam amicitia & ab omni fuco aliena.

Prou. 19.

Scriptum enim eſt in Prouerbijs, *fili ne prætereſſiuas: cuſtodi autem conſilium meum & animi mei ſententiam, vt viuat anima tua & ambules confidens in pace per omnes vias tuas, Dominus enim aderit tibi in omnibus vijs tuis.* Iterum: *cuſtodi mandata, ne obliuiſcaris; noli deſpicere os meum, & ne declines à verbis oris mei, neque derelinquas mandatum hoc, & adiuuabit te; Fili verbis meis accommoda aurem & cuſtodi in corde tuo. Vita enim eſt inuenientibus ea, & omni cordi ſanitas.* Et in Eccleſiaſte: *qui cuſtodit mandatum, non cognoſcet verbum malum; qui cuſtodit mandatum, hic ſanus eſt.* Inducit: *beatus vir exaudiet me, & homo, qui vias meas cuſtiet.* Paulus Timotheo: *præcipio tibi coram Domino, vt ſerues mandatum ſine macula irreprehenſibile.* Idem Corinthijs: *laudo autem quod ſemper eſtis memores, & ſicut tradidi vobis traditiones tenetis.* Quin & hoc nos edocent diuinæ ſcripturæ omnes, non mandata Dei ſolùm nobis perpetuò obſeruari debere; ſed & patrum noſtrorum, doctorum ac præpoſitorum præcepta cuiuo omni cautione inuiolabiliter tenemur cuſtodire. Ait denique Dominus: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Rurſus: *ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Prou. 4.
Eccl. 8.
1. Tim. 6.
1. Cor. 11.
Patrum mãdata obſeruanda.
Ioan. 15.

De manſuetudine. HOMILIA CXV.

Hæc eadem habet S. Dionyſ. Areop. Epiſt. 8. ad Demophilum monachum de benignitate.

MANSVETVDO obſequenti famulatu gratiam emeretur diuinam. Moſes etenim Domini famulus promeruit dici, quòd cæteros omnes eximia manſuetudine antecederetur; atque hinc Dei viſione, ſupra cunctos Prophetas dignus habitus eſt: Ait enim; *At non talis ſicut famulus meus Moyſes, ore ad os loquor ei.* Quin & quidam temerarij vehementer ac improbi, cùm aduerſus eum atque Aaronem contentioſiùs conarentur pro ſummo ſacerdotio & gentis Iudaïcæ principatu; omni prorſus ambitione aut affectu imperij in gentem tenendi ſe declarauit ſuperiorem; nihilque cunctatus populi præfecturam, Dei cedebat iudicio. Rurſus quando aduerſus eum congregati ſunt, quódque primas occupaſſet, cum probro & contumelia obijcientes, interminabantur, & iam in eum propè inſilierant; tanta cùm vrgeretur neceſſitate, exerta voce clamauit manſuetiſſimus ad benignum Dominum, ſibi vt eſſet ad ſalutem. Sed & Deum propitium illis reddebat, dicens: *ſiquidem dimittis illis peccatum, dimitte, ſin autem & me deleto de libro quem ſcripſiſti.* Manſuetiſſimus quoque Dauid appetitus ex inſidijs à filio Abſalone, qui & propalàm patris mulieres nefarium admiſit ſcelus, dum modis omnibus patrem ad mortem venatur: verè (inquam) manſuetus Dauid iuſtus, nec vllius memor acceptæ iniuriæ; pro parricida luctuoſas effundebat lachrymas. Nec ſecus, cùm Semei maledictis & execrationibus ipſum inceſſeret & appeteret crebro iactu lapidum; adeo nihil aduerſus illum concepit iræ, vt etiam ſeruis ſuis in illius improbi necem ſtridore quodam geſtientibus, dixerit; *ſinite eum maledicere Dauid.* Decorè igitur & commodè is dicebat; *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.*

Moyſes, omni ambitione ſuperior.
Num. 11. 12. & 16.
Num. 14.
2. Reg. 14.
2. Reg. 18. 19.
2. Reg. 16.
Pſalm. 131.

Abundè quidem exemplorum nobis inductum ſit in eorum gratiam, qui virorum iſtorum planè admirabiliũ conſtanti prudentia permoti, imitari cupiunt manſuetudinem atque clementiam, vt cum illis olim audiant; *beati mites, quoniam ipſi* hæreditate *poſſidebunt terram manſuetis repoſitam.* Sanè, quæ ſecundùm Deum eſt manſuetudo; Deo ipſi gratioſa eſt & perquàm amabilis. Ait enim; *Ad quem reſpiciam niſi ad humilem & manſuetum & quietum, ac trementem ſermones meos?* Iucunda ſanè quàm eſt pacifici ſtatus contemplatio. Conſtratis etenim maris fluctibus, delphines prono in æquor capite deſilientes vrinantur & adnant. Ordo tranquilla in pace ſi eſt; ſermones abundè effunduntur, decori admodùm & modeſti. Ait autem & Iacobus, *Abijcientes omnem immunditiam, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Hymnorum regius concentor Dauid: *ſuſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores vſque ad terram.* Et, *Docebit mites vias ſuas.* Alius: *Populum humilem ſaluum faciet Dominus, oculos autem ſuperborum humiliabit.* Sed & benignus ipſe Dominus noſter: *tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris; Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus leue eſt.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

Matth. 5.
Iſa. 66.
Vide Ariſt. 9. de hiſt. animalium: Ælianum etiam & Plinium, lib. 9. c. 8.
Iac. 1.
Pſal. 146.
Pſalm. 24.
Pſalm. 17.
Matth. 11.

Iniuriam ferto patienter, ac nemini interim ſis iniurius.

HOMILIA. CXVI.

NE quid iniuriæ cuipiam inferas, lex præſcribit vetus: & noua hortatur, illata vt feras æquanimiter; nec ſolùm, ſed & cum vt excipias cum gratiarum actione. Imò verius; is qui legis eſt conſummator, ad perfectionem atque adoptionem io filios, prouehit hominem, dicens: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Neceſſe igitur ſit, vt qui ardentibus votis cupis, obtenta victoriæ laurea, palmarem ex hoſte referre coronam; non ſolùm vt contumelias iniuriáſque generoſè perferas, ſed & vt optes etiam atrociora accipere, quàm is irrogare velit; ac liberalitatis exuberantia ſupergredi limites improbandæ concupiſcentiæ raptoris illius. Qui Chriſti vult eſſe diſcipulus; ſui documenta Doctoris, opere efficaci exprimet; qui *cum malediceretur* (teſte Petro) *non remaledicebat, cùm pateretur, non cõminabatur.* Alioqui iure is promerebitur audire: *quid me dicitis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Qui nõ fucatè Domini eſt diſcipulus; exerceri vult tolerantia iniuriarum, nõ item in alios eſſe iniurius, pérque humilitatem vincere in ſe iniurios: Aduerſus impotentem illorum iram, mãſuetudine vtetur. Aduerſus talium magniloquã oſtentationem; modeſtus erit, nihil ſibi magnificè arrogans. Contra efferatam & agreſtem ferociam, placidus ac lenis; adeò vt nulla in te illis aſſimilis poſſit videri. Talis pro viribus contendet irrogatas iniurias, æquo animo vt ferat potiùs quã vt in quépiam ſit iniurius. Itaq; iuxta ſententiã ſuperiorem, præſtiterit, taliũ violentam impreſſionem excipere patientia; próque talibus effundere preces, vt per pœnitentiam ad Dominum ſe recipiant, non item vt pereant retaliatione acceptæ iniuriæ, dum cum eis expoſtulamus ob ea quæ per immoderatam cupiditatem extorſerunt à nobis. Planè ea eſt Dei voluntas vt lucremur ipſum rei noſtræ occupatorem; nõ rem fraude occupatam. Etenim qui ſic hominum malignitate afficitur, vita peccata, ſed & in tribulatione nihil diſparé nanciſcitur Domino ſuccurrente defenſionem. Qui particeps efficitur ſanctæ cognitionis, pluſque mellcam Dei guſtauit dulcedinem; non debet is aliquando de quoquam ſententiã ferre aut actionem intendere vlli hominum, tametſi toga aut pallio ſpolietur. Quàm enim immane eſt diſcrimen, quo inter ſeſe diſſidẽt & Dei & ſeculi iſtius alũni? Mandat lex: *non facies iniuriã proximo tuo.* Et, *non dormiet merces mercenarij apud te: non maledices ſurdo, & coram cæco non pones offendiculum.*

Luc. 6.
1. Petr. 2.
Luc. 6.
Proximus nõ iudicandus, nec cum eo litigandum.
Exod. 20.
Leuit. 19.
Leuit. 19.

Patœ-

Prou. 22. Parœmiaſtes: *non facias violentiam pauperi.* (*Pauper enim eſt*) *neque in honores infirmum in portis; Dominus enim iudicabit iudicium.* Et hæc quidem vetus illa lex, vt quæ imperfecta erat; cum nondum adultis & puſionibus ad eum modum texebat ſermones: Chriſti autem lex perfecta cùm ſit; perfectis iam & qui participes facti ſunt ſolidi cibi, ſua præſcribit mandata. Ait enim Dominus; *Orate pro calumniantibus vos & perſequentibus.* *Matth. 5.* Hoc explenerunt præceptum initio fidei coruſcantis illi germanè Chriſti diſcipuli, Stephanus & Iacobus. *Act. 7.* Ille quidem creberrimo lapidum iactu adobrutus; hic verò, præcipitio, traditus neci; vterque pro ſuis interfectoribus preces fudit. *Vide Euſebium, c. 9 li. 2. Eccl. Hiſt.* De Iacobo enim Ioannis fratre memoriæ proditum eſt, quod is cuius delatione fuerat denunciatus, cum vidiſſet Iacobum rapi ad mortem; ductus pœnitentia, pedibus procidit beati, dicens: Indulge mihi. Beatus verò aliquantum morulæ reſtitans, reſpõdit; Pax tibi: hoc dicto, in illius amplexus ruit & oſcula: Ait ille voce exerta Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, eique adnumeratus eſt, quẽ incuſarat, & brauium cum illo aſſecutus ſupernæ vocationis. *ποιον χλίος, alij χάρις gratia.* *1. Pet 2.* Ait autem & Petrus: *Quæ enim gloria ſi peccatis, & colaphizati ſuffertis? ſed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum; vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ſuppudeſcant qui calumniantur veſtram in Chriſto ſanctam conuerſationem.* Inducit: *nouit enim Dominus pios de tentatione eripere, iniquos autem in diem iudicij cruciandos ſeruare.* *2. Petr. 2.* Dauid: *qui facit iudicium iniuriam patientibus, qui dat eſcam eſurientibus.* *Pſalm. 45.* Propter hoc & ego *iniquitatem odio habui, legem autem dilexi.* Iam quando mandatum tuum eſt, vt illatam iniuriam fortiter ferens, nemini ſim iniurius, iſti reddiderunt mala pro bonis, *Pſal. 118.* *Ego autem orabam, Deus meus eripe me de manu contra legem agentis & iniqui.* *Pſalm. 32. Pſalm. 70.* Paulus item: *Vt quid non magis iniuriam patimini? ſed vos facitis iniuriã & fraudatis et hoc fratribus! An non ſcitis quia iniqui regnum Dei non conſequentur?* *1. Cor. 6.* Alio item loco: *Rememoramini priſtinos dies in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum; in altero quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti.* *Hebr. 10.* Dicit autem & Dominus: *ſi quis angariauerit te miliare vnum, vade cum eo & duo; & ei qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium tuum; ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & aliam: beati* enim *eritis cum oderint vos homines & ſeparauerint propter Filium hominis; gaudete, quia merces veſtra multa eſt in cœlis.* *Matth. 5.* Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

De gratiarum actione.

HOMILIA CXVII.

SIVE ipſi conſolamur, ſiue affligat nos quæpiam tribulatio, & quocunq; in ſtatu conſiſtimus; iuxta Apoſtolicã ſententiam, gratiarum actionem debemus exſoluere. Dominus enim animarum noſtrarum curator prouidentiſſimus; perinde atq; vnus aliquis medicæ rei experientiſſimus, noſtro omniũ vſui conſulens tribulationes infligit, & acrimoniã aſperitatẽmq; vrentis cauterij aduerſus coaleſcẽtem morbũ admouet, integer vt ſit homo & incolumis. *Filiorum caſtigatio paterna.* Et tanquam Pater in liberos pientiſſimus, ſi quando perpẽderit ſuum ipſius filium quippiam deſignare indecori caſtigat illum. Quòd ſi perſpexerit neglectim admittere correptionem, aut implacidè ferre; obſecrat & hortatur ita nobiſcum agit benignus noſter Dominus ac pater: quæ nouit noſtræ profutura ſaluti, inuehit omnia; ſiue conſolatione opus eſt aut certè aſperitate correptionis. vt qui tam amanter erudit filios. Tribulationibus igitur attriti tanquam genuini ac legitimi, non item vt ſpurij; tantò ampliorem debemus rependere gratiarum actionem. Si Chriſtus ſuapte ſubſtantia Dominus eſt noſter, ſi idem & Dominus eſt diſpenſatione aſſumptæ carnis, (Ipſe enim, nos, cùm non eſſemus, condidit; conditos, ſed peccati tyrãnide mortuos, proprio redemit ſanguine) nos inutiles ſerui; quam illi reſoluere dignam poſſumus gratiarum actionem? Quòd ſi tum gratias rependimus, tantiſper dum commodè habemus, fœlici rerum lætiſſimè cadentium ſucceſſu; nihilo deprehendimur ingratis illis Iudæis diſſimiles: qui, cùm Domino ſuſpicienda miracula edente, in eremo veſcerentur panibus, dicebant: hic *eſt verè Propheta:* cúmque propè arreptum regem erant facturi. *Ioh. 6.* At vbi iſtis tam malè gratis dicebat; *operamini non cibum qui perit, ſed qui manet in vitam æternam,* ſubiunxere: *quod ſignum oſtendis nobis? Patres noſtri comederunt manna in deſerto!* Sic enim meritò in nos appoſitè detorquebitur illud; *confitebitur tibi cùm benefeceris ei?* Qui planè talis comperietur: *vſque in ſæculum non videbit lumen.* *Pſalm. 48.* Ne (quæſo) tam auerſè gratos repræſentemus morum ſimilitudine; magis autem diſcipuli gratiæ qui ſumus, ſimus per continentem actionem gratiarum illis exemplo; vt in nobis contemplati lumen ſplendeſcere piæ gratitudinis, queant à denſiſſima caligine ingratitudinis qua obuallantur, emergere.

Illud enim Pauli, *In omnibus grati eſtote:* in genere, vim obtinet præcepti; ſiue quis animi iucunditate perfruitur, ſiue tribulatione, ſiue nubilo tegitur triſtitiæ affligatur anxius, aut certè diffunditur gaudio; debet nihilominus agere gratiarum actionem æqualis nihil obſcurè fuit eximius ille Iob. *Coloſſ. 3.* Is enim perditis ſemel omnibus, domo inſuper decem contignationibus faſtigioſa adæquata ſolo, ſed & filijs (interim dum geniali epulo inuitant ſe & indulgent) ruina oppreſſis: quam Domino pro his rependit gratiarum actionem? *Pro δυσχέροσον arbitror legendum, δυσχέρεγον.* Nimirum accepto hoc nuncio, dicebat; *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita & factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* *Iob. 1.* Nec catenus ſolùm perſpicuum ſpecimen edidit ſuæ in Deum gratitudinis; ſed & in ſterquilinio ſedens, in vermium erumpentium ſanioſa conſiſtens putredine, ſimul atque conuiuam vxorem audiuit obijciẽtem illud; *dic verbum aduerſus Dominum & morere:* os impudenti obturauit, dicens: *quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quidni ſuſtineamus?* *Iob. 2.* Hoc inſigni argumento internoſcitur qui nihil fucatè gratus eſt; dum inter medias deprehenſus calamitates, toto pectore gratias agit Domino. Contrà; cognoſcibile iudiciũ viri malè gratis dum angitur quapiam tribulatione, ſi eſt querulus, ſi murmure interſtrepit, ſi diſcruciatur ob hoc miſerè, ſi tuetur cauſam ſuam & excuſat innocentiam, & ſi qua his ſimilia. *Ingratitudinis in Deum ſigna.* Dauid item ſanè quàm aduerſitatis tolerans, dúmque affligeretur in latitudine cordis permanens; vt primùm mortem intellexit pueruli, è terra erexit ſe & ſupplex adorauit Dominum. Is nonnunquam dicebat; *Quis ſum ego Domine mi, mi Domine quis in tantum me dilexiſti?* *2. Reg. 5.* Rurſus hymnos cantu melico perſonans, dicebat: *Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi, eripiens inopem de manu fortiorum eius?* *Pſalm. 34. Pſalm. 70.* Iterum: *quæ feciſti* mihi Deus *magnalia, quis ſimilis tibi? quia tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate deduxiſti me & cum gloria ſuſcepiſti me.* Propter hoc, *exaltabo te Deus meus rex & confitebor nomini tuo in ſæculum, quia exaudiſti me & factus es mihi in ſalutem:* *Pſalm. 144.* *Ex omni* enim *tribulatione eripuiſti me: memor fui tui, Domine, & delectatus ſum.* Et: *Benedictus eſt Deus qui non amouit orationem meam & miſericordiam ſuam à me.* *Pſalm. 65.* Sed & Eſaïas: *benedicam te Domine, quoniam iratus es mihi, & miſertus es mei.* *Iſa. 12.* Zacharias: *ſi quid bonum, eius, & ſi quid pulchrum ab eo.* *Zach. 9.*

Paulus quoque ait: *Omne quodcúnque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* *Epheſ. 5. 1. Theſſ. 5.* Iterum: Quam enim gratiarum actionem poſſumus reddere pro vobis? *Rom. 8.* Nos itaque Deo & Patri perpetem & indiuulſam gratiarum actionem rependamus, qui ne vnigenito quidem filio ſuo pepercit ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Gratias inſuper agamus Chriſto Deo, quia nos tanti æſtimauit quos proprio ſanguine redimeret de maledicto legis

factus ipſe noſtri cauſa maledictum. Ecquam laudem,
quámve gratiarum actionem ipſi poſſimus exſoluere A
pro omnibus bonis quæ nobis humilibus opulenter cō-
tulit? Gratias denique agamus ſancto Spiritu qui in le-
ge, in Prophetis, in nouo item locutus eſt teſtamento,
qui mentes noſtras priùs quidem denſa caligine igno-
rationis tectas illuſtrare dignatus eſt ad cognitionem
operationémque ſuorum ipſius mandatorum, qui os
noſtrum adaperuit ad confeſſionem & gratiarum actio-
nem bonitatis ipſius. Ait inſuper Euangeliſta, In illo
tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater
Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapienti-
bus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater
Matth. 11. quia ſic fuit placitum ante te. Ipſi gloria in ſecula,
Amen.

De lætitia & delectatione in Deo. B

Homelia CXVIII.

Horum eſt oblectatio lætitiáque illa ce-
lebris, qui erga Deum charitatem perfe-
ctam indepti iam ſunt. Nam quotquot
Signa delectationis diuinæ. præſentia perfruuntur Spiritusſancti, in
ipſo iucundantur & exhilareſcunt: qui
nimirum Apoſtolorum ſunt aſſectatores,
Prophetarum & Martyrum, qui in monaſtica diſciplina
exercent ſe; qui perſecutiones, afflictiones, tormenta
ducunt animi eſſe integram iucunditatem, & quæ mun-
di ſunt omnia ad ſuaues illecebras prolicentia, loco ha- C
buerunt vilium ſtercorum, vt Chriſtum lucrifacerent.
Ignis, beſtiæ, gladij, fames, præcipitia, & quæ ſuperſunt
cætera, tales oblectant, dum toti in Deum flagrant cha-
Iſa. 35. ritate, conteſtante Eſaia, Erunt redempti & congrega-
ti per Dominum, lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.
Iſa. 65. Omnis videns eos, cognoſcet illos, quia iſti ſunt ſemen
benedictum à Deo, & lætabuntur ſuper Dominum.
Rurſus, Ecce qui ſeruiunt mihi, comedent, bibent, & læ-
tabuntur, & exultabunt in lætitia. Sophonias, Inducet
Soph. 3. ſuper te lætitiam in dilectione ſua.
Naum. 1. Naum, celebra Iudæa feſtiuitates tuas redde Domino
vota tua, quia aſcendit inſufflans in faciem tuam. Do-
Ioan. 20. minus item ait diſcipulis: *Accipite Spiritum ſanctum.* Da-
Pſalm. 9. uid, Lætabor & exultabo in te. Hæc enim dies quam fe- D
Pſalm. 117. cit Dominus, exultemus & lætemur in ea, nempe reſur-
Pſalm. 85. rectio Chriſti. Et, Lætifica animam Domine ſerui tui,
Pſalm. 34. quia ad te leuaui animam meam. Et, Anima mea exul-
tabit in Domino, delectabitur ſuper ſalutari ſuo: Ete-
nim lætatum eſt cor meum & exultauit lingua mea, quia
replebis me iucunditate cum vultu tuo: Iucunditate
enim tali adimpletur quiſque per charitatem erga Deum,
Lætitia iuſtorum charitas. Lætitia enim iuſtorum, ipſa eſt erga Deum charitas. Ta-
Pſal. 49. 99. lis denique alios etiam eo adhortatur dicens. Venite,
Pſalm. 36. exultemus Domino. Et, Seruite Domino in lætitia. Et,
Prou. 24. Delectare in Domino: hoc eſt, fruere dulcedine eius,
Pſalm. 36. Dicit enim Scriptura, Comede fili fauum, vt edulcetur
Ioan. 14. guttur tuum, & dabit tibi petitiones cordis tui. Diſci-
Pſalm. 96. 63. pulis enim dixit Dominus, Si diligitis me & mandata E
Pſalm. 149. mea ſeruaueritis, quodcunque volueritis, petetis à Pa-
Ibid. tre meo & dabit vobis in nomine meo. Iterum, Lætetur
Pſalm. 26. cor quærentium Dominum. Et, Lætamini iuſti in Do-
Iſa. 62. mino. Et, Lætabitur iuſtus in Domino. Et, Lætetur Iſ-
Pſalm. 2. rael in eo qui fecit eum, & filij Sion exultauerunt in Re-
ge ſuo. Habitatio enim in te quaſi lætantium omnium.
Alius item, His qui ſeruiunt mihi vocabitur nomen no-
uum, quod benedictum erit ſuper terram. Quotquot
enim ſeruiunt ei in timore, & exultant in tremore, hi
ſunt filij Dei viuentis. Parœmiaſtes proinde ait, In læti-
Eccl. 7. tijs non admiſcetur triſtitia. A choro enim iuſtorum fu-
Prou. 15. git dolor & triſtitia & gemitus. Et, In die bonitatis viue
in bono. Iterum, Oculus videns bona delectat cor.
Matth. 6. Corde autem exhilarato facies reuireſcit. Ait enim Do-
Luc. 1. minus, Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuū
Eccl. 26.

lucidum erit: fama autem bona impinguat oſſa, quem- Philip. 2.
A admodum & anima Pauli, cum dicebat, Gaudeo & cō- Prou. 15. 17.
gaudeo omnibus vobis. Et, Cor gaudens bene valere fa- Philip. 4.
cit. Apoſtolus, Gaudete in Domino, iterum dico gau-
dete. Sed & in Euangelio ait filio Pater, Lætari autem & Luc. 15.
gaudere oportebat, quia filius meus hic mortuus erat,
& reuixit, perierat, & inuentus eſt. Ipſi gloria in ſecula,
Amen.

Anxiam & intempeſtiuam ſolicitudinem eſſe vitandum.

Homelia CXIX.

Cura illa nimiſquàm anxia de his quæ
temporariæ iſtius vitæ cernunt vſum,
B hominis eſt planè infidi & puſillani-
mis. Neq; enim ſic ſoliciti in eum iam
inclinamus in dubia ſpe, (cui de nobis
prouida eſt cura) Deum nempe noſtrū
ſed in nos ipſos reclinamus ſpem, de nobiſipſis tantope-
re ſoliciti. Si enim viſibilium curam bonorum quæ no-
bis benignè benignus impartit, non permittimus eius fi-
dei, quo pacto de inuiſibilibus, (quæ alioqui ſe certò
nobis promiſit daturum) fidem illi commodabimus?
Non hic conſentaneus eſt ordo bona obtinendi, magis
autem quæramus ipſius regnum, & hæc omnia adijcien-
tur nobis, iuxta eiuſdem verbum. Tantò ſanè præſtite- Matth. 6.
rit, inque rem noſtram cedet fœlicius, ſi his, quæ noſtra
neutiquam ſunt contemptim tranſmiſſis, quæ propriè
C noſtra ſunt, tota alacritate expetemus, nempe incorru-
ptionem & immortalitatem. Incorrupti enim vbi iam
& immortales fuerimus per puriſſimam ſpeculationem,
conſpicua expleti Dei apparitione, quaquauerſum illu-
ſtrante nos & circunfundente radiantiſſimis illis ſplen- Matth. 17.
doribus, vt olim diſcipulos in auguſtiſſima illa Chriſti Mar. 9.
transfiguratione, participes autem intellectilis ipſius in
nos effuſæ lucis, conſortes quoque vnionis intellectum
longè exuperantis, in illis conſtituti tralucidum cognitis
ac beatis eiaculationibus ſine vibramentis prænitentium
radiorum, in diuiniore, cœleſtium mentium fœlici imi-
tatione. Tunc enim vt diuinum aſſeruit verbum, Ange-
lis æquales erimus & filij Dei reſurrectionis, inquam,
erimus filij.
D Eleganter ſanè concionatur Eccleſiaſtes, dulcis ſom- Matth. 10.
nus ſerui, ſi parum & ſi multum comedet. Inducit: *Eſt* Luc. 10.
infirmitas quam vidi ſub Sole: diuitias conſeruantem & hac ſuo Eccl. 5.
labore in malum ſibi, & peribunt diuitiæ illæ in occupatione ma-
la; & certè omnes dies eius in tenebris & luctu & indignatione
multa & infirmitate, & labor eius in ventum tranſuolabit, quē-
admodum enim aduenit nudus, ſic & abibit; ſubinde verò pote-
ſtatem non dabit illi Deus vt comedat de labore ſuo, ſed vel extra-
neus comedet illius diuitias; Propter quod pauper noui pergere Iac. 4.
obuiam vitæ. Alius item: *ne ſolicitus ſis de craſtino, non enim* Prou. 17.
ſcis quid craſtina pariet dies. Iterum: *noli gloriari in craſtinum,* ὁδὸς, re-
neque enim ſcis quid tibi occurret, tranſibit enim vita noſtra tan- ctius, πάροδος tran-
quam veſtigia nubis. Vmbra enim vita, tempus noſtrum, & non ſitus.
eſt reuerſio finis hominis. Dauid quoque; *Iacta ſuper Domi-* Pſalm. 54.
E *num curam tuam & ipſe te enutriet, non enim vidi iuſtum dere-* Pſalm. 36.
lictum, nec ſemen eius quærens panes, non confundentur in tempo- θήραν, alij
re malo, ſed in diebus famis ſaturabuntur. Venationem enim χήραν, vt
benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus. Petrus Aldin. i. e.
item: *omnem ſolicitudinem veſtram proijcite in eum, quia ipſi* viduam. Edi-
cura erit de vobis. Nec aliter Paulus; *Dominus propè eſt, nihil* tio vulgata
ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione petitiones ve- habet,
ſtræ cum gratiarum actione innoteſcant apud Deum. Rurſus: χήραν,
Potens autem eſt Deus omnem gratiam ſuperabundare facere in viduam.
vobis, vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes abundetis in Pſalm. 131.
omne opus bonum, Dominus item: *nolite ſoliciti eſſe animæ* 2. Cor. 9.
veſtræ quid manducetis aut quid bibatis, neque corpori veſtro, quo Matth. 6.
induamini, ſcit enim Pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indi- Luc. 12.
getis, quærite autem primum regnum cœlorum, & hæc omnia adij-
cientur vobis. Ipſi gloria in ſecula, Amen.

De primitijs

Digitized by Google

De primitiis.

A

Homilia CXX.

Qvantvm attinet ad primitias; his exoluendis modis omnibus obſtringimur ex his etiamnum quæ ſunt proprio quæſita labore ex corporis viribus, quas benignè ipſe ſuppeditat Dominus, quaſque ſua ſolius prouidentia ſuggerit, dum noſtri prouidam agit curam; iuxta Scripturæ tenorem dicentis: *Honora Dominum de tuis iuſtis laboribus, & primitias offer ei de tuis fructibus iuſtitiæ, vt impleãtur horrea tua* frumento. Lex quoque: *non apparebis vacuus in conſpectu meo.* Et: *Primitias fructuum tuorum inferes Domino Deo tuo.* Et: *ne ſis incredulus ei, nomen enim tuum in illo eſt: Primitias areæ & torcularis non tardabis reddere, donum primitiarum offeret hoc Domino.* Et: *Offeres ſacrificium primitiuorum tuorum.* Et, *Placationis hoſtiam offeret ſacerdos pro peccato ſuo, & auferetur ab eo.* Rurſus: *& obtulerunt principes dona ſua ante altare.* Ezechiel: *Omnis populus dabit primitias ei quo præſidet.* Propter hoc Tobias dicebat: *Primitias fœtuum meorum dabam ſacerdotibus ante altare.* Alius: *non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Hæc enim omnia propter mandatum da altiſſimo, iuxta datum ipſius; & multipliciter retribuet tibi. In bono oculo glorifica Deum, & ne imminuas decimas manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, quia oblatio iuſti impinguat altare. Sed & præcepti iſtius obſeruans Dauid; *Introibo in domũ tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Holocauſta medullata offeram tibi cũ incenſo & arietibus, offeram tibi boues cum hircis.* Idẽ hortatorio ſermone alios ſubmonẽs: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietũ: Tollite hoſtias & introite in atria eius.* Et: *Vouete & reddite Domino Deo noſtro omnes qui in circuitu eius afferẽt munera,* hoc eſt, qui propius adeunt illũ. Apoſtolus, *vt ſim miniſter Jeſu Chriſti in gentes adminiſtrans Euangelium Dei, Vt fiat oblatio gentium acceptabilis ſanctificata in Spiritu ſancto.* Itaque ceu dixi: homo omnis primitias ac decimas offerre debet Domino Deo: nec vllus eſt qui prætexere poſſit ac tueri ſe velamine paupertatis. Nemo enim vidua illa pauperior vſpiam inuenitur, quæ duo minuta obtulit: cæteris alioqui omnibus ampliorem retulit gratiam. Præcipuè autem monachi offerre Deo debent primitias & decimas: nec eas modò, quæ in conſpicuo ſunt ac propalam videntur; hoc eſt, ex iis quæ aliorũ munere ipſis diſtribuuntur, aut ex opere manuum teſſiunt commoda: ſed & ſpirituales hoſtias, aut quarum oblatione gaudet tantò præ illis Deus. Offer totum te Deo in holocauſtum per aram confeſſionis & lachrymarũ; id quod ſubindicat illud, *Boues cum hircis.* Comite quidem oratione, ſed quæ ſyncera ſit, & hæc euaporatio eſt fragrãtis incenſi. Offer ei pectoris tui partem intimam; illam nimirum quæ ſuapte natura eſt ad iracundiã procliuior. Offer duos renes; temperantiam videlicet: Caput item cum pedibus; mentem nempe, animæ portionem primiceriam vnà cum operationibus viæ, ſiue conuerſationis rectà ad vitam prouehentis: omnem offer animi conceptionem, da illi opera omnia, & motum corporis atque contemplationem Deo conſecrandam tranſſcribe corde contrito. Teipſum ſi ſic in holocauſtoma obtuleris Deo; lepram animæ tox preſſiùs adhæreſcentem; obſcœnas nimitùm paſſiones expurgabit: efficiere autem tu altare; imò templum Spiritus Sancti. Audies dici tibi: *Vade, oſtende teipſum ſacerdoti qui Chriſtus eſt; & offer munus quod præcepit Moyſes*, ei qui in ſpiritu Iudæus eſt: *in teſtimonium* eius adoptionis quam aſſecutus es. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

Primitiæ etiã ex opere manuali perſoluendæ.
Deut. 12.
ἐκ σῶν καρπῶν.
Exod. 23.
Leuit. 2.
Deut. 18.
Ezech 44.
1. Zach 45.
ἀφορισμάτων.
Tob. 1.
Exod. 23. 34.
Pſal. 5.
Pſal. 28.
Pſal. 93.
Pſal. 75.
Rom. 1.
1. Theſ. 5.
Luc. 21.
Monachi præcipue debẽt Decimas Deo, etiam ex eleemoſinis.
ἐξομολογήσεως δὲ καὶ δακρύων ... (Greek marginal note, partly illegible)
Leuit. 13.

De propitiatione aut placatione:

Homilia CXXI.

Necesse ſit, vt pro ſuis primùm peccatis Deum flectat & repropiciet ſacerdos, atque vtinam ſic: deinde pro populi, iuxta Domini mandatum dicentis, *munda prius quod intus eſt calicis, & tunc quod deforis.* Qui enim poſſit vnus aliquis irato aduerſum ſe Deo ac malè propitio pro populi exorare peccatis? Offer holocauſtoma tuum, & populo conciliabis placabile numen. Liquet, quòd ſi is primum ſuas eluat ſordes; vtique & domeſticos expurgabit. Tunc deinceps (ait Scriptura) eleuatis Aaron manibus benedicet populo. Ezechiel proinde ad hunc locutus eſt modum de ſacerdote, *Vinum non bibet ſacerdos, quando ingredietur atrium interius.* Apoſtolus item ait: *Quemadmodum pontifex primo pro peccatis propriis hoſtiam offert; deinde pro populo.* Dicit enim; *Lex conſtituit pontifices infirmitatem habentes.* Rurſus: *Omnis enim pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Vt igitur dictum mihi ſuperius eſt: neceſſe ſit eum qui ad id muneris Deo vocante adſciſcitur, offerre dona & ſacrificia pro populo: priùs tamen debet is ſuam ipſius animam; corpus item expiare ab omni fæce inueteratæ hominis; vtinam pro aliis quoque auſit, nihil diſpari legatione perſunctus, deprecationes offerre Deo, ac imitetur eximium illũ pontificem Zachariam præcurſoris patrem. De hoc enim conteſtatur Scriptura, quia erat iuſtus incedens in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela; Factum eſt cum ſacerdotio fungeretur ingreſſus eſt in templũ vt incenſum poneret, & erat omnis multitudo expectans eum foris, tempore incenſi. Apparuit autem illi angelus Domini ſtans à dextris altaris, & dixit, ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudium & exultatio; erit enim magnus coram Deo. Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

Math. 23.
B
Ezech. 44.
Heb. 5.
Heb. 7.
C
Luc. 1.
προσεύχεσθαι vulgata editio legit, orant. Auguſtinus tamen ab altera illa lectione videtur non abhorrere quæſtionum Euangelic. li. 2. ca. 5.

D

De dignitate & functione Pontificis.

Homilia CXXII.

Pontificia dignitas, iuxta veterum traditionem, prærogatiua ordinis ambit & complectitur ſacrarum rerum functionem omnem, cùm præeminẽtia ordinis qua omnibus præpollet, habeat cæteros qui ad Dei cultum intermedij ſunt, conſecrare, & primarias illas quæ ab ipſo Deo cœlitus inſpirantur, viſiones interpretari. Sanè oportet pontificem virum eſſe præter alios afflatum fauore numinis: imò diuinum, totiúſque ſacrationis ſcientiæ & cogitationis perquam plenum, quemadmodum Paulus ſuo per epiſtolam ſcribit Timotheo: *Oportet epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non violentum, non percuſſorem, non litigioſum, non cupidum.* Nec ſecus Titum admonet, *Oportet epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, hoſpitalem, iuſtum, cõtinentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt redarguere.* Epheſios inſuper his verbis cohortatur: *Attendite vobiſmetipſis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopus paſcere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit proprio ſanguine.*
Meſſis námque *multa, operarij verò pauci*; hiſce nimitùm temporibus noſtris, quando fames inualuit audiendi verbum Domini: eòque oremus Dominum meſſis, vt

E
1. Timo. 3.
Tit. 1.
Act. 20.
Math. 9.
Fames audiẽdi verbum Dei.
Marc 8.

emittat operationis in meſſem ſuam; operarios ſanè tales qui verbum veritatis diſpertiantur rectè, & tractent: A qui nullo deterreantur probro, irreprehenſibiles, operarios integræ & incolumis fidei, luminaria orbis terrarum; qui operentur cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Operarios planè tales, cuiuſmodi Apoſtoli fuere; illis aſſimiles, quibus dicebatur: *nunquid non vos opus meum eritis in Domino?* Cooperarios Domini in Euangelium, qui operentur hominum ſalutem. *Non* enim *vult Deus mortem peccatoris, magis autem vt conuertatur & viuat*: eóque dicebat Ezechieli, *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domus Iſrael, audies ex me verbum & interminaberis eis dicente me, iniquo; morte morieris: ſi non prohibueris eum, ſanguinem de manu tua requiram: quòd ſi conteſtatus fueris eum, & non auerſus fuerit ab iniquitate ſua; in peccato ſuo morietur, & tu animam tuam liberabis.* Et: *iuſtus* B *ſi auerterit ſe à iuſtitia ſua dereliquerit, ipſe in peccato ſuo morietur; non erunt in memoria iuſtitiæ eius quas fecit; & ſanguinem de manu tua requiram, quia non prohibuiſti eum*: &, *tu ſi prohibueris iuſtum ne peccet, vita viuet, & tu animam tuam liberabis.* Inducit: *viuo ego, dicit Dominus; quia nolo mortem peccatoris, magis autem vt conuertatur & viuat.* ecquid ait Dominus Petro? *quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Vis verbi iſtius, quàm operatoria ſit, quamque efficax; expende. Non dixit: *quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata in cœlis.* vide (inquam) ſolerter, vt dum quempiam cenſura excommunicationis cogeris ferire, dum arces templi aditu, dum gradu deijciis; habeas rem hanc horrori, quippe qui Deum ipſum inuoces ſententiæ tali tuæ ſuffragâneum; quaſi qui dum hæc facis, conteſtere eadem ſancita eſſe & in cœlis. Ait in- C terim inhorreſcit totus qui eliminatur templi aditu, aut gradu deturbatur; vt qui intelligat excludi ſe regno cœlorum. Vide (rurſus dixerim) ô ſacerdos, quid agas. Quæ enim deorſum vinculo innectis oris tui; certo tibi perſuade, eadem ſanciri ſurſum, & comprobari: non enim vinculum eiuſmodi impune it: ſi quidem iniuſtè quempiam ligaueris. In conſiſtorio enim illo angelorum exactiſſimè rationem repoſiturus es, ne quem vinculo implicueris, ita aut vitioſa vlla affectione incandeſcens. Non item quaſi teipſum vlciſcens: quin potiùs quaſi pro tuenda virtute decertans. Vlciſcitur enim Deus ac defendit iniuſta cenſura ligatum; ſi quidem is comperietur non contempſiſſe vinculum. Qui igitur citra fucum vllum Chriſti paſcit gregem; iure vocatus D legitur, Os Domini: Ait enim Hieremias; *ſi eduxeris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Hæc, veri ſunt paſtoris inſignia, vt animam ſuam ponat pro ſubditis. Id ſi tergiuerſetur præſtare, ſibique præcipiti fuga conſulat; pœnam ſubire cogetur illius mercenarij qui lupo ſæuiente deſertor factus eſt ac refuga gregis: audiétque à principe paſtorum in ſe detorqueri illud: *non exquiſierunt paſtores oues meas*, non pauerunt eas, Et: *exquiram oues meas de manu eorum.* Tale aliquid inueniſſe liceat apud Irenæum.

1. Tim. 2.
2. Tim. 1.
Ezech. 33.
Ezech. 3.
Ezech. 18.
Ezech. 3.
Math. 18.
17.
Att. impiè ὑπατιαστής, *Luthere, contumax in Chriſti vicarium.*
Non temerè excommunicandum.
Hier. 15.
Ioan. 10.
Ezech. 34.
Bar. 6.

AIT ENIM IS DE IOANNE THEOLOGO, quòd cùm vidiſſet is adoleſcentem quendam, natiuæ indolis dexteritate præſignem; rudimentis fidei inſtruxit; inſtructum baptiſmo admonuit. Hunc ciuitatis Epiſcopo curandum dedit, dicens: Adoleſcentem hunc tuæ commendo fidei, & iter arripuit. Epiſcopus non E inſtrenuam operam alendo puero commodauit. Non mediocriter hunc amabat, adeóque promouebat adoleſcentem initio. Senſim cùm oſcitanter illius ageret curam pueri; à rectitudine viæ deflexit tandem, ita vt princeps efficeretur latronum. Cúmque eo loci ſe poſtliminiò recepiſſet Theologus, repopoſcit ab Epiſcopo ſibi repræſentari depoſitum. Is arbitratus commendatitiam pecuniam à ſe repoſci, hærebat dubius animi quid reſponderet: quippe qui nihil ab Apoſtolo accepiſſet pecuniæ. Tunc nihil diſſimulanter aperit rem Epiſcopo: Iuuenem illum quem tuæ fidei credidi; redde. At hic colliſis manibus & comploſis reſpondit; Ille mortuus eſt: atque ita enarrauit quæ illi contigerant. Tum

Ioann. Euangeliſta, Theologus dictus Antonomaſticos.

Apoſtolus magno cum fletu caput percuſſit, & ait: bo- A num te cuſtodem reliqui fraternæ animæ. Simul dicto, egreſſus eſt ad perſequendum iuuenem. At hic, vt vidit Ioannem: fuga concitus dilabebatur. Clamabat Ioannes; expecta fili patrem tuum: miſerere caniciei huius meæ. Cúmque is propiùs accurriſſet: procidit ſenis genibus, dextera alioqui contracta. Euangeliſta proinde exoſculabatur manum illius, dicens: ſuper me peccatū tuum fili: à me requiret Deus animam tuam. Is conuerſus, velut poſtliminiò factus eſt vas electionis. En iſtud eſt paſtorem probè agere, ac ſynceriter animam ponere pro ouibus! Hanc ob rem incredibili gaudio perfundetur miréque oblectabitur & hilareſcet vbere fœtura ouium ſuarum. Gaudebit ſanè ſi ſingulas quaſque cōpererit incolumes; ſi nulla è ſeptis exerrauit. Si quam B demùm diſpalantem & erraticam Dominus deprehenderit: væ erit eiuſmodi paſtoribus. Cæterùm ipſi paſtores ſi comperientur, in pudendos errores prolapſi: quid hos ſperes, ſui gregis Domino reſponſuros? Num quòd improbitate ouium, diſpalantes exerrarint? Talibus vtique ne tantillum fidei commodábitur. Id enim incredibile, vt ab oue paſtor quicquam patiatur: vel ob hunc maximè mendacem prætextum, atrociores luent pœnas. Quum igitur perſpicuè cognorint non perfunctoriam reddituros ſe eſſe rationem (vt qui præſunt Eccleſiæ, primáſque obtinent cathedras) ſeipſos vnà cum grege ſibi concredito exactiore diligentia præmuniant; vt Deo gratioſi ſpecimen aliquod edant ſuæ induſtriæ. In nomine enim Dei nihil deprehendes quod carnis reſipiat prudentiam. Fructus ſiquidem Spiritus omnes C ſalutares ſunt, in quibus inhabitat Deus & inambulat; qui & conſpiciuntur tanquàm luminaria in mundo, cùm veriſſimè ſint pietatis exultatio & gloria. Sanè auguſtior hic ſacerdotum principatus, ſacer ordo & ſcientia eſt. Sacri igitur principatus iſtius ſcopus hic eſt, Deo (quantùm humanæ ſinunt viriculæ) vt ſe aſſimilet atque vniat, Deum habens ſacræ totius ſcientiæ & operatoriæ virtutis præceptorem: dum aciem mentis intendit in auguſtiſſimam illius pulchritudinem nihil euarians. Pro modulo autem virium Deum imitatus, ſuos etiam ſocios diuinas imagines perficit; ſpecula nitidiſſima & immaculata, capacia primariæ illius lucis, radij prorſus diuini. Hanc rurſus Hierarchiam functionem in cætera ſuo quæque ordine relucentia tranſmittit. Non enim fas ſit, ſacrorum ceremoniis aut ſacrè initia- D ris quicquam omnino efficere præter proprias & eas ſacras conſtitutiones. Itaque hierarchiam qui dicit, ſacrā quandam in genere exprimit diſtinctionem, imaginem diuinæ illius pulchritudinis quæ natiuum ſplendorem explicat, ſéque exerit in ordinibus ac multiiuga cognitione hierarchiarum, dum ſanctè perficit propriæ illuminationis arcana myſteria, dum ad propriam originē (quatenus fas) reducit. Ea enim eſt hierarchiæ perfectio, vt ſecundum proportionem cuique propriam hominem promoueat ad imitationem diuinæ bonitatis ac Deo cooperetur; réque ipſa declaret diuinæ virtutis efficaciam (quatenus eſt attingibilis) in ſeipſo relucentē, dum illuminatur in primis, ac proinde cæteros circunfundit lumine, dum purgatur & purgat, in diuinis dum E perficitur & perficit: adeò vt quiſquis vos contuetur, facilè intelligat ſemen vos eſſe benedictum à Domino: verè ſemen eſtis honorabile, *regale ſacerdotium, gens ſancta, populus in acquiſitionem Dei*, hæredes immortalium & immarceſſibilium promiſſionum, *quas non vidit oculus, nō auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quas præparauit Deus diligentibus ſe* & obſeruantibus mandata ſua. Ait autem & Petrus: *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: non turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris ſed forma facti gregis, vt cum apparuerit princeps paſtorum, percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Dominus item, *paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus: mercenarius autem & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem & dimittit oues*

Animam ponere pro ouibus.
Paſtorem ab oue quidquā pati incredibile eſt.
Hierarchica functio.
Hierarchica perfectio.
1. Pet. 2.
1. Cor. 2.
1. Pet. 5.
χαὶ pro, ἐιναι, teſtè Oecumenio.
Ioan. 10.

ac fugit: & lupus rapit eos & diſpergit, quia mercenarius eſt & non pertinet ad eum de ouibus. Inducit: *propter hoc me pater diligit, quia ego pono animam meam pro ouibus.* Ipſi gloria in ſæcula: Amen.

Ait enim is de Ioanne theologo. &c. *Id quidem, quod ſciam, apud Irenæum nuſquam extat: nec mirum: plura enim illius opera deſideraris, conſtat ex Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 19. & Hieron. Scriptorum Eccleſiaſtic. Catalogo. Verùm citatur ab Euſeb. Eccleſiaſt. hiſt. 3 lib. cap. 17. ex Clem. Eiuſdem meminit Abdias lib. 5. Metaphraſtes in D. Ioannis vita, & Chryſoſt. ep. 5. ad Theod. lap.*

De ordinatione clerici:

Homilia CXXIII.

B

Rationi prorſus conſentaneum, ſuum vt ſacerdotes imitentur per omnia pontificem, quemadmodum Chriſti imitator pontifex eſt. Bonus vt ſit, pia geſtitet viſcera, alat concordiam, nihil non ex æquo & bono faciat ac interpretetur, de ſe quàm modeſtiſſimè ſentiat, fraternæ dilectionis obſeruans, ſit hoſpitalis, omnium malis indoleſcat & compatiatur, ſit miſericors. Sacerdotes quos agnouerint à rectitudine deflexiſſe, conuertant ac reuocent in viam. Nullum non viſitent infirmum. Prouidam agant curam viduarum, pupillorum & pauperum. Prouideant bona ſemper coram Deo & hominibus. Omnem à ſe eliminent iram, perſonarum acceptioné, iudicium iniuſtum, auiditatem pecuniæ. Non facilè

Sit imitatio Chriſti vita ſacerdotis. Sacerdotalis vitæ officia.

C

commodent fidem delationibus. In pronunciando iudicio, præfracti ne ſint, aut æquo ſeueriores; vt qui ſciát neminem non eſſe debitorem peccatorum. Nos igitur qui Dominum obſecramus, debita noſtra vt dimittat nihil grauatim; debemus & nos dimittere: In oculis enim verſamur Domini ac Dei. Hoc tenore vitæ Diaconi etiamnum conuerſentur. In conſpectu iuſtitiæ Domini ingrediantur ſine querela, tanquàm Deo & Chriſto miniſtrantes non item hominibus. Sedulò & accuratè adminiſtrent, illam vt defugiant propheticam imprecationem, ne illi per oſcitantiam ſe reddant obnoxios; néve priores honoris partes præcerpant & occupent prætextu tuendi cultus diuini: ſed omnia (iuxta Apoſtolum) honeſtè & ſecundùm ordinem fiant. Quid enim indecori faciebat Ozias, Deo dum adoleret incé-

Nimia ſeueritas fugienda in arguendis peccatoribus.

Matt. 6.

Diaconi Dei, non hominum miniſtri.

D

ſum? Quid item Saul: victimas dum offert? Quid porrò tyrannici illi dæmones, Dominum verè eſſe Deum dum profitentur? Sed horum theologia exploſa eſt. Vnuſquiſque autem in ordine perſter ſuæ functionis. Ait item lex: ſolus pontifex in ſancta ſanctorum intrabit ſemel in anno. Idque in omni hierarchica purificatione, & ſacerdotes cooperiant ſancta. Et: Leuitæ ne tangant ſancta ipſa, vt ne moriantur. Et iratus eſt furore Dominus ſuper temeritate Oza. Sed & Maria percuſſa eſt lepra, quum temerè molita eſſet legem ſancire legiſlatori. In filios Sceuæ inſiluit dæmoniacus. Et: *non mittebam eos, & ipſi currebant, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Et: *Impius qui immolat vitulum, quaſi qui occidit canem.* Atque vt compendio perſtringam; exactiſſima

Ex epiſt. 8. S. Dionyſii Areop. 2. Par. 26. 1. Reg. 16. Matth. 8. Num. 4.

1. Par. 13. Num. 12. Deut. 14. Act. 19. Hier. 23. Iſa. 66. Deus inordinata non patitur. Math. 7. 22. Pſal. 6.

E

Dei iuſtitia non ſuſtinet quicquam fieri præter ordinis decorum. Dicentibus enim illis: *In nomine tuo virtutes multas fecimus:* reſpondetur, *non noui vos, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Non itaque fas eſſe aſtruunt ſacra Eloquia, vt quis, quamlibet iuſſa adminiſtret; niſi pro dignitate ac ſeruato decoro. Attentum ſanè vnumquemque ſibi oportet eſſe, vt ne intelligere moliatur, quàm pro modulo ingenij ſublimiora & profundiora. Secum quidem taciti cogitent quæ per ordinem ſibi imperata ſunt; vt ne ſint calumniatores, non bilingues ſed quàm minimùm vt ſint pecuniæ auidi, continentes, erga omnes pij, ſtrenui diligentia, ſecundùm Domini veritatem incedentes, qui omnium factus eſt miniſter: cui placidè ſi obſequemur in præſenti ſeculo, illius pro-

A

merebimur perfrui gloria in futuro, quemadmodum pollicitus eſt nobis ſe nos ex mortuis excitaturũ: quòdque ſi ipſo dignè conuerſabimur, cum eo ſimul & regnabimus. Dixit enim: *ſi quis mihi miniſtrat me ſequatur; & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit; ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Ipſi gloria in ſæcula: Amen.

Sacerdotes venerationi atque honori habendos:

Homilia CXXIIII.

Ignatius, cognomento Theophorus per epiſtolam dicit: Epiſcopo obtemperate, vt & Deus vobis, tecrcor in Epiſcopo, qui mihi ſubrogatus eſt, preſbyterisque & diaconis quibus cum contingat vtinam habere me partẽ in Deo. Rurſus: teſtis mihi eſt, in quo & vinctus ſum: quia per carnem humanam non cognoui, Spiritus autẽ ſanctus ipſe prædixit, hæc ſine Epiſcopo nihil facite: nihil igitur tentandum vobis eſt ſine annutu Epiſcopi; vbi enim conſpicietur adeſſe Epiſcopus, eò ſe conferat multitudo: quemadmodùm vbi nominatus eſt Ieſus Chriſtus, eò cogitur & confluit catholica Eccleſia. Non enim quolibet paſſim ſinuntur pecudum greges abire; ſed quocunque eas abducunt paſtores. Nam eas quæ ſe ſubmouent & diſparant à grege reliquos feræ abripiunt, & erraticas ac diſpalantes in ſuam conuertunt alimoniam. Itaque quoad eius fieri poteſt, ſine Epiſcopo

Epiſt. 2. ad Polycarpum.

Ex Ignat. epiſt. 7. ad Smyr.

C

nemo baptizet; non Agape celebretur: nam quicquid ille probauerit faciendum, hoc Deo perquàm acceptũ ſcitote eſſe. Epiſcopum qui honorat, vtique honoratur à Deo. Qui clam epiſcopo quiduis operis aggreditur, diabolo exhibet culturam. Neceſſe igitur Epiſcopo ſubiecti vt ſint etiam presbyteri; vt & Apoſtoli Ieſu Chriſto, qui nobis ſpes vnica eſt, in quo ſi viuimus, inueniemur tandem. Sed & diaconos, oportet myſteria Ieſu Chriſti vt dum adminiſtrant, dent interim modis omnibus operam, grati vt ſint omnibus atque amabiles. Non enim eſculentorum ſunt aut poculentorum miniſtri; ſed Eccleſiæ Dei ſubſeruiunt. Neceſſe igitur hi vt vitent crimina, perinde ac ignem: nec ſecùs, diaconos reuerenter obſeruent omnes atque Chriſtũ Ieſum

Epiſcopo clã aliquid agere, eſt Dæmoni ſacrificare.

Ex Ignat. Epiſt. 10. ad Tral.

Interpres Ignatij alter itaque reprehenſiones eorum ſicut ignem vitent cauendæ ſunt.

D

& Epiſcopum quaſi patrem, Presbyteros, vt Dei concilium & quaſi vinculum apoſtolicæ charitatis. His ſine neutiquàm vocatur eccleſia Dei. Nulli igitur fas vnquã fuerit obniti ac reclamare ſacerdotis imperio: qui enim *reſiſtunt, damnationem ſibi acquirent: Principi* enim *populi tui non maledices.* Dominus item eximius ille Pontifex ait: qui ſuſcipit vos, me ſuſcipit, & qui me ſuſcipit ſuſcipit eum qui me miſit. Et: *qui ſuſcipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; & qui ſuſcipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.* Ipſi gloria in ſæcula: Amen.

Rom. 13. Exod. 22.

Math. 18.

Math. 10.

De certa expectatione futurorum:

Homilia CXXV.

E

Fvtvra bona quiſquis certa ſpe oppetitur, nihili iſthæc ducit temporaria; quin auiditate flagrans futurorum, cætera omnia vitæ iſtius ceu vile quodpiã ſarmentum, aut virulentam arachonem tranſmittit, propter ſpem ſibi repoſitam atque gaudium. Illo enim adproperat occurrere, vbi poſſeſſionis ſubſtantia; nempe iam deſiderium habet ſubactum. Quibus ſanè cordi eſt cæleſtè illud peculiũ; nil tam expetunt ardenter, quam vt ex incolatu inquilini corporis euolent. Bona igitur nobis repoſita, & quæ inſuſpicabilia ſunt prorſus tota animi præſtolemur contemplatione; atque ea ardenti deſiderio expetamus,

Spes futurorum, negligit temporaria. ὑπὸ δουλείας ἀδουλωμένη ἔχει.

iſthæc aſpernati quæ ſolidi nihil habent & perdurantis ſubſtantiæ, ſpe æternorum ac permanentium exhilarati, quæ nulla queat humana cogitatio comprehendere. Omni itaque cuſtodia ſeruemus cor, conſtanter expectantes Dominum familias, nempe Chriſtum Deum noſtrum, qui noſtri cauſa pauper eſſe voluit; próque noſtra omnium ſalute humanæ infirmitatis afflictiones in ſe recepit, vt nos conſortes haberet ſuæ incomprehéſibilis opulentiæ, ſimúlque futura illa & ineffabili gloria perfrueremur. Quem, ne (quæſo) deſinamus ſyncera cõplecti charitate, vt ab ipſo redamati, vnà cum eo prouecti mereamur ad fœliciſſimam manſionem nobis à Patre adornatam & inſtructam, vbi in eius lumine videbimus lumen. Formidabilis planè & horroris plena dies aduentus eius, dies magna & illuſtris valde, eóque promiſſiones has qui indubia fide tenemus, ineloquibili & glorificato gaudio perfuſi iucundemur, iugiter abſtergentes concretam animæ eluuiem, neque radix amaritudinis ſurſum germinans interturbet, & inquinentur multi, vt nullam denuo eandem contrahens maculam aut rugam, lympidiſſimo ac ſplendidiſſimo perluſtretur lumine. Illic enim perſpicuè contuebitur beatam prorſus illam nec vlla hominum induſtria labefactam naturam, vbi Pater, Filius & Spiritus, ſicuti Romanis dicit Paulus per epiſtolam: *Obſecro vos per miſerationes Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, beneplacentem Deo, rationabile obſequium veſtrum; & nolite conformari huic ſeculo, ſed transformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis vos quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Rurſum: *nobis enim reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: quis enim nouit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus, qui eſt in eo? ſic & quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi Spiritus qui eſt in Deo.* Inducit: *nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Iterum: *ſi enim adminiſtratio damnationis gloria, multò magis abũdat adminiſtratio iuſtitiæ in gloria; neque enim glorificatum eſt quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam: ſi enim quod euacuatur, per gloriam eſt; multò magis quod manet in gloria eſt.* Alius itẽ: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, nec aliquando tanget illos tormentum, illi autem ſunt in pace.* Et: *ſpes eorum immortalitate plena: in paucis vexati, in multis bene diſponentur, quia Deus tentauit eos & inuenit illos dignos ſe, & quaſi holocauſtum hoſtiæ accepit illos, & in tempore viſitationis ipſorum reſplendeſcent.* Dauid quoque: *ad veſperum demorabitur fletus; & ad matutinum, lætitia.* Et illud: *ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Iterum & Apoſtolus: *ſi igitur conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Rurſus: *nunc autem liberati à peccato, ſerui facti Chriſto, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Dominus item: *ſint lumbi veſtri præcinctè & lucernæ ardentes; & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis: vt cum venerit & pulſauerit, aperiant ei.* Inducit: *beati ſerui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes; Amen dico vobis, quod præcinget ſe & diſcumbere eos faciet, & tranſiens miniſtrabit illis.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

1. Cor. 2. — Rom. 12. — 1. Cor. 2. — 2. Cor. 3. — Sap. 3. — Pſal. 29. — Pſal. 30. — Col. 3. — Rom. 6. — Luc. 12.

De vocatione Dei.

Homilia CXXVI.

Dominus ac Deus noſter cùm nos ad ſe inuitet per legem, per prophetas, per Apoſtolos & Euangeliſtas (obſecrat veriùs & hortatur) quàm nefarium ac piaculare fuerit, nos contẽptim tranſmittere imperium Domini tam clementis, tam benigni; craſſa quadam ſocordia, animi lentore ac mollicie? tam ſupinè & oſcitanter propriam nihili ducere ſalutem, vt ne vel tantillo tempore excludamur ſponſi aditu: Sponſi (inquam) deſiderabilis adeò modiſque omnibus expetendi fruitione ſpoliemur. Vt cùm fores ictibus crebrò repetitis pulſauerimus nullo noſtro fructu deſideramus, ſuſpirioſè per hanc noſtram ignauiam ingemiſcentes? Quin potiùs (fratres mei) alacriore vtamur ſtudio, & in id toti incumbamus vt aliquando detur apprehendere ſupremam illam arcem; imò ciuitatum omnium matrem noſtram ſublimem illam Hieruſalem, quæ ſane omniũ noſtrum mater eſt, ac regio feliciſſimè viuentium: in qua, lux ſuos quaquauerſum euibrat & eiaculatur radios, inextinguibilis fax refulget, vbi oculus peruigil non dormitat, bonorum quo nullo fine intercipiendorum largitor Deus. Si igitur (dilectiſſimi) cum timore ardenti deſiderio, ſimul & comite fiducia accedentes tam clementi Domino procideremus: illic contemplari licebit naturam omnem angelorum, archangelorum, virtutum & poteſtatum; denique bona ineffabilia quæ diligentibus Deum initio ſtatim conditi ſeculi conſeruata ſunt. Quotquot enim cœleſtem illam Hieruſalem ex animo dilexerunt; ex ea ſuccum lactis exugent, oblectabuntque ſe ab vberibus conſolationis eius, & abundè ſe proluent ac inuitabunt torrente voluptatis. Ipſi igitur accolemur & adhæreſcamus, qui dixit, *appropinquate mihi & appropinquabo vobis.* Ad illum nos recipiamus qui legem ſanxit: *audieritis vocem meam, eritis mihi populus peculiaris, regale ſacerdotium, gens ſancta, & ſanctificamini, & eritis mihi ſancti, quia ego ſanctus Dominus Deus veſter.* Et: *te prælegi mihi ipſi in populum peculiarem præter omnes gentes.* Sapientia proinde ait: *accedite ad me qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Et: *memoria mei ſuper mel dulcis; qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient: nam qui audit me, nunquam confundetur.* Iterum: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis: Derelinquite ſtultitiam vt viuatis, & quærite in cognitione intelligentiam.* Dauid item: *accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Apoſtolus quoque: *ſi igitur conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens.* Inducit: *Itaque non iam eſtis hoſpites & aduenæ, ſed conciues ſanctorum & domeſtici Dei. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt accipiamus miſericordiam, & inueniamus gratiã in auxilio opportuno.* Dominus noſter, hominum amator ac ſaluans nos vltrò ad ſe aduocat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: Iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue eſt.* Sed & illud: *Venite poſt me, & faciam vos piſcatores fieri hominum.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

Chriſtus Deus eſt gratia & manſuetudinis. — *Hieruſalem mater credentium.* — *Deus, à ſeculo ſeclusis quædam beatis.* — Iac. 4. — Num. 16. — 1. Pet. 2. — Leuit. 20. — Deut. 7. — Eccleſ. 24. — μνημόσυνόν μου. — Prou. 9. — Pſal. 33. — Col. 3. — Epheſ. 2. — Heb. 4. — Matth. 11. — Matth. 4.

De timore Dei.

Homilia CXXVII.

Quiſquis ſyncerè Deum timet, nõ multo admodum negono ad perfectionem prouehitur diuinæ charitatis; eóq; efficitur Chriſti & diſcipulus & amicus. Ait enim: *Vos me amaſtis.* Qui eiuſmodi eſt; vtique inluctabili nexu is aſtringit ſibi mundiciam in caſtiſſimo timore Domini. Qui veriſſimo Domini timore ceu clauis confixit effrenes carnis motus; ab illo eximitur timore, creſcite & multiplicamini: Vitabit proinde & illud, vt ne vlla ex parte debeat in hominum deſcendere familiaritatem. Mundi iſtius defugit iam ſolicitam anxietatem, impoſturas, voluptates, crapulæ & ebrietatis intemperiem omnem: omnimodam inſuper Babylonicæ confuſionis fuga anteuertit abyſſum. Vitæ iſtius ſuauiter traducendæ renunciauit illecebris, Mundo quoque vale ſupremum dixit, cuius & retia perrupta, congreſſus mirè implexos euaſit & pedicas. In terra tametſi ambulat; re ipſa declarat ſe complexum eſſe conuerſationem quæ in cœlis eſt. Quum enim longè iſtis fœliciora expetat, nihil eſt quod cunctetur renunciare iſtius mundi lenociniis

Ioann. 16 — Ge. 1. 8. 9. — *Qui timet Deum, fugit mundum.* — *Timor Dei, prohibet mala.*

cinis; nimirùm vitam vt viuat diuinam, cœleſtem, angelicam in obſeruatione ſynceræ prorſus religionis intemeratæ ac ſanctæ; in ſpiritu Dei, latriam exhibens omnipotenti Deo propter cœlorum regnum, cuius gratia ſupercilium omne poſuit mundanæ illius prudẽtiæ. *Time* enim, ille ait, *Dominum, & cuſtodi mandata eius.* Sanè Dei mandata ſi cuſtodieris, eris vtique in omni operatione potens, operatióque tua incõparabiliter ſuccedet. Dominum enim ſi timueris, nihil non decorè cõficies. Hic planè timor eſt, quo neceſſe ſit vt timeas & ſalutem conſequare: diabolum proinde nihil timueris. Dominum enim qui timet, aduerſus diabolum præualebit; nihil enim huic ſupereſt. Vim vtcunque qui habet aduerſus illum; vtique habet & Dei timorem: is enim cum nihil obtineat virium, omnium patet deſpicatui & contemnitur. Eſt tamen quod timeas, opera nẽpe Diaboli: maligna enim ſunt. Timore porrò Domini munitus, quid eſt quòd commenta fraudéſque veteratorias timeas diaboli? Illius opera nequaquam adeò deſignabis, vt ab eis reſilias quàm longiſſimè. Atqui timoris ſpecies duplex eſt. Si itaque cupies nihil admittere quod malignum ſit ac reprobum; time Dominum, & ne opereris illud. Dominum itaque qui timet: fortis vtique & glorioſus. Nam quanticunque eum timuerint, obſeruantéſque fuerint mandatorum ipſius: placẽt Deo. Etenim creatura omnis ipſius cùm ſit, eũ veretur ac timet; non item omnis cuſtodit illius mandata. Illorum ſanè vita apud Deum repoſita eſt, quotquot eum reuerenter timent & eius mandata explent opere. Ipſe timor Domini, in neceſſitatem nobis imponit comminus conſerendi cum vitiis. Nobis ſtrenuè depræliantibus gratia Domini malitiam omnem ad internecionẽ vſque intercidit. Non autem poteſt quis ad Dei timorem pertingere, ni priùs deſciſcat ab omni vitæ iſtius tẽporariæ ſolicitudine; iuxta ſuperiorem ſententiã. Quum enim mens reſederit ab omni intemperie, ſecura rei mundialis, tunc timor ille Dei ſic requieto plurimùm faceſſit negotij, quo eundem promoue: ad exuberantẽ diuinæ benignitatis amorem. Seriò decertantibus in agone ſpirituali, ipſe timor expreſſam etiamnum imaginem adfert ſanctimoniæ & puritatis. *Timor Domini ſanctus* (ait Dauid) *permanens in ſeculum ſeculi.* Timor Domini prudentiæ eſt parens. Vnum aliquem ſi tuetur, & obſeruat, nihil hic quamlibet multos timebit, potiùs ob hunc vnum multi exterrebuntur, vel teſte Scriptura: *Si timueritis Dominum Deum veſtrum & audieritis vocem eius, nemo contra vos ſtabit ante faciem veſtram, ſed timor veſter ac tremor erit ſuper omnes gentes.* Denuò adhortatur dicens: *Dominum Deum timebis, & ei adhærebis.* Rurſus: *quis dabit, vt ſit ſic cor populi, vt timeant omnia mandata mea, vt bene ſit eis.* Et quidem hæc habet lex. Sed & propheta Malachias: *Et orietur vobis timentibus Dominum ſol iuſtitiæ, & egredimini & ſalietis quaſi vituli à vinculis relaxati.* Paræmiaſtes item: *Initium ſapientiæ timor Domini & propugnaculum ſancti; timor Domini fons vitæ, vt faciat declinare à laqueo mortis.* Iterum: *beatus, cui donatus eſt timor Domini. Timor Domini ad vitam viro, timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium. Timor Domini donum eſt à Domino:* timenti enim *Dominum bene erit in nouiſſimis, & in diebus defunctionis ipſius benedicetur. Plenitudo ſapientia eſt timere Dominum & inebriabit eos de fructibus ſuis.* Iterum: *concupiſti ſapientiam? ſerua mandata, & Dominus dabit eam tibi. Qui timent Dominũ, nihil verebuntur aut expaueſcent, quia ipſe ſpes illorum eſt.* Dauid: *Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Quia ſecundum altitudinem cœli à terra corroborauit Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.* Et: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet & ſaluos faciet eos.* Et: *firmamentum Dominus timentium ſe, & teſtamentum ſuum manifeſtabit eis, ecce enim oculi Domini ſuper timentes eum.* Idem de ſeipſo: *Lætetur cor meum, & timeat nomen tuum.* Afflatus quoque aura Spiritus ſancti, ait: *particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Iacobus autem: *quæ deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſtea, ſuaſibilis, plena miſericordia & fructibus bonis, abſque dijudicatione ſine ſimulatione, fructus autem iuſtitia in pace ſeminantur facientibus pacem.* Petrus verò: *In omni gente qui timet Dominum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt ei.* Dominus item: *nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere: timete autẽ magis eum, qui poſtquam occiderit corpus habet poteſtatem, & animam & corpus perdendi in gehennam.* Certè dico vobis, eum timete. Ipſi gloria in ſæcula: Amen.

Eccl. 12. *Dæmon timenti Deum non metuendus.* *Timoris duæ ſunt ſpecies.* *Siue caſtus ἅγνος* *Pſal. 8.* *2. Reg. 12.* *Leuit. 19.* *Deut. 13.* *Mal. 4.* *Prou. 1. 12.* *Pſal. 10.* *Eccl. 1.* *Prou. 14.* *Ecc. 1.* *Prou. 19.* *Eccl. 1.* *Ecc. 25.* *Eccl. 6.* *Eccl. 33. 34.* *Pſal. 36.* *Pſal. 102.* *Pſal. 144.* *Pſal. 24.* *Pſal. 32.* *Pſal. 85.* *Pſal. 118.* *Iac. 3.* *Act. 10.* *Matt. 10.*

De charitate ſiue dilectione erga Deum;

HOMILIA CXXVIII.

CONSVRGAT noſter hic ſermo ac promoueatur à timore Dei ad perfectam ipſius dilectionem. Sanè eam dixerim charitatem, quæ infracta ſit & inconcuſſa, quæ impartibilis ſit & indiuidua, quæ ſe auelli ac diduci nullis ſinat (quamlibet multis tundatur) tẽtationum ſuppliciorúmve attritionibus. Eam intelligo charitatem quæ nos Deo proximè connectit & confœderat, quæ nos efficit Dei filios. Ad illuſtrandas animas, dilectio Dei & timor cæteras virtutes facilè exuperant: *Oculi* enim *Domini ſuper diligentes eum.* Qui pleno cordis ſenſu Deum diligit, ab ipſo talis cognitus eſt. Quiſquis perfectam in Deũ dilectionem ſemel poſſedit; in hac etiamnum ſic adeſt vita, quaſi non ſit. Extorrem enim ſe & proinde computat alienum ab his quæcunque oculis ſubiacent, admirabili conſtantia ad inuiſibilia ſuſpirans. Totus enim fœlici alteratione à ſe tranſiuit in dilectionem Dei; iuxta Pauli ſententiam: *ſiue excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus vobis.* Qui ſe priua dilectione proſequitur, Deum neutiquam poteſt diligere: contra; qui à ſe prorſus excuſſit priuæ illius dilectionis affectum ob ſupereminentes diuitias dilectionis Dei, planè hic Deũ diligit. Primaria illa lex huncin modum edicit: *Ego Dominus faciens miſericordiam his qui diligunt me, & ſeruant mandata mea.* Alias item: *ſemen firmitatis timentes Dominum.* Et: *honorabilis plantatio qui diligunt ipſum.* Et: *miſericordia hominis ſuper proximum ſuum: miſericordia autem Domini ſuper omnem carnem ſe expandit & illuminat oculos.* Dicit & Sapientia: *ego diligentes me diligo, qui autem quærunt me, inuenient ſcientiam, Diuitiæ & gloria mihi ſuperſunt. Melius eſt me fructus colligere præ auro & lapide pretioſo.* Dauid item præferuido charitatis in Deum affectu incaleſcens; iugi clamore inſonabat: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: ſitiuit anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, In terra deſerta & inuia & inaquoſa.* Rurſum: *Diligam te, Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus.* Et: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Iterum: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et: *concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore, quia dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Comede mel fili mi,* ait ille: *bonum enim, fauum, vt dulceſcat guttur tuum: ſic enim ſenſus & ſapientia erunt animæ tuæ.* Ioannes: *Chariſſimi Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Infert: *non quia nos dileximus eum, ſed quia ipſe dilexit nos, miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Paulus: *In his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos, neum.* Inducit: *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Iterum: *quis nos ſeparabit à charitate Dei? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an gladius?* Infert: *certus enim ſum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque vlla alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Dominus quoque: *qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego*

Charitas in Deum perfecta, quæ ſit. *Charitas efficit nos Dei filios.* *Ecc. 34.* *2. Cor. 5.* *Deut. 5.* *Φιλοῦντες lege, Gr. λαλοῦντι.* *Eccl. 28.* *Prou. 6.* *Inuenient ſcientiam pro quo Aldus habet χάριν gratiam.* *Prou. 8.* *Pſalm. 62.* *Pſalm. 17.* *Pſalm. 37.* *τὸν ἰσχυρὸν.* *Pſal. 41.* *Pſalm. 119.* *ὅτι, noſtra Editio, ὡς, quam dulcia.* *Prou. 24.* *Ioan. 4. 16.* *Rom. 8.* *Rom. 8.* *Ioan. 14.*

Digitized by Google

diligam eum & manifeſtabo ei meipſum. Vide hic quàm operatoria ſit erga Deum charitas! ipſius confert dilucidam cognitionem ſimul & cognoſcentis commendationem. Qui ſynceriter Deum diligit, ſe aliud nihil ducit eſſe quàm externum & aduenam in vita præſenti. Talis qui eſt; decora & eleganti alteratione immutatus eſt. Quotcunque meditatione iugi & indefeſſa intra cordis receſſus intimos retinent ſanctum Christi nomen altius impreſſum; iſti ſplendifluam ipſius lucem contueri iugiter queunt: In quamlibet enim anguſta mentis noſtræ memoria retentum; cum ſenſu multo ipſius capimus experimentum, & omnem animæ ſordiciem interiore flamma exurit. Siquidem vel teſte Moyſe; *Deus noſter ignis conſumens eſt.* (Deut. 4. Heb. 12.) Vnde & ad charitatem copioſam ſuæ ipſius gloriæ omnem animã accit Dominus & aduocat. Nihil ſic ad dilectionem Dei incendit cor & promouet, vt Theologia. Germen enim ipſa cum ſit gratiæ diuinæ, prorſus gratuitò animæ confert primitias quaſdam & dona. (*Theologia, omnium maxime Dei timorem generat.*) Lachrymæ ſynceriter Deum diligentis quaſi mel edulcans eliquãtur, ſeminis in modum diſperſi in corde viri iſtius. Anima conſentiens iugiter puritati mentis, Deum contemplatur & perſpicit interno deſiderio. Anima in charitate Dei exultans hilariter, in articulo exitus ſui à corpore, nullo pauore exterrebitur circonſtantis ſe principibus aëris huius, neque formidabit poteſtates tenebrarum harum, ſed feruida in Christum charitate incaleſcens, vnà cum angelis pacis euolabit perinde atque à peregrino hoſpitio migratura, in proprium & peculiare ſe recipiat domicilium. (*Anima quæ Deum diligit è corpore migratura non terrebitur à Dæmone.*) *Deſiderium* enim *habeo diſſolui & eſſe cum Chriſto.* (Philip. 1.) Anima enim quæ charitatem, plenitudinem legis poſſidet; ad nubes vſque rapitur, obuiam itura aduenienti Domino. Paulùm abfuit vt nos effugeret dilectio illius ſponſæ (nempe Eccleſiæ) ad ſponſum, videlicet Christum; de qua in Cãticis. O iacturam! ait enim: *oſculetur me ab oſculis oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata; Unguentum exinanitum nomen tuum: Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te; traxerunt te: poſt te in odorem vnguentorum tuorum curramus, exultemus & lætemur in te, rectitudo dilexit te.* (ἀποφι-λημάτων. Cant. 1. χόπος, lege χαρπός.) Rurſus: *renuncia mihi quem dilexit anima mea: vbi paſcis, vbi cubas in meridie, ecce enim tu pulcher & decorus: In vmbra tua deſideraui & ſedi, & fructus tuus in gutture meo.* (Cant. 2.) Alios adhortã ait: *Adiuraui vos, filiæ Hieruſalem, ſi ſuſcitaueritis dilectionem, donec ipſa voluerit.* Iterum: *oſtende mihi faciem tuam, audire me fac vocem tuam, quia vox tua dulcis & facies tua decora.* (Exod. 33. Cant. 3. Cant.) Planè talis erat Moſes inclamans: *oſtende mihi faciem tuam, perſpicuè vt videam te,* Iterum: *quæſiui, quem dilexit anima mea: tenui eum, nec dimittam ipſum, quia vulnerata charitate ego: quia fortis vt mors dilectio: Aqua multa non poterit extinguere charitatem.* Talis Petri anima, cùm diceret: *Domine quò vadis?* Et: *ad quem ibimus:* Cui Dominus, tertiò; *Petre amas me?* Ille autem; *Certè Domine tu ſcis, quia amo te.* (Ioann. 13. 21. Ioan. 14.) Dominus denuò diſcipulis ſuis: *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

De filiorum adoptione.

Homilia CXXIX.

GLORIA eſto benignitati tuæ eximie hominum amator Domine, qui nos rerum omniũ indignos tam amanter excipis, filiis tuis tam indulges clementer; qui deamas animas, qui tanti æſtimas qualemcumque vitæ noſtræ probitatem, quemque nulla vrget memoria malorum. (Gen. 3.) O Domine; primos quidem iam olim (mandatum abs te præſcriptum quum in paradiſo poſiti contemptim tranſmiſiſſent) mortis ſententia mulctatos ob peccatum, nóſque priua voluntate mortificatos; non libertate ſolùm donaſti, ſed & proprios filios declaraſti: (*Fideles vocantur filij Dei.* Rom. 8.) A cùm alioqui in hunc vſque diem improuidè tam deſidemus circa adimpletionem mandatorum tuorum, vt in nobis impleri illud meritò videri poſſit: *filios genui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* (Iſa. 1.) Quis enarrare ſufficiat pelagus tuæ erga nos commiſerationis; qui longanimitate tanta animarum noſtrarum procuras ſalutem, Deus omnipotens & Domine miſericordiæ? Per Oſeë enim prophetam dixiſti; *Vocabo eum, qui non eſt populus meus, populum meum, & quæ non erat dilecta, dilectam: & erit in loco vbi dictum eſt. Populus meus vos, illic vocabuntur filij viuentis,* (Oſ. 1.) Ioannes inſuper: *Chariſſimi; nunc filij Dei ſumus & nondum apparuit quid erimus: ſcimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* (1. Ioa. 3.) Paulus: *nos autem omnes, reuelata facie gloriam Domini, ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriã tanquã à Domini ſpiritu.* (2. Cor. 3.) B Iterum: *qui in charitate prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum.* (Epheſ. 1. ἀποδόξης εἰς δόξαν.) *Eſtote igitur imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi; & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos.* Iterum: *non ſolùm autem, ſed & ipſi primitias Spiritus habentes, nos etiam ipſi in nobis ipſis ingemiſcimus adoptionem corporis noſtri.* (1. Cor. 4. & 11. Rom. 8.) Rurſus: *quia autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba pater, Itaque non iam es ſeruus, ſed filius; quòd ſi filius: & hæres Dei per Chriſtum.* (Gal. 4.) Iterum: *quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei non enim accepimus ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed accepimus ſpiritũ filiorũ adoptionis in quo clamamus: Abba pater, ipſe enim ſpiritus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: ſi autem filij; & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* (Rom. 8.) C Item: *Filij Altiſſimi vocabuntur.* (Luc. 5. Rom. 9.) Itáque cum intuebuntur regem Deum in gloria, illic portæ iſtis aperiẽtur regni; Patriſque conclauia ingredientur, qui & ſanctos ſuos (quotquot à condito primùm orbe fuerunt) illis viſendos proponet, ſólque iuſtitiæ interclareſcet iſtis. Et exibunt & ſalient quaſi vituli laxati à vinculis; túmque *transformabit corpus humilitatis noſtræ, conforme vt ſit proprio corpori gloriæ ſuæ.* (Ier. 50. Phil. 3. Pſal. 102.) Illic ipſorum *iuuentus renouabitur vt aquilæ*; terrámque conſpicient promiſſionis, & ſuper genua conſolabuntur. Quemadmodum mater ſi quem filiorum conſoletur; ita illis exorietur Dominus iuſtitiæ, & exultatio in omnium proſpectu, qui ipſum ſyncero diligunt corde. Nos igitur (dilectiſſimi) eum qui nos tanto effecit honore, in idque prouexit dignitatis faſtigium; D reuereamur, obſeruemus. Illi & ſeruiamus in timore, tanquam legitimo & ſecundùm naturam Domino: *exultemus* item *ei in tremore,* vt Patri per gratiam: *nequando iraſcatur Dominus,* & excidamus iure iſtius filiorum adoptionis. (Pſal. 2.) Quiſquis adoptione hac ſpoliatur, Iudæ proditori efficitur ſimilis; nimirùm perditionis filius ac gehẽnæ, imò diaboli. Ne (quæſo) contingat nos ab eo deſciſcere refugas; qui noſtræ eſt vindex ſalutis & Deus noſter. (Matth. 16.) Is enim hanc indulſit benignus poteſtatem, nobis vt liceat calce proterere ſerpentes, ſcorpiones, omnémque inimici poteſtatem. (Matth. 23.) Quotquot enim accepimus eum, dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, quando dixit: *vos autem nolite vocare patrem ſuper terram:* vnus enim eſt Pater veſter qui eſt in cœlis. Ipſi gloria in ſæcula; Amen.

E

De regno.

Homilia CXXX.

MANDATA Dei ſuperiùs mihi inducta ſi obſeruauerimus; vtrique ad regnum licebit ceu poſtliminiò redire: (*Regnum quibus artibus ambiatur.*) pro quo nobis non vnus agon indicitur; ſed & ſecura requies multiplex promittitur. Regnum temporarium ambit quis? hic neceſſe eſt vt exerat atque oſtentet ſtrenuitatis plurimùm in bellis, periculis, excubiis, anxiis ſolicitudinibus, laboribus perplexis: nihil ducit tri-

cit tribulationes omneis vndecunque contingant, ſpe dum alitur regni vel per inſomnium excogitati. Et hæc conditio eſt temporarij, nec vnquam conſtabiliendi regni. Adde, quòd omni vix exantlato labore diem ſuum obit. Cúmque ſe exiſtimat in manibus habere quę ſpe præcerpſerat; vnus aliquis citra omnium ſuſpicionem pro illo plerunque diadema tulit. Quantu agone opus, quo ſtudio, quàm exprompta animi alacritate, quibus vigiliis, ſolicitudinibus, periculis, tribulationibus, tentationibus arcanis quidem & vix vlli compertis ærumnis; imò & quot mortis ſpecies adeundæ veniunt ei qui Chriſto æternum cupit regnare? Ob hoc vnum ſancti omnes qui noſtram hanc anteuerterunt ætatem, viri, mulieres, imò & pueri ad mortem vſque ſtrenuè decertauerunt: quo vel tandem regno perfruerentur cœlorum. Regnum ſiquidem cœleſte vim patitur. Illud enim piè rapiunt, qui in omnibus ſuam indolem ad vitia propendentem ſtudent euincere, vi quadam iniecta ſuæ naturæ. Quiſquis pro cœleſtis regni conſecutione ſe prorſus caſtrauit, aut tuendæ virginitatis obſtrinxit voto; modis omnibus adniti debet, ſe vt dignum regno exhibeat. Neque enim ad cœleſte illud regnum prouehitur quis, ſermone, habitu, ſplendore nominis, generis claritudine, formæ elegantia, fortitudine corporis, aut temporis prolixitudine; ſed virtute fidei, opera fide digna repræſentantis. Sanè fidem eiuſmodi vim ſuam exerentem, iuſtus declarabit efficaci & operatoria impletione mandatorum Chriſti. Abſtinendum proinde eſt ab omnibus quæ mandatis ex contrario obluctantur: hoc eſt, à carnalibus vitiis, videlicet à diabolica omni prudentia ad quam referuntur hæc; fornicatio, immundicia, idololatria, veneficium inimicitiæ, contentiones, zelus, animoſitates, rixæ, detractiones, ſeditiones, inuidiæ, cædes, ebrietates, comeſſationes, ſcurrilitates, ſtultiloquia, riſus, imprudentia, dicteria ſeu cauilla, ſuſurria, amaritudo, ira, clamor, blaſphemia, nugæ, malicia, adinuentiones malorum, periuria per nos perquę noſtram ſalutem quæ ex ſancta Dei genitrice ſempérque virgine Maria prodiit; vnum (inquam) ac ſolum filium qui in duabus naturis inconfuſè, inuariabiliter, indiuiſè inclaruit atque innotuit orbi. Duæ enim naturæ, vnitate prorſus indiſſolubili, inter ſeſe conuenerunt: vnitate (inquam) inſeparabili, inconfuſa, immutabili. Caro enim caro eſt & non Deitas; tametſi facta eſt Dei caro, etiamſi diſpenſatoriè propriam ſibi fecit eam carnem. Duas itaque profitemur eſſe naturas; vnum autem aſtruimus eſſe Chriſtum, filium & Dominum, Dei verbum, qui & homo factus eſt & carnem aſſumpſit. Iam quando differentes quidem hæ veriſſima vnione counitæ ſunt naturæ, vnus autem ex vtraque natura Chriſtus & idem filius, non ſic alioqui aſſerta naturarum differentia propter vnionem, magis autem, quia Dei hominiſque naturæ per nulli explicandum & incogitabilem prorſus concurſum ad illam vnionem nobis perficiunt vnum Dominū & Chriſtum & filium.

Fidelis perſeuerãdo plurima. — *Math. 11.* — *Votum virginitatis ſeruãdũ.* — *Diabolica prudentia, partes.* — *Reruerorum phraſes.* — *Vnio naturarum in Chriſto hypoſtatica.*

Sic nos ſiue Catholica Eccleſia credimus, quemadmodùm & magna illa eccleſiæ luminaria ac doctores veritatis, Athanaſius, Baſilius, Gregorius, Ioannes, Cyrillus magnæ Alexandrinorum ciuitatis epiſcopus. Quare illos qui præter horum dogmata ſenſerunt auerſamur, repudiamus, & execramur, cum ſubſcriptis hæreſibus quæ ſuccedaneis temporibus adnatæ ſunt poſt Domini aduentum. Eiuſmodi hæreticorum nomina ſunt hæc. 1. Simoniani. 2. Menandriani. 3. Satoriani. 4. Baſilidiani. 5. Nicolaitæ. 6. Gnoſtici, 7. Carpocratiani. 8. Nazaræi. 9. Hebionæi. 10 Valentini. 11. Secundiani. 12. Polemæi. 13. Marcoſij. 14. Colorbatij. 15. Heracleonitæ. 16. Ophitæ. 17. Catani. 18. Sithiani. 19. Archontici. 20. Cerdoniani. 21. Marcioniſtæ. 22. Lucianiſtæ, 23. Apelliani. 24. Seueriani. 25. Tatiani. 26. Encratitæ. 27. Aduerſus Phrygaſtas & Montaniſtas, Aſcodroûgetas. 28. Peupuſiani. 29. Priſcilliani, Caecutilliani quos conſequuntur Attoritæ. 30. Teſſares-Kai-decatitæ. 31. Alogi. 32. Adamiani. 33. Sampſæi, qui & Celſæi. 34. Theodotiani. 35. Melchiſedechiani. 36. Bardiaſiani. 37. Noëtiani. 38. Valeſij. 39. Kathari, qui & Amsbati. 40. Angelici. 41. Apoſtolici, qui & Apotactiotæ. 42. Sabelliani. 43. Origenarij; qui & Eſchorpæi. 44. Origeniani alij qui & Adamantij. 45. Pauli Samoſatenſis. 46. Manichæi. 47. Hieracitæ. 48. Melitiani. 49. Ariani, qui & Ariomanitæ. 50. Andiani. 51. Photiniani 52. Marcelliani. 53. Hemiarij. 54. Pneumatomachi. 55. Ætiani. 56. Etiani, qui & Anomij, & Ennomiani, & Eudoxiani. 57. Dimœritæ, qui & Apolinaridæi. 58. Antidicomarianitæ: Iſti faciunt ad inuidiam nominis, inter placentulas quas vocat, Collyridas Mariæ. 59. Meſaliani. 60. Euchitæ. Hucuſque Sanctus Epiphanius expoſuit. Poſthæc hæreſcôn portenta fuerunt hi. Euagrius & Dydimus qui ſecundùm dogmata Origenis; puta præexiſtentiam rerum atque earum reſtitutionem ſenſerunt. Theodorus Mompſubeſtius, Diodorus & Neſtorius ſuo ſenſu duos aſtruunt eſſe filios. His concinit Mares vir Perſa, & Epiſtola quæ dicitur, Iua. Secundùm hos, Eutyches imaginationem, opinionem & confuſionem ſentiens: quem quidem ſequuntur Dioſcorus, Theodoſius, Gæanus, Timotheus qui & Ælurus, Petrus qui & illud commentus eſt, nempe, vt triſhagio hymno accederet quartus σταυρωθεὶς id eſt, crucifixus. Petrus homungus, Seuerus ille Acephalus, Soterichus ex Cæſarea Cappadociæ, Philoxenus Hierapolitanus, Amphilochius Piſidiæ, Iacobus Syrus, & Iulianus? & ſi quis ſecundum hos talis fuerit. Hæc quidem, in tui gratiam contraxi, venerabilis pater Euſtachie; vt declarem quod vnaquæque harum hæreſeōn ab vno aliquo homine nomenclaturam cognominem ſortita, docet eiuſmodi virum deſertorē eſſe ac refugam Chriſti. Neque enim iſti tolerant dici ſe Chriſtianos; magis autem aſſectatores ſectæ vel Neſtorianæ, Seuerianæ, Iacobiticæ, aut cognomine quouis præſcriptorum. Atqui tempeſtiuum iam eſt, vt ex ingenti tempeſtate hac nimiſquàm procelloſa & turbulenta, deinceps enauigemus: ab impuris ſpiritibus profundæ voraginis hæreſeon nos recipiamus ad tranquillum portum cœleſtis regni: vtque leniter aſpirante aura ſpiritus ſancti, ſermonem illinc redordiamur vnde eramus digreſſi. Dicebamus ſanè eſſe opus non mediocri agone & fatigatione, vt perfruamur cœleſti regno. Neque enim de conſecutione temporarij cuiuſpiam regni, & quod à gente in gente transfertur; nobis ſermo eſt, ſed pro vita nullo fine intercipienda, pro regno nullum admiſſuro ſuccedaneum hæredem, iſte agon proponitur ſubeundus. Ait enim Daniel: *aſpiciebam, & cornu illud faciebat bellum cum ſanctis, & præualebat aduerſus eos donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit ſanctis altiſſimi; & tempus peruenit, & regnum obtinuerunt Sancti; & regnum & poteſtas, & maieſtas, regnum quo ſubter omne cælorum: data ſunt ſanctis altiſſimi.* Ioannes: *& hæc eſt promiſſio quam promiſit nobis, vita æterna.* Paulus: *noſtra conuerſatio in cælis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui reformabit corpus humilitatis noſtra configuratum corpori claritatis ſuæ.* Iterum: *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, Propter quod regnum ſtabile & inconcuſſum accipientes, habemus gratiam, per quam Deo placide obſequimur: ſcimus enim quia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Petrus item: *ſic enim abundanter adminiſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Dominus quoque noſter, & noſtræ omnium ſalutis vindex, ait: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et: *Regnum cælorum intra vos eſt.* Iterum: *beati pauperes ſpiritu.* Et: *qui perſecutionē patiuntur*

Eccleſia catholica credit vt crediderũt Patres. — *Hæreticorum catalogus.* — *Chriſtianū nomen, Hæretici deuitant.* — *Dan. 7.* — *Ioann. 17.* — *Phil. 3.* — *δόξης gloriæ.* — *Coloſſ. 1.* — *2. Petr. 1.* — *Matth. 11.* — *Luc. 17.*

Math. 5. *Luc. 6.* *Math. 13.*

propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et: venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à A *conſtitutione mundi. mittet enim filius hominis angelos ſuos, & congregabit de regno ſuo omnia ſcandala, & qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis; tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Ipſi enim eſt regnum & potentia & gloria Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vbiuis locorum, & nunc, & ſemper, & in ſæcula interminа ſæculorum; Amen.

πάντοτε καὶ αἰῶ.

EXOMOLOGESIS
SANCTI PATRIS
ANTIOCHI.

Pſal. 24. *Pſal. 88.*

DOMINE Deus omnipotens, magnus tu & admirabilis; qui cuſtodis teſtamẽtum tuum & miſericordiam tuam his B qui te diligunt & cuſtodiunt mandata tua! Memor eſto miſerationum tuarum & copioſæ miſericordiæ tuæ, qui à ſeculo ſunt: ne obliuiſcaris teſtamenti tui; qui dixiſti: *ſi mandata mea non cuſtodieritis, viſitabo in virga iniquitates veſtras, & in verberibus iniuſtitias veſtras, miſericordiam autem meam non diſpergam a vobis; & quæ procedunt per labia mea, non faciam irrita.* Confirmentur ſermones iſti tui, Here benigniſſime; & aufer peccata noſtra, quippe qui miſerator es & longanimis. Tibi enim Domino Deo noſtro, iuſtitia; nobis autem confuſio facies noſtras adoperuit, vt hæc dies probat: quia peccauimus coram te domine, neque exaudiuimus vocem tuam, vt ambularemus in mandatis tuis quæ dediſti in conſpectu noſtro; ſed contempſimus te Domine Deus noſter, eóque cohæſerunt nobis ingentia mala hæc. Ne C ſic quidem conuerſi ſumus ad cuſtodiam mandatorum tuorum; ſed abiuimus vnuſquiſque in ſenſu praui cordis noſtri, vt faceremus quæ mala ſunt coram oculis tuis Domine. Ecce ſanctuaria noſtra hæc deſerta: Diuinitas igni ſucceſa eſt, populus in captiuitatem abductus, facti ſumus in opprobrium his qui in circuitu noſtro ſunt. Facti ſumus ſubtùs & non ſupra: quia peccauimus tibi Domino Deo noſtro, eò quòd non audiuimus vocem tuam. Oh hoc expuliſti nos & deſtruxiſti nos, & commouiſti terram & conturbaſti eam. Cæterum tu lõganimis cùm ſis & copioſæ miſericordiæ; ſana contritiones eius, quia commota eſt vehementer. Populus enim tuus expertus eſt dura, ſuper quo fruſtrà inuocatũ D eſt nomen tuum. Impleti ſunt ſermones prophetarum tuorum ſuper nos, quia *venerunt gentes in hæreditatem tuã, & polluerunt templum tuum*, in quo myſterium perfectũ eſt diſpenſationis vnigeniti tui, & ſanctuarium tuum igni ſuccenderunt, quin & *Hieruſalem poſuerunt in pomorũ cuſtodiam* Morticina ſeruorum tuorum in medio iuxta ac in circuitu, Hieruſalem paſſim diſiecta ſunt, *nec erat qui ſepeliret.* Fortitudinem noſtram, ornamentum ac decus; ſalutis inquam noſtræ ſpem, nempe crucem Chriſti tradidiſti fidei aduerſariis. Facti ſumus opprobrium tam vicinis, quàm qui longiſſimè diſſiti ſunt; ſubſſannatio & deriſio omnibus gentibus. Auertiſti enim nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & qui oderunt nos, diripiebant ſibi. Dediſti nos tanquàm oues ad eſcam ex- E poſitas, & inter gentes diſperſiſti nos. Vendidiſti populum tuum ſine precio, & nõ erat multitudo in commutationibus noſtris. Tradidiſti nos in manus inimicorum exlegũ, ac regi iniquo, omniúmque qui per vniuerſam terrã gradiuntur longè maligniſſimo addixiſti nos. Ne ſic quidem vniuerſis flagellis tuis attriti indoluimus: adeò ſenſus noſtri omni contentione ac ſtudio in malũ propendent abúſque pueritia. Sed & ad annos prouecti viriles, in huiuſmodi vitiis ſolitò ampliùs occalleſcimus. Prorſus Domine iuſtus tu, in omnibus quæ feciſti nobis; nunc demùm ſcimus, quia peccata noſtra ipſa reſtiterunt nobis: peccata enim noſtra nimiſquam multa increuerunt in conſpectu tuo Domine. Sed miſericordia tua Domine anticipet nos, quia tu in nobis A Domine, & nomen tuum ſanctum inuocatum eſt ſuper nos. Quieſcat (obſecro) ira furoris tui & ne confundas nos in finem, neque memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum; at, ne à nobis quidem recens commiſſarum, neu indignos nos pronuncies tuis miſerationibus: quin potiùs reminiſcere, quia tanti nos æſtimauit tua benignitas, quos pretioſo tuo ſanguine redimeres. Peccauimus, placare Domine: inique geſſimus, tua here condonet indulgentia: offendimus, conciliator ſancte. Illuſtra faciem tuam Domine ſuper ſeruos tuos qui tyrannica impreſſione premuntur inclementer; éque ſolio ſublimi tuo emitte eis & ſuggere auxilium, ò potens. Populum tuum ab omni calamitate, cui miſerè ſuccumbit, eripe, & ab omni legis tuæ præuaricatione redimito, & è manu præuaricatorum ſubduc il- B los. Per tuæ viſcera pietatis excute à nobis Domine ac diſperge impendens omne vitæ diſcrimen; neque in finem, tuam hanc hæreditatem tradideris in internecionem, tametſi noſtræ iniquitates id promereantur. Quin potiùs, tuæ nos anticipent miſerationes Domine Deus noſter: Etenim à ſeculo non deſinit copioſæ & exuberantis miſericordiæ tuæ dona effundere in omnem creaturam tuam. Tu quidem omnium noſtrum refugium factus es: & in te ſperantium aſylum ſalutare. Eſto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimicorum noſtrorum; neu ſinas ad internecionem & cladem extremam tradi in eorum manus qui te non nouerunt, animas confitentium tibi: neque patiaris Domine, tam inſigni ignominia aſpergi hæreditatem tuã à gente ſic ef- C fręni & impudenti. Magis tu inclina Domine aurem tuam & exaudi ac reſpice de cœlo ſancto tuo ad hanc noſtram exinanitionem, ad demolitionem & excidium ciuitatis tuæ Hieruſalem, pro qua inuocatum eſt nomen tuum, ſuper ipſam cunctam Eccleſiam tuam: cuius ſubſtructionem ſupra ſolidam petram collocaſti. dicens: *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Exaudi Domine orationem ſeruorum tuorum; auréſque tuas accõmoda noſtris deprecationibus. Illuſtra faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum: neque enim fiducia ſubnixi iuſtificationũ noſtrarum, noſtram hanc ſupplicationẽ tuæ maieſtati offerimus, (Nam qua fronte id auſint, qui te quotidiana acceſſione peccatorum exacerbant?) magis verò ſub vmbrã tuarum confugimus miſerationũ; multæ enim ſunt. Domine, exaudi; eſto Domine placabilis, D Domine attẽde, Parce mi Domine populo tuo, *& ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominẽtur eis gentes, nequãdo dicant: vbi eſt Deus eorũ.* Neque propter iniquitates noſtras vnquàm permiſeris, & nomen tuum ſanctum blaſphemetur in gentibus, quæ te non nouerunt. Tibi Domino Deo noſtro iuſtitia, nobis autem confuſio vultus, vſque in præſens. Huc enim vſque neglexiмus ad te cõuerti; calloſæ adeò ſumus ac praeduræ ceruicis. *Si mutabit Æthiops pellem ſuam*; & nos vitæ hactenus peſſimè inſtitutæ propoſitum immutabimus. Planè mala hæc omnia in nos propterea reciderunt, neque ſic ad pœnitentiæ portum nos recepimus aut reſipuimus: magis verò prioribus peccatis peccata adiecimus. Ne ſic quidem Domine rogauimus faciem tuam, vt vel ſerò auocares E nos à cogitationibus cordis noſtri peſſimi. Euigilaſti tãdẽ Domine, experrectus ſuper flagitiis noſtris; & ſuper nos induxiſti virgã furoris tui, ſiquidẽ iuſtus es Domine in omnibus: non enim exaudiuimus vocem tuã, vt per viam mandatorum tuorum ingrederemur. Sed & nunc Domine Deus noſter, quandoquidem in ſignis & portentis ab inſano errore idololatriæ ſubmouiſti nos, feciſtique tibi ipſi nomen vſque in præſens: quieſce, obſecro Domine. Imminuti enim ſumus ſuper terram, & tanquam immundi omnes nos affecti. Quaſi enim pannus mulieris menſtruo ſanguine fluentis iuſtitia noſtra; inque morem marceſcentium foliorum ipſi defluximus propter iniquitates noſtras: non enim ſupereſt, qui inuocet nomen tuum. Sa-

Iſa. 5. *Pſal. 78.* *Antiochum vixiſſe ſub Heraclio & Coſdroa, vel hinc liceat colligere.* *Pſal. 119.* *Pſal. 78.*

Pſal. 30. *Pſal. 32. 93.* *Pſal. 60.* *2. Reg. 2.* *Pſal. 85.* *Matth. 6.* *Ioel 2.* *Pſalm. 113.* *Rom. 2.* *Bar. 1.* *Dan. 9.* *Ier. 13.* *Dan 9.* *Bar. 2.* *Ier. 32.* *Deut. 26. 34.* *Dan. 3.* *Iſa. 64.*

Pſal. 19. Matth. 6. Ioan. 8. Eccl. 25. Iſa 45. Hier. 18. Rom 9. Iſa.64. Thren 4 Ioel. 2.

neqnàm iuſtè auertiſti à nobis faciem tuam. Et nunc Domine, Pater noſter tu es: nos autem lutum, opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris nobis valde, néve in tempore memineris peccatorum noſtrorũ: quin potius vide Domine, quia populus tuus omnes nos. Ciuitas ſancti templi tui in ſolitudinem redacta eſt, & gloria Sion incendio conflagrauit, ſimúlque monumenta gloriæ noſtræ vniuerſa conciderunt. Adhæc etiam omnia; alliſiſti nos Domine valde, & humiliaſti vehementer. Neque enim viam inimus vitæ melioris, magis autem per calles deuios, nempe poſt peccata noſtra. Parce domine populo tuo & hæreditati tuæ, próque gloria nominis tui erue nos de manu inimicorum noſtrorum, vt nouerit terra omnis, quia tu Dominus Deus noſter in bello potens, & miſerationes tuæ in generationem & generationem perſeuerant ſuper populum tuum, de ſe alioqui minùs præſumentem. Cæterùm ô hominum amator clementiſſime, quid re oremus peccatores, aut apprecemur nobis ſecundùm quod oportet, planè neſcimus, qui ſumus terra & cinis: habemus tamen apud tuam benignitatem, qui pro nobis interpellet; nempe verbum tuum nulla protſus aſpergine peccati decoloratum, quem per tuæ viſcera miſericordiæ miſiſti, ſuum vt plaſma reuocaret in viam. Caro factus noſtri cauſa paſſus eſt cruci ſe affigi. Is aboleuit quod aduerſum nos erat, chirographum, peccatorum noſtrorum factus propitiatio. Sed & ſpiritum ſanctum tuum totius ſanctitatis infuſorem miſiſti. Et hic pro nobis quoque interpellat non quidem ſeruili more, ſed prout tantam addecet maieſtatem & conſueta in nos benignitate, cui etiam curæ eſt tuum hoc plaſma. Here mi, memor eſto tantæ iſtius tuæ erga nos clementiæ. Crucis etiamnum reminiſcere vnigeniti tui, & à magnitudine gloriæ tuæ nobis emitte miſerationes tuas, neque non gratiam ac donum ſancti tui Spiritus; qui ſuo ad nos gratioſo aduentu, rectà prouehat ad ea exempla quæ tibi cùm primis placent, ac demùm vitam illam aſſequi promereamur æternam. Nos igitur indigni licet (ô Domine) fiducia tamen ſubnixi tuæ ſolius gratiæ, petimus propter immaculatum Filium ac verbum Patris, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui dixit: *Petite, & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis:* *Omnis* enim *qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Iterum: *ſi igitur vos cùm ſitis mali noſtis dona bona dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe?* Eóque te addecet gloria omnis honor ſuſpiciendus, & ſupplex cultus, ô Pater, Fili, & Spiritus ſancte, nunc & ſemper, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Col. 2. *Gal. 4.* *Math. 7. Luc. 11. Luc. 11.*

Finis orationis exomologeticæ Sancti Patris Antiochi Tilmano Cart. interprete.

S. LAVRENTII, NOVARIENSIS EPISCOPI;

HOMILIÆ II.

H*VNC eſſe ſuſpicor Laurentium priorem, qui ex Nouarienſi factus ſit Mediolanenſis Archiepiſcopus vigeſimus quintus, ad annum Chriſti, 507. cuius encomia videatur celebrare Ennodius.* Veni, *inquit*, piiſſime domine, &c. euocatus ſanctorum ſacerdotum merito, electi ſeorſim præſentis patris noſtri Laurentij conſcientia, qui tot plenus dotibus ad eccleſiæ faſtigium creuit, quot feciſſent ſummum ſingula quæque Pontificem in quo vernat boni operis princeps. & honeſtatis mater verecundia, religionis ſanctæ nutrix patientia, Deum ſemper placatura pietas, & quæ eccleſiaſticis membris non ſermone vitæ inſtitura tribuet, ſed exemplis, &c. *in Dictione miſſa Honorato epiſcopo Nouarrienſi in dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum. Qui etiam Honoratus adminiſtrato Nouarrienſi Epiſcopatu annis triginta octo, (quibus in Mediolanenſi Throno ſederunt poſt Laurentium priorem, S. Euſtorgius ann. 7. S. Magnus, ann. 3. S. Datius, ann. 22. S. Vitalis, ann. 4. S. Auxanus, ann. 2.) ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem euectus ſit, non ita multò ante Longobardorum in Italiam aduentum.*

SANCTI LAVRENTI EPISCOPI NOVARVM,

HOMELIA DE POENITENTIA.

Peccati duplex remiſſio.

DVO ſunt tempora ab altiſſimo præſtituta, in quibus datur duplex hominibus remiſſio peccatorum. Eſt namque remiſſio publica & eſt remiſſio priuata. Publica, tempus ſuum habet; priuata ſuum exercet tempus. In publica fons eſt indulgentiæ; in priuata fructus eſt pœnitentiæ. In illa donum Dei; in iſta labor hominis. In illa baptiſma, in iſta pœnitudo. Et quæ ſunt iſta tempora debent agnoſci. Tempus primum eſt ab Adam vſque ad CHRISTVM. Tempus ſecundum eſt à CHRISTO vſque ad conſummationem ſæculi. Hæc ſunt duo tempora. In primo quid eſt? Peccatum Adam, quod CHRISTVS ſoluit. In ſecundo, quid? peccata propria, quæ labor hominum & ſolicitudo extinguit. Illud, generale eſt; hoc, ſpeciale. Aduerte quod dicitur; Peccatum Adam quod in filijs eius permanſit, diuina clementia abſtulit. Sarcinam illam in ſe ſuſcepit Saluator, & euertit: quando? In primo tempore. Vbi? in fonte baptiſmatis, fluuióque Iordanis. Ibi clamabat Baptiſma, digitóque oſtendebat cœleſtem Principem, dicens: *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Peccatum mundi quid eſt? Delictum Adam per traducem ſeminis, ad filios deuolutum. Agnus igitur Dei, CHRISTVS; tinctus in flumine, tulit noxiam ſarcinam à Patre in filios deriuantem. Nefas illud peſſimum, à ſerpente ſuggeſtum; in fonte intinxit, in flumine aboleuit, in carne cremauit. Tulit debitum vnius, & donauit indulgentiam cunctis. Caput curauit & ſana ſunt omnia membra. Verùm ab hoc fonte, vel indulgentia generali aliud iam exoritur tempus: commiſſa peccata non aqua delet, ſed pœnitudo remittit. Et hoc tempus vtrúmque Pſalmiſta Dauid in quinquageſimo Pſalmo notauit. Primum tempus poſuit, vbi per CHRISTVM loquitur in perſona Adam. Et quid dicit? *Incerta*, inquit, *& occulta ſapientia tua*

Ioan. 1. d. Gen. 3.

manifeſtaſi mihi. Et quæ ſunt iſta? Incertum fuit ſaluari Adam lapſum in mortem; ſed manifeſta facta eſt & re- A

Pſal. 50.

demptio eius in carne, & remiſſio eius in aqua, Vidi in ſpiritu quomodò clementia tua miſſa pet vnigenitum; & patrē recepit de crimine, & filium donauit ſaluti. Ecce incerta ſapientiæ tuæ, quæ mihi tua dignatio reuclauit! Quid ergo Adam? ipſe eſt qui per CHRISTVM

Ibidem.

exultat in Dauid, dicens: *Domine aſperges me hyſopo, & mundabor.* Culpa enim mea me obruit; immò, crimen præuaricationis fœdauit. Sed, *aſperges me hyſopo*: id eſt, aqua viua: *& mundabor. Aſperges me* aqua Filij tui ſacro ſanguine mixta, *& mundabor. Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor!* Lauabis me in illo yenturo fonte & myſtico flumine; in quo, non ſolùm crimen meum extinguetur ſed & candor meus quem recepturus ſum, etiam ſuper niuem excellet. Futurum eſt, genitor vt mittas Filium B tuum vnigenitum qui auferat malum de mundo, quod per me introductum eſt; & non fraudentur filij in facinore patris. Ille aperiet viam ſalutis, ille reſerabit remiſſionem fontis; & crimen meum abolebit in aqua & ſpiritu. Aſperget me gratiæ ſuæ guttis, *& mundabor. Lauabit me* ignitero lumine, *& ſuper niuem dealbabor.* Hæc eſt primo tempore remiſſio generalis: Videamus quid in ſecundo. Item Pſalmi declarant: Vſquequaque *laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me.* Ecce

Ibidem.

tempus, & tempus ſuperius Adam; inferius Dauid. Ibi lauacrum eſt aquæ, vbi dicit: *lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* Hic lachrymæ ſunt pœnitentiæ, vbi dicit Dauid, *Vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me.* Illud publicum; hoc priuatum. Illud gratiæ; hoc clementiæ. Illud omnium; hoc ſingulare. Illud myſticum; hoc morale. Abluitur Adam corpore CHRISTI, vt veterem abijciat hominem & in-

Adami peccantis & Dauidis pœnitentis antitheſis.

duat nouum. Abluitur Dauid in corde compuncto, vt reformet in ſe ſpeciem quam crimen fuſcauit. Ille renouatur in fonte, iſte reparatur in fletu. Illum gratia curauit, iſtum gemitus reformauit. Qui commiſſum ſuū hirſuto corpure dolet, & lugens peccati ſui ante ſe pingit imaginem, ita aſſerens: *Vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea.* Quare *vſquequaque*? quia *iniquitatem meam agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper.* Tanquam ſi ita diceret. Sanaueras me domine iam ante in patre meo Adam, quando membra illius in te ſuſcepta tinxiſti, in fonte, abluiſti in flumine. liber exiſtebam beneficio tuo, nec potui indulta mihi gratiam retinere: Iterum enim in meipſum erraui. A patris delicto liber effectus, proprium commiſi delictū; de publico ereptus laqueo, priuatum incurri. Non eſt iam fontis nec aquæ præſidium. Quid faciam, aut vnde piabor? Nunquid mereor iterum indulgentiæ tuæ imbre perfundi, generalique lauacri flumine dilui? Abſit! Non ego iam aquæ munus repetam quod ablui. Semel petam quod ſemel conceſſum eſt. Ex mea me inopia redimo, ex meo

Pœnitens in inopia ſua & labore ſuo, ſe redemit.

me labore perfundo. Eſt in me exiguus quidam humor, qui non me more torrentis infundit, ſed modico ſudore inrorat. Laboris mei me guttis ablui quæro; verborúmque ſcintillis vitus in me conceptum exuri deſidero. Vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea: non iam aqua, ſed opere laua me; non Baptiſmatis fonte, ſed pœnitentiæ rore. *Quia delictum meum contra me eſt* ſemper. Vidi me: cognoui factum meum, ſtat ante me delictum quod me deformauit. Vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea, quia cognoui quid feci: quid ego cognoui, tu dignanter ignoſce. Deſpice tu, quod ego inſpicio. Sufficit me videre hoc. Tibi diſplicui; *auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Quare? *quia delictum meum contra me eſt ſemper.* Scriptum eſt in corde meo, exaratum eſt ſub oculis meis, fixum eſt in conſciētia mea. Ablue tu, quod ego ſcripſi, exime quod ego depinxi. Hæc in figura plorata ſunt; hæc induxi in ſpeculum quinquageſimi Pſalmi, in quo ad aſpectum noſtrum & primi temporis & ſecundi gemina imago reſultat. Primi in Adam; ſecundi in Dauid. Licet ambo, ſiue Adam, ſiue Dauid primi temporis ſpatio concludantur. Spiritus eſt ſanctus qui loquitur in prophetis, & tempus vtriuſque à ſe diſtinguit; & præuaricationis venia ſignetur in Adam, pœnitentiæ munus exoluat in Dauid. Sermo námque propheticus, & præcedentem faciem temporis & ſequentem depingit in Pſalmo. Vobis igitur (dilectiſſimi) ſermo iſte componitur; ad vos dirigitur iſta aſſertio. Vobis hæc diſputatio clarum profectum habitura ingeritur; in quibus calor fidei peccato forrè interueniente perfrixit. Mens perdita obſtupeſcit, ſpes deprauata liqueſcit, omniſque futurorum intentio aporiata torpeſcit, dum ſecum vnuſquiſque perpendit, ſibique reputat, ac intra ſe loquitur ita: quid facturus ſum modò; quid ſuper agendum eſt mihi, aut quid reſtat ſperandum? redemptus fui; & factus ſum ſeruus, liber fueram & factus ſum ſeruus peccati! perdidi gratiam largitoris; amiſi beneficium redemptoris! Claro corpore egreſſus de fonte; cœno me iterum immundo perfudi, limóque fœdaui. Purus de gratia Dei, factus ſum de propria intemperantia perditus. Error meus de filio famulum, de intimo inimicum, de hærede exterum. Violaui ſymbolum meū, corrupi pactum in ipſo veſtibulo fontis cūſcriptum. O quam infelix conditio! O quàm miſeranda conſilia! Operibus diabolicis me renunciaturum ſpoponderam: & implere nō valui! Malis quibus carui: in ipſis, relapſus, contaminor! Euangelicam tunicam, rurſus in pellicia commutaui. Stolam meriti quam mundam texueram, labe vitiorum fuſcaui? & nouum hominem iterum vetuſtate contexi. Quid nunc requiro, aut quid expecto adhuc; vbi quæro fontem, aut vbi inuenio baptiſma? C Nunquid eſt reſpectus ad aquam nunquid recipiet me adhuc vnda, vt me reformet in vtero aquæ & pariat innocentem? Aut fortè quærere debeo adhuc dexteram ſacerdotis, quæ me mergat in fontem; & inde iterum purificet? Hæc tecum loqueris; tu hæc tecum tractas, conſcientiæ tuæ onere prægrauatus!

Peccatori non eſt deſperandum.

Sed quæ ſunt hæc verba tua, ô homo cognoſce, te eſſe imaginem Dei. Sapientem te fecit Deus, prouidum animo, mente myſticum, ſenſibus ſublimem, & vult te non perdere ſed ſaluare: non perimere, ſed protegere: quare tu deſperas, quando ille non deſpicit? Conſcientiam tuam formidas, & ad caput indulgentiæ non feſtinas? Quid putas eſſe fontem qui concepit: aut quid æſtimas eſſe vndam aquæ quæ te peperit? Nunquid aqua eſt media; aut vnda, in cauſa? D Abſit! ſed diſce myſterium. Prudentia tua, fons; & in te, intellectus tuus aqua eſt inundans, habens aſpectum cordis, vt videas temetipſum. Accepiſti mentem altiora petentem; ſta in altitudine mentis tuæ quaſi imago Dei: & de ſpeculo hoc, Deifici operis profunda rimaberis. Habes arbitriū & ſenſum de Deo conceſſum. Delibera apud te, cùm ſis imago Dei, quomodò non poſſis extingui. Si eſt in te prudentia, ſi habes conſilium, & proprium mentis arbitrium; Deus in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia, & fons

Inepta conſcientiæ tædia.

& baptiſma, & remiſſio, qui nunquam in te nec deſinit nec deficit. Quid ambiguus æſtuas? quid reſolueris animo, & inter inepta tædia cōſciētiæ tuæ fatigatus torpeſcis? Peccaſti poſt fontem, lapſus es poſt baptiſma, feciſti crimen poſt indulgentiam generalem: E quid nunc periit iam ſpes? nunquid intercepta eſt retributio? Non eſt ita homo! Quid circunduceris? ſignum accepiſti de fonte; non deſperationis ſed miſerationis, non defectionis ſed remiſſionis, non vt vnquam deſperes. Signum acceperunt Iudæi: quale? circuncifionis. Signū acceperunt & Chriſtiani: quale? Miſerationis. Ecce ſignum in Iudæis: Circunciſio carnis: in Chriſtianis circunciſio cordis. Sed ſatis hæc illa præſtantior. In illa ſanguis inciſionis, in hac aqua remiſſionis. Ibi plaga carnis, hic palma pietatis. Ibi obſeruantia rigida, hic indulgentia regia. Et hoc vtrúmque ſignaculum Chriſtus pendens in patibulo prænotauit, quādo de vulnere ſuo & aquam eduxit & ſanguinem. Vt ſanguinis ſignaculum daret Iudæis, aquæ vero indicium gentibus Chriſtianis. Signum ergo tu accepiſti de fonte, non Iudai-

Contra deſperationem. circunciſionis & Baptiſmi elegans antitheſis.

Ioan. 19.

cum ſed Euangelicum. Ex illa die illáque hora qua egreſſus es de lauacro; ipſe tibi es fons iugis, & diuturna A remiſſio. Non opus habes doctore, non dextra ſacerdotis.

Baptiſmi ceremoniæ.

Mox vt aſcendiſti de ſacro fonte, veſtitus es veſte alba, & vnctus es vnguento myſtico: facta eſt ſuper te inuocatio, & venit ſuper te trina virtus, quæ vas nouum hac noua perfudit doctrina. Exinde te ipſum ſtatuit tibi iudicem & arbitrum; deditque tibi notitiam, vt poſſis ex te diſcere bonum & malum: Id eſt; inter meritum & peccatum. Et quia non poteras, manens in mēbris corporiſque compage liber exiſtere à peccato, immuníſque eſſe à noxa: poſt Baptiſma remedium tuum in te ipſo ſtatuit, remiſſionem in arbitrio tuo poſuit, vt non quæras ſacerdotem cùm neceſſitas flagitauerit: Sed ipſe iam ac ſi ſcitus perſpicuuſque magiſter, errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine B

Pœnitentia in arbitrio noſtro eſt.

abluas, Itaque deſinat duritia, ceſſet deſperatio, deſinat ignauia, Fons nunquam deficit, aqua intus eſt; ablutio in arbitrio eſt, ſanctificatio inſolentia eſt, remiſſio in rore eſt lacrymarum. Nolite ſoluere in ſegnitiam: fons eſt in homine conſeruatus perpetua pœnitudo. Ibi eſt pœnitentia ad vocem Baptiſtæ qui ſic vociferatur in eremo, & penetrabili clamore deſertas hominum mentes exaggerat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*

Matt. 3. a. 4. c.

Nemo poteſt ſuperni imperij habere apicem, habere faſtigium; niſi fuerit pœnitentiæ ſuffragio fultus. Ad regni ſuperni penetrabilia non peruenit quiſquam, niſi egerit pœnitentiam. Repetit adhuc Baptiſta: *Ego* (inquit) *baptizo vos aqua in pœnitentiam, ſed alter eſt poſt me veniens, qui vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni.* C Noli tu iam quærere neque Ioannem, neque Iordanem: ipſe tibi eſto Baptiſta, Pollutus es poſt lauacrum, viciata ſunt viſcera tua, contaminata eſt anima? tingere in aqua pœnitentiæ, ablue te abundantia lachrymarum, exuberet fons compunctionis in extis tuis, Exundent aquæ viuæ in fibriis tuis. Para te venienti Domino, & ipſe te baptizabit in Spiritu ſancto & igni, *habens ventilabrum in manu ſua*: quod eſt inſpectio vel ponderatio pœnitudinis ac peccati.

Math. 3. c. Luc. 3. a.

Ipſe perpendit in te vtrúmque pondus, ipſe inſpicit in te molem & molem: Vnam pœnitentiæ, & vnam peſtilentiæ. Et pœnitentiæ quidem fructus, ac ſi triticum congerit in tuum profectum: Peccat vero tua, quaſi peſtilentiæ paleas, comburit igni inextinguibili. D Hæc eſt priuata remiſſio; intimo corde prouocata, & pœnitudine adquiſita.

Remiſſio priuata.

Multa ſunt repetenda, plurima replicanda. Genus hominum fragile eſt, & lubrico ſemper greſſu incedit. Natura corporalis obnoxia eſt rebus contrariis: Paſſionibus etenim diuerſis ac vitiis ſubiacet: Nec tantùm de propria puritate, quantum de diuina pietate dirigitur. Et, ſi hodiè quis confidat de merito, de robore animi, de vigore viſcerum, craſtino fallitur ac decipitur. Sic enim proteſtatur Apoſtolus dicens: *& qui ſe putat ſtare, videat ne cadat* Carcer eſt verò qui animæ fortitudinem premit & claritatem contaminat.

1. Cor. 3. c.

Laqueus eſt ſemper imminens, iugiterque inſidians: Laqueus eſt peſtifero lapſu protenſus in via. Et inde eſt quod clamat Propheta: *in via hac qua ambulabam, occultauerant laqueum mihi.* Et iterum: *Iuxta ſemitam, ſcandalum poſuerunt mihi.* E Implicatur plerúnque anima in hoc corporeo laqueo; & ſi velit, & ſi nolit; nec liberatur ſponte, prius quam diuino ſuffragio per pœnitudinem ſupplicans, vt ait iterum Propheta: *benedictus Dominus qui non dedit nos in captione dentibus eorum: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt adiuuante Domino, & nos liberati ſumus.* In laqueo hærebat anima: erepta eſt non ſuis viribus, ſed diuino præſidio!

Pſal. 39. a. Pſal. 139. b. Pſal. 123. a.

Et quis eſt iſte laqueus, niſi caro quæ animam in propoſito ſuo bene currentem vexat ſemper, carpit iugiter, capit frequenter? eſt enim vnus ſtimulus per membra inſidians. Dico, quomodò in oculis eſt laqueus grauis. An non cognouiſti quemadmodùm anima (non dicam, ſæpè; ſed ſemper) captiuatur in aſpectu?

Caro eſt animæ laqueus. Laqueus peccati, in aſpectu.

Vnde auaritia inſidiatur, vnde libido incenditur: niſi de corporali aſpectu? Vidiſti laqueum fortem! nec immeritò ſcriptum eſt: *nequius oculo quid eſt factum in homine?* Et iterum: *Intrabit mors per feneſtras veſtras.* Et lingua tua laqueus eſt inſanabilis; ſpargit enim venenum maledictionis, blaſphemiæ, ſuſurrationis, detractionis; & nō ſolùm corda, ſed etiam exulcerat animam.

Eccl. 31. b. Hier. 9. f. Lingua eſt laqueus inſanabilis.

Et inde eſt quod obſecrat ille præſul pœnitentiæ dicens: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis.* Nec minus interſerit alter: *quis dabit cogitationi meæ flagellum, aut quis imponet ſuper labia mea ſignaculum?* Certè: vt tunc loquar quando non eſt tacendum, & quod prompſerit lingua nō mordeat ſed nutriat animam; ſonabit vox aduerſa in auribus, & homo interior ſtimulatur in ira, concitatur in cæde.

Dauid pœnitentiæ præſul. Pſal. 140. a. Eccl. 23. a.

Vides, quia & in auribus laqueus permanet? & inde illa Scripturæ commonitio ſonat: *ſepi aures tuas ſpinis; noli audire linguam nequam.* Laqueus eſt in manibus: vt dictum eſt, iniquitatem manus veſtræ cōcinnant. Et iterum: *Vt quid mihi ieiunaſtis quando ſubditos vobis compungitis, & percutitis pugnis humilem?* Quid dicam de noxio pedum inceſſu, curſúque cruore infecto: vt eſt illud; *veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

Eccl. 28. d. Pſal. 57. a. Iſai. 58. Pſalm. 13. d. Rom. 13. b.

Has námque inſidias corporales, hos laqueos ſingulorum membrorum de corpore eruendos: ſententiis ſuis decernit Saluator. *Si oculus tuus dexter, ſi manus tua vel pes ſcandalizat te*: id eſt, animam tuam diuina deſiderantem, cœleſtia cogitantem, deprauant. Si laqueis ſuis te implicant, aut fraude ſua nituntur viſus eruere: abſcinde non manum aut pedem, ſed peſtilentiam tibi per hæc membra morbúmque illatam. Quamobrem dictum eſt: *ſi oculus tuus dexter te ſcandalizat, ſi manus dextera vel pes*: niſi quia omne quod bonum eſt, dextrum dicitur, ſimiliter malum appellatur ſiniſtrū? Et eſt pars dextra, & eſt pars ſiniſtra. Dextra ſuos retinet probatos: ſiniſtra ſuos æquè reprobatos.

Math. 5. e. 18. a. Marc. 9.

Ad dextros quid dicit Chriſtus? *Venite benedicti Patris mei poſſidere regnum paratum vobis ab origine mundi.* Quid ad ſiniſtros? *diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Vides quanta diſtenſio eſt in ſiniſtro & dextro? quid igitur ſi oculus tuus dexter ſcandalizat? diſce quid eſt quod quando committis peccatum, oculo tibi miniſtrāte; dulce tibi & dextrum videtur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in ſiniſtrum, quando reſidente Domino & diſcutiente peccata, cœperis inter multos alios & ipſe audire: *diſcedite à me maledicti*, peccatores iniuſti, *in ignem æternum.*

Math. 25.

Scandalizauit te oculus, ſubripuit, delinquis, per viſum te implicauit? *erue eum.* Quid iubet eruere? oculum, an peccatum? Oculum ſuggerentem commiſſum. Nunquid oculus peccauit quia vidit; an magis animus deliquit quia concupiuit? Cæterùm ſi per cuncta peccata vel ſcandala non animi cupiditas reprimenda eſt, ſed effodiendus eſt oculus quia vidit, nullus iam habiturus eſt oculos.

Oculum ſibi eruere, quid ſit in Scriptura.

Non eſt quiſquam (vt arbitror) cui oculi remanebunt: quia non eſt inter mortales qui non concupiſcit, aut ſcandalizatur, aut peccat. Homo inculpaueris oculum ad gratiam tibi conceſſum; cuius beneficio lumen vides? ornatus eſt capitis, ſpeculum eſt membrorum, totiuſque corporis feneſtra gratiſſima! Noli hunc inculpare quia cernit; ſed inculpa quæ cernit, ſed inculpa tibi ipſi; quia concupiſti! Erue, non oculum de capite, ſed errorem de corde; euelle, non aſpectum corporeū, ſed cōcupiſcentiæ crimen: nō eſt iuſſum oculū delere, ſed crimen euellere. Dexter fuit oculus quando tibi obduxit ſcandalū; hoc eſt quod dicit quādo te inquinauit & polluit. Sed erue eum contraria fortitudine. Noli te vulnerate cogitare; ſed ad vincendum te præcinge. Eſto armiger pœnitentiæ, & protinus euertes peccatum. Dulce fuit vitium cùm delectauit animam; ſed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ non ſolùm delectet, verùmetiam nutriat animam. Concupiſti malum, vicit te cupiditas, perpetraſti nefas! erit animus tuus dexter oculus; id eſt dulcedo peccati. Erue oculum iſtum,

ſiniſtro conſpectu conſertum, qui te non illuminat ſed A contenebrat; & de dextro transfert te in ſiniſtrum. Sed dicis: malum hoc quod aſſeris à me extirpandum, oculus iſte nefandus; intus eſt! Non videtur in pectore, habetur in corde conſcientiæ fixus, quali arte valebo eum eruere; qui nec manu contingi poreſt, nec digito erui aut euelli? Vis oſtendam tibi manum, & digitum, & artem qua poſſit euelli? Quando percuſſiſti pugnis humilem; induxiſti in te peccati oculum: quando porrexiſti manum tuam ad ſubleuandum humilem, ad ſatiandum inopem; eruiſti de corde tuo nequitiæ oculum qui te ſcandalizauit. Vides quali manu, digitóque & arte noxius ille euellitur oculus qui te de dextro dirigit in ſiniſtrum? Dulcia ſunt vitia dum in actu ſunt, ſed fiunt protinus amara poſt actum. *Mel*, inquit, *ſtillat ex labiis meretricis*, & hoc dulce. B Ad tempus quidem vngit gulam, impinguat fauces; nouiſſimè verò conuertitur in amaritudinem fellis; & quod fuit dulce ad tempus, fit amarum in fine. Feſtina igitur, & ne tardus exiſtas ad corrigendum te de ſiniſtro in dextrum. Cecidiſti per oculum? contaminauit te aſpectu ſuo? abluat te aqua ſua. Induxit in te laqueum? eruat te de laqueo: habet enim in ſe magnum lacrymarum auxilium. Impulit te obſcœnis ſordeſcere actibus, turpique mucrone caput abſcidit; id eſt, auaritia aut libidine? Age tu, exerce te contra talem oculum; erige te contra aſpectum tuum, agita cordis tui venas quæ tendunt ad oculum, & dic illi: Ocule ad te recurro, tibi imputo? exue quod implicaſti. Tu me vulneraſti, tu me ſana, tu me polluiſti, tu me purifica: Ablue quod inquinaſti, erige quod eliſiſti, corrige C quod euertiſti, abſolue quod per ſcandalum obligaſti. Tu vidiſti, ego concupiui: tu inſpexiſti & ego peccaui. Vidiſti aurum, vidiſti poſſeſſiones aliorum & prædia; excæcauit ambitio. Cœpi velle quod meum non erat, cœpi auferre aut argumento inuadere aliena. Tali me ſcandalo obcæcaſti. Quid dicam de fœminea ſpecie, quantum intuendo eam collapſa eſt anima, effœminata ſunt viſcera, & quaſi concupiſcẽtiæ ſagitta percuſſus de quodam præcipitio corrui? Da modò liquorem tuũ, & dele peccatum meum. Irriga me imbribus tuis? irruant aquæ tuæ & obruant crimina mea. Hæc loquere cũ oculo tuo qui te ſcãdalizauit. Prætereà percipe te in futurum iudicium. Punge venam cordis tui pœnitentiæ ſtimulis; & de imo corde atque de intima mẽte educas aquam viuã in capite profluentem. D Fiat caput tuum fons remiſſionis & fluuius indulgentiæ; & exinde nõ ſolùm per dexterum oculum, ſed & per ſiniſtrum gemini riui currant; fluántque tibi ambo oculi pariter, ſanitatis rorem ac indulgentiæ imbrem. Vult enim indulgentiſſimus cognitor, vt fletus purget quod viſus polluit; & quod fœdauit cupiditas, reformet compunctio: vt eruas de corde peſtiferum oculum plangens & ingemiſcens & dolens ſicut dolens Hieremias Propheta cùm populum plangeret transmigratum, ſic dicens: *quis dabit capiti meo aquã, aut oculis meis fontem lacrymarum*? & ille quidem populum deplorauit captiuum: tu autem ingemiſce pro anima quam cupiditas violauit, & oculus dexter fecit degenerem. Sic eruendus eſt oculus, ſic abſcidenda eſt manus, vel noxia membra. Nam vbi auaritia; ibi manus dextra E dentibus venenatis armata vt percutiat, vt affligat, vt auferat aliena. Vbi libido, ibi dexter oculus noxio aſpectu armatus, qui modicum delectat & multum nocet. *Qui viderit* (inquit) *mulierem ad concupiſcendum, iam adulterauit eam in corde ſuo.* Vidit oculus, concupiuit caro? peccauit anima. Fleuit iterum oculus? abluta eſt caro, abſoluta eſt anima. Auaritia, infandum eſt vitium in hominibus: Radix, eſt vna in præcordiis fixa, ex qua pullulant omnia mala. Quid eſt auaritia? *cupiditas radix omnium malorum.* De iſta radice exurgunt mendacia, oriuntur periuria. Qui enim eſt aut diſtractor, aut emptor; qui lucri gratia, habet de cupiditate tractatus: nónne plerunque peierat, ſæpe mentitur? ſine hoc vitio, negotiator aut rarus aut nullus eſt. Et quid dico negociatorem; impoſtorem vſum commertiis? Videamus quæ res facit prædones, aut vnde erumpunt proditores. Nónne de auaritia, prædo fuit rex Achab; quando per factionem doloſæ mulieris, falſa ſub proditione iuſtum trucidauit vt vineam eius violentus inuaderet? Auarus fuit & Iudas cùm proderet Chriſtum Iudæis, cum acciperet ab eis triginta argenteos. Tolle auaritiam & non eſt diſcordia: aufer auaritiam, & ſolus amor regnat: deſinat auaritia, & ceſſat ambitio. Tolle cupiditatem; & nemo dicit, hoc meum, aut hoc tuum. Fraus inde germinat, dolus inde conſurgit, factio inde concinnatur; iræ quoque, inſidiæque, homicidia, bella ipſa ſiue publica ſiue inteſtina, cupiditatis & auaritiæ fructus ſunt; vt ſi quando vel armis vel argumentis, alter alterum vel ſuperauerit vel truncauerit, res eius velut victor diripiat ſuámque auaritiam ſuppleat. Et hoc eſt quod Scriptura teſtatur Apoſtolus, dicens: *Radix omnium malorum eſt auaritia.* Diſce diligenter quid ſit in homine. Duas habet in ſe duorum malorũ fixas radices, quibus repugnando intra vexatur & carpitur. Et quæ ſunt iſtæ radices? vna eſt auaritia; & vna eſt luxuria. Auaritiæ radix vbi eſt? in cupidine mẽtis. Luxuria vbi eſt? in voluptate mẽbrorum. Cupiditas námque mentis in auaritia inardeſcẽs armat manus pedéſque, & facit in his forenſe peccatũ, & crimen extra corpus: Radix verò luxuriæ quæ ſuccis membrorum nutritur, venarúmque humoribus irrigatur, cogit ipſa viſcera in obſcœna cupiditate delinquere, & facere peccatũ inteſtinum. Igitur eſt peccatum auaritiæ, & eſt peccatum luxuriæ in membris. Duo ſunt in homine capitalia crimina: Vnum intus, & vnum foris; vnum in membris, & vnum extra membra. Eſt peccatum luxuriæ in membris, & eſt peccatum auaritiæ extra mẽbra. Et vt credas hoc ita eſſe quod dicitur; audi eundem Apoſtolum proſequentem. *Omne peccatum quodcúmque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Sed dicis: ſi pedes currunt ad prædam, ſi manus diripiũt, quomodò poteſt abſque corpore eſſe peccatũ? Non eſt quidem dubium quòd omne peccatum membris miniſtrantibus perpetratur: ſed aliud eſt per membrum committere, & aliud in membra delinquere. Per membra enim quod committitur, in hoc animus delectatur: Carnis autem voluptas hoc nec ſentit nec recipit. Et ideò dictum eſt; *omne peccatum quodcúmque fecerit homo, extra corpus eſt*: libidinis vero faces, ardentéſque furias intra ſe cõtinet caro, ex radice luxuriæ pullulantes. Dulcibus námque illecebris ad modicum excitatus vel expreſſus humor; trahit ad ſe ex imis viſcerum venarúmque medullis totius corporis voluptatem. Quod vbi Apoſtolus intentiſſimè inſpexit, abſolutè fixit ſententiam dicens: *qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Væ mihi! quid acturus ſum, homo fragilis! qua virtute valebo tantæ atrocitati reſiſtere! duorum in me conſiſtentium venena, qua ſorte poſſum vitare? Si radix auaritiæ (multiforme crimen) exulcerat animam: ſi radix luxuriæ ignitas miniſtrat libidinum faces, quibus viſcerum medullas exurit: Quid faciam? quæ virtus in me? aut quæ ſubſtãtia mea? Viuunt in me duo ſerpentes pariter; Auaritia & Luxuria. Mordent ſemper, exulcerant iugiter, collidunt frequenter; & ſtare contra tales beſtias propria virtute nõ poſſum. Si aquæ iam adminiculum non eſt; ſi Spiritus ſanctus deeſt; *quis me liberabit de corpore mortis huius*? quis me eruet ab hac nequitiæ mole, morſúque ferali? Homo noli diffidere: res in promptu eſt, vita in manu eſt; virtus in voluntate eſt, victoria in arbitrio eſt. Si voluiſti, viciſti; ſi nolueris, victus relinqueris. Qui vult vincere, conatur vt vincat: qui diſperat, amiſit victoriam. Quid times cupiditatis crimen, vel auaritiæ facinus? Noli timere! Radix iſta omnium malorum; id eſt, auaritia; habet aquam propriam. Et aqua iſta, quæ eſt niſi eleemoſyna? Non audiſti quid ſcriptum eſt? *ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Magna hæc ſententia; deſinat querela, deſinat dubitatio. Nam vbi eleemoſyna, ibi aqua; & vbi aqua, ibi Spi-

Oculus peccati.

Vitia quomodò dulcia.
Prou. 5. a.

Magnum eſt lachrymarũ auxilium.

Hier. 9. a.

Math. 5.

Auaritia, infandum eſt vitium.
1. Tim. 2. b.

Negotiator nullus ſine mendatio.
3. Reg. 21.

Math. 26. b.
Mala omnia ex auaritia.

Tim. 6. b.
Duæ peccati radices in homine.

Peccatum forenſe ſiue quod eſt extra corpus.

1. Cor. 6.

Auaritia crimen multiforme.

Peccati victoria in arbitrio eſt.
Eccleſ. 23.

ritus; & vbi Spiritus, ibi remiſſio. Deſinat deſperatio: Aqua, & ablutio, & remiſſio in eleemoſyna largientis eſt. Ne differas abluere inquinatum corpus & animam, fontibus eleemoſynæ; vt redeas rurſus in præmiſſi Baptiſmatis formam. *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccata.* Tanquam ſi ita & dictum eſſet: ſicut aqua extinguit ignem ardentem; ſic eleemoſyna diſcerpit auaritiam, functa hominúmque crimina vincula funeſta diſrumpit. Vidiſti aquam eleemoſynæ! Vis ſcire quod & luxuria & libido in aqua eſt? Peccatum corpus inceſtat; nunc aquam habet contrariam. Vbi? nónne in oculis? & meritò de corpore. De oculis ſtillat aqua quę totius corporis contractus diſſoluit & abluit fœditatem. Nam ſicut peccatum quod extra corpus eſt eleemoſyna fulminat & extinguit; ſic vitium libidinis quod membra inceſtat, lacrymarum vbertas extirpat. Ergo peccatum quod extra corpus eſt, proprium habet fonté eleemuſynæ; & flagitium quod intra corpus committitur, ſuum habet fontem ex oculis profluentem: Vt ſcias tu, quia eleemoſyna flammas auaritiæ reſtinguit; & libidine fuſcata viſcera, profuſis iterum fletibus albent meritúmque receptant. Sed quamdiu verba innui? Accipe Euangelica documenta; accipe duos duorum criminũ indices. Habes publicanum, habes & meretricem; publicanum in auaritia, meretricem in luxuria. Criminum præſules facti ſunt, diuinæ miſericordiæ indices. Vis ſcire quomodò iſti duo vicerunt, & criminoſa contagia euaſerunt? ſaluatus eſt publicanus! qua manu? nonne per eleemoſynam? Recepta eſt meretrix; quo præſidio? nonne per lacrymas? Sed cauſam replicemus. Agnitus, inquit, *Dominus Jeſus perambulat in Hierico: & ecce vir nomen Zachæus*, homo peccator, auarus, *diues* ex rapinis, *& hic quærebat videre* Dominum *Ieſum* vt ſciret qualis eſſet; nec poterat eum videre, turbarum obſtipatione ſecluſus; modicæ namque ſtaturæ erat. Contigit inuenire eum arborem ſycomorum; aſcendit feſtinus, & vidit. Quid vidit? Saluatorem ſæculi. Bene feſtinauit, optimè aſcendit; qui dum auidus cupit videre Saluatorem, ſalutem ipſam quam ignorabat inuenit. Et quid dicam vidit? ante viſus eſt quam videret. Tranſiuit (inquit) Dominus Ieſus, vidit illum, dixitque ei; *Zachæe, feſtina, deſcende, hodie namque in domo tua me manere oportet.* Domine, quid eſt hoc quod dicis? Nunquid non ſunt fideles, quid ad talem hominem applicas? Publicanus eſt Zachæus; immò princeps publicanorum, peccator eſt & prædo; videre te voluit tantùm: nunquid de ſola viſione iam debet ſaluari? Aſcendit in arborem vt videret: Si autem necdum vidit actúſque necdum ingemuit, nunquid cóſeſſus eſt maculam ſuam, aut flagitia replicauit? Nunquid fleuit ante te, aut fecit eleemoſynam in peccatis ſuis? eſt adhuc homo profanus; & dicis illi, *hodie in domo tua me manere oportet*? vix adhuc vel videre te meruit; & iam angulos eius viſitas hoſpitiúmque amplecteris! Verum hoc officij tui eſt, & indulgentiſſimæ curæ; qui non veniſti iuſtos inuitare, ſed peccatores corrigere. Manes cum Publicanis, manducas cum peccatoribus, iungeris cum iniuſtis; vt hac ſocietate quaſi arte quadam eos conuertas, & corrigas ad ſalutem. *Zachæe deſcendo* (inquit) *quia hodie apud te me manere oportet.* Et quid Zachæus? deſcendit confeſtim de arbore, iam verbo Domini emendatior. Aſpectus enim Domini emendauit prædonem; & ſolo ſermone mutauit ſenſum eius. Deſcendit, perniciter properauit, exultans parauit hoſpicium; ſuſcepit vitæ præſulem, & factus eſt filius Abrahæ. Manſit apud illum Chriſtus, inſpirauit illi ignem ſecretorum, ignem fidei, Spiritus ſancti occultum ardorem; vt amore Dei & calore fidei flagrans, talia verba depromeret: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Audiſti quid dixit? Ecce dimidium bonorum meorum diſpergo pauperibus. Tanquam ſi ita diceret: modò vidi, modò cognoui Saluatorem; non ex me ſed ex te facta eſt correctio mea; perſenſi prædas meas, penſaui actus peſtiferos quos in auaritia perpetraui. Oro, obſecro, adiuua me miſerum & peccatorem! Ecce erogo

Libido, vbertate lachrymarum eradicatur.

Luc. 19.

A quod abſtuli; reficio indigentes quos læſi, ecce veſtio quos nudaui; & ſi quid alicui fraude abſtuli, in quadruplo reddam. Vidiſti largitionem raptoris? inſtat adhuc dicendo: adeſto Domine; ego in quadruplo reddo quæ iniquè abſtuli. Tu cura criminoſum; tu ſuſcipe votum meum, & ſana vulnera mea. Eruat eleemoſyna, quæ obruit auaritia. Indignantur quidem, imputare conantur Domino cur ad peccatorem diuerterit, & in domo publicani manſitare voluerit: Sed quid Dominus ad eos? nunquid vos ita? nolite ſic de me ſapere: an neſcitis quoniam publicanorum ſum & paccatorum ſaluator? Amen dico vobis, quòd hodiè ſalus facta eſt domui Zachæi, quoniam & hic filius eſt Abrahæ. Salus illi facta eſt quoniam Saluatorem & vidit & cognouit, & recepit, & præceptum eius impleuit. Non audiſtis quid dixit? Di-**B**midium ſubſtantiæ meæ do pauperibus, & ſi cui aliquid defraudaui, reddo quadruplo! Quid vos indignamini talem operarium? Tam maturè conuerſum poſſum repellere, & non libenter recipere, & hunc deſpicere tam citò trãſlatum de malo in bonum, de præda ad palmam? Non vidiſti quia publicanus factus eſt indigẽtium præſul; & homo forenſis meruit eſſe filius Abrahæ? Non meminiſti, *quia Filius hominis venit quærere quod errauerat, ſaluare quod perierat?* Aſpicite publicani, intuemini peccatores, perrendite auari, fures, atque raptores. Videte exemplum Zachæi: Inſpicite qualem inuenit fontis venam aquarúmque fluenta, quibus ſe per eleemoſynam ſponte perfudit, ſordéſque ſuas omnes in publica functione contractas diſtruxit. In Zachæo ſententia illa ab-**C**ſolutè proceſſit; *ſicut aqua extinguit ignem, eleemoſyna purgat peccatum.* Puſillus corpore, factus eſt præclarus opere: Flagitioſus conceptus felix ſubitò de eleemoſyna naſcitur. Modicus aſcendit arborem vt videretur à Chriſto, & vulgaretur in mundo. Arbor optabilis, ſalubri medicamine plena, quæ in ſolo aſpectu ſubuenit peccatori, & ſanctificauit profanum. Non talis inuenta eſt arbor iſta, qualis illa principalis de qua dictum eſt, *qua die manducaueritis ex ea, morte moriemini.* In illa ſerpẽs decepit ſimplices, in iſta Saluator ſubuenit peccatori. Imitare & tu Zachæum, aſcẽde in arborem animæ tuæ. Arbor eſt in te alta, fides tua, & ſpecula excelſa. Sta in cacumine huius arboris, huiuſque ſpeculæ, vt valeas videre Deum Chriſtúmque tranſeuntem, ſicut vidit Zachæus. Ille aſcendit **D** in arborem, quia non poterat videre præ turbis: te non turba hominum retinet, aut caterua excludit, ſed habes inter vitiorum ſyluam, & cogitationis cateruas quæ mẽtem tuam obumbrant, & aſpectum aporiant. Sed tu cõuelle de corde tuo ſyluam iſtam malè vmbrantem. Repelle noxias cogitationes, & conſcientiæ ſtrepitum. Relinque in animo tuo vnam arborem limpidam fructiferam, crucis ſtigmata præferentem: in quam aſcendens, videas & ipſe Chriſtum ſicut vidit Zachæus, & dicat tibi; *Amen dico vobis quòd ſalus hodie homini iſti facta eſt, quoniam & hic filius eſt Abrahæ.* Compungere protinus in affectu verborum eius, & concipe animo cum magna alacritate facere eleemoſynam. Porrige modicum, & promerere multum. Eroga terrena, & exige ſempiterna, **E** ſicut fecit Zachæus, qui dum terrenam diſpergit ſubſtãtiam, non ſolum congeſtam molem ſontibus eleemoſynę diluit, ſed & iam hæres regni cœleſtis & filius Abrahæ eſſe promeruit. Vidiſti elegantiſſimum documẽtum: vidiſti Zachæum nefas auaritiæ eleemoſynæ imbribus expiantem. O quam ſingulare ſalutis compendium, erogare pauperibus, & ablui de peccatis (Eleemoſyna ſubitò conuerſum hominem de peccatis, non ſolum purificauit, ſed etiam coronauit & fecit de publicano paradiſi ciuem. Si ſuppleta eſt ratio, ſi cumulata eſt de ſtipẽdijs pauperum remiſſionis menſura: & ſufficit tibi exẽplum publicani qui miſerabiles actus tranſacti temporis per eleemoſynam quaſi per flumen in indulgentiam traxit, atque mundauit, ſéque auaritiæ laqueo per erogationem eripuit. Accipe nunc aliud pietatis exemplum

Matth. 18. b

Sordes in publica functione contractæ.

Eccl. 3.

Geneſ. 3.

Cogitationũ cateruæ, mentem obruunt.

Conſcientiæ ſtrepitus.

Eleemoſyna eſt compendium ſalutis.

in muliere meretrice propoſitum; vt poſſis euadere luxuriæ crimen, & fornicationis capturam. Retine quod præmiſimus, quia duo ſunt in homine capitalia crimina, auaritia & luxuria, & docuimus quòd auaritiæ crimen calcauerit publicanus. Audiſtis enim quia erogauit eſurientibus, & euaſit; Pauit pauperes, & metuit eſſe quod non erat. Nunc de luxuria erit ſermo in meretrice memoratus. Mulier à te exigimus quod multis proſit. Meretrix, da nobis exemplum, vt ſciamus quomodò ſtuprata membra tua non ſunt à Deo deſpecta, ſed magis recepta. Dic nobis criminoſa, quatenus effecta es caſta! Noli tacere publicana, ſed prode nobis beneficium Chriſti; & doce nos quo genere facta es de meretrice virgo. Audite cauſam, diſcite curam; quia princeps miſericordiæ mirabilia fecit. Recepit meretricem, purgauit publicanum, clarificauit corruptam. Phariſæus quidam nomine Simon Chriſtum rogauit in domum ſuam; & parauit illi conuiuium vt ederet apud illum. Ingreſſus inquit, Dominus, dignanter diſcubuit. Et hoc quoque miranda humanitas; vt Deus in domo Phariſæi, & diſcumberet & ederet! Apud Zachæum manſit; apud Phariſæum manducauit. Et hoc quare, niſi quia publicanorum erat & amicus & ſaluator? Sed diſcumbente illo, etiam edente in domo Phariſæi; quid factum eſt? Ecce mulier peccatrix quæ erat in illa ciuitate, vbi cognouit quia intrauit Chriſtus, & recubuit in domo Phariſæi; ſubito quaſi meretrix audax intrauit in domum, & attritam publicis aſpectibus frontem obtulit Saluatori. Audacter intrauit; non iam meretrix, ſed modeſta; non libidinem expletura, ſed lucem viſura. Intrauit non ad libidinis formam, ſed ad indulgentiæ fontem. Intrauit non vbi iam vltra ſordeſceret, ſed vbi contractas deponeret ſordes & ſtuprata viſcera domino miſerante purgaret. Supergreſſa eſt à vita, nec reſpexit ad Phariſæum, ſed recto limite direxit ad fontem, pudore priuata & pœnitudine armata. Et quid fecit? contulit ſed ad pedes Chriſti in toto recumbentis: ſtetit anxia; curuatóque corpore, pedes Domini tenet rea, & remedium elicit. Vritur, animo loquitur, tacet & gemit ſilenter; inſtat importunè, pœnitudine ſtimulata; ſubrigit ad cœlum animum; aſpectúmque defigit in terra. Illum ſolum videt quem tenet; illi pandit peccatum ſuum, illi peccata detegit, & criminoſam reſerat conſcientiam. Cor ſuum ſupra pedes eius miſtum cum fletibus fundit. Capillis etiam mollibus lacrymis perfuſos pedes quaſi linteo quodam detergit. Nec ſolùm lacrymis abluere ſatis eſt, & crinibus tergere: inſuper de alabaſtro quod in manu tenebat, vnguento perfudit; vt pedes quos rigauerat, vnguento liniret. Atque in his tribus ſpeciebus, immunda mulier, in lacrymis & capillis & vnguento; quaſi fontem baptiſmi ſui, de pedibus Chriſti extraxit. Nam in fonte baptiſmi quid aliud eſt quàm aquam, & criſma, & veſtis alba? huic mulieri, pro aqua fletus fuit; pro chriſmate, vnguentum; pro veſte, capilli. O mulier peccatrix; multa adinuentio tua! Quis tibi monſtrauit talem; aut inuenire aut proponere artem; vt congeſta in te crimina momentaneis lacrymis vinceres, crinibus raderes, vnguento ſtirpares? Quid ergo? *Intrauit*, inquit, *mulier peccatrix, cum alabaſtro vnguenti, ſtetit iuxta pedes Chriſti*. Et quid Saluator? nunquid ignorabat eam? nunquid neſciebat quòd eſſet publicana? hoc nefas eſt dicere. Verum vbi vidit compunctam, iam non repulit quaſi publicanam aut ſpreuit importunam: ſed recepit dolentem, & amplectitur pœnitentem. Non ei imputauit vt erat imputandum. Non ei dixit Dominus: meretrix, adultera, fornicaria, fluida; tu venis ad me, tu proximaſti, tu auſa es pedes meos manibus pollutis contingere? non vides maſſam malorum tuorum? calent adhuc in te crimina, membra tua feruorem libidinis ſpirant, corpus tuum criminoſis maculis plenum eſt! Animam ipſam totus, contaminationis tuæ funeſta ſarcina premit; & tu tantis ſceleribus deprauata, auſa es venire ad me? Non illi ſic Chriſtus nec imputauit, nec dixit.

Baptiſmi ceremoniæ.

Chryſma in Baptiſmo.

Qui etſi dixiſſet; illa talis mulier parata erat ſine dubio contraria reſpondere. Si dixiſſet illi Chriſtus, immunda mulier, fœdiſſima, contaminata, ceſſa, à me diſcede, nullam habeo cum meretricibus cauſam. Habuit illa reſpondere, vt hoc illi opponeret: Domine rex cœleſtis, redemptor mundi, quæ ſunt hæc, quid deſcendiſti de cœlo, propter iuſtos tantum? Et quanti ſunt iuſti? ſic peccatores repudias? Vbi populus tuus, aut quos medicus veniſti curare, nunquid ſanos? Abſit? ſanis non eſt opus medicus, ſed meretricibus opus eſt medicina. Publicani te pulſant, vt curam accipiant: peccatoribus veniſti porrigere manum, eliſos erigere, cæcis reddere viſum. Medice non me repellas vulneratam, & ſi me repellis, ego non recedo, ſed iure meam de te exigo ſanitatem, quia ſanare veniſti ſaucios, nō repellere. Teneo pedes tuos, nec ante diſcedo quam percepero curam. Omnipotens ſuſcipe importunam, & noli deſpicere pulſantem meretricem. Ecce precium tibi offero pro redemptione mea: corrige ad me aſpectum tuum. Et quid eſt quod offero? Indigens ſum, inops ſum, nihil habeo in ſubſtantia præter lacrymas, & hoc ſatis tibi eſt. Scio ego quod grata ſit iſta oblatio. Non quæris pecuniam, ſed exigis pœnitentiam: nec libamina tantùm quæris, quantùm lacrymis delectaris. Sacrificium tibi eſt cor contribulatum, & ſpiritus compunctus. Suſcipe itaque pretium pœnitentiæ meæ, & da mihi præmium indulgentiæ tuæ. Paſtor bone, dic mihi quæſo, nunquid non ſum de ouibus tuis? Sed erraui de grege, & facta ſum ſicut ouis perdita: quære ancillam tuam: & fac me de meretrice pudicam! Noli me deſpicere, nō ſum ſola, multas habeo compares, & quam maxima pars ouium tuarum in me eſt. Paſtor excelſe, quære oues diſperſas, & ſcabie contractas. Collige eas in vnum, & imple ouile tuum. Tu namque dixiſti, *habeo & alias oues quæ non ſunt ex hoc ouili, has oportet me aggregare vt fiat vnum grex & vnus paſtor*. Quæ ſunt iſtæ oues, quæ non ſunt de mandra tua? nunquid non meretrices & publicani? nunquid peccatores, adulteri, & iniuſti? Cæterùm ſi hos repudiaueris vel excluſeris, qui remanebunt qui impleant ouile tuum? Prophetæ, & Apoſtoli, Martyres, Virgines & continentes? Quanti ſunt ad integrum populum! Si igitur præſcribitur peccatoribus, pauci intus, & multi foris erunt. Sed quoniam redemptor es generalis, & paſtor communis, qui veniſti non perdere ſed ſaluare: collige & ſcabie corruptas oues: & diſperſas, reduc ad caulas cœleſtes. Fac de omnibus vnum gregem & eſto omnibus vnus (ſicut promiſiſti) & Saluator & Paſtor. Obſecro te ego mulier vt indigna, & tacita intra me prece depoſco, ſciens, te eſſe errantium medicum. Dolorem meum verbis ingemino, & actionem meam ſecretis ſingultibus premo. Eſto mihi aduocatus: ſuſcipe cauſam meam, & ſolue compedes meos. Multum eſt quod merui tangere pedes tuos. Ego fletibus pœnitentiæ perfundo pedes tuos. Tu lumen indulgentiæ, dele crimina mea. Tango te, Saluator, ego immunda mulier, & oſculor pedes tuos: non vt inquinem quod tango, ſed vt abluar ab eo quem tango. O meretrix magna eſt fides tua, mira conuerſatio, clara confeſſio! Non te iam dicimus meretricem, ſed omnium meretricantium medicam: de te enim capiunt multi recuperationis exemplum. Sed cœpti Capituli ordinem replicem. Phariſæus intereà qui rogauerat Dominum vbi vidit velut indignam mulierem, ait intra ſe: *Hic ſi eſſet Propheta, non ſineret hanc mulierem tangere ſe*, cuius ſciret infamiam. Illo ſic intra ſe perpendente, & proſperum actum obſcurare nitente; cogitatum eius comprehendit Dominus, & detexit. *Simon*, inquit, *habeo tibi aliquid dicere: at ille reſpondit; magiſter, dic: Fœnerator aliquis duos habebat debitores, vnus debebat quingentos denarios, alter quinquaginta: Iſti dum non haberent vnde redderent, dimiſit vtrique; dic, quæſo quis de iſtis duobus diligere plus debuit? reſpondit Simon, & dixit: quantum ego æſtimo, ille cui plus donauit: dixit ei Dominus; rectè iudicaſti*. Simon hoſpes Phariſæe, collige ad te parabolam

Digitized by Google

bolam iſtam; neſcis quia propter te illam protuli? cur indignaris, cur venenum verſas in pectore tuo? cur contra factum bonum ſubrigis caput ſerpentis? A Indignum iudicas, me ſuſcipere mulierem fornicariam lacrymarum fontibus mundantem; ſed facis hoc quaſi incredulus Phariſæus, dum non vis me eſſe aut credere Deum! Amice feciſti rem bonam; paraſti mihi conuiuium, & prandium exhibuiſti: ſed quid ad iſtam mulierem? Anima eius plus eſt quàm tua humanitas, Amor eius vicit tuum conuiuium. Non vidiſti quid fecit? *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem lacrymis rigauit pedes meos: Oſculum mihi non dediſti; hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos: Oleo non vnxiſti caput meum, hæc pedes meos vnguento perfudit: propter quod dicetibi, remiſſa ſunt illi infinita.* Phariſæe, ex malo fermento indignaris. B Angit te quòd ſaluauerim peccatricem, & à peccatis abſoluerim: & quid hoc ad te? Mala intentio tua: nũquid non licet mihi facere in meis quod volo?

Matth. 20. b

an oculus tuus nequã eſt quia ego bonus ſum? Sed ſi tibi placet, collige ad te parabolã meã; aperi oculos tuos & vide. Tu feciſti conuiuiũ, & meretrix coronata eſt. Quare? quia multũ dilexit, multũ plorauit multũm pœnituit. Plus valuit apud me fletus meretricis, quàm tua fercula. Et inde duplo tibi prælata eſt fornicatrix; quando tu quinquaginta, illa quingentis compenſata eſt nummis. Nec immeritò de vobis prædictum eſt;

Matth. 21. e

quia meretrices & publicani præcedunt vos in regno Dei. Et conuerſus Dominus Ieſus dixit ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Ecce quomodò patuerunt propoſita in duobus exemplis. Ecce quomodò crimina contrarijs colliſa ſunt armis. C Auaritiæ tela retrudit eleemoſyna; Luxuriæ crimina lacrymæ reſtrinxerunt. Fœnerauit publicanus, & factus eſt iuſtus; Fleuit fornicaria, & facta eſt ſancta. Quid tu ad hæc, libidinoſe, prouocatus exemplis deſperas? Fortè dum diſplices tibi ipſi; deſine deſperare, & diſce quid agas.

Contra deſperationem.

Conſcientia deſperantia obiurgat.

Quando vis orare pro luxuria quæ eſt in te, aut erogare aliquid pro peccatis, ſcio quia reſiſtit tibi conſciẽtia tua & reuoluit tibi infinitum numerum peccatorum. Obſtrepit tibi ſilenter, dicens: quid eſt quod oras, aut quid eſt quod erogas? Clades eſt intra te; ſcelerum te cumulus vrget: & quanta eſt obſecratio tua, vel erogatio? Quando ſic te obiurgat conſcientia tua, tu noli terreri; ſed oppone illi publicanum, obijce meretricem, & dic: D Ceſſa conſcientia; noli mihi obſtrepere? noli obſiſtere. Eſt acceſſus ad Deum, & locus remeandi ad Chriſtum.

Impius fuit publicanus, ſed non deſperauit: fœnerauit Publicanus; & factus eſt intimus, Fleuit meretrix, & facta eſt fœlix. Vt quid me corripis conſcientia? Vt quid me confundis, & deprauare contendis? Si Deus recipit, quis eſt qui reijcit? ſi Deus iuſtificat, quis eſt qui condẽnat? Chriſtiane, quid tardas? Publicanum vides, antequam adhuc pœniteret receptum, & ambigis? quid metuis? Vitio libidinis quo corpus polluitur & membra maculantur, ſi toto animo gemueris, abſolueris.

Pœnitentia, etiam per ſingulos dies iteranda.

Homo ſi cor tuum vides, vides, vno momento per ſolas lachrymas ablutum, & dubitas? Sed dicis: ecce E compunctus oraui, aut fleui pro his quæ malè geſſi, aliquatenus merui à Domino indulgentia, abſolui: poſt hoc, vt eſt ipſa conditio, ſi rurſus peccauero, quid facturus ſum? Nunquid iterum flere debeo, aut indulgẽtiam flagitare? aut nunquid eſt adhuc repetere remedium? Reſpondeo tibi: ſi quidem radix peccati in membris tuis areſceret, vel ab animis tuis diſcederet, rectè hoc diceres. Si enim ſtimulus carnis quieſceret, ſecurus eſſes nec peccatum faceres, nec pœnitentiam quæreres, ſed ſemper quaſi angelus illibatus incederes. Quod ſi te naturalis concupiſcentia vrget & pungit libido, quid facturus es fragilis? Vinceris ſubinde, flecteris frequenter & facis aliquid quod Deus non vult.

Rom. 7. 15.

Facis illud quod fortè tu ipſe horreſcis, vt ait Apoſtolus: *non quod volo, ago, ſed quod odi hoc facio.* Quid nunc? ecce oraſti, & adiuuit Dominus. Adiuuit pius, induſit miſericors, euaſiſti peccatum. A Sed qui iam abſolutus eſt à ſtimulo carnis, ecce iterum cogit conditio cadere poſt veniam impetratam, delinquere poſt indulgentiam, & poſt lacbrymas iterum lapſus incurrere.

In hoc planè iam magnum interuenit odium, & ineſtimabilis difficultas. Conari quidem debes toto animo, & pugnare pertinaciter contra carnis ſtimulos & concupiſcentiam cordis, vt vincas & non pecces. Sed ſi fortè contra votum tuum conditio carnis vicerit, & cupiditas ſtrauerit in peccatum, quid facturus es? debes iam deſpicere aut deſperare ſalutem? Noli ſic cogitare: ſurge iterum, homo, ſurge, noli timere, noli iacere. Eſt qui recipiat & qui te non deſpiciat, ſi ſurgis.

Mox vt ſurgis, mox vt te erigis, iam non errorem tuum B Deus, ſed animum reſpicit, nec peccatum computat, ſed pœnitentiam penſat. Odit planè ſi te viderit negligentem, aut reſolutum, aut pigrum, ſi te viderit non laborantem in pœnitudine, ſed remanentem in crimine.

Pſalm. 40. b
Hiere. 8. b

Talis namque eſt Deus erga homines. Odit peccantem, amplectitur pœnitentem. Ergo cecidiſti? noli diffidere aut differre, ſed ſurge. Si per ſingulos dies erraueris, per ſingulos dies conuertere, & emenda: hoc eſt enim quod à te expectat & exigit Deus. Aut non audiſti quomodò eius vox reſonat per Hieremiam Prophetam? *Nunquid qui cadit, non reſurget? aut qui auerſus eſt non reuertetur?* Hoc non de vno caſu dicit, ſed totius temporis lapſus teſtatur. Si enim contigerit ſæpè cadere, plerúmque delinquere, clamat ille ſemper & dicit, ſurge homo. Quid dicit? C *nunquid qui cadit non reſurget?* Surge peccator, & cõuerte ad me, quia nolo mortẽ peccatoris. quãtũ, & quotiens peccauerit, conuertat ſe à via ſua maligna, & viuet. Hoc ita dicit, vt non tu per multas ruinas ac ſi deſpectus, ac ſi deſperatus deficias, ſed ſubrigas te ſolicitior, ac per ſingulos lapſus ſtes contra peccatum. Opponas illi lachrymas, obijcias eleemoſynam, interſeras orationis excubias, vt pondus peccati, pœnitudinis pondere obruas & euertas. Sic perſiſtentem nunquam deſerit diuina clementia. In iſto agone poſitus homo non per latam incedit viam, ſed anguſto itinere pergit. Latam planè tenet viam qui non vult reſurgere de ruinis: anguſtam cõficit ſemitam, qui quotiens peccauerit, redarguatur, & plangit, & tenet ſemper pœnitentiam in via anguſta quę D ducit ad vitam. Huic dicitur ſine dubio, *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

EIVSDEM SANCTI LAVRENTII EPISCOPI NOVARVM, HOMELIA de Eleemoſyna.

FRATRES chariſſimi, omnis ſcriptura diuinitus inſpirata & ſalubriter ordinata (vt ait Apoſtolus) vtilis eſt ad audiendum, apta ad inſtruendum, neceſſaria ad retinendum, ſuauis ad perfruendum.

1. Tim. 3. d

Sed inter multa vtilia & ſalutaria præcepta quæ ſcripta ſunt in E diuinis Paginis, nulla eſt alia tam efficax, tam valida & velox noſtrorum vulnerum medicina, quàm præceptum eleemoſynæ.

Eleemoſyna eſt velox peccatorum noſtrorum medicina.

Siquidem eleemoſyna non ſolum peccata purgat, & vulnera conſcientiæ curat, ſed etiam animam ipſam de morte reuocat, regnorúmque cœleſtium facit eſſe conſortem. Huius præceptionis vel operis auctor eſt iuſtiſſimus. Tobias, cæcus corpore, & clarus opere,

Tob. 4. b

tentatus ad tempus, & nũ mortificatus, temporali aſpectu paulíſper priuatus, & perpetuo bonorum operum lumine plenus. His talibus monitis filium præſtruebat. *Fili, de ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & ne auertas faciem tuam ab omni paupere, ſic fiet vt a te non auertatur facies Dei.* Tulit etiam ſcrupulum de animo trepidè vel dubiè largientis, vt ſiue de multo, ſiue de modico, quiſpiam largiri non deſinat. *Fili, ſecundùm quod tibi eſt, facito: ſi largior eſt ſubſtantia, largius eroga, ſi modica, porrige modicum.* Et noli

dubitare dum erogas: noli diffidere, dicens; ne fortè nō ſufficiat nobis: ſed eſto lætus dum erogas, quia hilarem A datorem diligit Deus: *Præmium bonum theſaurizas tibi*, quod de te ſubrigat, *in die neceſſitatis; quoniam eleemoſyna de morte liberat, & non permittit intrare in tenebras:* præmium eſt vitæ perpetuæ. Probaſti eleemoſynæ efficaciam, vidiſti fidum ac ſingulare ſolatium. Hæc namque ſi fuerit fideliter impertita, non ſolùm peccatum euertit, ſed etiam mortem extinguit. Quàm validus eſt ignis quando ardet; & tamen validior eſt adhuc aqua quæ ignem extinguit. Quid igitur peccatum? ignis habet vigorem; eleemoſyna aquæ habet liquorem. Sic comparatum eſt. Stat materia contra materiam, ſtat aqua contra ignem, ſtat eleemoſyna contra peccatum. Audiſtis quid ſcriptum eſt? *Sicut ignem ardentem extinguit aqua, ſic eleemoſyna extinguit peccata.* Homines cum ſimus in lubrica natura plerúmque peccantes; non ceſſet anima iuſtitiæ aqua B exuberans. *Radix omnium malorum*, quid eſt? *Auaritia.* Radix omnium bonorum quid eſt? Eleemoſyna. Et qui nunc vulneratus es per auaritiā; cura te per eleemoſynam: mortuus es per auaritiam? viuifica te per eleemoſynam: exulcerata eſt peccatis anima tua? vnge eam, pietatis ac iuſtitiæ opere. Audiſti commonitionem iuſti; *Eleemoſyna de morte liberat, & non permittit intrare in tenebras.* Implicauit te cupiditas? habes multa piacula? laces auaritia præditus; deprauatus luxuria? derogaſti, blaſphemaſti, quia plurimis ſæpè mentitus es, plerúmque peierasti? his nequitiæ partibus, aliíſque ſimilibus obruta eſt mens, conuulſa eſt conſcientia? quid modò? Nunquid deſperandum eſt inter hæc? Non ſic iubet C Dominus. Sed quid præcipit? *Facite*, inquit, *eleemoſynā; & fiunt in vobis omnia munda.* Noli temetipſum in talibus deſperare; ſed *declina à malo, &* accelera facere *bonum.* Deus te non deſpicit; & tu deſperas? Erraſti in auaritia? emenda te in eleemoſyna. Polluit te immunditia? purificet iuſtitia. Si enim ex animo erogaueris; non ſolum mundaberis peccato, ſed etiam laudat te Propheta iuſtitiámque tuam prædicat, dicens: *Iucundus homo qui miſeretur & fœnerat, hic enim in ſeculo non commouebitur.* Quare? quia *diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Si ſic ſapit homo peccator, & intelligit ſolicitus pro ſe; ſi alit indigentes & adiuuat miſeros; addit illi Propheta ampliorem laudē, dicens: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Nec liberat tantum, ſed libe- D ratum conſeruat, viuificat, ac beatificat. Si iuſtum inuenerit eleemoſyna; cumulat eum meritis, ſi peccatorem; abſoluit à peccatis: Si ægrotum; ſubleuat à doloribus. *Dominus* (inquit) *adiuuet eum ſuper lectum doloris eius.* Quem? illum ſcilicet *qui intelligit ſuper egenū & pauperem.* Hæc quæ diximus Dauidica ſunt. Ecce Salomonis adhuc validiora ſolatia; quæ miſericordiæ medicina fouent ægrotantes, fulciunt titubantes. *Conclude* (inquit) *eleemoſynam in ore pauperum, & ipſa exorabit pro te in die malo.* Quid eſt hoc quod dicit? fiat apertum. Habes multarum offenſionum & peccatorum congeſtam molem: Quam cùm ſolus non potes ab animis tuis depellere; noli tædiari, adeſt auxilium. Si vis, prope ſunt adiutores. Aperi oculos tuos, & reſpice in pauperes, Ipſi enim ſunt in tali opere adiutores. Eroga quantùm valuerit manus tua: conclude eleemoſynam in ſinu pauperum, & ipſa te eruet. Fac eleemoſynam: & moles illa criminum quam timebas, momento minuitur & à conſcientia labitur. Studioſus agricola vicinos ſuos ad opus plerúmque inuitat, vt agris ſuis vel vineis tempore opportuno adhibeat competentem culturam: ne ſi neglexerit, dum ſolus non euincit aut præualet; aut ager ſpinis ſordeſcat, aut vinea ſarmentis ſylueſcat. Ille adiutores ſibi adiūgit operarios, & multiplicat in terrena cultura, & tu agrum cordis tui vineámque animi, dum ſolus colere vis, relinquis deſertam? Homo, aduerte quod dicitur. Spiritalis eſt iſta, non carnalis cultura. De eleemoſyna conduc operarios. Quos? Cæcos, claudos, debiles, &

Eccl. 3.

1. Tim. 9.
Eleemoſyna omnium bonorum radix.

Tob. 12. b

Luc. 10. f
Pſalm. 36. c

Pſal. 111. a

Pſalm. 40. a
Eleemoſyna virtus in morbis.

Pſalm. 40.

Eccl. 29. b

alios his ſimiles. Hi ſunt operarij parua mercede conducti; qui purgant agrum cordis tui, & renouant vineam; vt fiant in te (per culturam eleemoſynæ) & ager frugifer, & fructifera vinea. Conclude eleemoſynam in ore pauperum, &c. Dies malus vel malorum quis eſt; niſi dies iudicij, dies terribilis futuri examinis? Prouide tibi homo; compone vineas tuas, colloca te hic in ore pauperum. Conclude eleemoſyoam tuam in eſurientium victu, vt dies ille tremendus, non tibi in metu veniat ſed in voto. Ille namque dies properat qui ſtrictis hominibus amarus emergit, miſericordibus verò optabilis eſt & affabilis. Conclude eleemoſynam in ore pauperum, & ipſa exorabit pro te in die malorum. Tu taces; & eleemoſyna quam feciſti, deprecatur pro te. Quod in ſilentio feciſti; in ore pauperum publicatur. Bonum quod latenter feciſti, in lingua indigentium prædicatur. Remiſſio delictorum tuorum in ore eorum reſultat. Conclude eleemoſynam in ore pauperum; & ipſa promitigat iram Dei. Mitigat iram, dum abluit crimina. Os pauperum corrigitur tibi in Baptiſma, & venter eſuriētium ſatiatus indulgētiæ tibi aquam exundat. Parum eſt quod eis impartitur, & multum eſt quod ab eis naſcitur. Hortatur ipſe Dominus per Prophetam; *Frange eſurienti panem tuum.* Quid pro hoc recepturus? accipe Euangelicam ſponſionem: *Venite benedicti Patris mei; poſſidete regnum paratum vobis ab origine mundi.* Quare? non quia ſuperbi aut diuites fuiſtis, aut potentes in mundo prædiſ: ſed; quia *eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* O commutatio! Panem dediſti eſurienti, & percepiſti regnum. Quantam pecuniam profundit homo in hoc mundo, vt aut mancipia aut prædam comparet? Regnum ſupernum tibi vendit Chriſtus, tam viliſſimo precio; & comparare diſſimulas? Noli diffidere: frange eſurienti panem tuum, nutri indigentem, veſti nudum, foue peregrinum, & poſſide regnum, non terrenum ſed ſupernū. Clamat Pater de præcedente volumine; *Frange eſurienti panem tuum:* reſpondet & Filius de Euangelica pagina, *eſuriui & dediſti mihi manducare.* Concordat ſibi vterque ſonus. Quod Pater anticipauit in Prophetis, hoc filius in ſua perſona ſuſceptum impleuit. Factus eſt paoper, vt tam pauperes foueret quàm diuites commoueret. Factus eſt pauper, vt culpas diuitum in pauperibus emendaret, & vitia eorum in eleemoſynis expiaret. Ob hoc dicet, *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare:* & quia me refeciſtis, recipite è contrario regnum. Quale regnum? In regno iuſto quod Chriſtus donat, quod eſt Paradiſus. Et in Paradiſo quid eſt? Lignum vitæ. Et in ligno vitæ quid? Manna abſconditum. Hoc, ipſe Dominus in alia Scriptura promittit: *Vincenti dabo lignum vitæ, & manna abſconditum quod eſt in paradiſo Dei.* Qui ſunt autem victuri, quàm illi quibus dixit: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis ab origine mundi: eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, nudus fui, & dediſtis mihi indumentum?* Ecce palma & præmia. Pro pane modico quem dediſti, accepiſti manna abſcōditum: potum porrexiſti: & Paradiſum recepiſti. *Si ergo videris eſurientem, frange illi panem tuum*, ſi videris nudum, da illi veſtimentum: & hoc cùm feceris, non donas, ſed debi- E tum ſoluis. Quid iubet Dominus? *ſi videris* (inquit) nudum, veſti, & hoc, tu cum fœnore facis. Qui iubet te hoc facere, tibi vult mederi, & vicem tibi rependit ille qui vtrumque rependit. Videt enim ille in paupere quidem corporis nuditatem, in te autem animi fœditatem. Ergo ſi videris nudum, veſti. Et quando illum texeris, ornaſti animam tuam, peccato ſpoliante nudatam. Tu illum texiſti corporea tunica, ille de te expulit fœditatem. Mox veſte tua cùm texeris viſcera indigentium, reformat ille in te baptiſmatis veſtem, & retexit tunicam quam acceperas ex aqua & ſpiritu. Non enim poteſt homo munera lauacri inlibata ſeruare, nec purus ſemper perſiſtere, noxia ſibi incumbente natura. Verùm cùm ſæpiſſimè lubricus incedat, & offenſas incurrat, opera faciunt indulgentiam, pœnitentia reformat puritatem, oratio

Dies malorum quis ſit.

Dies extremi iudicij.

Iſa. 58. b
Matth. 25.

Iſa. 58.

Chriſtus, cur natus pauper.

Matth. 25.

Gen. 2. b

Apoc. 2. b

Iſa. 58.

Opera faciunt indulgētiam.

præſtat

Digitized by Google

præſtat abolere remiſſionis fontem. Lachrymæ abluunt fuſcam tunicam; eleemoſyna reddit candorem. Hæc exercens erit tibi intra te quotidiana oblatio, quotidiana remiſſio. Ille eſt fons refrigerij; ille eſt remiſſio tuorum criminum, qui dixit tibi: *Eſuriui & dediſtis mihi manducare, nudus fui, & dediſtis mihi indumentum.* Noli tu intendere mendicum aut peregrinum, captiuum aut nudum; ſed Chriſtum qui in his loquitur, contemplare. An non audiſti quid ait? quandiu feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis? Sed dicis: Chriſtus Dei filius qui in pauperibus paſcitur; cur non magis ipſe opulentat inopes, exaltat humiles, erigit indigentes; cùm ipſe ſit omnium prouiſor & largitor? Qui hoc opponit, audiat è diuerſo. Forè æſtimas homo eſſe illi aliquid impoſſibile? Non æſtimes homo; ſed audi quid eſt. Si enim omnes homines feciſſet æquales; vbi erat fidei exercitium, vbi experimentũ virtutis? ſi feciſſet omnes diuites, omnes licenter delinquentes. Et ſi ita eſſet, vnde veniret remedium, aut vnde manaret remiſſio? vnde erat Indulgẽtia expectanda? Prouidentia ergo diuina aperuit nobis peccantibus, medicinæ armarium: vt faceret (ſicut ſcriptum eſt) & diuites & pauperes, & humiles & excelſos: vt quoniam diuites per exuberantiam rerum proni ſunt ad vitia, ac per intemperantiam plerúmque labuntur, haberent coniunctos ſibi indigẽtes, velut fontẽ lauacri: aut (vt plus dicã) velut flumen Iordanis, vbi Chriſtus tinctus eſt: in quo per eleemoſynæ largitatẽ diurna ſuperẽt delicta. Et quidẽ in Iordane ſemel tinctus ſanctificauit aquas: In pauperibus autem ſemper manet, & aſſiduè abluit crimina largientium. Dedit itaque Chriſtus nobis velut indulgentiæ indices. Quos? cæcos, claudos, debiles, paralyticos; quin etiam orphanos & viduas, peregrinos, proſelytos & aduenas, atque huiuſmodi homines omni auxilio indigentes; vt in his, quicunq; ſunt opulẽtiores pium prætendãt affectum: flectantur faciles, ad ægra ac debilia corpora, animáſque vexatas; faciant ſibi tales amicos (iuxta Euangelicam doctrinam) de infideli Mammona (id eſt, de breuibus rebus) vt cùm defecerint hîc, *recipiant* eos *in æterna tabernacula.* Et idcirco, diuites, nolite deſpicere inopes, nolite reſpuere indigentes, ſciẽtes quod amici ſunt animarum & medici vulnerum internorum. Ager eſt iuxta te, ſparge ſemen tempore competenti, & eſto fidus quia non te fallit iſta cultura. Hîc ſeris, & alibi metes: ſpargit modicum, & colliges multum. Quicquid dederis, colligitur ibi in ſuperno cellario: quicquid porrexeris, proficit in futuro. Nunquid non poteſt Chriſtus ditare mendicum? nunquid non valet modò illuminare cæcum, curare claudum, ſtringere paralyticum, mundare leproſum? valet quidem, ſed diſſimulat in te; vt per hos aliorum debilitates excludat, & ægritudines effugiat. Nam cum ſint debiles, fiunt tamen delinquentium medici: non ipſi, ſed ille qui dixit: *quandiu feciſtis his, mihi feciſtis.* Chriſtus eſt in eis medicus, qui per eos ſanat diuitum delinquentium vulnera; vt cum tẽpus expectatum venerit, & pauperes ſuos exaltet in gloria, & diuites iuſtis operibus deditos recipiat (ſicut dixi) in æterna hoſpitia. Vnde (Fratres dilectiſſimi, & optandi amici) retinere hæc, & ſuper hæc adhuc diſcite alia. Needum enim patuit mea doctrina: replicanda eſt euangelica forma, vt inde pandamus quod perfectum eſt. Eleemoſynæ perfectionis typum nondum oſtendimus. Typum eleemoſynæ ſuis præceptis decreuit Saluator. *Attendite* (inquit) *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Si mercedem ſperatis cœleſtem, humanum debetis declinare aſpectum. Sufficit illum videre opus in ſecreto, qui operæ precium reddit in publico. Quid quæris, hominem ſcire quod deo reſeruas? aut quid opus eſt homini, videre quod Deus remunerat. Sufficit conſcientia tua; habes teſtem operis tui. In te patet illi quod latet homini. Si plaudis, non places: ſi hominibus placere vis; diſplices illi qui docuit. Si diſplices, minoraſti iuſtitiam, vulneraſti gratiam, violaſti mercedem. Denique ſic ſubiungit idem

Cur Deus non omnes diuites creauerit.

Diuites proni ſunt ad vitia.

Luc. 16.
Pauperes non ſunt contemnendi.

Eleemoſynæ perfectæ typus.

Cur Eleemoſyna danda ſit ſecreto.

doctor: Si hominibus placere vultis, mercedem non A habebitis apud Patrẽ cœleſtem. In ſimili negotio etiam pronunciauit Apoſtolus: *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Cum igitur *facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te*, ſed tace, & ſuprime intra te factum tuum. Noli tubicinare ne vulneres opus tuum: noli prodere quod feciſti. Operæpretium perdidiſti, ſi laudari ab hominibus voluiſti. Sufficit tibi hoc; habes mercedem tuam. Tales homines hypocritas appellauit ſermo diuinus. Sic (inquit) faciunt hypocritæ in Synagogis & in Vicis. Erogaur publicè, vt publicè præferantur; non à Deo, ſed ab hominibus. Dedit itaque Dominus pulcram ac verecundam operis formam, quando tales prohibet imitari, & iubet in ſilentio operari. Et quid dico in ſilentio? Nunquid quando facis eleemoſynam aut opus aliquod gratum, poteſt latere? Abſit. Nam te tacente, B ipſa opera clamant & publicant factum tuum: te enim ignorante, præferunt multi iuſtitiam tuam, & eleemoſynam prædicant. Germinatur tibi gratia, quia ſilenter egiſti. Ab hominibus accipis plenam laudem, quia tacuiſti: à Deo perfectam mercedem; quia quod iuſſit, feciſti. Quid iuſſit, aut quid præcepit? vt non tuba caneres ante te: id eſt; vt non ipſe præferas, ſed alij. Nam & fructifera arbor non loquitur quidem; & tamen ex fructu cognoſcitur. Et apes quando cerarum cellas intexunt, quando mel conficiunt, & dulci diſtendunt nectare fauos; non in publico opus exercent, ſed ſub vili cortice cluſæ laborant: & inde poſt modum, gratia dulcoris erũpit in publico: nec immeritò dictum eſt; quia *breuis in volatilibus apis*, & tamen primatum dulcoris habet fru- C ctus eius. Retine ergo præceptum modicum: Fac eleemoſynam, abſconde penes te. Sit intra te cella tua; vt quod tu tegis, ab alijs prædicetur: & tunc remunerabitur à Chriſto qui dicit; *Quando facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Diſcutiendus ſermo; requirenda ſententia. Quid eſt hoc; Nunquid diſpar eſt homo intra ſe in vno corpore; vt ſit alter in dextra, alter in ſiniſtra? abſit! Idem homo eſt qui habet & dextram & ſiniſtram. Et quomodò poteſt fieri, vt ignoret ſiniſtra quid faciat dextra? nam & ſi manus duæ ſunt in corpore, dextra læuaque; ſed animus vnus eſt in homine, qui regit vtrúmque latus in dextra & ſiniſtra. Liquet igitur & non eſt ambiguum, quòd in hoc præcepto altius aliquid introducitur & ſublimius intel- D ligitur. Duplex eſt planè homo intra ſe. Et cùm ſit vnus; diuiſus eſt tamen in dextra & ſiniſtra. Diuiſus? quomodò? non animo; ſed opere: non mente, ſed motibus. Habétque bonum & malum: bonum in dextra, malum in ſiniſtra. Præcipit Dominus; *neſciat ſiniſtra quid faciat dextra*: quod à nobis ſic intelligi ſolet tanquam ſi ita dictum ſit: Siniſtra facit malum; non illi conſentiat dextra; id eſt, ſi corpus tuum delinquere cogit, non illi aſſentiat anima. Quid eſt in homine dextra? nonne pars animæ? Quid eſt ſiniſtra? nonne pars corporis? Diſce quid introducit: *neſciat ſiniſtra quid faciat dextra.* Nunquid quando bonum geritur caro ignorat, aut quando malum facit caro, anima neſcit? Non eſt ita. Aliter intellige de ſiniſtra & dextra. Tale eſt quod dicit. Quando E bonum aliquid conatur facere dextra, id eſt, anima: non illam impediat ſiniſtra, quæ eſt caro, ſed tanquam dormiente ſiniſtra, feſtinet dextra furtiuo more operari bonum, & expellere malum de membris, quod dicitur ſiniſtrum: Hic eſt ſenſus, & hic eſt intellectus dextræ & ſiniſtræ. Exponatur apertiùs, & luceat ſermo in opere. Siniſtra tua, id eſt, caro, errauit? dextra, quod eſt anima, emendet errorem. Potuit enim in homine dextrum fieri vtrumque latus, ſed ideò diſpar factus eſt in vtroque, vt tam boni quia mali in ſe fermentum retineret. Boni fermentum in dextra, mali in ſiniſtra: Quod ſi diſtingui poteſt: ſiniſtra tua induxit te in peccatum? dextra tua eruat te de peccato. Siniſtra peccauit in aſpectu? dextra propiciet in ſecreto. Siniſtra fecit prædam? dextra faciat eleemoſynam. Quod illa fecit imprudenter, hæc emen-

Eccl. 11.

Matth. 6.

Matth. 6.

det ſilenter. Siniſtra rapuit veſtitum? dextra veſtiat nudos. Illa percuſſit crudeliter? iſta ſubleuet & ſanet humiliter. Illa congeſſit impietatem? iſta ſit plena pietate. Illa impreſſit vulnera? iſta imponat medicinam & adhibeat curam. Reatus eſt in ſiniſtra? remiſſio ſit in dextra. Malū quod ſiniſtra ingeſſit, dextra repellat; venenum illius iſta extinguat. Et quid plura? ignis eſt in ſiniſtra, & eſt aqua in dextra. Quando flagrat in ſiniſtra ignis peccati; pluat in dextra iuſtitiæ aqua, & nihil eſt tunc quod noceat. Eccl. 3. Dum imples illud quod dictum eſt; *ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit crimina*. Hîc manifeſtum eſt, quia nec peccatum deſinit in homine, nec fons, nec remiſſio deficit vnquam. Sed diuiſus homo in ſiniſtra & dextra; ipſe ſui arbiter eſt, aut perdit, aut inuenit: quid tu ad hæc? times fortè, ne ſiniſtra ſuperet? Noli vereri: plus valet, ſi voluerit dextra. Et ſi inimica eſt ſiniſtra quæ damnat, ſed amica eſt dextra, quæ ſaluat. Et ſi illa inquinat, protinus iſta ſanctificat. Validior eſt aqua in dextra, quàm ignis in ſiniſtra. Nam vbi exuberauerit illa, mox iſtius flamma ſubigitur. Scito itaque quia etſi flāma eſt delicti in corpore, ſed fons eſt diuinus in corde: flammas membra miniſtrant; fontem mēs exprimat. Sic fiet vt quod inquinauerit ſiniſtra, ſanctificet dextra. Siniſtra diurnum habet inquinamentum, & dextra diurnam habet abſolutionem; vt quod polluitur in ſiniſtra, purificetur in dextra. Homo ſapiens intelligit hæc. Eſto prouidus; eſto proficuus ſanctis: quoniam cōtinuò venturus eſt ſupernus iudex, diſcutere actus ſeruorum ſuorum, & nudare ſecreta. Sanctis quomodò fœneratur cœleſtis, venit erogatam pecuniam exigere cum vſuris. Matth. 25. Et quæ eſt iſta pecunia, quàm Euangelica obſeruantia? verba ſunt vitę ſeminata. Venit ſator ille, ſeminis ſui colligere fructus; pecuniæque ſuæ exigere penſas. Si feciſti quod mandatum eſt; tibi dicit: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*. Vis ſcire qualis quantúſque ſit iſte qui venit; par eſt trinæ virtutis, princeps eſt Angelorum, imperator eſt ſupernæ militiæ. Dominus eſt cœlorum, gubernator eſt terrarum: ſuper Cherubin ſedet, & abyſſi profunda rimatur. Qui carne veſtitus, fecit quidem remiſſionem generalem in Baptiſmate, in aqua & Spiritu; ſed venturus eſt nunc exigere debitum: non illud quod priùs indulſit; ſed quod poſt lauacrum aquæ ab vnoquoque contractum eſt, & non eſt pœnitudine deletum. Habet iudex iſte in manu ſua ſtateram in qua perpendit inter duo pondera; vnum meriti, & vnum peccati. *Pondus meriti.* Præuide, te homo: ſenti pondus tuum, antequam veniens ille in ſua ſtatera te ſuſpendat. Conſidera ſtatum tuum, & eſto tibi ipſe ſtatera. Sat tibi de corpore tuo ſtatera. Duæ manus tuæ, duo ſunt calculi hinc atque inde in ſtatera pendentes. Vides quomodò ipſe tibi es ſtatera? perpende cor tuum & conſcientiam. Perpende animam tuam membráque ipſa in ſtatera, prius quam diuinum examen incurras: ſit animus tuus arbiter factorum tuorum, ponderúmque inſpector tuorum. Inſpice diligenter quid tenet dextra, aut quid gerit ſiniſtra. Habes ſcilicet malū in ſiniſtra conditum; meritum in dextra collectum. Vide quid plus eſt in opere tuo, aut quæ pars in actibus tuis exuberat; ſiniſtra an dextra; & vult te collidere. Rom. 12. d Noli cedere, quia ſcriptum eſt tibi; *noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*. Moleſta tibi eſt ſiniſtra, & quærit te ſubdere. Intrat opportunè, vexat te vehementer, collidit frequenter, & capit iugiter; prauo pondere vrget animam, & morſus feralis infligit, dentes in te concupiſcentiæ carnalis infigit, internáque latera tua vitiorum ſuorum vnguibus ſulcat. Quando videris tu quòd pars iſta inimica concreſcit in malo, armiſque hoſtilibus ſtipata ſiniſtra quærit te expugnare, caſtraq; pectoris tui conatur euellere; tu noli terreri ſed redi in ſenſum tuū, & ibi inuenies adiutorem Deum. Si tamen illum times & futurum eius iudicium reformida: In hoc loco, in iſto certamine nō ignoret ſiniſtra; ſed ſciat magis, quid faciat dextera tua. Sciat quod ignorat: aduerte diligenter quādo ſtrepit ſiniſtra in malis: id eſt quando multiplicat caro partes aduerſas contra virtutem animæ, & exaggerat crimina. Stet dextera tua obnoxia contra partes peſtilētiæ, contra arma hoſtilia, contra effœminata vitia, contra peccata & crimina; ſtet dextera tua armata; id eſt, fides robuſta, ſpes ſtabilitas amore copulata. Obducat ſcutum fidei, induucat loricam ſpei, obijciat iuſtitiæ haſtā intendat orationis arcum, erigat eleemoſynæ trophæū; & confeſtim non ſolum cedit per aduerſa, ſed etiā cadit eliſa. Iacet in vulnere & ſuccūbit victoriæ. Quę diximus, euidētiùs repetamus. Hoſtiliter te ſtimulauit caro? ſtrinxit conditio vt delinqueres? peccaſti? crebrò offendiſti? preſſa eſt mens horrore? triſtis eſt anima vſque ad mortem? Superfluat menſura criminum in ſiniſtra, claudicat in ſcientia; nutat ſtatera tua, & dextera tua lāce ſuſpenſa totum pondus diuergit in ſiniſtram. Cùm videris dic ad animā tuā; anima vbi es? quid actura es (inter hęc quare nō clamitas? malum vides imminere; & taces? cur non vigilas? mortem cernis incūbere, & tu non aſpicis? vbi reſides pigra? vbi iaces reſupinata? dextera tua dormitat, & nō illam excitas? pateris vt te vincat ſiniſtra, & portionem tuam iungas cum periturisl? Quid factura es, ſuperata à carne; cum cœperis cum ipſa experiri ſupplicia? ſiniſtra ſatagit, & debet dormire dextera? ibi plena eſt menſura, & hic debet exiſtere vacua? ſiniſtra valet in vitijs, cur non magis dextera in virtutibus viget? cur nō magis minuitur ibi peccatum: & hic additur meritum? quare non liqueſcit nequitia, & augeſcit iuſtitia? Iudicium Dei vides imminere, & ſtupes? tronus tremendi iudicis in flammeis ardet rotis, vt Daniel ait, & non Dan. 7. d trepidas? fluuius currit flammeus, qui globos flammarum voluit, & tu ſoluta iaces? an neſcis quod fluuius iſte peccatoribus permeat, & non in pœnitentibus murmurat? Non audiſti quid adnunciat Eſaïas: *ecce dies* Eſa. 24. d *Domini, inſanabilis, venit dies iræ & indignationis ponere orbem terræ, Deſertum, & peccatores perdere ex eo*. Plange tua ſcelera; corrige te confeſtim, & transfer te de ſiniſtra ad dextram. Non eſt ambiguum, apertè ſonuit, quia Deus peccatores exterminat. Peccatores dixi: tu, ſi pœnitentiam egeris, iam non te perdit, ſed protegit. Si compunctus fueris à peccatis, iam non te damnat. Minaci quidem voce, & terribili tuba teſtificatur Propheta, dicens: *Ecce Dies Domini, inſanabilis, venit; ponere orbem terræ deſertum, & peccatores perdere ex eo*. Verum non ideò Deus minatur vt perdat; ſed teſtificatur vt corrigat, increpat, vt componat, obiurgat, vt eripiat: inſurgit, non perimentis metu, ſed miſerantis affectu. Cæterum ſi percutiat vrbem & perdat peccatores, vbi populus integer quem ſibi acquiſiuit ſanguine ſuo, & paſſione redemit? Sed dicis: oſtende mihi quæſo quo tenore poſſum exonerare ſiniſtram, & cumulare dextram. Hoc quod interrogas, non eſt incognitum. Nunquid latet aſpectum tuum, aut ars eſt quam neſcis? Vbi videris quia dominatur tibi lex peccati, imperant vitia, crebreſcunt crimina, omnis ſarcina declinat in latus ſiniſtrum: noli cedere aut quieſcere, ſed incita temetipſum: recurre ad arma contraria, & præcinge te in dextra tua, implēs illud quod cecinit Dauid Pſalmiſta, *Accingere*, inquit, *gladio tuo*, quem vicit ſiniſtra, quem ſuperauit ſegnitia, quem ſtrauit nequitia; *accingere gladio tuo circa femur, potentiſſime*. Qualem gladium? *ſpecie tua & pulchritudine tua*. Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis! ad te loquitur, qui criminibus vinceris! te cōmonet & cōpungit, peccator! Vicit te pars ſiniſtra, percipiet te in factū tuū. Plora cōpunctus, vt poſſis recipere ſpeciē cordis tui, & pulchritudinē corporis. Quid vult eſſe? errasti in lumbis? offendiſti in femore? Manifeſtū eſt, quia vbi lumbus ibi libido, & vbi femur, ibi fornicatio. Quid ergo? fœdaſti femur tuum carnali libidine? reforma illud pulchritudine ſpiritali. Stupraſti lumbos tuos in fornicatione? noli diffidere, ſed extrue bellum contra ſiniſtram, & contra corporeum peccatum, contra ſtuprum vel adulterium.

Femur

Femur te fœdauit! femur te reformet atque recuperet. Accingere (inquit) gladio circa femur, potentiſſime. Te corripit ſermo propheticꝰ, quia peccaſti. Fuiſti profuſus in libidine; eſto potentiſſimus in virtute. Laxaſti membra tua in luxuria; reſtringe viuacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, orna femur animæ tuæ; vt corporei femoris eximas fœditatem, euellâſque de viſceribus tuis plagas. Accingere gladio tuo circa femur tuum potentiſſime. Quis eſt iſte gladius; ipſe dicit: *ſpecie tua & pulchritudine tua.* Et quæ eſt iſta ſpecies, quàm virtus animi; & in ea, plena pœnitudo? quæve eſt pulchritudo quàm lachrymæ oculorũ, & largitas eleemoſynæ? Et quid deinde? *Intende*, inquit, *proſperè procede & regna.* Aperta ſententia eſt. *Intende* peccator quia peccaſti: *proſperè*, quia pœnituiſti: *procede & regna*, quia triumphaſti. *Procede* cõfidenter, quia ploraſti pro peccato; viciſti reatum vt peruenires ad regnũ, *procede & regna.* Plange hic, vt plaudas alibi. *Procede*, inquit, *& regna*: Propter quid? *propter veritatem & manſuetudinẽ & iuſtitiam.* Quando ſiniſtra infert & ingerit tibi candentes ſtimulos auaritię, luxuriæ, arrogantiæ vel libidinis, ſta cõtra ſiniſtram tuam, ſuccinctus veritate; armatus mãſuetudine, ornatus iuſtitia: & cum viceris ſiniſtram; tunc *educet te mirabiliter dextera tua.* Tunc vincit dextera & ſilet ſiniſtra, cũ fugit impietas, & floret rediuiua pietas; cadunt crimina, & creſcunt merita. Quicquid malum minuit in ſiniſtra, meritum augeſcit in dextra. Sic te agente; *deducet te mirabiliter dextera tua*, iuxta verbum Dauidicum. Subduc pondus ex aduerſo latere, remoue plagas de ſiniſtra, vt in die iudicij deducat te mirabiliter dextera tua. Imple menſuram iuſtitię! quomodò? orando, vigilando, lachrymando, erogando; ieiunando: quinetiam parſimonijs pulſando, negligendo delicias, & nutriẽdo diſciplinam; fugiendo feſtiuas dapes, & frugalitatem ferendo, deponendo pinguedinẽ, & diligendo pallorem. Quando ſtatutam exerces virtutẽ; exultat dextera tua, & latet ſiniſtra: deficiẽte enim nequitiæ ſarcina in ſiniſtra; ſanctificatio dexteræ tuæ præponderat, & ipſa te deducet mirabiliter in ſalutem. Vnde (frater chariſſime) non te tędium ſuperet, non ſubducat ignauia; nõ, inter ſpem & metum alternis motibus ęſtuantem deſperatio frigida perfundat; ſed magis concaleſcat cor tuum dum dubitas, ferueat ſpiritus tuus in te cum anceps inter vtrumque laboras: id eſt; vt inter ſpem metum, & meditatione tua exardeſcat ignis. Erige te in calore cordis tui; & in zelo pectoris concitatus, abutere dextera tua, & æmulare ſiniſtram, dicẽs ei: Quid mihi & tibi eſt ſiniſtra; deſine, ceſſa, cõquieſce; noli mihi ſuadere vt errem; noli me ſubdere, vt offendam. Cur implicatum tenes, & non permittis exolui? noli me capere ſaporibus tuis, qui breui tempore dulces & poſtmodum ſemper amari: tales ſunt ſapores tui, qualia dormiẽtium ſomnia. *Surrexerunt è ſomno, & obliti ſunt quæ viderunt:* ſic tuus ſapor, ſic tua delectatio: in delictis parum inungit fauces, & poſtmodum vrit animam delectatio tua. O ſiniſtra! dolores facis prolixos, niſi fueris repreſſa dulce tuum fit amarum; fauus tuus in fel conuertitur. An non audiſti ſententiam Salomonis qui dixit; *vias quæ à dextris ſunt nouit Dominus, peruerſæ autem ſunt quæ à ſiniſtris?* Neſcis tu quia *anguſta via eſt quæ ducit ad vitam?* Cur me frangis & flectis ad latam? Cur me ducis ad ſpatioſam viam quæ mihi aperit fauces inferni; in quibus picea flãma ardet, & pœnalis caligo exæſtuat? ſiniſtra pars tua planctum ingeminat, prouiſio tua tartareas habet tenebras. Cellarium tuum corruptas habet ſpecies; theſauri tui liquidis ardoribus pleni ſunt. Aſpis eſt in opere tuo, antiquiſſimus ille ſerpens hydra, multorúmque ſpirans venenorum. Vt ſpargit peſtem auctor ſcelerum, nequitiæ armiger! Siniſtra in parte tua, ſcandala quibus dictum eſt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & angelis eius.* Ignis ardebit in parte tua diabole; aſpis antiquæ auctor nequitiæ: tibi præparatus eſt ignis & angelis tuis! quid hoc ad homines pertinet? Siniſtra tua nihil valet. Nihil valet pars ſiniſtra; corri-

Animæ pulchritudo.

Iuſtitia menſura quomodo impleatur.

Carnis delitiæ, ſomnus ſimiles ſunt.

Prou. 4. 27. Matth. 7. b Luc. 13.

Matth. 25.

A gunt ſe homines à peccatis, & viuunt. Deſinunt delinquere, & carent doloribus; renunciant tibi, & regnant cum CHRISTO; & remanſiſti ſolus cum angelis tuis. Diabole; quid regis ſiniſtram partem? ad te corrigo, verbum tibi imputo, te caſtigo: quid gloriaris de parte ſiniſtra? flamma illa gehennæ; tibi, non hominibus flagrat; camini tartarei tibi ſunt præparati & angelis tuis.

Quare? quia aduerſarius Dei es, ſemper erras, & nunquam emendas; ſemper impius & ſeductor, ſemper prodigus & prophanus; atrox in malis, & inimicus in bonis; & quia nunquam te pœnitet, ideò periturus. Quid hoc ad hominem pœnitentem, ſuáque peccata confitentem? plus eſt pœnitentia quam tua peſtilentia. Plus ſunt lachrymæ hominum, quàm tui inſidioſiſſimi laquei. B Ampliùs eſt eleemoſyna, quàm tua inquinamenta. Solicitudo ſoluit peccata, vigilantia vincit nequitiam, compunctio eradicat crimina. Inimice diabole, fallax, quid fingis terrorem? parum eſt quod vereor donec conuertar ad CHRISTVM qui me ſaluauit. Video peccata mea, & pauca conſidero commiſſa mea; & horreſco donec conuertar ad Dominum. Stant ante me facinora mea quaſi turris ferrea ac murus æreus, donec memetipſum videam; & donec ſitiens amplectar CHRISTVM indulgentiæ fontem, teneámque pedes eius qui dixit: *nolo mortem peccatoris, quantùm conuertat ſe à via ſua mala, & viuat.* Si hoc fecero; murus æreus momento collabitur, turris ferrea fulminata diſpergitur. Aries enim pœnitentiæ ſubueſtit peccata, & ſubruit crimina. Cadent ante fletum pœnitentis, quaſi caduca folia C à vento concuſſa, aut quaſi plumæ volitantes vento impulſæ. Adeſt Dominus oranti, præſto eſt excubanti; erogantique, CHRISTVS protector excelſus, munificus atque liberalis indultor, & tota illa peccatorum ſarcina quam verebaris, vt cera liqueſcit, vt fumus fugatur, vt vapor exinanitur, aut quaſi lanugo combuſta deperit. Poſtquam ſic caſtigaueris ſiniſtras partes, & cum hiſdem partibus ipſum diabolũ proſtraueris; conuerte te ad dexteram, & loquere illi, multiplicans ad eam exhortatoria verba, ſic dicens: Dextera mea Deo ſacrata ſaluatrix animæ meæ, firmatrix cordis, munimen corporis, tu noli dormire, ſed vigila. Opus tuum dulce eſt actio tua melliflua eſt, vigilãtia tua viuificat. Expande te ad preces pariter cum ſiniſtra; erige te ad ſuperna ſubſidia. D Commoue venas tuas, & conquire remedia, confunde inimicum, & contere peccati miniſtrum. Quomodò eum confundis, aut quo itinere conteris, niſi in opere Dei, in obſeruatione Euangelica, in ordinatione diſciplinæ, in ordinatione largitatis? Dextra fac opus iuſtitiæ: reſpice famelicos, veſti nudos, viſita ægrotos, ſuſcipe peregrinos, ſolue compeditos, foue captiuos, conſolare compunctos: ſi ſic feceris, eruiſti me de mœrore, liberaſti de muſcipula. O dextra, nõ vides? ſæuit ſiniſtra, & ſupplicia congerit! ſiniſtra te vincit & dormis! Serpẽs te mordet, & duras non vides partes aduerſas turbatas, & inſurgentes turbines? venti ſpirant aduerſi, mare inſurgit ſuper te, peccati pelagus vrget animam tuam, ſtrident in membris tuis iniquitatum procellæ; & non excitaris, ſed negligis! non ſtimularis, ſed torpes! Dextera E gubernatrix ſta in puppe, & dirige proram: extende vela, arma nauem. Ecce pericula imminent, ecce ſcopuli ante te, ecce horrendi cautes, naufragia in latebris inſtant, & non vigilas? eſto peruigil, eſto amator bonorum operum, eſto bellatrix pœnitentiæ, te enim triumphante, viuo ego in virtute Dei, & euado noxias partes, Extende ad iuſtitiam, imple pugillum tuum cœleſti ſemine iacta: ſemen pœnitentiæ, & collige fructus indulgentiæ. Noli dormire dextra, ſed fac opera quæ à te Chriſtus expectat. Emenda errorem meum, dele dolorem meum, collige meritum quod diſperſi, repara quod amiſi, ſed integra quod minoraui. Flammat fornax criminum: & tu ſiccas operis tui fontem? peccata præualent, & tu ſubtrahis pietatis præſidia?

Iſa. 8.

Dæmon quomodo confundatur.

Da rorem tuum, & refrigera in me quod æſtuat in calore. Timeo namque ne dormientem ſiniſtra ſuperet, & rapiat me. Diripiendo ad funera; ſic te excitantem dextram; & obiurgantem, ſiniſtram; ſuſcipit Chriſtus & amplectitur. Diſrumpit vincula tua & deducit tanquam lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum meridiano ſplendore illuſtrat: vt dextra eius viſitatus, gratiáque donatus, & munere accumulatus; non triſtis abſcedas aut inutilis, ſed gaudeas cum iuſtis ad dextram venientibus in æterna requie permanſuris.

FAVSTI EX LERINENSI MONACHO, RHEGIENSIS EPISCOPI; AD MONACHOS, SERMO.

IN Editione appendicis huius Bibliothecæ; manuſcriptos codices ſequuti, inſtructionem appellauimus hunc Fauſti tractatum. At ſermonem, hunc eſſe & ad præſentes fratres habitum; ſatis indicat meo iudicio finis ille quo clauditur; Cui eſt honor virtus & gloria, & potentia & claritas, &c. & nunc & ſemper & in cuncta ſæcula ſæculorum: *Nec enim nemini formam illam finiendæ orationis in alijs tractatibus quàm in ſermonibus ſiue Homelijs fuiſſe in vſu apud Patres. Quo etiam argumento facile ſum perſuaſus vt Agapeti Capitum admonitoriorum expoſitionem (quam alioqui titulus ex tempore editam indicat) S. Dorothei doctrinas; & B. Iſaiæ Abbatis orationes (quæ alioqui non tam titulo, quam dicendi charactere ad præſentes fuiſſe habitas indicat) ex Paræneticorum prioris editionis tomo in Homeliarum ordinem transferrem. Alioqui deprehendi vnam Gildæ ſapientis correptionem poſteriorem quæ eodem fine clauditur; & eam tamen appellat epiſtolam, initio ſuæ præfationis.*

Nemo non nouit Fauſtum Rhegienſem Epiſcopum Pelagiana fuligine tinctum, eiuſque opera à S. R. E. auctoribus P. Gelaſio primo, & Hormiſda Roman. Pontificibus fuiſſe damnata. Dicemus de ipſo plura in notis ad 4. tomum huius bibliothecæ: Nunc verba S. Iſidori de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 14. attuliſſe ſimus contenti: ea ſunt. Scripſit Fulgentius Fuſpenſis Epiſcopus multa, ex quibus de gratia Dei & libero arbitrio libros reſponſionum ſeptem, in quibus Fauſto Galliæ Rhegienſis vrbis Epiſcopo prauitati Pelagianæ conſentienti, obnititur eius profundam deſtruere calliditatem. Repetit eadem Iſidorus, lib. de viris illuſtribus cap. 27. & hinc diſcas, quanto cum iudicio legenda ſint Fauſti opuſcula.

INSTRVIT nos atque hortatur ſermo diuinus, qualiter nos accingere debeamus ad inquirenda promiſſa ſua, & obtinenda illa bona quæ nec viſu capi, nec auditu percipi, nec cogitatu comprehendi poſſunt. *Petite* (inquit) *& dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Id eſt, vt petamus orando, quæramus laborando, pulſemus perſeuerando: & in ſpem cœleſtium tantò incitemur ſtudio, tanto inardeſcamus affectu; vt cùm præmiorum dignitate, deſideriorum magnitudo concordet. Non vult enim Deus noſter bona ſua nimia inueniendi facilitate vileſcere. Pretioſa & concupiſcibilis merx cupidum amatorem, atque auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromiſſor; non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum & ingratum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris maxima eſt iniuria remuneratoris. Ergo totis licet animæ & corporis laboribus deſudemus; totis licet obedientiæ viribus exerceamur; nihil tamen condignum quod meritò pro cœleſtibus bonis penſare & offerre valeamus. Non valent vitæ temporalis obſequia æternæ vitæ gaudia. Laſſeſcant licet membra vigilijs, palleſcant ora ieiunijs, *non erunt* tamen *condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Pulſemus ergo, inquantum poſſumus; quia non poſſumus, inquantum debemus. Futura beatitudo acquiri poteſt; æſtimari non poteſt. Niſi enim cum auiditate, niſi cum bona voluntate & cum lætitia Dei opera egerimus; Deo nos perire nouerimus. Putamus (chariſſimi) quòd dignè quærat illa anima, & ita pulſet vt ei aperiatur; quæ ad leue præceptum ſenioris reſpondere præſumit & dicere: Nunquid ſerui veſtri ſumus? Iam feci vicem meam: & ille faciat ſuam. Quo modò hoc dicit, cui præceptum eſt; *Nolite quærere quæ veſtra ſunt?* Et iterum: *non quæ ſua ſunt ſinguli deſiderantes:* à quo non hoc expetitur, vt mercedem ſuam impleat; ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat? Putamus quòd ita petat, vt accipiat; ita quærat, vt inueniat; ita pulſet, vt ei aperiatur; qui pro aliqua negligentia correptus, & pro diſciplinæ ordine caſtigatus; non ſe ad emendationem, non ad ſatisfactionem confert; ſed magis ad illam proteruiam, vt dicat; deſero atque diſcedo: hoc ego ferre non patior; ingenuus homo ſum! Iam primùm qui ante præpoſitum vel Abbatem ingenuum ſe eſſe iactat; puto quòd adhuc emptum eſſe ſe neſciat. Qui Chriſtianæ militiæ mancipatu præſumit dicere ſe ingenuum; penè eſt, vt ſe neget Chriſti ſanguine comparatum. Quid eſt hoc aliud quàm ipſi Domino clamare; liber ſum nihil tibi debeo? De talibus dicebat Apoſtolus: *Cùm enim ſerui eſſetis inobedientiæ, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Non benè ingenuus appellatur, qui miſera vitiorum ſeruitute deprimitur. Clamat autem in contumelia diſciplinæ, in peccato animæ ſuæ: Malo diſcedere, quam emendari, quàm ſatisfacere, quàm implere quod præcipis. Quid eſt hoc aliud quàm iugum Chriſti rebelli ceruice diſcutere? Iſti tales neſciunt, quid vouerunt; obliti ſunt propter quid huc venerunt. Iſti tales non bene petunt, ſi malè vitijs appetuntur; non fide pulſant, ſed infidelitate pulſantur. Quid prodeſt quòd diſcedis, qui vndique adſtrictus es vinculis paſſionum? quem hinc atque inde circumuallant vitia ſua? Dignè aliquis diſcederet, ſi illò ire poſſet vbi illum diabolus inuenire non poſſet. Nemo ſe fallat; non fugiat aduerſarium de loco ad locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad emendationem. Si eum fugiat, ſequitur: emenda te, & fugiet à te, ſicut ait Apoſtolus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.*

Non-

Margin notes:

Math. 7. a Luc. 11. b

Non vult Deus, bona ſua inueniendi facultate vileſcere.

Diuina, tepidè peti; maxima in Deum contumelia eſt.

Rom. 8. d

Contra iuniores ſenioribus obmurmurantes.

Philip. 2. a

Luc. 11.

1. Cor. 6. d

Rom. 7. d

Votum monaſticum.

Dæmon quomodo fugiendus.

Iac. 4. 6.

Non obedire autem & velle diſcedere; hoc eſt dupliciter facere diaboli voluntatem, hoc eſt voluntariè ſibi ipſi (etiam in præſenti) damnationem inferre peccati. Illis ipſis qui grauiter apud nos delinquunt; nullam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quàm vt à corpore congregationis abſciſſi ſine pace diſcedant: Et nunquid non amentiæ genus eſt, vt hoc quiſquam pro remedio expetat, quòd etiam à præpoſito niſi pro ſummo crimine non poſſit inferri? Intelligamus ergo iſtas indignitates & contradictiones, inimicos cooperante & diſponente prouenire. Ille enim qui non poteſt aliquem abſolutè de loco ſalutis excutere, immittit primum occaſiones & cauſas; immittit inobedientiæ paſſionem, quam ſemper infidelitas comitatur; quæ dum captiuam illaqueauerit mentem, ſtatim intoleranda atque impoſſibilia facit etiam illa quę parua ſunt. Et ſanè dubium non eſt, quòd vires inobedientibus diuinitus ſubtrahuntur: & ſicut ille qui non habet neceſſariam fidei deuotionem: & quod habebat, *auferetur ab eo*: ita & inobedientia obdurat animum quem ſemel ceperit; vt ad ſuſcipienda præcepta, nec autoritate, nec ratione flectatur: ſed quod peſſimum eſt, ſibi ſoli credat, & pro omni ratione, intentiones ſuas ſequatur; & hoc ſolum præceptū putet, quod obturato corde concepit, ſimilis ei effectus de quo diuinus ſermo pronunciat: *Itinera inſipientium recta in conſpectu eorum.* Et iterum: *ſunt viæ, quæ videntur recta eſſe hominibus; nouiſſima autem eorum venient in profundum inferni.* Poſtremò veniet huiuſmodi animabus, quod domui quæ ſuper arenam ædificata eſt: hęc enim parabola maximè ad inobedientes reſpicit. Sic enim legimus: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilabitur viro ſtulto qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, &c.* Id eſt; cùm influxerint ſtillicidia paſſionum, cum aduenerint flumina & torrentes atque impetus tribulationum, ex multitudine negligentiarum; cum flauerint venti, illi vtique qui per iſtum aërem volitant, parati ad Chriſti aream ventilandam ſicubi inueniant paleas quas ad ludibrium ſuum rapiant atque diſpergant: tunc irruent in domum illam quæ ſine obedientiæ fundamento inuenta eſt, & fiet ruina illius magna. Sed forſitan dicat aliquis: nunquid ſtatim, de hoc loco diſcedere ruina dicenda eſt? Dico (chariſſime) non grandis ſpes eſt, ſi nauis in fluctibus conſtituta (licet ipſa non pereat) tamen iacturam maximam de honore ac mercibus ſuis faciat, & ad portum vacua perueniat. Sic non grande gaudium eſt, ſi aliquis ad ſæculi fluctus reuertens, nomen atque habitum profeſſionis ſuæ cuſtodire videatur; anima verò eius negligentijs tabeſcat ac defluat. Et quid grauius, quando ſubitò tanquam aliquis repentinus eradicatus de loco ad quem te Dominus tuus vocauerat; in quo te primum poſt mala ſæculi quaſi in portum de tempeſtate induxerat; obliuiſci ſubitò fraternæ ſocietatis & conſolationis; obliuiſci loci illius in quo primùm dulciſſimum immutationis habitum & nomen ſecularis exueris? Aues ipſæ diligunt nidos ſuos; amant feræ loca in quibus nutritæ ſunt, amant cubilia & paſcua ſua; quamlibet naturali libertate varijs partibus rapiantur, ſæpiùs tamen ad chara ſibi loca quodam deſiderio reuertūtur: & tu intellectu præditus, ratione munitus; ita interdū ſenſu alienus efficeris, vt præferas Dei beneficijs voluntates vel intentiones tuas, & diaboli inſinuationes ſequens! Quæ quālibet ad duros labores, quamlibet ad ſalutis naufragia atque animæ detrimenta te rapiant; totum hoc præ nimia cordis indignitate non ſentis! Tempore enim diſceſſionis, multa promittit inimicus, te illic quò tendis, maiorem profectum, multam gratiam atque omnium rerum abundantiam reperturum, ac te tanquam angelum ſuſcipiendum. Et poſt hæc; quando anxietate repletus & pace nudatus, profectus tui ſtudium & ſacrum ouile reliqueris, tunc animaduertis (quaſi ſedata temporis tempeſtate) inde quid de te male egeris, tunc recognoſcis quid periculi incurreris cum de loco ad quem cum gaudio veneras ſine pace, cum ſcandalo diſceſſiſti. Tunc A ſera pœnitentia ſuper ruinas ſuas pœnitet, ac deflet ſicut quædam aues quæ præ dolore ſuper eos quos occiderint, flere dicuntur, & hæc omnia animæ detrimenta ex inobedientiæ malo eueniunt. Obedientes autem & humiles animæ, multas tribulationes atque omnes labores proſternunt, atque in compendium mittunt. Sciendum eſt enim quòd quantò humiliores & obedientiores fuerimus præpoſitis & patribus noſtris, in tantum obediet Dominus orationibus noſtris: Videamus quàm acceptabilia ſunt Domino vel opera, vel ieiunia eorum qui ſuis potiùs quàm ſeniorum voluntatibus obſequuntur. Clamant illi, quia ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, & neſciſti. & ille reſpondens: Ideò quia in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. Videmus ergo per inobedientiam animorum opera B non reſpici, ieiunia non audiri, vota non ſuſcipi. Vnde nos ampliùs illius mādata ſectemur, quia ad nos è cœlo deſcendit, non ſolùm vt nos redimeret mortis pretio, ſed etiam vt vitæ ædificaret exemplo: & cùm illo dicamus: Ego non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem illius qui miſit me Patris. Ire autem poſt voluntates proprias tam pernicioſum eſt, vt hoc Deus iam poſtmodum iratus, pro damnatione peccati inobedientibus irroget dicens: Et dimiſi illos ſecundum deſideria cordis eorum. Quamobrem qui vult opera ſua eſſe recta in conſpectu Dei, nihil obedientiæ, nihil pręceptis præponat; ſiue ille iunior, ſiue ſenior eſt, tantò plus debet ſtudere ædificationi & perfectioni. Nullum ſibi finem faciat proficiendi, nullum terminum conſtituat acqui- C rendi, cùm ſibi dici audiat; para in exitu opera tua: & iterum; non verearis vſque ad mortem iuſtificari, & iterum, ſapientia in exitu canitur. Quantò ergo plus proficimus, tantò plus humiliemur: quia quantò plus humiliati fuerimus, tanto amplius proficiemus. Nullus illi ſenior iam indoctus appareat, vt putet, quòd eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in iunioribus adhuc neceſſitas, in ſenioribus iam dignitas eſt. Ille bene proficit, ille bene conſummat, qui quotidie ſic agit, quaſi ſemper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum, incitamenta eſſe perfectorum ſcriptura pronunciat. De his verò qui dum primas negligentias prætermittunt, in alias atque alias ſemper incurrunt, ita ait: Peccator adijcit ad peccandum de perfecto verò dicitur: & ſanctus adhuc ſancti- D ficetur. Videamus prius primùm quid eſt; peccator, adijcit ad peccandum. Verbi gratia cuiuſlibet, vt puta obtrectationis paſſio ſi me impugnare cœperit, ſi nō ſtatim me pœnitudo huius vitij cœperit, cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quædam (vt ſic dixerim) ſuauitas, vt reuocare me ab illo & continere non poſſim. Ita enim euenit, vt qui primo tempore emendare ſe noluit, incipiat in ſequenti nec velle nec poſſe. Verbi gratia, ſuperbiæ acquieſcere cœpi, regulā violaui, ſeniorem læſi, iuniorem deſtruxi: ſi non ſtatim me pœnituit grauiter me fuiſſe præuentum, iam de die in diem libentiſſimè me rapiet ipſa violentia conſuetudinis & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam. Obſcurat enim atque obruit intellectum delicti aſſiduitas delinquendi. Et enim ita cor negligen- E tijs obdurātur, vt hoc ipſo ſi non ſe humiliet, ſi non ſatisfaciat, præpoſito ſuo nocere ſe credat, inſuper & inſultet & dicat: Quàm conſtanter illi reſtiti, quam bene non acquieui, quanta auctoritate reſpōdi, putabat quod me ſemper illi humiliare deberem? Quod qui facit, diabolo ſe tradidiſſe conſtat, qui de hominū vitijs & paſſionibus & perditione lætatur, & einſmodi animæ eueniet illa ſententia: peccator adijcit ad peccādum. Quam nos refugientes, illam potius teneamus quæ dicit; & ſanctus adhuc ſanctificetur; vt quotidie addamus merita, nec de nobis aliquid præſumamus, quia Dei eſt omne quod ſumus. Simus itaque in opere Dei indeficientes propter æternā retributionē, & quotidie ad meliora tendamus.

Excommunicatio pœna eſt triſtiſſima.

Apoſtaſia eſt à dæmone. Infidelitas comes eſt inobedientiæ.

Matth. 13. b. 25. d. Marc. 4. c. Luc. 19. d

Prou. 12. c. Prou. 16. d

Matth. 8. d

Contra monachos in habitu ſuæ profeſſionis ad ſæculum redeuntes.

Secularis nomen exuere.

Iſa. 58.

Ioan. 4.

Pſal. 80.

Obedientia nihil eſt anteponendum.

Eccleſ. 13. a. Eccleſ. 18. c

Humilitas.

Eccleſ. 5. d. Apoc. 22. c

Peccatorum initijs ſedulò repugnādum.

Peccandi aſſiduitas obruit intellectū ſuperborum inepta verba.

Eccleſ. 5. Apoc. 22.

Caue iſta Pelagiana in auctore Pelagiano.
Matth.13.b 25.e Marc. 4. Luc 8 Pſal. 68.
Gratia de gratia naſcitur.
Eccleſ.24.d

Ipſa enim apptehendendi auiditas, ipſa conſuetudo proficiendi ſcoiper nos ad maiota prouocet; & vbi viderit Deus deuotionem animæ, ardentiorem inſinuabit affectum: & quantò nos arferimus ad ſtudium, tantò ille apponet adiutorium: quantò nos appoſuerimus ad diligentiam, tantò ille addet ad gloriam. Qui haber, dabitur illi, & ſuperabundabit, & alio loco dicit: poſui adiutorium ſuper potentem. Gratia ergo de gratia naſcitur, & profectus profectibus ſeruiunt, lucra lucris & merita meritis locum faciunt: vt quantò plus quis acquirere cœperit, tantò plus conetur acquirere: & quantò auidiùs de ſapientiæ bonis hauſerit, tantò plus haurire deſideret; ſicut ipſa de ſe loquitur ſapientia: A Qui edunt me, adhuc eſurient. Vrgeamus curſum noſtrum, vt creſcat in nouiſſimo vita noſtra. Quæramus vſque in finem, vnde ſine fioe gaudere mereamur. Sed eſto, non poſſumus exercere corporis labores, conferamus nos ad ſpiritualium bonotum deſiderium, ad compunctionis & charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus noſtris diſponamus aſcenſus, nulla infirmitate, nulla ætate laſſari poſſunt mẽtes, vt ſpiritualibus quibuſdam gradibus aſcendere mereamur ad promiſſa Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui eſt honor, virtus & gloria, potentia & claritas, & magnificentia, & imperium & nunc, & ſemper & in cuncta ſæcula ſæculorum, Amen.

D. CHROMATII AQVILEIENSIS
EPISCOPI, DE OCTO BEATITVDINIBVS,
CONCIONES II.

DE D. CHROMATIO AQVILEIENSI EPISCOPO, EX SIXTI SENENSIS BIBLIOTHECÆ SANCTÆ, *Libro 4.*

CHROMATIVS *Aquileiæ Epiſcopus, patria Romanus; vir pietate & eruditione clariſſimus; quem D. Hieronymus in præfatione Paralipomenon, Epiſcoporum ſui temporis ſanctiſſimum atque doctiſſimum (quod rarò inuenitur) appellat; edidit commentarios in Matthaum, eruditione ac pietate inſignes: ex quibus ego ſubiecta fragmenta legi.*

Agit de S. Chromatio ſæpiſſime S. Hieronymus. Extat ad eundem epiſtola S. Ambroſij. S. Chryſoſtomus epiſt. 155. ad eundem ita illum celebrat: clariſſima feruentis tuæ & ſinceræ charitatis tuba ad nos vſque ſonum ſuum diffundit. Extat nomen eius Romano inſcriptum martyrologio 2. Decembris.

In Matthæi cap. 3. ſuper illud; ſine modò, ſic enim decet implere omnem iuſtitiam: *quod incipit:* quapropter reſpondens Dominus.

In Matthæi cap. 5. ex integro; & in partem 6. capitis fragmentum; cuius initiũ eſt: Videns autem, inquit.

Item de 8. beatitudinibus in Matt. cap. 5. Homiliam elegantem, cuius initium eſt: Dat nobis fratres, conuentus.

Claruit Anno Domini 410. ſub Theodoſio.

Concio in nundinis, & opportuna & vtiles ſunt.

DAt nobis (Fratres) conuentus hic populi; & mercatus frequentia occaſionem proponendi ſermonis Euangelici, Solent enim ſecularia eſſe ſpiritualibus exempla; & terreſtria imaginem prębere cœleſtibus. Nam Dominus ac Saluator noſter frequenter admonet nos per terreſtria de cœleſtibus; cùm dicit: *Simile eſt regnum cœlorum, reti miſſo in mare.* Vel certè: *Simile eſt regnum cœlorum, homini negotianti, quærenti bonam margaritam.*

Matth. 13.

Si ergo mercatus hanc ipſe continet rationem vt vnuſquiſque pro vtilitate ſua aut vendat quæ ſibi ſuperflua ſunt, aut emat quæ deſunt; non incongruè & ego proponam mercem quam mihi commiſit Dominus: prædicationem vtique cœleſtem; ſiquidem ne minimum quoque (& ſi indignum) tamen de ſeruis illis quibus Dominus talenta diſtribuit ad negociandum lucrumq; faciendum, elegit. Nec ſanè deerunt mercatores, vbi per gratiam Dei tales ac tanti auditores. Magis autem neceſſe eſt lucrum cęleſte captari, vbi terreſtre commodum non negligitur. Cupio (Fratres chariſſimi) proponere vobis illas beatitudinum margaritas precioſas ex ſancto Euangelio: aperite itaq; cordis veſtri theſauros; emitte, percipite auidè, fœliciter poſſidete. Dominus ac Deus noſter vnigenitus ſummi Patris; qui de Deo homo; de Domino magiſter dignatus eſt fieri; cum turbæ multæ ex diuerſis confluerent regionibus aſſumptis diſcipulis ſuis (id eſt; Apoſtolis ſuis) aſcendit in montem; & aperto ore ſuo docebat eos, dicens: *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Beati mites, quoniam ipſi* B *poſſidebunt terram, &c.* Gradus quoſdam firmiſſimos ex lapidibus precioſis ſternit quodammodò Dominus Saluator; per quos, ſanctæ animæ & fideles repere poſſint & aſcendere ad ſummum illud bonum; id eſt regnum cœlorum. Breuiter igitur (fratres chariſſimi) qualitates graduum cupio demonſtrare; veſtra modò mens tota & anima ſit intenta; quia non ſunt parua quæ Dei ſunt. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Mirum principium (Fratres) doctrinæ cœleſtis! non à terrore incipit, ſed à beatitudine! non terrorem faciens, ſed potiùs deſiderium! Vice enim agonothetę vel munerarij certatoribus in hoc ſtadio ſpiritali præmium grande proponit; vt dum aſpiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorreſcant. *Beati* ergo *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Non ſimpliciter,

Doctrinæ cœleſtis mirũ eſt principium.

C neque confusè, beatos pauperes dixit; ſed addidit, *pauperes ſpiritu:* Nec enim omnis paupertas fœlix eſt; quia fit ſæpè eſt neceſſitate, fit nonnũquam per peſſimos mores, fit etiam ex indignatione diuina. Beata ergo paupertas eſt ſpiritalis: eorum ſcilicet hominum qui ſpiritu & voluntate pauperes ſe faciunt propter Deum; renunciando ſæculi bonis, ſubſtantiam ſuam vltrò erogando: quos meritò beatos appellat, quia pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, per voluntariam enim paupertatem, cœleſtis regni diuitias adſequuntur. Deinde ait: *Beati mites, quia ipſi poſſidebunt terram.* Mirè, poſt primum gradum, ſecũdus oſtenditur: *Beati* (inquit) *mites, quia ipſi poſſidebunt terram.* Sed ſicut impoſſibile eſt extra ordinem ſecundo ſiſtere gradu niſi aſcenderis primum; ſic bomo mitis eſſe non poterit, niſi priùs pauper ſpiritu

Non omnis paupertas eſt beata.
Paupertatis cauſa triplex.
Pauperes voluntarij propter Deum.

ſpiritu fuerit factus. Quomodò ergo inter diuitias poſitus animus, inter curas & ſolicitudines ſæculares; ex quibus negotia, lites, prouocationes, iræ, exacerbationes ſine intermiſſione naſcuntur: quomodò (inquam) inter hæc, animus poterit eſſe mitis & lenis, niſi priùs à ſe omnes cauſas iracundiæ, occaſionéſq; rixatũ abrenunciando præciderit? Non fit mare trãquillum, niſi ceſſauerint venti; non extinguitur ignis, niſi materiã incendij ſpinarúmque ſarmenta detraxeris: Sic nec animus erit mitis & quietus; niſi ea quæ exuſcitant & inflammant, fuerint abdicata. Benè ergo gradus iungitur gradui; quia pauperes ſpiritu, ipſi incipiũt iam eſſe mites. Accedit & tertius: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quis nobis iſte luctus intelligendus eſt? Salutaris vtique; non ille qui ex rerum naſcitur detrimentis, non qui ex amiſſione charorum, nec qui ex iactura ſæculariũ dignitatum: quæ vtique omnia iam pauper factus ſpiritu non dolebit. Hic eſt luctus ſalutaris qui agitur pro peccatis, pro recordatione diuini iudicij. Nam quia priùs inter innumeras ſęculi occupationes & aſperitates animus conſtitutus, de ſeipſo cogitare nõ poterat; iam ſecurus & mitis effectus, incipit ſeipſum propiùs intueri, examinare actus ſuos diurnos atque nocturnos, & ſic pręteritorum criminum vulnera incipiũnt apparere; & tunc luctus ac lachrymæ ſubſequuntur ſalutares, & adeò ſalubres vt mox cœleſtis cõſolatio occurrat: verus enim qui dixit; *Beati qui lugent, quia ipſi cõſolabuntur.* Accedamus fratres ad quartum. *Beati* (inquit) *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniã ipſi ſaturabuntur.* Verè enim poſt pœnitentiã, poſt luctus & lachrymas peccatorum; quæ alia naſcitur eſuries & quę ſitis, niſi iuſtitiæ? Sicut enim qui caliginem noctis emenſus eſt, iam geſtit proximã lucem; & qui choleram amaram digeſſit, eſcam concupiſcit & potum: ſic & mens hominis Chriſtiani, poſtquam per luctus & lachrymas ſua peccata digeſſerit; iam ſolã Dei iuſtitiam eſurit atq; ſitit; & meritò, eius quã deſiderat, ſatietate gaudebit. Occurrat & quintus gradus: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Nemo alteri præſtare poterit, niſi priùs ipſe ſibi præſtiterit. Poſtquam ſibi ergo miſericordiã impetrauit, ſatietatémq; iuſtitiæ; incipit iam dolere de miſeris, incipit iam pro alijs peccatoribus exorare: factus miſericors in ipſos etiam inimicos, maiorem ſibi cumulum miſericordiæ, per huiuſmodi pietatem, in aduentum Domini præparabit: ideò dicitur; *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Adeſt, ecce gradus ſextus: *Beati* (inquit) *mundo corde, quia ipſi Deum videbunt.* Planè iam mundo ſunt corde; planè iam Deum videre poterunt; qui pauperes ſpiritu, qui mites, qui lamẽtati peccata, qui iuſtitia refecti, qui miſericordes, in aduerſarijs quoque tam ſyncerũ oculum cordis & lucidũ gerunt, vt ſine aliqua malitiæ lippitudine inacceſſibilem Dei claritatem ſine impedimẽto conſpiciant. Munditia enim cordis, & conſciẽtiæ puritas nullã nubem ad intuendũ Dominum patietur. Sequitur fratres: *Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur.* Magna dignitas paci ſtudentium, cum filiorum Dei appellatione cenſetur. Bona quidem & hæc pacificatio quæ fit inter fratres, propter ſubſtantiam ſæculi litigantes, aut propter vanam gloriam, aut ſimultates: ſed parua hæc merces, quia dixerat Dominus in exemplum noſtri: *quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper vos?* Iam enim præmiſerat: ablata tua ne repetas. Et alio loco: *quomodo poteſtis credere, gloriam ab inuicẽ accipientes?* Potior ergo & ſublimior pacificatio intelligenda eſt à nobis; illam dicam, qua homines gentiles qui inimici ſunt Dei, per inſtantiam doctrinæ adducuntur ad pacem qua peccatores emendantur & Deo per pœnitentiam recõciliantur; qua rebelles hæretici corriguntur; qua Eccleſiæ diſcordantes ad vnitatem pacémq; formantur. Verè enim qui tales ſunt pacifici, non ſolum beati ſunt, ſed digni meritò filij Dei vocabuntur: ipſum enim Dei Filium Chriſtũ imitantes, qui *pax noſtra* & reconciliatio ab Apoſtolo prædicatus eſt, ſocietatem nominis eius ſortiũtur. *Beati qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam, quoniã ipſorum eſt regnum cælorum.* Non eſt dubium (fratres) quia bono facto comes eſt ſemper inuidia. Nam ſalua perſecutorũ crudelitate; vbi cœperis rigidam tenere iuſtitiam, inſolentiã repercutere, incredulos ad pacem Domini conuocare, vbi cœperis denique à mundanis hominibus & erroneis diſcrepare, ſtatim perſecutiones oriuntur: neceſſe eſt ſurgant odia, æmulatio laceret. Sic denique ad illum ſummum gradum, ad ipſum caput atq; faſtigium, ſuos auditores adducit Chriſtus, non tantũ vt ſuſtineant patiendo, ſed etiam vt moriendo congaudeant. *Beati* (inquit) *eſtis, cùm vos perſequuntur, & exprobrant, & dicunt omne malum aduerſum vos, propter iuſtitiã, mentientes, Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: Sic enim perſecuti ſunt Prophetas qui fuerunt ante vos.* Perfecta virtus eſt, fratres, poſt totius iuſtitię miniſtrationes, propter veritatem opprobria ab hominibus ſuſtinere, affligi cruciatibus, morte denique affici; nec terreri, propoſito nobis exẽplo Prophetarum, qui diuerſis modis propter iuſtitiam lacerati, paſſionũ Chriſti conformes & præmij eſſe meruerunt. Hic gradus celſior eſt; in quo Chriſtũ Paulus aſpiciens dicebat: *Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ in primo ſunt extẽdens, ſector ad brauiũ ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Et adhuc apertiùs, ad Timoth. *Certamen* (inquit) *bonum certaui, curſum conſummaui.* Quaſi qui omnes gradus aſcẽderat; addidit: *Fidem ſeruaui; In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Verè enim vniuerſo curſu cõpleto hoc ſupererat vt per tribulationes & paſſiones gaudẽs Paulus ad gradũ ſublimiorem Martyrij perueniret. Dignè ergo Dominus ſeruo ſuadet: *Gaudete* (inquiens) *& exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis:* & creſcere per incrementa perſecutionũ euidenter oſtendit. Oſtenſi ſunt (fratres) octo gradus Euãgelici, extructi ex lapidibus (vt dixeram) precioſis. Oſtenſa eſt illa ſcala Iacobi; cuius cacumen de terra pertingebat ad cœlũ; per quam qui aſcendit, portam inuenit cœli; ac per eam ingreſſus, ſine fine in cõſpectu Domini lætus adſtabit, laudaturus Dominum cum ſanctis Angelis in æternũ. Hic noſter mercatus; hæc nundina ſpiritualis. Demus (benedicti) quæ habemus, offeramus ſpiritus paupertatem, vt accipiamus (ſecundùm promiſſionem) regni cœleſtis vbertatem: Offeramus manſuetudinem; vt terram poſſideamus & paradiſum: Defleamus peccata & noſtra & aliena, vt conſolationẽ de Domini bonitate mereamur. Eſuriamus & ſitiamus iuſtitiam, vt copioſiùs ſaginemur: Demus miſericordiam, vt veram miſericordiam conſequamur. Viuamus pacifici, vt filij Dei vocemur: Mundum cor & caſtum corpus offeramus, vt lucido ſenſu Deum videre poſſimus. Perſecutiones propter iuſtitiam minimè timeamus; vt cœleſtis regni efficiamur hæredes: Opprobria, cruciatus, mortẽ deniq; ſi eueniat, propter Dei veritatem gaudẽtes amplectamur & læti; vt merces nobis cum Prophetis & Apoſtolis copioſa præſtetur in cœlo. Vt autem verbis finis, cum præfatione concordet: ſi eſt gaudium mercatoribus propter lucra præſentia, & caduca; magis gaudeamus omnes pariter & lætemur, quia tales Domini hodie inuenimus margaritas quibus nulla poſſint bona ſæculi comparari. Quas vt acquirere, obtinere, poſſidere mereamur; auxilium nobis & gratia cum virtute, ab ipſo Domino poſtulanda eſt, cui ſit gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Luctus ſalutaris.

Gaudium ſpirituale ſequitur lachrymas ſalutares.

Luc. 12.

Pax illa demum ſublimis eſt, qua hæretici corriguntur, & gẽtiles conuertuntur ad Chriſtum.

Perfecta virtus eſt, perſequutionẽ pati propter iuſtitiam.

Philip. 3.

2. Tim. 4.

Martyrij gradus ſublimior.

Nundinæ ſpirituales.

D. CHROMATII AQVILEIENSIS Episcopi; in V. caput Matthæi, *& in partem ſexti; Contio eruditione pariter ac pietate inſignis.*

VIDENS *autem* (inquit) *turbas, Ieſus aſcendit montem: & ſedente eo acceſſerunt ad eum diſcipuli eius; & aperiens os ſuum,* docebat eos dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum;* & cætera quæ ſequuntur. De terrenis & humi-

Montem cur Chriſtus conſcenderit.

eſuriens ac ſitiens neceſſe eſt, id quod ſitit atque eſurit,
A concupiſcat. Meritò igitur his taliter eſurientibus ac ſi-
tientibus eum qui panis cœleſtis ac fons aquæ viuæ eſt,
ſatietatem refectionis illius perpetuæ repromittit, di-
cendo: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſa-*
Rom. 3. *turabuntur*. Illam vtiq; iuſtitiam fidei, quæ Dei & Chriſti
eſt, de qua & Apoſtolus retulit: *Iuſtitia autem Dei per fidem*
1. Cor. 1. *Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* Vel
certè ipſum Dominum ac Saluatorem noſtrum, qui no-
bis (ſecundum Apoſtolum) & iuſtitia, & ſanctificatio,
& redemptio factus eſt, cuius deſiderio, velut cibi ac
potus modo beati ſemper exæſtuant; ſecundū quòd ipſe
Dominus per Salomonem teſtatur, dicens ex perſona
Eccleſ. 14. Sapientiæ: *qui me manducant, adhuc eſurient: & qui me bi-*
bent, adhuc ſitient. Hanc ergo iuſtitiam, etiam nos ſemper
eſurire ac ſitire debemus, vt ſaturari cibo refectionis
B perpetuæ mereamur. Benè autem cum additamento
dictum eſt in loco præſenti: *Beati qui eſuriunt iuſtitiam,*
quoniam ipſi ſaturabuntur: quia qui non iuſtitiam, ſed in-
iuſtitiam eſuriunt, ſcilicet qui aurum & argentum deſi-
derant, qui diuitias vel honores ſæculi concupiſcant, &
qui nunquam terrenis opibus, vel carnis deſiderijs ſa-
tiantur, ij tales non beati, ſed infœlices ſunt, quia eis non
ſpes promiſſæ gloriæ, ſed damnationis pœna debetur.
Deinde ait: *Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.*
Plurimis quidem teſtimonijs, tam in veteri teſtamento
quam etiam in nouo, ad faciēdam miſericordiam à Do-
mino prouocamur: ſed ad compendium fidei arbitra-
mur ſatis ſupérque ſufficere id quod in præſenti loco
ipſe Dominus propria voce depromit, dicendo: *Beati*
C *miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.* Dominus miſe-
ricordiarum miſericordes dicit eſſe beatos, oſtendens
vnumquemq; miſericordiam Dei promereri non poſſe
Luc 6. niſi & ipſe miſericors fuerit. Vnde & alio loco ait: *eſtote*
ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter qui eſt in cælis miſericors
eſt. Deinde ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum vide-*
bunt. Hos mundo corde, eſſe ſignificat, qui depoſita
ſorde peccati, ab omni ſe carnis inquinamento purga-
uerint, & per opera fidei atque iuſtitiæ Deo placuerint,
ſecundum quod Dauid in Pſalmo teſtatur dicens: *quis*
Pſal. 15. *aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* *In-*
nocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam
ſuam. Meritò & Dauid ſciens Deum non niſi mundo
corde poſſe videri, ita in Pſalmo precatur, dicens: *Cor*
Pſalm. 50. *mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceri-*
D *bus meis.* Huiuſmodi ergo, mundo corde Dominus bea-
tos eſſe oſtendit; qui pura mente & integra conſcientia
ſub fide Domini viuentes, Deum gloriæ in futuro cœ-
1. Cor. 13. leſti regno conſpicere merebuntur, *non iam per ſpeculum*
& in ænigmate, ſed facie ad faciem, vt Apoſtolus retulit.
Modò enim licet oculis fidei Deum contemplemur,
claritatem tamen eius præ infirmitate carnis videre non
poſſumus: tunc autem videbimus eum, accepta immor-
talitate in cœleſtem gloriam transformati, cum immor-
talem Deum immortalibus oculis conſpicere cœperi-
mus; & tunc verè implebitur in nobis illud quod ſcri-
Pſal. 47. ptum eſt, *Sicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Domini*
Pſal. 139. *virtute.* Non immeritò idem Dauid cum futuri temporis
gloriam oſtenderet, in qua ſancti cum Deo habitabunt;
E ita retulit: *Attamen iuſti confitebuntur tibi, & habitabunt*
recti cum facie tua. Deinde ait: *Beati pacifici, quoniam filij Dei*
Pacifici ſunt qui Eccleſiæ pacem in fidei vnitate cuſtodiunt. *vocabuntur.* Pacifici ſunt, qui à diſſenſionis & diſcordiæ
ſcandalo ſeparati, dilectionem charitatis fraternæ, &
pacem Eccleſiæ ſub catholicæ fidei vnitate cuſtodiunt:
quam pacem tuendam diſcipulis ſuis Dominus in Euan-
gelio peculiariter commendat, dicendo: *Pacem meam do*
Ioann. 14. *vobis, pacem relinquo vobis.* Quam pacem Dominum Ec-
cleſiæ ſuæ daturum Dauid ante teſtatus eſt, dicens: *Au-*
Pſal. 84. *diam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pa-*
cem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuer-
tuntur ad ipſum. De qua pace cuſtodienda, & Apoſtolus
Epheſ. 4. commonet, dicens: *In omnibus ſeruantes vnitatem ſpiritus*
Philip. 4. *cum vinculo pacis.* Et iterum: *Pax Dei quæ ſuperat omnem in-*
tellectum, cuſtodiat corda veſtra & corpora veſtra à malo. Nihil
A enim tam neceſſarium ſeruis Dei tam ſalutare Eccleſiæ;
quam charitatem ſeruare, quam pacem diligere, ſine qua Charitatis neceſſitas.
Deum videri non poſſe, ad Hebræos Apoſtolus docet, Hebr. 12.
dicendo: *Ante omnia diligite pacem, ſine qua nullus noſtrum*
Deū videre poterit. Vnde omni ſtudio ac deuotione pacem
Eccleſiæ ſeruare nos conuenit; & eos qui à pace diſſen-
tiunt, ad Eccleſiæ charitatem (quantùm in nobis eſt)
pacis ac fidei ſtudio reuocare; exemplo Prophetæ qui
ait: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis,*
impugnabāt me gratis. Meritò & in Euāgelio in exultatione Pſal. 119.
Angelorum natiuitatem Domini nunciantium, hęc vox
ſancta reperitur: *Gloria in altiſſimis Deo, & pax in terra ho-* Luc. 2.
minibus bonæ voluntatis. De qua pace & Dauid retulit: *Pax* Pſal. 118.
(inquit) *multa eſt diligentibus te, & non eſt illis ſcandalum.* Et
Eſaias ſimiliter: *Et ponam in multa pace filios tuos, & in æqui-*
B *tate ædificaberis.* Si enim ad hoc Filius Dei carnem ſuſci-
pere & pati dignatus eſt, vt pacificaret nos Deo per ſan- Coloſſ. 1.
guinem crucis ſuæ; vtique ſecundum quod Apoſtolus
retulit, per omnia pacifici eſſe debemus; vt verè ipſum
Deum pacis in nobis habere mereamur: hoc enim ſcri-
ptum eſt; *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Pſal. 75.
Et ſic verè non ſolum filij Dei erimus, ſed & *hæredes Dei,*
cohæredes autem Chriſti. Hoc enim Apoſtolus retulit: Si
filij (inquit) Dei; & *hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Rom. 8.
Deinde ait: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam,*
quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Non immeritò eſurien-
dam ac ſitiendam iuſtitiam Dominus ſuperiùs memo-
rauit: cuius deſiderio intantum ſitire nos decet; vt pro-
pter eam, & perſecutionem mundi, & pœnas corporis,
C & ipſam mortem contemnere debeamus. In qua ſigni-
ficatione martyres maximè declarantur, qui propter iu-
ſtitiam, fidem, & nomen Chriſti perſecutiones in ſęculo
ſuſtinent; quibus ſpes magna promittitur: id eſt poſſeſ-
ſio regni cœlorum. Cuius beatitudinis Apoſtoli prin-
cipes extiterunt, & omnes iuſti qui propter iuſtitiam
legis diuerſis perſecutionibus afflicti, merito fidei ſuæ
ad regna cœleſtia peruenerunt. Deinde ait: *Beati eritis*
cum vos perſecuti fuerint homines, & exprobrabunt, & dicent
omne malum contra vos; Gaudete in illa die & exultate, dico enim
vobis, quia merces veſtra multa eſt in cælis: Sic enim faciebant &
Prophetis patres eorum. Omnia quæ tempore perſecutionis
propter nomen Chriſti aduerſus iuſtos perſecutorum
excogitare poteſt infanda perfidia; vel diuerſa oppro-
bria ingerere, vel corpori pœnas inferre; non ſolum pa-
D tienter ferre debemus, ſed etiam cum gaudio exultatio-
nis accipere, propter futuram gloriam. Hoc enim ait:
Gaudete in illa die & exultate, dico vobis quia merces veſtra Matth. 5.
multa eſt in cælis. Quam glorioſa eſt perſecutionis huius
tolerantia, cuius mercedem Dominus repoſitam eſſe di-
cit in cœlis. Et idcircò propoſitæ gloriæ præmium con-
ſiderantes; ad omnem tolerantiam paſſionis deuota fide
parati eſſe debemus: vt conſortes gloriæ Prophetarum
atque Apoſtolorum effici mereamur, per Chriſtum Do-
minum noſtrum qui eſt benedictus in ſæcula. *Deinde ait:*
Vos eſtis ſal terræ; ſed ſi ſal terræ infatuatum fuerit, ad nihilum
valet, niſi vt proijciatur foras & cōculcetur ab hominibus. Do-
minus Apoſtolos ſuos ſal terræ cognominat. Et videa-
mus quid ſub huius vocabuli comparatione de Apoſto-
E lis ſuis Dominus velit intelligi. Quod vt plenius poſſi-
mus aduertere; primum ſolicitè requirendum eſt, quid
hoc ſal ſit, & cuius terræ; & in quam deinde rem vtilita-
témque proficiat. Iam etiam ſalis ipſius naturam vſumq;
tractare debemus, vt his cognitis, Dominici dicti virtu-
tem ſpiritali intelligentia facilius adſequamur. Natura
igitur ſalis per aquā, per calorem Solis, per flatum venti
conſtat; & ex eo quod fuit in aliam ſpeciem generatur.
Sic & Apoſtoli atque omnes credentes; per aquam ba-
ptiſmi, per fidem Chriſti (qui in comparatione ſol iuſti-
tiæ dictus eſt) & per inſpirationem ſancti Spiritus Deo
renati; ex terrena in cœleſtem natiuitatem tranſierunt.
Vnde nō immeritò S. Apoſtoli ſal terræ à Domino nun-
cupantur. Et cuius terræ? promptum eſt noſcere: id eſt

terrę corporis noſtri, quam dudum inſipientem ac ſenſu vanitatis inſulſam Euangelicæ prædicationis ſapientia ſalierunt. Ipſi enim ſal terræ noſtræ facti ſunt; quia per ipſos, & verba ſapientiæ accepimus, & per cœleſtem natiuitatem in ſpiritalem ſumus demutati naturam. Sicut igitur ſal hoc, id eſt, ſal terræ indiſcretè omnibus opus eſt: id eſt, regibus ac potẽtibus, diuitibus & pauperibus, ſeruis ac dominis, ſic & cœleſtis ſapiẽtiæ verbum, quod per Apoſtolos prædicatum eſt, neceſſarium eſt cũctis ad vitam. Omnes enim, ſecundum Apoſtolum egent gratia Dei. Quia † ſicut præſentem hanc vitam non ſine ſalis vſu habemus: ita quoque illam vitã æternam, ſine dono ſapientiæ diuinę adipiſci non poſſumus. Sed quia de natura vel gratia ſalis ſecũdum intelligentiam ſpiritualem iam ſuperiùs dictum eſt; nunc quoque de ipſa ſalis virtute tractemus. Vos ergo (inquit) eſtis ſal terræ. Itaq; ſicut ſal cùm operatur in carne qualibet, corruptelam non admittit, fœtores aufert, ſordes expurgat, vermes non ſinit generari; ita & cœleſtis gratia ac fides quæ per Apoſtolos data eſt, ſimili exemplo in nõ nobis operatur. Aufert enim carnalis cõcupiſcentiæ corruptelam, peccatorum ſordes expurgat, odorem malę conuerſationis excludit, vermes delictorum non ſinit generari; id eſt, de corpore libidinoſas & mortiferas voluptates exurgere: conſeruans corpora noſtra etiam ab illo immortali verme, qui indeſeſſa pœna peccatores excruciat; de quo ſcriptũ eſt. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et ſicuti ſales à foris quidem apponuntur, intrinſecus verò operantur per virtutem naturæ ſuæ, ita & cœleſtis gratia exteriora hominis atq; interiora perpenetrat, & totum hominem integrum à peccato incorruptúmque conſeruat. Hos autẽ Deo dignos eſſe, qui ſale cœleſtis ſapientiæ condiuntur; etiam dudum præcedente figura legis oſtenſum eſt, quia omne ſacrificium offerendum Deo, ſale ſaliebatur. Quod ipſum Euãgeliſta commemorauit dicendo: *Omne* (inquit) *ſacrificium ſale ſalietur.* Oſtendens eum hominem dignum verè ſacrificium Deo fieri, qui cœleſtis ſapientię virtute eſſet infuſus. Vnde non immeritò cùm per Ezechielem Prophetam Dominus Ieruſalem (imò potiùs Synagogam) increparet; inter cætera ait: *Aqua non eſt lota, neque ſale ſalita.* Pronuncians, quia neque per gratiam baptiſmi ſalutaris ad abluenda peccata ſua acceptura erat, neque fidem cœleſtis ſapientiæ ſuſceptura. Si quis itaque hoc cœleſti ſale vſus fuerit, condietur; qui autem noluerit, infatuabitur. Non immeritò & Apoſtolus ſermonem noſtrum ſemper gratiæ ſale conditum eſſe debere commonuit. Adhuc huius ſalis gratiam ac virtutem etiam in libris Regnorum inuenimus præoſtenſam. Cùm in Hierico eſſent aquæ malignæ, quæ ſteriles faciebant; petitus eſt ſanctus Eliſæus Propheta, vt iiſdem aquis remedium ſalutare præberet. Tunc ſanctus Eliſęus cœleſtis myſterij non ignarus; dixit afferri ſibi vas fictile, & mitti in eo ſalem. Et venit, & miſit ſalem ad exitus aquarum; & ſic ſanata ſterilis natura aquarum, in fœcunditatem mutata eſt: quod in ſacramentum futuræ veritatis geſtum, manifeſta ratione cognoſcimus. Nam per aquas gentes ſignificari euidenter Apocalypſis retulit dicendo: *Aquæ quas vidiſti; populi, & gentes, & turbæ, & nationes ſunt.* Quæ aliter ſanari, vel remedium ſalutare accipere non poterant: niſi ſal in vas fictile mitteretur; id eſt Dei ſapientia humanum corpus acciperet. Quæ poſtquam ad exitus aquarum, id eſt ad exitum mortis humanæ, ſalutis noſtræ cauſa peruenit; tunc omnium credentium natura quæ in fidei ac iuſtitiæ fœcunditatem fructu ſeminis ſterilis erat, mutata eſt. Vnde non immeritò Dominus Apoſtolos ſuos ſal terræ appellat; quos diuina, ex ſe, & cœleſti ſapientia repleuit. Sic autem eos ſal terræ eſſe teſtatus eſt, ſicut & lucem mundi. Nam cùm ipſe lucem mundi ſe eſſe profeſſus ſit tamen etiam diſcipulos ſuos hoc nomine voluit nuncupare; non auferens ſibi quod ſuum eſt lumen, ſed largiens: quia lumen verum & æternum quod ſuum eſt; ſine aliquo detrimento propriæ naturæ largitur. Scimus

† al. ſicut in præſente, non ſine ſalis vſu vitam habemus.
Iſai. 99.
Leuit. 2. 13.
Marc. 6. 46.
Zach 16.
Coloſſ. 4.
4. Reg. 2.
Apoc. 17.
Ioan. 8.

ſanè nonnullos ſales de terra generari; ſed & hæc ſimilitudo congruit Apoſtolorum perſonæ. Quia quamuis nati de terra humani corporis viderentur; aliud tamen per fidem Chriſti eſſe iam cœperant: vt non iam terra, ſed ſal terræ haberentur, quia de carnalibus facti ſunt ſpiritales, idonei qui fide poſſent condire inſulſa corda credentium. *Vos* ergo inquit, *eſtis ſal terræ: ſi autem ſal infatuatum fuerit, in quo condietur? ad nihilum valet, niſi vt proijciatur foras & conculcetur ab hominibus.* Infatuari autem eos oſtendit, qui cum ſemel per fidem & ſapientiam cœleſtem eruditi, fideles ac ſtabiles debeant permanere; relicta fide & ſapientia diuina, aut in hæreſim ruunt, aut ad ſtultitiam gentilium redeunt. Et idcircò ait; *ſi autem ſal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Quia infatuati fraude diaboli, huiuſmodi homines; amiſſa fidei gratia, euaneſcunt. Qui cum potuiſſent etiam alios non credentes adhuc à fide alienos diuinæ prædicationis verbo condire; etiam ſibi inutiles extiterunt. Denique Iudas Iſcariothes de huiuſmodi ſalibus fuerat: ſed poſteaquã diuinam ſapientiam reprobauit, & de Apoſtolo apoſtata factus eſt: non ſolùm alijs prodeſſe non potuit, ſed & ſibi miſer & inutilis factus eſt. Et ideò addidit Dominus dicens: *ad nihilum valet, niſi vt proijciatur foras & conculcetur ab hominibus:* quia huiuſmodi iam non fideles ac domeſtici, ſed proiecti ab Eccleſia: vt extranei & fidei hoſtes habendi ſunt. Vnde & Iudas de domeſtico fidei inimicus factus eſt veritatis. Proiecti itaque huiuſmodi extra Eccleſiam; neceſſe eſt vt diuerſis vitijs carnis & varijs voluptatibus ſæculi conculcentur: & hoc eſt quod ait: *ad nihilum valet, niſi vt proijciatur foras & conculcetur ab hominibus.* Quid ſit autem conculcari ab hominibus, etiam Salomon in libro ſuo retulit, cùm de muliere meretrice loqueretur: *Mulier* (inquit) *fornicaria, quaſi ſtercus in via ab hominibus prætereuntibus conculcatur.* Quia igitur conditi iam ſale Apoſtolica ſumus; in tali ac tanto condimento gratiæ ſpiritualis permanere debentes, vt ipſi quoque ſal terræ nuncupari à Chriſto Domino noſtro mereamur; qui eſt benedictus in ſæcula: Amen. Deinde ait: *Vos eſtis lux mundi; Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita; neque accendunt lucernam vt ponant eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus quæ in domo ſunt.* Sal terræ Dominus diſcipulos ſuos appellauit: quia infatuata à diabolo corda humani generis per cœleſtem ſapientiam condierunt. Nunc quoque lumen mundi eos nuncupat, quia à ſeipſo (qui verum & æternum lumen eſt) illuminati; ipſi quoque lumen facti ſunt tenebrarum. Nam quia ipſe ſol iuſtitiæ eſt: non immeritò etiam diſcipulos ſuos lumen mundi cognominat, quia per ipſos quaſi per quoſdam micantes radios vniuerſo orbi; cognitionis ſuæ lumen infudit: fugauerunt enim à cordibus hominum tenebras erroris; luce veritatis oſtenſa. Per ipſos namq; illuminati etiam nos, ex tenebris lumen ſumus effecti, dicente Apoſtolo: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ſicut filij lucis ambulate.* Et iterum: *non eſtis filij noctis neque tenebrarum, ſed eſtis filij luminis & filij diei.* Meritò & ſanctus Ioannes in epiſtola ſua teſtatus eſt, dicens: *Deus lux eſt,* & qui manet in Deo, in lumine eſt ſicut & ipſe eſt in lumine. Vnde quia tenebris erroris liberatos nos eſſe gaudemus; ſemper quaſi filij lucis in lumine ambulare debemus. *Et addidit: Non poteſt,* inquit, *ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Ciuitatem hîc Eccleſiam ſignificat, de qua multis locis diuinæ ſcripturæ teſtantur, & de qua Dauid maximè loquitur, dicens: *Glorioſa dicta ſunt ſunt de te ciuitas Dei.* Et iterum: *fluminis* † *impetus lætificant ciuitatem Dei.* Et iterum: *ſicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri, Deus fundauit eam in æternum.* Et vt manifeſte ſe de hac ciuitate loqui Spiritus ſanctus oſtenderet; etiam montis ipſius fecit mentionem, dicendo: *In ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* De qua per Eſaiam Dominus loquitur, dicens: *Ecce ego præparabo tibi carbunculum lapidem, & fundamenta tua ſapphyrum, & propugnacula tua iaſpidem, & portas tuas lapidem*

Gentilium ſtultitia, pro Paganiſmo.
Proiecti ab Eccleſia vitijs carnis conculcantur.
Eccleſ. 9.
Apoſtoli lumen mundi.
1. Theſſ. 5.
Epheſ. 5.
1. Ioan. 1.
Pſal. 86. 45 & 47.
τοῦ ὁρμήματα εὐφραίνουσι.
Iſa. 54.

lapidem chryſtallum, & circuitum tuum lapides electos, & omnes filios tuos docibiles Dei. Et multa ſimilia quæ prætermiſimus, ne tædium legentibus faceremus; maximè cùm hæc quæ dicta ſunt, ad probationē ciuitatis huius ſatis abundéq; ſufficiant. Ciuitatem ergo ſupra montem poſitam Eccleſiam oſtendit; ſupra fidem Domini ac Saluatoris noſtri in cœleſti gloria conſtitutam; quæ actu ſpiritali omnem humiditatem terrenæ infirmitatis excedens, vniuerſo mundo conſpicua facta eſt glorioſa; quæ iam non per annunciationem legis obumbratur, ſed per Euangelicam doctrinam aperta prædicatione conſpicitur. *Et addidit: Neque enim accendunt lucernã, & ponunt eam ſub modio, ſed ſupra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Videamus itaque & huius dicti Dominici rationem. Scimus lucernam ad hoc accendi, vt non modio aut aliquo operimento tegatur; quod ſi fiat, vſus eius nulli rei proderit: ſed ideò accenditur in candelabro, vt in edito loco poſita cæcitatem obſcuræ noctis abijciat, & lucis ſuæ vſum in domo conſtitutis impertiat. Quod ideò Dominus commemorat; quò ſciremus, & nos idcircò gratia fidei accenſos & luce ſpiritus illuminatos, vt & ipſi per opera fidei atque iuſtitiæ velut lucerna ſpiritualiter luceremus; & hos qui in tenebris erroris ſunt poſiti, ignorantiæ nocte depulſa, veritatis ipſius lumine illuſtraremus. Vnde Apoſtolus ait: *Inter quos lucetis ſicut luminaria in hoc mundo, verba vitæ continentes.* Quod ſi non faciamus: videbimur tàm neceſſarij luminis vtilitatem ad damnum tàm noſtrum quàm aliorum, infidelitate noſtra velut quodam velamine obtegere & obumbrare. Quapropter, & illum qui talentum, ad lucrum cœleſtis negotiationis acceptum abſcondere magis voluit quam ad menſam nummularijs dare; debitam pœnam incurriſſe ſcimus & legimus. Et idcircò lucerna illa † ſpiritualis, quæ ad vſum ſalutis noſtræ accenſa eſt; ſemper lucere debet in nobis. Habemus enim lucernam cœleſtis mandati, & gratiæ ſpiritalis, de qua Dauid retulit: *Mandatum tuum lucerna pedibus meis, & lux ſemitis meis.* De qua & Salomon ait: *quoniam lucerna eſt præceptum legis.* De qua per Sophoniam quoque Prophetam Dominus teſtatur: *& ſcrutabor Ieruſalem cum lucerna.* In hac enim lucerna inextinguibile legis ac gratiæ ſuæ lumen oſtendit; quod non aliquo cæcæ mentis velamine operiendum eſt vel obſcurandum, vt Iudæi, vel hæretici faciunt; qui perſpicuam lucem prædicationis diuinæ prauis interpretationibus obtegere & occultare nituntur; pro fide, perfidiam prædicando; & lumen veritatis, † erroris tenebris obuelando. Vnde lucerna hæc legis ac fidei non occultanda nobis eſt; ſed ad ſalutem multorum ſemper in Eccleſia, velut in candelabro conſtituenda; vt veritatis ipſius luce & nos fruamur, & omnes credentes illuminentur. Ad cuius luminis contemplationem etiam per Eſaiam nos ſanctus Spiritus adhortatur dicendo: *Venite ambulemus in luce Domini, dimiſit enim populum ſuum domum Iſrael.* De qua luce & B. Petrus in Epiſtola ſua teſtatus eſt dicens: *qui eripuit nos de tenebris, & aduocauit nos in admirabilem lucem.* Vnde & Zacharias Propheta; vt ſpiritalis huius luminis & cœleſtis candelabri, quòd in figura Eccleſiæ oſtenſum eſt manifeſtaret myſteria; inter cætera quæ ei pro merito prophetiæ monſtrata ſunt, etiam candelabrum aureum cum lampadibus ſuis ſe vidiſſe teſtatus eſt. Nam & in tabernaculo teſtimonij ad futuræ veritatis exemplum candelabrum cum lucernis indefeſſo lumine populo lucebat. Cuius rei ratio Iudæis quidem occulta eſt, ſicut & omnia ſacramenta legis; ſed nobis iam manifeſta. Scimus enim in candelabro illo typum veri & æterni luminis oſtenſum: id eſt; Spiritus ſancti, qui per multiformem gratiam omne Eccleſiæ corpus ſemper illuminat. Vnde & Dominus in Euangelio inter cætera, diſcipulos ſuos, vt lucernas in manibus ardentes habeant, adhortatur, dicendo: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.* Quod vtique Dominum præcepiſſe non corporali ſenſu, ſed ratione ſpiritali intelligendum eſt. Nam quia in lucerna mandatum Dei ſiue lumen legis ſignificatur, idcircò lucernam in manibus portare iubemur, vt illuminati gratia Spiritus ſancti, operibus iuſtitiæ ac fidei luceamus, ſecundum quod Salomon retulit: *Viæ* (inquit) *iuſtorum, ſimiliter vt lux fulgebunt;* præcedunt enim & illuminant, donec † corrigat dies: Meritò ergo; cum in præſenti loco Dominus lucernæ mentionem feciſſet, dicendo: *neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt;* addidit dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Magnificatur enim Deus in nobis apud incredulos & infideles, ſi ſecundum præcepta diuina viuamus, ſi bonis operibus luceamus. Vnde & ſanctus Apoſtolus ait: *magnificate & portate Deum in corpore veſtro.* Et B. Petrus in epiſtola ſua ſimiliter commonet; *vt cùm detractauerint de vobis, opera iuſtitiæ magnificent Deum noſtrum.* Poteſt autem & aliter intelligi, quia multiplex intelligentia ſpiritalis eſt; vt in lucerna ipſum Dominum ſignificare noſcamus, propter aſſumpti corporis humilitatem. Hic quidem, non ſolum ſecundum gloriam diuinitatis Sol iuſtitiæ nuncupatur; ſed ſecundum aſſumpti corporis ſacramentum etiam lucerna oſtenditur, quia cum Deus eſſet gloriæ & maieſtatis æternæ, humilis in hoc mundo tanquàm lucerna apparuit. Et non ſine cauſa tanquàm lucerna; quia lucerna per noctem lucere conſueuit. Idcircò itaque in hoc mundo humilis tanquam lucerna apparuit: vt tenebras erroris de cordibus noſtris & ignorantiæ noctem depelleret, qui in hoc mundo velut in nocte poſiti degebamus.

Huiuſmodi ergo lucerna; id eſt incarnatio Chriſti oſtenſa à lege ac Prophetis; iam non obſcura prædicatione legis tanquam modio tegitur, nec infidelitate Scribarum ac Phariſæorum velut quodam vaſe perfidiæ operitur, ſed in cruce velut in candelabro conſtituta, omnem Eccleſiæ domum illuminat. Secundùm myſterium itaque incarnationis lucerna eſt; ſecundùm gloriam verò diuinitatis, ſol iuſtitiæ eſt. Denique in ipſo crucis candelabro, tanquam ſol reſplenduit; cùm per Apoſtolorum prædicationem, quaſi per quoſdam radios, vniuerſo orbi clariſſimum ſuæ cognitionis lumen inuexit Dominus & Saluator noſter, qui eſt benedictus in ſæcula. Deinde ait: *Nolite putare, quia veni ſoluere legem aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Non ad diſſoluendam legem vel Prophetas Filius Dei venit, qui autor eſt legis & Prophetarum; quia ipſe Moyſen ad tradendam legem populo dedit, & Prophetas ad prædicationem futurorum ſancto Spiritu mundauit, *Non,* ergo inquit, *veni ſoluere legem aut Prophetas, ſed adimplere.* Impleuit autem legem & Prophetas hoc modò, dum ea quæ ſcripta erant in lege & Prophetis ipſe conſummauit. Vnde cùm acetum in cruce oblatum ſibi bibiſſet, ait: *Adimpletum eſt:* vt euidenter oſtenderet, omnia quæ de ſe in lege & Prophetis ſcripta erant, etiam vſque ad aceti potum eſſe completa. Adimplet legem omni modo dum myſterium Paſchæ vel agni olim in figura monſtratum paſſionis ſuæ ſacramento compleuit. Vnde ait Apoſtolus: *nam & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Adimplet legem, dum ſacrificia legis omniáque exempla in ſe præfigurata; accipiendo corpus veritatis ratione compleuit. Vel certè adimplet legem; dum præcepta legis quæ dederat, Euangelicæ gratiæ ſuæ ſupplemento confirmat. Quam autem legem venit adimplere; in ſequenti demonſtrat dicendo: *Donec cælum & terra tranſeant, iota vnum vel vnus apex à lege non cadent, donec omnia fiant.* Quàm vera igitur ac diuina ſit prædicatio legis, ex hoc ipſo cognoſcimus; de qua ne iota quidem vel vnum apicem poſſe cadere Dominus manifeſtat. Quanquam in hoc iota vel apice legis etiam ſacramentum crucis poſſit intelligi; quia iota, & apex quandam in ſe imaginem crucis oſtendunt, quæ à lege ac Prophetis prædicata nulla ratione poterat prætiriri.

Deinde ait: *Qui ſoluerit,* inquiens, *vnum de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno*

Marginalia: Phil. 2. — † ſplendens. — Pſal. 118. — Prou. 6. — Soph. 1. — Iudæi, & hæretici obſcurant perſpicuã ſcripturæ lucẽ. — † erroribus tenebroſis. — 1. Petr. 2. — Zach. 4. — Exod. 25. & 40. — Luc. 12. — Prou. 4. — † diluceſcat. — 2. Cor. 6. — 1. Petr. 3. — Lucerna humanitatis à Chriſto aſſumptæ ſignificat myſterium. — Ioann. 19. — 1. Cor. 5.

Digitized by Google

cælorum. Cum mandata minima ſoluere impium ſit; multò magis magna & maxima. A Vnde per Salomonem idipſum Spiritus ſanctus conteſtatur, dicens: *Eccleſ. 19.* *Qui modica ſpernit, paulatim decidet.* Et idcircò nihil eſt de præceptis diuinis ſoluendum, nihil mutilandum; ſed totum fideli ac deuota mente ſeruandum atque docendum, ne cœleſtis regni gloria amittatur: quia; quæ iudicio infidelium vel hominum ſæculi minima putantur & parua; hæc apud Deum non ſunt parua, ſed neceſſaria. *Qui autem docuerit & fecerit*; hunc magnum futurum Dominus oſtendit in regno cœlorum. Quapropter non ſolum verbis operandum eſt, ſed & factis: nec vt doceas tantùm, ſed vt quod docueris, facias. Et audiamus ipſum Dominum huiuſmodi doctores qui dicunt & non faciunt; in Euangelio increpantem: *Matth. 23.* *Væ*, inquit, *vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia oneratis homines oneribus quæ portari non poſſunt, ipſi autem non tangitis digito veſtro ſarcinas* B *ipſas.* Vnde & Apoſtolus ait; *Rom. 2.* non (inquit) auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Si hoc etiam ab audientibus dicit; quid de doctoribus intelligendum eſt? Inde & Salomon ait: *Eccl. 4.* *noli eſſe citatus in lingua tua & ſegnis ac remiſſus in operibus tuis.* Et ideò oportet eum qui docet exemplum ex ſe præbere puræ fidei per honeſtatem conuerſationis ſuæ, vt Apoſtolus Timotheo ſcribit: *1. Tim. 4.* *Forma*, inquit, *eſto fidelium.* Et iterum: *Exemplum te ipſum præbens operum bonorum, in iuſtitia, in caſtitate, in ſobrietate, per doctrinam ſanam.* Vnde & ipſe Filius Dei, qui magiſter & Dominus legis eſt; ad exemplum noſtrum, cuncta quæ docuit, voluit rebus ipſis implere. Et addidit: C *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Reprehenditur iuſtitia Scribarum & Phariſæorum, *Luc. 18.* quia non fidem promiſſionis diuinæ, ſed humanam laudem & ſæculi gloriam quærebant; ſicuti habemus exemplum de illo Phariſæo ſuperbo & elato: qui vt ſibi videbatur, iuſtitiæ ſuæ merita præferens; impudenter ſe, elato animo ac ſuperbis vocibus in conſpectu Dei iactabat. Retinebant ergo *Phariſæi retinebant ſpeciē iuſtitiæ.* ſpeciem iuſtitiæ Scribæ & Phariſæi, non vt Deo placerent, ſed vt famam humanæ gloriæ quærerent; vt lucra terrena, & temporalia commoda mercarentur. Et ideò hortatur Dominus, vt hanc † famoſam iuſtitiam laudis *† fumoſam.* humanæ operibus iuſtitiæ cœleſtis ac fidei meritis præcedamus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Dehinc ſequitur: D *Audiſtis quia dictum eſt antiquis; Non occides: Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis; Si quis iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Hoc eſt quod dixit Dominus; *non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Hoc eſt, quod minus erat addere: præcepta ſcilicet legis, in melius reformare. Vnde & ſanctus Apoſtolus ait: *Rom. 3.* *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit? ſed legem conſtituimus.* Rudi & duro populo legis tradita ſunt mandata iuſtitiæ; perfecto autem & fideli populo Euangelica traduntur præcepta conſummatæ fidei & cœleſtis iuſtitiæ. Lex præcepit non occidendum; Euangelium verò nec iraſcendum: vt omnem radicem peccati auferret de cordibus noſtris; quia per iracundiam poteſt etiam vſque ad homicidium perueniri. Vnde non immeritò beatus Iob in *Iob 5.* libro ſuo ita teſtatus eſt dicens: E *Stultum interficit iracundia, ſeductum autem occidit æmulatio.* David quoque ita ait: *Pſal. 4.* *Iraſcimini, & nolite peccare; dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Quod teſtimonium ſanctus *Epheſ. 4.* Apoſtolus interpretatus eſt dicens: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, neque detis locum diabolo.* Cùm ergo iraſci non liceat; multò minùs homicidij crimen admittere. Et cùm iracundia teneatur in futuro iudicio; quam putamus pœnam habiturum ipſius ſceleris factorem? *Qui autem dixerit*, inquit, *fratri ſuo, racha; reus erit concilio: Qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.* Ita docet nos Dominus, per omnia eſſe perfectos, vt ne leuibus quidem vel vanis ſermonibus futuro iudicio rei teneamur. Vetat námque dici fratri, *racha*, id eſt vacue & inanis: non enim debet dici vacuus & inanis, qui fide & Spiritu ſancto plenus eſt. Neque enim debet frater fatuus appellari; qui credendo in Chriſto, diuinæ ſapientiæ gratiam conſecutus eſt. Vnde & cum per Salomonem Spiritus ſanctus de viro Euangelico loqueretur; ita teſtatus eſt, dicens: *Beatus qui non eſt lapſus verbo oris ſui, & non eſt ſtimulatus triſtitia delicti.* *Eccl. 14.*

Et idcircò alio loco idem Salomon ait: *Fac ori tuo ſeras, & linguæ tuæ & verbis tuis fac ſtateram.* *Eccl. 28.* Et iterum: *Circumcide a te prauum os, & iniqua labia longè expelle à te.* *Eccl. 10.* Et iterum: *Indiſciplinatæ loquelæ non adſueſcat os tuum; eſt enim in illa triſtitia delicti.* *Eccl. 23.* † Vnde & Dauid ait: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* *† Inde.*

Et iterum in alio Pſalmo dicit: *Pſal. 140. & 38.* *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Quia vt Salomon ait: *Eccl. 21.* *Labia imprudentium ſtulta narrabunt; & ſtatera appenditur verbum prudentis*, *Matth. 12.* Et ideò Dominus in Euangelio etiam B pro otioſo ſermone rationem nos reddituros eſſe teſtatus eſt. Hinc & Apoſtolus ita hortatur, dicens: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non exeat, niſi qui bonus eſt ad ædificationem fidei.* *Epheſ. 4.* Et iterum: *Sermo veſter ſit ſemper in gratia ſale conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.* *Coloſſ. 4.* Ob quam rem in omnibus cautos nos eſſe conuenit; ne per familiaritatem inutilium verborum, † damnum ſaluti acquiramus. Dehinc ait: *Si offers munus tuum ante altare, & ibi rememoratus fueris quia habet aliquid frater tuus aduerſum te; relinque illic munus tuum, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc offer munus tuum.* Quanti habeat Dominus fraternam dilectionem; ex hoc ipſo cognoſcimus, cùm oblatum Deo munus oſtendit acceptè non C offerri, niſi priùs oblator muneris fratri ſuo (iracundia † ſepoſita) reconcilietur. *Gen. 4.* *Sacrificia Cain, cur non fuerint grata Deo.* Inuenimus denique offerentis Cain munera idcircò à Deo repudiata; quia charitatis iura non ſeruans, aduerſus fratrem iram animo retinebat. Vnde non immeritò Dominus in Euangelio *Ioa. 13. & 15.* multis locis, charitatis fraternæ dilectionem præcipuè cuſtodiendam eſſe inſinuat, dicendo: *Mandatum nouum do vobis, vt dilectionem habeatis ad alterutrum:* Et iterum; *in hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem ad alterutrum habueritis.* Non immeritò etiam per Zachariam Prophetam ita Dominus loquitur: *Ibidem.* *Iudicium iuſtum & pacificum iudicate, & nolite retinere malitiam fratris veſtri in cordibus veſtris.* Per Dauid quoque, ſimiliter teſtatur: *Pſal. 36.* *Deſine ab ira, & derelinque indignationem.* Pari modo etiam per Salomonem Spiritus ſanctus loquitur, dicens: D *Homo homini reſeruat iram, & a Deo quærit medelam? Ipſe in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & Deum exorat pro peccatis? & ipſe cum ſit caro reſeruat iram & propitiationem petit à Deo? & quis orabit pro delictis tuis?* *Eccleſ. 28.* Et ſuperaddidit dicens: *Memento nouiſſima, & deſine inimicari.* Vnde & ſanctus Dauid Euangelici præcepti per Spiritum ſanctum non ignarus; de ſe ita teſtatus eſt, dicens: *Pſal. 65.* *Si iniquitatem* (inquit) *conſpexi in corde meo, non exaudiat Dominus.* Quid enim tam gratum Deo, tam neceſſarium noſtræ ſaluti, quàm quod Dominus præcipit; iram non retinere, pacifico animo ac ſimplici conſcientia Deo munus offerre, ſicut obtulit primus Abel? Et ideò munera ipſius ſuſcepta ſunt à Deo; Cain reprobata: quia Abel pura ac ſimplici mente munera Domino offerebat, Cain E verò iram aduerſus fratrem tenebat in corde. Quapropter ſi volumus † munera noſtra Deo placere excludere iracundiam de corde debemus, *† muneribus noſtris.* interficere malitiam contra fratrem ſuſceptam, tenere verò pacem fraternam, ſeruare charitatem, diligere vnanimitatem, cuſtodire concordiam, vt placare Dominum mereamur, qui eſt benedictus in ſæcula. Poſt hinc ſequitur: *Eſto* (inquit) *cōſentiens aduerſario tuo dum es cum illo in via, ne forte aduerſarius tradat te iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris: Amē dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrātem.* De hoc Domini dicto quidam ita exiſtimant intelligendum; aſſerentes huiuſmodi aduerſarium qui culpa ſua vel aliena inimicus extiterit citò ad pacem & amicitias eſſe reuocandum, dum cum illo ſumus in via: id eſt in curſu vitæ præſentis: ne cum de ſæculo

fuerit

Digitized by Google

fuerit receſſum; vnuſquiſque, vt charitatis immemor & inimicitiarum reus incipiat Deo iudici offerri, & tradi à iudice miniſtro: id eſt præpoſito tormentorum: vt miſſus in carcerem Gehennæ debitas peccati pœnas exſoluat. Sed aſſertio iſta non plenam videtur habere rationem. Quid enim? ſi aliquis è fratribus ob cauſam fidei aduerſarius exiſtat? Nunquid perfidiæ ipſius conſenſus commodandus eſt; ne cum tali religioſa diſcordia maneat? Habemus aduerſarios & gentiles qui fidei noſtræ aduerſantur, qui nos interdum tempore perſecutionis ad nefanda ſacrificia cogunt: nunquid & propter huiuſmodi aduerſarios hoc agendum eſt; quemadmodum voluntati ipſorum conſenſum ſacrilegum commodemus ne inimici permaneant? quorum ſacrilegæ perſuaſioni non modò conſentiendum non eſt, verum etiam inuicta fide reſiſtendum.

Religioſa diſcordia cum aduerſarijs ob fidei cauſam. Fide inuicta eſt reſiſtendũ fidei aduerſarijs.

Quidam etiam apertè aduerſarium hic diabolum intelligendum exiſtimant; quod qua ratione aſtruant, non animaduerto. In quo enim debet conſenſus diabolo commodari; cuius hoc opus eſt, vt totum contra fidem, contra ſalutem, contra diuinam religionem ſuadeat, hortetur, extorqueat? Niſi forſitan hoc ſenſu intelligi debeat, vt ſi fortè perſecutor aliquis inimicus exiſtens, vel diabolus (quia autor perſecutionis eſt) voluerit cauſa nominis Chriſti Chriſtiano mortem inferre; libenter conſenſum accommodet, vt morti pro Chriſto tradatur; ne idem diabolus qui accuſator noſter eſt, reos nos apud Deum conſtituat de fidei præuaricatione, & pœnę obnoxios faciat: quia diabolus quamuis omnis criminis autor ſit; ipſe tamen & accuſator eſt. Hoc enim dictum de eo in Apocalypſi legimus: *& præcipitatus eſt* (inquit) *Draco accuſator* C *fratrum noſtrorum, qui* † *accuſat eos in conſpectu Dei die ac nocte.* Ipſe ſuaſor, ipſe accuſator ſuadet; vt decipiat, accuſat, vt damnet.

Apoc. 12.
† accuſabat.

Alij verò, quorum aſſertio plenior mihi videtur; aduerſarium hic Spiritum ſanctum exiſtimant intelligendum, qui aduerſatur vitijs & deſiderijs carnis, ſecundùm quod Apoſtolus manifeſtat dicendo: *Caro* (inquit) *concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis: Spiritus enim cœleſtia deſiderat; caro terrena concupiſcit. Spiritus donis ſpiritalibus gaudet, caro vitijs corporalibus oblectatur. Vnde & Apoſtolus ait: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.*

Gala. 5.
Ephes. 12.

Huic (credo) aduerſario peccati & erroris humani, ſuadenti quæ iuſta & ſancta ſunt; in omnibus obedire nos Dominus præcepit, D dum cum illo ſumus in via (id eſt; in comitatu vitæ præſentis) vt æternam pacem, & perpetuam ſocietatem cum eo habere poſſimus. Verum ſi quis voluntari Spiritus ſancti † dicto non audiens & contrarius extiterit; non dubium eſt, huiuſmodi hominem, poſt exceſſum vitæ Dei Filio qui iudex viuorum ac mortuorum eſt offerendum; à quo tradetur miniſtro, id eſt; Angelo tormentorum, mittendus in carcere gehennæ: Vnde non dimittetur, niſi etiam nouiſſimum quadrantem reddat; id eſt omnem pœnam debiti etiam vſq; ad nouiſſimum peccatum exoluat.

† obandiens. In carcere gehenna exoluitur pœna etiã vſque ad nouiſſimum peccatum.

De hoc igitur aduerſario Dominus in præſenti loco loqui intelligitur; qui aduerſans peccatis noſtris, ſalutem noſtram deſiderat; qui nos idcircò cupit ſibi eſſe conſentaneos, vt & pœnas inferni euadere E & regna cœleſtia conſequi mereamur. De quo, & Salomon in libro ſuo teſtari videtur, cùm dicit: *Eſt vnus, & non eſt ſecundus; & quidem nec filius nec frater eſt ei, & non eſt finis omni labori ſuo:* Et; *optimi ſunt duo quàm vnus, quibus eſt merces bona labor ipſorum; quia ſi ceciderit vnus, alter eriget ſocium ſuum; Væ illi vni cùm ceciderit, quia non habet qui erigat illum:* oſtendens quia caro quæ concordiam & ſocietatem ſancti Spiritus habere meruerit; cùm in mortem ceciderit, ab eodem Spiritu erigatur in vitam & gloriam ſempiternam. Et ideò; væ vni illi dixit, quia cum ceciderit non habet qui erigat eum: id eſt; quia caro quæ conſortium Spiritus per infidelitatem ſuam non meruerit habere, non in vitam æternam erigitur, ſed in pœnam perpetuam ſuſcitatur ab eo qui iudex viuorum & mor- A tuorum eſt; cui eſt laus & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Eccleſ. 4.

Deinde ait: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Non immeritò ſanctus Dauid ait dicendo: *Tu mandaſti mandata cuſtodiri nimis.* Adeò nimis; quia non ſolum adulterium, ſed etiam concupiſcentia rea teneatur ad crimen. Lex adulterium damnat, Euangelium verò etiam concupiſcentiam punit, quæ radix eſt adulterij. Vnde per Salomonem, multis locis idipſum Spiritus ſanctus conteſtatur dicendo: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluptate tua vetare. quia ſi dederis animæ tuæ concupiſcentiam, tradet te in gaudium inimicis tuis & inuidis tuis.* Et iterum: *Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te & hæreditatem tuam. noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in* B *plateis illius, auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpexeris ſpeciem alienam.* Et poſtea addidit: *Speciem alienæ mulieris multi admirantes reprobati ſunt; colloquium enim illius quaſi ignis ardeſcit.* Benè dixit; *quaſi ignis ardeſcit:* quia in huiuſmodi mulieris colloquio deſiderium libidinis quaſi ignis accenditur. Vnde vitare debes talem mulierem, ne te flamma cupiditatis exurat. Ideò & Salomon ait: *non te vincat forma deſiderium, neque capiaris oculis tuis, neque capiaris palpebris tuis.* Et iterum ait: *Aufer à me ventris concubitus concupiſcentiam, & concubitus concupiſcentia non apprehendas me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradideris me.*

Pſal. 118. Etiam concupiſcentia, rea tenetur ad crimen.
Eccleſ. 18.
Eccleſ. 9.

Audiamus & beatum Iob, qui ſe in omnibus virum Euangelicum præbuit; & mandatum Domini, antequam audiret impleuit, idipſum de ſe conte- C ſtari, cùm dicit: *Si deflexit pes meus de via & ſecutum eſt cor meum oculum meum, ſi manibus meis tetigi munera, alij ſuſtum meos edant: ſi ſecutum eſt cor meum vxorem alienam: aut ſi aſſiduus fui ad illam, placeat & vxor mea alteri: Ira enim furoris eſt & immunda ſpiritum, commaculare mulierem viri ignis eſt ardens.* Vnde: quia graue peccatum eſt adulterium; ad extirpandum radicem peccati ipſius, ne conſcientia noſtra maculetur: etiam concupiſcentiam interdixit, quæ eſt adulterij origo, ſecundùm quòd beatus Iacobus in Epiſtola ſua refert: *Concupiſcentia* (inquit) *parit peccatum, peccati autem concupiſcentia adquirit mortem.* Idcirco & per Dauid Spiritus ſanctus de hoc ipſo ita loquitur: *Beatus* (inquit) *qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.* Hunc beatum & verè Euangelicum virum oſtendens, qui de- D ſideria & concupiſcentias carnis per infirmitatem humanam naſcentes: ſtatim antequam creſcant, in ipſo natiuitatis exordio per fidem Chriſti, qui petra dictus eſt, enecauerit.

Iob præbuit ſe in omnibus virum Euangelicum.
Adulterium graue eſt peccatum.
Iac. 1.
Pſal. 19.

Deinde ait: *Quod oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te, expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus eat in gehennam: Et, ſi manus tua,* inquit, *ſcandalizat te: abſcinde eam & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Oculum mihi vel manum non corporis humani ſignificat: ſed oculum vel manum cordis: id eſt ſenſum malæ concupiſcentiæ & carnalis deſiderij abſcindi de cordibus præcipit; vnde omnia mala procede ipſe Dominus in Euangelio manifeſtat, dicendo: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidium,* E *adulterium blaſphemia, falſa teſtimonia, & cætera quæ coinquinant hominem.* Verùm corpus detruncare nihil proficit ad malæ mentis emendationem; in qua totus gurges eſt vitiorum. Denique videmus multos orbatos oculis, vel corpore debilitatos à vitiis tamen non ceſſare. Vnde hæc magis membra vitiorum, malæ mentis & prauæ cogitationis exſcindere nos Dominus præcipit, propter regnum cœlorum: ne dominantibus vitiis; & corpus & anima; id eſt totus homo reus efficiatur Ignis æterni. Quidam autem hoc de filiis vel Proximis intelligendum eſſe exiſtimant; qui nobis velut oculi capitis chari ſunt ac dilecti; vt ſi fortè aliqui de huiuſmodi fidei ac ſpei noſtræ contrarij exiſtentes ſcandalum generauerint; abſciantur à nobis, & vt inimici ſaluris habeantur, ne cum eiuſmodi hominibus perfidis blaſphemis vnuſ-

Matth. 6. 30.
Matth. 18. 8.
Matth. 15.

Digitized by Google

Ecleſia corpus eſt.

quiſque noſtrum ſociatus, pari pœna damnetur. Sed A quia corporis mentio facta eſt; rectiùs id magis de corpore Eccleſiæ poteſt intelligi: in quo oculus, velut precioſum membrum Epiſcopus ſignificatus agnoſcitur; qui lumine mandati diuini totum corpus illuminat. De hoc ergo dictū rectè intelligitur; *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te; expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam*; vt ſi fortè huiuſmodi oculus, id eſt, Epiſcopus, per prauam fidem & turpem conuerſationem Eccleſiæ ſcandalum fuerit; eruendum eum eſſe, id eſt abijciendum à corpore Eccleſiæ præcipit, ne peccato ipſius reus populus teneatur. Scriptum eſt enim, quia *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Et iterum: *Auferte malum de vobis ipſis*. In manu verò Presbyter ſignificatus intelligitur: qui ſi & ipſe prauam fidem tenens aut non rectè viuens, B ſcandalum populo fecerit, abſcindi eum Dominus iubet: id eſt abijci, ne peccato ipſius Eccleſia maculetur; cùm Eccleſia iuxta Apoſtolum ſancta & immaculata eſſe debeat, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen. Dehinc ſequitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Qui dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij: Ego autem dico vobis; Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari*. In

1. Cor. 5.

Epheſ. 4.

Chriſtus reformauit iura legis antiquæ.

omnibus Dominus ac Saluator noſter legis antiquę iura reformat in melius. Iamdudū quidem populo Iudaïco illicitè viuenti ac ſuis voluptatibus ſeruienti per Moyſen repudij dandi quacumq; de cauſa indulta videbatur licentia, non quod ita legis ratio poſtularet; ſed quia populi carnalis effrenata voluptas ſecūdum rigorem diſciplinæ, iuſtitiam legis tenere non poſſet; Idcirco hæc per- C miſſa facultas eſt, ſecundum quod alio in loco ipſe Dominus, reſponſo ſuo, adhuc eis requirētibus manifeſtat. Nam cum dicerent, cur Moyſes permiſiſſet dari librum repudij? Reſpondit Dominus, dicens: *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit hoc Moyſes dari librum repudij; ab initio autem non fuit ſic*. Vnde nunc non immeritò Dominus ac Saluator noſter, ſublata illa licentia, antiquæ conſtitutionis ſuæ præcepta reſtaurat. Iubet namque matrimonij caſtum coniugium indiſſolubili lege ſeruari; oſtendens coniugij legem à ſe eſſe primitus inſtitutam. Ipſe enim ait: *quod ergo Deus coniunxit in vnum, homo non ſeparet*. Quo dicto & † paſſiuam Iudæorum licentiam, & ſtultam ac miſerabilem Manichęorum præſumptionem, qui negant à Deo eſſe coniugia; huius ſententiæ pronunciatione D damnauit, dicens; excepta cauſa fornicationis vxorem non licere dimitti: Apertè demonſtrans, eum contra Dei agere voluntatem, qui matrimoniū à Deo iunctum illicita diuortij ſeparatione temerare præſūpſerit. Vnde non ignorent, quàm graue apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam libidinis voluptatem (abſque fornicationis cauſa) dimiſſis vxoribus, in alia volunt tranſire coniugia. Quod idcircò ſe credunt impunè committere, quia humanis & ſæculi legibus id videtur permiſſum, neſcientes in hoc ſe grauius ac magis delinquere, quia humanas leges diuinis legibus præferant; vt quod illicitum Deus eſſe conſtituit, ideò licitum credant quia ab homine ſit liberè permiſſum. Sed ſicuti vxorem caſtè ac purè viuentem dimittere fas non eſt, ita quoque adulteram dimittere permiſſum eſt, quia E ipſa mariti conſortio fecit ſe indignam, quæ in corpus ſuum peccando Dei templum auſa eſt violare.

Matth. 19.

† forte melius prauam.

Dehinc ait: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis; Non peierabis reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus eſt Dei, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt Regis magni, neque per caput tuum iurabis, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum; Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non; quid autem abundantius eſt, à malo eſt*. Per gratiam doctrinæ Euangelicæ lex per Moyſen data profectum accepit. In lege præceptum eſt, non eſſe peierandum; in Euangelio verò nec iurandum. Quod ipſum olim per Salomonem præcipere Spiritus

Cautè lege, nam videtur ſentire omnino non licere iurare ſed reuocat in bonā mentē S. Chromatij verba Sixtus Senēſis lib. 6. bibliot. annot. 26.

ſanctus præmeditabatur, dicendo: *Iurationi non adſueſcat os tuum*. Et iterum: *ſicut autem ſeruus flagellatus aſſiduè à liuore non minuitur; ſic omnis iurans & negocians à peccato non purgabitur*. Vnde iurare nos prorſus non conuenit. Quid enim vnicuique noſtrum iurare neceſſe eſt, cùm nobis mentiri omnino non liceat; quorum verba ita vera ſemper, ita debent eſſe fideliſſima, vt pro iuramento habeantur? Et idcircò Dominus non ſolùm peierare, ſed etiam iurare nos prohibet, ne tunc tantùm videamur verum dicere, cùm iuramus, ne quos veraces in omni ſermone eſſe conſtituit, putaremus ſine iuramento licitum eſſe mentiri. Iuramenti enim hæc cauſa eſt; quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, vt quod verum eſt eloquatur. Et ideò Dominus inter iuramentum & loquelam noſtram nullam vult eſſe diſtantiam, quia ſicut in iuramento nullam conuenit eſſe perfidiam; ita quoque in verbis noſtris nullum debet eſſe mendacium, quia vtrumque & periurium & mendacium diuini iudicij pœna damnatur, dicente Scripruta: *Os quod mentitur, occidit animā*. Quiſquis ergo verum loquitur iurat; quia ſcriptum eſt: *teſtis fidelis non mentitur*. Vnde non immeritò Deum noſtrum iurare ſæpè Scriptura diuina cōmmemorat, quia à Deo qui verax eſt & mentiri neſcit, quicquid dicitur, pro iuramento habetur, quia verum eſt omne quod loquitur. Inuenimus quidem aliquoties Deum iurātem; ſed propter Iudaïcæ infidelitatis perfidiam, qui putant omne verum non niſi in fide iuramenti conſiſtere. Idcircò ergo etiam Deus iurare voluit, vt qui loquenti Deo non credebant, crederent vel iuranti. Ait ergo Dominus: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: nō peierabis. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, neque per Hieroſolymā, quia ciuitas eſt magni Regis*. In his Domini dictis, quibus per huiuſmodi elementa iurare nos prohibet; duplex intelligētia eſt. Primùm enim voluit à nobis & vſum iurationis, & conſuetudinem humani erroris auferre ne vnuſquiſque noſtrum, per hæc elementa iurando creaturam in honore diuinæ venerationis haberet, aut idcircò impunitatem periurij habere ſe crederet, ſi per mundi elemēta iuraret, cum ſcriptum ſit, nec *iurauit proximo ſuo in dolum*. In quo etiam errorem tàm Iudaïcę infidelitatis, quàm etiam generis humani cōdemnat; qui relicto creatore, creaturam ſub diuina veneratione habuerunt, ſecundum quòd Apoſtolus retulit: *Et coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori*. Deinde etiam hoc modo poteſt intelligi: quia cum iuratur per cœlum & terram, iuratur per eum qui cœlum & terrā conſtituit; ſecundùm quòd ipſe Dominus alio loco manifeſtauit dicēdo: *qui iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt; & qui iurat in throno Dei, iurat in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt; & qui iurat in throno Dei, iurat in eo & in eo qui habitat in ipſo*. *Neque* (inquit) *per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis*: Id eſt typus corporis Chriſti, quod eſt ſpiritalis illa & cœleſtis Eccleſia. *Neque* (inquit) *per caput tuum iurabis*, quia ſecundùm Apoſtulum; *Caput viri Chriſtus eſt*. Vnde qui per hæc iurat; per eum qui omnium horum autor eſt, iurat. *Sit ergo*, inquit, *ſermo veſter; eſt eſt, non non, quod autē abundantius eſt, à malo eſt*: docens, quod omnis ſermo à nobis prolatus nihil aliud quàm quod verum eſt debeat cōtinere; cùm omne mendacium, (id eſt; quod amplius eſt) ad authorē diabnlum reuocetur; qui ſemper ab initio mēdax eſt, ſicut & Pater eius. Vnde ſemper, quod verum eſt loqui & meditari debemus; vt diſcipulos nos eſſe eius qui veritas eſt, oſtēdamus; qui eſt benedictus in ſæcula. Dehinc ſequitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis; Oculum pro oculo, dentem pro dente; Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram, præbe illi & ſiniſtram, & ei qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Ad omne nos exemplum patientiæ & humilitatis Dominus per Euangelica præcepta conformat. Iamdudum iuſſum fuerat in lege, vt ſi quis iracundiæ furore cōmotus, vel oculum, vel dentem alterius eruiſſet; ipſe quoq; ſimili pœnæ atque eidem damno ſubiaceret.

Eccleſ. 23.

Sap. 1.

Dei iuſiurandum, in Scriptura, quid ſignificet.

Cur Chriſtus aliquando iurauerit.

Rom. 1.

Matth. 23.

1. Cor. 11.

Lex Talionis eis olim permiſſa.

In quo

In quo præcepto; & iuſtitia legis oſtenſa eſt, & inſolentis populi (ſub hoc terrore) temeritas refrenata eſt; vt A quia metum futuri iudicij non habebant, ſaltem vel præſentis vindictæ pœna eos à ſcelere prohiberet. Hi verò qui ſecundum fidem Euangelicam viuunt, retributionem vindictæ iſtius non requirunt; quibus omnis ſpes retributionis & vindictæ, in futuro ſeruatur. Et idcircò Dominus in Euangelio non ſolum vicem nos iniuriæ reddere non iubet; ſed percuſſos in dexteram maxillam, etiam aliam præcipit præbere, ſi hoc ita percutientis exegerit. Hoc enim ait: *Qui te percutit in dexteram maxillam, præbe ei & ſiniſtram.* Hoc eſt enim * verè fide viuere; non præſentem viſionem, ſed futuram vindictam expectare ab eo qui ait: *Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus.*

** vera.* *Deut. 32.*

Hunc talem Euangelicum virum, qui percuſſus in maxillam libenter alteram præbet Hieremias euidenter B oſtendit, cùm dicit: *Bonum eſt viro cum portauerit iugum graue in iuuentute ſua; ſedebit ſingulariter & tacebit, quia portauit iugum graue, dabit percutiendam maxillam ſuam, & ſaturabitur in opprobrijs.* In quo manifeſtè eum vtique oſtendit beatum virum qui ſub hoc iugo Euangelicæ legis viuens, ab omni perſequentis iniuria ſe non auertit: Huiuſmodi enim meditatio tolerantiæ, ducit ad paſſionem martyrij. Facile enim etiam perſecutionis tempore pœnas corporis poterit ſuſtinere, ſi in pace antè exercitatus huiuſmodi iniurias æquanimiter ac libenter ſuſcipiat. Nec ſanè conuenit Chriſtiano vicem iniuriæ reddere, ne ſimilis ei cui vicem reſtituit iudicetur. Si enim malum eſt iniuriam facere, non eſt alienus à culpa qui vicem malam rependit, ac per hoc non C poteſt bonus haberi qui malum imitatur. Non ſolùm autem maxillam præbendam percutienti Dominus præcipit, ſed & damna ſubiri. Hoc enim addidit; *& qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium:* Poſt corporalis enim iniuriæ tolerantiam, vult nos Dominus etiam rerum ſæcularium habere contemptum: & vſque adeò ab omni lite vel contentione iudicij eſſe ſummotos, vt ſi fortè calumniator vel tentator exiſtens, ad probandam fidem noſtram litem moueat volens auferre quæ noſtra ſunt; non ſolùm hæc quæ iniuſtè expetit, ſed etiã illa quæ non poſtulat, ſpontè nos Dominus iubet offerre. Quia ſi vnuſquiſque propter calumniam litigantis hæc quæ ſunt parua contempſerit; per eiuſmodi exercitationem eruditus, facilè D poterit etiam in perſecutione vniuerſa quæ ſunt * huiuſmodi contemnere perfecta enim fides iſta & perfecta victoria eſt contra iniuriam facientem, ſi etiam ea quæ non poſtulat offerantur. *Deinde ait: Quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo adhuc alia duo.* Ad omne deuotionis opus impigros nos eſſe præcipit Dominus, ac paratos. Bonum enim noſtrum vult non iam neceſſitatis eſſe quàm * propriæ voluntatis; vt dum ampliùs ex nobis facimus quàm ab alijs poſtulamur, maioris mercedis gloriam conſequamur: Integræ enim charitatis ac perfectæ deuotionis officium eſt plus ſponte præſtare quàm petieris. Hunc ſenſum quidam etiam ſpiritualiter intelligendum crediderunt; vt qui angariatus fuerit mille paſſus, vadat cum eo adhuc alia duo: Id eſt; E vt quicunque infidelis vel necdum cognitionem veritatis conſecutus, de vno Deo Patre rerum omnium conditore, velut per iter legis ingreſſus, fecerit mentionem; vadas cum illo adhuc alia duo: id eſt; vt poſt Patris profeſſionem per viam veritatis hunc eundem vſq; ad cognitionem Filij & Spiritus ſancti perducas; oſtendens illi non ſolùm Patrem, ſed & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe credendum. Denique ſequitur: *Et qui petit à te, da ei.* Id eſt, vt poſt cognitionem trinitatis, donum gratiæ cœleſtis prompto animo tribuamus. Vel certè miſericordiam poſtulantibus, tribuamus ſecundum quod poſſumus, vt ipſi quod à Deo petimus, præcedente meritò facilius impetrare poſſimus ab eo qui ait, *Petite & dabitur vobis.* Verùm ſi eos qui nos petunt deſpicia-

Thren. 3.

Patientiæ meditatio ducit ad martyrium.

** huius mundi.*

Inimici perfecta victoria.

Liberum Arbitrium.

** Prompta.*

Matth. 7.

mus; qua fiducia Deum, nobis, quod petimus, præſtare credimus dicente Scriptura; *Vide ne auertas faciem tuam ab vllo paupere, ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei.* Et omni, *inquit* volenti mutuari à te, ne auerteris à te. Iubemur per omnia religionem pietatis ac fidei cuſtodire, vt neceſſitatem tribulationis alterius quaſi propriam computemus, nec pluris facultatem quàm fratrem faciamus. Et ideò vel petentibus fratribus, vel mutuò in neceſſitate poſtulantibus; religioſo animo & pio affectu communicare debemus, expectantes mercedem retributionis æternæ, ſecundùm quod Dauid ait: *Iucundus vir qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio.* Et iterum: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Vnde & ſanctus Iob, cuius exemplum ſequi nos conuenit; hæc ipſa Euangelica præcepta implens * eſſe ita commemorat, dicendo: *Quod ſi miſſum feci inopem, extra ianuam meam nudo ſinu; quod ſi cautionem cuiuſquam habui, & non diſcidi: &, ſi credidi, nihil accepi à debitore meo; Aut ſi mei cauſa vnquam terra gemuit, aut ſulci eius plorauerunt ſimul, aut ſi fructus eius manducaui ſolus ſine precio, aut ſi animam Domini terræ decipiens contriſtaui.* Quæ omnia Iob idcircò fideliter impleuit, quia mercedem ab eo expectabat qui retributor eſt æternorum bonorum: cui laus & gloria in ſæcula, Amen. Dehinc ſequitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum: Ego autem dico vobis; Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui vos oderunt, & orate pro calumniantibus & perſequentibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri iubet ſupra bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos:* Per omnia vult nos Dominus in præceptis ſuis eſſe perfectos. Iamdudum quidem in lege præceptum eſt; Diliges amicos, & odies inimicos: ſed populo terreno & carnali ſecundùm tempus data ſunt iſta præcepta, ſicuti & illud; *Oculum pro oculo, dentem pro dente:* Nunc autem Euangelico populo traduntur præcepta cœleſtis ac perfectæ iuſtitiæ, vt inimicos diligamus, odientes amemus; pro calumniantibus ac perſequentibus nos oremus, vt verè filij Dei eſſe mereamur, qui pro miſericordia ſua indiſcretè ſuper bonos ac malos, iuſtos ac iniuſtos vitæ præſentis beneficia cœleſtia ac dona largitur. Ad huiuſmodi præcepta Euangelica cuſtodienda etiam per Eſaïam hortatur nos Spiritus ſanctus. *Audite verbum Domini, qui timetis nomen eius; Dicite, fratres noſtri eſtis: his qui vos oderunt & abominantur nomen Domini magnificetur, & appareat illis in iucunditate eorum, & illi confundantur.* Vnde non immeritò Dauid in Pſalmo ita teſtatur, dicens: *Domine Deus meus, ſi feci hæc, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Beatus quoque Iob idipſum ita commemorat, dicens: *Quòd ſi gauiſus ſum in delicto inimici mei: ſi dixi in corde meo, benefactum eſt: audiat auris mea maledictionem.* Hæc autem Euangelicæ gratiæ præcepta, quæ nunc ad ſalutem hominum data ſunt; inuenimus, per mandata legis, in animalibus formata cùm dicitur: *Si (inquit) videris boues inimici tui ſub onere ruiſſe; non tranſies, ſed eleuabis cum eo:* Vt iam nunc in lege Moyſis vnuſquiſq; in animalibus diſceret, quod quandoque ſecundùm Euangelium facturus eſſet in homine, Et meritò ſequitur. *Si diligitis eos qui vos diligũt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et, ſi ſalutatis fratres veſtros tantùm: quid amplius facìatis? nonne & ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt.* Oſtendit Dominus meritum nos perfectæ dilectionis habere non poſſe ſi eos tantùm diligamus à quibus vicem nobis rependi dilectionis mutuæ nouerimus; cùm huiuſmodi dilectionem etiam gentibus ac peccatoribus ſciamus eſſe communem. Vnde vult nos Dominus communem legem dilectionis humanæ lege dilectionis Euangelicæ ſuperare; vt non ſolùm circa eos qui nos diligunt, ſed etiam circa inimicos & odientes amoris noſtri oſtendamus affectum, vt veræ pietatis ac bonitatis paternæ in hoc imitemur exemplum. Et addidit: *Attendite ne iuſtitiam veſtram coram hominibus faciatis, alioquin mercedem*

Thob. 4.

Pſal. 111.

Sanctus Iob.

Iob. 31.

Exod. 21. *Leuit. 24.* *Deut. 19.*

Iſa. 66.

Pſalm. 7.

Iob. 31.

Exod. 23.

Meritum perfectæ dilectionis.

Dilectio Euangelica debet ſuperare dilectionem humanam.

& Diabolus non tangit illum. Qui autem peccatum facit, non ex Deo, ſed à Diabolo eſt; quia Diabolus ab initio peccat. Et idcirco ſacramentum cœleſtis natiuitatis noſtræ cuſtodientes: ab omni peccato alieni eſſe debemus, vt verè filij Dei dici vel eſſe mereamur. Sciunt & ſancti Prophetæ huius diuinæ miſericordiæ gratiam; in qua nobis Deum Patrem nuncupare permiſſum eſt, dicente Eſaïa: *Tu es enim Pater noſter, quia Abraham non cognouit nos, & Iſrael non cognouit nos; ſed tu Domine Pater noſter, ab initio nomen tuum ſuper nos eſt.* Similiter & Malachias, in libro ſuo teſtatur, dicens: *Vnus eſt enim Pater omnium noſtrum.* Quanta Domini miſericordia! Qui iamdudum nobis patrem Diabolum voluntate propria adſciueramus; nunc renati per aquam & Spiritum ſanctum, Patrem Deum habere iam cœpimus! Ipſe enim Deus Pater vnus eſt nobis, qui regenerat Spiritu ſuo, quos facit ad æternam hæreditatem filios. Et ideò quaſi filij Dei ambulare debemus, ne aliter agentes quàm filios Dei conuenit, rei ſub vſurpatione tanti nominis teneamur. Ait ergo: *Pater noſter qui in cælis es; ſanctificetur nomen tuum.* Non quòd ab aliquo nomẽ Dei ſanctificari poſſit, cùm omnes ſanctificet ipſe, qui

Leuit. 19 & 20.

ait per Prophetam: *Sancti eſtote, ſicut & ego ſanctus ſum, dicit Dominus.* Sed idcirco nomen ipſius ſanctificari poſtulamus, vt in nobis ſanctificetur per opera iuſtitiæ, per fidei meritum, per gratiam Spiritus ſancti: Quam ſanctificationem, vt per huiuſmodi dona accipere poſſimus; miſericordię ipſius auxilium neceſſarium eſt: Verùm nõ eget aliqua ſanctificatione, ille qui fons eſt ſanctitatis æternæ. Deinde ait: *Adueniat regnum tuum.* Similiter & hic non Deo optamus vt regnet, qui rex eſt æternorum ſæculorum: cuius regnum nec initium habet nec finem: ſed vt illud regnum; id eſt cœleſte quod nobis promiſit; adueniat. Sed magnæ fiduciæ & ſynceræ conſcientiæ eſt hoc Domini regnum, vt adueniat, confidenter optare. Et idcircò; quia vt regnũ Dei veniat ſemper oramus: tales nos in fide Domini & in mandatis eius exhibere debemus, vt futuro regno digni eſſe poſſimus. Dehinc ait: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra,* Par quoque & hic intelligentiæ ratio eſt. Non enim quiſquam eſt qui obſiſtere & contradicere Deo poſſit ne quod velit, faciat; cùm voluntate eius, & in cœlo & in terra cuncta conſiſtant; ſed vt in nobis voluntas eius fiat, oramus. Voluntas autem Dei eſt, vt toto corde ei credentes, hæc quæ fieri præcipit, impleamus. De qua voluntate Dei

1. Theſſ. 4. 10. 6.

Apoſtolus teſtatur dicens: *Voluntas Dei eſt ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à carnalibus concupiſcentiis.* De quo & Dominus in Euangelio locutus eſt dicens: *Hæc autem voluntas Patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt Filium & credit in eo, habeat vitam æternam.* Cùm ergo dicimus; *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra:* hoc oramus, id eſt vt ſicuti Dei volũtas ab Angelis fideliter cuſtoditur in cœlis, ita quoque à nobis religioſa ac fideli deuotione diuinæ dignationis auxilium poſtulandum eſt. Vel certè; *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra:* vt ſicut in cœlo: id eſt, in ſanctis ac cœleſtibus hominibus, Dei voluntas impletur: ita quoque in terra; id eſt, in his qui nec dum crediderunt, per credulitatem fidei & veritatis cognitionem, vt Dei fiat voluntas, oramus. Dehinc ait: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Duplici modo hoc Domini dictum intelligimus: Primùm, vt non aliud quàm quotidianum victum poſtulemus; non enim iubemur diuitias petere aut affluentiam ſæcularium rerum, ſed panem quotidianum; quod Chriſtianis fide viuentibus ad præſentem vitam ſolummodò neceſſarium

1. Tim. 6.

eſt, dicente Apoſtolo. *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſumus.* Idipſum quoque & Salomon euiden-

Eccl. 29. 38.

ter oſtendit: *Vſus* (inquit) *hominis, panis, aqua, & veſtimentum.* Sed cùm dicimus, *hodie;* docemur, de præſenti tantum die, non de omni vitæ tempore cogitare, ne mẽs noſtra ſæculari ſolicitudine occupetur: ſecũdùm quòd ipſe Dominus alio loco apertè demonſtrat, dicendo:

Matth. 6. 34.

Nolite cogitare de craſtino, craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi

ipſi. Hoc autem ſpiritaliter nobis præceptum eſſe debemus aduertere; vt panem quotidianum petamus: id eſt,

A panem illum cœleſtem & ſpiritalem, quem quotidie ad medelam animæ & ſpem æternæ ſalutis accipimus, de quo ait Dominus in Euangelio: *Panis* cœleſtis, *caro mea* Io. 6.

eſt quam ego dabo pro mundi huius vita. Et hunc ergo pa- 1. Cor. 11.

nem quotidiè poſtulare iubemur: id eſt; vt præſtante Domini miſericordia, quotidiè panem accipere corporis Domini mereamur. Ait enim ſanctus Apoſtolus: *Probet ſe homo, & ſic de pane Domini manducet, & de calice bibat.* Et iterum: *qui manducat panem Domini indignus, & Calicem bibit, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Vnde non immeritò ſemper orare debemus, vt hunc panem cœleſtem quotidiè mereamur accipere: ne aliquo interueniente peccato, à corpore Domini ſeparemur. *Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus*

B *noſtris.* Iuſta planè ac neceſſaria omnibus hæc vox eſt: Primùm, vt peccatores nos eſſe confiteamur; dehinc, vt ſic à Deo nobis oremus dimitti peccata, quemadmodum peccantibus in nobis ipſi dimittimus. Quod ſi minimè faciamus: ipſi nos apud Deum reos verbis noſtris efficimus, dicente Scriptura: *Laqueus fortis eſt viro, propria labia.* Vnde non immeritò & Salomon Dominicæ huius orationis formam per Spiritum ſanctum non ignorans: antè præmonuit dicendo: *Non mentieris ver-* Eccli. 7.

bum in tua oratione. Quis enim audeat, aut quomodò poteſt Deo in oratione mentiri? Niſi fortè is qui ſecundùm Dominicam orationem, à Deo peccatorum veniam poſtulans, ipſe in ſe peccantibus non dimittit, non Eccli. 28. 3.

retinens dictum diuinum: *Homo homini reſeruans iram,*

C *& a Deo quæris propitiationem? & ipſe in hominem ſimilem tibi non habes miſericordiam, & Deum pro peccatis exoras?* Hoc autem alio in loco ipſe Dominus apertiſſimè manifeſtat, proferens ſerui illius debitoris exemplum; cui plurimum debenti rogatus Dominus debitum omne cõceſſerat; qui cùm poſt indultũ debitum conſeruo ſuo debenti ſibi nollet ipſe dimittere, in carcerem traditus & damnatus in pœna eſt. Dehinc ait: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Tentationis Tentationis ratio duplex.

huius duplex ratio, & cauſa diuerſa eſt: quia alijs per peccatum tentatio infertur ad emendationem; alijs ad fidei probationem; alijs infertur ad gloriam, ſecundùm quòd beatus Iacobus in Epiſtola ſua teſtatus eſt, dicens: *Beatus qui ſuſtinuerit tentationem, quoniam beatus factus accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus ijs qui eum*

D *diligunt.* Non enim ſic oramus, vt tentationem quam ſcimus eſſe vtilem, penitus recuſemus, dicente ſancto Dauid: *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos &* Iacob. 1.

cor meum. Cùm etiam ſanctum Abraham ſciamus per Pſalm. 25.

tentationem perfectæ fidei gloriam conſecutum: beatum quoque Apoſtolum ad profectum fidei ſuæ, traditum tentationibus legerimus. Qui cùm repelli à ſe tentationis autorem a Domino poſtularet, reſponſum eſt illi: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Nun ergo, ne in toto tentemur oramus, 2. Cor. 12.

ſed ne ſuprà quàm virtus fidei patitur, tentationi tradamur: quod ipſum in alio libro Euangelij euidenter oſtenſum eſt; ſic enim ſcriptum eſt: *Et ne nos inferas in tentationem, quam ſufferre non poſſumus.* Apoſtolus † Promentum; 1. Cor. 10. 13.

E quoque vt idipſum oſtenderet, ita teſtatus eſt dicendo: *Fidelis autem Deus qui non patitur tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam tranſgreſſum, vt poſſitis, tolerare.* Et ideò non illam tentationem à nobis auferri, quę eſſe poteſt vtilis, deprecamur, ſed illam quæ ad fidei noſtræ euerſionem modum infirmitatis excedit. Et idcircò congruè ac neceſſariè in fine orationis etiam liberari nos poſtulamus a malo qui fidem noſtram diuerſis tentationibus quotidiè expugnare non deſinit: à qua nos non immeritò quotidiana oratione deprecamur, ne immiſſionibus ipſius impediti, præcepta diuina minimè poſſimus implere. Vniuerſa igitur quæ fidei ac ſaluti noſtræ ſunt neceſſaria, in hac breuitate orationis Dominicæ continentur, dum profeſſionem nominis

In Dominica oratione continentur quæcunque ſunt neceſſaria ad ſalutem.

paterni confitemur, dum ſignificationem ineſſe in nobis ipſius nominis poſtulamus, dum aduenire regnum Dei petimus, dum voluntatem eius in nobis fieri deprecamur: dum panem vel terrenum vel cœleſtem ad ſpem ſalutis noſtræ quotidiè caoramus; dum peccatorum veniam imploramus, dum grauem tentationem auferri à nobis oramus; poſtremò dum nos liberari à malo qui eſt autor omnis peccati, indeſinenter à Domino poſtulamus. Quod ipſum futurum olim per Eſaiam Spiritus ſanctus prænunciauerat dicendo: *quoniam verbum breuiatum faciet Dominus per vniuerſum orbem terræ.* Vnde

Iſa. 10. 22. Rom. 9.

non immeritò ſequitur. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, remittet vobis Pater veſter qui eſt in cælis, delicta veſtra: Si autem non remiſeritis hominibus; nec Pater veſter remittet vobis peccata veſtra.* In hoc quod oramus; *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; ſequitur Domini iuſta ſententia, qua ait: *ſi non* B *remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter remittet vobis, qui eſt in cælis.* Et idcircò vt de remittendis nobis peccatis Dominum confidenter orare poſſimus: ipſi priùs, in nos peccantibus remittamus. Vnde &

Eccl. 3 17.

Salomon ait: *Remitte proximo tuo peccata, & tunc tibi peccata ſoluentur.* Quòd ſi infideli animo ac perdurata mente, delinqnentium in nos peccata teneamus, nos quoque peccatorum veniam accipere non mereri, apertè Dominus manifeſtat: cui eſt honor, laus, & gloria, vnà cum Spiritu ſancto ante omnia ſæcula & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum: Amen. Deinde ait: *Cum ieiunatis*, inquit, *nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: Exterminant enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes; Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam: Vos autem cum ieiunatis, vngite caput veſtrum, & faciem veſtram lauate, ne pareatis hominibus ieiunantes ſed Patri veſtro qui eſt in abſconſo, & Pater veſter qui eſt in abſconſo, reddet vobis.* Sicut in ſuperioribus

Meritum perfectæ fidei.

præceptis, ita quoque circa ieiunij obſeruationem, ad perfectæ nos fidei meritum Dominus doctrinæ ſuæ mandans inſtituit; vt non propter humanam gloriã (ſicut hypocritæ faciunt) ſed propter futuram ſpem, ſoli Domino ieiunemus, à quo exſpectamus humilitatis huius deuotæ mercedem. Verùm qui ita ieiunant, vt magis hominibus quàm deo placeant: habent quidem laborem de corporis afflictione, ſed per inanem gloriam mercedem laboris apud Deum habere non poſſunt; quia cùm ſolummodo, id cauſa religionis ac fidei agere debeant, humanæ potiùs laudis gloriam quærere malunt; & ideò ait Dominus: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Et vnum quidem propoſitum videtur eſſe ieiunij: tam eius qui Deo tantùm deuota mente ieiunat, quàm etiam illius qui ieiunans hominibus placere deſiderat, ſed diſtat gratia ieiunantum: quia quamuis vtriuſque ſimile propoſitum videatur, atque ieiunij labor; non tamen idem fructus eſt, nec eadem retributio

Retributio meritorum.

meritorũ. Longè enim differt ille qui propter Deũ ieiunat, ab eo qui propter homines ieiunare proponit: quia huic pro mercede laboris compenſatio fit laudis humanæ; illi pro deuotione humilitatis meritum gloriæ in futuro ſeruatur. Sic quoque & orantium habitus ſecundum propoſitum quidem non differre videtur; ſed ſecundum animi fidem & mentis affectum magna diſtãtia meritorum eſt. Aliud eſt enim (vt ſuperius dictum eſt) ſub expectatione humanæ laudis orare; aliud ad hoc tantùm orare, vt orationis ſuæ à Deo retributore exſpectet mercedem. Similis cauſa eſt & circa omnem obſeruantiam diuinæ religionis. Vnde non immeritò Dominus omne ſtudium laudis atque humanæ iactantiæ volens à nobis abeſſe, docet nos quemadmodum ipſi religioſo animo ac deuota mente placeamus, dicendo: *Vos autem cum ieiunatis, vngite caput veſtrum, & faciem veſtram lauate, ne pareatis hominibus ieiunantes*, ſed Patri veſtro qui eſt in abſconſo: vt, ſi fieri poteſt, opus ieiunij & ipſius corporis atque animæ afflictionem vultus hilaritate velemus. Cuius rei exempla etiam ſecundùm hiſtoriam in Sanctis prætetito tempore legimus præoſtenſa. Nam ſanctiſſima Iudith; cum magno mœrore

Munditia diſſimulatum ieiunium, Iudith.

A pro populo eſſet afflicta; poſt ſolemnitatem triduani ieiunij, capite vncto & lota facie, ita internæ afflictionis triſtitiam texit, vt ſimulato gaudio lætari hoſtibus videretur: ac ſic demum per lætitiam vultus ieiunium texit, & ab hoſte triumphum victoriæ reportauit. Similiter Heſter ſanctiſſima, dum lota facie & capite vncto, poſt triduanum ieiunium intelligi à rege potuit; Aman illum populi ſui inimicum nequiſſimum interemit.

Heſteriae reginæ ieiunium

Dan. 2.

Quid de Daniela ac tribus pueris dicemus; qui in tanta abſtinentia, inter tot adoleſcentes qui cibis regalibus paſcebantur ſoli vultu cæteris gratiores inuenti ſunt? Sed quia id ſecundùm literam diximus, quid etiam ſecundùm ſpiritualem intelligentiam ſentiendum ſit debemus aduertere. In vnctione capitis miſericordiam ſignificari cognoſcimus. Vnde vngere caput eſt proximo B miſericordiam facere: quæ miſericordia in pauperem facta, refertur ad Dominum qui caput viri ſecundùm Apoſtolum intelligitur, ipſo Domino dicente; *quandiù vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis:* In cuius miſericordiæ vice, diuina retributione velut quodam oleo cœleſti perfundimur ab eo qui ait; *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſerebitur Deus.* Nouit hanc cœleſtis olei in capite vnctionem, etiam ſanctus Dauid, cùm dicit: *Sicut vnguentum in capite; quod deſcendit in barbam.* In facie verò lauanda emundatio corporis, ac ſinceræ conſcientiæ puritas ſignificata cognoſcitur: Vndè lauate faciem: hoc eſt, ab omni ſorde peccatorum & ſqualore delicti, & faciem cordis noſtri & ipſam conſcientiam mundam referre, vt verè lætitiam cœleſtis gaudij & hilaritatem ſan-C cti Spiritus in nobis habere poſſimus. Ac ſic fit, vt dum ſub hac fidei deuotione Deo potiùs quàm hominibus ieiunamus; à Deo, qui occultorum eſt cognitor, accipiamus retributionis mercedem. Hoc enim ait Dominus: *ne pareatis hominibus ieiunantes, ſed Patri veſtro qui eſt in abſconſo, & Pater veſter qui eſt in abſconſo, reddet vobis.* Si ergo vis caput ſemper vnctum gerere, & mundam faciem cordis habere, iuxta Domini dictum; inſiſte fideliter operibus miſericordiæ, inſiſte deuotioni ieiunij, vt placere Domino merearis; cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum: Amen. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea exterminant, & vbi fures effodiunt & inuolant: Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea exterminant, & vbi fures non effodiunt nec* D *furantur; Vbi enim erit theſaurus tuus, illic erit & cor tuum.*

Matth. 25.

Pſalm. 132.

Matth. 5.

Operibus bonis inſiſtendum, & deuotioni ieiunij.

Prohibet nos Dominus in terra theſaurizare; vbi omnia infirma ſunt & caduca. Contrarium eſt enim fidei ac ſaluti hos terrenos theſauros expetere, diuitias ſæculi quærere, facultates mundi ſectari; quas poſſunt & tineæ corrumpere, & ærugo abſumere, & fures rapere. Quia quicunque magis in terra theſaurizare voluerint, quam in cœlo; theſauros illos æternæ & cœleſtis vitæ habere non poſſunt, dicente ipſo Domino; *Quoniam diues difficilè intrabit in regnum cælorum*: ſimiliter & Apoſtolus; nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & muſcipulam diaboli.* Recordemur illius diuitis, qui omnem gloriam ſuam in ſæculi theſauris, atque in redituum ſuorum vbertate conſtituit: qui cùm propter affluen-E tiam frugum de ampliandis horreis cogitaret; atque animæ ſuæ, delicias opum & ſecuritatem longæ vitæ promitteret; non dicam ſubripiente fure hæc quæ congregauerat perdidit, ſed ipſam animam ſub eadem nocte, cui theſaurizabat, amiſit. Vnde non immeritò Dauid ipſe teſtatus eſt, dicens: *theſaurizat & ignorat cui congregabit ea.* Cogitemus & illum adoleſcentem, qui cum propè omnia præcepta legis impleſſet; quia theſauros magis terrenos habuit quàm cœleſtes, vitæ æternæ theſauros obtinere non potuit. Et idcirco bene Dauid ait: *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere; diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Quapropter vult nos Dominus theſauros noſtros non in terra, vbi perire poſſunt, ſed in cœlo recondere; vbi nulla aduerſa dominantur, vbi fures non effodiunt, id eſt Diabolus, & Angeli eius,

Matth. 19. 1. Tim. 6.

Luc. 12.

Pſalm. 38.

Matth. 19.

Pſal. 61.

nec

nec ærugo exterminant; id eſt, peccata dominantur. Quemadmodum autem hunc theſaurum in cœlo re-

A

Math. 19.

ponere debeamus, ipſe Dominus in Euangelio manifeſtat, dicendo ad illum adoleſcentem: *Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Huiuſmodi ergo theſauros qui æterni ſunt & incorrupti, qui perire non poſſunt; per opera iuſtitiæ, per pietatis ac miſericordiæ merita iubemur in cœlo recondere. In

Prou. 19.

cœlo enim reconditur, quicquid (ſecundùm fidem Scripturæ) in vſum pauperum fideliter erogatur; dicente Scriptura: *Qui dat pauperi, Deo fœnerat.* Vnde & ſub Apoſtolis credentes memores huius Dominici præcepti theſaurizaſſe ſibi inuenimus in cœlo; quia venditis vniuerſis rebus ſuis, terrenos theſauros ad regna cœleſtia tranſtulerunt. Et ideò addidit Dominus, dicens: *Vbi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Qui in cœlo

B

ſemper bonis operibus theſaurizemus, vbi omnis ſpes & ſalus eſt noſtra, vbi nobis vita æterna repoſita eſt; in terra licet poſiti, cor tamen in cœlo ſemper habemus. Verùm, non poteſt cor in cœlis habere qui cupiditate ſæculi captus, theſaurizare ſibi magis in terra maluerit.

1. Tim 6.

Meritò & ſanctus Apoſtolus etiam diuites ſæculi, quemadmodum hunc theſaurum cœleſtem conſequi poſſint, hortatur, dicens: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſuperbe ſapere, neque ponere in incertum diuitiarum ſpem ſuam, ſed in Deum viuum, qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendum, bene faciant, diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, theſaurizent ſibi in futurum*, vt apprehendant veram vitam, ab eo qui autor eſt vitæ & immortalitatis æternæ: cui eſt laus & gloria, in ſæcula ſæculo-

C

rum: Amen. Deinde ait: *Lucerna*, inquit, *corporis tui eſt oculus tuus: Si oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum eſt; Si autem oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum eſt: Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt; tenebræ ipſæ quantæ ſunt?*

Lucerna comparatur fidei qua ratione.

Lucerna corporis ſenſus mentis, & fides cordis intelligitur: quæ ſi in nobis pura & lucida fuerit; ſine dubio, omne corpus noſtrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur; quia ſicut lucerna incedentium in nocte greſſus illuminat, ne aut in foueas aut in offendicula quæque ambulantes incurrant: ita in hac ſæculi nocte ſplendor fidei omnes vitæ noſtræ greſſus, præeunte lumine veritatis illuminat; ne aut in foueas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus. Hoc eſt ergo quod ait Do-

D

minus: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum tenebroſum eſt:* Oſtendens, quia ſi hæc fides noſtra, quæ lucerna corporis vel oculo ſignificatur, in nobis aut peccatorum tenebris, aut perfidiæ obſcuritate cæcetur: ſine dubio, omne corpus noſtrum obſcurum tenebroſùmque redditur. Quod ipſum S.

1. Io. 3.

Ioannes oſtendit, dicens: *Deus lux eſt, & qui charum habet fratrem ſuum, in lumine manet, ipſe eſt in lumine; Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & neſcit vbi ambulat, quia tenebræ occæcauerunt oculos eius.* Et ſi hoc de eo qui fratrem ſuum odit, ſecundùm dictum Ioannis

Hæreticorum tenebræ quantæ ſint.

intelligitur: in quibus tenebris hæreticus demoretur; qui amiſſo lumine catholicæ veritatis, perfidus ac blaſphemus exiſtit; debemus aduertere. Et ideò ait Domi-

E

nus: *Si lumen* (inquit) *quod in te eſt; tenebræ ipſæ quantæ ſunt?* In eo ſcilicet, qui veritatem in mendacium, fidem in perfidiam demutauerit. Alio autem ſenſu oculum corporis, qui eſt membris omnibus pulchrior ac precioſior Epiſcopum aduertimus ſignificatum, qui clara fidei ſuæ ac doctrinæ prædicatione, velut oculus quidam Eccleſiæ corpus illuminat. Qui per ſimplicem fidem ac ſanctam conuerſationem, catholicus & fidelis doctor extiterit; poteſt populus cui præeſt, doctrinæ ac formæ ipſius exemplo in lumine ſemper veritatis manere. Verùm ſi is qui lumen cæteris præbere videtur,

per prauam fidem aut per turpem conuerſationem, ne-

A

quam & perfidus doctor extiterit, ſine dubio, vitæ ac perfidiæ ſuæ exemplo totum corpus poteſt tenebroſum efficere. Vnde non immeritò de tali oculo Dominus dicit: *Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt; tenebræ ipſæ quantæ ſunt?* Hoc eſt, ſi huiuſmodi doctor qui lumen fidei ex ſe præbere cæteris debet; per hæreſim occæcatus, tenebroſus extiterit: quantæ in populo illo poſſint eſſe tenebræ peccatorum, debemus aduertere. Et addidit: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: Aut enim vnum odiet, & alterum contemnet: Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Non poſſe vnumquémque noſtrum duobus dominis ſeruire: id eſt, Deo & diabolo; Dominus manifeſtè declarat. Et Deus quidem quamuis Dominus omnium ſit, quia omnia ab ipſo creata ſunt & in omnibus ipſe dominatur, poteſtate, virtute, natura: horum tamen

B

præcipuè Dominus eſſe dignatur, qui Dominum ac Deum ſuum, conditorem vniuerſitatis cognoſcentes; præcepta eius fideli ſeruitute cuſtodiunt. Diabolus verò, horum tamen Dominus intelligitur, quos à vero Domino ac parente ſeducens per peccatum, nequiſſimæ ſuæ ſubiugat ſeruituti; & quibus per iniquitatis ſuæ

Deus omnium rerum Dominus.

operam illicito iure dominatur. Hac ergo de cauſa & ipſe ſuo loco Dominus appellatur; quia huiuſmodi ſtultis hominibus per peccatum dominatur. Et idcirco ſcriptum eſt: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Sed quia iam per Dei miſericordiam viſitati, liberati de diaboli dominatione, verum Dominum recognouimus, à quo creati & redempti ſumus: priori domino; id eſt, diabolo, qui nobis more tyrannico dominabatur; ſer-

Io. 8.

C

uire prohibemur, vel potius auaritiæ & cupiditati, quam Mammonam nuncupat, quæ interdum etiam religioſas mentes captiuare conſueuit. Vnde fugere ac vitare debemus cupiditatem pecuniæ, auaritiam ſæculi; ne nos indignæ ſeruituti eius, vel diabolo qui autor eſt auaritiæ, ſubiugemus. Et hoc eſt quod ait Dominus: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire; aut enim vnum odiet & alterum amabit, patietur & alterum contemnet:* quia quicun-

Auaritia, etiam religioſas mentes aliquando captiuat.

que ex toto corde Dominum ac Deum ſuum diligit; neceſſe eſt diabolum cum ſuis actibus oderit; quia in dilectione Dei manifeſtum eſt diabolum ſemper in execrationem haberi. Verum qui per iniqua opera peccatorum Mammonam vel diabolum diligit, faciendo ipſius voluntatem; Deum amare non poteſt, cuius præ-

D

cepta contemnit. Et ideò qui deum diligit, ſeruus diaboli non poteſt nuncupari: cum iam ipſe per fidem cœleſtis gratiæ dominatur. Similiter & qui peccans deſeruiens, dominationi ſe diabolicæ ſubdit: huiuſmodi Deum habere Dominum non meretur. Et ideò ait Dominus; *non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ:* Oſtendens nos non poſſe & Deo ſeruire & diabolo; id eſt, Deo miſericordiæ autori, & diabolo Mammonæ & auaritiæ dominatori. Hoc & Apoſtolus oſtendit, cùm dicit: *quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Mammona: id

2. Cor. 6.

eſt, Diabolus qui autor eſt Mammonæ. Ille, nos ad miſericordiam prouocat: hic, ad auaritiam. Ille ad vitam, hic ad mortem. Ille ad ſalutem, hic ad perditionem: Cui de duobus obtemperare debemus? Ei vti-

E

que qui nos ad vitam inuitat; non ei qui nos tradit ad mortem.

HVIC TRACTATVI FINIS DEESSE

VIDETVR. QVOD VERO SEQVITVR

fragmentum eſt tractatus alterius, eiuſdem Chromatij, qui nondum totus in lucem prodijt.

D. CHROMATII AQVILEIENSIS EPISCOPI, TRACTATVS IN ILLVD, Ego à te debeo baptizari, &c. *Matth.* 3. 4. fragmentum.

QVAPROPTER reſpondens Dominus Ieſus dixit ei: *Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Ieſus igitur ad conſummanda legis omnia ſacramenta, vt baptizaretur à Ioanne, à Galilæa in Iordanem deſcendit. Sed Ioãnes Deum ſuum per Spiritum ſanctum recognoſcens, cuius nec calceamenta quidem dignum ſe fuiſſe portare profeſſus, implere quod iubebatur excuſat; quia non credebat ei neceſſarium baptiſmum eſſe, quem ſciret ad hoc veniſſe, vt baptiſmo ſuo mundi peccata deleret, & idcirco baptizari ſe ab eo potiùs oportere teſtatur dicendo: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Tanquam ſi diceret: Ego homo ſum; tu Deus: Ego peccator, quia homo; tu ſine peccato; quia Deus. Quid vis à me baptizari? Non recuſo obſequium ſed ignoro myſterium. Ego peccatores baptizo in pœnitentiam, Tu quid vis baptizari, qui non habes cauſam peccati? Immò potiùs quid vis baptizari vt peccator, qui veniſti peccata tollere? Quid eſt ergo quod ait Ioãnes, *A te debeo ego baptizari, & tu venis ad me?* quidam famuli ſui fidele ſeruitutis, ſed diſpenſationis ſuæ myſterium dicendo, *ſine modò, ſic enim oportet nos implere omnem iuſtitiam:* oſtendens hoc eſſe omnem iuſtitiam, vt ipſe Dominus & magiſter in ſalutis noſtræ ſacramentum cõpleret. Non ergo ſui cauſa baptizari Dominus venit, ſed cauſa noſtri, vt impleret omnem iuſtitiam. Iuſtum eſt enim, vt quod quis docet alterum facere, prior incipiat. Quia igitur magiſter & Dominus humani generis venerat, exemplo ſuo docere voluit quid eſſet faciendum; vt diſcipuli magiſtrum, ſerui Dominum ſequerentur. Quia ergo nouum baptiſmum daturus erat, ad generis humani ſalutem, & remiſſionem peccati; prior ipſe baptizari dignatus eſt, non vt peccata deponeret qui peccatum ſolus non fecerat, ſed vt aquas baptiſmi ſanctificaret ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquæ baptiſmi purgare peccata credentium potuiſſent, niſi tactu Dominici corporis ſanctificatæ fuiſſent. Ille ergo baptizatus eſt, vt nos lauaremur à peccatis. Ille tinctus eſt in aqua, vt nos à delictorum ſordibus purgaremur: Ille lauacrum regenerationis accepit, vt nos ex aqua & & Spiritu ſancto renaſceremur, ſicut ipſe alio in loco ait: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum.* Baptiſmum ergo Chriſti ablutio eſt delictorum noſtrorum, & renouatio eſt vitæ ſalutaris. Audi hoc ipſum Apoſtolum demonſtrantem, cùm dicit: *quotquot enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et addidit; *conſepulti ergo illi eſtis per baptiſmum in mortem, vt quemadmodum Chriſtus ſurrexit à mortuis, ſic & vos in nouitate vitæ ambuletis.* Per baptiſmum itaque peccato morimur, ſed Chriſto conuiuimus: vitæ priſtinæ ſepelimur, ſed nouæ vitæ reſurgimus: vetuſti hominis errore exuimur, ſed noui hominis indumenta ſuſcipimus. Impleuit ergo Dominus etiam in baptiſmo omnem iuſtitiam, quia ad hoc baptizari voluit, vt baptizaremur: ad hoc lauacrum regenerationis accepit, vt renaſceremur in vita. Et baptizauit quidem Ioannes Dominũ, ac Saluatorem noſtrum; ſed potiùs ille baptizatus à Chriſto eſt, quia ille aquas ſactificauit, hic aquis ſanctificatus eſt, ille gratiam donauit, hic accepit; hic peccata depoſuit, ille remiſit; quia hic homo, ille Deus: Dei eſt enim peccata dimittere, vt ſcriptum eſt: *Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus?* Et ideò ait Ioannes ad Chriſtum: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Ioannes enim baptiſmo egebat, quia ſine peccato eſſe non poterat: Verùm Chriſtus baptiſmo egere non poterat, quia peccata non fecerat. Vnde in baptiſmo illo Dominus ac Saluator noſter primùm Ioannis, dehinc totius mundi peccata purgauit. Et ideò ait: *Sine modò, ſic enim oportet nos implere omnem iuſtitiam.* Cuius baptiſmi gratia dudum myſticè præoſtẽſa eſt, cùm populus per fluuium Iordanis in terram promiſſionis inductus eſt. Sicut ergo tunc populo ad terrã promiſſionis eunti, per Iordanem via fuit Domino præcedente; ita nunc per eaſdem aquas fluuij Iordanis, primum iter viæ cœleſtis apertum eſt, per quod ad beatam illam terram promiſſionis, id eſt, promiſſionem regni cœleſtis deducimur. Illis Ieſus Filius Naue in Iordane dux fuit; nobis verus Ieſus Chriſtus Dominus per baptiſmum dux extitit ſalutis æternæ, vnigenitus Dei Filius qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen. Dehinc ſequitur: *Et baptizatus Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua: Et ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem quaſi columbam, & ecce vox de cælo dicens; hic eſt filius meus dilectus in quo bene complacui.* Vt in Domini corporea natiuitate, ita quoque in baptiſmo eius omni admiratione digna & maieſtati eius congrua patuerunt. Cœli igitur, de aquis aſcendente Domino, poſt baptiſmum patuerunt, ſanctus Spiritus in habitu columbæ, ſpecie corporali deſcendit, teſtimonium Patris ſupra filium deferens; vox etiam Patris ſtatim de cœlis auditur, dicentis; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo benè complacui.* Cuius ſacræ vocis auditum ſuper aquas Dauid quoque antè prenunciauerat, dicendo: *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit.* In hoc vtique, in quo vox paternæ maieſtatis teſtimoniũ Filio perhibẽs, quaſi quoddam tonitru ſonuit. Quis igitur hic contra fidem hæreticis locus eſt? quæ in hac Patris profeſſione blaſphemandi occaſio relicta eſt; cùm etiam expreſſa proprietate verborum ſacramentum ſit perfectæ trinitatis oſtenſum? In myſterio enim baptiſmi & Filius manens videtur in corpore, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, & vox Patris de cœlis auditur, vt trinitatis vnitas declaretur, quia nec Pater ſine filio intelligi poteſt, nec filius ſine Spiritu ſancto cognoſci. Vide igitur quale Patris de filio teſtimonium ſit, dicentis: *hic eſt Filius meus.* Suus vtique, non per adoptionem gratiæ, neque per religionem creaturæ (vt hæretici volunt) ſed ſui proprietate generis & veritate naturæ. Multi enim ſanctorum filij Dei dicuntur, & ſunt, ſed hic ſine compaſſione vnus Deo Patri filius vnigenitus, & verus, & proprius, non aliunde quàm de Patre natus. Quia tam verus Pater Pater eſt, & Deus eſt: ſicuti etiam verus Filius Filius eſt trinitatis oſtenſa, cùm & Pater Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum filium ſuum eſſe teſtatur, & Spiritus ſanctus, id eſt, paracletus, in tanto fidei ſacramento, Patri filióque coniungitur, vt verum Patrem, verum filium, verum etiam Spiritum ſanctum crederemus, tres perſonas, ſed vnam diuinitatem trinitatis vnámque ſubſtantiam. Hæc tranſitoriè de trinitatis myſterio dicta ſunt. Verùm quia omnia quæ pro nobis Dominus egit in ſacramẽtum ſalutis noſtræ oſtenſa cognoſcimus: in eo quod baptizato Domino cæli aperti ſunt; Idem monſtratur, quia renatis in baptiſmo, cœlorum regna patenent quæ nobis Filius Dei in corpore ad cœlum aſcendens, primus aperuit. Vnde & ſtatim in eo quòd ſanctus Spiritus in ſpecie columbæ deſcendit, & vox Patris de cœlis auditur, dicentis; hic eſt Filius meus, in quo cœleſte myſterium, & ſalutis noſtræ ordo reuelatur; quia per ſalutare baptiſmum aquæ eſſemus & filij Dei futuri, & donis ſancti Spiritus munerandi, per quem eſt Patri, & Filio laus & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Chriſtus cur fuerit baptizatus.

Aqua baptiſmi non potuerunt abluere peccata, niſi ſanctificata contactu corporis Chriſti. Io. 3. Gal. 3.

Matth. 3. *Luc.* 3. *Marc.* 1.

Pſalm. 28.

A B C D E

EXPOSITIO

EXPOSITIO CAPITVM ADMONITORIORVM, ÆDITA EX TEMPORE AB AGAPETO DIACONO ſanctiſſimæ dei magnæ Eccleſiæ. Quorum apex Literarius ſicpote habet.

Diuo & pientiſſimo Imperatori noſtro Iuſtiniano Agapetus minimus diaconus

Quiſnam Agapetus iſte fuerit, vel potius quis non fuerit, docebunt te annales Eccleſiaſt. tom. 7. anno Chriſti 527. c. 41.

Inter ſeculares puras dictat.

Terrenum imperium cœleſti ſimile idem 1. Cap.

HONORE quolibet ſublimiorem quum babeas dignitatem, ô Imperator, bonora ſupra omnes qui boc te dignitatus eſt Deum, quoniam iuxta ſimilitudinem cœleſtis regni, tradidit tibi ſceptrum terrenæ poteſtatis, vt homines edoceres iuſti cuſtodiam: & eorum qui aduerſum ipſam rabiunt, inſectareris latratum: tum ipſius obtemperando legibus, tum ſubditos tibi regendo pro iure.

2 Ceu gubernator vigilat, vſque adeò Imperatoris oculatiſſimus intellectus continēs tutò æquitatis clauos, atque expellens fortiter impetuoſos iniquitatis fluctus, vt ne cymba mundanæ reipub. illidatur fluctibus iniquitatis.

Sei; ſe noſſe.

3 Diuinum documentum & potiſſimum, nos homines vt cognoſcat ſe quiſq; docemur, qui enim ſeipſum cognouit cognoſcet Deum. Deum verò qui cognouit, aſſimilabitur Deo, aſſimilabitur autem Deo, qui dignus factus Deo eſt, dignus denique fit Deo, qui nihil indignum patrat Deo. Sed qui vt cogitat quæ ipſius ſunt, ita tam loquitur quæ cogitat, quàm facit quæ loquitur.

Contra generis iactantiam.

4 Maiorum nobilitate ne quis delirietur: limum enim babent omnes generis autorem, & qui purpura byſſoque turgent, & qui paupertate & aduerſa valetudine affliguntur, tam qui diademate redimiti ſunt, quam qui per cubicula excubant: ne igitur lutulentum iactemus genus, ſed morum integritate gloriemur.

Reges plura quam ſubditi debent Deo.

5 Scito ô pietatis diuinitus fabricatum ſpecimen, quia quanto maioribus dignus babitus es tribuēre Deo, muneribus, tanto maius ipſi nomen ea: ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptāti debitum vt meritum, & beneficio beneficium rependenti: ipſe enim ſemper & beneficiis prior promeretur, & vt debitum beneficia repenſat, gratitudinem autem exigit à nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, ſed quæ rerum piarum oblatione peragitur.

Reges humana agere & velle debent.

6. Nnua res adeò commendabilem reddit bominem vt poſſe quidem quæ velit efficere, ſemper autem bumana & velle, & agere: quoniam igitur à Deo obi donata eſt facultas, quæ indigebat propter nos bona tua voluntas, omnia & velis & agas, prout ei placet, qui eam tibi dedit.

Diuitiæ fluctibus ſimiles.

7. Terrenarum opum inſtabiles diuitiæ fluuiatilium vndarum imitantur curſum: modicum enim affluunt bis qui babere ſe eas arbitrantur, mox verò refluentes ad alios accedunt, ſolus autem beneficentiæ theſaurus ſtabilis eſt poſſidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad autores retorquetur.

Beneficentia.

8. Inacceſſus nimirum ex iſtis hominibus propter celſitudinem huius, quod bic deorſum eſt, imperij, facilis idem aditu es indigentibus ob vim ſupernæ illius poteſtatis, atque aperis aures his qui à paupertate obſidentur, vt inuenias Dei auditum adapertum, quales enim erga noſtros fuerimus conſeruos, talem circa nos reperiemus Dominum.

Imperatoris benignitas.

9. Solicitam Imperatoris animam ſpeculi io modum abſtergi oportet, vt diuinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerúmque diſtincta iudicia inde condiſcat: nihil enim adeò facit facit quæ peragenda ſunt conſpicere, atque cuſtodire eam perpetuo ſynceram.

Mens, ſpeculo ſimilis.

10 Sicuti fit apud nauigantes, quum nauta errat, modicum affert nauigantibus nocumentum: quum verò ipſe gubernator, totius efficit nauigij perniciem: ſic & in ciuitatibus, ſi quis ex ſubditis peccet, non tam rempub. quam ſeipſum lædit. Sin verò ipſe princeps vniuerſæ infert reipub. detrimentum: is igitur vt non exiguam redditurus rationem, ſiquid neglexerit eorū quæ facto opus ſunt, exquiſita diligentia, & dictitet cuncta, & factitet.

Reſp. Naui ſimilis.

11 Circulus quidam bumanarum reooluitur rerum, qui modò ſic, modò aliter agitat ipſas, & circumfert: atque in bis inæqualitas eſt, eo quòd nihil ex præſentibus in eodem ſtatu maneat: oportet igitur te potentiſſime imperator, in bac rerum verſatili mutatione immutabilem habere pietatis cogitationem.

Pietatis cognitio immutabilis.

12. Auerſare adulatorum pellaceis ſermones, vt coruorum rapaceis mores: illi namque corporis effodiunt oculos, iſti autem animæ bebetant cogitatus, quum nō permittant perſpicere rerum veritatem: vel enim commendant nonnunquā, repreheoſione quæ digna ſunt, vel reprehendunt plerumque, quæ omni laude ſunt maiora, vt de duobus alterum ab ipſis comitatur, vel prauorum laus, vel contumelioſus bonorum contemptus.

Adulatores fugiendi.

13. Æqualem oportet ſemper eſſe Imperatoris animum: mutari enim pro rerum varietatibus mentis inſtabilis argumentum efficitur, firmiter autem bonis inbærere, qua infirmitate pium veſtrum corroboratum & fiſum eſt imperium, & neque vſque ad inſolentiam extolli, neque vſque ad animi conſternationem deiici, in ruta veluti baſi ſtabilitorum eſt bominum, animámque inconcuſſam habentium.

Imperator ſit conſtans.

14. Si quis purum habet cogitatum bumanæ deceptionis, perſpicitque ſuæ naturæ vilitatē, breuitatémq; veloci fato obnoxiæ præſentis vitæ, tum carni coniunctas inſitáſque ſordes, ad ſuperbiæ nunquam illabetur præcipitium, quamuis in excelſo dignitatis faſtigio conſiſtat.

Remedium contra ſuperbiam.

15. Super omnia præclara quæ regnum habet, pietatis cultúſque diuini corona regem exornat: diuitiæ námque euaneſcunt, vulgi fauor & aura tranſit, ſola vitæ Deo placentis gloria immortalibus ſeculis coextenditur, & trans obliuionis tenebras collocat poſſidenteis.

16. Vehementer mihi videtur abſurdiſſimum eſſe, quòd diuites & pauperes homines ex diſſimilibus rebus detrimentum ſimile patiuntur, illi namque à copia rerum perrumpuntur, hi verò fame pereunt: item illi occupant vltimos mundi terminos, hi non habent vbi calloſa pedum veſtigia ſiſtant: vt igitur vtraque pars ſanitatis fiant compotes, auferendo & diminuendo iſtos regere oportet, ad æqualitatem inæqualitas transferenda eſt.

Diuites, & pauperes quomodo regēdi.

17. Noſtris temporibus oſtenſum eſt proſperæ vitæ tempus quod prædixit quidam ex veteribus futurum,

Reges Philoſophi.

cùm vel philoſophi regnabunt, vel reges philoſophabuntur, nam tùm philoſophando digni habiti regno eſtis, tum verò regnando à philoſophia non deſciuiſtis: ſi enim amare ſapientiam efficit philoſophiam, principium autem ſapientiæ, Dei eſt timor, quem in pectoribus veſtris iugiter habetis, clarum quàm verum ſit quod à me dicitur.

Verum Imperium.

18. Te reuera Imperatorem aſſerimus, quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus vales, & tum corona caſtitatis reuinctus, tum purpuram iuſtitiæ indutus incedis, aliis nanque poteſtatibus mors ipſa ſuccedit, huiuſcemodi vero regnum immortalem ſeruat perpetuitatem, item aliæ hoc in ſeculo ſoluuntur, hæc autem à perpetuo ſupplicio liberantur.

Beneficentia.

19 Si honore, qui ab omnibus proficiſcitur, perfrui vis, præſta te communem omnium benefactorem: nihil enim adeò attrahit ad beneuolentiam, vt beneficij gratia quæ datur indigentibus: quod enim ob metum præſtatur obſequium, fucata figuratáque eſt adulatio ficti honoris titulo, fallens eos qui ipſi animum aduertunt.

Venerandum Imperium.

20. Venerandum iure eſt veſtrum imperium, quia hoſtibus quidem tuæ demonſtrat pietatis aculeos, ſubditis vero exhibet humanitatem: & quum illos vincat armorum vi, inermi charitate vincitur à ſuis, quantum enim feræ & ouis interſtitium eſt, tantum eſſe inter eos diſcrimen arbitratur.

Imperatoris decorum.

21. Eſſentia corporis æqualis es cuilibet homini Imperator, poteſtate autem dignitatis cunctorum præſidi Deo; non enim habet in terris ſe quenquam altiorem, oportet igitur ipſum vt Deum, non iraſci, vt mortalem non efferri, nam etſi effigie diuina honoratus eſt, at puluere tamen terreno connexus eſt, quo edocetur, vt erga omnes ſeruet æqualitatem.

Adulatores vmbris ſimiles.

22. Accepta eos qui bonorum te conſiliorum admonitum volunt, non eos qui adulari ſæpenumero ſtudent, illi enim quod reuera expedit, perſpiciunt: hi verò ad ea quæ placent potentibus, reſpiciunt: corporúmque vmbras imitantes, ſingulis eorum dictis applaudunt.

23. Talem te præſta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominũ eſſe: prout enim audimus, audiemus, & vt reſpicimus, reſpiciemur à diuino cunctáque obtuente aſpectu: priores igitur nos miſericordiæ miſericordiam conferamus, vt pari par recipiamus.

Dei iudicium ſimile ſpeculo.

24. Sicuti exquiſita ſpecula tales monſtrant vultuum apparentias, qualia ipſa ſunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, triſteis autem triſtantium, eodem pacto iuſtum Dei iudicium noſtris actionibus aſſimilatur: qualia enim ſint quæ à nobis præſtantur, talia ipſe nobis par pari referens exhibet.

Temeritas.

25. Conſulta quæ agenda ſunt cunctanter: exequere autem, quæ decreueris maturè, quoniam periculoſum eſt admodum inconſiderata in rebus temeritas, ſi quis enim quæ ex inconſulta mente proueniunt mala, conceperit animo, facilè comperiet boni conſilij commoda; vt qui ſanitatis dotem, poſt ægrotationis experimentum perſentiſcunt, debes igitur cordatiſſime rex tum conſilio prudentiore; tum precibus ad Deum impenſioribus, exquirere diligenter, quæ mundo ſunt expeditura.

Imperatoris magna ſunt omnia.

26. Optime reges egregium tuum imperium ſi omnia des operam perſpicere, nec negligere patiare quicquam, neque enim paruum eſt in te, quod paruum eſſe apparet comparatione tuorum, quoniam vel caſſe imperatoris verbum & minimum ingentem obtinet apud omneis, vim:

27 Tibi ipſi cuſtodiendi leges impone neceſſitatem, quum non habeas in terris qui te poſſit cogere: ſic enim tum legum præ te feres cultum ipſe, ante alios eas reuerendo, tum ſubditis conſtabit legum præuaricationem periculi non eſſe immunem.

28. Peccare, & non cohibere peccanteis, iuxta æſtima; ſi quis enim in ciuitate vitam quidẽ ipſe traducat æquè,

Peccantes arguendi.

A toleret autem viuenteis iniquè, ſocius malorum apud Deum iudicatur: quod ſi velis bifariam approbari, vt pulcherrima quæque gerens eis honora, ita teterrima patrantibus ſuccenſe.

Conuictus bonorum.

29. Expedire admodum arbitror effugere prauorum contubernia, qui enim cum hominibus improbis ſemper verſatur, eum vel pati vel diſcere malum aliquid neceſſe eſt: qui vero vna cum bonis degit, vel imitationem honeſtorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiſcit.

Magiſtratuũ promotiones.

30. Terrarum orbis à Deo cum concreditum tibi ſit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum adminiſtrationes: quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddet Deo, qui peccandi facultatem ipſis in-

B dulſerit, magna igitur & diligenti cum perſcrutatione magiſtratuum promotiones fiant, oportet.

31. Æquale reor eſſe malum, & inimicorum excandeſcere flagitiis, & amicum demulceri blanditiis: oportet enim vtriſque reſiſtere, nec vſquam à decoro diſcedere, neque irrationabilem eorum maleuolentiam vlciſcendo, neque fictitiam horum beneuolentiam remunerando.

Veræ amicitiæ ſigna.

32 Exiſtima veriſſimos amicos non qui laudent omnia quæ dicantur abs te, ſed qui nihil non integro iudicio facere contendunt, ſic vt gratulentur tibi, ſi bene: triſtentur, ſi contra, ſi perperam dixeris feceriſve: hi enim reuera ab omni fraude abhorrentis amicitiæ præ ſe ferunt inſignia.

Imperator ſit modeſtus.

33 Ne mutet tibi magnanimam mentem terrenæ hu-

C ius poteſtatis moles, ſed vt fragilem fatóque obnoxium regens principatum, immutabilem habeto intellectum in rebus mutabilibus: nimia neque lætitia ſublimem te extollens, neque mœſtitia vileſcens.

34 Sicuti aurum quamuis modò ſic, modò aliter ab arte transfiguretur, atque ad varias ornamentorũ ſpecies transformetur, permanet tamen id quod eſt, nec mutationem patitur, ſic ipſe quoque, incliſſime imperator, licet aliud ex alio per gradus obtinueris regimen, perueneriſque ad ipſum ſupremum honorem, idem tamen permanens, non in eiſdem rebus inalterabilem contineos in officio animum.

Tutum imperium.

35. Exiſtima tunc demum te tutò regnare, cum volentibus imperas hominibus: quòd enim inuito animo

D ſubiicitur, ſeditionibus fluctuat capta occaſione: quod vero vinculis beneuolentiæ regitur, ſtabilem ſeruat erga rectorem obedientiam.

Rex ſeipſum corrigat.

36. Vt dominium imperij tui facias decantabile, quantam habes aduerſus ſubditos peccantes iram, tantam habendam eſſe tibi aduerſus teipſum peccantem cenſeto, nemo enim valet tanta pollentem poteſtate corrigere, niſi ratio propria, quæ ex ipſo peccante moueatur.

Miſericordia.

37. Magnam qui poteſtatem adeptus eſt, largitorem poteſtatis imitetur pro viribus: ſi enim imaginem geſtat rerum præſidis Dei, atque per ipſum continet rerum principatum, in eo maxime imitabitur Deum, vt non exiſtimet quicquam miſericordia precioſius opta-

E biliuſve.

38. Super aurum & lapidem pretioſum beneficentiæ diuitias nobis veluti theſaurum recondamus: illæ namque tum in præſenti vita oblectant ſpe futuræ fruitionis, tum in futura dulcedinem afferunt, experimento guſtatúque ſperatæ beatitudinis, quæ vero nunc circa nos apparent, tanquam nihil ad nos pertinentia, ne nos nimium allectent.

39. Da operam, vt eos ſplendidioribus demerearis remunerationibus, qui cum beneuolentia capeſſunt quæ mandantur abs te, hoc enim pacto & bonorum augebis alacritatem, & malos docebis vt dediſcant malitiam: eiſdem enim cenſeri dignos, qui non eadem faciunt, nimis ocſarium eſt.

40. Precioſiſſimum omnium eſt imperium: tunc verò vel

rò vel maxime huiuſmodi eſt, quum hac qui circuodatus eſt poteſtate, non ad pertinacem & temerariam ſæuitiam propenſus ſit, ſed ad æquitatem reſpiciat, inclementiam vt ferinam auerſando: humanitatem vt Deo ſimilem præ ſe ferendo.

Imperatoria æquitas.

41. Æqua lance tam ad amicos, quàm ad inimicos vergens iudicandi munus obito: neque bene ſentientibus de te gratificans ob beneuolentiam, neque maleuolis reſiſtens propter inimicitias, quoniam eiuſdem eſt abſurditatis, & ſecundum iniqua petenteni dare litem, etſi ſit amicus: & iniuriam iuſto inferre, etſi ſit inimicus: malum enim vtrobique ſimile eſt, tametſi in contrariis inueniatur.

Iuſtè iudicandum.

42. Intenta mente auſcultare debent rerum iudices: difficilis namque captu eſt iuſti intentio, facilèque effugere ſolet non admodum attendentes, quod ſi prætermiſſa dicentium eloquentia, dictorúmque neglecta veriſimilitudine, ad penitiſſimam intentionum profunditatem penetrauerint, ſic demum haurient quod ab ipſis quæritur, geminique fontes erunt delicti, neque ipſi honeſtum præbendo, neque aliis id vt committant, concedendo.

Attentio in iudicijs.

43. Æqualia numero ſyderibus etſi ædideris bona opera, non tamen ob id ſuperabis Dei bonitatem, quæcunque enim quiſpiam obtulerit Deo, ſua ipſi offeret & ſicuti tranſilire vel anteire nulli datur ſuam in ſole vmbram, præuenientem ſemper, vel nimis properantem, ita inſuperabilem Dei bonitatem, nulli bonis operibus homines excedent.

Dei bonitas inſuperabilis.

44. Inexhauſtæ ſunt beneficentiæ opes, nam largiendo, acquiruntur, & diſſipando colliguntur, has tuo inſitas animo habens, munificentiſſime Imperator largire omnibus affatim petentibus abs te: infiniti cuplas enim pro his habebis remunerationes, quum tempus reddendi vicem venerit.

Beneficentia.

45. Nutu Dei regnum adeptus, imitare eum bonis operibus, quia inter eorum numerum natus es, beneficio qui afficere poſſunt, non qui affici poſtulant, paratæ enim rerum copiæ nullum impedimentum eſſe poteſt, quo minus conferantur in pauperes beneficia.

46. Sicut oculus innatus eſt corpori, ita Imperator mundo aptus eſt, à Deo datus pro adminiſtratione eorum quæ vſui ſunt: oportet igitur eum omnibus hominibus quaſi propriis membris proſpicere, vt proficiant in bonis, neu malorum offenſaculo illidantur.

47. Tutiſſimam arbitrare ſalutis tuæ cuſtodiam, nulla quenquam ex ſubditis afficere iniuria: qui enim offendit neminem, ſuſpicioni habet neminē, quod ſi nulla quenquam afficere iniuria tutelam conciliat, longe beneficiis collatis magis id non prodit.

48. Eſto ſubditis pientiſſime Imperator & formidabilis ob excellentiam poteſtatis, & amabilis ob largitionē beneficentiæ, neque formidinem contemnendo propter amorem, nec item amorem negligens ob formidinem, ſed tam manſuetudinem præ te ferens haud aſpernabilem, quàm nimiam & aſpernabilem familiaritatem immiti ſeueritate caſtigans.

49. Quæ ſubditis verbo quaſi lege præſcribis, hæc tu præueniens re ipſa præſtitiſti, vt verbis perſuades, integra quoque vita adſtipuletur: ſic enim commendabile tuum aſſeuerabis imperium, ſi & ratiocineris non ſine opere, & opereris non ſine ratione.

50. Eos plus ama ſereniſſime imperator, accipere abs te beneficia qui ſupplicant, quàm tibi qui contendunt offerre munera: his enim debitor referendi gratiam efficeris, illi verò Deum dant tibi vadem, vendicantem ſibi, pertineréque ad ſe putantem quæcunque erga ſupplices contuleris, & remunerantem bonis retributionibus tuam tam piam, quam per humanam intentionem.

Plus amandi à regibus, qui petunt, quam qui dant.

51. Solis profectò partes ſunt illuſtrare radiis orbem: principis vero virtus eſt egenorum miſereri, porro iis clarior eſt Imperator, qui pius eſt, ille nanque cedit ſuccedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non concedit indulgétue quicquam, ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.

Virtus principis, beneficentia.

52. Priores quidem te Imperatores principatus adornauit, tu vero eum præſtantiſſime illuſtriorem reddidiſti, manſuetudine temperans diluenſque auſteram poteſtatis molem, bonitatéque vincens adeuntium te formidinem, quapropter tuæ ſerenitatis portum ſubeunt omnes, qui miſericordia indigent, fluctibúſque paupertatis liberati, gratiarum actores hymnos ad te miſſitant.

53. Quantum poteſtate cæteris antecellis, tantum factis etiam emicare ante alios enitere, perſuaſiſſimum enim habe eam abs te poſtulari honeſtorum operationē, quæ magnitudine virium proportioni reſpondeat: vt igitur à Deo quaſi per præconem victor declareris, corona inuicti imperij tuo capiti impoſita, coronam etiā ex promerendis acquirito.

54. Contemplator bene prius quàm mandes quæ fieri velis, ſic fiet vt ſemper prudenter iubeas quæ fas eſt: lubricum enim eſt inſtrumentum linguæ, maximúmque affert negligentibus periculum: quod ſi pium intellectū veluti muſicum illi præfeceris, omnibus harmoniæ numeris concinnatum modulabitur melos.

Linguæ lubricitas.

55. Acutum quidem eſſe oportet principem cum in aliis, tum vel maxime in afferendo de rebus difficillimis iudicio. Lentum autem ad iraſcendum, & quoniam omnimoda iræ abſentia aſpernabilis eſt, & iraſcatur mediocriter, & non iraſcatur oportet: illud, vt prauorum impetum comprimat, hoc vt propenſiones bonorum perueſtiget.

Iracundiæ modus.

56. In exquiſita tui cordis curia diligenter perſpicito: conuerſantium tecum mores vt pernoſcas examuſſim, & quos charitas tollere compellit, & qui tibi per fraudem adulantur, plerique enim beneuolentiam ſimulantes, magno credentibus detrimento ſunt.

Beneuolentia ſimulata.

57. Sermonem cum audis iuuare valentem, ne auribus modo, verum opere etiam etiam excipito, ſic enim imperatoris exornatur decoratúrque dominium, quem vel ex ſe conſiderat quorum indiget vſus, vel ab alio reperta non deſpicit, ſed tum diſcit ſine verecundia, tum exequitur ſine cunctatione.

58. Arx quidem indepopulabilibus muris munita cōtemnit obſidenteis ſe hoſtes, pium autem veſtrum imperium, quum & liberalitate erga miſeros veluti muro cinctum, & precum turribus corroboratum, ſit inuictum, nullis hoſtium telis peruium ſit: præclara & celebria contra eos erigens trophæa.

59. Vtere vt oportet regno hoc inferiore, vt ſcala tibi fiat ſuperioris claritatis: qui enim hanc recte gubernāt, illa quoque poſtmodum digni cenſentur: hanc autem recte gubernant, qui paternam ſubditis oſtendunt charitatem, & principi debitum ab ipſis recipiunt timorē, itaque minis quidem vitia compeſcent: ſupplicij autem ſenſum ipſis neutiquam infligent.

Regni recta adminiſtratio.

60. Veſtimentum inuetuſtabile eſt beneficentiæ amictus: & incorrupta ſtola eſt charitas erga pauperes: quam igitur oportet qui pie regnare vult, aliuni indumentorum pulchritudine animam exornare: amoris enim in egenos, qui indutus eſt purpuram, cœleſtis quoque regni compos efficitur.

Beneficentia in pauperes.

61. Sceptrum imperij quum à Deo ſuſceperis, cogitato quibuſnam modis placebis ei qui id tibi dedit, quūque omnibus hominibus ab eo ſis prælatus, magis omnibus eum honeſtare feſtina, porro id ipſe honeſtamentum arbitratur maximum, ſi quaſi te factos à ſe tuearis, atque vt debiti exolutionem benefaciendi munus adimpleas.

62. Recurrere ad ſupernum auxilium cum homo quiuis debet ſalutem qui expetat, tum ante omneis Imperator, vtpote qui pro omnibus ſolicitus eſt: quum e-

Imperatori neceſſaria oratio.

ſiam hic labor eſt: ac nequaquam alterius illius noua atque aliena opinantis ac malè conciliati hominis. Cuius rei Theodorus, pater noſter, Chriſtique confeſſor, qui ſtudiorum omnium eruditione & ſapientia præcellere putatur, teſtis eſt locupletiſſimus, Qui cùm in ſupremo ſuo elogio quod inter diſcipulos condiderat, ſuæ fidei confeſſionem edidiſſet: & impiarum de Deo & vera religione opinionum autores ad vnum omnes ſua hæreditate indignos iudicaſſet; inter cætera inquit: Omnia quidem à Deo tradita noui ac veteris teſtamenti volumina agnoſco; ac præterea ſanctorum diuinorúmque patrum & doctorum vitam ac ſcripta approbo: Quæ quidem propter apertè pernicioſam Pamphili doctrinam dico; qui ex Oriente aduentitans, ſanctos illos viros, Marcum, Eſaiam, Barſanuphium, Dorotheum & Heſychium calumniari veritus non eſt. Nec verò ego, cùm Barſanuphium, Eſaiam, Dorotheum nomino; illos Acephalorum propugnatores, qui & ipſi ſine capite ſunt; aut eorum qui διακρινόμενοι dicuntur, coniuratos, à ſancto Sophronio tabella anathematis confixos intelligo. Ab his enim longè diuerſiſſimi ſunt ſuperiores illi, quos non ſolùm ex ſanctiſſimo Patriarcha Taraſio qui hoc tempore.† ſummo ſacerdotio præeſt, ſed ex aliis quoque fide dignis hominibus tam indigenis, quàm in Oriente natis, per manus parentum nobis quaſi traditos audiens, amplector, veneror que. Accedit his quòd Barſanuphij imago, in maximo templo iuxta ſanctos patres Antonium, Ephraim, alióſque ritè dicata & collocata viſitur. Quamobrem cùm in horum doctrina nullam impietatem, ſed contra potiùs, adiumenti ad animi perfectionem plurimùm magnus parens noſter Theodorus deprehenderet, certis limitibus vtriuſque Dorothei doctrinam diſtinxit: ac eius qui in hoc libro celebratur, dogmata, vt reuera ad animi ſalutem commodiſſima, ita vtiliſſima eſſe demoſtrauit. Ad quorum normam, qui ſuam ipſius vitam diligenter inſtruxerit & examinarit, ad virtutis Chriſtianæ perfectam menſuram facilè perueniet: & tranquilitate, omnique perturbationum vacuitate ornabitur, vnáque cum Sanctis vitam æternam conſequetur.

P. Theodorus.

Summum ſacerdotium vocat epiſcopatum quemadmodum veteribus vſitato more loquendi de quo vide plura in notis ad Roman. martyr. 9 Aprilis, & tom 5. annal. eccleſ. anno 197. cap 61.

† ſcilicet ad annum dom. 800

Imagines Patrum in templo.

EPISTOLA INVENTORIS EDITIONVM DOROTHEI, AD FRATREM QVI PETEBAT SIBI MITTI DOCTRINAS SANCTI PATRIS DOROTHEI, IN qua epiſtola continetur laus Dorothei, & narratio vitæ Doſithei diſcipuli ipſius Dorothei.

LAVDARE cogor propoſitum tuum, beate, ſtudium & diligentiam, benedicere decorem (inquam) & pulchram animam tuam; frater optatiſſime. Tam ſtudioſè enim ſcrutari, tam ſyncerè laudare beatiſſimum ac Deo digniſſimum patrem noſtrum, Dei donum nomine referentem, hoc vtique virtutem laudare eſt, hoc: Deum amare, & rationem alterius ac veræ vitæ habere. Æmulationis enim cauſa laus eſt (vt ait Diuus Gregorius) æmulatio autem virtutis; virtus verò, beatitudinis. Congaudendum igitur & congratulandum eſt huic tanto profectui tuo. Illum enim viſus es imitari qui æmulator eſſet veri, manſueti, atque humilis corde: qui & Petri mentem & eiuſdem abdicationem ſecutus, ita harum quæ videntur rerum affectu & amore omni ſe exuit, vt pari fiducia, quod ipſe noui, poſſet cum Petro ad Dominum dicere: *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te*, Quare diuina ope ad ſummam perfectionem breui perueniens, longos annos expleuit. Non deſerta loca peragrans non in montibus victitans, non feris crudelibus imperans, non in vaſta ſolitudine degens: ſed animæ quietem ſuſpirans ardere; propius accedere ad montes illos æternos, conſuetos mirabilem in nos lucem fundere, & ſerpentum ſcorpionúmque capita, qui animas perimunt, conterere. Ad quos tandem Dei auxilio promeruit feliciter peruenire, perſuadata priùs tamen & humiliata agonico certamine propria voluntate; quæ rectum ſibi patrum & maiorum noſtrorum callem præmonſtraret; quæ leue beatitudinis onus, & ſalutiferum ac ſuaue iugum oſtenderet. Et verum (inquam) bonum quærenti præmonſtratum humilitas, ſcilicet ex qua directam & optimam cœli ſemitam potuit prænoſcere iuxta illud; *Miſericors eſto & manſuetus, opere ſermonem ſanctorum ſeniorum excipiens.* His itaque tantis ornatus virtutibus; ſemper illud in ore gerebat beatus ille vir (quod à ſenioribus ſanctis acceperat) quicunque ſcilicet ad præcidendam propriam voluntatem ſtudioſe intendiſſet, in locum quietis peruenturum. Vt enim inuenit quod diligenter quæſiuit; omnium quidem malorum radicem amorem proprium & affectum voluntati noſtræ complicatum, efficaci hac medicina vſus, emacerauit radicem & mala germina. Factúſque incorruptibilium frugum cultor immortalis vitæ fructus produxit. Cúmque deliteſcentem in agro theſaurum, & ſtudioſiſſimè quæſitum, tandem inueniſſet; poſſedit, & prædiues factus eſt non inaniter. Vellem equidem & idoneus & ſatis eſſe, qui mente & lingua poſſem ſancti viri vitam, ita vt meretur, exponere in commune omnium commodum & virtutis typum excellentiſſimum. Quo pacto vir ille ſanctiſſimus anguſtam & latam viam, præter omnium commodum & virtutis typum excellentiſſimum. Quo pacto vir ille ſanctiſſimus anguſtam & latam viam, præter omnium opinionem inceſſerit. Et hoc quidem ob integritatem, ſynceritatem & cuſtodiam, nec in alterum præcipitoſi exceſſus & anfractus rueret. Sic enim & magnus Baſilius, Dei ſummi amicus anguſtiam ſalutaris & afflictæ vitæ definit. Illud autem ob affectus proprij mortificationem, & fidem quam habuit erga eos qui ſe ad Deum ducerent, ob profundum quoque humilitatis eius, quæ ſola (vt aiebat diuus Antonius) diaboli laqueos ſuperat & abrumpit. Quare in ipſo quam veriſſimè illud completum eſt: *latum mandatum tuum nimis.* Sed hæc tanquam minus potens, miſſa faciam. Noui autem ex reliquis viri ſancti virtutibus illam ineſſe quæ foris à Philoſophis collegerat. Qui quidem, vt apis prudentiſſima, flores legens; quicquid vtilitatis inueniſſet

Matth. 19.

Voluntas vera tamen humiliata.

Philautia omnium malorum radix.

Pſal. 118.

in eis eligebat; & opportuno tempore non inaniter in doctrinam diſcipulorum fundebat. Quale illud? *Ne quid nimis. Cognoſce teipſum*: & alia plurima huiuſmodi, quæ in vtilitatem animarum eſſent. Quare & ſi propoſitum meum & inſtitutum fidele debilitas ac tenuitas ingenij repellat; tamen, quia id mihi oneris impoſuit anima tua ornatiſſima, & aggreſſus ſum quod iuſſiſti, fretus id oneris obedientiæ virtuti nunquam graue futurum; & veritus ne mihi inſcitiam & negligentiam vitio verteres. Iamque vnà cum literis meis ad vos trapezitas Dei optimos: talentum quod apud me otioſum erat, miſi, Viri ſancti, ſanctas diſciplinas, quas & ipſe à maioribus ſuis acceperat, & diſcipulis poſteris impertierat, docens faciénſque, vt primus & verus præceptor noſter atque ſaluator. Omnes autem doctrinas eius inuenire non potui, at perpaucas admodùm & has etiam ſparſim, per ſtudioſos quoſdam diuina prouidentia collectas. At tibi par erit, pro tua dexteritate & hanc breuiter approbare iuxta id: *Da ſapientiæ occaſionem, & ſapientior erit. Quæ ſequuntur, non ſunt in Græco*, quale enim fuerit ſancti viri propoſitum ad monaſticam conuerſionem adeò addicti, quàm idoneam & accommodatam vitam elegerit; animo mecum repeto. Et hinc quidem ſummam ipſius animæ obedientiam erga patres ſuos, puram abdicationem, ſimplicitatem conſcientiæ, ſtudium & diligentiam, atque omnia in cognitione fundata. Hinc fidei conſtantiam, charitatem & perfectionem. Ad confratres, conſocios affabilis erat & verecundus, alacer, benignus, clemens etiam cum præeſſet, non ſuſpicioſus, non deſes, non otioſus, non contumax, non contentioſus, quæ robora ſunt nullum iudicandi & nil ſumendi. Concordiam quoque vnanimitatémque ſuper mel dulcia ſemper fouebat. At verò ad opera ſtudioſus, diligens, prudens, attentus, mitis cum omni probitate, exemplum bonorum morum. Ad res autem gerendas accuratus & venerabilis amator pulchritudinis, nil perperam agens, diuino quodam ingenio & diſcretione quoſuis ſuperans. In cunctis humilis, gratus, fortis, & conſtans, ſobrius & ſolicitus atque cogitabundus. Sed quid opus eſt per ſingula diſcurrere? Simile quid facturus videor cum eo qui voluerit vel ſtillicidij guttas, vel vndas maris dinumerare. Æquum eſt autem, quam propoſueram metam non excedere, & vobis quoque partem vllam dulcis huius inquiſitionis relinquere, vt pariter his delicijs fruamini mecum, diſcatíſque qua hic via, ſanctitate, vrbanitate, in diuinam doctrinam & animarum ſalutem ita deductus ſit ab eo qui omnia gubernat & prouidentia diſponit. Compatiens (inquam) & beneuolens, pater prodigus qui animas inſtrueret & illuminaret. Magnus in intellectu, maior in obſequio; ſublimis in contemplatione, ſublimior in humilitate, diues in Deo, pauper in ſpiritu; dulcis eloquio, dulcior occurſu, doctus medicus in quemcunque volueris morbum. Qui ægritudinem diuitibus, mendicis, ſapientibus, & inſipientibus, fœminis, viris, ſenibus, iunioribus, afflictis, lætis, aduenis, ſuis coniunctis, ſolis imperantibus Dominis, ſeruis, ſubditis, liberis; Sanctam illam & variam innumerámque œconomiam cunctis hominibus vt talentum impertiens, & omnibus omnia factus, ſicque plurimos perlucratus. Sed iam hora eſt amantiſſime, vt menſam ſermonis ſuauiſſimi apponam. Cuius vnaquæque pars & dictio etiam minima non minimum affert commodum & vtilitatem. Nam diuino verè & admirabili eloquio fuit vir ille, ſed humili & pedeſtri oratione repere voluit ob humilitatis exemplum; & inornatum ſermonem exculto vbique prætulit. Tu igitur ſyncero hoc ſtudio & beatitudinis fructu enutrire, alere huiuſmodi viatico & cibo. Accede ad ſanctam vrbanitatem quam diù optaſti; & pro languore meo ſedulò ſupplicato.

Prouer. 9.

Dorothei virtutes habentur.

DIVI DOROTHEI ABBATIS DE RENVNCIATIONE; DOCTRINA, I.

Geneſ. 2.

PRINCIPIO factus homo à Deo in paradiſo voluptatis eſt poſitus, vt ſacræ literæ fatẽtur. Ornatus (inquam) omni virtute; præcepto tamen aſtrictus, ne de ligno eſſet quod in medio paradiſi poſitum erat. Sicque inter paradiſi delicias orabat, contemplabatur; in omni gloria & honore erat, ſenſibus integris & validis ſecundùm naturæ ſuæ ad quam cõditus erat, habitum. *Ad imaginem* quippe *ſuam fecit* Deus hominem; immortalem ſcilicet, liberum, ornatum omni virtute. Vbi autem tranſgreſſus eſt præceptum, & de ligno edit quod ne ederet præceperat ei Deus, deiectus illico eſt ab ipſo paradiſo, decidit à naturali ſtatu in eum qui ſuæ naturæ aduerſus erat: hoc eſt, in peccatum, in ambitionem, in amorem præſentis vitæ, & cæteras paſſiones innumeras; ſuccumbens illis & patens in omnibus, ſeruum enim ſeipſum fecerat ob tranſgreſſionem. Tunc igitur augeri paulatim malitia, & dominari mors cœpit, nuſquã religio, nuſquã pietas erat. Vbique ignorantia Dei; paucíque admodum patres ex naturæ lege edocti, Deum agnoſcebant: quales Abraham cæterique Patriarchæ, & Noë, & Iacob; & vt breuiter dicam, perpauci & rari. Tunc prodidit hoſtis omnem verſutiam ſuam; tunc dominari iniquitas & iniuſtitia, tunc cœpta eſt idololatria, tum varius deorum cultus, tum præſtigiæ, tum cædes innumeráque Diaboli machinamenta. Miſertus ergo Deus optimus creaturæ ſuæ, dedit ſcriptam legem per Moyſen. In qua aliqua prohibuit, aliqua permiſit, dicens; hoc facite; hoc ne facite. Dedit præcepta quale illud; *Dominus tuus vnus eſt*: vt ſtatim animam à cultura Deorum reuocaret. Item; *diliges Dominum Deum tuum in tota anima tua, in tota mente tua*; Vbique prædicabis quòd Deus vnus eſt, & non alius. Nam in quo ait; *diliges Dominum Deum tuum*: oſtendit vnum eſſe Deum, vnum eſſe Dominum; & non alium. Item in decalogo, *Dominum Deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, illi adhærebis*. Deinde ſubiungit; *non erunt tibi dij alieni, neque omnis ſimilitudo quæcunque eſt ſurſum in cælo & in terra deorſum*; venerabantur enim creaturas quaſcunque. Quare data a miſericorde Deo lex ad auxilium, ad conuerſionem, ad correctionem prauitatis; nec tamen correctus eſt. Miſit Prophetas; ſed nec ipſi quicquam effecerunt. *Præualuit* enim *iniquitas* (vt ait Eſaias) *neque vulnus, neque cicatrix, neque tumoroſa plaga malagma aut oleum aut alligationes admiſit*. Neque priuatam dixerim, aut vnius loci tantum prauitatẽ hanc, ſcilicet quæ in toto corpore totam circundat animam & omnes illius potentias occupata nimirum omnia, peccato ſeruiunt; omnia ab eo captiua ducuntur. Ait autẽ & Hieremias: Babyloni mederi voluimus, nec tamen curata eſt, hoc eſt nomen tuum manifeſtauimus, præcepta tua annunciauimus, beneficia, monita, hoſtiũ, incurſiones Babyloni prædiximus; nec tamen ſanata eſt: id eſt nequicquam eam pœnituit, non timuit, non eſt ab iniquitate ſua auerſa; quemadmodum & alibi ait: quòd diſciplinam non recepere, non correctionem, nõ doctrinam. Et vt in pſalmo dicit; *omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquarunt ad portas mortis*. Poſt hæc igitur tandem optimus Deus noſter & clementiſſimus mittit Filium ſuum vnigenitum: Dei enim ſolius erat mederi, & huiuſcemodi a miſeriis opitulari. Quod ſanè à Prophetis nequaquam eſt ignoratum; nam dicit id Dauid apertiſſimè: *qui ſedes ſuper Cherubim, iam nobis appare, excita potentiam tuam & veni vt ſaluos facias nos*. Item, *Domine inclina cælos tuos & deſcende*: Atque alia pleráq; in hunc modũ. Prophetæ etenim omnes diuerſis inter ſe modis multa clamarunt; partim rogando vt deſcenderet

Adami vita in paradiſo.

Adami lapſus.

Initium peccati.

Lex cur data à Deo.

Hier. 51.

Pſalm. 106.

Filius cur miſſus.

Chriſtus cur factus homo.

ret partim certò perſuaſi eum animo deſcenſurum. Venit igitur tandẽ Dominus noſter factus propter nos homo: quò (vt ſeribit diuus Gregorius) ſimile ſimili curaret; anima animam, carne carnẽ. Omnia enim quæ hominis erant (præter peccatum) aſſumpſit; ipſamque humanam ſubſtantiam & maſſæ noſtræ primitias: nouuſq; factus eſt Adam, illi ſimilis quem ipſe formauerat. Renouauitque denuò ipſius naturam, & corruptos ſenſus ad integritatẽ reduxit; vt eſſent quales à principio fuerant. Reuelauit quoq; lapſum hominem, homo factus: & peccato ſeruientem manumiſit. Violentia enim & tyrannide peccati ſub iugo trahebatur ab hoſte, infelix homo, inuitúſque & nolens peccare cogebatur, vt ait de ſeipſo Apoſtolus ſub noſtra perſona: *Non enim quod bonum volo, hoc facio, ſed quod nolo malum id operor.* Factus igitur homo Deus propter nos: hominem à tyrannica captiuitate eripuit. Omnem enim hoſtilem potentiam contriuit, virtutem confregit, & ab ea nos omnino liberauit, ne mancipia, ne ſerui illius eſſemus, niſi ſponte noſtra peccare nos ipſi eligamus. Dedit enim poteſtatẽ qua ſerpentes & ſcorpionem, omnemque tyrannicã potentiam poſſemus perſundare: purgatos nos reddẽs per baptiſma à quáuis labe. Omnem enim maculam iniquitatis purgat & abluit baptiſma. Rurſum igitur Deus infirmitatem noſtram recognuſcens, & id certo ſciẽs; nos ſcilicet etiam poſt ſacrum baptiſma collapſuros, vt ſcriptum eſt: *quoniam pronum eſt cor hominis in malum ab adoleſcentia ſua:* dedit nobis ex ſua bonitate, ſacroſancta pręcepta, quæ purgatos redderent. Vt denuò, ſi vellemus, per obſeruantiam mandatorum purgari poſſemus: nec ſolùm à peccatis, ſed etiam ab innatis affectibus. Aliud enim peccatum, aliud affectus. Hi autẽ ſunt affectus, ita, ſuperbia, luxuria, odium, cupiditas praua: & quæcũque iſtiuſmodi. Peccata verò, ſunt opera ipſa affectionum: quando quis agit & ad actũ corporis trahit ea opera quę ſibi fuerint à paſſionibus ipſis ſuggeſta. Haud profectò poſſibile eſt omni carere paſſione, non operari autẽ illas hoc vtique nõ impoſſibile eſt. Dedit igitur nobis Deus præcepta (vt prædictum eſt) quæ nos à paſſionibus ipſis expurgarent, & à prauis affectionibus quæ homini inſunt. Ingenerauit enim illi diſcretionem boni & mali; excitauit eum, oſtendit illi cauſas vnde in peccatum laberetur, & ait: Prohibuit lex ne adulter eſſes, ego autem dico, neque concupiſcas: docuit lex ne occideres: ego ego dico, neque iraſcaris. Si enim concupiſcas hodiè: & ſi adulterium non perpetres, nõ tamen interius te deſiſtit exagitare concupiſcentia, donec ad actum pertraxerit. Si autem iraſcaris, téque ipſum moueas aduerſus fratrem tuum; cũ iam eò vſque perueneris vt ipſi detrahas, deinde vt pares inſidias, ſenſim tandem procedes vſque ad cædem. Rurſum lex ait: *oculum pro oculo, dentem pro dente:* & quæ ſequuntur: ipſe autem nos admonet, nõ ſolum ſuſcipere patienter plagam cædentis nos, ſed etiã alteram cum humilitate maxillam porrigere. Is enim legis finis tunc erat, erudire nos alteri nõ facere quod pati ipſi ab altero nollemus. Sicque à nobis malefacta abſcidit, metu talionis. Hæc noua quæſtio eſt; abſcindere ipſum odium ipſam voluntatem, ipſam ambitionem & inanem gloriam, cæteráſque omnes paſſiones. Fuit hic Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcopus; vt nos edoceret cur in huiuſmodi peccata lapſi eſſemus, cur in tam mala & iniqua tempora incidiſſemus. Primùm igitur (vt ſæpiùs repetitum eſt, per ſacrum baptiſma nos liberauit, dans nobis remiſſionẽ peccatorum omnium; dans poteſtatẽ qua operari bonum poſſemus ſi vellemus, ne pertrahi ad peccatum, nolentes (vt ita dicam) poſſemus vlla vi. Aggrauatur enim & trahitur qui peccato ſeruient (vt dicitur) & *funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Docet nos exinde per ſacra præcepta, quemadmodum expurgemur omnino à paſſionibus, ne peccatis rurſum illabamur. Vltimò & cauſam aperit, cur quis in contẽptum & inobedientiam mandatorum Diuinorum incidat: & hac in re quoque nobis præſtat medicinam, vt parere poſſimus, & ſalui eſſe. Quæ igitur eſt hæc medicina; quæ cauſa contemptus? Audite ipſum Dominum eloquentem: *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris.* Et quomodò vnico verbo oſtendit nobis radicem & cauſam malorum omniũ: medicinam itẽ bonorum omnium? Aperuit quòd nos deiecit elatio: quódque ſaluari aliter non poſſumus quã per oppoſitum quod eſt humilitas: elatio enim contemptum parit; & perditricem omnium noſtrum inobẽdiẽtiam: quemadmodum & humilitas parit obedientiam & ſalutẽ animarum. Hanc autem dico humilitatem; nõ quæ in ſermone atque habitu eſt, ſed propoſitũ omnino humile in ipſo corde, in ipſa mẽte. Sic enim ait: *quia mitis ſum & humilis corde.* Qui optat igitur veram requiem animæ parare: diſcat humilitatem, & aduertat in ea poſitam eſſe omnem lætitiam & omnem gratiam, omnẽ requiem, vt omnia contraria in ipſa ſuperbia. Vnde enim peruenimus in huiuſcemodi afflictionem, vnde incidimus in miſeriam tantam? Nunquid nõ per ſuperbiã noſtram? nunquid non per vecordiã noſtram? nunquid nõ per appetitum noſtrum, quẽ iniquè in nobis dominari pertulimus? nunquid nõ quia voluntatis noſtræ amaritudo in nobis regnauit? Nõ hinc tantũ quàm & aliunde. An non conditus eſt homo in omni voluptate, in omni gaudio, in omni tranquillitate, & in omni gloria? Nunquid nõ in paradiſo erat? Iuſſit illi Deus, hoc ne facias, & fecit? Vides ſuperbiã, vides ceruicẽ, vides contumaciã? Deus igitur impudentiã tantã vidẽs, ait: hic amens factus eſt, neque gaudiũ quid ſit, nouit: experiatur dies malos, abeat, pereat; niſi enim didicerit quid ſit anguſtia, nõ cognoſcet quid ſi quies: Tunc digna meritis illi contribuit, eiecítque infelicem è paradiſo. Traditus eſt ergo proprio ſuo amori, traditus propriæ voluntati: vt laboribus corpus ſuũ attereretur, diſcerétque nõ confidere ſibi ipſi, ſed mãdatis Dei; vt miſeria ipſa inobediẽtiæ doceret eum quietẽ obediẽtiæ: vt ait apud Prophetã: *docebit te rebellio tua.* Non tamẽ potuit diuina clemẽtia plaſma ſuũ ſpernere; ſed rurſum cõuertitur, rurſum hortatur, rurſum reuocat. *Venite ad me* (ait) *omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos.* Quaſi diceret: Ecce elaboraſtis, Ecce miſeri facti eſtis, iã experti eſtis malũ contumaciæ veſtræ! Venite igitur, conuertimini; venite, cognoſcite imbecillitatem & ignominiã veſtrã vt redeatis in requiẽ, in gloriã veſtram priſtinam? Venite, reuiuiſcite per humilitatẽ, qui per ſuperbiam morti addicti eſtis: *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris.* Hem (fratres mei) quid facit ſuperbia? hem, quid poteſt humilitas! Quid opus erat tot ambagibus? Si enim principio humiliatus quamprimùm fuiſſet homo, paruiſſet Deo, & audiens fuiſſet dictis diuinis: nequaquam excidiſſet. Denuò tamen & poſt ignominioſum lapſum, occaſio illi data eſt a Deo: qua pœnitentia ductus, miſericordiam cõſequi poſſet: nec humiliari, nec ceruicẽ flectere voluit. Venit enim ad eũ dicẽs: *Adam vbi es?* Ac ſi diceret: à quanta gloria in quantam ignominiam lapſus es? Interrogat ergo eum: vt quid peccaſti? vt quid tranſgreſſus es? Speciatim ad eum reuerſus, ac ſi ipſi innueret vt reſponderet, dimitte Domine. Et nuſquam, nuſquam, *parce* auditur, nuſquam humilitas, nuſquam pœnitentia conſpicitur, ſed oppoſitum magis. *Reſpondet enim, mulier quam dediſti mihi* cauſa fuit: neque ait, mulier mea mihi illuſit: ſed, *quam dediſti mihi:* ac ſi dicat, calamitas iſta quam tu in caput meum induxiſti. Neque illi ſat eſt (fratres mei) quod ſeſe accuſare non vult, Deũ quoque ipſum incuſat. Inde ad mulierem pergit, atque item illi ait: vt quid & tu dictis meis nõ obediens fuiſti? Innuens quoque ei quodam modo, vt reſponderet, dimitte mihi obſecro Domine: ac ſtatim ſanaretur humilitate. At nequicquã ita reſpondit: Sed, & ipſa: *ſerpens* (inquit) *decepit me:* hic ſi peccauit, quid noxæ in me eſt? Quid facitis miſeri? præferte vnicam pœnitentiã, agnoſcite lapſum veſtrũ, miſe-

Chriſtus aduentu ſuo quid præſtiterit. — *Rom. 7.* — *Luc. 10.* — *Gen. 8.* — *Non tollendo penitus fomitẽ peccati, ſed reprimendo & obſiſtẽdo. Nam ſtatum ſe recte Dorotheus exponit.* — *Purgatio ab innatis affectibus.* — *Peccata ſunt opera ipſa affectionum.* — *Matth. 5.* — *Concupiſcentia bellum.* — *Matth. 5. Exod. 21. Leuit. 24. Deut. 19.* — *Peccati ſeruitium.* — *Matth. 11.* — *Ex elatione, inobedientia.* — *Vera humilitas quæ ſit.* — *Adami ſuperbia.* — *Matth. 11.* — *Gen. 3.* — *Adami proteruia.*

ramini nuditatem veſtrã. Neuter ſeſe dignatus eſt accuſare, neuter inuentus eſt qui modicam humilitatẽ præ ſe ferret. En in cõſpectu iã noſtro eſt (fratres) quò nos pertinacia noſtra perduxerit, quo ſtatus noſter peruenerit! En in quot mala collapſi ſumus, dũ iuſtos nos facimus, dum nobis obſequimur, dum propriam voluntatem ſuperbiæ filiam ac Deo nobis infenſam defendimus! Humilitatis enim filiæ ſunt ſui ipſius perpetua accuſatio, propriæ voluntatis odium, conſilij ſui ac ſenſus abominatio. Ex his enim quiſque ſe redemit dignus quod eſt qui ad naturã ſuam propriã reuertatur, initiatus ſanctiſſimis Dei præceptis. Neque enim patere quiſquã diuinæ iuſtitiæ, ac bonũ vllum attingere ſine humilitate poteſt; vt aiebat diuus Marcus abbas: nec abſq; cordis cõpunctione poſſibile eſt maliciam deſerere, aut virtutis quippiam omnino poſſidere. Igitur ſi per dolorẽ cordis intelligit quis mandata Dei, recedit ab iniquitate, poſſidet virtutes; hic vtique in priſtinam quietem reuertitur. Hoc (inquã) cùm cognouiſſent ſancti viri, omni ſtudio & diligentia, in operationes humiles quibus ſeſe Deo coniungerent, intenderunt: factiq; ex his plurimi amici Deo, quòd poſt ſanctũ baptiſma nõ ſolùm à paſſionũ operationibus & actibus abſtinuere, ſed paſſiones quoq; ipſas radicitus auellere & impaſſibiles omnino fieri ſtuduere. Quales fuiſſe accepimus Antoniũ, Pachomium, Macariũ, cæteróſq; deiferos patres. Ex quo igitur decreuere ſeipſos purgatos reddere ab omni (vt ait Apoſtolus) tã carnis quàm ſpiritus turpitudine; cognouerúntque animã non niſi per obſeruantiam diuinorum præceptorum purgari poſſe: mentem item ita expurgatam, in propriam naturã redire & intueri Deũ cordis noſtri oculos illuſtrantem; intellexere proculdubiò ſeſe quòd mundani eſſent & ſeculares, nequicquã poſſe ad virtutẽ conſcendere. Quare ſibiipſis duriorem vitam peregrinamque ſtationem, quam nos ſolitariam & eremiticam appellamus, excogitarunt; cœperúntque illico mundum deſerere & vaſtas eremus incolere, ieiunijs, vigilijs, ac nudæ terræ indormitionibus, alijſque afflictionibus ſeipſos macerantes: Renunciarúntque omnino patriæ, affinibus, pecunijs, agris & poſſeſſionibus, atque (vt breuiter dicam) in cunctis mundum ſibi ipſis crucifixere. Nec diuina ſolùm præcepta obſeruauerunt: ſed & dona Deo huiuſcemodi obtulerunt. Data ſunt decẽ præcepta mortalibus omnibus, & ad ea obſeruanda quiſque compellitur. Sunt hæc vectigalia annua regi debita, quis igitur non perſoluens debita hæc vectigalia regi, mulctam effugiet? Sunt autem & in ſeculo clari & illuſtres viri qui non ſolùm regi vectigalia annua perſoluunt, ſed & munera offerunt: Atque hi digni habentur honore, munificentia, & liberalitate regia. Sic igitur & patres noſtri: nõ ſolùm præcepta Dei obſeruauere debita: ſed & gratuita munera pariter obtulere: qualia ſunt, virginitas, caſtitas, inopia omnium: hæc enim quæ non præcipiuntur, ſi offerantur, dona ſunt. Neque enim cuiquam omnium aliquando præceptum eſt, ne vxorem ducat, ne filios generet, non item cogitur quiſquã ſua venundare, & dare pauperibus. Nam cum legiſperitus ille ad Dominum veniſſet dicens: *Domine, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* reſpondit de præceptis: *non homicida, non fur, non adulter eſto, non vnquam feres teſtimonium aduerſus proximum tuum*: & quæ ſequuntur. Reſpondente exinde illo quòd hæc omnia à iuuentute ſua obſeruaſſet, intulit: *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni, ſequere me.* Non dixit: *vende omnia quæ habes: tanquam imperans, ſed tanquam conſulens.* Illud enim ſi vis, *conſulentis eſt, non imperantis.* Obtulerũt igitur patres noſtri Deo cum cæteris virtutibus, & dona qualia prædiximus, virginitatem, inopiã; & mundum ſibi ipſi omnẽ crucifixere, ac deinceps ſtuduerunt vt ſeipſos quoq; mundo crucifigerẽt: quemadmodum dicit Apoſtolus: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Quid igitur differt crucifigere ſibi ipſi mundũ & mundo crucifigi; mundus homini crucifigitur: cùm mundo abrenunciat homo, &

Humilitatis filiæ.

Nihil boni fieri poteſt ſine humilitate.

Marcus Abbat.

Compunctio.

S. Anachoretæ cur in ſolitudinem migrauerint.

Eremitæ mundum ſibi cunctis crucifixerunt.

Deo munera offerre, quid ſit.

Gratuita munera oblata Deo, ſiue conſilia.

Matth. 19.

Conſilia.

Gal. 9.

Mundum homini crucifigi, quid ſit.

Hominem mundo crucifigi, quid ſit.

exinde ſolitarius fit relictis parentibus, poſſeſſionibus,
A agris, negociationibus, rerum copia. Crucifigitur enim illi mundus, quia deſerit eum; & hoc eſt Apoſtolicum dictum, *Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo.* Quo pacto crucifigitur homo mũdo? Cùm ſcilicet vbi ex mundi rebus exceſſerit, certat aduerſus rerum concupiſcentias, aduerſus voluptates, aduerſus propriam voluntatẽ; ſubigítque innatas paſſiones, & vitia. Tunc verè mundo crucifigitur; tunc meritò poteſt cum Apoſtolo dicere: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Patres igitur ſancti & maiores noſtri, ſibi ipſis mundum crucifigentes, per dura certamina ſeſe quoque mundo crucifixere. Nos verò videmur quidem nobis ipſis mundum crucifixiſſe, quia reliquimus eum & ad monaſterium diuertimus, at nolumus mundo nos crucifigere: Adhuc enim in animo noſtro vigent illius blanditiæ; adhuc in nobis ipſius
B affectum abſcondimus. Compatimur illius gloriæ, cõpatimur delicijs & voluptatibus, compatimur ornamẽtis & veſtibus, & ob viles & inanes res delabimur plerũque in priſtinas eius paſſiones. Quod ſanè non niſi ex amentia multa prouenit, vt qui pretioſas ac magnas res relinquimus, ob minimas plurimum perturbemur; fitque id à nobis, peſſimè. Vt enim mundo & rebus eius abrenunciamus, ita & priſtinis illius paſſionibus abrenunciare debemus; diſcere item quæ vera ſit abrenunciatio, & ad quid profecti ſimus in monaſteriũ; quidque nobis innuat habitus noſter, atque illi nos adaptare & cõformare, certaréque pro virili parte vti patres noſtri. Habitus noſter is eſt: tunica abſq; manicis, & zona pellicea; analabus, & cucullus: hæc autem ſigna ſunt om-
C nia. A nobis igitur perdiſcendum eſt, quid hæc habitus noſtri ſigna præ ſe ferant. Vt quid autem tunicam feramus abſque manicis, cùm cætera quæque manicas habeant? Quid manicas non habemus? manicæ ſigna ſunt manuum; manus autem ad practicen pertinent; cùm igitur ſurrepit nobis cogitatio aliqua operandi & agendi quippiam per priſtini hominis manus, vt pote furari vel verberare, atque (vt dicam breuiter) peccatum aliquod patrare cogitamus; aduertamus tunc oculos mẽtis ad habitum noſtrum, diſcamúſque abeſſe illi manicas: id eſt, non habere nos manus ad operandum quippiam priſtini hominis. Habet & tunica ſignum purpureum: quid (oro) id igitur? Habet vnuſquiſque regi militans purpuram in lena ſua. Ex quo enim rex purpuram
D ferre cœpit, omnes eius milites togulis ſuis purpurea ſigna appoſuere, vt ex his appareat regios ſeſe eſſe, & regi commilitare: ſic & nos purpureum ſignum pro amictu noſtro ſumpſimus, vt appareat commilitare nos Chriſto, & quòd tot illius grauia perferre debemus, quot ille noſtri cauſa pertulit. Cùm enim paſſus eſt Dominus noſter, purpuream veſtem portauit: Primùm quidem, vti rex; eſt enim ipſe regum omnium rex, & dominantium Dominus: ſecundo autem vt deluſus à prophaniſſimis illis Iudæis: Et nos igitur ad toleranda quæque pro eo promptos profiteamur, & quemadmodum miles, nequicquam militia ſua dimiſſa mercator fit, aut agricola; ſed militare pergit, vt ait Apoſtolus, *nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſæcularibus*: vt imperatori ſuo placere queat, ita nos ſi veri certatores eſſe cupimus, negli-
E gamus quæcunque ſunt mundi; ſolique Deo nos dedamus, ſoli aſſiſtamus, ſoli obſequamur, ſoli ſeruiamus, vt ſit quod ait virgo aſſidens & nulli violabilis. Habemus autem & zonam pelliceam circa renes noſtros: Id ſignum eſt, ad opus quódque accincti vt quam primùm ſimus & parati. Laboraturus enim quis primò accingitur, & ſic demum opus aggreditur: vt dicitur: *accingimini renes veſtros.* Mortificati quoque corporis ſignum eſt: nos enim deſideria noſtra mortificare debemus; præſertimque ea quæ à renibus procedunt, in quibus animæ voluptas eſſe dicitur, iuxta quod agebat Apoſtolus: *mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram fornicationem immunditiam*, quæque ſequuntur. Habemus & analabum. Analabus in crucis modum ponitur: Super humeros

Renunciatio non vera.

Amentia eſt perturbari leuioribus, cum maiora reliqueris.

Veſtitus monaſticus.

Veſtis monaſtica ſine manicis quid ſignificet.

Tunica purpureũ ſignũ.

Purpurea Chriſti veſtis.

2. Tim. 2.

Zona pellicea, quid ſignificet.

Animæ voluptas eſt in renibus.

Analebus monaſticus quid inferet.

humeros autem noſtros crucis ſignum deferimus; ex eo quod dicitur, *tolle crucē tuam & ſequere me.* Quid eſt aliud A crux quàm vera mortificatio, quæ à nobis erigitur per fidem quam habemus in Chriſtum? Fides enim amouet ſemper & aperit quæcunque ſunt impedimento & liberam nobis reddit operationem, quæ nos ad perfectam hanc mortificationem deducit: id eſt, vt ſeipſum quiſq; ſæculi rebus omnino exuat, & earundem pariter amore atque affectione.

Fides remouet ea omnia quæ impediunt.

Reliquimus enim certarim parentes, reliquimus agros, poſſeſſiones, pecunias, & iis quæcunque noſtra fuerant abrenunciauimus, abrenunciemus pariter & affectui, ſicque perfecti erimus abrenunciatores.

Perfectionē.

Ferimus & cucullum; quod innocentiæ ſignum eſt & puritatis: Pueri enim paruuli cucullum ferunt, nō viri perfecti. Nos igitur ergo cucullum ferimus, vt paruuli ſimus malitia, quemadmodùm monet Apoſtolus: *nolite ſenſibus paruuli eſſe, malitia paruuli eſtote.* B Quid autem ſignificat malicia paruulum eſſe? Paruulus ſine malicia, à quocunque ſpernatur, non iraſcitur, honoratus non effertur in gloriam vanā; priuatus aut ſpoliatus propriis non affligitur. Paruulus enim malitia, non etiam iniuriam vleiſcitur, non affectat gloriam.

Ad renunciandum affectus cucullus.

Paruulus malitia, quis ſit.

Eſt & cucullus ſignum gratiæ Dei: quoniam quemadmodùm cucullus tuetur & fouet pueri caput, ſic & gratia Dei mentes noſtras defendit. Eſt igitur cucullus ſignum gratiæ ſaluatoris noſtri tuentis caput noſtrum, & circumfouentis quæ in Chriſto eſt ſynceritatem, ob eos qui nos cōtinuò aggrediuntur vt percutiant & vulnerent. Habemus & zonam ad lumbos noſtros, ſignum ſanè mortificandi irrationabilis appetitus noſtri & analabum; id eſt, ſcapulare ab humeris pendet; quod eſt crux. C Ecce & cucullum innocentiæ & puritatis ſignum.

Zona analabus.

Nobilitemur igitur ex habitu noſtro, ne alienū ſchema feramus, atque vt magna dimiſimus, ita parua relinquamus. Dimiſimus mūdum, dimittamus pariter & illius affectiones: Amor enim nimius & immoderatus, plerúnque nos ob vilia & tenuia iterum colligat; nóſque cæci & miſeri, vix aduertimus! Si liberari perfectè volumus & ab hoc ſæculo diſcedere, oderimus imprimis voluntatem noſtram: & ſic breui diuino præſidio ad impaſſibilitatem animi perueniemus: Nihil enim adeò adiuuat hominem ad hoc quàm ſenſus ſuos odiſſe.

Voluntatem propriā odiſſe breuis eſt ad impaſſibilitatem via.

Atque ita ſeſe habet hæc ratio ad omnem virtutem, vt ſi viator iter aggreſſus ſcipione inuento cui innitatur, iter magis acceleret & præoccupet viam: ſic enim qui viam hanc incedit, ſi propriā vo- D luntatem abſcindat, abſcindit & priſtinas affectiones: quibus præciſis, fit Dei opere omnino impaſſibilis.

Abnegare ſeipſum, facile eſt.

Nec quiſquam hoc putet arduum & difficile; cùm breui cōpendio & ſpacio quis ſeipſum poſſit (ſi velit) decies abnegare, quod quo pacto fiat edocebo. Obambulat aliquis; & quippiam conſpicatus, perſuadetur à cogitatione vt id aduertat! At is cogitationi & non bonæ perſuaſioni repugnat, ſeq; auertit, rurſum inuenit quis nugis & variis rumoribus occupatos; perſuadet vt ſe quoque turbæ immiſceat, & verba pariter inſerat: negat id ſe acturum; & auerſus alio, propriam voluntatē abſcindit. Item ſuccurrit illi vt coquum adeat, interrogétque quid parer obſonij; non adit ac ſe cohibet. Cernit aliquid in culina; quis illud attulerit ſolicitatur interrogaſe: comprimit appetitum & vocem, & nihil percuncta- E tur: Sicque dum parua quæque præſcindit, ſenſim quæcunque præcidere aduenientia conſueſcit, & iam ſumma cum requie nihil præter voluntatem ſuam ſe ſentit habere: & quicquid factum fuerit, eo ita contentus eſt, ac ſi ad vota ſua eueniſſet. Qui enim proprium nihil habet aut ſuum; quicquid factum fuerit, id propriū putat. Cúmque nullam affectionem habeat, omnino tandem (vt dixi) ad impaſſibilitatē animi perducitur. Aduertite igitur quantùm puſillū hoc proficere nos faciat; & propriā abſcindere voluntatē, quantùm conferat. Huius rei mirabile exemplar fuit beatus ille Doſithens, qui à vita delicioſiſſima & molli veniens, nullius diuinarum rerū doctrinis imbutus, breui tēpore in ſummā perfectionē

B. Doſitheus, exemplar ſpiritualis profectus.

prouectus eſt, dū obedientiā vnicā amplectitur & pro- A priā voluntatē abſcindit: quem tandē Deus glorioſiſſimum oſtendit, nec paſſus eſt ipſius virtutem in obſcuro eſſe. Vni enim ex ſanctiſſimis illis ſenioribus reuelatus eſt, & viſus inter Diuorum aliorum cateruas, vnà cū illis perfruens beatitudine. Narrare licet & vobis miraculum alterum quod ætate mea factū eſt, vt intelligatis tantā eſſe obedientiæ & abnegatæ voluntatis vim quæ à morte quoq; eripere & liberare hominē poſſit.

Voluntatis abnegatæ vis.

Cum eſſem quandoque apud Abbatem Seridum; ad eum profectus eſt ab oris Aſcalonicis monachus, ab Abbate ſuo cum mandatis miſſus; imperatum autē ei à ſeniore fuerat, ad veſperam omnino rediret.

Abbas Seridus.

Interim oborta eſt immenſa tempeſtas, imber maximus, tonitrua horrenda, videbatúrque torrenti ſimilis ea inundatio. Volebat in- B felix reuerti vrgente ſenioris præcepto; nos verò è contra cohortabamur expectare ſerenitatem, aſſerentes periclitari illum maximè in tantis aquarum eruptionibus. Non acquieuit ille nobis vllo pacto, vt maneret.

Obedientiæ meritum.

Decreuimus igitur eum adúſque flumen ſubſequi; ſperantes ipſum, cùm illud vidiſſet, emendaturum cōſilium & reuerſurum. Eò autem poſtquā vnà peruenimus, exutus ille veſtes, eas ceruici collectas impoſuit, & accinctus ſcapulare ſuum, ſeſe dedit præcipitem in torrentē, ſtatimq; natare cœpit. Formidantibus autem nobis ne mergeretur, ſubitò in litus alterum (mirabile dictu) conſpectus eſt; & reſumptis denuò veſtibus à nobis impetrata venia diſceſſit. Nos autem pluſquam dici queat obſtupuimus, mirari virtutis vim & potentiam. Nobis enim vix in eum ſine tremore contuentibus; ipſe ſolus intrepidus C abſque vlla formidine & periculo enatauit fretus obedientiæ merito. Haud diſſimile fuit & illud quod alteri diſcipulo contigit, qui ab Abbate in proximam villulam ad expedienda quæ opus fuerant; cum ſe ſentiret in cōcupiſcentiam propriæ filiolæ ſolicitari, exclamauit vnicam hanc vocē; Deus patris mei libera me: ſtatimq; ſeſe apud viam Scetiam reperit, quà reuerſus ad patrē ſuum eſt.

Filiola: Oratio patris ſpiritualis.

Videte potentiam virtutis; contemplamini vim verbi! quantùm ſcilicet afferat auxilij, paternis precibus ſeſe dedere; ipſorum enim ille ſimilia locutus eſt verba, libera me Deus per Patris mei orationes. Conſiderate humilitatem & obſeruantiā amborum! erat vterque dubius & anxius; volebátque ſenex fratrem ad monaſterij neceſſaria dimittere; nec tamen vt iret imperare voluit, ſed vtrum proficiſci vellet percontatus eſt. Non itē fra- D ter reſpondit; eo: ſed, quicquid iuſſeris faciā, pater: Hinc enim ſcandala verebatur, hinc patris inobedientiā formidabat. Ad hæc igitur ſenex; exurge (ait) & actutum perge. Recedens frater dixit: ſpero in Deū quia me proteget; & orationibus patris mei quia me tuebuntur: ſicq; cum in tentationē incidiſſet; & Deum in auxilium vocauit, & patris ſui orationes. Atq; ita paternis orationibus fretus vterque veſtet, en quemadmodùm obedientiæ humilitatē cōiunxere. Vt enim currus vno equo nō ſatis commodè trahitur, niſi & alterū apponas, ita obedientia humilitatē coniugatam ſibi depoſcit. Qua ſanè gratia & virtute haberi nemo dignus poteſt, niſi ante conſueſcat præcidere & amputare propriam voluntatē, & ſeipſum (poſt Deū) patri ſuo dedere; atq; ab eo nulla E in re poſtmodū diſſentire, ſed omnia ipſius arbitrio facere, ea fide & certitudine ac ſi Deo in cunctis non homini pareret, vt illi quos prædiximus factitarunt: hic ſaluari, hic miſericordiā conſequi dignus.

Obedientia humilitatem comitem requirit.

B. Baſilij monaſteriorum viſitatio.

Memoria eſt de beato Baſilio, qui cū cœnobia ſua inuiſeret, ab vno prælatorum percontatus eſt, num quē in choro ſuorū haberet, quē cōſideret ſaluandū. Reſpondēte autē illo; ſperare ſe omnes per ſuas orationes fore ſaluos; rurſum ad ipſum interrogauit: nec ante deſtitit, quā ille ex optimis meliorē ſibi offerret electū; cuicū pater ſanctiſſimus imperaret vt aquā ad abluēdos pedes afferret, abiit ſtatim, attulit & lauit: Iuſſit poſtmodū ſedere cū, ac lauari pariter; paruit ille ſimpliciter, & miniſtrante patre lotus eſt. Poſt hoc periculū obediētiæ, ingreſſus eſt in ſanctuariū

Anachoreticæ obedientiæ exemplum.

cum eo pateт, & celebranti diſcipulo miniſtrare voluit, eo nulla in re diſſentiente quancunque impetaſſet. Atq; A illum poſt hæc ſocium ſibi & perpetuum comitem aſciuit, neque enim alium quam ſanctum diſcipulum benedictum decebat habere Deiferum patrem & ſanctiſſimum. Vos autem omnino (fratres) adhuc expertes video huiuſcemodi obediẽtiæ indiſcretæ, nec noſſe quãta eius ſit requies. Memini me quandóque Abbatem Ioãnem beati Barſanuphij diſcipulum interrogaſſe rem huiuſcemodi: Cùm ſcriptura commemoret opus nobis eſſe multis afflictionibus & anguſtijs ad vitæ ingreſſum & ſalutis, dubitare me ne perirem, qui nulla me ſentirẽ cura morderi & ſollicitari. Idque per literas ſciſcitabar: inter ſcribẽdum (fateor) augeri mihi lætitiam ſentiebã, timebámque mihi ipſi magis, ad tribulationes ſcripturæ aduertens, quibus omnino carere me cognoſcebam. At B mihi ſenex reſpondit, & vanum timorem ademit, inſerens, ita neceſſario euenire vt ſcilicet pacatiſſimi, iocũdiſſimi & quietiſſimi ſint quicunque ſeſe in Patrum obedientiã dedidere. Deo noſtro gloria in ſæcula, Amen.

Abbas Ioannes Barſanuphij diſcipulus.

Obedientes neceſſario iucundiſſimi & quietiſſimi ſunt.

DE HVMILITATE, DOCTRINA II.

SENIORIS vnius ea memoriæ prodita eſt ſententia: Ante omnia nobis opus eſſe humilitate, deceréque nos ad audiendũ eſſe quàm promptiſſimos, quæcunq; dicerentur admittentes: omnia etiam hoſtis & aduerſarij noſtri tela per humilitatem diſrumpi. Quæramus qualis hæc ſit doctrina. Vt quid enim ait ſenior præ omnibus, humilitate C nobis opus eſſe, ac non potiùs abſtinentia & patientia? ait namque Apoſtolus: *qui certat, ab omnibus ſe abſtinet*: Vel etiam timore Dei, cum dicat ſcriptura ſacra: *Initium ſapiẽtiæ timor Domini*: & rurſum: *timore Domini declinat quis à malo*? Vel miſericordia & fide: dicitur enim *eleemoſyna & fide purgari delicta*: & Apoſtolus: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*? Si igitur impoſſibile eſt Deo placere abſque fide & eleemoſyna, & fide purgantur delicta, & timore Domini quis à malo declinat, & initium ſapientiæ eſt timor Domini, & qui certat, abſtinet ſe ab omnibus: quare tãtoperè, hic nobis præter omnia humilitate opus eſſe dixit: & hæc omnia vſque adeò neceſſaria prætermiſit? Credo voluiſſe nobis innuere ſenẽ, quod neque timor Domini, neque eleemoſyna, neque fides, neque abſti- D nentia, neque vlla vnquam virtutũ poteſt ſine humilitate in nobis erigi. Hinc ait: Ante omnia nobis opus eſt (fratres) humilitas, attentiſſimi ad omnia quæcunque audiuerimus, patientiſſimique ad quæcunque dicẽtur. Per humilitatem enim omnia hoſtis & aduerſarij tela franguntur. Attendite fratres, quanta ſit humilitas.

1. Tim. 6.

Pſal. 110.

Hebr. 11.

Nulla eſt virtus ſine humilitate.

Aduertite quid operis habeat hoc quod ait: patienter auſculta. Vt quid autem diabolus non ſolum hoſtis, ſed & aduerſarius noſter vocatur? Hoſtis ſcilicet, quia bonum omne, omnéſque mortales odio habet, cunctiſq; inſidias ponit: Aduerſarius autem, quia in omni bono opere, impedimento nobis eſſe quærit. Vult aliquis orare? hunc quærit auertere & impedire per malas cogitationes, per captiuitatẽ, per accidiam. Optat alius quiſquam mereri? hunc impedire ſtudet per inertiam, incu- E riam, & negligentiam, & (vt breuiter dicam) cuiuis operi bono aduerſatur, & hac de cauſa hoſtis & aduerſarius maximè appellatur. Quare autem per humilitatem in cunctis ſuperatur? Maxima (inquã) eſt humilitas, per quam ſanctorum quiuis inceſſit, & cum labore vix longitudinem abſcidit, vt dicitur, *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.* Poteſt enim ſola nos humilitas introducere, vt aiebat Ioãnes Abbas. Humiliemur igitur & nos paululum, vt ſaluemur. Et, ſi ob imbecillitatẽ laborare non poſſumus; humiliari ſaltẽ ſtudeamus: confido enim in Domino per modicam hãc humilitatem fore nos tandem diuina miſericordia inter ſanctorum illorũ choros collocandos. Fateor debilitate corporis non poſſe nos laborare, ſed nunquid non poſſumus non humiliari? Beatus vir eſt, qui humilitatẽ habuerit. Ea permaxima eſt (fratres) humilitatis virtus quã A optimè definiuit beatus ille qui verã in ſe virtutẽ habuit cum dixit: *Humilitas nunquam iraſcitur, irritat neminem, humana eſt, & benigna*: nos autem eam vti peregrinam & alienam abhorremus. Humilitas vanæ gloriæ ſola aduerſatur, & ab ea hominem liberat, tuetur, & protegit. Iraſcitur quis pecuniarum & ciborum gratia; quare non dicat hanc eſſe humilitatem? Quia ſanè irritat neminẽ humilitas, neque prouocatur à quoquam. Magna eſt & potens; ita vt gratiam Dei, in animã queat attrahere. Gratia igitur Dei eſt quæ miſeretur, quæ animã protegit à duabus his paſſionibus, iraſcendi, ſcilicet, & irritandi. At quidnam eſt grauius, iraſci ne, an proximum prouocare? Definiuit ſenior; nihil eſſe adeò alienum à monacho, quàm iraſci: neque ſanè mentitus eſt. Niſi enim quiſque B humilitate illicò reſipiſcat, ſenſim labitur in ſeditionem dæmonis; qui turbatus continuè, continuas in nobis quoque turbationes quærit. Quare autem ais; humilitatem neque vllum prouocare, neque aliquãdo prouocari? Ego verò quid dicam liberari nos per humilitatem à duabus his paſſionibus? Ab omni fateor nos paſſione eripi per humilitatem, & ab omni tentatione protegi animã. Cùm beatus Antonius tot laqueos dæmonis orbi cuncto intenſos cerneret; ſuſpirans. Dominũ interrogauit, quis euaſurus eos potiſſimùm eſſet? cui reſpõſum eſt; humilitas ſola euadet hos laqueos: additúmque eſt illud admirandum; neque eam omnino contingere poterunt. Cernis vim ſubiectionis? cernis gratiam virtutis? Nihil profectò fortius humilitate, quam nulla res C obſidet. Nam vero humili quicquid aduerſi contigerit, illicò in ſe totus contrahitur, illicò indicat ſeſe dignum ex aduerſitate & ærumna; nec ſuſtinet quenquam accuſare; non ſuſtinet in alium cauſam, huiuſcemodi inferre. At ſine perturbatione, ſine moleſtia, cum omni trãquillitate ſe habet, atque ea de cauſa neque iraſcitur, neq; vllũ prouocat: benè igitur ac præclarè locutus eſt vir ſanctiſſimus; præ omnibus, humilitate nobis opus eſſe. Duo autem genera ſunt humilitatis, vt item genera duo ſuperbiæ. Primum ſuperbiæ genus eſt, cum quis nihil fratrem ſuum contemnit, eumque quaſi nihil æſtimat; ſeipſum verò cunctis excellẽtiorem habet. Hic ſtatim, niſi ſe reuocet & reſpiciat, ſenſim labitur in ſecundã ſuperbiã, ita vt in Deum etiã incipiat inſoleſcere, & bona D opera ſibi ipſi aſcribere, non Deo. Memini (fratres mei) vidiſſe me aliquando huiuſcemodi hominẽ, qui in hanc miſerrimam ſeditionẽ inciderit. Et initio quidẽ ſi quis è fratribus locutus quippiam eſſet in alterius commẽdationẽ & laudem; ſtatim illũ ſpernebat & quaſi conſpuebat, dicẽs: quis eſt ille non eſt alius præter Zoſimã & qui cũ eo ſunt. Poſt cœpit & illos contẽnere, ac dicere neminẽ alicuius eſſe pretij præter Machariũ: & paulò poſt; quis (ait) Macharius? nullos eſt præter Baſiliũ & Gregoriũ. Atq; etiam non multo poſt hos quoq; cœpit pariter ſpernere, & nullũ pretij vllius exiſtimare niſi Petrum & Paulũ. Cui ego prædixi quod euenit; fore vt hos quoq; tempore contemneret. Quod ſanè factũ eſt; nã eos ſpreuit & nihil eſſe habendum in pretio præter Trinitatẽ aſſerere cœpit: ſtatimq; in Deum quoq; factus eſt inſolẽ- E tior, exarſit, intumuit. Nobis igitur luctandũ eſt cũ prima (fratres) ne paulatim in ſecundã labamur ſuperbiã. Eſt autẽ ſuperbia monachalis, & ſæcularis. Sæcularis eſt cum quis inſoleſcit in fratrẽ ſuũ; vt pote ditior, vel pulchrior, vel ornatior, vel nobilior eo. Cũ igitur intuemur aliquos glorioſos, vel quòd eorum monaſterium maius ſit & dignius, vel quod abũdantius & plures monachos cõtinens; nouerimus hos ſuperbia ſæculari ad huc teneri. Cum itẽ alius circa naturæ dotes gloriatur, vel quod ſuauis ſit vocis, quòd probè pſallat, quòd nitidè & præclarè miniſtret; huiuſcemodi glorioſæ primatus ſunt & vanitatis ſecularis. Monaſtica autem ſuperbia eſt, cùm quis gloriatur, vt ieiuniorum, vt vigiliarum obſeruantiſſimus, vt venerabilis, vt ciuilis, vt ſtudioſus,

& cùm

1. Cor. 13.

Dei gratia humilitate in animam attrahitur.

B. Antonij viſio, de humilitate.

Vera humilitas.

Superbiæ 2. genera.

Superbiæ genus

Exemplum paulatim inualeſcentis ſuperbiæ.

Abbas Zoſimus.

Superbia duo genera.

Superbia monaſtica.

& cùm quis adipiſcendæ gloriæ gratia humiliatur: hæc ad monaſticam ſuperbiam pertinent. Licet autem (ſi omnino gloriandum) monaſticè potiùs quam mundanè gloriari. Diximus iam quæ ſit prima ſuperbia, quæve item ſecunda: quæ monaſtica, quæ ſæcularis: reliquum eſt totidem humilitatis genera opponamus. Prima igitur humilitas eſt, ſi fratrem tuum exiſtimes eſſe te prudentiorem, & in cunctis te anteire, & (vt breuiter dicam) ſis omnium abiectiſſimus: Secūda humilitas eſt quæuis recta opera Deo aſcribere; & hæc perfecta ſanctorum humilitas, quæ quidem naturalis in anima fit & generatur ex obſeruantia mandatorū Dei. Vt enim arbores cùm multo fuctu onuſtæ fuerint, inclinant ramos & eos plerunque frangunt: qui autem ramus nullum habet fructum, attollitur in altum & rectus aſſurgit; ſi autē (vt à multis expertum eſt) lapis appendatur, inclinetúrque ne rectus aſſurgat, illico poma parit: Sic anima noſtra ſi humilietur, ſtatim fructus edit; quantóque plures fructus attulerit, tantò magis humiliatur. Nam viri ſancti quantò ad Deum propiùs acceſſerint, tantò ſe iniquiores agnoſcunt. Memini autē cùm loqueremur aliquando de humilitate, & quidam ex Gazæ principibus nos audiret iſtuc ipſum aſſerētes; obſtupuiſſe eū atque dixiſſe: hoc, quomodò fieri poſſet, ignorare ſeſe; diſcere autem velle. Cui ego reſpondi: dic (obſecro) Domine ac princeps; quem te habes inter conciues tuos? Ad hæc ille: Habeo me (inquit) vt nobilem & principem ciuitatis meæ. Econtra, ego: ſi Cæſareā pergas; iſtic quem te habeas? Viliorem (ait) aliquantò principibus ciuitatis illius. Iterum: ſi Antiochiam abeas; quem te ibi exiſtimes? vt ruſticum inquit quendam. Si autem Bizantij ſis apud regem; quem te repures? vt pauperem (ait) quendam & mendicum. Tunc ego ad eum verſus: & ſic (inquam) ſeſe habent ſancti viri; quò enim Deo propiores fiunt, eò ſe inferiores putant. Abraham enim cum Dominum vidit; cinerem ſe vocauit & lutū: Eſaias dixit: Infelix ego, quia lapis pollutus ſum! ſic & Daniel, cùm in lacu inter leones eſſet, & veniſſet Abacuc ad eum cum prandio, diceréque, accipe prandium quod miſit tibi Dominus: reſpondit cum lachrymis: *recordatus eſt mei Dominus?* quantam cordis humilitatem, etiam in eo lacu habuit! quare à leonibus non primùm, non ſecundò læſus eſt: obſtupuit enim & dixit: *recordatus eſt mei Dominus?* Vt indutus nàmque quis purpura & ſerico, ſi ei iniiciatur lacerna immunda, declinat illam & fugit, ne indumentum precioſum cōmaculet. Sic viri ſancti virtutes præclariſſimas induti: humanam gloriam deuitant, ne ab ea dehoneſtentur: Qui autē gloriæ cupidi ſunt: hi mihi ſimiles nudo videntur, qui vſque quaque circuit, vt lacernā vllam inueniat vel aliud quippiā quo poſſit nuditatem ſuam cōtegere. Ita virtute ſpoliatus humanam gloriam qua ſe obumbret ſectatur. Sancti verò ad mortalium opē plerúmque à Deo miſſi vix præ humilitate parere voluerunt. Moyſes enim dixit: *Obſecro te, Domine, mitte alium eloquentiorem me, ego enim rauca vocis ſum & impeditoris linguæ.* Hieremias autē ait: *puer ego ſum.* Sancti denique omnes, humilitatem hanc poſſederunt, dum præcepta Dei (vt diximus) obſeruarunt. Nemo autem omnium, ſermone explicare queat quo pacto ea in mentem veniat: niſi priùs illā experientia didicerit. Sermonem habebat quandoque Abbas Zozimas de humilitate. Cùmque ibi Sophiſta quidā adeſſet, nec ſatis quæ dicebātur, acciperet: quò certius hæc diſceret, ait ad Abbatem: dic mihi obſecro, quomodò peccatorem te habeas, non noui, cùm & virtutes facias & ſanctus ſis: en quæcunq; præcepta facis, & es illorum obſeruātiſſimus: cur igitur peccatorem te prædices? Senex autem ad hæc quid potiſſimum reſponderet nō nouerat, at dixit: quid tibi reſpōſi dem ad ea quæ interrogas, neſcio, ſed habere ſic rem ſcito. Sophiſta vero magiſter renitebatur, volens huiuſce rei rationē à ſene extorquere. Senex autem nihil inueniens quo rem hanc approbaret, cœpit dicere cū ſancta ſimplicitate: ne diuertas me ſophiſmatibus; ego me ſic habeo. Vt autē vidi dubitantē quid reſponderet: præripui ſermonem & dixi: Hoc ego te or vtiq; ſe habere, quemadmodū ſophiſtica & medicinalis quas artes cùm quiſpiā optimè calluerit & ad actū perduxerit ſenſim frequentato actu ipſarū fit habitus & medico & ſophiſtæ. Hi autē poſt modùm docere nequeūt nec norūt quo pacto ad earū diſciplinarū habitū peruenerint: ſed anima (vt dixi) ſenſim diſciplinas has ex actione concepit. Idē dicere eſt de humilitate, quòd ſcilicet ex crebra operatione mandatorū Dei fiat habitus quidā in anima, qui nō poſſit explicati ſermone. Hæc (vt audiuit Abbas Zoſimas) lætus ad me cōuerſus, ait. Probè rationē inueniſti, ſic habētur vt dixiſti. Ita liberatus ſophiſta ſcrupolo, cùm hæc audiuiſſet, quæcunq; admiſit & abiit. Dixerunt autē maiores noſtri, nos in his quæ agimus ſactitātes poſſe humilitatē hanc intelligere, ipſam verò diſpoſitionē vti eſt cùm in nobis facta eſt, poſſe neminē dicere. Abbatem Agathonē cum eſſet moriturus, interrogarunt fratres circunſtantes, an timeret. Quibus reſpondit hactenus elaboraſſe ſe pro viribus vt Dei præcepta obſeruaret & faceret, cùm tamen homo eſſet, ignorare ſe an Deo grata fuiſſent opera ſua, cùm aliter iudicet Deus aliter homo. Ecce huiuſcemodi verbis innuit nobis quo pacto humilitatē hanc intelligamus, oſtendit quoq; viā qua illam apprehendamus. Qualis autē ſit cùm venerit in animam, vt ſæpiùs dixi: nemo id poteſt ſermone conſequi, niſi anima ex operibus ſortè ſuis adeò digna habita fuerit, quæ hanc diſcat & intelligat. Quæ autē illa ſint quæ in nobis humilitatē faciant, docuerunt ſæpè patres. Interrogatus enim ſenior à fratre, quid eſſet humilitas? reſpondit: Magnum opus eſſe humilitatem, ac diuinum neſcio quid. Vias vero humilitatis labores corporeos eſſe, quos cū ſcientia facis, & ſi te omnino omni ſubiicias, & ſine intermiſſione Deum ores: hæc (inquam) eſt vera humilitatis via: Ipſa autē humilitas diuina eſt & incomprehenſibilis. Cur verò ait, labores corporeos ferre animā in humilitatē? Et qua ratione corporei labores virtutes ſunt animæ? Subeſſe enim omnibus (vt ſuperiùs cōmemorauimus) aduerſatur primæ ſuperbiæ. Nam quo pacto maiorem poteſt habere ſe fratrē, aut ſuperbire in aliquo, vel accuſare, vel deſpicere quēquā, qui omnibus ſubiectus eſt. Item & ſine intermiſſione orare patet, quia contradicit ſuperbiæ: Claret enim quod humilis, & verecundus, vti ad omne opus bonū, inualidū ſe & ineptū abſque diuino auxilio recognoſcens, nō ceſſabit ab oratione iugi & aſſidua. Deum rogans vt ſecū faciat miſericordiā: Et, ſi quid boni poſtmodum fecerit, nouit planè vnde id fluxerit, nec efferri poteſt, neq; illud virtuti propriæ aſcribere: ſed Deo dat quicquid rectè agit, atq; illi tremens perpetuò ſupplicat, perpetuò gratias agit, ne ab hoc auxilio decidat, appareátq; imbecilitas & infirmitas ſua: Sicque per humilitatē orat, & per orationem fit humilis: quantóque rectiùs operatur, tantò magis humiliatur & proficit anima per humilitatē. Cur autē ait corporeos labores animā in humilitatē adducere? Quid habet in ſe corporis labor ad animæ diſpoſitionē? Docebo vos paucis. Anima vbi præuaricata eſt & à præcepto decidit (vt ait diuus Gregorius) concupiſcētiæ omni & arbitrio erroris permiſſa eſt & data: cœpitq; omnino corporeos mores diligere, & amplecti: ita vt vnum cū corpore inuenta ſit, & tota caro facta, iuxta quòd ait Dominus: *non permanebit ſpiritus meus in hominib. his, caro enim ſunt.* Et quoniam cōpatitur ſimúlq; diſponitur anima infelix ab his quæ patiautur in corpore: ideò dixit ſenior, corporeum laborem animam in humilitatē inducere. Aliter diſpoſita eſt enim anima bene habentis, aliter ægrotantis, aliter fameſcentis, aliter ſaturati, aliter item diſponitur anima inſidentis aſino. aliter ſedentis in throno, aliter ſedentis in terra: aliter optimis veſtibus induti, aliter contritis & marcidis. Labor igitur humiliat corpus, humiliatóque corpore humiliatur pariter & anima. Ita vt optima fuerit ſenioris ſententia de labore corporeo. Hac de cauſa Euagrius à blaſphemia oppugnatus, haud inſcius blaſ-

Humilitatis duo genera.

Superbia fugienda ratio, & exempla.

Sancti, quo magis deo appropinquant, eò ſe putant viliores.

Superbi quibus ſimiles ſint.

Abbatis Zoſimæ, de humilitate, collatio cum quodam Sophiſta.

Humilitatis habitus.

Abbatis Agathonis dubitatio in vita exitu.

1. Theſſ. 5.

Ex labore humilitas.

Gen. 6.

Anima corporis habitum ſequitur.

Euagrij ob blaſphemiam Pœnitentia.

phemiā à ſuperbia prouenire: & humiliato corpore humiliari pariter & animā, quadraginta dies ſub dio pernoctauit, ita vt ex eius corpore vermes ſcaturirēt, vt in agreſtib. animalib. ſolet accidere, & præ labore pus euomeret. neq; id ob blaſphemiā factū, ſed ob humilitatē. Præclarè igitur dictum eſt à ſene, corporeis laboribus humilitatem adiri. Deus igitur bonus & ſanctus, gratificetur nobis huiuſcemodi humilitatem quæ à maximis periculis homines liberat, & ab innumeris tentationibus protegit. Ipſi autem gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

DE CONSCIENTIA, DOCTRINA III.

Gen. 2.

Gen. 26.

CVM formauit Deus hominem, immiſit illi neſcio quid diuinum; mentem ſcilicet quandam illuſtrem & callidam quæ ipſum inſtrueret malum à bono ſecernere, eáque naturalis lex eſt. Significat hæc puteos quos effodit Iacob (vt patres noſtri aſſeruere oppletos poſtmodū à Philiſtæis. Legi huic adhærentes Patriarchæ & ſancti omnes ante ſcriptam legem Deo admodùm placuerunt. Hac vero conculcata & infoſſa ab hominibus præuaricatione præcepti; opus fuit tandem aduentu ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti qui in illam releuaret & excitaret, qui hanc tanquā ſcintillam extinctam ſuſcitaret per obſeruationem mandatorum ipſius. In nobis igitur ipſis eſt rurſum vel illam infodere, vel permittere vt nobis reſplendeat & luceat, ſed illi credere & fidē habere opus eſt. Cùm igitur nobis conſcientia noſtra dixerit, hoc facito, & contemnimus: rurſúmque admonuerit, id ne faciamus, nos verò perſiſtimus illam peſſundare; ſine dubio tunc eam infodimus, & iam nobis apertè præ onere quod incumbit ei, incumbenti loqui nequit, ſed quaſi lumen per ſpeculum tranſlucens, ita nobis incipit quæcunque obſcuriora & tenebroſiora oſtendere: Et inde ob peccatum, vt in aqua cœnoſa & turbida, nemo poteſt in ea vultum ſuum contemplari. Taléſque dum plerumque ſumus, & quæ nobis dictat audire negligimus, vt exiſtimemus nullam nos in nobis habere cōſcientiam; nemo eſt autem qui illam nō habeat. Eſt enim neſcio quid diuinum (vt diximus) & nunquam perit; ſcilicet officium noſtrum nobis ſemper ad memoriam reuocat: nos verò non aduertimus ſpernī illam & conculcari à nobis. Quare Propheta Ephraim maximè deplorat & queritur dicens: *præualuit Ephraim in aduerſarium ſuum & conculcauit iudicium.* Et in Euangelio dicitur: *eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es in via cum ipſo, nequando tradat te iudici, & iudex miniſtro & te in vincula conijciat, amen dico tibi non exibis inde donec reddas minimum quadrantem.* Curautem vocat conſcientiam, aduerſarium? Aduerſarius dicitur, quia aduerſatur omni prauæ noſtræ voluntati, & nos arguit in quo minùs agimus quod debemus; & rurſum cùm agimus quod non debemus, nos accuſat. Hac de cauſa eam vocat aduerſarium noſtrum, & annūciat, dicens: *Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via cū eo.* Via (vt ait) D. Baſilius hic mundus eſt. Studeamus igitur cuſtodire conſcientiā noſtram, dum ſumus in hoc mundo; ne ſi eam reiecerimus, in multis à Domino poſtmodùm reprehendamur: neq; conculcemus illā in aliquo, & ſi id minimum ſit. Vt enim videre facile eſt, ex his minimis & verè vilibus, ad magna contēnenda delabimur. Cùm enim cœperit quis dicere: quid eſt, ſi verbulū hoc vnicum locutus fuero? quid eſt, ſi modicum hoc comedero? quid ſi in rē hanc intendero? Ex hoc, quid id, quid illud; admittitur mala & amara eſca, & ſenſim incipit quis ac pedetentim in maiora & grauiora prolabi; & ſic deinceps per partes proruens periclitatur, atque in perfectam inſenſibilitatem decidit. Quapropter aduertite, fratres; ne parua negligatis; illa contemnere vt nullius momenti, cauete: non ſunt parua contemnenda; eſca peſſima eſt conſuetudo. Sobrij eſtote, curate leuia quò ad leuia ſunt, ne grauiora fiant. Et virtutes & peccata à paruis incipiunt; & ad magna, vel bona vel mala perducunt. Quare admonet nos Dominus, non negligere cōſcientiam noſtram; & quaſi vnum è multis conteſtatis ait illi: vide (infelix) quid agas; ſobrius ſis *Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via cum illo*: & ſubdit terrorem & periculum rei, dicens; *ne te iudici tradat, & iudex ſeruo, & in vincula conijciaris.* Quid autem poſteà? *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas minimum quadrantem.* Ea enim (vt dixi) nos corripit & in bono & in malo; præſcribitque nobis quid agendum quidve declinandum: nec deſinet, etiam in futuro ſæculo nos accuſare. Hinc ait; *ne tradat te iudici & quæ ſequuntur.* Ad conſcientiæ autem diligentiam & cuſtodiam differentiæ ſunt plurimæ. Rationem enim habemus conſcientiæ ad Deum, ad proximum, & ad res. Ad Deum; ne quis ſcilicet eius præcepta contemnat, etiam in iis in quibus eum nemo mortalium videt, nemo repetit, nemo iudicat. Cuſtodiat ipſe conſcientiam Deo in abſcondito; vt exempli gratia: neglexit orationem; aſcendit praua cogitatio in cor eius, nec lauit nec repreſſit ſeipſum, ſed oblectationi obſecutus eſt: Vidit proximum quippiam vel agentem vel dicentem; ſtatimque ſuſpicione illum iudicauit: & vt concludam breuiter; ad omnia diligentia opus eſt, vel quæ ſunt a nobis in abditis perpetrata, vel quæ nullus omnium niſi Deus & conſcientia noſtra conſpexit. Erga autem proximum & conſcientia habetur, ſi nemo quippiam omnino faciat quod intelligat quamuis minimam moleſtiam & afflictionem proximo intuitu afferre: non re, non verbo, non animo, non ſigno, non aſpectu. Sunt enim ſigna quædam (vt ſæpe dixi) quibus proximum lædamus; ſunt aſpectus quibus eundē affligamus, & moleſtia non parua afficiamus. Et (vt breuiter edicam) quibuſcunque ſenſerit homo moleſtiā ſeſe proximo afferre; ab his omnibus iubet abſtinere cōſcientia. Quòd ſi contrà faciat, commaculatur & rea eſt, nō ignara ea à ſe ſtudioſe agi vt noceat, vt affligat. Et hoc eſt quòd dicimus erga proximum conſcientiam cuſtodire. Ad res autem habere conſciētiā; eſt re nulla abuti omnino: vt ſcilicet non ſinat fœdari rē vel proijci, ſed cùm viderit quippiam proiectum non negligat, etiam ſi vile ſit, ſed corripiat potiùs, & in locū ſuum ſtatim reponat. Ne quis itē proprijs veſtimentis abutatur; eſt enim quis (exempli gratia) qui tunicam ſuam queat vnam duáſve etiam hebdomadas ferre; & abiēs illam ante id temporis abluit & conterit, ita vt cùm per menſes alios quinq; atque ampliùs vtilis eſſe poſſet, crebra lotione eam reddat inutilem: contra conſcientiam fit hoc. Idem eſt in Deo; cùm cōtentus eſſe quis poſſit vnico ceruicali, ſtratum ampliſſimum quæritat; habens laneum, illud quærit commutare, vt nouum recipiat vel aliud pulchrius, motus ſuperbia & vanitate. Poteſt item alicui ſatis eſſe culcitra vna, & tapetem quærit; altercatúrque etiam fortè niſi acceperit. Si quis quoque animaduertat fratrem aliquid habere quo ipſe careat, inuideátque & murmuret; non eſt hic in via proficiendi. Rurſum extēdit quis ad ſolē vel tunicā vel opertoriū; & negligentia & incuria ardere illud permittit, nec eleuat cū debet: & hoc vtiq; contra conſcientiā eſt. Idē eſt in cibo: Poteſt corporeæ neceſſitati quis ſatisfacere oluſculis, leguminibus, vel modicis oliuis, nec iis contentus eſt, ſed lautiores & delicatiores dapes perquirit, hæc omnia cōtra conſciētiam ſunt. Admonuere autem crebro maiores noſtri, nō debere pati monachū remordeti ſeſe aliquādo à cōſciētia ſua, vna quidē re minima. Opus igitur nobis eſt (fratres) ſobrietate perpetua, vt nos ab huiuſcemodi omnino cuſtodiamus illæſos; ne aliquādo incidamus in periculum quod nobis Dominus comminatus eſt. Præſtet nobis Deus hæc omnia non tam audire quam obſeruare; ne iudicio extremo Patrum noſtrorum exhortationes optimæ in iudicium & condemnationem nobis fiant, Amen.

DE

Conſcientia diuinū quoddam eſt.

Zach. 9.

Math. 5. Conſcientia eſt aduerſarius noſter.

Leuia peccata quam maxime fugienda.

Conſuetudo, eſt eſca peſſima.

Conſcientiæ ratio multiplex.

Conſcientia ad proximū.

Proximum ne ſigno quidem lædendū.

Conſcientiæ ratio ad res ipſas.

Qui fratri inuidet, non eſt in via proficiendi.

Remorderi à conſcientia.

DE DIVINO TIMORE, DOCTRINA IIII.

1. Io.4.18.
Timor Dei duplex.

SENTENIA Ioannis eſt in Epiſtolis ſuis, quòd *perfecta charitas foras eyicit timorem*. Quid (obſecro) hac ſententia nobis innuit Sanctus? Cur charitatem, cur timorem ait? Propheta inquit in Pſalmo: *Timete Dominũ omnes ſancti eius*. Et alia pleráque huiuſcemodi, quæ in ſacris Literis reperimus. Si enim amantes Dominum ſancti illum verentur & timent; vt quid ait, *perfecta charitas foras eyicit timorem?* Oſtẽdere nobis vult ſanctus timoris eſſe duo genera: alterum quidem iſagogicum; hoc eſt, introductorium: alterum verò perfectum. Et primum (inquam) eorum eſt, qui nuper religionem inuadunt: ſecundum autem ſanctorum atque perfectorum qui iam ad charitatis ſanctæ culmen peruenere; vt verbi gratia: Facit quis Dei voluntatem præ timore gehennæ: hic (vt diximus) adhuc nouitius eſt & incipiens: is adhuc propter ſe, bonum non exercet, ſed timore plagarum. Alter Deo in cunctis paret ex amore & beneuolentia in Deum, & in ipſum bonum atque virtutem; vt ſcilicet hoc medio Deo placeat & gratus ſit. Nouit hic profectò quid bonum, quid virtus ſit; nouit quid ſit cum Deo eſſe. Hic perfectam & veram, de qua loquitur Apoſtolus, habet charitatem; & ipſa charitas eum in perfectum timorem adducit. Timet enim hic diuinam volũtatem & obſeruat, non metu plagarum, non verberum; ſed deguſtans iam quàm dulce ſit cum Deo eſſe, timétque ne ea priuetur dulcedine néve excidat. Is igitur perfectus timor ab hac charitate deſcendens, iſagogicum porrò abigit. Hinc ait Apoſtolus, quòd *perfecta charitas foras emittit timorem*. Fieri autem nequit vllo pacto; vt perfectus, aliter quam per Iſagogicũ introducatur. Tres enim ſunt cõditiones & ſtatus (vt D. Baſilius ait) quibus Deo grati eſſe poſſumus. Si enim pœnam formidamus; in ſeruili ſtatu ſumus: ſi verò mercedis lucra ſectantes, vtilitatis & commodi proprij gratia diuina mandata peragimus; mercenarijs aſſimilamur: Sin autem bono & honeſto propter ſeipſum adhæreamus, in filiorum genere ſumus. Filius enim vbi ad prudentiam diſcretionémque peruenerit, paterna vota exequitur: non timore ſcilicet plagarum, non etiam mercedis & præmij cupiditate; ſed amore, pietate, obſeruantiáque erga patrem: perſuaſus enim ſatis eſt, ſuum fore quicquid patris fuerit. Meretur hic audire non quod ſeruus ſit, ſed filius & hæres Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hic etiam (vt prædictum eſt) non metuit Deum timore iſagogico; ſed amat vt ait B. Antonius; *Ego nuſquam Deum timeo*. Et Dominus cùm ad Abraham dixit poſt immolationem filij; *nunc noui quod Deum metuas*: de illo vtique timore dixit, qui ex charitate prouenit. Quomodò enim ſe habeat hoc, nunc cognoui? Tanta fecerat; omnem reliquerat ſubſtantiam ſuam, peregrè profectus erat in terram alienam & ad gentem idolis deditam, vbi nullum erat pietatis veſtigiũ aut religionis! Paſſus erat & hanc horrendam tentationem de immolando filio; & poſt hæc omnia illi dicitur; *nunc noui quia Deum timeas*: ad innuendum videlicet perfectum illum timorem qui non niſi ſanctorum eſt. Neque enim ob metum pœnæ aut præmij cupiditate viri ſancti; ſed amore & beneuolentia ſola præcepta Dei cuſtodiunt; formidantes quippiam facere præter eius quem diligunt, voluntatem. Et hinc ait perfectam charitatem foras eijcere timorem: neque enim ex metu eſt, vt agant, ſed ex charitate, vt metuant. Hic eſt perfectus timor qui haberi nullomodo poteſt, niſi iſagogicus præceſſerit. Ait enim; *Initium ſapientiæ timor Domini*: Et rurſum; *principium & finis timor eſt Domini*. Principium dicit iſagogicum: poſt quem eſt perfectus is, qui ſanctis datur. Iſagogicus igitur timor noſtri ſtatus eſt. Hic animam noſtram, perinde ac ſancta natura quædam, ab omni prauitate tuetur & protegit: Dicitur enim: *timore Domini declinat omnis à malo*. Si quis igitur à malo declinat ob metum pœnæ, eſt vt ſeruus, qui Dominum veretur. Senſim autem cùm declinat à malo, eò peruenit, vt bonum agat: & dum retributionem vllam bonæ operationis ſperare incipit; mercenarius fit? Qui igitur bono inſtat, malum fugit ob metum; hic ſeruus eſt: & qui rurſum ob ſpem præmij; hic, mercenarius. Qui diutiùs in bono commoratur; cum Deo eſt, & ſecundum analogiã Deo adhæret: deguſtat enim & peruenit in ſenſum quendam veri ipſius boni, nec ab eo diuelli amodò aut vult aut poteſt. Quid enim iam ipſum poteſt (vt ait Apoſtolus) à charitate Chriſti diuellere? tuncque in perfectam filij mẽſuram & ſtatum peruenit, & diligit bonum propter ſeipſum, timétque cùm diligit. Atque hic perfectus eſt timor. Ex hoc Propheta nos edocet quid timores iſti inter ſe differant, cùm ait: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, Aduertite animum ad ſingula prophetæ verba. Quemadmodum vnaquæque dictio ſummam vim habeat; contemplamini. Primum igitur inquit; *Venite filij*. Hortatur nos ad virtutem, cùm filij nomen adijcit: filios enim appellauere viri ſancti conuerſos ab iniquitate ad iuſtitiam & virtutem, vt ait Apoſtolus: *Filij quos iterum parturio, donec Chriſtus reformetur in vobis*. Deinde cùm nos exhortatus eſſet ad huiuſcemodi conuerſionem & reformationem; ſubiunxit, dicens: *timorem Domini docebo vos*. Contemplamini nunc Prophetæ fiduciam! Nos, cum volumus de virtute aliqua apud nos verba facere, ſemper ita dicere cõſueuimus: An vobis gratum eſt, vt aliquid de Dei timore, vel de quauis alia virtute inter nos diſputemus? Propheta autem non ſic, ſed cum fiducia ait; *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos; quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Poſt hæc tanquam vllo acclamante ſe velle, & reſpondente; Doce me quo pacto viuam & videam dies bonos, docet & ait: *Prohibe linguam tuam à malo*: hoc eſt; nulla in re conſcientiam proximi lædas, non obloquendo, non prouocando: *labia* autem *ne loquantur dolum*: id eſt, nihil doli mediteris aut ſtruas in proximum. Hinc ait; *prohibe linguam tuam à malo*: & poſt ſubdit, *declina à malo*. Primùm particularia quædam delicta tangit; qualia procacitatem, maledicentiam, & dolum. Secundò de quauis malitia & iniquitate complexè locutus eſt; ac ſi dicat apertè: fuge omne genus mali, declina ab omni re quæ peccatum aut labem præ ſe ferat. Neque, cùm hoc dixiſſet, conticuit, ſed addidit, *& fac bonum*, hoc eſt; non ſatis vtique eſt, non malefacere, niſi & benefacias, non ſatis non odiſſe, niſi diligamus. Benè igitur coniunctim Propheta ait. *Declina à malo, & fac bonum*. Oſtendit enim nobis conſequentiam trium illorum ſtatuum de quibus locuti ſuperius ſumus. Quomodo ſcilicet ex timore Dei peruenitur in declinationem mali, & poſt cõuerſionem, ad bonum conſcenditur. Cùm enim quis dignus habitus eſt ad malum torpeſcere & ab eo fugere: neceſſario adiutus à ſuperis bonum operatur. Hæc vbi dixit, infert conſequenter, *Inquire pacem & perſequere eam*. Nec, *inquire*, tantum dixit, ſed & acrius inſectare, vt comprehendas eam. Animum obſecro huc aduertite ad dicta, & contemplamini Prophetæ ſtudium & diligentiã. Cùm dignus quis habitus eſt, vt queat à malo declinare, & benefacere, Deo fauente, & virtutem exercere, illico inferuntur ei hoſtilia bella. Concertat igitur, dimicat, laborat, obteritur veritus non ſolùm, ne rurſus in malum decidat (vt ſuperiùs de ſeruo diximus) ſed etiam fretus præmio ac mercede boni, vt mercenarius. Dum igitur hoſtem oppugnat & repugnatur, dum luctatur, agit benè: ſed multa cum anguſtia, multo cum labore. At vbi cœlitus à Deo venerit auxilium, tunc habitus boni in eo fieri incipit, tunc requiem intelligit & contuetur, tunc illi accumulata pax aduenit, tunc cognoſcit & ſentit quid laboris in bello ſit, quid gaudij & lætitiæ in pace, tunc igitur eam quærit, tunc ſtudioſiſſimè accurrit vt illam apprehendat, vt omnino eam obtineat poſſideát-

Section markers in the inner margins: A (beside "mini declinat omnis à malo"), B (beside "res iſti inter ſe differant"), C (beside "alia virtute inter nos diſputemus"), D (beside "garum, non etiam mercedis" / "ni re quæ peccatum"), E (beside "tionem de immolando filio" / "cta, & contemplamini").

Marginal notes (left column):

Cautè lege, nam innuit nullo pacto haberi poſſe timorem filialem quin præceſſerit ſeruilis.

Ordinariè quidem ita euenit in peccatoris iuſtificatione extra ſacramenta, vt habetur cap. 6. concil. Trid. at contingit interdum aliter cum quis per ſacramẽta iuſtificatur, & in ſubitarijs & miraculoſis iuſtificationibus, vide S. Thomæ par. 2. quæſt. 113. art. 7. & 10.

Triplex hominum ſtatus

Timor iſagogicus.

Geneſ. 22.

1. Ioan. 4.

Cautè lege & regreditor ad notam huius columnæ C.

Prou. 1.

Timor ſeruilis.

Marginal notes (right column):

Rom. 8. 35.

Pſalm. 33.

Gal. 4.

Pſalm. 33.

Spiritualis perfectionis acquirendæ methodus.

Gratiæ diuinæ effectus in anima.

que, vt illam in ſe totam cogat inhabitare. Quid ergo beatius anima huiuſcemodi, quæ hoc ſtatu digna eſt habita? Quis dicat animam illam etiam ob aliud quippiam facere bene, quàm vt bono ipſo tantùm fruatur? Gaudium illius nemo nouit, niſi qui illud experientia didicerit. Tunc & is perfectum pariter timorem cognoſcit, vt prædictum eſt ſæpius.

Timor perfectus.

Audiuimus igitur quis ſanctorum virorum perfectus timor ſit, quis item iſagogicus; quis ſtatus noſter; Vnde quis fugiat, quóve perueniat ob timorem Dei. Reſtat igitur nunc dicere, quomodò adueniat nobis diuinus hic timor; quæque ea ſint quæ nos ab hoc timore diſterminant? Affirmauerunt Patres communi ſententia poſſidere eum timorem Dei, qui mortis crebro & gehennæ reminiſcitur, quíque veſpere à ſeipſo rationem exigit quemadmodum die ambulauerit; manè ſimiliter quo pacto noctem tranſegerit, & qui nihil de ſe præſumpſerit, quíque viro timenti Deum adhæſerit.

Dei timorem quomodo quis poſſit diſcere vel dediſcere.

B Quæſiſſe enim aiunt, à ſeniore fratrem aliquando; quid ageret vt Deum timeret: reſpondiſſeque ſenē; homini timenti Deum te ſubijce; quem cùm timueris, Deum quoque vt timeas neceſſe erit. Abigimus autem à nobis Dei timorem, cùm, his quæ diximus, contraria operamur; cùm ſcilicet immemores mortis & gehennæ perpetuò ſumus, cùm nuſquam ſcrutamur vias noſtras, cùm nullam de nobis curam gerimus, cùm ſine ratione viuimus, cùm conſuetudinem cum his habemus quibus inimica ratio eſt, cùm de nobis admodum præſumimus quo ſane nihil eſt deterius: in hoc enim, extremus eſt interitus. Quid enim adeò ab anima depellit timorē Dei, vt ſuiipſius præſumptio? Hinc rogatus Abbas Agathon de præſumptione, quidnam eſſet: illam ſummo incendio comparauit; quod cum exardeſceret, procul omnes abigeret; quod arborum poma vitiaret.

Nihil deterius quam de ſe multum præſumere. Præſumptio, incendium maximum.

C Cernis affectus huius, quanta ſit vis; quantus impetus? Cumque rurſum rogaretur, an grauis eſſet & difficilis præſumptio: reſpōdit, nullum eſſe vitium grauius; vtpote quæ cunctorum vitiorum mater & genitrix eſſet. Quàm benè & ſapienter illam dixit vitiorum omnium genitricem, quæ timorem domini ab anima pelleret! Si enim timore Domini declinat quis à malo: vbi igitur is non fuerit, omne vt inſit vitium, omne malum neceſſe eſt. Eripiat nos Dominus ab hac deteſtabili præſumptionis peſte. Pluribus autem modis præſumere quis dicitur, ſermone ſcilicet, tactu & viſu. Præſumit quiſquis vana & otioſa loquitur. Præſumit qui ea quæ ſæculi ſunt, enarrat; qui ridenda facit; qui cæteros à grauitate auocat cachinno.

D Præſumptio eſt etiam cùm vis abſque neceſſitate vllum contigerit, extenderitve manum in alium vt rideat; impulerit aliquem, vel violenter quippiam ab eo rapuerit, aut impudenter oculos in quempiam iniecerit. Hæc omnia præſumptio facit: hæc omnia patimur, cùm diuino timore vacat anima.

Præſumptio vndenam oriatur.

Labitur autem ex his ſenſim quis in perfectum contemptum. Quare cùm legis præcepta daret Deus, dixit; Veneramini filios Iſraël. Abſque enim mutua reuerentia colit nemo Deum, neque vni etiam ſoli ac minimo præcepto poteſt adhærere. Nihil igitur præſumptione grauius; quæ vitiorum omnium & mater eſt, & genitrix. Hęc enim reuerentiam mutuam à nobis abducit; hæc timorem Dei abigit, hæc contemptum parit.

Sine mutua hominum inter ſe reuerentia, non conſtat Dei cultus.

E Ex præſumptione namque fit, impudenter vt vos inter vos plerúmque agatis, colloquamini, mutuis de verberationibus laſciuiatis. Hinc eſt vt cùm viderit quis veſtrum aliquid inutile & vanum; ſtatim abeat, & illud garrula lingua vbique diſſeminet, & alterius fratris menti ac animo ingerat, non contentus ſibiipſi nocuiſſe, niſi & confratrem in commune damnum trahat, prauámq; æruginem illius cordi immittat.

Ex præſumptione quam multa ſe ſequuntur peccata.

Alius alteri fortè dum orationi vacat, vel aliud quid boni operatur, ſuperuenerit frater futile aliquid afferens, de quo inaniter inter ſe colloquantur: nec ſolùm ab ea vtilitate illum abſtrahit; ſed etiam in tentationem communem trahit, qua malitia nulla grauior eſt aut pernicioſior, vt ſcilicet non tibi ſolùm, ſed & proximo nocere appetas. Abſit autem à nobis (fratres) vt hoc agamus.

Alterum trahere in tentationem quam ſit graue.

A Seruemus mutuam reuerentiam, timeamus communia damna, inuicem nobis deferamus. Studeamus ne nictemus, ne vagemur oculis, ne vultus noſtros crebro contemplemur: Nam illud quoque præſumptionis eſt genus, vt maiorum fuit ſententia. Præterea; Si fratrem tertium conſpicias perperam quid facientem, ne illum ſpernas, ne conſpuas, ne taceas ac perire permittas.

Non eſt ſpernendus qui peccat frater, ſed erigendus.

Neque etiam illi maledicas, aut vbique diffames, ſed cum miſericordia & timore Dei illi reuela quod poſſit eum erigere. Aut tute ipſe Fratrem compella cum beneuolentia & manſuetudine dicens: da veniam obſecro mi frater, video quòd hoc rei ſine dubio non bene agas. Quod ſi tibi non audierit, alteri dicas in quo videris eum fidem habere, vel etiam præpoſito aut Abbati, pro peccati magnitudine; ac deinde ſecurus eſto.

Correptionis fraternæ modus.

B Vt autem diximus, caueat quiuis hoc agat alia intentione atque animo quàm fratris erigendi. Non per garrulitatem, non per infamiam non per contemptum ipſius, non vt in exemplum aliorum trahat, non vt iudicet eum: quòd ſi alio animo quā vt corrigat id agit, habens in ſe quippiam horum quæ prædiximus, vt ſcilicet delator fratris ſit apud Abbatem nocendi conſilio, non ſtudio corrigendi, peccatum eſt & infamia. Scrutabitur primò cor ſuum diligentiſſimè & ſi ſimultatis inſtinctu aut odio hoc ſe facere ſenſerit, abſtinebit neque dicet. Si autem cum viſcera ſua diligēter rimatus fuerit, ſeſe cognouerit correctionis & charitatis gratia id facere, impediri autem à cogitatione ſcrupuloſa quadam, Abbati humiliter & ſuum & proximi peccatum pandat, dicátque, conſcientiæ teſtimonio id ſe facere vt corrigat, verberari tamen ſe à turba quadam

C cogitationum, ita vt ignoret ad aduerſum fratrem quippiam habeat, an hæc calūnia ſit à qua impediatur loqui & corrigere. Cui poſtmodum reſpōdeat Abbas, debeat nécne illud dicere. Fit autem hoc & aliquando, nec propter cōmodum aut damnum fratris, nec propter inimicitiam vllam, ſed ex quadam male loquendi conſuetudine. Et quis (oro) huius garrulitatis vſus? Sæpè enim fit, vt reſciſcat poſtmodū frater ſibi detractum eſſe, & perturbetur moleſtiáque non modica afficiatur; & hoc alterum quoque damnum accedat. Quòd ſi (vt præfati ſumus) id fiat ob vtilitatem & commodum fratris, non patitur Deus illum perturbari aut fluctuare, non anguſtiā, non damnum accedere. Curate igitur & linguam cohibere, ne quis proximo mala loquatur, nec vllum verbo

D aut vmbra, aut quouis omnino alio modo feriat. Neque ſitis prurientes auribus: ne ſcilicet, cum quis audierit quippiam de ſe maledictum, pruritu illicò percutiatur, & ipſe quoque vel malè reſpondeat, vel perturbetur ab eo.

Aurium & linguæ pruritus.

Non enim talia concertantes athletæ agere conſueuerunt, nec qui pro ſalute deſudant. Poſſidete timorem Dei, & mutua reuerentia vos præuenite, vobis obuij eſtote: Inclinate capita veſtra, humiliamini in conſpectu ſummi Dei, in conſpectu patrum, in conſpectu fratrum. Subijcite propriam volūtatem. Bonum (inquā) opus aggreditur qui hoc facit, qui aduenienti fratri cedit, qui honore præuenit: conſequitur plus cōmodi qui cedit, eo cui ceditur. Ego meipſum noui nihil boni agere, ſed quod huius vitij omnino expers ſim & vacuus,

E hoc vtique noui. Neque enim me aliquando fratrū cuiquā antepoſui, ſed quemuis mihi ſemper iudicaui præſtare debere. Cùm eſſem aliquando apud Abbatem Seridum, ægrotare contigit miniſtrum Abbatis Ioannis, quare mihi imperauit Abbas, ſeniori vt deſeruirem. Ego verò onus ſubiens, ſic cellulæ ſuæ oſtium obſeruabam vt qui crucem adorat, quantò igitur magis cum illi miniſtrarem? Quis enim non optaret tam ſancto homini deſeruire? Erat autē ſuaui & admirando eloquio.

Abbas Seridus.

Crucem adorare.

Quare ego quotidiè poſt expletum miniſterium ad genua illius pœnitens prouoluebar, vt data venia & accepta benedictione diſcederē. Et ſemper ille mihi aliquid quod inſtrueret ædificarétque, loquebatur. Habuit autem ſenex quatuor verba in ore conſueta, quorum vnum recenſuro

ceſſuro mihi ad veſperam ſemper commemorabat. Mos
autem ſeniori erat ante omnem narrationem ſuam hoc A
præponere. Conſeruet frater Deus charitatem mutuã.
Quod cùm hoc quoque tempore mihi dixiſſet. Arbitra-
ti ſunt patres cuſtodiam propriæ cõſcientiæ erga proxi-
mum parare humilitatem. In ſecunda quoque veſpera
Gal. 6. dixit mihi, conſeruet frater Deus mutuam charitatem.
Arbitrati ſunt patres voluntatem propriam fraternæ
nunquam anteponendam. Tertia veſpera ait: fuge hu-
mana hæc, & ſaluaberis. Quarto die dixit; conſeruet
frater, Deus mutuam charitatem. Arbitrati ſunt patres
inuicem, ſi feramus onera noſtra, ita Chriſti legem com-
pleturos. Sic ſemper conſueuerat ſenex ex his vnam mi-
Dorothei humilitas. hi quocunque die ſententiam commemorare, tanquàm
aliquid viatici præſtans. Quas omnes in vitæ meæ cu-
ſtodiam ſeruaui ſemper & tenui, tanta fide erga ſanctiſ-
ſimum patrem fui, dum illi miniſtrarem. Cùm autem B
ſemel tantum intellexiſſem vnum è fratribus afflictum,
qui id miniſterium mihi exoptaret eripere; Abbatem
adij ſtatim & accito fratre rogaui patrem, eius animo vt
morem gereret, quod id miniſterium & munus multo
me melius exequi & vellet & poſſet. Negauit pater, &
neque ipſe neque ſenex hoc permiſerunt, ego tamen
quantum in me fuit, fratrem præ me tuli. Cùm etiam
annos nouem in eo miniſterio fuiſſem, nunquam in fra-
trem illum expui verbum vel turpe vel moleſtum, etiam
cùm adminiſtrationem vllam haberem, neque priuatus
eſſem omnino. Quæ dicam credite. Ab infirmaria ad Ec-
cleſiam plerunque me frater inſectatus eſt multis conui-
cijs & contumelijs, cui ego nunquam ne verbum quod-
Infirmaria. Dorothei patientia. libet vnum contra reſpondi. Quin potius & cùm id re- C
feſſet Abbas, neſcio quo referente, decreuiſſetque il-
lum obiurgare, procidi ego ad pedes patris obſecrans
per Ieſum Chriſtum id ne faceret, quod videlicet meum
fuiſſet peccatum, non fratris. Alter quoque vel ex ten-
tatione vel ſimplicitate, vt nouit Deus, obſeruato noctis
tempore vrinam ſuam in caput meum effudit, ita vt le-
ctulus meus totus madeeret. Alij quoque fratres couene-
re per diem vt pſiathia ſua excuterent ante cellam meam
quo facto tanta cimicum multitudo in eam commigra-
uit, quantam ego nullò modò ſatis fuiſſem interficere;
erant autem infiniti præ tanto æſtu. Cùm ego igitur cu-
bitum conceſſiſſem, in me omnes facto agmine corrue-
re, cúmque diutius obdormiſſem præ labore, vt eram
feſſus admodum in die, tandem excitatus à ſumno of- D
fendi corpuſculum meum omne depaſtum. Neque ta-
men illorum cuiquam verbum aliquando vllum feci,
aut ne id ammodo facerent, aut quod male facerent. Et
vt prædicta repetam, me nunquam memini quicquam
aliquando locutum, quod vel moleſtiam vel afflictio-
nem vlli afferret. Diſcite igitur & vos fratres, alter alte-
rius onera portare, diſcite mutuam reuerentiam exhi-
Gal. 6. bere. Cúmque veſtrum quis, verbum audiuerit quandó-
que minus gratum, ne illico deprimatur, aut deficiat,
non ſtatim pruriat, ne belli & lucri tempore inueniatur
corde afflicto, obtuſo quod ſcilicet impotens ſit etiam
ictum minimum ſuſtinere, vt in pepone ſolet euenire,
quem ſi paruum biſacium contigerit, illico vulnerat &
putreſcere cogit. Virile cor & intrepidum habete', ma- E
Peponis cum iracundo homine collatio. gnanimitatem induite, vt quæcunque inter vos contige-
rint, mutua charitas ea ſufferat & vincat. Quod ſi quis ex
vobis etiam adminiſtrationem habuerit, fueritque ne-
ceſſe vel olitori, vel coquo, vel celariotæ quippiam re-
ſpondere, vel cuiuis alij coadminiſtrantium, ſtudeat ob-
ſecro vtérque & qui daturus & qui accepturus reſpon-
ſum eſt, ſtatum ſuum in omni reſeruare, ita vt nihil affli-
ctionis, nihil perturbationis, nihil affectionis, nihil indi-
gnationis ſinat vnquam interuenire, neque aliquid pro-
priæ voluntatis interlabi, neque iuſtitiam aliquando à
præceptis diuinis patiatur aberrare. Sed vti res inuenta

fuerit vel parua vel magna, ita eam permittat & negli-
gat. Malum enim eſt, quod indifferens, indiſcretum
& promiſcuum eſt. Neque rurſum præhonoret illum
ob eius ſtatum, maximè ſi animæ damnum incumbat,
quia videlicet à re ipſa ſuperetur. Quocunque enim in
negotio fueritis, & ſi illud impellens admodum ſit, re-
quiràtque diligentiam & ſtudium, nolo vos aliquando
illud cum contentione gerere. Sed certiores eſtote, om-
ne opus quodcúnque agitis vel magnum fuerit vel par-
uum, vt dixit, octauam partem eſſe eius rei quam quæri-
tis. Cuſtodite autem proprium ſtatum, etiam ſi ex hoc
contigerit priuari adminiſtratione, quartum eſt dimi-
dium octaui: videte igitur quantum diſtent. Cùm ergo
rem vllam agitis, ſi eam cupitis integram incorruptàm-
que ſeruare, ſtudete eã vti eſt, facere, quod dixi de octa-
uo, & proprium ſtatum indemnem cuſtodire, quod eſt
quartum dimidium octaui. Si verò incumbat neceſſitas
tranſgredi & exilire præceptum, damnúmque vel acci-
pere vel inferre, vt compleatur vſus adminiſtrationis,
non eſt æquum vt quis quartum dimidium octaui per-
dat quo coſeruet octauum. Quare cùm aliquem cogno-
ueritis iſtuc ipſum facientem, haud dubitate hunc in
cognitione vera non adminiſtrare: vel enim per ambi-
tionem aut humanum obſequium pergit contendere, ſe
ipſum & proximum pariter lædens: vt ſcilicet poſtea
ab eo audias potuiſſe ſeſe à nemine ſuperari. Papæ quã-
ta eſt fortitudo iſta! Non eſt hæc victoria fratres, non lu-
crum: iactura eſt & damnum. En repeto vobis, quando
contigerit vllum veſtrum mitti a me in aliquod miniſte-
rium, videritque imminere vel perturbationem vel dã-
num, amputet illud, adijciat, amoueat, nec vobis inui-
cem noceatis. Sed pereat potiùs miniſterium, nèc fiat,
dummodo inter vos non fiant turbæ. Quoniam vt ſæpe
dixi, quartum dimidium octaui ita perditis, atque hæc
manifeſta iactura eſt. Dicuntur autem hæc à me, non vt
ſtatim cadatis animo, non vt indiſcreti ſitis, non vt à vo-
bis ſtatim res quaſcunque proijciatis conculcetiſque
conſcientiam veſtram, volentes eas ſponte negligere &
nihil curare. Neque vt etiam obaudiatis, dicàtque quiſ-
que veſtrum, non queo rem hanc facere, grauis mihi eſt,
& malè afficior ab ea, non expedit mihi. Huiuſcemodi
enim tergiuerſatione, nullus vnquam miniſterium vllũ
faceret, neque præceptum Dei poſſetis adimplere. Sed
vt adhibeatis omnem diligentiam, vt mutua cùm chari-
tate fiat à vobis omne miniſterium veſtrum, ſubiecti ſi-
tis inuicem cum humilitate honorantes, & exhortantes.
Nihil enim eſt humilitate potentius, quare ſi quis ve- *Humilitate nihil potentius.*
ſtrum videtit ad horam proximum vel ſeipſum afflictũ,
amputare afflictionem, cedite vobis inuicem, & nolite
curare quicquid damni ſubſequatur. Melius enim eſt
(quod vobis millies repeto) non fieri quod opus erat,
& ſi neceſſitas vrgeret, neque per concordiam vel iu-
ſtitiam fieri etiam ſi benefactum videretur, quàm turba-
ri vos & mutuo affligi & perdere quartum dimidium
octaui. At multa eſt damni differentia. Accidit enim ple-
rúmque vt & ipſum octauum amittat aliquis, nihílque
omnino faciat. At quæ vtilitas niſi inuicem humiliemur
ſed potius quod contrarium eſt, turbas inter nos & mo-
leſtias ſuſcitemus. An vobis oro excidit ſenioris noſtri
ſententia, qua affirmabat ex proximo vitam & mortem
peruenire? Hæc crebro inter vos fratres meditamini,
exercete ſermones & inſtitutiones patrum, ſtudete cum
charitate & timore Dei mutuam vtilitatem quærere. Ita
ex omnibus quæcúnque vobis acciderint, poteritis lu-
crum referre opitulante Domino: Ipſe humanus Deus
noſter gratificetur nobis timorem ſuum. Ait enim Deus,
time & mandata eius cuſtodi, quoniam hoc requiritur
in omni homine. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

NON DEBERE QVENQVAM SVÆ PRVDENTIÆ CONFIDERE, *Doctrina* V.

A

Prou. 11.

INTER prouerbia dicitur: *quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia; ſalus autem eſt in multo conſilio*, Contemplamini ſententiæ vim fratres. Contemplamini diuinam ſcripturam. Cauere nos admonet ne noſmetipſos informemus, ne nos ſicolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum. Opus enim nobis eſt auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nil quod citius expugnari queat, his qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei. Ait enim, quibus non B eſt gubernatio decidũt vt folia: folium à principio ſempervirens, ſemper germinans, ſemper delectabile eſt, nõ multò pòſt areſcit & languet, & cadens contemnitur & conculcatur. Talis homo eſt qui à nemine regitur. A principio feruentiſſimus ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, & ad quæcunque cætera bona. Paulopoſt extincto eo feruore, ſi nullum habuerit ſui gubernatorem aut fotorem, qui extinctum ignem ſuſcitet & accendat, deſiccatur & cadit, ac demum deſtitutus, ab hoſtibus ſuis captiuus trahitur qui vt voluerint, in ipſum graſſantur. De his autem qui nihil præcipitant, nihil temerè, ſed omnia conſultò faciunt, ait: ſalus autem eſt in multo conſilio, nec verò dicit in multo conſilio, vt quis quemcúnque cõſulter, ſed vt eum cuius fidei ſe totum crediderit. Neque hoc vt taceat, illud loquatur: ſed C vt omnia exponat de omnibus conſulter: huiuſcemodi enim, ſalus profectò eſt in multo conſilio. Niſi enim homo in cunctis ſibi aduerſetur, & is maximè qui nuper à prauis motibus ad cõuerſionem bonorum venit, in hoc protinus Diabolus vnicam inuenit voluntatem, vnicam iuſtitiam, per quam ipſum demolitur & deſtruit. Cum enim quépiam cognouerit Diabolus elegiſſe nullo mo-

Ars dæmonis. do peccare, neque eſt adeò amens & ineptus ad malè agendum, vt ſtatim illi ſuggerat aut perſuadeat quippiam malorum profaniſſimorum, qualia ſunt adulteria, furta, inceſtus, ſacrilegia (nouit enim quia talia declinamus & fugimus.) Sed inueniens nos vnicæ voluntatis & iuſtitiæ, quærit nos callidus cum ea ſub aliquo rationis D prætextu decipere. Vnde rurſum dicitur: Prauus tunc male agit, cum iuſtitiam coadmiſcet. Prauus Diabolus eſt, tunc autem perperam agit, cum iuſtitiam admiſcet iuſtitiæ noſtræ, tunc enim fortior eſt, tunc magis nocet, tunc amplius operatur. Cum enim perſtamus in voluntate noſtra, & noſmeipſos iuſtitijs noſtris inſtituimus & informamus, tunc ſub prætextu hoc boni, nobis maximè inſidiamur, nec nouimus quo pacto ipſi pereamus. Quomodò enim Dei voluntatem vel cognoſcere vel quærere poſſumus, cum nobis ipſis credimus, cùm proprium appetitum in cunctis ſequimur? Quare Abbas Paſtor præclarè ſolitus erat dicere: Parietem eſſe æneũ, voluntatem inter Deum & homines. Aduerti animum

Pſal. 17. ad ea quæ dixit. Adiecit rurſum: Petra eſt repercutiens, E & ex oppoſito reuerberans diuinam voluntatem. Quatenus apprehenderit homo, ſtatim ait: *In Deo meo tranſgrediar murum, Deus meus immaculata via eius.* Quam præclarè dixit, tunc enim intelligit viam Dei nullam habere maculam. Cùm autem non apprehenderit propriam voluntatem, non intelligit viam Dei immaculatam. Sed ſi quando audiuerit cautos eſſe nos oportere, cautelæ nomen ſtatim recuſat & reſpuit, repellit & auertitur. Quo pacto enim ſuſtinere quempiam poſſit, vel ab aliquo perſuaderi, qui propriam ſequitur voluntatem. De-

Voluntatem propriam ne ſequamur. inceps & de iuſtitia ait ſenex: Si autem iuſtitia voluntati cooperetur, non bene conuertitur homo. Papæ quàm conſequentiam habẽt ſanctorum dicta. Interitus, inquã eſt iuſtitia voluntate commixta, ſummum periculũ maximus pauor. Tunc omnino periclitatur, imò perit infœlix. Quis enim valeat huic perſuadere vt credat, qui A per ſe videns quid præſtet, quid magis vtile ſit, maximè tamen adducitur vt propriæ opinioni inhæreat? Bene igitur vt optat inimicus illum ſupplantat, & labi & cadere facit. Ideò ait, tũc malè agit prauus, cùm iuſtitiam admiſcet. Odit autem cautelæ nomen maximè, neq; odit ſolùm: ſed nec ipſius verbi ſonũ pati poteſt. Odit quicquid de ea locutus quis fuerit vt verbi gratia: Antequam quicquam quis operetur, percunctatur de eius rei quam aggredi cupit vtilitate, antequam intelligat hoſtis, *Cautela, Dæmoni odioſa.* aduertat ne animum ad ea quæ dicuntur necne, odit tamẽ omnino ipſam interrogationem, odit attentionem, odit quicquid vtile narratur & dicitur, & hoc eſt quod ait: Odiſſe eum & nomen & ſonum cautelæ, & ab ipſo omnino auerti. Nouit enim verſutus & callidus eos iam intelligere vel ſuſpicari malitiam ſuam, ex eo quod de B vtilitate ſermonem miſcent & interrogant. Nec quippiam adeò abominatur & fugit quàm pandi & aperiri malitiam ſuam nihil poſtmodum inuenturus quod ad inſidias propinet. Si enim ſibiipſi cauet anima, ex eo quod omnia occulta ſua manifeſtat, ex eo quod audit alteri ſapientiori qui ſe inſtruat, hoc vt faciat, illud vt fugiat, hoc bonum eſſe, illud item malum, hoc iuſtitiam, il- *Prou. 11.* lud apparentem. Non eſſe item tempus eius rei nunc, alias eſſe tempus, nec inuenit Diabolus tunc quomodò noceat, quomodò ſupplantet, cùm ex omni parte gubernetur, cum vndique tutus ſit & cautus. Et tunc id maximè fit quod dicitur: Salutem conſiſtere in multo conſilio. Quod ſanè nollet inimicus. Sed maximè odio habet, vtpote qui ſemper optat malefacere, & his maximè C congratulatur qui duce carent & gubernatore, quia vt *Qualis erat Frater quidam qui confeſſionem deteſtabatur.* folia, decidunt. Illum autem maximè dilexit fratrẽ Diabolus, de quo Abban Machario dixit. Habeo vnum è fratribus tuis, quem vti turbinem cum volo, verſo. Tales diligit: atque his maximè delectatur, qui ſine duce ſunt, non his qui ſeſe ſummittunt ei qui poſt Deum auxilium præſtare potens eſt, & manum dare. Neq; enim diabo- *Remedium contra diaboli tentationes.* lus ille cunctos adeundi fratres poteſtatem habuit, cum illum ſanctus pater reperit tot potiunculas, tot pigmenta, tot alabaſtra circunferentem, non omnibus propinauit. Nam quiſquis illius præſenſit inſidias accurrit illico, & cogitationes ſuas quaſcunque latentes aperuit patri, & ſic auxilium inuenit in tempore tentationis, & hac de cauſa non potuit aduerſus eos iniquus inſidiator. Infœ- D licem illum vnum inuenit, qui ſe ipſum regeret & inſtrueret, qui nullum haberet coadiutorem, quémque vt voluit, ludo habuit, diſcedénſque ſoli gratias egit, cæteros omnes deteſtatus. Deniq; cùm rem beatiſſimo patri aperuit Diabolus, & fratris nomen ædidit; accurrit e veſtigio ad eum Pater ſanctus, & illam ſolam cõperit fuiſſe cauſam perditionis ſuæ. Inuenit enim ipſam confeſſionem deteſtantem, inuenit enim malè aſſuetum vel ſeipſum accuſare, vel cordis ſui ſecreta reuelare, atque illum idcirco dæmon cùm voluit, vt turbinem huc & illuc circumuoluit. Interrogatus enim à ſanctiſſimo patre, vt ſeſe ſua haberent hactenus, reſpondit, bene tuis orationibus pater: & illo iterum interrogante, nunquid ſuis cogitationibus oppugnaretur, noluit fateri, donec illi E multa arte & labore perſuaſit pater omnia edicere quæ contra ſeipſum eſſent, ſermonéſque Dei afferens, tandem illum tutatus eſt & conuertit. Venit igitur rurſum *Peccati cauſa* inimicus ex conſuetudine, volens vt ante, ipſum eijcere, fruſtraque & turpiter egit. Inuenit enim eum obfirmatum, neque vt antea, vagum & delirum. Diſceſſit ab eo deluſus. Quare interrogatus poſtmodum diabolus à patre ſancto vt ſeſe haberet frater ille amicus ſuus, haud illum amplius appellauit amicum, ſed hoſtem infeſtiſſimum, & ei male dixit: Auerſus enim inquit eſt à me, nec me iam audit, ſed omnibus durior & agreſtior factus eſt. Intelligere vobis iam licet, cur oderit Diabolus cautelæ ſonum. Quia ſi perditionẽ noſtram ex omni parte optat & quærit. Intelligitis quare ſeſe inſtituẽtes diligat, quia videlicet cooperatores eius ſunt, ſibi ipſis inſidias parãtes.

tes. Ego caſum alium nullum præter hunc noui monachorum viſſe cõgiſſe. Aiunt autem plerique nullum penè caſum hominum contingere, niſi ei qui cordi ſuo ſeſe crediderit: Quare cum vllum ſenſeris concidiſſe, ſcito nullam aliã potiorem cauſam interueniſſe, quàm quod cordi ſuo credidit, quod ſeipſum inſtituit. Nihil grauius nihil pernicioſius quã ſeipſũ regere. Protexit me Deus, fateor, & ſemper tutatus eſt ab hac ruina, & ab hoc periculo. Cum eſſem adhuc cum cæteris in cœnobio, reponebam ſemper omnia apud Abbatem Ioannem ſeniorẽ, nec aliquando ſuſtinui quicquã facere præter eius volũtatem. Quod ſi mihi aliquando cogitatio & mens mea reſpõdiſſet dixiſſetq; quid nunc turbare ſenem pergas? hoc tibi dicturus eſt quod ego, iratus in cogitationẽ huiuſcemodi meam referebam. Anathema tibi. Quicquid iudicij eſt tibi, quicquid diſcretionis eſt, quicquid prudentiæ, quicquid intelligentiæ, id omne tibi à dæmonibus eſt. Recta igitur, ſtatim ad patrẽ proficiſcebatur, ſæpiuſq; accidit vt id ipſum mihi ſenex reſponderet quod ante cogitatio mea præmeditata erat. Inſultabat illa igitur poſtmodum mihi. Quid ergo? en vt dixi eſt. Quid ſenem importunus perturbaſti? Cui ego contra reſpondebam, nunc bonum eſt, nunc id tibi fuit à Spiritu ſancto. Quicquid enim tuum eſt, omne malum eſt, à dæmone & ab habitu vitioſo. Sicque ſuſtinui nunquam cogitationi meæ credere, niſi patrem conſultaſſem prius. Quo factũ eſt (credite quod dicam fratres) vt in tanta ſemper quiete & ſecuritate eſſem, vt plerunque pœniteret me tantæ tranquillitatis. Quod memini alias me vobis ſæpius dixiſſe. Cum enim non ignorarem opus eſſe nobis *per multas tribulationes intrare in regnum cælorum*, ſentirẽmque me ipſum neque vnam afflictionem pati, angebar mirum in modum, fateor, dubius inſciuſque, vnde hæc tãtæ quietis cauſa eſſet. Quod mihi tãdem ſenex aperuit, monuitque ne mœrerem dicens: Quicunque ſeſe traderet in Patrum obedientiam, hanc tantam quietem & ſecuritatem à Deo neceſſariò cõſequi. Studete igitur & vos fratres crebro percunctari, & vos ipſis non attendere. Cognoſcite quantam tranquillitatem res iſta afferat. Sed quia prædixi ſenſiſſe me nullam aliquando afflictionem quid mihi cum adhuc eſſem in cœnobio acciderit aduertite: Incidi quadam die in ſubitam maximamque triſtitiam, circa quam vſque adeò laborabam ſudabamque vt pene animam redderem. Afflictio autem hæc & tentatio ex inſidijs dæmonum erat in me ipſum ab illis liuore & inuidia cõgeſta. Grauiſſima inquam, erat, at parui temporis vrgens, dubia deſperata, continua, quæ nullam haberet requiem, ſed ab omni parte affligeret, ab omni parte ſuffucaret. At præſto eſt vniuſcuiuſque mẽti gratia Dei, cum afflictionem & anguſtiam ferre ammodò non quiuerit. Hac igitur preſſus moleſtia & tentatione, cum penè deficerem in atrio monaſterij, Deo ſupplicabam. Cùm ecce in Eccleſia ſubitò animaduerto virum grauiſſimum Epiſcopali ſchemate ornatum, ſacra manibus ferre ac ſanctuarium ingredi. Ego vero paterna inſtructione & veteri conſuetudine hoſpitibus nunquã adhærebam, aut iniuſſu patris, aut ſine neceſſitate. Eo vero tempore tanquam ab alio traheter ſubſecutus eum ſum. Qui per integram fere horam erectis ad cœlum manibus orauit. Egóque pariter poſt ipſum ſtans cum magno timore ſupplicabam. Iniectus enim terror erat plurimus ex illius aſpectu venerabili. Cum autem ab oratione ſurrexiſſet, ad me conuerſus venit, quantóque mihi propior fieret, tanto ſentiebam amoueri à me triſtitiam & pauorem: Vt autem penes me fuit, extendens manum pectus meum digitis percutiebat, dicens: Expectans expectaui Dominum & intendit mihi, & audiuit precem meam. Ad eum vſque verſum. Carmen Deo noſtro. Et hos verſiculos omnes tertiò repetẽs, pectus vt dixi meũ ſemper verberabat. Eo poſtmodum recedente factum eſt ſubitum in me lumen, gaudium, conſolatio, dulcedo & in alium tranſmutatus ſum. Accurrens autem ſubito vt eum præuenirem, nuſquam illum inueni aut vidi. Ab eo die diuina miſericordia, nulla me ſenſi perturbatum triſtitia, vel timore, ſed protectus à Domino ſum ſemper precibus ſanctorum illorum ſeniorum. Hæc vobis dixi fratres, volens oſtendere quam ſecuritatem, quam quietem habeat trãquillitatẽmque, nulla in te ſeipſum inſtituere, ſed omnia ſua ad Dominum referre, & in eos qui poſt Deum poſſunt nos regere. Diſcite igitur & vos fratres interrogare, diſcite vos ipſos non regere quam bonum ſit, hoc enim humilitas, hoc quies, hoc gaudiũ eſt. Quis enim viſus otioſa quædam ſectari? non licere autem aliter ſaluari quam ſic, fortaſſe aliquis cogitat, meditatúrque quomodò habeat quem interroget, quid facto opus ſit. Quæcunque ſanè voluerit, non diſſimulatè voluntatem Dei facere, nunquam illum patietur Deus labi, ſed ſemper eum diriget in voluntatem ſuam. Et quiſquis cor ſuum direxerit ad diuinam voluntatem, hic puerum quamuis paruulum adeò illuminatum mirabiliter offendet, à quo poterit voluntatem Dei diſcere. Quod ſi quis ſimulatè quæſierit voluntatem Dei, & ad Prophetam ſcitatus abierit. Cordi eius iniquo, quid reſpondeat, dabit Deus in cor Prophetæ. Ita enim ait Scriptura: *Si autem errauerit & locutus fuerit Propheta, ego Dominus errare feci Prophetam illum.* Noſtrum igitur eſt fratres nos ipſos totis viribus ad voluntatem Dei dirigere, nec proprio cordi quippiam credere. Sed ſi quid nobis bonæ rei fuerit, audiamúſque ab aliquo ſeniorum quia bona eſt, debemus quidem credere quia bona eſt, non autem credere quod ante nobis ſit viſa bona eſſe. Et quia iuſta eſt, debet fieri, non autem quod ſic eam opinemur. Adijciendum quoque eſt quo pacto id fecimus, & diſcendum ſi illud bene fecimus, & poſt hæc omnia neque adhuc quieſcendum, ſed & ſuſcipiendum Dei iudicium, quemadmodum Pater ille ſanctus Agathon effecit, qui interrogatus an formidaret, reſpondit, laboraui, inquam, pro facultate mea: opus autem meum gratum ne fuerit Deo, hoc nõ noui, aliud eſt enim Dei iudicium & aliud hominum. Deus nos eripiat ab hoc periculo inſtituendi nos ipſos dignóſque faciat vt ſequamur & teneamus viã patrum noſtrorum, Amen.

Margin notes: *Dorotheus præter Abbatis Ioannis voluntatem nihil faciebat.* — *Malum vnde.* — *2. Cor. 8.* — *Quietis animi cauſa.* — *Dorotheo adeſt Deus in tentatione.* — *Dorotheo viſio.* — *voluntatem Dei facile ſcire poſſumus.* — *Deut. 13.* — *Pater Agathon.*

NE PROXIMVM IVDICEMVS, DOCTRINA VI.

SI meminerimus fratres dicta ſanctorum ſeniorum, ſi meditemur ea vſquequaque non facilè nos ipſos negligemus. Si enim vt illi dixerunt, non ſpernamus parua, & quæ nobis nullius videntur, non poterimus incidere in magna & grauia. Admoneo vos ſemper ex his minimis, cũ ſcilicet dicimus, quid hoc, quid illud eſt fieri: malam in anima noſtra conſuetudinem, & iam incipere nos in maiora ſpernendo prolabi. Cernis quàm graue peccatum ſit proximum iudicare? Quid hoc grauius eſſe poteſt? Nihil enim adeò execratur Deus, odit, & abominatur ex ſententia patrum, quia temerario iudicio nihil eſt deterius. Et tamen ex his quæ parua videntur iudicata, in aliquod maximum malum incidimus: ex minima enim ſuſpicione aduerſus proximum ex hoc dicto, Quid eſt ſi obſeruo hũc fratrem quid loquatur? Quid eſt ſi ego huiuſcemodi ſermonem loquor? Quid eſt ſi curioſe inſpicio, quid hic frater, quid hic hoſpes agat? Itaque iam incipit mens propria peccata negligere, quæ ſunt proximi attendere. Poſt quod ſequitur obloquium, iudicium, contemptus, ſenſimque in ea ipſe incidit, quæ in altero damnat & iudicat: Negligere enim propria mala, neque cadauer ſuũ deflere: hoc qui fecerit, nunquam ſeipſum eriget. Semper enim in proximi operibus mordendis iudicandiſq; occupabitur. Quare nihil adeò prouocat Deum, nihil adeo hominem ſpoliat, & fert in ambiguum, vt obloqui vt iudicare, vt ſpernere proximum. Aliud autem eſt obloqui, aliud iudicare, aliud contemnere. Obloqui qui-

Margin notes: *Proximum iudicare, quã execrabile ſit.* — *Obloqui proximo.*

Digitized by Google

Deut. 6.

dem eſt aliquid dicere aduerſus quempiam, vt quod mentitus, quod iratus, quod fornicatus ſit, vel quippiam A alud huiuſcemodi. Ecce peccatum eius prodidit & diſpoſitionem animi ſui. Iudicare autem eſt dicere quod quis mendax ſit, iracundus, adulter. En iudicauit diſpoſitionem ipſam animæ ſuæ, & omnem eius vitam aperuit, dicens quod talis eſt, nam cum vti talem iudicauit.

Luc. 18. c Superbe hic ore loquitur.

Quod ſanè grauiſſimum peccatum eſt. Aliud eſt dicere quod iratus ſit, atque alud quod iracundus, quia ſcilicet hoc vt dixit, totam ipſius vitam aperit. Atque adeò graue eſt de omni peccato iudicare, vt Christus dixerit in Euangelio: *Hypocrita eijce primum trabem ex oculo tuo, & tunc eijcies feſtucam de fratris oculo.* Comparauit enim feſtucam peccato, iudicium autem trabi. Excedit, inquam, omne peccatum temerarium iudicium. Et Phariſæus ille orans & gratias agens Deo de bonis operibus ſuis, nequicquam mentitus eſt, ſed vera confeſſus; neq; ob hoc B iudicatus. Debitores enim ſumus ad agendas Deo gratias, cum boni aliquid ab ipſo egimus, vtpote qui nos adiuuit & cooperatus eſt ad id bonum. Neque ex hoc vt prædixi iudicatus à Domino eſt, neque quòd dixerit vt cæteri homines, ſed ob hoc quia ad publicanum conuerſus, neque inquit, vt hic publicanus.

Senioris fratrem iudicantis exemplum.

Tunc enim iudicatus eſt, tunc auctum eſt eius væ. Iudicauit enim ipſam perſonam, diſpoſitionem mentis, & vt breuiter dicam, omnem ipſius vitam. Qua ex re deſcendit publicanus ſuper illum iuſtificatus. Nihil (vt ſæpius dixi) grauius, nihil difficilius, quam proximum iudicare atque contémnere. Cur enim non magis noſipſos dijudicemus de malis proprijs quæ optime nouimus, & de quibus inuiti C reddere rationem Deo cogemur. Quid vſurpamus iudicium Dei, quid ad nos de creatura & ſeruo alieno. An non cõtremiſcimus totis viſceribus, dum audimus quid ſeniori illi magno contigerit? Qui cum audiſſet vnum è fratribus in adulterium cecidiſſe, cum indignatione quòd malè feciſſet, reſpondit. An non accepiſtis quam horrenda res de ipſo narratur ab antiquis? Aiunt enim ſanctum Angelum peccatoris illius animam, cum iam è vita migraſſet, ad ſenem detuliſſe atque dixiſſe. En quẽ iudicaſti, vita functus eſt, quo me igitur iubes ipſius animam deferre, ad ſuperos ne, an ad inferos? Quid obſecro hac re poteſt eſſe magis horrendum. Nihil aliud innuere ſeniori voluit Angelicus ſermo quam hoc. Si tu iuſtorum iam factus es iudex, dic mihi oro de miſerabili D hac anima quam ſententiam feras, velis ne miſereri an ſæuire? Qua percuſſus ſenior ille ſanctiſſimus hac tam horribili re, reliquum omne vitæ ſuæ tempus inter lachrymas gemitúſq; & innumeras ærumnas egit, veniam tanti peccati depoſcens à Deo. Ad pedes tandem Angeli reuertentis procidens, audiuit impetraſſe ſe veniam à Deo. Deúmque id feciſſe, vt oſtenderet quam ei graue & moleſtum eſſet iudicium noſtrum temerarium, monuítque ne animo id vnquam faceret. Non tamẽ potuit ex his verbis anima illa amariſſima cõſolationem vllam admittere, ſed perpetuis pœnis tormentíſq, ſeſe dum vixit, addixit. Quid nobis igitur de proximo? Quid nobis de alieno malo? Habemus noſipſi fratres in nobis quod curemus. Quilibet ſibipſi attendat & ſuis malis. Solus E enim Dei eſt & iuſtificare & iudicare, qui ſtatum & virtutem, conuerſiones & gratias, compoſitionem & aptitudinem vniuſcuiúſque nouit, atque horum vnumquéque poteſt ſolus diſcernere.

Iudicium Dei pro ratione varia perſonarum.

Aliter enim iudicat Deus Epiſcopos, aliter principes, aliter prælatos, aliter ſubditos, aliter ſeniores, aliter iuniores, aliter ægrotos, aliter bene habentes, & quis tot queat iudicia facere præter eum qui omnia condidit, omnia formauit, omnia nouit? Memoria autem teneo factum huiuſcemodi quandúque me audiſſe.

Exemplum terribilis Dei iudicij circa homines.

Nauem ſcilicet ſeruorum ad quam neſcio vrbem applicuiſſe, in qua ſane vrbe eſſet virgo ſanctiſſima ſalutis ſuæ admodum diligens & ſtudioſa, hoc cum accepiſſet læta facta eſt, optabat enim ſibi ancillulam ex his mercari quam ſuo arbitratu aleret & enutriret in Dei cultu, nec vlla labe mundialis malitiæ ſineret contaminari. Accerſiri ergo iubet nauis gubernatorem, A quem ſtatim comperit, tenere penes ſe puellas duas eius ætatis quam optabat. Quibus viſis ex his alteram ſibi dato precio accepit. Vbi vero abijt mercator haud longe digreſſus à virgine illa, obuiam habuit ſcenicam & proſtibulam quandam, cui poſcenti puellam alteram precio dedit. Contemplamini obſecro myſterium Dei, cõtemplamini iudicium. Quis poteſt de re hac ſanam afferre rationem? Suſcipit virgo ſanctiſſima puellam primam, eámque in timore Domini nutrit, inſtituit, informat in omne opus bonum. Docet omnẽ monaſticam conuerſationem, oſtendit ſuauitatem Angelorum & mandatorum Dei. Suſcipit & proſtibula eodem precio ſecundã, & eam (breuiter dicam) diabolicis operibus omnino addidit.

Dei iudicia homini inueſtigabilia. Rom. 11.

Quid enim aliud habebat furia illa quod eam doceret, quàm animæ ſuæ interitum & ruinam? Quid B autem dicemus de horribili iudicio hoc? Ambæ paruæ erant, ambæ venundatæ, ambæ ignaræ quo proficiſcerentur, qui ſeſe manerent exitus: & ecce in manus Dei altera, altera in manus diaboli incidit. Nunquid igitur dicere poſſumus idem conſilio & diſpoſitione Dei factum? Haud inquã licet, haud fas eſt ita iudicare. Si enim ambæ in idipſum vitium incidiſſent, liceret vtique dicere idem iudiciũ ambabus eueniſſe. Ad hæc didicit omnia de iudicio, de regno Dei, die ac nocte inter verba Dei verſata eſt. Miſera autem illa nunquam vidit, nunquam audiuit quid bonum eſſet, at contrà potiùs in omne malum eſt edocta, ad omnia turpia, & obſcœna, diabolica inſtructa. Et quomodò poteſt repeti ab vtriſque eadem diligentia? An non igitur quod dixi dudum ve- C riſſimum eſt, non poſſe hominem vllum iudicium Dei agnoſcere? Sed ſolum eſſe Deum qui circa ſingula ſuſcepit iudicium, vt ſolum qui omnia nouerit: Contingit plerúnque aliquem ex fratribus in multis errare ſimpliciter: rem autem vllam in ſe habere, qua Deo mirifice ſuper omnem vitam tuam placeat, & tu ſedens & otioſus illum iudicas, atque animam tuam lædis. Eſto ceciderit, tu quid ſcis quomodò concertauerit, quomodò effuderit ſanguinem ſuum antequàm caderet, ita vt pene inueniatur, vitium ſuum iuſtificatum apud Deum? Vidit fortè Deus laborem eius & afflictionem quam paſſus eſt cum tentaretur, miſertúſque eſt illius & ignouit. Cùmque illum miſertus Deus ſit, tu iudicare audeas, atque animam tuam perdere? Quid tu, oro, ſcis quot fuderit D lachrymas pro delicto huiuſcemodi? Noſti quidem delictum, non noſti pœnitentiam. Sed eſto quod iudicares tantum, hoc non contentus, etiam contemnis.

Frater non temere iudicandus.

Aliud eſt enim vt dixi iudicare, atque aliud contemnere. Contemptus fit poſt iudicium, vt ſi conuitieris proximo, ludo illum atque odio habeas: Quod ſane peius eſt & perniciosius iudicio.

Qui optant igitur ſaluari, nunquam curioſi ſunt circa minima proximorũ delicta, ſed circa ſua ſemper occupantur atque ea præcidunt. Quod præclare egit ille, qui cum fratrẽm ſuum peccaſſe audiret, ſuſpirans dixit: hei mihi quia ille hodie, cras ego. Cernis in eo animæ promptitudinem, cernis propugnacula ipſius: Quam cito inuenit, ne fratrem ſuum iudicaret. Id enim verbũ E quod dixi ego cras, ſibi ipſi timorem dedit & cogitationem, vt caueret ab his in quibus ſe peccaturũ prædixiſſet, ac ſi proximi iudiciũ effugit.

Anachoretæ cuiuſdam præclarè dictum.

Neq, hoc ſatis fuit, ſed & ſeipſum humiliauit & ſubdidit dicens: Egit hic pœnitentiam, ego autem pœnitentiam nullam ago, nec præuenio vt poſſim pœnitere. Vides diuinæ animæ lumen, quæ non ſolum effugit proximi iudicium, verum etiam ſe ipſam humiliauit? At nos infœlices abſque vlla diſcretione iudicamus, odio habemus, contemnimus quicquid viderimus, audiuerimus, ſuſpicati fuerimus. Quòdque grauius eſt multo, non contenti damno noſtro, cæteros in communem ruinam trahimus. Obuium enim quemcúnque habuerimus ex fratribus, illi ſtatim dicimus, hoc & hoc factum eſſe eique pariter nocemus, dum cordis eius prauas cogitationes ingerimus.

Nec

Nec formidamus comminantem ac dicentem: Væ qui
proximo propinat mollem & euerſionem. Quod opus
ſanè dæmoonum eſt, hæc tamen cum facimus nulla nobis
cura eſt. Quid aliud agit dæmon & turbationes mouere
ſtudet? Itaq; parum à dæmonibus, quibus cooperamur
in ruinam noſtram & proximorum, diſtare probamur.
Qui enim animam lædit, & cooperatur dæmoni, & au-
xilium fert eidem, vt qui animæ prodeſt, Angelorum
Charitas hominum ferè nulla.
cooperator eſt. Cuius rei cauſa eſt, quia in nobis vel nulla
vel exigua charitas eſt. Ea enim compatitur & cōteritur
cum proximurum peccata viderit, vt dicitur: *quia charitas*
Iac. 5.
operit multitudinem peccatorū. Et iterum: *Charitas non cogitat*
1. Cor. 13.
malum, & omnia celat. Nos igitur ſi charitatē haberemus,
omnia tegeremus, omnia diſſimularemus, vt factum eſt
à maioribus noſtris dum delicta hominū cernerent. Sed
an cæcos illos fortaſſe opinamur? abſit. Cæci ad peccata
hominum erant. Qui autem hominū ſic odere peccata
vt ſancti? neque tamen peccantes odio habuere, non
cootempſere, non alluſere, non auerterunt ſeſe ab eis.
Sed compatientes admonuere, hortati ſunt, curarent vt
membrum debile. Omnia fecere, omnia ſuſtinuere, vt
ad ſalutem quacumque reducerent, imitati piſcatores,
qui cum piſcem vllum immenſum hamo iacto ceperint,
vbi illum fluctus miſcere & magna vi concuti ſentiunt,
non eum ſubito ad littus trahunt cum moleſtia, ſed cal-
lide funem illi remittunt, ſinūtq; molliter enatare quò
voluerit. At vbi cognouerint remiſſam irā & feruorem,
ſenſim illum incipiuot trahere, ſicque capto potiuntur.
Ita viri ſancti cum patientia & charitate fratrem trahunt,
Correptio fraterna.
neque ipſum calcibus appetūt, aut odio inſectantur, ſed
veluti mater quæ deformem filium peperit, non eum
ſpernit quia deformis eſt, ſed materno amore beneuo-
lentia & māſuetudine ornatum reddit, & quicquid gra-
tum nouerit facit. Sic illi peccatorem ſemper ſuſcipiūt,
ornant, tuentur, protegunt, vt tandem eum reuocent &
& erigant, neque alius ab eo lædatur, ipſi verò magis in
S. Hamon.
Chriſti charitate proficiant. Ita ſanè fecit Hamon ſan-
ctiſſimus, cum ad eū veniſſent fratres, ita & furore pleni,
quod mulierem in cella monachi deprehendiſſent.
Quantum enim māſuetudinis & charitatis in eo indicio
anima illa ſancta præ ſe tulit. Nam vbi cognouit mulie-
rem ſub doliolo latere, ſtatim ſuper illud ſedit, iuſsitque
fratres cellam vniuerſam quærere. Qui cum nihil ioue-
niſſent, dixit ad eos. Parcat vobis Deus, illóſque penè
confuſos præmonitóſque ne facilè crederent aduerſus
proximum dimiſit, fratrem autem illum ad tempus cor-
rexit erexitque, illis enim exploſis omnibus ſolius manū
tenens, curam tui habe frater, dixit, qui ſtatim oratione
compunctus eſt, & benignitate & clementia patris ſa-
natus. Et nos igitur in nobis foueamus humanitatem &
manſuetudinem erga proximum. Fugiamus à detra-
ctione, iudicio, & contemptu proximorum, inuicem
nobis opem feramus. Vulneratus enim quis pedem, vel
manum, vel quoduis aliud membrorum, vt illud non
abominatur, aut abſciſſum proijciat, & ſi pus fœtidiſſi-
mum emiſerit, ſed potius abluit, purgat, medicinam
adhibet, obſignat, conſolidat, benedicit, ſupplicat, ad-
hibet preces & orationes ſanctorum virorum, & quæ-
cumque tandem facit quæ ad valetudioem conſequen-
dam pertineant. Compatiamur igitur inuicem membris
noſtris & mutuò complexantes foueamus. Omnia fa-
ciamus, excogitemus vt inuicem nobis opem feramus.
Rom. 12.
Membra enim inuicem ſumus, vt ait Apoſtolus. *Si enim*
1. Cor. 10.
vnum corpus ſumus, ſinguli autem ſingulorum membra: & ſi
quodpiam membrorum patitur, compatiuntur, &c. Quid enim
nos cœnobia exiſtimus? An non videntur vnum cor-
pus eſſe, ſinguli autem membra? Qui enim admini-
ſtrant, caput: qui vero ſpeculantur & corrigunt, oculi:
qui ſermone profuot, os, qui obediunt, aures: qui exer-
centur, manus: pedes, qui reddunt reſponſa & admini-
ſtratores ſunt. Caput igitur es? adminiſtra. Oculus es?
aduerte animum & cogita. Os es? loquere, adiuua.
Auris es? pareas. Manus es? operare. Pedes? guberna.

Vnumquodq; membrum ſubminiſtret corpori pro viri-
A bus ſuis. Nitimini opem mutuam præſtare, vel docētes
ignaros, vel Dei verbum immittentes cordibus fratrum,
vel conſolantes in tempore tribulationis, vel manum
dantes & auxiliantes ad opus aliquod. Et vt concludam
breuiter quod ante dixi, ſtudeat vnuſquiſque pro virili
parte cohærere proximo ſuo, quo enim magis proximo
in amore & beneuolentia cohæſerit, eo amplius & Deo
cohærebit. Exponam vobis exemplum olim à Patribus
datum, vt ſermonis vim & potentiam contemplemini.
Subſcribite mihi huiuſcemodi figuram ſphæricam cum
hoc ſigno, & animum ad ea quæ dicam aduertite. Cir-
culum fingite mundū eſſe, centrum autem circuli Deū,
Charitatis natura, ex analogia circuli, & centri, ad Deum & mundum.
lineas autem à circulo in medium diductas, vias credite
varias, negotiationéſq; mortaliū. Quo magis penetrant
ſancti viri ad interiora vt Deo appropient per rationem
B ingreſſus, eò magis appropiant Deo & ſibiipſis; quan-
tóque ſibiipſis, tanto & Deo, & quantò viciniores fiunt
Deo, tantò & ſibiipſis, quantóque ſibiipſis tanto &
Deo. Conſiderate item receſſum & abloogationem;
Cum ſcilicet recedunt à Deo & ad exteriora ſeſe effun-
dunt. Quantò enim magis à Deo recedunt, tantò &
à ſeipſis; & quantò à ſeipſis, tantò à Deo. Hæc eſt enim
charitatis vis & natura. Quò enim magis à Dei dile-
ctione recedimus, eò & à proximi amore diſtamus,
quantò Dei charitati adhæremus, tantò & proximi,
quantóque proximo, tantò & Deo. Dignos faciat nos
Deus audire quæ nobis vtilia ſint, atque eadem facere.
Quo enim ſtudioſiores fuerimus ad agendum audita,
eò nos magis illuminabit Deus, & docebit voluntatem
C ſuam, Amen.

DE ACCVSATIONE SVIIPSIVS.

Doctrina VII.

QVÆRAMVS fratres id vnde potiſſimum
eueniat, vt cum verbum quis vllum mole-
ſtum acceperit, quaſi illud non audiuerit,
ſæpè abſque vlla afflictione diſcedat, non-
nunquam verò ſtatim vt illud audiuerit, turbetur & af-
fligatur? Quæ oro cauſa eſt huiuſce varietatis? Vnam
ne rationem habeat res hæc, an plures? Ego multas in-
Quòd facilè ferant contumelia, & cur.
eſſe rationes & cauſas animaduerto, atque vna imprimis
D quæ cæteras omnes gignit vt quidam ait: ex ipſo interi-
dum ſtatu in quo quiſque repertur, hoc prouenit.

In oratione enim aut contemplatione repertus facilè
conuitiantem fratrem fert, & immobilis perſtat. Ali-
quando ex affectione nimia qua quis in aliquem fra-
trem tenetur, omnia enim præ amore ab eo patientiſ-
ſime tolerat. Nonnunquam quoque ex contemptu,
cum ſcilicet quis contemnit & ſpernit eum qui ſeſe tur-
bare voluerit, dedignatúrque in illum tanquam in viliſ-
ſimum omnium intueri, aut verbum illi reſpondere, aut
de ipſius iniurijs & maledictis cum aliquo mentionem
facere, huiuſcemodi vir, fateor, admiratiooe ſumma
dignus eſt.

Erat in cœnobio noſtro frater antequam ego inde di-
grederer, quem nunquam videbam vel turbatum vel af-
E flictum in aliquo, econtrà aſpiciebam plurimos ex fra-
tribus illi verbis aſperis moleſtos & graues, quæ omnia
animo æquiſſimo ferebat & patientiſſimo. Mirabar,
fateor excellentiam patientiæ eius, optabámque ex eo
audire quomodo ſibi virtutem hanc tantam paraſſet.
Cum igitur eum aliquando obuium habuiſſem, data
pace orare cœpi ne me celaret quid nudiustertius cogi-
taret, cum à multis plurimis afficeretur iniurijs, & quo-
modo tantum pati poſſet & ferre. Reſpondit ille mihi
ſimpliciter nulla circuitione aut recuſatione: Ego me
ſic habeo ad has iniurias & ita eas perfero, vt ab homi-
oibus blandi canes.

His auditis demiſi aures & mihiipſi dixi inuenit frater
hic viam per quam rectè incedat, méque obſignans

& firmans abij, ſupplicans Den & illum protegeret. Hinc igitut vt dixi, prouenit non turbari aliquem aut affligi ſi quæ dicuntut ſpernat & negligat. Tuibari autem& affligi ex verbis fratris inde fit, quòd in ſtatu nullo bono reperitur, vel quòd fratrem illum oderit. Sunt autem & aliæ plurimæ huiuſce rei cauſæ, quæ differenter dictæ ſunt. Sed ratio omnis perturbationis, ſi quęramus diligenter, ea eſt, qnòd nemo ſeipſum accuſat. Hinc fluit omnis moleſtia & afflictio, hinc eſt vt nullam aliquando requiem habeamus, nec mirari licet, cum à ſanctis hominibus acceperimus, nullá præter hanc nobis ad quietem viam dari. Quod ita eſſe in plurimis vidimus, & nos deſides & amantes requiem ſperamus, vel credimus viam rectam à nobis incedi, cum in omnibus ſimus impaoentiſſimi, nunquam ſuſtinentes noſmeópſos accuſare. Ita ſe res habet. Quotquot virtutes poſſederit homo, & ſi innumeras atque ioſinitas, à via autem bac declinauerit, nuoquam quieſcet, ſed ſemper vel affligetur, laboréſque ſuos omnes deperdet. Quod autem gaudiũ vel requiem conſequatur is qui talis factus fuerit, vt aiebat Abbas Paſtor. Qui enim ſeſe accuſauerit, quicquid incommodi, damni, probri, ignominiæ vel alterius cuiuſque afflictionis incurrerit, omnia bilarè ſuſcipit, omnibus indignißimum ſe putat, neque vllo modo turbari poteſt. Quid hoc homine quietius? Sed mihi fortaſſe quis obijciet. Quid ſi me affligat frater, quæréńſque nullam me inueniam occaſionem dediſſe, cur me accuſare debeam? Profectò ſi ſe quis cum Dei timore diligenter examinet, nunquam omnino ſe inſontem inueniet. Videbitq; vel actu, vel verbo, vel figura vllam à ſe occaſiooem datam. Quod ſi in nullo borum ſe tunc ſontem inueniet, profecto alio tempore afflixit fratrem illum vel eadem vel diſſimili in re. Quare hoc merito repatitur, vel ob alia qnæ alias plurima peccara commiſit. Quærit alius cur ſe ipſum accuſet, cum ſedens in omni pace & quiete affligitur à ſuperueniente fratre verbo illo, vel moleſto, vel ignominioſo, quod cum pati non queat, iraſci ſe putat, & turbari cum ratione. quia niſi incidiſſet ille & locutus fuiſſet & turbationem feciſſet, nunquam peccaſſet, boc certè ridiculum eſt, nulláque nititur ratione. Neq; enim ex hoc quod verbum vllum dixerit, paſſionem iræ illi iniecit, quin potius oſtendit, qua laboraret paſſione. Vt ſi vellet, pœnitentiam ageret, hic ſilici ſimilis factus eſt nitidæ & ſplendenti, quam cum quis fregerit, cœnum eius patefaciet. Sed qui ſedet quietus & pacificus vt exiſtimat, paſſionem intus habet quam non videt. Superuenit frater, verbũ vllum moleſtum obijcit, ſtatimq; pus omne & lutum quod intus latebat euomitut. Quare ſi miſericordiã vult conſequi, pœnitẽtiam agat: Initiatus proficere ſtudeat, videbítque debuiſſe magis ſeſe fratri illi gratias, quam iniuriam referre, qui tantæ ſibi fuerit vtilitatis occaſio. Non enim poſtmodum tentationibus adeò affligitur, ſed quanto profecerit magis, tanto illas ſentiet minus. Nam quanto proficit anima, tanto fit fortior & valentior ad ferenda quæcumque dura contigerint. Iumentum enim illud fortiſſimum dicimus quod onus quódque etiam magnum, valenter & commode vehit, & ſi contigerit caſu vllo offendere vel cadere, ita ſtatim excitatur & reſurgit, vt vix offendiſſe vel cecidiſſe ſe ſenſerit. Debile autem animal cuicumque oneri etiam leuiſſimo ſuccumbit, & ſi ceciderit, ad reſurgendum multorum opus habet auxilio. Idem eſt de anima quæ quo magis peccauerit, eo fit ſemper debilior. Peccatum enim in miſeriam quamcumque trahit, & concutit apud quem fuerit. Quod ſi poſtea quippiam contigerit, illud eum adhuc magis aggrauat. Si vero profecerit homo & ſurrexit ex peccato, quæcumq; poſtmodum acciderint, leuia reputabit, cum antea viſa eſſent grauiſſima, conferúntque magis & benefaciunt, quam lædant: Ad ſummámque profectionem & quietem deducimur, ſi noſipſos in omnibus accuſemus, eo etiam magis quò nihil nobis abſque diuino nutu & prouidentia euenit. At dicet fortaſſe aliquis. Quo pacto poſſum non turbari, cum vlla mihi re opus eſt nec eam accipio? Atqui nec ex hoc potes quempiam accuſare vel turbari cum ratione. Nam quicumque re vlla opus habet nec eam accipit, debet in ſeipſo dicere, nouit Chriſtus Dominus quid mihi opus ſit, fiat igitur ipſe mihi huiuſce rei vel cibi loco. Filij enim Iſraël manducauerũt mannam in deſerto annos quadraginta. Fuitque ſpecies vnica mannæ, vnicuique facta eſt vt illam quiuis optabat & opus babebat. Nam cui acredine & ſalſedine opus erat amara & ſalſa facta eſt, cui dulcedine, dulcis, conueniens ad quamlibet commeſtionem. Sic igitur cum alicui opus fuerit ouo, acceperit tantum oluſcula, dicat ſibiipſi, ſi mihi ouum expedierit, illud potens eſt Dominus mittere, vel potentius olera in ouum conuertere, credátque Deo, quoniã hoc ſibi fiet in martyrium. Si quis quoque quiete dignus fuerit, & ocio, certus ſit facturum cum eo Deum miſericordiam prout opus fuerit. Quod ſi quiete indignus fuerit, vel inutile ei quieſcere, ſi nouum conderet cœlum nouam terram, requiem nunquam conſequetur. Ex quo fit, vt alius præter neceſſitatem ſuam plerumque habeat, alius multis egeat, quoniam Deus miſericors vnicuique neceſſaria impertitur. Cúmque alij dederit præter neceſſitatem, huic oſtendit humanitatis ſuæ magnitudinem, docétque vt gratias agat: cum autem alteri non præſtat quod videtur neceſſarium, hac ratione facit vt oſtendat hæc non adeò neceſſaria eſſe, doceátque pati, & in cunctis ad ſuperiora proſpectum noſtrum intendere. Ita vt intelligamus ſi vel bene vel male fuerimus affecti: id omne deſuper eſſe, & in cunctis quæ nobis occurrerint, gratias ſemper agendas: ferentes in nos ſemper omnem accuſatiooem. Dixerunt enim maiores noſtri, quicquid nobis boni eueniſſet, id eſſe diuinam diſpenſationem, ſi autem malum vllum veniſſet, eſſe id peccata noſtra. Verè enim quicquid patimur, ob delicta noſtra patimur. At ſancti viri paſſi ſunt, vel ob Chriſti Ieſu nomen, vel vt virtutem ſuam in lucem ederent ad multorum vtilitatem, vel vt præmium ſuum maius apud Deum fieret. De nobis autem infœlicibus quomodo poſſumus hoc dicere? Qui quotidie peccantes, & paſſionibus vitijſque noſtris obſequentes, relinquimus viam rectam, quam patres noſtri in ſuiipſius vera accuſatione dixere conſiſtere. Nos verò retrò lapſi in cunctis proximum accuſamus, ita vt quiuis noſtrum ſtudeat, ſemper cauſam omnem erroris in fratrem referre & omne onus illi imponere: omniáque negligentes & nihil curantes à proximo præcepta repetimus. Conuenere ad me quandoque fratres duo, qui mutuò tumultuati fuerant. Dixitque maior imperaſſe ſeſe rem minori, ex qua ille ſtatim turbatus eſſet, quo viſo non potuiſſe quoque ab ira temperare: Quia (inquit) ſi in me fidem & charitatem habuiſſet, omnia excepiſſet à me cum fiducia & manſuetudine. Reſpondebat iunior, da veniam quæſo pater, hic mihi non eſt locutus cum timore Dei, ſed vt ille qui ambit imperare, ex quo exiſtimo cor meum fortaſſe in eum non potuiſſe ſpem & fidem habere. Aduertite animum quemadmodum ambo ſeſe inuicem accuſabant, & neuter eorum in ſe ipſum cauſam conferebat. Alij quoque duo cum turbationes inter ſe commouiſſent, & pœnitentiam poſt agerent, vtrinque dubij ancipitéſque manſere. Dicebat quidem alter, non datam ſibi ex corde pacem, atque ea de cauſa non potuiſſe confidere. Aiebat alter non fuiſſe illum ad reddendam pacem præparatum, niſi prior veniam deprecatus eſſet. Vides rem ridiculam? vides turbinem cogitationum? Sæpe meum doleo, vt nouit Dominus, quòd maiorum, & patrum noſtrorum ſententias ad iniquas & prauas cogitationes noſtras inuertimus & animarum noſtrarum interitum. Debuit vterque illorum accuſationem in ſe ipſum torquere, & alter quidem dicere, quia ex corde fratri pacem non dediſſet, ideò feciſſe Deum ne omnino conſideret. Alter autem quia nõ fuiſſet ad fraternam remiſſionem omnino præparatus, niſi ante ille pœnitentiam egiſſet, hac de cauſa eidem

eidem

Obſignatre ſe.

Perturbationum cauſa que ſit.

Abbas paſtor.

Iracundiæ nullum iuſta cauſa.

Anima peccato debilitatur.

Dei prouidentia.

Tribulationũ cauſæ.

Via recta in ſui ipſius accuſatione conſiſtit.

2. Fratrum iurgium quod neuter ſe accuſabat.

Accuſare ſeipſum quiſq; debet.

eidem noluiſſe fidem præſtare. Idem & in alijs duobus faciendum fuit. Et primus quidem accuſare ſe debuit, A quod imperioſus nimis eſſet. Secundus autem cogitare & dicere, imperari ſibi cum charitate & fraterna dilectione, ſe vero inobedientem, ſuperbum eſſe, ac ſine timore Dei. At neuter viam inuenit qua ſeipſum accuſaret, ſed alter potius in alterum cauſam intorſit ſemper. Hinc fit quòd nunquam proficimus, nunquam procedimus, conterentes omne vitæ noſtræ tempus, computreſcimus in cogitationibus noſtris, bellóque inteſtino nos inuicem laceſſimus. Vnuſquiſque etenim noſtrum ſe iuſtum facit, labitúrque quiuis ad quæcumque ſine cura, ſine cuſtodia vlla ſui ipſius. Extorquet vnuſquiſque præcepta à proximo. Hinc fit, vt neque ad bonum conſueſcamus: Cum enim paulum excanduerimus ira, omnia ex proximo volumus extorquere. Accuſamúſq; B eum illico & dicimus ſic agere eum debuiſſe, inclamamúſque quare ita non egerit. Aut cur non magis ipſi nobis imperamus? Cur non accuſamus nos ipſos potius vt deſides & negligentes in rebus noſtris? Vbi nam ſenior ille, qui interrogatus quam potiſſimam viam ad Deum inueniſſet, reſpondit: Hanc præ omnibus, vt ſeipſum homo in cunctis ſemper accuſet? Laudata eſt ſententia ab interrogante magis magiſque confirmata. Dixit & Abbas paſtor virtutes omnes cum gemitu domum ad virtutem vnam cõmigraſſe, & hominem extra hanc fruſtra eniti & laborare. Interrogatúſque quæ nam illa eſſet, hæc ait, vt ſeipſum homo accuſet. Aiebat & diuus Antonius, eſſe hanc humani operis partem maximam, quæ peccatum proprium in conſpectu Dei ponit. Quę nullum tentationum vitabit incurſum, ſed durabit C ſemper dum vita ſpiritúſque manebit. Hinc patres & ſeniores noſtros inuenimus huiuſce virtutis fuiſſe ſtudioſiſſimos, & minima quæque ac vilia in Deum ſemper retuliſſe. Quare in pace, ocio, & quiete ſemper extitiſſe. Ita fecit ſanctiſſimus ille ſenex, in cuius pulmẽtum cum miniſter incautus oleum lini pernicioſum pro melle infudiſſet, idq; præſenſiſſet, nihil locutus eſt, ſed comedit tacens vnam atque alteram paropſidem, quantúmque ſibi opus fuit. Neque fratrem accuſauit in animo, neque cogitauit quòd eſſet ab eo contemptus neque verbum vllum quod eum triſtitia afficeret, locutus eſt. Hoc autem vbi cognouit frater, cœpit conqueri dicens: occidi te pater Abba, & tu peccatum huiuſmodi ſuper me poſuiſti tuo ſilentio. Audi obſecro qua manſuetudine reſpondit illi ſenex: Ne te excrucies vel affligas fili, ſi me voluiſſet Deus mel edere, mel appoſuiſſes. Statim ad Deum rem retulit. Quid hoc ad eum ô Calogere? frater errore ductus id egit, tu quæ dicis, ſi Deus voluiſſet me mel comedere, mel appoſuiſſes? hoc vtique eſt, quod dico. Noui enim & certiſſimum habeo quod ſi me Deus mel voluiſſet edere, peſtiferum oleum in mel conuertiſſet. En ſenis conſtantiam nuſquam erga fratrem conturbati, & ſi dies plurimos æger capere cibum nunquam potuiſſet: En quomodo ad Deum rem omnem retulit, quomodo fratri bene locutus eſt. Nos autem quauis etiam re facillima in proximum irruimus, increpantes, accuſantes eum, vt ſpernentem nos, vt contra conſcientiam factitantem. Cúmque verbum audiuerimus, ſtatim illud peruertimus dicentes, niſi me carpere & mordere voluiſſet, id non dixiſſet. Vbi (oro) ſanctiſſimus ille Dauid, qui de Semei dixit: *ſinite illum mihi maledicere, quoniam ei dixit Dominus, vt Dauid execraretur?* Viro homicidæ locutus eſt Dominus vt Prophetam malediceret? Quo pacto illi hoc dixit Deus? Propheta vtique cognoſcens & intelligens nihil ita miſericordem Deum in animam immittere, vt tentationes in tempore maximæ tribulationis & ſeditionis aiebat: Sinite illum Dauid maledicere, quoniam Dominus dixit ei. At quare hoc? vt videat inquit Dominus humilitatem meam, & inducat mihi bona pro hac maledictione. En vt Propheta hæc agebat cum cognitione, vnde retinebatur ab his qui maledictum vlciſci volebant illico: Quid mihi

Seipſum accuſare quam laudabile ſit.

2. Reg. 16.

& vobis filij Saruiæ? Sinite eum maledicere, quoniam A Dominus dixit illi. Nos vero cum verbum vllum in nos dictum audimus, canes imitamur, hi enim ſi quis in eos lapidem iecerit, iacente dimiſſo lapidem remordent. Ita nos Deo relicto, qui nobis tribulationes huiuſcemodi ad peccatorum noſtrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc eſt ad proximum currimus dicentes: Quare hoc mihi locutus eſt, quare hoc fecit? Cúmq; ex his proficere admodum poſſimus & mereri, negligentia noſtra demeremur. Ignorantes quòd omnia Dei prouidentia fiant ad vtilitatem vniuſcuiuſque. Deus ipſe intelligere iſta nos faciat, precibus meritiſque ſanctorum, Amen.

Impatientes canibus ſimiles.

Preces & merita Sanctorum.

DE SIMVLTATE,

Doctrina VIII.

B DISSERVERE ſæpe maiores noſtri nihil adeò alienum & extraneum à monachis eſſe, vt iraſci, aut vllum triſtitia afficere. Item eum qui irã ſuperaret, dæmones ſuperare. Eum autem qui ab hac paſſione ſuperaretur, eſſe omnino ab inſtitutione monaſtica alienum. Quid igitur nos de his dicamus qui non ſolum ad animum vſque, irámque perueniunt, ſed etiam ad ſtudium vindictæ impelluntur? Quid aliud debemus dicere, niſi noſtrum hunc miſerrimum & infœliciſſimum ſtatum deflere? Abſtineamus fratres igitur & nobis ipſis opem feramus, vt ſanante Deo eripiamur ab hac amara & perdita paſſione. Ea enim eſt, cum quis poſt datam pacem fratri ſuo ex aliqua (vt plurimum fit) vel perturbatione, vel afflictione inter vos C prouenientе, perſeuerat triſtis & mœſtus varijſq; angitur cogitationibus. Quas nemo veſtrum debet cõtemnere, ſed quam poteſt celerrime illas amputare, eſt enim hæc iracundia, opúſque eſt (vt prędixi) continentia & ſobrietate plurima, opus pœnitentia, opus certamine, ne in his diutius immoratus periclitetur & pereat. Qui enim pacem dedit ex præcepto, iram quidem in præſentiarum fugit contra ſtudium, vindictæ autẽ nondum reluctatus eſt: eámque ob cauſam contrà fratrem ſuum triſtis & mœſtus eſt. Aliud enim eſt, μνησικακία, aliud ὀργή, aliud θυμός. Subijciam exemplum, hoc vobis vt clarius fiat. Accendit quis ignem, primũ habet carbunculum; id eſt, verbum vnicũ, quò quis fratrũ affligitur. Quid vnicum fratris verbum eſt, ſi illud æquo animo feras: illico ignitum carbonẽ extinxiſti. Sin vero poſt verbum illud tute D tecum pergas cogitare & dicere, hoc mihi cur dixit, quid rei mihi eſt cum ipſo? niſi me affligere voluiſſet, hoc nõ eſſet locutus, ſed ne dubitet ſe quoque à me pariter remordendum. En verbis huiuſcemodi & cogitatione adieciſti ligna & fomenta, vt qui ignem accendit, cœpiſtique fumum excitare, quæ eſt ipſa perturbatio. Perturbatio enim eſt ipſe motus & cõgreſſus cogitationum, quæ excitant & ferocius audaciúſque cor reddunt. Audacia vero eſt excitatio vindictę aduerſus eum qui nos afflixit quæ & τολμηρία dicitur vt diſſerebat Abbas Marcus. Malitia enim in animo verſata audire cor facit, extincta autem per orationem & ſpem conterit ipſum. Si enim æquè tuleris (vt dixi) vnicum illud verbum fratris, extinxeris illico carbunculum illum, nec venies ad perturba- E tionem. Quia ſi perueniſti, potes tamen & adhuc illam ſubito vti paruam extinguere per orationẽ, per taciturnitatem, per vnicam cordis pœnitẽtiam. Sin verò pergas fumum excitare & cõmouere cor tuum varijs cogitationibus, ita reputans tecum: Quare hoc mihi locutus eſt? Quid illi mecum rei eſt? ex hoc congreſſu & agitatione cogitationũ: corde quaſi attrito & calefacto, fit excãdeſcentia animi, τοῦ θυμοῦ, qui eſt feruor quidam ſanguinis circa cor, vt definit D. Baſilius. En in te iam θυμός factus eſt, hic eſt quem vocauit ὀξυχολίαν, id eſt acutam choleram, quòd ſi volueris, & hac poteris extinguere antequã fiat ὀργή, ſin vero pergas perturbatus alium cõmouere, ita facis vt qui ligna in ignem congerit, magiſque excitat & incẽdit ignem; ſicque fuerint ex vno carbone plures.

Iracundiæ 3. gradus.

Audacia quid ſit.

Abbas Zoſimas.

Atque id eſt, quòd Abbas Zoſimas aiebat. Interrogatus enim vt ſententiam hanc exponeret: Vbi non fuerit A θυμὸς langueſcet pugna. Si quis (ait) principio turbationis (cum ſcilicet incipit fumus erumpere, & ſcintillare ignis) ſeipſum increpet, corrigat & accuſet, agátque pœnitentiam antequam erumpat flamma, & fiat, θυμὸς, in pace adhuc & quiete eſt: Poſt autem exortum θυμὸν non amodò quieſcit: ſed commoto & accenſo corde perſenerat, aſſimilis factus ei qui ligna in ignem congerit, accendens illa magnos carbones efficit: Vt autem carbones extincti & repoſiti, plures annos perſtant incorrupti, nec, ſi in eos etiam aquam infuderit, computreſcũt: ſic & cum diuturnior in aliquo fuerit, fit; & niſi emunxeris omnem eius ſanguinem abigi haud vnquam vix poterit. Dixit iam vobis affectionem harum omnium paſſionum & doctrinam; audiſtíſque quid ſit, ἡ ταραχή, quid, ὁ θυμὸς quid, ἡ ὀργὴ, quid μνησικακία. B En vt ex ſolo & vnico verbo in tantum malum peruenitur! Si enim principio in ſeipſum accuſationem omnem conuertiſſet, panentérque tuliſſet verbum fratris ſui, noluiſſétque contra niti, atque vnico verbulo duo vel plura opponere, nec malum pro malo referre; hæc omnia pariter à ſe mala expuliſſet.

Paſſiones cùm nouellæ ſunt abſcindendæ ſunt.

Quare admoneo vos ſæpiſſimè, paſſiones veſtras cùm nouellæ ſunt & recentes, abſcindere atque amputare; ne ſcilicet obfirmentur in vobis & ad miſeriam ſummam vos trahant. Aliter enim extirpatur planta, aliter arbor euellitur cum coaluerit ad magnitudinem.

Contra vltionis appetitum.

Nihil aliud adeò hoc demiror, quòd videlicet non aduertimus quid quotidiè pſalamus. Pſallimus quotidiè, atque nos ipſos maledicimus & execramur, neque id aduertimus. C An non debemus quod pſallimus intelligere? *Si reddidi* (ait) *retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.*

Pſal. 7.

Quid eſt; *decidam*? Dum aliquis ſtat, potens eſt aduerſario ſuo colluctare, cædit & cæditur, vincit & vincitur: adhuc ſtat: quòd ſi cadere cum contingat & labi; quomodò in terra iacens poterit cum aduerſario ſuo pugnam inire? Oremus ſedulò non ſolùm vt non cadamus, ſed ne vacui cadamus & inanes. Quid eſt enim cadere aliquem inanem ab inimicis ſuis, dicemus: animum aduertite! Cadere eſt non habere poteſtatem ſurgendi, ſed iacere in terra: Inanem autem eſſe; eſt neque vllum bonum in ſe habere quo quis valeat tandem erigi & aſſurgere: qui enim ſtat, denuò reficere ſeſe poteſt & curare, & ſic rurſum ad congreſſum venire. D Vnde & ſubiungimus; *perſequatur inimicus animam meam meam & comprehendat*: non ſolum perſequatur, ſed etiam comprehendat; vt illi ſimus in perpetuam ſeruitutem; vt omnino victi cedamus, vt in vnaquaque re nos demoliatur & deſtruat: ſi reddimus retribuentibus nobis mala. Neque hoc ſolum petimus; ſed etiam vt *conculcet in terra vitam noſtram.*

Vitam noſtrã conculcari, quid ſit.

Quid eſt vita noſtra? Virtutes ſunt vita noſtra, quibus anima rectè viuit. Oramus igitur conculcari in terra vitam noſtram, id eſt; vt quis fiat totus terrenus, atque omnis eius prudentia deprimatur in hæc infima & terrena. *Et gloriam meam in puluerem deducat!* Quid eſt aliud gloria noſtra; niſi cognitio in anima, facta per præceptorum obſeruantiam? Hoc igitur dicimus vt gloria noſtra (quemadmodùm ait Apoſtolus) ſit in confuſione: vt in E puluerem redigat eam, faciátque vitam noſtram & gloriam omnimodo terrenam, vt nihil ſapiamus ſecundum Deum, ſed omnia corporalia, omnia carnalia; vt illi de quibus Dominus ait; *non permanebit ſpiritus meus in hominibus his, qui caro ſunt.*

Geneſ. 6.

En igitur quòd canentes hæc omnia; nobis ipſis imprecamur ſi malum retribuimus malo. Adde quod prius eſt, nulla nobis cura eſt quod mala pro malis retribuimus, ſed omnia promiſcuè agimus nihilque diſcernimus.

Malum pro malo redditur pluribus modis.

Contingit autem interdum vt quis malum pro malo reddat, non ſolùm opere ſed verbo & habitu. Alius verò, non opere ſed vel lingua vel habitu: cum ſcilicet in habitu vel motu aliquo vel aſpectu fratrem ſuum conturbat; hoc enim modo quis facilè fratrem ſuum conturbat: atque hoc quidem eſt malum pro malo reddere. Alius quoque non verbo, non opere, A non aſpectu, non habitu ſtudet malum pro malo reddere; affligitur autem in corde & conteritur erga fratrem. Aduertite animum (fratres) quantum hi inter ſe differãt ſtatus! Alius nullam habet erga fratrem ſuum triſtitiam cùm audiuerit quòd illum quis afflixerit, vel obmurmurauerit de eo, vel iniuria & contumelia affecerit; ſed delectatur audiens: atque hic pariter reddit malum pro malo in corde ſuo. Alius neque odium in corde retinet, neque gaudet dum audit affectum contumelia eum qui ſe contra afflixerit; quinimo dolet illum malè habere, non tamen libenter audit ipſum benè habere, neque admodum gaudet in gloria eius & quiete: hæc quoque ſpecies eſt μνησικακία leuior tamen cæteris.

μνησικακία.

Gaudet tamen alius in quiete & pace fratris, nihílque illius gratia facere recuſat quod ad eius cõmodum & honores con- B ducat. Ac diximus principio orationis noſtræ: eſſe aliquem qui cùm venerit in concordiam cum fratre ſuo, adhuc tamen triſtitiam ſeruet erga ipſum: hunc dicimus iram quidem extinxiſſe & ſuperaſſe; hoc eſt, τὴν ὀργὴν, contra μνησικακίαν autem nondum eſſe luctatum. Eſt & alius qui acceptam iniuriam ſtatim obliuiſcitur, & illicò Fratri reconciliatur; ſin verò poſt dies aliquot contigerit ab eodem in ſe dici quippiam minus gratum, eueſtigiò ad memoriam reuocat primam iniuriam, gliſcítque primam & ſecundam pariter (ſi poſſit) vlciſci: Hic ſimilis factus eſt homini vulnerato, & emplaſtrum vulneri ſuper imponenti; curatus enim & ſanatus cum fuerit, ſuperinducta cicatrice, relinquitur tamen ille vulneris locus debilis adhuc & infirmus, & in eum ſi quis lapidem C iecerit dolet toto corpore ſtatimque incipit ſanguis effluere. Si ille accepto vulnere iniuriæ, emplaſtra ſuperinde poſuit; quæ ſunt pax & pœnitentia: tandémque vulnus curatum eſt; id eſt, ἡ ὀργὴ: cœpit autem & μνησικακίαν velle curare, vt ſcilicet nullam omnino memoriam iniuriæ teneret in corde, & hoc eſt cicatricem ſuperinduci vulneri; nondum tamen perfectè aboleuit, ſed tenet adhuc in ſe reliquias vllas & ſemina τῆς μνησικακίας, quæ eſt cicatrix ex qua facile totum vulnus recrudeſcit, eam paruam quamuis plagam acceperit.

Odij curatio.

Debet igitur ita concertare vt etiam cicatricem omnem faciat euaneſcere; atque ita locum vulneris expolire, vt nulla ibi deformitas relinquatur, neque aliquando reminiſcatur vulnus illic extitiſſe. Quod ſi quæras quo D pacto id facias, ſcito per orationem hoc maximè fieri, cum videlicet toto corde pro fratre ſupplicas & dicis: Domine, auxiliare mihi & fratri meo per mutuas preces. Et ſic ſupplicans pro fratre, argumentum præſtans charitatis, compaſſionis & humilitatis; dum ſcilicet fraternis precibus, tibi quoque imploras auxilium. Vbi autem fuerit charitas, compaſſio, humilitas; quid ibi poterit, vel θυμὸς vel μνησικακία, vel alia quæuis paſſio? Hinc rectè aiebat Abbas Zoſimas: ſi diabolus cum cætero dæmonum agmine, ad hæc omnes artes ſuas & machinamenta adhibeat, vanos fore orioſos omnes impetus & conatus eius, & ſub humilitate quæ à Chriſto præcepta eſt; conteri omnes & conculcari.

Abbas Zoſimas.

Et alterius ex Patribus fuit iſta ſententia, quod pro inimicis orans nunquam poſſet eſſe iracundus, aut vindictæ ſtudioſus.

Qui orat pro inimicis nunquam erit iracundus.

Operamini igitur E (fratres) ſedulò quæ iam ſtudioſè auditis; hæc enim ita ſeſe habent vt opere magis parentur quàm oratione. Quis enim hominum volens diſciplinam vllam aut artem imbibere, illam ſolo ſermone conſequatur? Facere vnque primum perſeuerat omni ſtudio & diligentia, deinde iterum facit, delétque, atque ita pedetentim labore multo artem ipſam & diſciplinam apprehendit. Nos vero artem artium ſolo ſermone credamus apprehendere, abſque opere? Hoc nequicquam licebit? Nobis igitur (fratres) primùm intendamus, operemúrque ſtudioſiſſimè dum tempus ſupereſt. Det vobis Deus meminiſſe iſta & facere quæ audiuimus, ne illa nobis fiant in iudicium in iudicij die.

Artes non aſſequimur ſolo ſermone multò minus artẽ artium.

DE

DE MENDACIO,

Doctrina IX.

DECREVIMVS (fratres) pauca quædam vobis de mendacio non inutiliter ad memoriam reuocare: Videmus enim vos non admodum ſtudioſos ad linguam cohibendam; quò fit, vt facilè in multis labamini. Aduertite (fratres) ad ea quæ vobis quàm ſæpiſſimè ſolitus ſum commemorare; conſuetudine ſcilicet fieri bonum & malum: Opus igitur eſſe multa diligentia, ne nos aliquando mendacio vllo muniamus. Nemo enim mendax adhærere Deo poteſt; alienúmque omnino eſt à Deo mendacium. Scriptum námque eſt, à malo eſſe mendacium, & quia mendax eſt & pater eius. Ecce mendacij patrem diabolum vocat; veritas autem Deus eſt. Ipſe enim dicit; *Ego ſum via, veritas, & vita.*

Conſuetudine fit bonum & malum.
Ioan 8.
1. Ioa. 2.

Videte à quo abeamus, cui-ve adhæreamus propter mendacium. A bono vnq. diſcedimus; malo autem adhæremus. Si igitur bono ſaluari cupimus, curemus omni ſtudio & diligentia amare veritatẽ, & cuſtodire noſipſos ab omni mendacij ſpecie, quod nos ſegregat à veritate & vita. Tria autem ſunt mendacij genera: primum eſt, cùm quis animo; ſecundum, cùm verbo mentitur; tertium, cùm in vitam ſuam quis mendax eſt. Qui mentitur animo, is eſt qui facilè quaſcũque ſuſpiciones admittit; vtpotè cùm fratres viderit colloquentes, ſuſpicatur ne de ſe obloquantur; &, ſi colloquium interciderint, ſuſpicatur item ne propter ſe interciderint. Si quis quoque verbum vllum ſimpliciter dixerit, ſuſpicatur illico illud contra ſe dictum vt afficiatur mœrore; & in omni denique re ſuſpicioſiſſimus eſt, exiſtimans omnia dici, omnia fieri propter ſe. Is animo mẽdax eſt, & nulla in re verum dicit; quia ex ſuſpicione quæcumque loquitur. Hinc igitur proueniunt curioſitates, detractiones, murmura, factiones, ſeditiones, conuitia, turbationes, iudicia. Interdum autem ex ſuſpicione rei contigit verum dici; ex quo fit, vt qui hoc verè dixerit, hac vnica occaſione tanquam ſeipſum velit eligere, curioſus ſemper exiſtat; dicátque curioſitate ſua ſe vitium ſuum quo inſimularur agnoſcere, atque ita emendari & corrigi. At principium ipſum iniquum eſt, à malo enim eſt à mendacio originem ſumit; nam ignorans ſuſpicatur quod neſcit. Quo pacto igitur *poteſt arbor mala bonos fructus facere?* Si autem corrigi voluerit, vt ait: cum acceperit à fratre ex amore & charitate ne aliquid faciat, fueritque in aliquo correctus; ne excandeſcat, ne iraſcatur, ſed gratias agat, det fratri pacem, atque ita corrigetur. Si viderit Deus eſſe illum huius animi; nunquam falli aut decipi ipſum patietur, ſed ſemper illum qui eum corrigat deſtinabit.

Menda. 3. ſunt genera.
Suſpicioſus animo mentitur.
Incommoda ex ſuſpicionibus.

Dicere autem; vt meipſum corrigam, credam ſuſpicionibus, atque deinceps parere recuſabo eróque curioſus; iuſtitiæ diaboli ſunt, quibus ſupplantare nos quærit. Dum eſſem in cœnobio, fallebar plerumque à meipſo; credens certò ex motu exteriore hominis poſſe ſtatum mentis deprehendi. Die autem quadam dum in ea eſſem fluctuatione & cogitatione animi, occurrit mihi mulier aquæ hydriam portans, in quam neſcio quo pacto correptus oculos ieci; ſtatímque ſuſpicatus ſum ſcortum eſſe. Vt autem hoc mihi ſcrupulũ iniecit cogitatio mea affligebat admodum, eò vſque dum id Abbati Ioanni reuelaui, dixitque: Obſecro te mi pater neſcio quo pacto nolens ex motu corporis iudico ſtatum interioris mentis, cogitatione mea hoc mihi dictante; quid igitur cenſes faciendum? Reſpondit ad hæc ſenior: Cùm quis vitium vllum naturale & ingenitum habuerit, & per pugnam illud ſuperauerit; non licebit ex hoc ſtatum ipſius cognoſcere, multominus ex ſuſpicionibus; quibus, vt nunquã credas, admoneo. Regula enim obliqua etiam quæ recta ſunt obliquat. Mẽdaciſſimæ ſunt ſuſpiciones, & omnibus habentibus nocent. Ex eo igitur tempore ſi mihi cogitatio mea dixiſſet, Solem Solẽ eſſe; & tenebras tenebras; vix crediſiſſem. Nihil grauius ſuſpicionibus:

Iuſtitia diaboli.
B. Dorotheus aliquando ſuſpicioſus, quo modo ſeſe correxerit.
Suſpiciones mendaciſſimæ ſunt.
Suſpicioſum eſſe, quam graue ſit.

A quæ adeò noxiæ ſunt, vt ſi in nobis paululum inſideant, nitãtur ſtatim perſuadere vt credamus noſipſos euidentiſſimè cernere ea etiam quæ neque ſunt neque fuerunt. Rem vobis ſuper hoc narrabo mirabilem in quam ego incidi dum eſſem adhuc in cœnobio. Fratrem habuimus maximè cogitatione hac agitatum; qui ſuſpicionibus ſuis ita crederet, vt perſuaderi nullo modo poſſet aliter ſentire aut eſſe poſſe, quàm ſua ſibi cogitatio dictaſſet. Tempore igitur, increſcente malo; ita eſt dæmonum inſtitutione deceptus, vt caſu hortum ingreſſus ad eum de more cuſtodiendum videre videretur fratrem ſurripientem ficus & comedentem: erat autem Paraſceue horáque nondũ ſecunda. Vt verò ſibiipſi perſuaſit quòd rem verè non phantaſticè vidiſſet, egreſſus cum ſilentio obſeruabat denuò horam, vt videret quidnam ageret

Fratris cuiuſdam ſuſpicioſi exemplum.

B frater ille in cõmunione, qui paulo antè ſurripuiſſe ficus & comediſſe viſus erat. Vt verò hunc vidit manus lauantem, & ſeſe ad communionem percipiendam præparantem; accurrit ad Abbatem, rogátque vt fratrem à ſacra cõmunione cohibeat, quem manè ficus ex horto vidiſſet ſurripuiſſe & comediſſe. Intereà ingreditur frater ille ſumma cum deuotione & cõpunctione ad ſanctiſſimam oblationem. Quem cum vidit Abbas, priuſquam presbytero à quo communicandus erat propior fieret, euocauit ad ſe; & ſecretò illum alloquens percunctabatur quidnam eo die feciſſet. Expauit ſimplex hac ſubita interrogatione; maximè verò inhorruit vbi rem omnem ex Abbate cognouit. Reſpõdet eo die ſeſe hortum non vidiſſe; imò ipſo manè non fuiſſe in cœnobio, emiſſum

Manuũ lotio ante communionem.
Communia communſumenda.

C foras ad neceſſaria Monaſterij ab œconomo. Diſtabat autem locus multis milibus vnde venerat ille, ipſa hora. Vocatus œconomus, omnia confeſſus eſt, & veniam popoſcit quòd hoc ipſo inſcio feciſſet; ne ſcilicet eum à ſtudio & vigilijs diſturbaret. Perſuaſus & credens omnino bis Abbas; eos cum benedictione miſit ad communionem. Vocatóque fratre altero qui ſuſpicionibus ſuis agebatur; illum acriter increpauit, & ſacra communione prohibuit. Poſt verò expletas cerimonias & ſacra, cœtum omnium monachorum & conuentum congregauit; & ante omnes vberibus lachrymis, quæ contigiſſent, expoſuit; & poſteà fratrem reum ante ipſos ſtatuit, tria hoc vno facturus: confuſurus primò diabolum, poſt erecturus exemplo quicumq; ſuſpiciones diſſeminaret, deinde fratri peccatum hoc dimiſſurus per ipſam con-

Oeconomus monaſterij.
Monachi ſuſpicioſi pœna.

D fuſionem quam ante omnes poſitus pateretur. Multa itaque de re hac loquens; omnes cautos reddidit ne vnquam poſt hac ſuſpicionibus crederemus, clarum faciens exemplo præſenti nihil eſſe grauius ſuſpicionibus. Et alia plurima huiuſcemodi à patribus dicta ſunt, quæ nos contra ſuſpicionum damna muniunt. Curemus ergo (fratres) quo poſſumus ſtudio & diligentia ſuſpiciones omnes à nobis abigere. Nihil enim adeò hominem à Deo ſegregat, vt nullam ſuorum vitiorum curam habere & ſcrutari ſemper quæ nihil ad ſe attinent. Hinc nullum bonum; ſed innumeræ afflictiones procedunt. Hinc fit vt homo nunquam pacificus ſit, nunquam quieſcat, nunquam Dei timorem poſſideat. Vt igitur cœperint in nobis oriri, imò palpitare ſuſpiciones

Suſpiciones fugiendæ.
Incõmoda ex ſuſpicionibus.

E malæ ex malitia & iniquitate noſtra; eas dicõ ad rectam intelligẽtiam inflectamus, atque ita nos minimè lædent. Malæ etenim ſuſpiciones, animam quam poſſederint nuſquam quieſcere, aut nulla pace frui patiuntur. Mendacium omne mentis atq; animi iam expoſui. Sermone autem quis mendax eſt, cùm (verbi gratia) torpeſcens aliquis, ad nocturnas vigilias ſurgere, & ſibiipſi parcens; non ait poſtmodùm, da veniam (obſecro) Pater quia deſidia & negligentia non aſſurrexi: ſed; febrem (inquit) paſſus ſum & vertiginem, nec quiui vllo pacto ſurgere; deficiebam, debilis eram, caput dolebam, ſtomachi tormina patiebar: & decies mentitur, ne vnicam pœnitentiam agat atque humilietur. Alius aliqua in re accuſatus verba peruertit, expolit ſermonẽ ne ferat accuſationem.

Piger ſolet mentiri cum deſunt officio.
Mendacij multiplicis exempla.

Si quis item cum fratre contenderit; non ceſſat ſophi-
A ſticè arguere, & noxam omnem in fratrem reflectere di-
cens: hoc tu dixiſti, hoc tu feciſti non ego; atque alia
plurima in hunc modum, ne humilietur. Alius quoque
cùm rem vllam deſiderauerit; non audet apertè dicere
quòd eam deſideret, ſed circuitionibus vtitur dicens;
hoc patior, hac re mihi opus eſt, hoc mihi debetur; &
totiens mentiri pergit dum deſiderium ſuum expleat,
dum voti ſui compos fiat. Cùm autem omne peccatum
ex triplici radice proueniat; vel ex voluptate, vel ex aua-
ritia, vel ex inani gloria & ſuperbia; idem poteſt dici de
mendacio: mentitur enim aliquis ne accuſationem pa-
tiatur & humilietur, alius vt votum ſuum expleat, alius

Mendacij radices.

vt quippiam lucretur, qui nunquam quieſcit, nunc ad
id, nunc ad illud verſus, omnia diſtorquens dum voti
ſui ſit compos. Is nunquam fidelis eſt, nunquam verax;
B &, quandoque contigerit vt verbum vnum verum dixe-
rit, facit ſibi vt nunquam credatur. Eius quoque veritas
nunquam ſimplex & aperta; ſed vt plurimum obſcura &
inuoluta reperitur. Alius cum ſibi re aliqua opus eſſe vi-
derit: diſſimulat parumper, ne res ipſa in maiorem tur-
bationem & afflictionē ſibi vertatur: vbi verò omnino
cogitur, nec poteſt vlterius protrahere deſideriū; mutat
verba, vt vitet quod dixi turbationum periculum & af-

Abbas Alonius.

flictionem. Quæſiuit autem Abbas Alonius ab Abbate
Agathone ita dicens: Coniurarunt homines duo in cæ-
dem tuam, atque alter illorum in cellā tuam fugit: dum
eum quærit iudex, & abs te vbi ſit, petit; nunquid huiuſ-

Liceat-ne aliquando verba commutare.

cemodi hominem in mortem tradas, an verba cōmutes?
C Licere (ait) puto in tali articulo & neceſſitate: debet ta-
men, qui hoc egit, non negligere factū, ſed pœnitentiam
agere & flere amariſſimè in conſpectu Dei; atque hoc
tempus habere vn tempus tentationis. Neque ad hæc
conſueſcat, ſed ſemel ob multa. Cum enim in vſum &
conſuetudinē deducta noceant; ad tempus & in ſumma
neceſſitate interdum proſunt. Sic itaque debet quis vti
hac re, vt non niſi in ſumma neceſſitate verba cōmutet;
& tunc quoque cum timore, oſtendens Deo & inten-
tionem ſuam & vrgentem neceſſitatem: ſic poteſt quis
protegi & excuſari ne offendat. Diximus igitur, quis
mente, quis item verbo mendax ſit: dicamus, & quis in

Hypocrita mentitur in vitam ſuam.

vitam ſuam mentiatur. Mentitur aliquis in vitam ſuam,
cùm turpis & luxurioſus continētiam ſimulat; auarus &
tenax de eleemoſyna loquitur, compaſſionem & miſeri-
D cordiam laudat; ſuperbus & audax humilitatem admi-
ratur: hic enim non vt volens virtutem laudare, illam
admiratur: ſi enim hoc animo laudaret & admiraretur,
fateretur propriū peccatū; & diceret: heu me miſerum
& infœlicem; omni virtute, omni bono vacuus ſum! Et
ita poſt confeſſionē propriæ infirmitatis laudare poſſet

Virtutem laudare ne fratrem ſcandaliſemus humilitatis proprium.

& admirari virtutem. Non etiam virtutem laudat, ne
quem ſcandalizet; ſic enim primò ſibi dicendum eſſet:
Infœlix ego ſum & miſer qui ſcandalum vnicuique ſum;
vniuſcuiuſque lædo animam, atque alienum onus in me
fero! & ita fateretur peccatum, quod in alterum cōmi-
ſit; non in bono proprio gloriaretur. Humilitatis enim
proprium eſt ſeipſum ſemper vilipendere, & proximo
compati. Hic ſecundùm nullū prædictorum modorum
E virtutes laudauit; ſed vt vitiū & dedecus ſuum tegeret,
virtutis nomē adijcit, & ita bellè loquitur de ea ac ſi talis
ipſe ſit. Sæpe etiam virtutem laudat vt aliquem ad ſe al-

Diabolus fallere non poteſt niſi ſpecie virtutis. 2. Cor. 11.

liciat: neq; enim vna malitia eſt vna conditio. Diabolus
ipſe nō poteſt interdum fallere niſi virtutem adumbret,
niſi (vt ait Apoſtolus) transfiguret *ſe in Angelum lucis.*
Haud mirum igitur, ſi & miniſtri eius transfigurant ſe in
miniſtros iuſtitiæ. Hic ergo mendax eſt (vt dixi) ſine ti-
more propriæ ignominiæ & confuſionis, vel vt aliquem
ad ſe trahat, vel vt vlli noceat; loquitúrque de virtutibus,
& eas admiratur & laudat tanquam & ipſe earum rerum
ſit poſſeſſor quas laudat, tanquam in his habitum ſum-

Hypocrita vita ridicula eſt.

mum & longam conſuetudinem fecerit. Hic propriè eſt
qui in vitam ſuam mentitur: Non ſimplex, qualem vir-
tus deſiderat; ſed duplex: alius interius, alius exterius;
atque ita ridiculam & inconſtantem agit vitam ſuam.
A Diximus iam de mendacio, quòd omne à malo ſit; hoc
eſt à diabolo. Diximus & de veritate, quia Deus veritas

Omne mendacium à diabolo. Ioan. 14.

eſt. Fugiamus igitur mendacium (fratres) vt eruamur à
conſortio mali; inſudemus ad parandam virtutem, vt
illi coniugamur qui ait: *Ego ſum veritas.* Deus nos dignos
faciat ſua veritate, Amen.

VT AD CERTVM SCOPVM ET SOBRIETATEM DIRIGAMVR:

Doctrina decima.

Temporis iactura ſarciri non poteſt.

CVREMVS noſipſos (dilectiſſimi) inuigile-
mus nobis. Quis enim nobis amiſſum tem-
pus reſtituet? Quæſiti à nobis dies hi, nuſquā
inuenientur! Abbatem Arſenium ſolitum
B aiunt ſibiipſi ſemper dicere: Arſeni ad quid veniſti? Nos
autē adeò deſides ſumus & inertes, vt ad quid venimus
omnino ignoremus; neque, quid nam velimus ſciamus.
Atque ideò non ſolùm non proficimus, ſed ſemper an-
gimur, ſemper affligimur: quod inde fit, quia nullam de
nobis curam, nullam attentionem gerimus. Nam ſi (vt

Pugnandum nobiſcum vt pacē in nobis habeamus.

par eſſet) decertare nobiſcum modicum vellemus; non
vſque adeo affligeremur, non tantùm laboraremus. Qui
enim principio ſibiipſi vim fecerit atq; reſtiterit, & pau-
latim pugnare perrexerit, proficiet ſanè & deinceps pa-
cem & quietē conſequetur. Cùm enim auerterit Deus
aliquem ſeipſum principio cogere; ſtatim ad auxilium

Initium ſalutis.

properat. Et nos igitur (fratres) noſipſos cogamus; facia-
C mus tandem fundamenta; velimus tandem bonum, & ſi
nondum perfecti ſimus. Hoc enim bonum optare &
velle ſalutis exordiū eſt nobis; & cùm velle incipimus,
incipimus etiam auxiliante Domino pugnare. Pugnan-
tibus autē nobis non deſunt qui opem ferant ad virtutes
parandas. Hinc vnus è ſenioribus ita ſolitus erat dicere:

B. Dorothei attentio ad ſtudia.

Da ſanguinem, & accipe ſpiritum. Idem: pugna, vt ad
virtutis habitum peruenias: Cùm ad ludum pergerem
egreſſus iam ex ephœbis; inuigilabam admodum à prin-
cipio: vbi verò cœpi ad lectiones aſcendere & librum
aperire; territus penè diffugiebā, etiámque vt qui agreſte
animal formidat contingere. At vbi meipſum coegi, &
duraui pergēs vt poterā; Deus opem attulit, & ſic ad ha-
bitum diſciplinæ perueni: itaque plerumq; diſtrahebar
ſtudio miro & ardore lectionum: vt quid comediſſem,
D bibiſſem, obdormiſſem, interdū ignorarem. Neque ali-
quādo acquieui vt à quoquam amicorum in prandium
in ſymbolum lectionis tempore duceret; diligebam ta-
men ſocios meos. Cùm igitur nos dimiſerat Sophiſta;
lauabar: indigebam enim quotidiana lotione; cùm quo-
tidiè in ſtudio & labore lectionum deſudarem. Conce-

Dorotheus ſcholaſticorū exemplar.

debam inde domum; nihil curans quid mihi edendum
eſſet, cùm neque mihi otium ad parandos cibos ſuppe-
teret. Aderat autem amicus & familiaris meus, qui mihi
pararet ſi quid voluiſſem. Accipiebam igitur quicquid
ab eo præparatum offendiſſem, habens ſemper ex oppo-
ſito lectulum meū cum libro; inclinabámq; poſt cibum:
cùm paululùm obdormiſſem cum vicino ſemper libro,
exiliebam illicò ad lectionem è ſomno. Item & ad veſ-

Virtutis magis quam eloquētiæ gratia laborare nos decet.

E peram cum è ludo diſcederem, ſemper cum lumine ad
mediam noctem legebam & vigilabam. Cúmque ita me
haberem, nullam (fateor) alicunde dulcedinem aut vo-
luptatem capiebam, niſi à lectione. Poſteaquam igitur
ad monaſterium veni; dicebam mihiipſi quā ſæpiſſimè:
ſi tanta cupiditas tibi fuit in adipiſcenda eloquentia, ſi
tantus ardor lectionis, vt ad ipſius habitū proueheretis;
quantò magis debes virtutis gratia elaborare? & ex hac
cogitatione admodum (fateor) proficiebam. Si ergo
eum parare virtutem quiſpiam voluerit, decet non di-
ſtrahi ad diuerſa, neque obliuioſum eſſe; vt qui rethori-
cam diſcere voluerit, nulli alij rei operam ſuam nauat
quàm illi: quòd eſt imprimis ab his factitandum qui
ſpiritualem artem parare ſtudent; vt ſcilicet nulli om-
nino rei præterquàm huic operam dent, atque in ea dies
noctéſque

Digitized by Google

noctéſque cogitationem omnem ſuam figant, dum ad eius poſſeſſionem (cooperante Domino) tandem proueniant. Quod ſanè qui non fecerint; non ſolum non proficiunt, ſed etiam tempus omne terunt vſque adeò inſipienter circumducti. Niſi enim quis vigilet, certétque ſecum; facilè, in extrema virtutum (hoc eſt in vitia ipſa) decidet. Mediæ ſunt námque virtutes, & regia via; de qua ſolitus erat dicere ſanctiſſimus ille ſenex: Regia via incedite; & in hæc ſtadia percurrite. Mediæ igitur ſunt (vt diximus) virtutes, inter exceſſus atque defectus. Quare ſcriptum eſt: *ne declines ad dextrã neque ad ſiniſtram, ſed regia via incede.* Et Baſilius ait: rectũ illud cor eſt quod cogitationẽ habet neq; in exceſſum neque in defectum declinantem: ſed directam ad virtutis medium. Exempli gratia: malitia ſecundum ſeipſam nihil, eſt, neque enim ſubſtantia eſt, aut ſubſiſtentiam vllam habet, ego igitur eam nihil eſſe dico. At cùm declinat anima à virtute, fit vitioſa & perficit malitiam; affligitúrque ab ea, nullam inueniens in ipſa requiem ſecundum naturam. Idem fit in ligno: non enim habet lignũ intra ſe vermes, ſed creat modicam putredinem, & ex ea putredine fit vermis; qui poſtmodùm vermis lignũ rodit & depaſcit. Ita & ferrum rubiginem facit; atque ipſum rurſum conſumitur à rubigine. Et veſtis tineam procreat; atque ipſa tinea veſtem corrumpit. Sic tandem & anima ipſa facit malitiam quæ nihil eſt, & nullam habet ſubſiſtentiam; atque ipſam animam deſtruit & annihilat. Quare diuus Gregorius præclatiſſimè dixit: Ignis materiam procreat, & ab eo conſumitur; & à malis malitia. Quod etiam videre eſt in ægrotantium corporibus. Cùm enim quis deordinatus eſt & intemperans, neque ei cura eſt vlla valetudinis: fit in ipſo ſtatim vel defectus vel exceſſus, & quædam inæqualitas, ex qua ſubita conſequitur ægritudo quæ nihil eſt. Nam vbi corpus conualuerit & ſanitati redditum fuerit; nullibi locorum reperitur ægritudo illa, & nulla eſt. Ita & malitia ægritudo eſt animæ; quæ illam priuat propria & naturali valetudine, quæ virtus eſt. Dicimus autem medias eſſe virtutes: vt fortitudinem, quæ media eſt inter timorem & audaciam; humilitatem, inter ſuperbiam & humanam complacentiam; Pudorem inter verecundiam & impudentiam, & eodem modo reliquas omnes virtutes. Qui ergo repertus fuerit hominum huiuſcemodi virtutibus ornatus; præclariſſimus erit apud Deum: & quanquam comedat, bibat, dormiátque vt cæteri; tamen ex his virtutibus apud omnes erit venerabilis. Niſi verò fuerit diligens & circumſpectus erga ſeipſum: ad dexteram facilè vel ſiniſtram declinabit: hoc eſt; vel in defectum vel in exceſſum, perueniétque ad animæ ægritudinem, quam malitiam diximus. Hæc eſt igitur via regia, per quam ſancti omnes profecti ſunt. Stadia autem varij ſunt ſtatus, quæ debet quiſque metiri ſemper & inſpicere vbi nam ſit, quótque ſtadia percurrerit, & in quem ſtatum peruenerit: vt exempli gratia: quicumque huc conuenimus, ſcopum eundem tenemus ad æternam patriam, ex eadem penè ciuitate egreſſi. Atque alij quidem ſtadia quinque profecti ſubſtiterunt: alij decem. Hi verò iter medium perrexere, alij non omnino profecerunt: ſed cùm ad vſque ciuitatem applicuerint, extra ianuam in fœtore & labe illius remanſerunt. Viatores quoque alij, cùm duo plerumque ſtadia ambulauerint: errantes retro gradiuntur: vel duo profecti ſtadia: quinque reuertuntur. Viatores hi ſumus nos. Aliqui enim ex nobis ſæculo abrenunciantes, ad monaſterium venere eo animo vt virtutes quaſcumque ſtudioſiſſimè parent. Atque alij quidem cum vel nihil profecerint, deſiſtunt illicò: alij magis progrediuntur, alij medium rei conſecuti deſidia torpent, alij autem nihil omnino ſe erigunt aut proficiunt: ſed egreſſi (corpore tantum) è mundi illecebris; animo in eius labe & affectibus perſeuerant. Quidam etiam cùm aliquid boni operis erexerint; illud ſtatim diſſoluunt & deſtruunt. Sunt & alij qui plus diſſoluunt, quàm erexerunt. Non-

Virtutis via regia eſt.
Deuter 17.
Nulla quies eſt ſecundum naturam, in peccato.
Virtus eſt animæ valetudo. Virtus in medio eſt.
Lapſus facilis eſt in extrema.
Humana vita viæ ſimilis.

A nulli virtutes conſecuti ſuperbi & inſolentes, contemptoréſque proximorum & fratrum facti ſunt; qui extra ianuam manſerunt, neque intromitti potuerunt, atque ita neque hi ſcopum ſuum aſſecuti ſunt. Nam & ſi ad ciuitatis portam perducti; non ſunt tamen intromiſſi, deciderúntque infœlices ab obiecto ſuo. Contempletur igitur vnuſquiſque noſtrum (fratres) vbi ſit. Si verè egreſſus eſt è patria ſua, ſi extra portam ciuitatis in fœtore illius & labe remanet; ſi paulùm proceſſit aut multùm, ſi peruenit ad viæ medium; ſi profectus duo miliaria, totidem regreſſus eſt, an profectus duo quinque redijt. Si aduſque ciuitatem peruenit, ſi eſt Ieruſalem ſanctam ingreſſus, an ſi ad ciuitatem vſque perductus non eſt admiſſus. Diſcat vnuſquiſque ſtatum ſuum in quo eſt: Tres enim hominis ſtatus ſunt; primus quidem qui paſſionem & vitium ad actionem perducit;

B Secundus, qui innatum vitium expugnat, ſiſtitque illud & refrenat, ne ad actum prorumpat; Tertius, qui omnino id eradicat & euellit. Qui paſſionem innatam operatur; is eſt qui vitium quod in ſe fuerit ad actum perducit, conſummat & perficit: Qui verò eam ſiſtit: is eſt qui néque vitium operatur, neque amputat illud à ſe, ſed philoſophatur & tranſgreditur ipſum, & ſi in ſe conſeruet & teneat: qui autẽ eradic[illegible] vellitque paſſionem, is eſt qui certat viriliter; & quicquid vitio ſuo paſſionique contrarium animaduerterit, id totis viribus aggreditur & operatur. Habent autem hi tres ſtatus ſummam latitudinem. Quam (oro) in vobis paſſionem habuiſtis, atque illius amputandæ ſtudioſi fuiſtis? Vultis dicamus de ſuperbia, de fornicatione, an potiùs de inani gloria,

C à qua vt plurimũ omnes ſuperamur & vincimur? Inanis gloria eſt, quæ non ſuſtinet audire verbum vel minimum à fratre ſuo: Hoc eſt; cùm quis vnico verbo, quinque vel decem plena omni turbatione reſpondet, contendítque & turbas facit; cúmque quieuerit à contentione, non ceſſat tamen etiam cogitare de verbo illo quod audiuerit, iraſcitúrque ſecum, & odit quòd non plura & acriora verba retulerit; & ſe diſponit & præparat, ſi alia incidat occaſio, ad grauiora in eum euomenda, à quo vnicum accepit: & ſemper in ea cogitatione eſt; hoc & hoc illi dicam, non euadet impunè: ſicque velut amens perpetuò furit. En primum ſtatum qui mali habitum gerit; à quo liberet nos Deus omnipotens. Is enim ſtatus gehennę proximus eſt; quia omne

D peccatum, cùm ad actum venerit, gehennam parit. Nec talis etiam ſi voluerit pœnitentiam agere, ſolus poterit paſſionem ſuperare; ſed erit ei opus alicuius ſancti viri auxilium implorare, vt patres omnes dixere. Quare admoneo vos ſemper & hortor ad ſtudium & diligentiam abſcindendi à vobis paſſiones priuſquam in habitum tranſeant. Alius eſt qui verbum quidem cùm audiuerit, iraſcitur, & vnico quinque vel decem reſpondet, doléťque quòd tria peiora vel acriora non addiderit, poſt dies autem paucos ad ſe redit. Alius poſt vnum diem ſtatim reſipiſcit. Alius conuiciatur, contendit, turbationes mouet: illicò pœnitentiam agit. Hæ ſunt ſtatuum differentiæ: quæ tamen omnes ad iter gehennæ tendunt, ſi ad actum perueniant. Dicamus & de his qui

E paſſiones firmant. Audit quis verbum & turbatur in ſeipſo, doléťque ſtatim; non quòd iniuria affectus ſit, ſed quòd eam pati non quiuerit: Is in ſtatu concertantium eſt. Certat alius, laborátque diù; & tandem vi paſſionis ſuperatur, & vincitur. Nõ vult alius malè reſpondere, ſed à praua conſuetudine trahitur. Alius certat quidem ſecum, ne quid mali omnino loquatur; & vincit: dolet tamen propter iniuriam & contumeliam; & cùm ſeſe norit ob hoc ipſum dolere, agit pœnitentiam. Alius non dolet quidem quòd contumelia affectus ſit; ſed neque etiam gaudere poteſt. Hi omnes varijs modis paſſiones ſuas firmant, differunt tamen primi duo à reliquis. Qui ſcilicet ſuperatur in certamine, & qui trahitur nolens, à conſuetudine, cognoſcítque ſeipſum quòd iniuriam non tulerit cum gratiarum actione. Reliqui

3. Hominum ſtatus.
Inanis gloria. Iracundia primus ſtatus.
Cautè lege, Nam frequẽs eſt in iſta non ſatis tuta ſententia, aliquos peccatores non poſſe pœnitentiã agere niſi eos alicuius Sancti oratio adiuuet.
Sic enim dicere videtur colũn. 448. a. 451. d. & alibi.
Paſſiones abſcindẽda priuſquam in habitũ tranſeãt.
Iracundia, 2. gradus.
Iracundorum varia genera.

autem in timore ſunt & periculo operantium. Dicunt autem hoc in eorum ſtatu eſſe, qui paſſionem quidem

A

quam in habitu habent, firmant, nolúntque operari; dolent tamen in certamine. At patres noſtri dixerunt diuturnum eſſe non poſſe quicquid anima noluerit. Contrectent autem ſe ipſos diligenter & ſi paſſionem ipſam vlciſci nequiuerint, cauſas paſſionis abſcindant, ne trahi poſſint aliquando & ſuperari. Certant alij paſſionem ſiſtere altera paſſione; atque taciturnitati ſtudet quis ob inanem gloriam, alius ob humanam complacentiam. Hi omnes malo, medentur malo. Dicebat autem Abbas Paſtor, quòd malitia nequicquam tolleret, ſunt verò hi, & ſi non credant rideántque, inter operatores. Dicendum & de his qui paſſiones euellunt. Gaudet aliquis cùm afficitur contumelia, eo tamen animo vt mercedem recipiat: Is in eorum numero eſt qui eradicant quidem paſſiones, non tamen cum cognitione.

B

Gaudet alius effectus contumelia; & certum habet affectum ſeſe contumelia meritò, quia cauſam dederit: hic cum ſcientia & cognitione paſſionem educit: Contumelia enim affici, & in ſeipſum cauſam transferre, & vt à ſe venientia omnia ſuſcipere, hoc vtique cognitionis eſt maximæ. Quicunque autem à Domino poſcit humilitatem, ſciat ſe poſcere, (...)iquẽ ad ſe deſtinari, à quo contumelijs & iniurijs afficiatur, vt quæ eas pariter ferat æquo animo, cõtemnatque ſeipſum in corde, vt & foris & intus pariter humilietur. Alius non ſolum gaudet affectus contumelia, & in ſeipſum cauſam transfert, ſed etiam dolet ſuper turbationem inferentis iniuriam. Vtinam (fratres) nos Deus in hunc ſtatum adducat. Videte quanta ſit trium bonorum ſtatuum latitudo! Diſcat igi-

C

tur vnuſquiſque, cuius ſit ipſe ſtatus: vel eorum qui operantur, & vlciſcuntur paſſiones: vel eorum qui nolentes quidem & inuiti ſuperantur à conſuetudine, & opus trahuntur, poſt autem opus mœrent, affliguntur, & dolent, aguntque pœnitentiam. Diſcet ſi in eorum numero ſit, qui paſſiones ſiſtunt cum ſcientia & cogitatione; vel ſi certat (vt diximus) paſſionẽ tollere paſſione. Hoc eſt ſi quis ſilentio ſtudet ob inanem gloriam, ob humanam complacentiam, aut temporalem cogitationem. Diſcat ſi cœpit euellere paſſionem, euellitq; illam cum cognitione, & agit quæ viderit paſſioni eſſe contraria. Diſcat vnuſquiſque vbi ſit, aut in quo libro ſcriptus. Debemus enim non ſolum nos per dies ſingulos diſcutere, ſed per quælibet tempora, per menſes, per

D

hebdomadas, ac nobiſipſis dicere: Prima hebdomada huiuſmodi paſſione affectus es, nunc quomodo habes? Item per tempus quodque anno tranſacto victus es & ſuperatus ab hac paſſione, nunc quomodò habes? & ita per quælibet diligenter inſpicere ſi quid à nobis abſcindimus ex illis, an in eiſdem voluimur vel in deteriora delapſi ſumus. Det nobis Deus virtutem & poteſtatem, ſi non euellendi paſſiones, ſaltem non operandi, atque confirmandi & comprimendi eas. Grauiſſimum enim eſt paſſionem in actum proferre neque eam cõprimere. Subijciam vobis ſimilitudinem, cuius potiſſimum ſimilis ſit qui paſſionem exercet & vlciſcitur. Homini puto ſimilem ſagitta ab hoſte percuſſo; qui ſagittam ſuis manibus arripiens, cordi proprio infigit. Qui verò paſ-

E

ſionem comprimit; ſimilis eſt percuſſo quidem ſagitta ab hoſte, ſed nuſquam vulnerato ob thoracem quem indutus eſt: qui autem eradicat & euellit paſſionem; ſimilis eſt percuſſo quidem, ſed ſagittas arreptas manibus confringenti, aut illas in hoſtis corde torquenti, vt canitur in Pſalmo, *Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.* Studeamus ergo (fratres) ſi non poſſumus contorquere gladium ipſorum in corda eorum; non ſuſcipere ſaltem ſagittas illorum, & in corda noſtra confringere: Armemúſque potiùs nos thorace, ne percutiamur & vulneremur ab illis. Deus optimus protegat nos ab eis, largiatúrque virtutem nobis, dirigatque ipſe nos in viam ſuam, Amen.

Non eſt diuturnum, quod non vult anima.

Abbas Paſtor.

Patientum multa genera

Iracundia affectum cũ cognitione euellere.

Humilitatem petere, quid ſit.

Vt nos ipſos diſcutiamus.

Pſal. 36.

A

VT STVDEAMVS STATIM A NOBIS PRÆCIDERE PASSIONES, PRIVSQVAM in habitum animæ tranſeant.

Doctrina XI.

ADVERTITE animum (fratres) ad quaſcumque res, & cauete ne vosipſos negligatis; in maxima enim pericula plerúmque nos abducit vel minima negligentia. Incidi quandoque in fratrem non tam ægrotum quàm debilem, cognouique ex eo quod dies tantùm ſeptem tertianam paſſus eſſet; iamque quadrageſimum diem ageret à febris liberatione, nec poſſet adhuc priſtinas vires accipere. Videte igitur (fratres) quàm miſerum ſit in enormem diſpoſitionem incidere. Soliti ſemper ſumus e-

B

normitates minimas contemnere, neque aduertimus quicquid mali in corpus noſtrum ingruerit (maximè cum debilius fuerit) maximum eſſe; nec ſine multo ſtudio, labore, ſudore & tempore, vires priſtinas poſſe recuperari. Septem tantùm dies infœlix ille febrem paſſus erat; nec tamen releuari potuit etiam tot diebus, tanto tempore. Idipſum in anima eſt quod in corpore. Tenuiter quis peccat! quantùm tamen tranſigit temporis, quantùm diſtillat ſanguinis antequam ſeipſum erigat? Et in corporibus quidem ægritudinis & morbi varias cauſas reperimus: vel quòd medicinæ rancidulæ vim ſuam amiſerunt; vel quod medicus indoctus nec ſatis expertus aliam pro alia medicinam præbuerit; vel quòd ægrotus ſuo capite nihil ſeruet eorum quæ medi-

C

cus imperauerit. Non eſt autem in anima idipſum dicere: neque enim habemus medicum imperitum, qui medicinas accommodatas languori non dederit. Chriſtus namque animarum noſtrarum medicus eſt; iſque nouit omnia, & vnicuique languori & morbo accommodatum donat antidotum. Nam exempli gratia: inani gloriæ humilitatis præcepta oppoſuit; luxuriæ continentiam; auaritiæ eleemoſynam: & vt concludam breuiter, vnicuique paſſioni medicinam dedit & accommodatiſſimum remedium, ita vt ne quicquam medicus imperitus queat iudicari. Sed neque etiam rancidulæ ſunt medicinæ, vt non queant operari virtutem ſuam: Chriſti enim præcepta nunquam inuertantur; ſed quò magis exercentur, eò magis renouantur. Neque valetudini

D

animæ quicquam eſt quod obſtet aut impedimento ſit, niſi cùm ipſa ſeſe minus diſpoſuerit. Attendamus igitur nobiſipſis (fratres) vigilemus dum tempus habemus. Cur enim nos negligimus? Faciamus ſemper aliquid boni: vt auxilium tandem inueniamus in tempore tentationis. Quid vitam noſtram deperdimus? Tot quotidiè, tantáque ſentimus; & omnia contemnimus, nec vlla nobis cura eſt illa diſcernere. Videmus quotidiè fratres noſtros & rapi & mori: nobiſque ipſis nuſquam inuigilamus: nec intelligimus, nos quoq; in horas morti viciniores fieri. Horæ ferè tres ſunt ex quo vobis loqui cœpi ſedens: quis dubitet nos nunc morti viciniores eſſe quàm anteà? Labi tempus & perire nobis animaduertimus, vixque timemus. An non venit in mentem ſententiæ illius, quæ frequens erat in ore ſenis, dum di-

E

ceret: Aurum vel argentum ſi amiſerit homo, poſſe eum vel idipſum vel tantumdem recuperare; tempus autem ſi pereat, nec ipſum amiſſum nec aliud pro eo poſſe aliquando reſtaurari. Quod veriſſimum eſſe patet: quis enim diem vel horam temporis amiſſam quærens; aliquando inuenit? quod ſunt qui verbum Dei audire geſtiunt, nec inueniunt qui eis illud propinet: Nos verò quotidie tot tantaq; audientes, contemnimus copiam neque quicquam excitamur. Nouit Deus quantùm diſcrucier animarum noſtrarum duritiæ; quia ſaluari cum poſſimus, negligimus & nolumus. Euellere enim poſſumus vitia & paſſiones noſtras cùm teneræ ſunt tanquam arbuſta; nec curamus. Quin potiùs ſinimus illas obdureſcere & creſcere in nobis, vt perfectam in nobis malitiam

Etiã minima negligẽtia, in grauia pericula nos nos coniecit.

Ægritudinũ varia cauſa in corporibus.

Peccatorum antidota.

Id vnum impedit animæ ſalutem, quòd ipſa ſe nõ diſponit.

Temporis iactura, quam magni ſit pretij.

Contẽnimus copiam ſpiritualiũ exhortationum.

Cordis duritia.

Peccatorum germina radicẽda antequã adoleſcant.

Anima paſſionũ collatio ad arbores.

litiam & poſtremam tandem faciant. Aliud eſt enim (vt ſæpè dixi) euellere paruam herbam & teneram, quæ ſtatim extirpatur; & aliud magnam arborem eradicare. A Onoſus erat quandoque Senex magnus cum diſcipulis ſuis in hortis in quibus cupreſſi variæ (magnæ ſcilicet ac paruæ) creuerant. Imperauit igitur vni ex fratribus, Senex Cupreſſum euellere; quæ cùm parua eſſet & tenera, vna manu extirpata eſt: Poſt quam iuſſit aliam maiuſculam euelli, quæ non vna ſed ambabus manibus tandem euulſa eſt: Tertiò, maiorem adhuc prioribus videns Senex, & illam imperauit velli; quæ non ſine magno labore extracta eſt: Quartam quoque cæteris altiorem extirpari iuſſit; quæ ſummo conatu, labore, & ſudore, vix extrahi potuit, Quintam adiecit maximam: quam cum ille conaretur euellere, nunquam valuit, ſed incaſſum circa eam elaborabat, deſudabatque. Quod vt B vidit Senex; ſolū videlicet opus perficere minimè poſſe; iuſſit coadiutorem accedere, ſicquè ambo illam tandem extraxere. Tunc ad omnes conuerſus Senex, ait: huiuſmodi ſunt paſſiones noſtræ; Fratres. Cùm teneræ ſunt & paruæ, ſi volumus facilè illas poſſumus à nobis extirpare: quòd ſi eas neglexerimus, obdureſcent illicò; quóque magis obduruerint, eò maiore vi & labore opus erit; quinimmo irriti erunt conatus noſtri omnes in illas; niſi alicuius viri ſancti orationes ad auxilium nobis acceſſerint: tantam vim habent auxilia quæ à viris iuſtis & ſanctis experiuntur! Quod Propheta nos quoq; docet in Pſalmo cum ait; *Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis, beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* Sed exponamus per ordi- C nem quod dictum eſt. Babel dicta quod eſt Sichem. Filiam autem Babylonis dicit inimicitiam: primùm enim confunditur anima, & poſtmodùm perficit peccatum. Mulierem autem nominat eius malitiam; quæ (vt aliàs vobis quam ſæpiſſimè dixi) ſine exiſtentia & ſubſtantia vlla omnino eſt; ex nihilo in aliquid à noſtra negligentia & iniuſtitia deducta; & rurſum ex iuſtitia & diligentia noſtra in nihilum redacta. Dicit igitur ad eam ſanctus Dauid; *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuā quam retribuiſti nobis.* Diſcamus quidnam illi dederimus vel ab ea recepimus, & quid illud potiſſimùm ſit quod eſt ei retribuendum. Dedimus illi voluntatem noſtram, recipimúſque ab ea peccatum. Beatos igitur eos facit hic ſermo qui ei retribuerunt retributionem ſuam; qui eam ammodò non fecerunt: eſt enim hoc illi retribuere. In- D fert deinde; *Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram*: ac ſi dicat: ille (inquam) beatus eſt, qui quæcunque genimina tua (id eſt, prauas & iniquas cogitationes) non admiſerit in ſe; neque his omnino in principio locum dederit, vt coaleſcere poſſent & augeri ac tandem malum operari; ſed ſtatim cùm adhuc paruulæ & teneræ eſſent, antequam enutrirentur & creſcerent, illas alliſit & percuſſit ad petram quæ Christus eſt; & bis peremptis, omnino confugit ad Dominum. Ecce igitur vt maiores noſtri & ſacra pariter Scriptura conclamant, eóſque beatos faciunt, qui ſtudioſi fuerint à ſeipſis paſſiones abſcindere, dum terrenæ fuerint & molles, antequam dolorem & amaritudinem earum experiamur. Demus igitur operam, vt miſericordiam conſequamur E à Domino; elaboremúſque interdum ne nobis deſit remiſſio & indulgentia diuina. Docuerunt enim ſæpe nos Maiores noſtri, quo pacto purgemus noſipſos per ſingulos dies; vt ſcilicet ad veſperam perſcrutemur nobiſcum, quomodò noctem; & ſic pœnitentiam agamus apud Deum, vt par eſt, in quo peccaſſe nos depræhenderimus. Sanè cum admodùm delinquamus peccemúſque, obliuiſcamurque facillimè delicta & peccata noſtra; opus eſſet nobis in horas cura diligenti & examinatione: quo pacto ſcilicet ambulaſſemus id momenti & temporis, in quo deliquiſſemus; deberétque vnuſquiſque noſtrum à ſeipſo (tanquam iudex) rationem cuiuſlibet facti extorquere, & dicere: Vt quid locutus ſum infœlix, quæ Fratrem meum moderent &

Viri ſanctiali cuius orationem auxilium poſtulandum in euellendo peccato.
Pſal. 136.
Babel.
Sichem.
Pœnitentiæ quotidianæ ratio & modus.

carperent? Vt quid fratrem aliquid facientem iudicaui? Vt quid Deum contempſi? Vt quid murmuraui, & oblocutus de ipſo ſum? Cur coquum increpaui? Cur pudore illum affeci? Cur ego imprudentiſſimus, in meipſo obmurmuraui quòd cibaria non benè decoxiſſet, artificioſè curaſſet? Dixit mihi ceremoniarum princeps vel quiuis alius fratrum verbum; nec ferre potui, at ſtatim illi aduerſatus ſum, ſicque per ſingulos dies agendum nobis eſſet, diſcutiendum & cognoſcendum quo pacto ambulaſſemus. Debet item quis à ſe exigere; vt noctem tranſierit; ſi videlicet & cum diligentia & promptitudine ad vigilias ſurrexerit, ſi neglexit reſpondere † excubitori, ſi contrà ipſum in aliquo obmurmurauit; ſcire etenim quemque decet excubitori noſtro nos admodum debere, vtpotè illi qui nos plurimis beneficijs afficiat; cauſa eſt enim nobis multorum bonorum. Excitat nos ad colloquendum cum Deo, ad orandum pro noſtris & alienis peccatis, vt illuminemur à diuina gratia. Huic de tot bonis quis non agat gratias? Huic verè agendæ ſunt gratiæ plurimæ, à quo quodammodo ſalus noſtra dependet. Dicam ad hoc propoſitum vobis rem mirandam, quam audiſſe me memini à patre quodam maximo † Dioratico. Aiebat enim ille nocte quadam dum in Eccleſia excubaret, in principio pſalmodiæ vidiſſe ſe quendam è ſacrario egredientem cum veſte ſplendida, habentémque in manu caliculum cum ſacrificio & hoſtia, tinxiſſéque illam hoſtiam in calice; & obambulantem, fratres omnes obſignaſſe. Eorum vero qui ad vigilias non ſurrexiſſent, aliquorum ſedes & loca tetigiſſe, aliquorum pertranſiſſe. Atque hoc ipſum in fine Pſalmodiæ repetiſſe è ſacrario vt anteà egredientem. Quod ſenem admodum admiratum cùm ante ſe pertranſiret, ad genua illius obuolutum rogaſſe, vt quidnam hoc eſſet myſterij dignaretur aperire. Reſpondiſſéque illum eſſe ſeſe Angelum Dei, qui delegatus ad hoc eſſet, vt ſigno huiuſmodi eos obſignaret quos diligentes & promptos ad principium Pſalmodiæ & in finem vſque perſeuerantes in Eccleſia reperiſſet. Senem verò poſt hæc iterum ſubdidiſſe. Cur aliquorum loca & ſedes, quos in Eccleſia non reperiſſet, obſignaret. Retuliſſéque rurſum Angelum ſanctum eorum ſe loca obſignaſſe, qui & promptiſſimi & paratiſſimi quantum in ipſis erat ad vigilias ſurgere, ſed vlla neceſſitate compediti, cum Patris obedientia & benedictione vel etiam imperio obdormiſſent. Hos æquum eſſe ſignum ſuum recipere, cùm animo & propoſito cum pſallentibus affuiſſent. Illi verò qui pſalmodiæ intereſſe potuiſſent, ſed deſidia torpere, & negligentia deſtitiſſent, iuſſu Dei ſummi ſedes & loca noluiſſe obſignare, quoniam ipſi ſeſe indignos hoc cœleſti ſigno feciſſent. Contemplamini igitur quale nobis donum miniſtret, qui nos ad vigilias & laudes Dei excitat. Curate fratres Angelicum ſignum non amittere, at ſi contigerit vllum ex vobis dormitare, fueritque ab altero excitatus: ne male feratis, ſed potius ratione tanti boni gratias agite quicumque ille fuerit. Cum eſſem in cœnobio, præpoſuit me Abbas ſuſcipiendis hoſpitibus ſeniorum ſuorum conſilio. Surrexeram autem tunc à maxima ægritudine, ita vt vix poſſem pedibus conſiſtere. Veniebant igitur hoſpites, & plerumque cum illis multam noctem vigilabam.

Veniebant camellarij & illis neceſſaria miniſtrabam, agebámque inde me cubitum, alteráque quàm ſæpiſſimè occurrebat quæ me ſtatim excitaret neceſſitas. Aduentabat interea modico interuallo hora vigiliæ, & cum paululum quippiam obdormiſſem; excitabar à Canonarcho noſtro. Eram igitur & labore & ægritudine vicina mirum in modum defeſſus, calebámque interdum alternis febribus, vt vix meipſum erigere poſſem. Ita verò illi reſpondebam, vt qui eſſet à ſumno aliò tranſlatus, Bene faciat tibi Deus frater, & charitatis tuæ memor ſit, en vt iuſſiſti propero. Cúmque poſt hæc diſceſſiſſet, inuitus & nolens iterum obdormiebam. Vſque

Ceremoniarū princeps.
† Ei qui ad vigilias excitare ſolet.
Excubitoris officium.
† Chryſoſtomo Cabroſ... habet. Horatius.
P. Dioratici viſio.
Angelus Dei, viſus obſignare pſallentes monachos.
Canonarchus.

adeò autem pœnitebat me deſidiæ & negligentiæ meæ, cum videbam me non interfuiſſe vigilijs, nec ille me denuò excitaſſet, A vt fratres duos rogauerim, alterum vt me excitaret in tempore, alterum vt me non pateretur abeſſe vigiliarum tempore. Et mihi oro credite, ita illos amabam, venerabar, colebam, vt à quibus ſalus mea dependeret & eſſet. Tales & vos eſſe decet erga excitantes vos ad vigilias ad horas canonicas, & ad omne illud opus bonum: Habendáque eſt vt diximus à nobis temporis ratio, exquirendúmque, vt diem noctémque tranſegerimus. Si cum reuerentia & attentione ad pſalmodiam, ad orationem ſteterimus, nec paſſi ſumus captiuos nos trahi à cogitationibus & paſſionibus noſtris. Si attentas aures præſtitimus diuinis lectionibus. Si interrupimus pſalmodiam inaniter extra Eccleſiam & chorum educti. Si ſeſe quiſque per ſingulos dies ita B diſcutiat, agatque pœnitentiam in quo deliquiſſe ſe deprehenderit ſtatimque poſt lapſum ſurgat emendatus, incipiemus malitiam noſtram ſenſim minuere, & quod nouies male agebamus, vix iam octies agemus. Sicque coopitulante Deo proficiemus, & non poterunt in nobis paſſiones obfirmari. Periculoſum enim valde eſt in habitum Paſſionum & vitiorum incidere, quas (vt diximus) cum voluerit homo non poſſit ſolus ſuperare, ſed opus ſit ſanctorum virorum auxilium implorare. Libet narrare vobis de quodam confratre noſtro, qui miſer & infœlix in habitum paſſionis lapſus erat. Accipite rem lachrymabilem. Cum eſſem in cœnobio, conſueuerant fratres omnes cogitationes ſuas ad me deferre, vel per iocum, vel per quandam ſimpli- C citatem, ita vt etiam Abbas hanc mihi curam ſeniorum conſilio imponeret: Die igitur quadam ad me venit vnus è fratribus poſtulans pœnitentiam, quia furtim comederet. Qui à me interrogatus quare id ageret, reſpondit fame ſeſe cruciari, nec poſſe in menſa cum reliquis ſaturari. Hortabar vt hoc Abbati inſinuaret, ille autem pudore teneri ſeſe dicebat. Ego igitur Abbatem adij & fratris fragilitatem aperui, qui mihi omnem eius curam cõmiſit, eum ſcilicet curare, vt mihi viſum eſſet. Acceſſi e veſtigio ad cellariotam, imperauiq; illi, vt quacumque hora frater edere vellet, nihil ei negaret, omnia præſtaret. Sicque vt imperaueram, agebat. Dies itaque aliquot cauit à furto frater, ſcilicet non multo pòſt ad ad me veniens cum lachrymis veniam poſcebat & de- D precabatur, quia adhuc ad furtum priſtinum rediſſet. Ad hunc ego conuerſus ſciſcitabar hoc cur faceret, aut ſi pateretur repulſam vllam à cellariota. Negabat ille quicquam ſibi deeſſe, ſed vereri & erubeſcere cellariotam illum. Ego tunc ab eo quærere cœpi, an de me erubeſceret: quod cum negaſſet, iuſſi vt deinceps ad me accederet, & à me ſolo neceſſaria caperet, neque furtim ammodo quippiam acciperet. Erat autem tunc forte mihi cura infirmorum. Perſeuerauit igitur apud me dies aliquot abſque furto, egôque illi deeſſe nihil patiebar. Non multo autem poſt, vt primum, lachrymans ad me venit, & ad furtum rediſſe ſe denuò confitetur. Interrogo rurſum quare id faceret, cum & de me non erubeſceret, & nullam inediam aut neceſſitatem E pateretur. Reſpondit ſimpliciter neſcire ſeſe quare aut quo pacto id faceret, ſed id eſſe ex quadam mala conſuetudine. Quæ etenim furaretur, non ſibi ipſi reſeruare, ſed aſino apponere, atque ita inuentum eſt. Fabas, palmulas, ficus, cepas, & quicquid aliud inueniret, ab eo aſino apponi. Nam cum illa ſurripuerat, lecto ſupponebat, cúmque iam putreſcere inciperent, inſcius quid de his ageret, aſino obijciebat. Contemplamini ex hoc fratres, quàm miſerum, quàm infœliciſſimum ſit in habitum paſſionis peruenire. Non ignorabat infœlix maleſacere ſeſe, non ignorabat adeò iniquum eſſe: affligebatur dolore & lachrymis crebris, & tamen trahebatur miſer nolens à mala hac conſuetudine, quam in ſe induxerat ex præmiſſa negligentia. Rectè igitur aiebat ſentiebátque Abbas Niſcheron, qui raperetur à paſſione, fieri ſeruum paſſionis. Liberet nos Deus à malo habitu, ne nobis dicat: Quæ vtilitas in ſanguine meo dum A deſcendo in corruptionem? Prædixi vobis quo pacto differenter & diuerſis modis quis in habitum deueniat. Neque enim qui ſemel iraſcitur, illicitur iracundus, aut qui ſemel fornicatur, fornicator: nec qui ſemel miſeretur, miſericors. Sed iam virtus quam malitia, cum in ea ſe quis crebro exercuerit, habitum quendam in anima parit, & ſi ipſe habitus ſi malus fuerit, animam diſtorquet & cruciat, ſi bonus, in quietem ſummam collocat. Hæc autem omnia quomodo fiant, vt ſcilicet virtute anima conquieſcat, malitia crucietur & laboret, diximus in ſuperioribus. A natura enim nobis ineſt virtus, neque deleri omnino poſſunt iacta in nobis virtutum ſemina. Cum igitur bene ad virtutis habitum deuenimus, & proprium & noſtrum, non alienum habitum B ſuſcipimus. In propriam valetudinem atque habitudinem bonam corporis reuertimur, vt à cæcitate quadam in proprium lumen, vel à quauis alia ægritudine in proprium & naturale robur. In malitia autem haud licet ipſum id dicere, ſed extortem, ac præter naturam habitum animo ſuſcipimus, cum malis inſiſtimus, & quaſi in peſtilentem quandam ægritudinem labimur. A qua poſtmodum nequicquam poſſumus ad propriam ſanitatem reduci, niſi eorum ope, auxilio & oratione, qui miſericordias Domini in nos potuerint reuocare. Quod idem in rebus his corporeis videre licet. Eſt enim exempli gratia, aliquod cibi genus humoris melancholici, qualis braſſica & lentes & pleraque alia huiuſmodi, quæ C melancholica ſunt. Non igitur quòd quis braſſicam, vel lentem ſemel atq; iterum comedat, generatur in eo humor melancholicus, ſed ſi continuè his vtatur, fit in eo plerumque tanta melancholici humoris abundantia, vt febrem grauiſſimam ſuperinducat, quæ habentem depaſcit & vrit, atque alias innumeras moleſtias nonnunquam ſuperaggerat. Idipſum in anima eſt, quæ male facere & peccare pergit, generatur in ea habitus malus, à quo infœlix & miſera cruciatur. Sed & hoc ipſum attendite quod dico. Quia cum procliuis fuerit anima in paſſionem aliquam & vitium, ſi ſemel etiam tantum ad ipſius vitij actum prolabatur, periclitatur ne in habitum quoque ruat. Quod idem ſæpe in corporeis his contingit. Sunt enim plurimi adeò melancholicæ complexionis ex præhabita circa ſeipſos incuria & negligen- D tia, vt vnica tantum comeſtio rerum melancholicarum ſatis ſit ad prouocandum incendendúmque in eo humorem & febrem. Quare opus eſt nobis multa diligentia, ſtudio & timore, ne quis habitum mali in ſe faciat. Credite mihi fratres, vitium omne habituatum in nobis, gehennæ ſubiectum eſt. Ita vt ſi decies cuiquam bene operari contigerit & ſemel tantum ex habitu malefacere, malum id vnicum quod ex habitu procedit, tanta illa bona corrumpit & deſtruit. Nam & aquila, quæ reliquo corpore à laqueo omnino libera eſt, vnica autem vngula detenta fuerit, omnem vim ſuam ex ea modica particula qua præpeditur, amittit. Nónne toto corpore ſoluta & libera ſola vngula detinetur. Nónne & venator vnica illam hora deprehendit? E Idipſum in anima eſt, quæ ſi vnicam tantum paſſionem habituatam habuerit; ex ea ſubrecta iam hoſti hora etiam minima in captiuitatem ducetur. Ea igitur de cauſa admoneo vos ſæpe fratres, hortor, annuncio, vt dies noctéſque circa nos vigilemus, rogemúſque Dominum, ne incidamus in tentationem. Et ſi vt homines ſuperamur & labimur interdum in peccatum, ſtudeamus ſtatim reſurgere pœnitentia & lachrymis profuſis in conſpectu diuinæ bonitatis & clementiæ, nec non etiam pro virili parte pugnantes. Ita cum reſpexerit Deus intentionem noſtram, humilitatem, contritionem, porriget nobis manum & faciet nobiſcum miſericordiam.

P. Dorothei vigiliæ.

Furandi conſuetudo quàm periculoſa ſit, exemplum.

Abbas Niſcheron: Chryſ. Calaber, eum nominat, Neſtheroul.

Malum, eſt præter naturam.

Peccatũ vnicum, multa bona euertit.

DE TIMORE

DE TIMORE ET POENIS INFERNI, ET QVOD EVM QVI SALVARI cupit, non debeat ſine cura ſuæ ſalutis viuere.

Doctrina XII.

CVM podagra laborarem, ita vt eius dolore lecto decumberem, venientes ad me è fratribus plurimi viſendi gratia, rogabant vt doloris & ægritudinis meæ cauſam manifeſtarem. Duo (vt arbitror) ex hoc facturi, & me afflictum ex dolore conſolaturi ac recreaturi, & mihi ipſi occaſionem materiámque daturi, vt illis aliquid vtilitatis & ædificationis de more exponerem. Sed quoniam non permiſit me dolor fari quę vellem, operæ precium erit nunc de ipſo dolore aliquid dicere. B Iocunda enim eſſe ſolet afflictionis & periculi poſt periculum ipſum narratio. Et in mari quidem cum æſtus fuerit, affliguntur omnes quotquot in naui fuerint, cum autem tranquillitas redierit, læti omnes inter ſe narrant tempeſtatis horrorem. Optimum eſt fratres, quòd me plerumque vobis memini dixiſſe, vt quicquid nobis euenerit, idipſum ad Deum illico referamus; dicamúſque nihil fieri abſque nutu & voluntate diuina, præcognouiſſeque Deum id nobis futurum vtile, atque ideò permiſiſſe, etiam ſi res ipſa cauſam nullam exteriorem habere videretur. Quod exemplo noſtro clarius erit. Poſſem ego nunc dicere, quòd ex quo aduenis his noſtris conuiua fui, méque ipſum inuitum ad cibum coëgi vt illos recrearem, ſtomacho aggrauatus ſum, & humore in pedem deſluente, C hinc cruciatus; & affectus tam graui dolore ſum, atque alias innumeras & diuerſas cauſas afferrem; quæ volenti nuſquam deeſſent. At melius & rationabilius eſt dicere, hoc ipſum permiſiſſe Deum quia animæ meæ præſtaret, & ſic vtique exiſtimo. Nihil enim eſt eorum quæ fecit Deus quod non ſit optimum, iuxta quòd dicitur: Dei opera eſſe omnia bona valde. Quare dolendum nemini puto in his quæ ſibi contigerint, ſed omnia æquè ad Dei prouidentiam referenda, atque ita æſtuantem animum & turbatum ſedandum. Sunt autem nonnulli in his quæ ſibi acciderint aduerſa, adeò impatientes & debiles, vt vitæ ipſi abrenuncient & mori optent, vt his liberentur. Quod ſanè ex puſillanimitate atq; ignorãtia procedit. Ignorant enim hi terribilem neceſſitatem quæ animæ D incumbit cum è corpore egreſſa eſt. Magna eſt Dei clementia fratres dum in hac vita ſumus, ſed ignorantes quam grauiora ſint quæ poſt obitum expectamus, ad hæc tantum pœnitentiæ oculos flectimus, quæ profectò grauia non ſunt. An ignoratis ſententiam ſenis illius, cum interroganti fratri & dicenti quod mori optaret, reſpondit: vt tribulationem fugias iſtud optas? Sed ignoras quòd quæ ventura ſunt, grauiora ſunt & acriora multo his. Alius item cum ſenem interrogaſſet, vnde fieret quod ſibi moleſtum eſſet in cella ſedere, accepit: Quia nondum proſpexiſti in futuram requiem vel afflictionem. Si enim hæc animo diligenter inſpicias & mediteris, etiam ſi cella tua vermes ſcaturiat, vt ad collum vſque immergaris in illis ſuſtineres vtique abſque moleſtia vlla & difficultate. E Sed heu nos infœlices dormitantes, etiam ſaluari in eáque inter tribulationes & anguſtias deficimus. Qui Deo magis indeſeſſe gratias agere deberemus, nóſq; beatos exiſtimare, qui habiti digni eſſemus hic aliquid pati, vt iſtic poſtmodum requiem omnem inueniremus. Aiebat Euagrius, peccatorem hominem qui Deum rogaret vitam ſuam cito terminare & finire, ſimilem eius eſſe qui fabrum lignarium obſecraret, vt lecticam ægroti cito contereret. Ex corpore enim hoc fit, vt anima à ſuis paſſionibus auocetur & abſtrahatur, comedat, bibat, dormiat, deambulet, gradiatur cum amicis. Cum autem ſoluta fuerit hoc corpore, vna erit cum paſſionibus eius. Ideóque ſemper ſub ipſis & in ipſis affligetur & punietur, ita vt diſturbata & incenſa ab earum moleſtia, diductáque & diſperſa per A varia non queat etiam Dei reminiſci. Conſolatur enim animã memoria Dei, vt ait Propheta in Pſalmo: Memor fui Dei & delectatus ſum. Quod etiam clarius altero patebit exemplo. Includatur quis veſtrum in abditam & obſcuram cellulam, triduúmque tantum ſuſtineat inediam & ieiunet, non bibat, non dormiat, non cõueniat cum aliquo, non ornet, non cantet, neque omnino memoriam vllam Dei habeat, intelligétq; quid in ſe agant poſſintque paſſiones. Quod ſi hoc cum etiam ſit in corpore, quanto magis cum anima fuerit egreſſa à corpore, & illis tradita atque omnino coniuncta & addita? Nemini profectò dubium eſſe debet, paſſuram eam grauiſſima cum illis. Poſſumus etiam conſiderare ex his quæ nunc hic ſunt futuras tribulationes. Cum enim quis digitum aduſſerit vel modicum hic, quantum eſt quod B adurit? At quem ignem, quam flammam, quod incendium, iſtic ea ligna factura ſunt? Vt corpus melancholicum & diſtemperatum cõtinuè ab ipſa melancholia & diſtemperantia vritur & affligitur, ſic anima vitijs ſubiecta, ſemper à malitia & iniquitate ſua torquetur, atque in perpetua memoria dolore & amaritudine eſt paſſionum, quæ ipſam adurunt & incendunt. Et præter hæc quis poſſit fratres horrenda illa loca narrare? Tortores terribiles, animas infœlices diro cruciatu torquentes, ignem incorruptibilem & ſemper ardentem, tenebras inexplicabiles, aſperos & rigidos iudices & vltores, atq; alia dira & innumerabilia tormenta, vt pluribus in locis ſacræ ſcripturæ alias diximus. Quæ omnia debita proportione, animarum delictis, etiam prauis earum volun- C tatibus accommodata ſunt. Vt enim ſancti capiant loca præclara & lucida, Angelorúmq; delectationẽ bonitati eorum congruam, ſic peccatores habent loca obſcura & tenebroſa, horrore & extaſi plena. Quid enim magis horrendum eſſe poteſt his locis, in quibus dæmonum agmina verſantur? Quid magis crudele & durum ea pœna, cui adiudicantur? Cruciantur tamen & ipſi dæmones vnà cum peccatoribus (vt ſcriptũ eſt.) Diſcedite à me maledicti in ignem æternum paratum diabolo & Angelis eius. At omnem horrorem ſuperat, quod Chryſoſtomus ait: Si non eſſent ſcilicet flumina iſtic quæ ignem fluerent, non dæmones horrendi, at ſolum ex iudicatis: hi gloria & triumpho cœli donarentur; illi inglorij & inhonorati relinquerẽtur, ne viderent gloriam Domini. Hanc pœnam, hanc ignominiam, hanc confu- D ſionem omne tormenti genus, omnem gehennam ſuperare. Accedit præterea caſus ſui dolor, conſcientiæ morſus & memoria amariſſima malefactorum, quæ omnia duriora ſunt tormentis inenarrabilibus. Omnium enim memoriam habent iſtic animæ, quę in vita hac perpetrarunt, & ſermonum, & actionum & deſideriorum, & concupiſcentiarum, & horum nihil poſſunt obliuiſci vnquam. Quod autem dicitur in Pſalmo: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Cogitationes intelligit huius ſæculi, quales ſunt domorũ, poſſeſſionum, filiorum, propinquorum, & omnis commercij. Hæc omnia vbi exijt anima à corpore, pereunt. Nihil horum amplius reminiſcitur aut curat. Quæ autem fecit vel ſecundum virtutem vel vitium, hæc omnia meminit, E nihilque horum perire ſibi poteſt. Si qua etiam in re alicui prodeſſe curarunt, vel ipſi ab vllo beneficio affecti ſunt, hoc ſemper meminere. Item ſi cui iniuriam intulere, aut ipſi ab alio recepere, vtrumque reminiſcuntur & ſciunt, nihílque omnino vt dixi perdit anima, eorum quæ in vita hac vel bene vel male geſſit. Imò etiam clarius dilucidiúſque exuta hoc terreſtri corpore omnia percipit, agnoſcit, intelligit. Loquebamur quandóque de re hac cum ſeniore quodam maximo, aiebátque ille: Exuto corpore animam reminiſci omnis virtutis & vitij quod viues in corpore operata eſſet, perſonæ etiam qui cum illa perpetraſſet. Ego vero contra dicebam non ita eſſe omnino, ſed fortaſſe habere eam habitum peccati, quem in ſeipſa ex frequenti actu peperiſſet, atque

Marginalia:

Morbi accidunt homini Deo permittente.

Geneſ. 1.

Prouidentia.

Deſperatio.

Mortem exoptantiũ ignorantia.

Animæ ſtatus in futuro ſæculo.

Pœna futura ex præſentibus cognoſcuntur.

Gehennæ horror.

Matth. 25.

Anima omnium in hac vita geſtorum memores.

Pſalm. 145.

Anima memoria in altero ſæculo.

Digitized by Google

huius meminiſſet. Sicque de re hac diutius inter nos contendimus, cum optaret hoc ipſum vterque noſtrum pro certo ſcire. Non poterat autem ſeni hoc perſuaderi, perſiſtebátque dicens: quòd anima etiam ipſius peccati ſpeciem reminiſceretur, nec nõ perſonam & locum vbi peccaſſet. Et medius ſi ita eſt, etiam peiora erunt nouiſſima noſtra quàm dicebam, niſi nobiſipſis aduertamus. Hac de cauſa vos ſemper adhortor fratres vt optimas cogitationes quas iſtic poſtmodum inueniatis vobis excolatis. Quicquid enim hic homo ſibi parauerit, iſtic omne tenebit ſemper, & cum eo pariter egredietur ex corpore. Curemus igitur & ſtudeamus fratres ab hac dura neceſſitate liberari, & dabit nobis Deus miſericordiam ſuam. Ipſe enim eſt (vt in Pſalmo) ſpes omnium finiũ terræ & in mari longe. (*Pſal. 64.*) Qui oro ſunt in finibus terræ? Hi qui in perfecta iniquitate ſunt. Qui autem in mari longe? Qui in extrema ignorantia ſunt, & tamen horum omnium Chriſtus ſpes eſt. Non igitur opus nobis eſt multo labore. Elaboremus modicum & miſericordiam multam conſequamur. Si quis villam habeat, & negligens illam ſinat incultam fieri, nonne quantò illam neglexerit, tantò magis ſpinis & tribulis replebitur? Quod ſi poſtmodum ad eam expurgandam ſurrexerit, nonne quo plenior ſpinis fuerit, eo magis manus eius ſanguine fluent? Dum eas & cæteras herbas infœcundas & ſteriles quas ibi pullulare ſua negligentia ſiuit, extirpare curabit? Impoſſibile eſt aliquem aliud metere quàm quod ſeminauerit. Oportet autem agricolam qui villam ſuam optimè purgare voluerit, primùm quidem radicitus herbas euellere. (*Peccatorum radices euellendæ.*) Niſi enim ita fecerit & ſummitatem tantum abraſerit, denuò pullulabunt. Opus eſt igitur (vt dixi) radices primum extirpare: Quod cum egerit & ab infœcundis ac malis herbis expurgatum reddiderit, omnino tunc incipiet glebas inuertere & frangere, demumque arabit illam & ſemen optimum in eam ſparget. Nam vbi illam adeò excoluerit, ſi otioſam reliquerit, nónne pullulabunt in ea rurſus herbæ ſteriles, & mollem atque optimam ex cultura terram inuenientes, nónne radices altiores & potentiores emittent? Idipſum in anima eſt. (*Conſuetudine praua nil peius.*) Opus nobis eſt affectionem omnem priſtini hominis ac malos ſæculi mores à nobis amputare. Nihil enim peius prauis moribus & mala conſuetudine. Hinc diuus Baſilius aiebat, Haud paruum certamen eſſe ſuipſius ſuperare conſuetudinẽ. Morem enim firmatum longo tempore naturæ vt plurimùm vim habere. Certamẽ igitur primum ſit aduerſus malos mores & vitia cauſaſque eorum, quæ radices ſunt. Quas ſane radices niſi quiſque extirpauerit, neceſſe erit iterum ſpinas erumpere & excreſcere. Sunt enim vitia quædam quæ nihil poſſunt, ſi cauſas illorum amputes, veluti inuidia in ſe ipſa nihil eſt, ſed habet cauſam amorem inanis gloriæ. Qui enim gloriari voluerit, inuideat neceſſe eſt digniori & honoratiori ſe. Ita quoque ex alijs cauſis procedit, & maxime ex voluptate: Cuius ſane meminit Euagrius narrans de viro quodam ſanctiſſimo, quòd ſcilicet dixiſſet, hac de cauſa tollo à me voluptates, vt iracundiæ abſcindam occaſiones. Et ſeniores quidem omnes affirmauere vitium omne à tribus his paſſionibus habere originem, auaritia ſcilicet, inani gloria, & luxuria. Amputet igitur vnuſquiſque à ſe non ſolum vitia, ſed & vitiorum cauſas, exornétque mores ſuos per pœnitentiam, per lachrymas, per gemitum. Sicque ſenſim incipiet ſemen bonum, hoc eſt opera bona per agrum ſuum ſpargere; Nam vt de villa diximus, niſi ea expurgata & exculta ab agricola ſtatim iacta fuerint ſemina optima, reſurgunt illicò mala gramina, & inuenientia mollem & cultam terram, magis magiſque in ea irradicantur. Quod ipſum in homine eſt: Nam vbi mores ſuos excoluerit, & per pœnitentiam deſtiterit à prioribus actibus ſuis, ſi neglexerit opera bona facere, & virtutes acquirere, fit in eo quod dicitur in Euangelio. (*Luc. 11. Matth. 12.*) Quia cum ſpiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inueniens: Tunc ait, reuertar in domum meam vnde exiui: & veniens inuenit eam mundatam ſcopis, & ornatam, vacuamque omni virtute. Tunc abit & aſſumit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, qui intrantes ibi inhabitant, & fiunt vltima hominis illius peiora prioribus. Impoſſibile enim eſt hominem in eodem ſtatu ſemper permanere, ſed aut peior fit ſemper. Quare qui ſaluari cupit, abſtineat non ſolum à malo, ſed & quod bonum eſt faciat neceſſe eſt. Quod dicitur in Pſalmo: declina à malo & fac bonum. (*Pſalm. 36.*) Quod ita fit exempli gratia: Conſueuerat quis iniuſtus eſſe? non ſolum deſinat eſſe iniuſtus, ſed etiam iuſta facere pergat: Intemperans quis erat & luxurioſus? debet non ſolum ab intemperantia abſtinere, ſed etiam continenter viuere. Erat quis iracundus? debet non ſolum non iraſci, ſed etiam manſuetudinem amplecti: Præſumptuoſus quis erat? debet non ſolum præſumptionem tollere, ſed etiam humilitatem induere, & hoc eſt declinare à malo & facere bonum. Omne enim vitium oppoſitam habet virtutem. Vt ſuperbia humilitatem, auaritia miſericordiam, luxuria continentiam, accidia patientiam, ira manſuetudinem, odium charitatem, & alia plurima huiuſmodi. Hinc ſæpe vos moneo ne virtutes à nobis eijciamus, & vitia introducamus, ſed vt procul à nobis vitia omnia pellamus vt aliena, virtutéſque vt proprias admittamus. Naturaliter enim nobis virtutes ingenitæ ſunt à Deo. Et cum fecit Deus hominem, virtutes ei cum anima infudit, vt ait ipſe, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. (*Gen. 1.*) Ad imaginem dixit, quia animam immortalem, incorruptibilem, & ſui iuris fecerat. (*Anima ſui iuris facta.*) Ad ſimilitudinem autem, ſecundum virtutem. Ait enim, eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Et alio loco: eſtote ſancti, quoniam & ego ſanctus ſum. Et rurſus Apoſtolus dixit: Mutuo boni eſtote. Et Pſalmus: Bonus Dominus omnibus patientibus, atque alia plurima in hunc ſenſum, eſt igitur hoc quod ait ad ſimilitudinem. Quia ſcilicet naturæ noſtræ virtutes Deus ingenerauit. (*Vitia ſunt præter naturam.*) Vitia autem nequicquam à natura nobis ſunt. Neque enim vllam habent ſubſtantiam vel hypoſtaſim: ſed quemadmodum tenebræ non ſubſiſtunt per vllam ſubſtantiam. Sed paſſio quædam eſt circa aërem (vt ait Baſilius) priuationi luminis ſubiecta: ita nec vitia. At vero declinans anima per voluptatem à virtutibus, ſeipſam natura ſua priuat & vitijs aditum parat. Quare opus eſt (vt de villa dixi) cum eam excoluerimus, illicò ſemen optimum infundamus, vt fructum bonum afferat. Neceſſe quoque eſt ſeminanti agricolæ, vbi ſemen iecerit, illud occultare atque immittere profunda terra, ne venientia volatilia illud auferant & pereat. Cúmque illud obtexerit terra, expectat miſericordiam Dei, vt ſcilicet è cœlo pluuiam mittat, & creſcat ſemen. Agricola enim quantumcumque elaborauerit purgans villam, excolens & ſeminans: niſi tamen Deus deſuper pluuiam dederit, otioſum ſemper ſemen erit & ſterile, & quicquid egerit, vanum. Ita nos facere debemus vt ſcilicet cum boni quippiam egerimus, illud terra occultemus per humilitatem, iaciamus inde coram Deo infirmitatem noſtram, orantes eum vt faueat & reſpiciat in opus noſtrum, ne otioſum ſit & vacuum. (*Boni operis collatio ad ſemen & ſegetem.*) Plerumque etiam cum ſemen ex pluuia cœperit erumpere, niſi denuò pro tempore imber adueniat, exiccatur germen & perit. Egent enim pari modo & ſemen & germen pluuia, dum ſcilicet excreuerit, magis magiſque firmatum fuerit. Sed neque etiam poſt hæc ſecurus eſſe quis poteſt. Sæpe enim etiam cum excreuerit & ariſtam fecerit, superuenit vel bruchus, vel grando, vel aliud quippiam huiuſcemodi quod fructum perdat & perimat. Idem fit nonnunquam in anima. Quare cum illam expurgauerit aliquis à multis quæ prædixi vitijs, & erexerit ſtudioſiſſime ad virtutes omnes, tunc proſpectum atque oculos ſuos dirigat omnino in miſericordiam & patrocinium Dei, ne illam derelinquat & pereat.

Nam

Deus cur hominem deſerit.

Nam (vt diximus de ſemine) quod etiam cum germi-
nauerit & excreuerit ac fructum fecerit, niſi ruſum per A
excreſcentiam pluuia aduenerit, exiccatur, & perit: ita
& de homine dici poteſt, à quo ſi Deus per momentum
protectionem & patrocinium ſuum abſtulerit ac reli-
querit eum, perit omnino & euaneſcit. Quod homini
tunc ſane contingit, cum rem facit præter ſtatum ſuum,
vt ſi quis venerabilis exiſtens & grauis contemptor fiat,
aut humilis in ſuperbiam cadat. Neque adeò deſerit
Deus contemptorem vbi contemnit, aut ſuperbũ cum
ſuperbia vtitur, quantum venerabilem cum contemnit
aut humilem cum inſoleſcit. Atque hoc eſt peccare præ-
ter ſtatum ſuũ, vnde fit derelictio Dei ab homine. Hinc
diuus Baſilius peccatum viri ſancti aliter diſcernit, aliter
peccatoris. Vbi etiam ab his omnibus ſeſe quis cuſto-

Iactantia fugienda.

dierit, idipſum etiam diligenter auertat, ne bonũ quam- B
uis minimum faciat cum iactantia, aut ad humanam cõ-
placentiam & intentionem. Id enim modicum iactan-
tiæ totum perdit quicquid egit, (vt ſuperius de brucho
& grandine diximus :) atque alijs huiuſcemodi. Et rur-
ſum nihil licet aduerſi seges ipſa patiatur in terra, ſed il-
læſa ad meſſem vſque perueniat, non tamen ſecurus ad-
huc agricola eſſe omnino poteſt. Poſt meſſem enim agri
& cæteros omnes qui in eo fiunt labores, interdum, ve-
nit malus homo & cum odio & inimicitia ignem mittit
in ſegetem, ita vt fructum omnem & laborem agricolæ
pariter perimat. Quò fit vt intelligat ſecurum eſſe nun-
quam ſe poſſe, niſi cum triticum expurgauerit atque in
horrea congeſſerit. Ita & homo cum ex his omnibus
quæ dixi, euaſerit, non tamen ſecurus eſſe debet aut ne- C
gligere. Contingit enim plerũque poſt hæc omnia dia-
bolum ſeducere eum, vel ex iuſtificationibus & arrogã-
tijs, vel per infidelitatis cogitationes, aut prauæ hæreſis
quas menti immiſerit, ita vt non ſolum labores omnes
ſuos amittat, ſed plerumque etiam à Deo recedat. Et
quod non potuit Diabolus per actionem, egerit per co-
gitationẽ. Poteſt enim vnica cogitatio hominem à Deo
ſeparare, cum ſcilicet eam ſuſceperit atq; in animo diu-

Homo nuſquam ſit ſecurus.

tius inſidere permiſerit. Quare qui vere ſaluari optat,
nullo tempore vſque ad vltimum ſpiritum de ſe debet
eſſe ſecurus. Opus igitur labore, cura & ſtudio multo,
continuéque orationi vacandum, vt Deus nos cuſto-
diat & ſaluet ſua bonitate, & clementia in gloriam ſan-
ctiſſimi nominis ſui, Amen.

D

VT VIRILITER ET CVM GRA-TIARVM ACTIONE TENTATIONES *feramus*, *Doctrina* XIII.

QVAM præclare locutus eſt Abbas Paſtor mo-
nachi ſcilicet veri ſignum inter tentationes
maximè apparere. Debet enim monachus
qui non fictè, non ſimulatè ad Dei ſeruitium
venerit, iuxta ſapientiam præparare cor ſuũ ad tentatio-
nes, ita vt in his quæ ſibi contigerint non obſtupeſcat
aliquando, non cõturbetur, hoc ſecum reputans & cer-
tum habens ſine diuina prouidentia fieri nihil. Quæcũ-
que enim nobiſcũ agit & diſpenſat Deus, omnia in vti-
litatem noſtram agit, omnia ex beneuolentia & charita- E
te ſua erga nos diſpenſat, vt ſcilicet curet & ſaluet. Qua-

2. Cor. 7.

re in cunctis (vt ait Apoſtolus) eius bonitati gratias age-
re debemus, atque in nullo contriſtari aut deficere vel
minimum, quæcunq; nobis acciderint. Sed omnia intre-
pide aduenientia ſuſcipere cum humilitate. Et ſæpe in
Deum perſuaſi (vt dixi) quod quicquid nobiſcum agit
Deus, certo id ſua bonitate & beneuolẽtia erga nos agat.
Neque enim decet ea aliter bene fieri, quàm vt ſic mi-
ſereatur Deus. Nam ſi quis amicum habeat & certiſſi-
mus ſit ab eo ſe diligi, quanquam aliquid ab eo patiatur
interdum moleſti, id tamen putat amanter factum, neq;
perſuaderi poteſt vllo modo nocendi animum amicum
habuiſſe. At quanto magis de Deo debemus hoc crede-
re, qui nos plaſmat, qui cum non eſſemus, fecit vt

eſſemus, qui pro nobis incarnatus, pro nobis na-
A tus, pro nobis mortuus eſt? Et in amico quidem co-
gitari quædam poſſunt, quòd ſcilicet amanter & curam
mei gerens hoc fecerit. Cùm tamen non eſſet in eo om-
nis prouidentia & ſapientia mearum rerum adminiſtrã-
datum, vt decebat fortaſſe, nolens obfuit mihi. Hoc qui-
dẽ de amico poſſumus & dedicere & cogitare, de Deo
autem nequicquam. Ipſe enim fons eſt ſapiẽtiæ, & quic-
quid nobis aduenit, prænouit optimè, vſq; etiam ad mi-
nima quæque & viliſſima. De amico etiam fortaſſe di-
cetur quòd nos diligat, quòd noſtrarum rerum curam
gerat, quòd ſapiens & prudens ſit in adminiſtratione fa-
miliæ: Sed quòd minimè poſſit in omnibus prodeſſe in
quibus & vellet & optaret. At de Deo nefas hoc dicere.
Omnia illi poſſibilia ſunt, & nihil impoſſibile in conſpe-
ctu eius. Quod ſi igitur hæc omnia de Deo nouimus,
B quod nos diligat & amet, quod curam habeat ſui plaſ-
matis, quòd ſapientiæ fons ſit, quòd nouit optimè quo-
modo noſtra adminiſtret, quòd nihil ſit ei impoſſibile,
quòd omnia ſubijciantur eius voluntati, debemus vti-
que & certiſſime tenere, quod quicquid agit, in no-
ſtram vtilitatem & commodum agat, atque omnia ſuſ-
cipere cum gratiarum actione, vt a benefactore & Do-
mino noſtro optimo, etiam ſi illa moleſtię aliquid & tri-
bulationis attulerint. Nã ſi in his quæ aduerſa obuene-
rint, præ dolore quis peccat & anguſtia, quomodo exi-
ſtimandus eſt credere fieri hæc à Deo pro ſua vtilitate &
commodo? Non peccamus in his quæ nobis a Deo in-
feruntur, niſi ex maxima impatientia noſtra, qui nolu-
mus tribulationem vllam & anguſtiam vel minimã pati,
C non quicquid nobis inſperato & præter opinionem ac-
ciderit. Nam Deus nihil nobis permittit euenire ſupra
vires noſtras, (vt ait Apoſtolus) Fidelis eſt Deus, qui
non permittit vos tentari ſupra id quod poteſtis. Nos
vero adeò debiles & imbecilles ſumus, vt pati nolimus
quicquam, qui laborem etiam paruum ſubterfugiamus.
Qui nihil cum humilitate velimus ſuſcipere, hincque
conterimur, hinc angimur. Quantoque magis ſtudue-
rimus tẽtationes deuitare, tanto magis illas incurrimus,
his prægrauamur, in his deficimus, nec ab eis poſſumus
eripi & liberari. Sunt plerique in mari natantes ex aliqua

Natantium aſtutia.

neceſſitate, qui cum peritiam & artem natandi optime
teneant, vbi vndas in ſe procurrentes aſpexerint incur-
uati illis ſeſe ſubijciunt, dum pertranſierint, atque ita
D ab eis nuſquam læduntur. Quod ſi vellent venienti vn-
dæ ſeipſus opponere, illos abſque dubio longius vnda
repelleret, & quaſi iacularetur in mare, atque ita fatiga-
rentur & frangerentur vi vndarum nihil omnino perfi-
cientes. Idem in tentationibus contingit. Cum quis ad-
uenientẽ tentationem tulerit cum humilitate & patiẽtia,
illam ſine moleſtia, ſine læſione vlla pertranſit. Qui ſi an-

Tentationes cui vtiles ſint.

gatur, crucietur, turbetur, cauſas in quemcunq; ferens,
ſeipſum lædit, & tentationem ipſam grauiorem reddit,
ita vt non ſolum nõ proſit ipſa tentatio, ſed maximè ob-
ſit. Illi enim vtiles ſunt tentationes qui eas intrepide ſuſ-
ceperit ac ſuſtinuerit. Non igitur paſſio nos conturbet,
non affligat: affligi enim à paſſione ignorantiæ eſt & ſu-
perbiæ, quod ſcilicet non nouerimus ſtatum noſtrum &
E laborem omnem ſubterfugiamus. Atque hinc fit (vt pa-
tres noſtri ſenſerunt,) vt nunquam proficiamus, quia
metas noſtras ignoramus, quia in cœpta opera non per-
ſeueramus, quia ſine labore parare virtutem credimus.
Quare enim vitioſus miretur conturbatus à ſuo vitio?
Quare affligitur dum illud operatur? Id in te habes &
turbaris? Pignora eius tenes, & dicis quare mihi turbas
facit? Patere, ſuſtine, certa, Deum ora. Impoſſibile enim
eſt non habere eum afflictionem paſſionis vitij, qui il-
lud ad actum perduxerit. Vaſa ipſius (vt aiebat Abbas Si-

Abbas Siſoës.

ſoës) intra te ſunt, da illis pignus ſuum, & ſubijcientur
tibi. Vaſa dicit cauſas, quas cum diligimus atque opera-
mur, impoſſibile eſt non captiuari nos à vitioſis cogita-
tionibus, quæ poſtmodum nos cogunt etiam nolen-
tes operari vitia, ex quo volentes illis dedimus manus.

V

Et hoc eſt quod ait Propheta de Ephraim præualente in aduerſarium ſuum, hoc eſt in propriam conſcientiam, & conculcante iudicium, quoniam quæſiuit Ægyptum & vi deprehenſus eſt in Aſſyrijs, Ægyptum interpretantur patres carnalem voluntatem, quæ nos inclinat in corporalem quietem & otium ac ſenſum libidinoſum. Aſſyrios autem vocat vitioſas & impuras cogitationes quæ mentem noſtram confundunt & turbant, & replent eam idolis immundis, trahentes vi etiam nolentem ad actionem peccati. Cum igitur quis ſeſe dediderit libidini corporis, cogitur nolens etiam trahi in Aſſyrios ad ſeruiendum Nabuchodonoſor. Quod Propheta cognoſcens affligebatur admodum: & dicebat eis. Ne pergatis in Ægyptum. Quid enim facitis miſeri? humiliamini parumper, inclinate capita veſtra & opera veſtra præſtate regi Babylonis, ſedete in terra patrum veſtrorum. Iterum excitabat eos dicens: Nolite timere à facie eius, quoniam nobiſcum eſt Deus, potens liberare nos de manu eius. Deinde prædicit eis futuram afflictionem, niſi Deo paruerint: Si enim, inquit, perrexeritis in Ægyptum, eritis, cum eò difficulter perueneritis, & ſerui & in maledictionem & confuſionem & opprobrium: Reſponderúntque infœlices & miſeri, nõ ſedebimus in terra hac, ſed ingrediemur Ægyptum, & non videbimus bellum, neque ſonitum tubæ audiemus, & in panibus non fameſcemus. Profecti igitur ſunt: & ſponte Pharaoni ſeruierunt. Haud verò multo pòſt nolentes tracti ſunt in Aſſyrios, & ipſis pariter ſeruierunt. Aduertite obſecro animum ad ea quæ dicta ſunt. Antequam quis peccatum ad actum produxerit: & ſi contra ipſum pugnauerint cogitationes, tamen in ſua ciuitate adhuc liber eſt, & Deum habet opitulantem ſibi. Si igitur Deo ceruicem humiliet ferátque tentationis & tribulationis iugum cum gratiarum actione, concertétque paululum, nec bello ſtatim cedat: auxilio Domini liberatur. Quod ſi pugnam ſubterfugerit & laborem, reclinaueritque ſeipſum in corporeas voluptates: tunc vi trahitur inuitus & nolens ad terram Aſſyriorum & ſeruituti eorum ſubijcitur. Qua de cauſa inclamat illis Propheta. Orate vt viuat Nabuchodonoſor, quod in vita eius eſt ſalus veſtra. Nabuchodonoſor eſt, non deficere ad vllam tribulationem, neque ſtatim ſuperuenien te ad vllam tentationem recalcitrare, ſed cum humilitate ferre & pati illam vt debitores. Exiſtimaréque nos ipſos indignos liberari huiuſcemdi tẽtatione, oraréque Deum potius vt protegetur, vigeat, firmeturque in nobis tentatio: nouerimus ignorauerimúsve ipſius tentationis cauſam, hoc ipſum certũ tenentes, nihil eſſe apud Deum iniquum, nihil iniuſtum. Quod dixit frater ille mœſtus & flens cum ab eo Dominus tentationem abſtuliſſet. Domine num ego non ſum dignus modica hac tribulatione? Scriptum eſt etiam de diſcipulo magni patris (qui à fornicationis ſpiritu maxime vexabatur) quod interrogatus à patre an orari pro ſe Deum vellet vt auferretur ab eo huiuſcemodi tentatio, reſponderit: Et ſi laborem vt vides pater Abba, affligárque non modicum, non ignoro tamen quantum fructus vt vtilitatis hinc mihi proueniat. Quare Deum potius ora vt mihi conſtantiam & patientiam largiatur. Ecce eos qui diligentes & anxii ſunt circa ſalutem ſuam: hoc eſt enim ferre iugum cum humilitate. Hinc Propheta ait: Orate pro vita Nabuchodonoſor, quoniam in ipſius vita eſt ſalus veſtra. Idem fere eſt dicere: video fructum qui mihi ex labore & tentatione prouenit, & dicere, quoniam in ipſius vitã eſt ſalus veſtra. Quod ita eſſe oſtendit & ſenior prædictus cum diſcipulo reſponderet, dicens: Cognoui hodie fili, quia & proficis & iam me ſuperas. Cum enim quis oppugnatur vt ad peccati actum proueniat, ille autem virili animo repugnat & reſiſtit prauis cogitationibus, humiliatur, affligitur, certat, & per labores afflictioneſque certaminis paulatim purgatur, & quaſi redit ad id quod eſt ſibi à natura ingenitum. Vt quiſque diximus ab ignorantia & ſuperbia ſua affligitur qui

Ægyptus & Aſſyrij myſtice quid.

Cautè lege vt etiam alijs locis vbi ita loqui ſolet, forſan hyperbolicè de vehementia importa cogitationis aut vitioſi habitus, alioquin in omni actu lethalis peccati adeſt actio voluntatis plenè libera & ſui iuris.

Hier. 42.

Tentatio conſtanter ferenda.

Bar. 1.

ſub paſſione turbatur, cum magis deberet metam ſuam cognoſcere cum humilitate, & ſuſtinere ſupplicans, do-
A nec cum eo miſericordiam faciat Deus. Niſi enim tentatus quis fuerit, viderítque afflictionem paſſionũ, haud certabit aliquando vt purgetur. Ac de ſimilibus loquitur Pſalmus: Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in ſæculum ſæculi. Peccatores qui vt fœnum oriuntur, ſunt impuræ cogitationes. Eſt enim debile quid & infirmum fœnum nullam habens potentiam. Cum igitur oriuntur in anima vitioſæ cogitationes, tunc apparent omnes qui operantur iniquitatem. Quæ ſunt ipſa vitia vt & intereant in ſæculum ſæculi. Cùm enim apparuerint vitia ante concertatores & athletas, ſtatim ab eis perimuntur. Contemplamini conſequentiam orationis. Oriuntur primò cogitationes malæ,
B poſt apparent vitia, inde omnia intereunt. Hæc omnia ad athletas pertinent. Nos vero peccatum ad actum perducentes, & ſemper vitia ipſa conſummantes, neque noſſe quimus quando oriantur malæ cogitationes, neque quando appareant vitia vt pugnemus aduerſus ea, ſed adhuc in Ægypto inferiore ſubſiſtimus lateritiam ſub Pharaone exercentes. Et quis dabit nobis vt perueniamus ad ſenſum & cognitionem miſeræ ſeruitutis noſtræ, vt humiliemur, & miſericordiam conſequi ſtudeamus? Cum eſſent filij Iſraël in Ægypto ſub Pharaonis ſeruitute & lateritiam exercerent, ſemper in laboribus erant, & ſolo fixos oculos ſemper tenebant. Sic & anima cùm imperio Diaboli ſubiecta fuerit, & ex peccati actione infirma ſapientiam ſuam con-
C culcauerit, cogitur à Diabolo ipſo terrena ſemper & ſapere & facere, & ſpiritualia quæque negligere Ædificarunt deinde ſibi filij Iſraël ex lateribus quos fecerant vrbes tres munitiſſimas ſcilicet, Piro, & * Hameſin, & On, quæ eſt vrbs ſolis. Hæc autem ſunt luxuria, auaritia, & inanis gloria, ex quibus peccatum omne conficitur. Vbi verò miſit Dominus Moyſen qui educeret eos ex Ægypto & ſeruitute Pharaonis, aggrauati ſunt magis operibus à rege qui ait eis: *Otioſi eſtis & deſides; atque ideò dicitis, eamus ſacrificemus Domino Deo noſtro.* Sic diabolus cum viderit Deum decreuiſſe infœlicis animæ miſereri, & curam illius habere vt eripiat à vitijs & peccatis; vel per verbum ſuum, vel per aliquem ſeruorum ſuorum: tunc & ipſe aggrauat magis in ea vitia & vehementius illam impugnat. Quod cum à patribus
D noſtris cognitum eſſet, corroborare hominem doctrina ſua ſtuduerunt, & ne timeret adhortati ſunt. Et alius quidem ait: Cecidiſti? ſurge. Et ſi denuo cecideris, denuo ſurge. Alius autem item dicit. Robur eorum qui ad parandas virtutes ſtudent eſt, vt cum ceciderint non deficiant animo, ſed rurſum reſpirent, & reſurgẽtes curam ſui habeant, & eorum quilibet vt animus tulit ſimpliciter & differenter. Porrigit alius manus concertanti & pugnanti viriliter cum hoſte. Quod ſane vt facerent, ita ſunt à ſacra ſcriptura edocti, quæ ait: *Nunquid qui cecidit non reſurget?* Nunquid auerſus non conuertetur? *Conuertimini ad me filij & ſanabo contritiones veſtras, ait Dominus,* & alia plurima huiuſcemodi. Vt autem agrauata eſt manus Domini ſuper Pharaonem & ſuper ſeruos eius, &
E voluit dimittere filios Iſraël, ait Moyſi: *Ite ſacrificate Domino Deo veſtro, verũtamen relinquite oues & boues veſtros,* qui ſignificant cogitationes mentis noſtræ, quibus dominari voluit Pharao, ſperans per eas rurſus filios Iſraël ad ſe pertrahi poſſe. Et reſpondit illi Moyſes: Nequicquã hoc fiet, ſed dabis etiam nobis ſacrificia & holocauſta quæ Domino Deo noſtro offeramus, & iumenta quoq; noſtra nobiſcum pariter proficiſcantur, neque tibi vnicam illorum vngulam relinquemus. Vt vero eduxit Moyſes filios Iſraël ex Ægypto, & tranſuexit illos mare rubrum, volens illos Domino adducere ad ſeptuaginta truncos palmarum, & ad duodecim fontes aquarũ, primum eos traxit in Marah, vbi affligitur & cruciatur populus non inueniẽs quid biberet, cùm amara eſſet aqua.

Pſal. 91.

Exod. 1.

Diaboli tyrannis.

Exod. 1.

** Rameſſen.*

Exod. 5. c

Pſalm. 40.

Hier. 8.

Exod. 10.

Oues & boues, myſtice quid ſignificent in ſcriptura.

Et ex

Exod. 15. Num. 33.

Et ex Marah duxit eos in locum ſeptuaginta palmarum & duodecim ſontium. Hæc animæ ſimilitudo eſt, quæ vbi quieſcit abſque peccato vllo, & mentis mare pertranſijt. Primùm concertare cum anguſtijs & afflictionibus,& ex his peruenire in ſanctam requiem oportet. *Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum cælorum.* Tribulationes enim noſtræ mouent miſericordiam Dei in animam, vt venti pluuiam. Et quemadmodum ſuperflua pluuia adueniens cùm germen floridum eſt,illud facit putreſcere & perire vnà cum fructu: venti autem ſi interſpirauerint, deſiccant & firmant illud: ſic eſt & in anima. Remiſſio,incuria,deſidia, otium, illa fatigant & diſſipant. Tentationes autem aſtringunt eam & Deo coniungunt, vt ait Propheta: *Domine in tribulatione recordati ſumus.* Itaque vt diximus, haud affligi nos decet & angi inter tribulationes. Sed agendæ Deo ſunt gratiæ cum tentamur,ſupplicandúmque illi ſemper, vt miſericordiam ſuam infirmitati noſtræ addat, & protegat nos ab omni tentatione in gloriam ſancti ſui nominis, Amen.

Act. 14.

Pluuia intempeſtiua corrumpit ſegetes.

Iſa. 33. Quid agendum in tentationibus.

DE ÆDIFICIO ET HARMONIA VIRTVTVM ANIMÆ, *Doctrina* XIV.

Exod. 1.

NARRAT ſcriptura de obſtetricibus illis, quæ Iſraëlitarum maſculos educabant, *quia cum Deum timuiſſent, ædificarunt ſibi domos*, hoc ne de materialibus domibus intelligendum? Qua igitur ratione dictum, cum timuiſſent Deum, ſibi domos ædificauerunt? Et nos inquam contrarium facere docemur, vt ſcilicet quas habemus domos ad tempus relinquamus ob timorem Dei, ita vt clarum ſit, non de ſenſibilibus domibus, ſed de domicilio animæ haberi ſermonem,quod quiſque ſibi extruit, cum diuina mandata cuſtodit. Nos igitur docet per hoc ſacra ſcriptura, quod Dei timor animã præparat ad ipſius præcepta cuſtodienda,& per Dei præcepta animæ domus extruitur. Quare nobiliſſimi fratres intendamus, timeamus & nos Deum,ædificemus nobis domus, quibus hiberno tempore protegamur,& tonitrua,fulgura,& pluuiam declinemus: Grauis enim eſt hyems his qui domo caruerint. At quo pacto ædificatur animæ domus? Poſſumus à materiali rei huius diligentiam perdiſcere. Opus primum ei eſt qui voluerit domum condere, vndique illam præmunire & à quatuor partibus attollere ædificium, nec vnius tãtum partis habere curam, cæteras vero negligere, quandoquidem nihil proficit,ſed & laborem & ſumptum atq; omnia denique perdit. Idipſum eſt in anima, cuius nullam partem debet homo neglectui habere:ſed æqualiter & apte eam erigere. Et hoc eſt quod aiebat ſenior ille venerabilis Ioannes Abbas. Libet mihi hominem ab vnaquáq; virtute pauxillum quid decerpere, & non(vt plurimi faciunt)vni ſemper virtute inſiſtere,cæteras negligere, Hi enim cum in ea ipſa virtute cui inſiſtunt, principatum fortaſſe teneant, nec ab oppoſito & contrario vllo ipſius virtutis oppugnentur, à reliquis tamen paſſionibus ſubducuntur & oppugnantur, nulláque illis cura deinceps eſt, ſed exiſtimant ſeſe magnum quippiam tenere. Hi ſimiles mihi videntur eius,qui cum parietem ædificare voluerit, & attollere quantum quiuerit, ad ipſius altitudinem tãtum proſpectum habet,& magnum aliquid extruxiſſe ſe credit, non proſpicit autem quod quiuis ventus etiam modicus cum ſpirauerit, illum poteſt ad terram deijcere. Non enim catenam habet & coniunctionem aliorum parietum. Neque enim poteſt quis ſibi tectum facere in vno pariete, priuatus cæteris partibus. Minimè ergo ſic agendum eſt, ſed potius qui ædificare ſibi voluerit domicilium, & tectum facere, ex omni parte illud reædificet, & vndique munitiſſimum reddat. Atque homo quo pacto faciat,edocebo: Primum igitur iacienda ſunt fundamenta

Animæ ædificatio.

quæ fides eſt; ſine fide enim (vt ait Apoſtolus) impoſſibile eſt placere Deo. Conſtruat deinde ſupra fundamentum ædificium excellentiſſimum. Intercidit obedientia? Adijciat lapidem primum obedientiæ. Contingit ira vel commotio vlla fratris in ſe? Apponat alterum patientiæ lapidem. Intercurrit incontinentia? Tertium addat continentiæ lapidem. Et ſic à quacunque virtute quæ occurrerit, ſumendus eſt lapis & ædificio ipſi apponendus, & ſic per circuitum attollendum: hinc quidem lapide miſericordiæ, inde mortificatæ voluntatis, alia ex parte lapide manſuetudinis, atque aliarum huiuſmodi virtutum. Ante omnia autem procuranda eſt patientia & longanimitas: hæ enim anguli domus ſunt, quibus ædificium ipſum conſtringitur, & parieti paries annectitur & copulatur, ita vt reſcindi aut decidere, diuelliique alter ab altero nunquam queat. Abſque his etiam nemo poteſt ne vnam quidem in ſe virtutem perficere. Niſi enim quis in anima fortitudinem habuerit, nihil ſuſtinebit, & ſi nihil ſuſtinuerit, nihil vnquam poterit erigere. Hinc ait Dominus: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Debet etiam qui extruit aut ædificat, lapidem cum bitumine adijcere. Si enim lapidem lapidi quis abſque bitumine & calce ſuperimponat, excutiuntur lapides & ruit domus. Bitumen humilitas eſt (eſt enim terra quæ pedibus omnium atteritur.) Omnis igitur virtus abſque humilitate non reputatur virtus à patribus. Omnium enim fuit vna ſententia,ita impoſſibile eſſe ſaluari animam abſque humilitate, vt nauim ſine clauis ædificari. Quicquid igitur boni quiſque egerit, id agat cum humilitate, vt per humilitatem conſeruetur quod factum fuerit. Debet autem & domus laquearia quædam habere ad diſcriminandam firmandámque ipſam, & lapidem lapidi copulandum, & aſtringẽdum ædificium, & poſtremò ad domum vniuerſam decorandam. Tectum autem charitas eſt, quæ eſt perfectio virtutum omnium, vti tectum domus. Poſt tectum quoque circumcorona opus eſt. Eſt enim in lege præceptum, ſi ædificaueritis vobis domum circum coronam illi apponite, ne cadant paruuli veſtri ab alto. Corona hæc, humilitas eſt: ea enim (vt dixi) coronat & ſeruat virtutes omnes, & omnis virtutis perfectio eget humilitate. Sanctorum namque omnium profectus acceſſus eſt ad humilitatem. Et (vt ſæpe dixi) quo quiſque magis Deo adhæſerit, eo ſe magis peccatorem agnoſcet & intelliget. Qui ſunt autem paruuli de quibus lex ait, ne cadant paruuli à domo? Paruuli cogitationes ſunt in anima noſtra conceptæ, quæ ſunt per humilitatem cuſtodiendæ, ne ab ipſa domo corruant, & hanc dicimus perfectionem eſſe virtutum omnium. En iam conſummata domus & perfecta eſt, habet lora, habet tectum, habet coronam, & cætera quæ illi opus ſunt. Nunquid ei deeſt aliud? aliud profecto deeſt quod nõdum diximus. Fabricator ſcilicet doctus & artifex, niſi enim affuerit artifex, ædificium omne vitiabit, & fortaſſe ruet domus. Artifex eſt qui ex arte & ſcientia agit. Euenit enim plerúmque, cum aliquis virtutem agit abſque ſcientia, vt illam facile diſſoluat, neque rectam omnino agat, nec inueniat quo pacto virtutem ipſam perficiat, ſed eius ſimilis ſit: qui lapidem vnum domui apponit, alterum tollit. Alij quoque ſunt, qui ſi lapidem vnũ appoſuerint, duos tollunt, vt exempli gratia: Venit aliquis è fratribus & inſolenti verbo vel impatienti te affligit & percutit: Tu vero taces & pœnitentiam agis, en lapidem tuum appoſuiſti. Pòſt abis, & altero fratrum reperto, illi narras & murmuras quod ſis ab eo fratre iniuria affectus, & auges iniuriam, & tacuiſſe te dictitas, & pœnitentiam egiſſe. Ecce cum lapidem vnum appoſuiſſes, duos abſtuliſti. Alius item pœnitentiam agit inanis gloriæ gratia, & humilitatem pariter cum xenodoxia inuenit, hoc eſt apponere & auferre pariter lapidem. Qui vero agit cum ſcientia pœnitentiam, ipſe ſibi perſuadet ſine dubio quod peccator ſit, quòd in multis delinquat & erret, quòd cauſa fuerit iniuriæ fraternæ,

Hebr. 11.

Spiritualis ædificij conſideratio.

Patientia eſt angulus animæ ſpiritualis.

Luc. 21.

Humilitas quam neceſſaria ſit ad ſalutem.

Paruuli noſtri, myſtice qui ſint.

Architectus ſpiritualis ædificij.

Lapidem apponere pariter & auferre.

atque id certiſſimum habet. Et hoc eſt cum ſcientia & cognitione pœnitentiam agere. Alius ſilentium ſibi ipſi A indicit, ſed non cum cognitione, habet enim tantum quòd ſilentium virtus eſt. Hic autem cum ſcientia tacet, quia ſe indignum putat loqui, & hoc eſt cum ſcientia & cognitione ſilere. Magnificat item ſe alius & magnum quid facere ſe putat & quia humilis eſt. Infelix qui ignorat ſe nihil eſſe omnino, cùm ſine cognitione hoc agat. Nam metiri ſeipſum cum cogitatione eſt certò credere nihil ſe eſſe, & omnino indignum exiſtimare hominum conſuetudine. Vt ſeipſum accuſabat Abbas Moyſes dicens: Sterquilinium cum ſis & cinis, non homo, cur ad homines ingrederis? Miniſtrat quis infirmo & eo animo vt mercedem laboris acquirat, & hoc vtique haud eſt cum cogitatione ſeruire & miniſtrare. Quare cum aduerſi quippiam illi contigerit, facilè à bono deſiſtit, B nec cœptum opus ſuſtinet perficere, quia non operatur (vt dixi) cum cogitatione. Qui autem cum ſcientia & cognitione miniſtrat, ideo miniſtrat quia ægroto compatitur, quia miſericordiæ viſceribus mouetur. Et quicunque in hac cogitatione aſſiduus fuerit, atque hunc ſcopum ſibi ſtatuerit, nulla in re aduerſa vel afflictione extrinſeca mouebitur, non ſi ægrotus eum ſpreuerit, aut maledictis laceſſiuerit, ſed feret omnia patientiſſimè, & certò credet maiori beneficio ſe affici ab ægroto, quàm ægrotum à ſeipſo. Hoc autem ignorare vos nolo, eum qui libérer ægro deſeruiat cum cognitione, releuari mirabiliter ab animi paſſionibus & Diaboli impugnationibus. Noui enim fratrem acriter oppugnatum à fornicationis dæmone, & cum ægro ex dyſenterijs deſeruiret, ab hoc bello eſſe liberatum. Et Euagrius narrat de ſe- C niore quodam Maximo, quòd diſcipulum ſuum huiuſcemodi phantaſmatibus nocte oppugnatum hac via liberauerit; indicto ſcilicet illi & ieiunio & ægrorũ cura: Et de re hac interrogatus reſpõdit, nihil eſſe quod adeò paſſiones huiuſcemodi extingueret vt miſericordiam: Si quis item ſeſe exerceat vel ex xenodoxia, vel vt virtutem agere videatur, neque hic cum cognitione ſe exercet. Cum enim aliquid eſſe ſe exiſtimat, incipit fratrem contemnere. Et hic nõ ſolum lapidem vnum adijcit, atque adimit duos, ſed vniuerſum parietem minari ruinã facit & periclitari, cum proximum contemnat & iudicet. Qui autem continens eſt cum cogitatione, non quia virtus eſt continentia hanc exercet, non vt tanquam fortis & induſtrius laudem cõſequatur humanam, ſed quia D confidit per eam ſeſe ad modeſtiam peruenturum, & poſtmodum in humilitatem. Senſerunt etenim patres & maiores noſtri per labores corporis dum fierent cum cognitione, viam eſſe ad humilitatem. Et ita demum opus eſt vnumquemque virtutem facere, vt & illa poſſideat, & in habitum ipſius perueniat, & tunc ſeſe optimum artificem intelligat, optimum ædificatorem qui ſecurus propriam domum poſſit ædificare. Caueat igitur qui in hunc perfectionis ſtatum peruenire voluerit, vel dicere, vel cogitare, magnas eſſe virtutes, nec poſſe adiri eas à nobis. Hoc eſt enim nihil ſperare in diuina ope, atq; animo ad opus bonum torpeſcere & dormitare. Dicite mihi ſi quam virtutem capitis, exercenda ea eſt à nobis quæcunque ſit, ſunt enim in nobis virtutes E & bene operari cum volumus, poſſumus. Ecce in lege ſcribitur: *diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ne aduertas quam longè abſis à virtute, ne timere incipias & dicere. Quomodo poſſum proximum meum diligere vt meipſum? Quomodo illius afflictiones & anguſtias ſcrutari poſſum, & eas maxime quas corde tegit, cum eas nec videam nec agnoſcam vt meas? Noli iſta meditari, ita enim putabis arduum quid & difficile admodum eſſe virtutem. At fundamenta iactas quæcúnque poteſt in Domino confiſus. Aperi ſtudium & deſiderium tuum illi, ſtatimque tibi auxilium cœlitus adeſſe ad bene agendum ſenties. Exempli autem gratia finge geminas ſcalas, vnas quæ in cœlum erectæ ſint, alteras quæ ad inferos vſque tendant, & te inter ambas medium puta: an non tecum cogitares & diceres, qua poſſem via ex terra hac in apicem ſcalarum harum quæ ad cælos diriguntur, euolare? At neque id poſſibile eſſet, neque talia Deus abs te requirit. Requirit autem tibi vt caueas ne inferius labaris & corruas, ne iniuria proximum afficias, ne percutias, ne obloquatis, ne conuicieris, ne deſpicias, & ſic ſenſim benefacere incipis, dum fratrem tuum curas dulci ſermone, dum compateris illi: & cum te vlla ei opus fuerit, tradideris. Et ſic per gradus conſcendens, tandem auxiliante Domino ad ſcalarum ſummitatem peruenies. Ex hoc enim modico auxilio proximi ad id conſcendis vt optes commodum & vtilitatem eius ſicut tuam, & hoc eſt, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Inueniemus abſque dubio ſi quæramus, & ſi Deũ ad opem ferendam inuocemus, ſtatim aderit nos illuminans. Dicit enim Euangelium: *petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis:* petite vt ſcilicet orando precemur. Quærite autem, hoc eſt ſcrutamini diligenter quo adueniat virtus in vos, quid potiſſimum ſit quod eam afferat, quid agendum nobis vt illam conſequamur & poſſideamus, & hoc eſt, quod ait quærite. Pulſare autem eſt præcepta Domini obſeruare & facere: qui enim pulſat, manibus pulſat, manus igitur per practicen accipiuntur. Innuit igitur nobis non ſolum petendum eſſe, ſed & quærendum & pulſandum, ita vt iuxta Apoſtolum parati ſimus & prompti in omne opus bonum. Quid eſt autem parari? Ædificaturus qui nauẽ, primum præparat quæcũque neceſſaria ad eam ſunt, & picem & ſtupam & clauos. Et mulier cum textrinũ erigere voluerit, vel telam texere, diſponit primùm quæcũque neceſſaria, etiam calamos & fila minutiſſima: & hoc eſt parari, habere omnem rei neceſſitatem præparatam. Vt igitur ſimus & nos parati in omne opus bonum, habeamus omnem curam & diligentiam & promptitudinem noſtram ad perficiendam diuinam volũtatem cum cognitione, quacunque in re illi placitum fuerit. Nam (vt ait Apoſtolus) *voluntas Dei bona beneplacita & perfecta eſt*; Omnia autem quæcunque fiunt, permittente Deo vel diſponente fiunt, vt dicit ipſe in Propheta. *Ego Dominus faciens lucem & creans tenebras.* Et iterum. *Non eſt malum in ciuitate quod non fecerit Dominus.* Malum dicit afflictiones & anguſtias quæ ad diſciplinam noſtram fiunt & mala noſtra corrigenda, vt fames, peſtilentiæ, ſiccitas, ægritudines, bella. Hæc non fiunt ex diuina voluntate, aut diſpoſitione, ſed permiſſione ipſius, permittente Deo ea nobis ingruere ad vtilitatem noſtram. Hæc tamen velle nos aut optare prohibet Deus, neque his vult nos concurrere, vt verbi gratia. Voluntas Dei eſt per permiſſionem vt vrbs diruatur, quicquid etiam vult Deus, cum ipſius voluntas ſit, vt vrbs ruat, vt nos pariter faces immittamus & comburamus eam: vel vt ſecures ſuſcipiamus & vna diruamus illam? Permittit item Deus aliquem affligi vel ægrotare, nunquid quia voluntas Dei eſt, vt is affligatur, debemus pariter & nos eum affligere? An quia dicimus voluntate diuina alterum ægrotare, non debemus miſereri eius in aliquo? Hoc non vult Deus, vt ſcilicet volũtati ſuæ ſubſeruiamus aut concurramus in iſtis. Vult nos Deus eſſe bonos, non quæ ipſe voluerit hoc modo, vt velimus. Quid igitur velle nos vult? voluntatem ipſius bonam, & quicquid per bonam voluntatem eius fit. Hoc eſt, quæcunque nutu & præcepto ſuo eueniunt & fiunt, vt amare ſeſe mutuo, compati, & eleemoſynas facere, atq; alia huiuſcemodi. En bona voluntas Dei: *Quid autem eſt beneplacita?* Omne bonum quod ab vllo fit & ſi ſemper bonum ſit non ſemper tamen beneplacitum & gratũ. Subijciam exemplum: Occurrit quis orphanæ puellæ & inopi, cuius pulchritudine captus & delectatus, illã ſuſcipit in domum vt nutriat. Exterius vt orphanam ſuſcipit, interius autem in animo, vt eius pulchritudine delectetur. En hic voluntas Dei eſt & bona, nõ autem beneplacita. Beneplacita enim eſt, cum quis eleemoſynam fecerit, non reſpectu aliquo humano, ſed ob ipſum bonum, ob ipſam

Metiri ſeipſum.

Ægrotis quomodo inſeruiendum, & quam vtile ſit.

Continentia.

Leuit. 19. Matth. 5. Iac. 2.

Dilectio proximi.

Matth. 7. Luc. 11.

Rom. 12.

Iſ. 45. Amos 3.

Cautè lege, nam malum pœnæ certum eſt ex theologia nedum permittente Deo, ſed etiã efficiente, ordinante & diſponente fieri, nec ſatis explicate ad regulas Theologiæ hic loquitur auctor

Rom. 12.

Voluntas beneplacita.

Digitized by Google

ob ipſam miſericordiam & compaſſionem. *Perfecta* autem eſt, cum quis petenti tribuit non deſidioſè, non negligenter: ſed promptè, totis viribus, totis conatibus, tota intentione, ſicque præbet, vt accipere; ſic beneficio afficit, vt beneficio affici videatur. En perfectam voluntatem Dei, eo opus quod cum ſcientia & cognitione geri diximus. Ita factitando diuinam voluntatem qualem ait Apoſtolus: bonam, placitam & perfectam complere quis poterit. Optat vero aliquis veſtrum agnoſcere quantum ſit bonum, quanta gratia eleemoſynæ? Magna profectò eſt, quæ poteſt peccata dimittere (vt ait Propheta:) *Redemptio animæ ſunt propria diuitiæ.* Et alio loco: *In eleemoſynis redime peccata tua.* Et ipſe Dominus dicit: *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* Non dixit ieiunate, vt Pater cœleſtis ieiunat. Neque dixit pauperes eſtote, vt Pater veſter cœleſtis inops eſt. Sed quid ait? Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Propriè enim virtus iſta imitatur Deum, ipſum exprimit & ſignificat. Hoc igitur ſcopo & conſideratione (vt dixi) ſemper nobis opus eſt, vt ſemper intenti ſimus cum ſcientia & cognitione operari. Variè enim & differenter conſiderari ſolet eleemoſyna. Alius enim facit eleemoſynam vt benedicantur rura ſua, & Deus vtique huius rura & agros benedicit. Alius eleemoſynam facit, ne periclitetur nauis ſua in mari, & Deus vtique iſtius nauem deducit in portum incolumem, & ſaluat. Alius vt cuſtodiat Deus filios ſuos, & hos quoque cuſtodit Deus. Alius vt gloriam conſequatur, & huic Deus gloriam largitur, & neminem fraudat Deus. Sed quod quiſque voluerit, hoc illi dat, dummodo id tale non ſit quod animæ ſuæ noceat. Sed hi omnes mercedem ſuam amittunt, nullum enim depoſitum ſeruant apud Deum, cum illorum intentio quam præmiſerunt, non fuerit ob vtilitatem animæ. Vt benediceret Deus rura & agros tuos feciſti, benedixit illa Deus, ob filios tuos feciſti, cuſtodiuit filios tuos Deus: vt gloriam conſequereris feciſti, gloriam tibi largitus eſt Deus: Qua igitur in re debitor tuus eſt Deus? Reddit tibi eorum quæ feciſti quam voluiſti gratiam. Eſt autem & alius faciés eleemoſynam vt liberetur a ventura pœna. Ecce hic facit ob vtilitatem animæ ſuæ, hic facit propè Deum. Non tamen & hic omnino vt vult Deus, facit. Adhuc enim in ſerutili ſtatu eſt hic, ſeruus enim non facit voluntatem domini ſui ſponte & volens, ſed timens ne vapulet. Similiter & hic facit, vt à pœna ſcilicet liberetur, & ipſum Deus à pœna liberabit. Facit alius eleemoſynam vt mercedem recipiat, hoc quidem, primo altius eſt: Sed & hic non facit omnino adhuc vt vult Deus. Neque enim adhuc eſt in filij ſtatu, ſcilicet vt mercenarius facit voluntatem Domini ſui, vt mercedem recipiat & lucretur, ita hic facit præmij gratia.

Rom. 12.
Eleemoſynæ vtilitas.
Prou. 13.
Dan. 4.
Luc. 6.
Eleemoſynæ dandæ multiplex finis, & ratio.
Eleemoſynæ multiplex finis.

Tres autem ſtatus & diſpoſitiones ſunt, iuxta quas ex Baſilij ſententia benefacere & virtutem exercere debemus, de quibus omnibus alias ſermonem me vobis feciſſe commemini. Si enim timore gehennæ bene faciamus, in ſeruili ſtatu ſumus: ſi vt mercedem recipiamus, in mercenarij, ſi bonum ipſius gratia, ad filiorum ſtatum tranſimus. Filius enim non facit patris voluntatem ob timorem, neque vt recipiat mercedem ab illo, ſed volens illi deſeruire, volens ipſum honorare, volens ipſi in omnibus obſequi & morem gerere. Sic igitur & nos eleemoſynam faciamus ob ipſius eleemoſynæ bonum, compatientes mutuo vt proprijs mébris, ſic curam gerentes vniuſcuiuſque vt ab eo curari nos optaremus. Sic dantes tanquam acciperemus, & hæc eſt eleemoſyna quæ cum cognitione fit, & qua vt dixi, in filiorum ſtatum peruenimus. Nemo autem poteſt dicere pauper ſum, & vnde miſericordiam faciam non habeo. Si enim non potes diuitibus & potentibus æqua diſtribuere, *da in gazophylatium duo minuta*, vt vidua illa paupercula, & illa accipit Deus ſuper diuitum bona. Quod ſi nec etiam hoc habueris, at certè potes per ſeruitutem ægrotantis miſereri. Non

3. Hominum ſtatus.
Marc. 12.
Luc. 21.
Eleemoſyna multis modis.

potes & hoc? Potes verbo fratrem tuum conſolari & adhortari. Miſerere igitur illius per verbum & audi di-
A centem: *Verbum bonum ſuper datum optimum.* Sed eſto, quòd neque verbo poſſis miſericordiam facere, at certè potes ſi in te excanduerit frater, fragilitatis illius miſereri, & cum ferre in tempore turbationis ſuæ, cum non ignores tentatum illum a communi hoſte: cúmque poſſis illi reſpondere & turbatum magis incendere, ſi taceas miſericordiam facis in animam eius, & de hoſtili eum manu rapis. Potes rurſum, ſi in te peccauerit frater tuus, illi dimittere & ignoſcere peccatum eius, vt & tu à Domino miſeriam & veniam conſequaris, (ait enim) *dimittite & dimittetur vobis*, & ſic miſericordiam facis in animã fratris tui dimittens illi peccatum, quod in te commiſit. Videtur enim Deus nobis poteſtatem dediſſe dimittendi peccata inter nos commiſſa. Ita vt ſi non habeas, quo-
B modo corporis eius miſerearis, miſereri poſſis animæ. Et quod obſecro miſericordiæ maius genus eſt, quam miſericordia animæ? Vt enim illuſtrior eſt anima quàm corpus, ita miſericordia animæ eſt quàm corporis. Ita iam poteſt nemo dicere non poſſe ſe miſericordiam facere. Poteſt vnuſquiſque iuxta vires & ſtatum ſuum miſereri, dummodo ſtudeat quicquid egerit boni illud agere cum cognitione, vt ſuperius de qualibet virtute diximus. Diximus enim qui cum ſcientia & cognitione operatur, eſſe probatiſſimum architectum qui domum ſuam ſecurus ædificat. De talibus etiam dicit Euangelium. Quia ſcilicet *vir prudens ædificat domum ſuam ſupra petram*, ita vt nullus incurſus hoſtium illam poſſit concutere aut mouere. Deus benignus & clemens præſtet nobis audire & facere quæ diximus, ne in iudicij die
C ſermones huiuſcemodi nobis ad iudicium fiant. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Eccl. 18.
Luc. 6.
Matth. 7.

DE IEIVNIO SANCTO, DOCTRINA XV.

IN lege ſcriptum eſt *imperaſſe Deum filijs Iſrael, vt ſingulis annis decimas darent omnium quæ poſſiderent*, & id facientes in cunctis operibus ſuis benedicebantur. Hoc agnoſcentes Apoſtoli ſancti, conſuluere commodis & vtilitatibus animarum noſtrarum, quo decimationem hanc excelléntius & magnificentius redderemus. Dum ſcilicet dierũ
D vitæ noſtræ decimas daremus, & ſic Deo noſtro ſacrificaremus, ſic ab eo benediceremur in operibus noſtris, ſic quoq; anno peccata purgaremus, quæ per integrũ annum eſſent à nobis perpetrata, atq; hoc inter ſe tractãtes conſecrarunt nobis ex trecẽtis ſexaginta diebus, ſeptem has hebdomadas ieiuniorum. Quibus patres noſtri aliã addere cogitauerunt, quò ad labores veteris ieiunij præpararemur, & ipſum ieiunium numero ſanctæ quadrageſimæ, quam Dominus noſter integram ieiunauit honoratius redderent. Octo enim hebdomadas ſubtractis ſabbatis & Dominicis, quadraginta dies perficiunt. Præ honorato quoque in ſeipſo ieiunio ſabbati ſancti, quod inter cætera ieiunia totius anni ſanctiſſimum & veriſſi-
E mum eſt. Septem autem hebdomadæ abſq; ſabbatis & dominicis triginta quinq; dies complent, quibus abiecto ſabbato ſacto & media parte noctis dominicæ ſplédidè creſcit numerus dierũ: & triginta ſex cum dimidio computantur, quæ decima pars eſt, ſi rectè numeres trecentorum ſexaginta quinque dierum anni. Trecẽtorum enim dierum decima pars eſt triginta, ſexagenarij vero numeri ſex, quinquenarij autem dimidius dies. Hæc eſt decimatio, quam nobis in pœnitentiam & purgationem peccatorum noſtrorum Apoſtoli ſancti conſecrarunt. Quicunque igitur ſeipſum ſacris his diebus vt decet omni abiecta indulgentia ſeruauerit, beatus erit, fratres, etiam ſi ei vt homini peccare interdum contigerit, vel ex fragilitate vel infirmitate. Ad hoc enim nobis dedit Deus ſanctiſſimos hos dies, vt in eis ſcilicet ſtudeat

Num. 18.
Sancta quadrageſima.
Sabbatum ſanctum.
Intelligit de ritu Græcanico. Nam Romana Eccleſia aliam morem colit ſabbatum in quadrageſima manente.

Myſteria ſanctiſſ. *Pentecoſte.*

vnuſquiſque pœnitentiam agere & purgari à peccatis toto anno commiſsis, vt ita purgata & ſyncera anima ſacratiſſimo die reſurrectionis occurrat, & ſanctiſſima myſteria in gratiam accipiat nouus homo factus per pœnitentiam ſanctorum horum ieiuniorum, ſicq; cum gaudio & lætitia ſpirituali cum Deo celebret ſanctam pentecoſten. Pentecoſte enim animæ reſurrectio eſt, vt è ſenioribus vnus aiebat: Cuius ſane in ſignum eſt quòd genua in Eccleſia non flectimus per ſanctam omnem pentecoſten. Quiſquis igitur purgari voluerit à peccatis totius anni, caueat primum ne ſe nimio cibo aut potu ingurgitet. Ciborum enim nimia ingurgitatio (vt patres noſtri ſenſere) plurima mala homini affert. Caueat quoque ne ieiunium abſque magna neceſſitate diſſoluat, non quærat opiparas dapes, nec ſe ad vomitum expleat, non ſolicitus ſit de generibus vini, non de varietate ciborum. Duæ enim differentiæ gulæ ſunt. Prima eſt cum homo ad dulcia & guſtu ſuauia trahitur, nec edere multum optat, ſed id pauxillum & modicū quod edendum eſt, vt quam apparatiſſimum ſit & ſuauiſſimū vult. Et huic vt plurimum euenit cum quippiam ſibi gratum comederit, vt à voluptate tandem ſuperetur, quòd cibum per os ſæpe ſæpiúſque volutat, & contritū dentibus ſatis ſuperque via patitur deglutire, ob nimiā quam in eo capit dulcedinem & voluptatem. Hæc lemargia dicitur. Altera eſt quæ ad ſaturitatem explere ſe cupit, neque optat apparatas menſas, aut ſibi curæ eſt de varietate ciborum, ſed qualeſcúnque ſint, non diſcernit, non curat, explere tantummodo ſe & ingurgitare cupit.

Gula duplex differentia,

Gaſtrimargia.

Hæc dicitur gaſtrimargia. Quorum nominum liber vobis rationem afferre & aperire, μαργαίνειν exponunt rhetores μαίνεσθαι, id eſt furere, inſanire, & μάργος id eſt, μαινόμενος hoc eſt furens, in ſanus. Cum igitur in homine ſit is furor & inſania vt ventrē immodeſtius impleat, γαστριμαργία id eſt ventris ingluuies vel inſania παρὰ τὸ μαργαίνειν, ὅ ἐστι μαίνεσθαι τὴν γαστέρα id eſt ingurgitando ventre furere. Cum vero ſit circa ſolam gutturis voluptatem vocatur λαιμαργία παρὰ τὸ μαργαίνειν τὸν λαιμόν id eſt à demulcendo gutture. Has igitur gulæ ſpecies declinare opus eſt ei qui à peccatis ſuis purgari voluerit. Non enim ſunt ad neceſſitatem corporis, ſed ad vitam ipſius, fientque in peccatum vnicuique qui eas in ſe regnare patietur. Nam vt eſt varium legitimo matrimonio vti & fornicari, cum eadem ipſa actio ſit, intentio vero ipſius differentiam & diſtinctionem faciat.

** in his ſcilicet quæ ex ſuo genere non ſunt peccata.*

* Hic enim vt filios generet commiſcetur & coit; ille autem vt libidinem expleat, id ipſum in cibo dicere & inuenire eſt, quoniam idem eſt edere ob neceſſitatem, & edere ob voluptatem. Intentio autem peccatum facit. Comedere autem ob neceſſitatem, eſt quando quis ſibi ipſi ſtatuit quauis die tantum cibi, quantum expedire & ſatis eſſe putat ad victum. Qui ſi poſtea menſura ſeſe aggrauatum ſenſerit, aliquantulum ex ea demit, aut ſi modica fuerit ad corpoream neceſſitatem, adijcit quantum ſatis eſſe iudicat, hic ſanè non iniuria commēdatur, quòd corpori ſuo neceſſaria tribuat & procuret, non voluptatem inducat. Intentio enim eius ſemper eſt ad corpoream neceſſitatē, non ad voluptatem aut gulā.

Gratiarum actio poſt paſtum.

Debet & is præterea qui comedit, cibum cum gratiarū actione recipere, & ſeſe quaſi indignum exiſtimare refectione huiuſcemodi, neque imitari quoſdam, qui vel ea conſuetudine ob eorum dignitatem, vel ea neceſſitate ſeruitia miniſtrorum adhibent ſibi frequentia, & in mēſa diutius recumbunt. Nam huiuſcemodi cerimoniæ animæ inutiles admodum ſunt. Dum eſſem aliquando in cœnobio vnum è ſenioribus viſendi gratia adij, (Tūc enim ibi aderant plures viri graues & ſenes) inueniq; adoleſcentem cum eo comedentem atque illi pariter deſeruientem. Seorſum igitur euocato adoleſcēte, dixi ei. Intelligis ne frater, ſeniores hos conuiuantes quam parciſſime & modeſtiſſime, ſimiles eorum eſſe qui loculos tenent, & tandiu operantur quandiu illos repleant, & cōgregare in eis ſtudent varij generis pecunias, & nummos quos in neceſſitatis tempore proferant? Operati ſane ſunt hi & laborauerunt diligenter, & theſauros innumeros ſibi parauerunt, quorum partem obſignauerūt & concluſerunt, partem ad neceſſitatem eorum ſeruauerunt, quos nunc in tēpore infirmitatis & ſenectutis proferunt, reliquos autē clauſos & obſignatos ſeruant. Nos verò cùm loculos nullos habeamus, vnde abſumimus?

Deliciæ innocuæ fugiendæ.

Vt igitur dixi, etiam in his quæ ad neceſſitatem noſtram pertinent, indignum eſt curam & diligentiam expetere, cum etiam ipſa vita ſolitaria vix digni ſimus, & ita omnia cum timore Domini accipere decet, ſicque nihil nobis fiet in iudicium. Et iam ſatis dictū eſt de ventris continentia. At non ſolum vitæ noſtræ à nobis ratio habenda eſt ſed etiam ab omni alio peccati genere abſtinendū vt quemadmodum corpore ieiunamus, ita quoq; linguā à murmuratione coërceamus, à mendacio, ab ira, à conuitijs, ab ocioſo ſermone, & à quouis denique peccati genere, quod à lingua procedit.

Lingua coërcenda. *Oculis ieiunare.*

Debemus etiam oculis ieiunare, ne ſcilicet vana inſpiciamus, ne diſcurramus vagi & curioſi, ne oculos aliquando ad inhoneſta aliqua & pudenda inflectamus. Similiter manus & pedes ab omni nefario opere perpetuo cohibere congruum eſt. Et huiuſcemodi ieiunium ieiunantes, vt ait diuus Baſilius, hoc eſt abſtinentes ab omni malo, in quod ſenſus noſtri inclinantur, decimale ieiunium perſoluemus, & diei illi ſacratiſſimæ reſurrectionis, mundi renouati, & digni diuinorum myſteriorum participatione occurremus. Egrediemur quoque obuiam Domino noſtro recipientes eum *cum palmis & ramis oliuarum in pullo aſinæ ſedentem; & in ſanctam ciuitatem ingredientem.* Quid eſt autem Dominum in pullo aſinæ ſedere? In pullo aſinæ ſedit vt animam noſtram irrationalem factam, vt ait Propheta, *& iumentis inſipientibus comparatam*, conuerteret ad rationem Dei, & eam diuinitati ſuæ ſubijceret.

Matth. 21.

Chriſtus aſinæ inſidens myſtice quid.

Quid vero eſt illi occurrere cum palmis & ramis oliuarum? Mos eſt cum quis à bello redierit, profligatis hoſtibus & in fugam verſis, vt ſuorum quiſque ei cum palmis & ramis oliuarum vti victori occurrat. Victoriæ namque ſignum palma eſt. Item aliquis iniuria affectus ad vindictam & vltionem ſuam exire voluerit, oliuarum ramos præmittit clamitans vt ſui omnes miſereantur, & opem ferant, oliua enim miſericordiæ ſignum eſt. Sic & nos Domino noſtro Chriſto occurramus cum palmis vt victori. Vicit enim ipſe hoſtem noſtrum: cum ramis autem oliuarum, vt ab eo miſericordiam impetremus, vt quemadmodum ille pro nobis pugnauit & vicit: ita & nos per ipſum victores eſſe poſſimus, portemúſque pendentia collo, non ſolum ob victoriam qua ille pro nobis vicit, ſed etiam eam, qua & nos per ipſum vicimus, Amen.

Cum ramis oliuarum Chriſto occurrendum,

AD QVOSDAM CELLIOTAS INTERROGANTES IPSVM *de congreſſibus & colloquijs;* *Doctrina* XVI.

MAIORVM noſtrorum ſententia fuit quòd in cella ſedere medium quoddam & cum ſenioribus congredi medium eſſet. Videtur hic ſermo nobis innuere, & in cella & extra cellam cuſtodia nobis opus eſſe & diligentiā. Vt ſcilicet nouerimus quare in cella quieſcēdū, & quare ſeniores & fratres adeundi ſint. Si enim quiſq; in hac conſideratione frequens & diligens fuerit, ea ſtudebit facere quæ iam pridē ſint à patribus factitata. Cumq; in cella fuerit, orabit, meditabitur, non erit otioſus manibus, cogitationes ſuas quaſcūq; quales fuerint ſcrutabitur. Cū vero animaduerterit vbi ſit, cōſiderabit pariter & cognoſcet ſtatū ſuum, intelligétque lucrum ne, an iacturam fecerit, quo tempore à cella abfuit, & an idem redeat, qui ab ea exiuit, ſine damno ſcilicet & iactura. Qui ſi in aliquo ſe viderit iacturam feciſſe, diſcet infirmitatem ſuam. Diſcet ſe nihil adhuc lucri conſecutum ex quiete atq; otio cellæ

Monachi documentum in cella

reuer-

reuertetturque cum humilitate ad eam pœnitentiam agens cum lachrymis, & rogans Deum pro ſua imbecillitate & fragilitate, & ſic demum ſedebit ſibiipſi tantum intentus. Rurſum cum exierit ad homines, intuebitur ſe ipſum, ſit ne ſuperatus & victus, in quibus & primum, an in aliis & diuerſis, ruſumque in cellam rediens faciat quæ primo pœnitentiam agat, defleat, rogétque Deum ſuo pro ſtatu: cella enim attollit, homines autem probant. Quare probè dictum eſt à patribus, & ſedere in cella medium quid eſſe, & ad ſeniores aduertere alterum medium. Et nos igitur cum egredimur, aduertamus quare egrediamur, neque id fruſtra, & ſine cauſa fiat. Qui enim iter aggreditur ſine cauſa, vt aliquorſum exit, vt aiunt, fruſtra laborat. Quicunque facturus eſt aliquid, aduertat, præcognoſcat, conſideret quare id agat, quóve fine. Nam in cunctis, vt quam ſæpiſſimè dixi ſcopus & intentio noſtra præmittenda eſt, & ad eam omnes actus noſtri dirigendi. Si conuenimus interdum, conueniamus ob mutuam charitatem: primum, cum vides fratrẽ tuum, vides Dominum Deũ tuum. Conueniamus vt ſermonem Dei audiamus. In conuentu enim vt plurimum moueri ſolet ſermo, & cũ multi ignorantes ſint, interrogantes doctiores ediſcunt ſtatum ſuum. Refectionis hora nos vocat, & comedendum eſt? Conſideret ſeipſum quiſque, & videat cum grati & optimi cibi appoſiti fuerint, ſi poteſt continere appetitum, neque vltro accipere, aut maiorem & delicatiorem partem optare, cum omnia per partes cuique vt ſcitis, diuidantur. Sunt nonnulli qui non erubeſcunt manum extendere, & minorem portionem ante fratrẽ ponere, maiorem ad ſe trahere. Vt quid enim maiorem à minore parte diſcernimus? Quantulum illud eſt quod inter duas partes ſuperat, vt quis tam vili & modica re auarus erga fratrem ſuum reperiatur? Aduertat rurſum ſi ſe continere poteſt à plurimo cibo, necne (quod minimè decet) quærat diuerſa fercula, ſéque ad vomitum expleat. Cuſtodiat quoque ſeipſum ab inſolentia & præſumptione. Videns fratrem ſuum præhonorari, ferat id æquo animo. Videns alterum inſoleſcentem, inclamantem, obloquentem, conuitiantem, turbas miſcentem, non attendat illi, non iudicet ipſum, ſed conuertat mentem & oculos in alterum venerabiliorem & meliorem, ſtudeátque facere quod de beato Antonio legitur. Qui cum plurimos fratres adiret viſendi gratia, & hunc atque illum videret boni aliquid agentem, id ſtatim tanquam floſculum colligebat, & in pectore recondebat, ab hoc quidem manſuetudinem, ab illo humilitatem, ab alio quietem accipiens: & ita ſeipſum quaſi virtutum omnium exemplar conſtituebat. Ita debemus & nos facere atque ad ſingula animum aduertere, & (vt dixi) cum ad cellas noſtras redierimus, perſcrutari noſipſos & diſcere, lucrum ne an iacturam foris fecerimus. Et ſi nos indemnes inuenerimus, gratias Deo noſtro, cuius munere protecti ſumus. In quibus autem videbimur lapſi deliquiſſe, pœnitentiam agere, deflere, lugere proprium ſtatum. Vnuſquiſque enim à ſtatu ſuo & ex ſemetipſo vel læditur vel iuuatur: & in nobis eſt velimus prodeſſe, an obeſſe nobis. Cuius rei vobis exemplum ſubiiciam, vt clarius fiat quod dicimus. Contigit aliquem ex oppidanis, non loquor de monachis, nocte in angulo vllo vrbis conſiſtere, & immorari, vel in platea, iuxta hunc pertranſeunt viri tres & vnus quidem ex eis ſuſpicatur illum aliquem ſociorum præſtolari, vt fornicentur pariter: alius autem putat vocatum ab eo amicum è domo, vt ſimul ad orationem exeant. Tertius autem arbitratur eum furem eſſe. Ecce tres eundem hominem in eodem loco pariter cõſpexere, nec tamen eandem cogitationem habuere, ſed aliud primus, aliud ſecundus, aliud tertius ſuſpicati ſunt. Atque vnuſquiſque pro ſtatu ſuæ mentis ſententiam tulit. Vt enim corpora melancholici & mali humoris, quicquid cibi ſumpſerint, illud in choleram conuertunt; & quodammodo perimunt, licet fuerit cibus op-

Monachus vt è cella egrediatur.

Monachi decorum in menſa.

Auaritia in re modica.

B. Antonij ſapientia in inſtituenda vita.

Contra ſuſpitioſos.

A timus: nec à cibo cauſa eſt, ſed à corpore, quod diſtemperatum contraria ad digeſtionem operatur, & ciborum naturam immutat. Sic animæ malè diſpoſitæ, vnaquæque res quamuis bona & vtilis, ſuo vitio nocet. Finge mellis vaſculum ante nos poſitum eſſe, ſi quis in illud modicum quid abſynthij iaciat, nónne vas totum corrumpit & mel amarum facit? Idem nos facere videmus, cum pugillo amaritudinis noſtræ totum proximi bonum corrupimus, iudicantes illum pro ſtatu mentis noſtræ, & transformantes quodammodo ipſum ex mala diſpoſitione quæ in nobis eſt. Nam qui bene animo diſpoſiti fuerint, tales ſunt erga omnes; quales qui corpus temperatiſſimum habent, qui quicquid nocens comederint, omne conuertunt in nutrimentum & optimam concoctionem, ita vt nihil eis noceat, etiam quod

De proximo bene iudicandum.

B nocens eſt. Cuius rei ratio eſt, vt dixi, corporis contemperamentum; ſanitas, & bona habitudo, quæ omnia faciunt, vt quicquid comederint, bene vertant, bene digerant, bene concoquant. Quod vt manifeſtius pateat, ſubiiciam exemplum: Sus corpus habet ſanè temperatum & ſuccidum, cuius cibus & nutrimentum, corna, glandes, palmarum oſſa & lutum eſſe ſolent, vt plurimum, quæ omnia ex corpore bene diſpoſito non omnino bono, concoquit & digerit. Ita nos cum bene diſpoſiti atque inſtituti erimus (vt dixi) poterimus à quauis re etiam nocenti, vtilitatem ſumere: hinc bene in prouerbiis dicitur: *Qui leniter intuetur, miſericordiam conſequitur.* Et alibi: *Quæcunque aduerſantur viro inſipienti.* Accepi de quodam confratrum noſtrorum rem ſanè

C dignam imitatione. Quia ſcilicet, ſi quando alterius fratris cellam vidiſſet immundam, incompoſitam, incultam, ſtatim intra ſe aiebat. Quam beatus eſt frater iſte, & vt abſtractus, vt alienus eſt ab his terrenis & tranſitoriis, & ſe totum ad cœleſtia & diuina contemplanda tranſtulit, nam neque propriæ cellæ exornandæ illi cura eſt aliqua. Si alterius item fratrum cellam compoſitam, mundam, ornatam, excultámque vidiſſet, dicebat ſecum: En quam pura & immaculata eſt fratris huius anima. Ad animæ námque ſtatum cellæ puritatem direxit, vt vnà cum anima cella quam incolit puriſſima ſit. Neque quandoque vel illum negligentem & deſidem, vel hunc vanum & ambitioſum dixit, ſed ex optimo mentis ſuæ ſtatu de vtróque bene iudicauit, de vtroque commodum & vtilitatem traxit.

D Deus optimus det nobis optimum ſtatum, vt poſſimus & nos à quocunque vtilitatem ſumere, neque ſuſpicari aliquando quippiam mali aut ſiniſtri de proximo, vel ſi quandoque cogitauerimus aut ſuſpicati erimus, ſtatim cogitationem noſtram in melius inuertamus. Non diſcernere enim aut agnoſcere proximi malum, miram in nobis parit bonitatem, per quam Deo magnopere placemus, illi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE INSTITVTIONE FRATRVM, DOCTRINA XVII.

E CVM fueris fratrum inſtitutor & rector, eos potiſſimum cura cordis ſeueritate & viſceribus miſericordiæ inſtruere, hos verbo & exemplo quæ agenda ſunt edocens, atque exemplo magis & opere, cum magis operentur exempla & fortius moueant. Et ſi corpore validus fueris, in his etiam quæ ad corpus pertinent, illos pariter exerceas & inſtruas. Quod ſi infirmus & imbecillis, in animæ ſtatu optimo, & in Spiritusſancti fructibus qui ab Apoſtolo numerantur, inſtituas. Charitate videlicet, gaudio, pace, conſtantia, bonitate, fide, rectitudine, manſuetudine, continentia vitiorum omnium. Sin autem eos contigerit interdum errare, & delinquere, non admodum ſolicitus & anxius ſis, non afficiaris, non moleſte feras, ſed cum omni manſuetudine & clementia peccati damnum oſtende. Et ſi increpatio-

Monachi quomodo à rectoribus inſtituendi.

ne opus fuerit, ſerua perſonam, modum & tempus cõgruum. **A** Neque in quouis etiam paruo errato ſeuerus nimis eſſe velis, tanquam examuſſi æquus & iuſtus ſis, vel ſtatim inclames & reprehendas: hoc enim apud omnes moleſtum & durum ſemper eſt, & ex conſuetudine hac reprehendendi & increpandi, plerunque minus ſentitur reprehenſio, & contemnitur nonnunquam qui reprehendit. Neque ſuperbe imperes aut contumelioſe, ſed cum omni manſuetudine cum fratre conſulta, mouet enim magis, & efficacior eſt ad perſuadendum ſermo huiuſcemodi, & turbatos animos ſedat. In tempore autem fraternæ turbationis, ſi contra niteris, tu linguam tuam cohibe, & moderare, ne quid fortaſſe perditum loquatur irata, neque ſinas efferri cor tuum in ipſum. Sed memineris fratrem tuum eſſe & membrum in Domino, & imaginem Dei ab hoſte noſtro communi tentatam & prouocatam, **B** veliſque potius in ea manſueſcere quam ſæuire, ne captiuam illam agat Diabolus ex vulnere excandeſcentiæ: & morte afficiat poſtmodum in vulnere iracundiæ, ſicque pereat anima negligentia noſtra, pro qua mortuus eſt Chriſtus. Memineris etiam eidem iudicio iræ te ſubeſſe: & ex propria infirmitate fratri tuo compatere, & age gratias quòd facultas tibi data ſit ignoſcẽdi, vt tibi poſtea plura & maiora ignoſcantur & dimittantur à Deo. *Dimittite enim ait, & dimittetur vobis.* Quia ſi cogitas nocere fratri ſeueritate & conſtantia tua, memineris ab Apoſtolo dictum, *vt bono malum vincas, non malo bonum.* Aiebant autem maiores & patres noſtri, quòd ſi quis alterum increpans excandeſcat & concitetur in iram, **C** huiuſcemodi hominem vitium ſuum palam feciſſe: & nullum qui ſit prudens diſſolututum domicilium ſuũ, vt illud proximi reficiat & farciat. Si pertexerit turbatio & ira, comprime cor tuum, & ora Dominum in hæc verba. Clementiſſime Deus & amator animarum, qui bonitate tua ineffabili nos cum non eſſemus, feciſti vt eſſemus, communicans nobiſcum bona tua, quique apoſtatantes poſtmodum à præceptis tuis nunquam contempſiſti, ſed reuocaſti potius voluntaria humanitate, & precioſo ſanguine tuo, & nunc obſecro adeſſe digneris infirmitati noſtræ, & vt quondam æſtuanti pelago, ſic nunc turbationi cordis noſtri impera, nec velis eodem momẽto orbari duobus filiis qui morte peccati afficiuntur. Nec dicas nobis, *quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Et, *Amen dico vobis neſcio vos*, **D** lampades noſtras extinctas oleo deficiente. Poſt huiuſcemodi orationem redeunte tranquillitate & manſueſcente corde potes deinceps cum prudentia & humilitate cordis, iuxta præceptum Apoſtolicum *arguere, increpare, obſecrare & cum miſericordia, vt infirmum membrum curare & erigere valeas.* Tunc enim & frater correptionem tuam admittet cum attentione, & ſeipſum cum aſperitate coarguet, ſicque pace tua pacem dabis fratri & cor eius exhilarabis. Nunquam à te diſcedat ſancta illa doctrina: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* In primiſque tibiipſi procura quietum ſtatum & pacificum, vt ſcilicet nunquam non iuſtis occaſionibus, non imperandi gratia, aliquando in turbationem cordis inducatis, ſed impera omnia effecta charitatis, amoris, beneuolentiæ & mundicitiæ animi cau**E**ſa. Sic fratrem ædificabis & inſtrues, dignum poſtmodum ea voce quæ ait: *Si extraxeris pretioſum ab immundo, vt os meum eris.* Si autem fueris ſub obedientia alterius, tu nunquam cordi tuo credas, excæcaris enim à priſtinis affectionibus. Neque aliquando ſecundum iudicium vel ſcientiã tuam ſeipſum in aliquo inſtituas, aut conſtituas quippiam apud te abſque maiorum conſultatione & ſententia, néve exiſtimes aut putes rationabiliora & iuſtiora eſſe quæ cogitas, quàm quæ tuus gubernator & rector. Neque cenſor & iudex fias operum & actionum eius, decipieris enim plerunque tua probatione, & dolus diaboli eſt, vt inſidias his ponat qui ſeſe in omnibus cum omni fide maioribus ſuppo-

Correptionis modus.
Lingua moderanda in correptione.
Matth 6. Luc 6 c. Rom. 12.
Oratio contra iracundiam.
Pſal. 29. Matth. 25.
2. Tim. 4.
Matth.11.
Hier. 5.
Monaſtica obedientia.

ſuerint. Subditus autem eſto in omnibus, & ſic cum **A** pace & ſine periculo & errore viam patrum noſtrorum ibis. Coge teipſum in cunctis & vince, & voluntatem tuam in primis abſcinde. Si enim conſueueris propriam voluntatem amputare, per Chriſti gratiam & miſericordiam habitum acquires: vt omnia ſine moleſtia, ſine controuerſia facias, ſiáſque omnino tui iuris. Ne optes ad vota tua res euenire, ſed eas velis & optes, vt eueniunt, & ſic in omnibus pacem habes. Hæc autem dico de his in quibus non eſt tranſgreſſio præceptorum Dei aut patrum. Inter omnes contende vt teipſum ſemper accuſes, & ſuſpende quod non eſt deliberatum cum cognitione. Certum habe quæcunque in nobis fiunt aut eueniunt, etiam ſi minima & viliſſima fuerint, ex Diuina prouidentia euenire, & omnia perferas conſtantiſſimè, perſuadeas tibiipſi eſſe anti**B**dota & medicinas contra ſuperbiam animæ tuæ, quicquid iniuriæ & contumeliæ tibi fit, & orato pro his qui tibi conuitiantur, tanquam pro veris medicis: qui enim probra & contumelias odio habet humilitatem, & qui prouocantes ſe declinat & fugit, fugit manſuetudinem. Vt enim quis probro affectus, ſi patiatur, fit humilis, ita & prouocatus, ſi ſuſtineat, fit manſuetus. Noli cognoſcere malum proximi tui, neque ſuſpicioſus ſis in ipſum. Quod ſi malignitate aliorum aliqua diſſeminantur, ſtude illi ea commutare in meliorem ſenſum. In omnibus gratias age, & poſſide bonitatem & ſanctam charitatem. Ante omnia vero cuſtodiamus cuncti conſcientiam noſtram, in his quæ ad Deum, quæ ad proximum, & quæ ad res pertinent: Et antequam **C** dicamus, faciamúſve quippiam, ſcrutemur ſi ſecundum voluntatem Dei eſt, & oremus ſemper cum id vel dicimus vel facimus, fragilitatémque noſtram iaciamus ante conſpectum Dei, & eius bonitas & clementia in cunctis nobis aderit & opem feret. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Voluntas abſcindenda.
Dei prouidentia.

DIALOGVS AD EVM QVI PENVM ADMINISTRAT, *Doctrina XIII.*

NIL velis cùm inciderit tibi ira, aut furor. Ne **D** afficiaris rebus monaſterij nimis, vt etiã minima & nullius precij affectes immoderatè, ſed quicquid voluerit aut petierit abs te frater, dato. Si quid fractum vel amiſſum fuerit, aut ex negligentia, aut ex inuerſione ſupellectilium, ne cures. Debes autem hoc facere non vt contemptor rerum monaſterij, ſed vt te ipſum tranquillum & ſine tumultu aut perturbatione aliqua habeas. Demonſtra ſemper Deo quicquid potes, hoc autem rectè poteris facere, ſi res adminiſtraueris non tanquam proprias, ſed vti Deo ſubiectas, & certò credas harum tantum veram à nobis curam habendam. Hoc enim (vt dixi) facit, ne his afficiaris, neque contemnas, quòd ſi huiuſcemodi conſiderationem non habueris, certum habe, quia tu alios & te alij pluribus afficient moleſtijs.

Terrena vt curanda ſint

E

INTERROGATIO.

MENS mea in his verbis tuis exultat, & optat talis eſſe qualem inſtruis; miratur autem cur in hora ipſius rei non ſit prompta & parata.

RESPONSIO.

EA cauſa eſt, quod illa continuè non meditaris: nam ſi hæc parata volueris in tempore ſuo habere, vt præmediteris illa neceſſe eſt, & in his certum habe & crede Deo te profecturum. Orationem meditationi annecte. Infirmos cura diligenter, & his compatere

Digitized by Google

Ægrotantiũ cura. *Matth. 7.*

tere & miſerere, vt ſæpè dixi. Quò te poſtea fortaſſis ægrotante exercitet Deus aliquem qui tibi miniſtret & A ſeruiat. *In qua enim menſura* (ait) *menſi fueritis, remetietur & vobis.* Stude omnia cum conſcientia facere, & certum habe te nondum viam quam ambules, reperiſſe, cum audieris in id te collapſum, quod te exiſtimaras facere cum conſcientia. Omnia ſine turbatione ſine moleſtia, cum gaudio ſuſcipe. Iudicio coæqualium te crede, cum vel quod minus videbatur, additur, vel quod bene actum fuerat, melius & rectius iteratur. Da operam vt proficias, vt cum tibi afflictio aliqua vel corporalis contigerit, illam cum omni patientia ferre & ſuſtinere queas. Si audieris dici feciſſe te rem vllam quam non feceris, ne turberis, ne commouearis, ſed illico da pacem illi qui tibi id dixerit, & vt tibi dimittat & oret pro te cum humilitate roga, & poſt hac omnino ſilentium agito. B Sin vero interrogatus fueris verum ne ſit quod feciſſe diceris, poſt datam cum manſuetudine pacem, rem omnem ordine ſuo cum veritate manifeſta. Et hoc dicto rurſum pacem dato, & vt pro te ſupplicet altiſſimo, & veniam det rogato.

INTERROGATIO.

QVID faciam? non enim id mihi eſt animi cum fratres obuios habuero, aut ad hoc me promptum & paratum offendo.

RESPONSIO.

IN eodem ſtatu eſſe ſemper haud potes, dum fratri- C bus tuis obuias, ſed interim da operam ne ſcandaliſeris in aliquo, neque iudices quenquam, aut obloquaris de aliquo. Neve aduertas animum ad ſermonem, aut opus, aut morum vllum fraternum, quo minus ædificeris, ſed tu te magis in omnibus cura componere. Neque velis glorioſus videri, dum loqueris, dum facis quippiam. Libertatem in cunctis poſſide, in dieta, in ſermone, & in vna quaque re tenuiſſima & minima. Cum enim quis oppugnatur vel affligitur ab aliqua vitioſa cogitatione & eam ad actum perducit, inualeſcit vitium in ipſum: & ipſe ei fortitudinem hanc præſtat, vt deinceps fortius oppugnetur & affligatur. Quia ſi pro virili parte cogitationi repugnauerit, & contraria illi oppoſuerit, debilitatur vitium & impotens fit de- D nuo ad oppugnandum eum, ſicque certans, & à Deo adiutus in certamine, ſenſim vitium ipſum omnino ſuperat & conterit.

Proximum non iudicemus.

Libertas.

INTERROGATIO.

VT quid Abbas paſtor dixit, Tria eſſe principia, timere Dominum, ſupplicare Deo, & in proximum facere miſericordiam?

RESPONSIO.

Timor Dei.

TImendum eſſe Dominum dixit ſenex, quia timor Dei virtutem omnem præcedit. Principium enim ſapientiæ eſt timor Domini, & nullus abſque timore E Dei virtutem diligit, aut bonum aliquod: cum timore Dei declinet quiuis à malo. Supplicandum autem eſſe Domino dixit, quia neque virtutem poteſt poſſidere homo, neque quoduis aliud bonum facere (vt dixi) etiam ſi id velit & appetat per timorem Dei, abſque ope & auxilio diuino. Opus eſt autem diligentia & ſtudio noſtro etiam ad diuinum auxilium. Quare neceſſe eſt quauis in re etiam minima ſupplicare & orare Dominum, vt cuicunque actioni noſtræ adſit & opem ferat. Benefacere autem proximo hoc charitatis eſt & amoris. Quoniam igitur qui Deum timet & Domino ſupplicat, ſibi ſoli prodeſt, & virtus omnis per charitatem erga proximum perficitur, ideo dixit ſenex etiam proximo benefaciendum. Nam qui Deum timet, & eidem A ſupplicat, debet hic vtique proximo prodeſſe, & benefacere. Hoc eſt enim (vt dixi) charitatis & amoris proprium. *Hæc perfectio virtutum eſt* (vt ait ſanctus Apoſtolus) Gloria ſit Deo noſtro, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Beneficentia.

Rom. 13.

BREVES ET COMPENDIOSÆ SENTENTIÆ, DOCTRINA XIX.

AIEBAT Abbas Dorotheus eum qui proprij ſenſus & voluntatis eſſet, haud vnquam parere poſſe vel res adhærere proximi vtilitati.

Voluntas propria.

B Aiebat etiam cum ſimus omnes peccatores non debere nos ſemper & in cunctis menti noſtræ credere, obliquam enim regulam quæ recta eſſent inflectere & intorquere.

Haud eſſe magnum non iudicare, aut compati afflicto & ſubdito tibi, ſed magnum non iraſci, aut conferri ei qui ob vitium ſuum tibi aliqua in te contradixerit, neque conuenire cum eo, qui illum iudicauerit, vel congratulari illi qui te ei ante tulerit, hoc vtique magnum.

Iracundia.

Qui non contempſerit mundi gloriam & corporis quietem, & iuſtitias denique omnes haud poſſe vnquã propriam voluntatem à ſe remouere, vel liberari ab ira & triſtitia, aut proximo quietem afferre.

Non eſſe poſcendam à proximo charitatem futurum C enim moleſtum, ni eandem rependeris: ſed debere nos magis in proximum beneuolentiam oſtendere, & poſt modum deſtitutos, ita enim proximum ad mutuum amorem inducendum.

Et qui opus aliquod fecerit ſecundum Deum omnino ſuperuenire tentationem vllam, quia neceſſariò bonum omne præcedit aut ſequitur tentatio, neque bonum dici poſſe, aut ſecundum Deum, niſi approbetur tentatione.

Tentatio.

Nihil adeò concordiam & vnitatem afferre, ſicut eadem ſapere: & eiſdem congaudere.

Concordia.

Nullam proximi gratiam ſpernere, humilitatis ſummæ eſſe, oporteréque quam libenter ſuſceperis, etiam ſi parua & tenuis fuerit.

Humilitas.

Dicebat quoque ſe de vna quaque re libenter conſul- D tare cum proximo, & illius ſententiæ ſuam accommodare, etiam ſi contraria & aduerſa videretur.

Optimum eſſe vnamquámque rem pro vſu & neceſſitate noſtra affectare, malum autem ad quæcunque diſcurrere, nec vnquam quieſcere.

Quicquid ſibi contigiſſet, nunquam ſeſe id voluiſſe humano ſenſu diſcutere, ſed cum feciſſet pro virtute ſua omne poſt modum commiſiſſe Deo.

Eum qui non habuerit propriam voluntatem, illum etiam nihil exterius proprium habere, & contentum eſſe quacunque re, & ita nunquam propriam voluntatem facere, neque velle res euenire ſibi ad vota, ſed eas velle vt euenerint.

Voluntas propria.

Non oportere in ipſa hora qua peccauerit fratrem E corrigere, neque vllo alio tempore vltionis gratia.

Qui ſecundum Deum eſſet amor, potentiorem eſſe eo, qui ſecundum naturam eſt.

Non eſſe malum cum riſu perpetrandum, euenire enim, vt cum quis malum ridens egerit, poſt nolens in ipſum deſigatur.

Haud optandum alicui, vt à vitio liberetur, quo eius afflictionem & moleſtiam fugiat, ſed quia illud maxime oderit, iuxta quod ſcriptum eſt: *perfecto odio oderam illos.*

Iſa. 138.

Impoſſibile eſſe aliquem in proximum ſuum iraſci vel excandeſcere, niſi prius elatus fuerit corde & contempſerit eum, & illo ſe potiorem exiſtimauerit.

Ira ex ſuperbia oritur.

Signum eſſe potiſſimum, aliquem ſponte malum egiſ-

Digitized by Google

ſe, cum correctus & deprehenſus turbatus fuerit. Correctionem autem & reprehenſionem ferre abſque ira & turbatione id maximum argumentum eſſe, quòd vel victus vel ignorans id malum egerit.

Correptio.

DE INSENSIBILITATE ANIMÆ, ET REFRIGERIO CHARITATIS, *Doctrina XX.*

AD inſenſibilitatem animæ fratri frequens lectio diuinarum ſcripturarum vtilis eſt poſt nocturnos ſermones deſertorum patrum, & memoria terribiliũ iudiciorum Dei, & egreſſus animæ a corpore, & terribilium poteſtatum quæ illi futuræ obuiam ſunt, quibus cum iniquitatẽ fecit, dum fuit in hac breui & miſerabili vita. Quomodo etiam in futuro ſit ante tribunal expaueſcendum Chriſti, & quẽadmodum ſit exigenda ratio non ſolum operationum, ſed etiam ſermonum & cogitationũ in conſpectu Dei, & omnium Angelorum eius, & vt breuiter dicam, omnis creaturæ. Memineris autem continuè eius vocis, quam terribilis & iuſtus iudex his dicturus eſt, qui à ſiniſtris erunt. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Bonum etiam eſt humanarum afflictionum reminiſci, ſic enim dura & inſenſibilis anima emolleſcet, & ad ſenſum perueniet proprij ſtatus & malitiæ ſuæ. Deſidem autem eſſe circa fraternam charitatem, & hoc prouenit ex cogitationibus ſuſpicioſis in animum admiſſis, & propriæ mentis credulitate: hinc etiam fit vt nihil velimus inopinatum pati. Vis igitur tibi à Deo opem ferri? Principio & ante omnia nuſquam tuis ſuſpicionibus credas, & omni cura da operam ſubiici & ſubmitti fratribus tuis, ac voluntatẽ omnem tuam amputa, & ſi quis te ignominia affecerit vel probro, pro illo ſic orato, tanquam pro eo qui te innumeris beneficiis affeciſſet, qui libidinis tuæ medicus fuiſſet, ex his enim ira minuitur, cuius frenum charitas eſt ſecundum patres. In primis autem Deum roga, vt det tibi intellectum & ſtudium cognoſcendi quæ ſit voluntas eius bona, beneplacita, atque perfecta, & præſter pariter conſtantiam perficiendi omne opus bonum.

Matth. 25.
Remedia contra mentis ſtuporem.
Ira frenum charitas.
Rom. 12.

DE PLANCTV, HVMILITATE, ET QVIBVSDAM ALIIS VIRTVTIBVS, Doctrina XXI.

INTERROGATIO I.

QVO pacto poſſum quotidianam habens conſuetudinem cum hominibus ſeculi, & ægritudines per ſingulos dies, ad domeſtica negotia planctum ſeruare? & an ſit fletus ex lachrymis, an ex fletu lachrymæ proueniant?

RESPONSIO.

NON fletus per lachrymas, ſed per fletum lachrymæ, abſcindens autem & amputans propriam voluntatem nec in aliorum culpas aduertens, hic fletum poſſidet. Conueniunt in vnum cogitationes illius, & his conuenientibus & coëuntibus, generatur ſecundũ Deum triſtitia in corde, & triſtitia lachrymas generat.

Propria voluntas.

INTERROGATIO. II.

QVID patientia ignominiæ confert ad quietem?

RESPONSIO.

QVI debitor alicuius fuerit donec reddiderit debitum, quouis locorum abeat, debitor eſt, nec habet poteſtatem ſedẽdi cum quiete. Quod ſi afficiatur ignominiis ab hominibus, erubeſcit, túncque debitum ſoluit ac ſi liber ſit, & cum fiducia & audacia poteſt in populo eſſe & vbicunque voluerit ſedere. Sic homo cum patienter tulerit iniurias, ignominias, damna & commoda, ob peccata commiſſa, humilitatem diſcit & laborem, & ita recedunt ab eo peccata, iuxta quod ſcriptum eſt. *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.* Cogita autem attentè crucifixum, quot contumelias, quot probra ſuſtinuerit Dominus noſter Chriſtus, & poſt hæc omnia demum crucem cõſcenderit. Et ita ſcito neminem in requiem ſanctam & perfectam poſſe peruenire, niſi primum Chriſto compatiatur, & ferat omnes paſſiones eius, iuxta Apoſtolũ dicentem: *Si compatiemur, & glorificabimur.* Noli itaque errare, noli ſeduci, quia nulla alia ſalutis via eſt præter hanc. Dominus qui in omnibus autẽ nobis opem fert, det nos firma fundamenta domus noſtræ iacere ſuper petram quæ Chriſtus eſt.

Pſalm. 24.
Rom. 8.

INTERROGATIO III.

QVÆ via expeditior eſt ad ſalutem, vel per laborẽ, vel per humilitatem, dic obſecro Domine, & de obliuione, de habitu, de cuſtodia oculorum.

RESPONSIO.

LABOR verus non eſt extra humilitatem. Labor enim in ſeipſum fruſtra fit, & ad nihilum valet. Dicit enim, *Vide humilitatem meam & laborem meum & dimitte vniuerſa delicta mea.* Hæc igitur qui habet, celeriter peruenit ad ſalutem: ſimiliter & qui humilitatem habet cũ contemptu ſui: contemptus enim laboris locum tenet. Qui autem humilitatẽ habuerit in ſeipſum, ingreditur quidem in ſalutem, ſed tarde. Quare qui veram humilitatem poſſidere voluerit, non blandiatur ſibiipſi vlla in re omnino. Hæc eſt vera humilitas. *Ignem accepit Dominus & miſit in terram.* Obliuionem & captiuitatem non ſuſcipit, qui habet ſenſum ignis. Subiiciamus exemplũ: Moritur homo, ignis ei apponitur, ſtatim dolorem ſentit, & excutit, vt poteſt. Et quocunque alio modo captiuus quis fuerit, inciderit autẽ in ipſum carbo ignis. Et tu igitur ſi liberari volueris à captiuitate, non potes aliter, niſi tibi ſpecialem ignem paraueris, à calore enim illius iſta diſpatent & euaneſcunt. Poſſidet autem quis ignem hunc, cum Deum deſiderat. Bonum eſt autem non admodũ affici erga coætaneum, huiuſcemodi enim conſuetudo & nimia familiaritas fletum aufert. Quare is non eſt multum diligendus, qui obeſt magis quã proſit. Nemo poteſt ad virtutem conſcendere abſque magno labore. Conſueſce non circumferre oculos tuos ad aliena & vana, hæc enim deperire faciũt labores omnes monaſticos. Quare mi frater niſi die noctúque elaborauerit homo, haud vnquam ad ea poterit pertingere. At ſi toto corde Dominum quæres, & te ſedulo exercueris, cito peruenies. Ait enim: Exercete vos, & dabit vobis Dominus hoc, vt intelligatis.

Pſalm. 24.
Luc. 12.
Familiaritas coætaneorum.

INTERROGATIO IIII.

QVID eſt contemptus ad humilitatem, & quid rurſum contritio cordis? Et ſi quis contemptum poſſideat ſeipſum vere humilians in corde ſuo, quid opus ſit etiam exterius ab hominibus probra & contumelias pati, quid opus item vilibus actionibus? Si debeat etiam humilis affectare humiles operationes & humiliter cogitare.

RESPONSIO.

COntemptus duos modos habet: vnum à corde, alterum ab hominibus. Maior autem qui eſt ab hominibus

minibus quàm qui eſt à corde. Neque adeò laborare nos facit qui à corde eſt, vt qui ab hominibus: cor enim A ad hoc admodum patitur. Currere autem ſua ſponte ad vilia exercitia nullius profectus eſt, quin potius inanis gloria. Sed cùm tibi vile aliquid præcipitur neque tu contradicis, ſed iuſſa facis cum omni manſuetudine & obedientia, tunc fit hoc ad profectum: & hoc eſt contemptum ſuipſius habere. Contritio vero cordis eſt, ſi id vagari non permittas in alienis & vanis cogitationibus. Humilitas eſt, nihil ſeipſum exiſtimare, & propriã voluntatem in cunctis amputare, ita vt ſis in cũctis ſubiectus, & intrepidè ac conſtanter feras quicquid euenerit. Hæc eſt vera humilitas in qua non inuenit locum inanis gloria.

Contemptus ſui ipſius.

Cordis vera contritio. Humilitas vera.

Sed humiliter loqui arrogantiam præ ſe fert, & magis nocet, quàm prodeſt: ſed ſufficit dicere, ignoſce, & B ora pro me.

INTERROGATIO. V.

AN ne in bonis, aut mediis oportet incidere voluntatem, aut in iis vbi tranſgreſſio in præceptum impingit. Et ſi iuſſum exceedat meam vocationem, debeone denegare, ne moleſtia aut pudore afficiar? Præterea ſicui neceſſe ſit, vt aliquid ab Abbate petat, & dicat mihi vt ſe in negotio adiuuem, ſuſtineam me, aut non feram honorem, quod totus mihi placeam? Adde ſi quis roget, vt orem, tollam ne manus & adiuuem ipſum? Aut quouſque oportet denegare aut cõtendere, vbi ſit tráſgreſſio præcepti?

C

RESPONSIO.

FRater volens eſſe, non debet omnino voluntatem habere in omni re, & hoc innuens Dominus dixit, veni in mundum non vt faciam meam voluntatem, & quæ ſequũtur. Volens enim hoc & illud facere propter quæ rogatur, aut prudentiorem ſe declarat eo qui iniũgit, aut à dæmonibus illuditur, quod vtrunque malum & diabolicum eſt. Quare in omnibus obedire debes. Qui enim imperat tibi Abbas tuus, tuum iudicium geſtat, qui rationem dabit pro te: ſi graue tibi videbitur quod impoſitum eſt, ipſum interroga, eiúſque iudicio relinque negotium. Si autem fratres ſint qui aliquid tibi iniungant, & vides aut exiſtimas aliquid mali eum negotio coniunctum, aut quod excedat tuas vires, rurſum D Abbatem tuum interroga & quæ dicit tibi, fac: Si enim velis non ſolùm res, ſed etiam homines iudicare, tribulationem tibi ipſi acceſſes. Sed vbi videbitur bonum eſſe negotium, ibi oſtende obedientiam fratribus tuis. Sed vbi cogitatio tua diſtrahitur, aut vires tuas excedit, aut damnum affert, communica cũ Abbate tuo & quod diiudicabit, facito. Ipſe enim ſcit quid faciat, & quid curæ habeat de anima tua, & quieſce. Crede igitur, quòd quicquid dixerit tibi diuinum ſit, omne autem diuinum vtile eſt, & moleſtiam aut perturbationem nullam affert. Ex bono enim nullum malum egreditur, *omnis enim arbor bona fructus bonos profert.* Cùm autem opus habet aliquis te apud Abbatem, fac vt præceptum impleturus, quod audiuiſti ab Abbate. Si enim te cuſtodem foribus appoſuerit, dicens, ſignifica mihi omnem hominem aduenientem, teipſum magni facis, aut mãdatum exequeris. Si Abbas dixerit, vt indices ipſi, aut non indices, & culpam non habebis. Si vero in cellam intraris fratris aut ſi dicat ipſe, vt ores vſque ad tertiam vicem, dic ignoſce mihi. Et ſi tertia vice inſtabit, tum facito cum humilitate, Et tu ter dicas alicui, qui ſi noluit, deſine in pace, & non affligas eum. Et hæc eſt vera via Dei, in qua vide vt te geras ſine hypocriſi, in puro corde, Deo porrigente tibi manum & adiuuante per gloriam ſuam.

Ioann. 6.

Res iudicandæ, non autem homines.

Matth. 7.

E

INTERROGATIO VI.

A

AN ne corpori obſequi oportet in diæta, cum qui nondum prorſus laborat, aut ſi non conueniat alicui cum conſueto cibo: aut etiam ſi quis non ægrotet, fugiat tamen cibum quòd hunc vel illum morbum generet, bene facit?

RESPONSIO.

SI viderit homo ſeipſum non turbari aut affligi morbo, debet obſequi corpori paulum, ſi verò affligatur non. In confeſſo enim eſt, quod hæc apparens imbecillitas dæmonum eſt. In vera enim ægrotatione quæ à B Deo eſt, etiam bellum minuitur. Quare conducit vbi bellũ eſt, ibi laboribus exercere corpus etſi in morbum inciderit, iuuat enim animam: Si autem cauſa aperta fuerit huius ægritudinis, & vel ex peregrinatione, vel vulneribus grauiter laborabit corpus, oportet ei indulgere, cum grauitate tamen quadam & non vltra modum. † Quando & dæmones ipſorum corpus curant. Ad malam autem habitudinem aliquando poteſt quis cogere ſuam rationem: ſi autem non poteſt, indulgeat pauliſper. Imbecillitas enim eſt & illa. Si quis autẽ ſciat quòd hic vel ille cibus generat morbum, non debet comedere de eo. Nam in eo vinci ipſum inuenitur, & debet cauere. Vide ne obliuiſcaris, & crede te vnà cum aliis qui à Deo adiuti & ſaluati ſunt, ſanãdum te quoque eſſe.

Corpori quatenus indulgendum.

† Dictum Platonicè.

C

INTERROGATIO. VII.

SI comedens cum fratribus meis citius ſatur fuero, decétne me ſurgere: an vero manebo, dum omnes ſurgent: Aut ſi modum panis mei commetiar cum obſoniis omnibus, melius faciam?

RESPONSIO.

SEdens ad menſam, cum videris te obſaturatum, & non potes ſedere non comedens, ſurge. Sed ſedere & non comedere maius eſt. Sed intingere buccellã tuã in omnia obſonia his duobus melius eſt.

D

INTERROGATIO IX.

QVid faciam, quia timeo pudorem contemptus, & ſi quando cum aliquibus congreſſus fuero, prorſus incido in eum & captiuus fio, vt fermè obliuiſcar mei ipſius, & tamen vereor eos dimittere.

RESPONSIO.

SI ad ædificationem facit & non impeditur magis neceſſarium negotium, mane quandiu colloquitur, ſi vero imprudens eſt colloquium, dic, dimitte me, ego imbecillus ſum. De pudore autem cogita communẽ in Domino, qui erit in peccatoribus: & temporalem E illum contemne.

Contra vitioſum pudorem.

EXPOSITIO DOROTHEI IN QVÆDAM DICTA GREGORII NAZIANzeni: *quæ cantantur per modulos quoſdam ad ſanctum Paſcha, Doctrina* XXII.

LIBET mihi fratres pauca quædam de Pſalmis nõ inutiliter vobis afferre, vt non ſitis tãtum ad cantus ſuauitatem intẽti, ſed & omnis mẽs quoq; veſtra, vt par eſt, incaleſcat in virtute ſermonum. Quid igitur id eſt quod nũc pſallimus?

Reſurrectioois hodie dies eſt, offeramus noſipſos primitias Deo. A Quemadmodum apud maiores noſtros filij Iſrael in ſolemnitatibus vel paoegiricis offerebant dona Domino ſecundum legem, vt pote ſacrificia, holocauſta, primitias, & alia huiuſcemodi: ita nos hodie admonemur à Beato Gregorio iuxta eorum ſolemnitatem agere Domino, & generatim omnibus ſolemnitatem indicit & ait: Reſurrectionis dies eſt, hoc eſt dies ſanctæ ſolennitatis, dies diuinæ mercationis, dies paſchæ, dies Chriſti. Quid eſt paſcha Chriſti? Phaſe fecerunt filij Iſrael, cum exirent ex Ægypto. Præſens autem paſcha quod nos hortatur ſanctus hic celebrare, anima rectè celebrat & perficit, cùm egreditur à cogitationibus Ægypti, hoc eſt à peccato. Quotiens enim digreditur anima à peccato ad virtutem, toties Domino celebrat Phaſe (vt aiebat Euagrius.) B Paſcha enim proprié digreſſio eſt à malo. Hodie igitur paſcha Domini eſt, ſplendidæ ſolennitatis dies, reſurrectionis Chriſti dies, qui peccatum noſtrum cruci affixit, & pro nobis mortuus eſt & reſurrexit.

Feſtum reſurrectionis Chriſti dies.

Paſcha myſtice quid.

Offeramus Domino & nos ſacrificia, holocauſta non irrationabilium animalium, qualia non appetit Deus à nobis, aut vult. Sacrificium enim & oblationem brutorum noluit Dominus, & holocauſta vitulorum & ouium non probauit, vt ait Eſayas. *Quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum ait Dominus?*

Iſa. 1.

Sed quoniam immaculatus Dei agnus ſacrificatus pro nobis eſt (vt ait Apoſtolus) *etenim paſcha noſtrum immolatum eſt Chriſtus, & maledictum pro nobis factum eſt*, iuxta quod ſcriptum eſt: Maledictum pro nobis pependit in ligno, C vt nos liberaret à maledicto legis, & vt filiorum adoptionem reciperemus, debemus & nos illi iam munus aliquod, quod placeat, offerre. Sed cum brutorum ſacrificia ſpernat, quod munus, quod donum placere illi poterit? Docet nos diuus Gregorius quale offeramus donum & ait: In die reſurrectionis noſipſos Domino primitias Domino offeramus. Quod confirmat Apoſtolus cum dicit. Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuam, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, Deo placentem, rationale obſequium veſtrum.

1. Cor. 5.
Gal. 3.

Quomodo igitur debemus exhibere corpora noſtra hoſtiam viuam, ſanctam, beneplacitam Domino? Ne ſcilicet amplius faciamus voluntatem carnis & cogitationes noſtras, ſed vt ſpiritu ambulemus, & deſideria carnis non perficiamus, & membra noſtra mortificemus, quæ ſunt ſuper terram. D Hæc eſt enim hoſtia viuẽs. Nam victima ad ſacrificium ducta illico mactatur & moritur. Sancti autem viri dum primitias viuentes ſeipſos offerunt, quotidie Domino ſacrificant.

Rom. 12.

Hoſtia viuẽs quæ ſit.
Pſal. 43.
Rom. 8.

Vnde ait Dauid: quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

Et diuus hic Gregorius: Primitias offeramus noſipſos Deo: hoc eſt, ſacrificemus noſipſos tota die Chriſto noſtro, qui pro nobis mortuus eſt, vt ſancti viri nos ſuo exemplo inuitant & prouocant.

Quo pacto autem ſeſe morti addixere? non diligentes ſcilicet mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſed renunciantes deſideriis carnis, deſideriis oculorum, & ſuperbiæ vitæ, hoc eſt luxuriæ, auaritiæ & inani gloriæ, tollentes crucem & imitantes Chriſtum, crucifigentes E ſibiipſis mundum & ſeipſos mundo. De quibus ait Apoſtolus qui autem ſunt Ieſu Chriſti, crucifixerunt ſibi carnem cum peccatis & deſideriis ſuis. En quo pacto ſe mortificauerunt ſancti viri. Quomodo autem obtulerunt ſeipſos primitias Deo? non viuentes ſcilicet ſibiipſis, ſed præceptis Dei deſeruientes, relinquentes propria vota & deſideria amore & charitate mandatorum Dei & proximi. Vt dixit ſanctus ille Petrus: Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te. Quid reliquerat bonus ille ſenex? Non agros aut pecunias habebat, non aurum neque argentum, ſed reliquerat omnes voluntates ſuas, omnem affectum & amorem præſentis ſæculi. Certum eſt autem quoniam (& ſi pecunias aut alia bona habuiſſet) omnia contempſiſſet, & tollens crucem ſecutus eſſet Chriſtum, A iuxta quod ait: viuo autem iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. Ita ſeipſos Deo primitias obtulere ſancti, mortificantes (vt dixi) ſeipſos ab omni affectione & propria voluntate, ſolique Chriſto & præceptis eius viuentes. Sic igitur & nos Deo primitias offeramus, vt ſanctus docet & monet Gregorius. Noſipſos videlicet, nos enim vult Dominus precioſiſſimam omnium poſſeſſionem. Et verè creaturarum omnium quæ videntur precioſiſſimus homo eſt. Illas enim creator omnium condidit verbo, dicens: *Fiat hoc, & factum eſt*: item: producat terra hoc, & produxit, producat aqua, & alia huiuſcemodi Hominem enim ſuis manibus formauit. Et illa quidem ad ſeruitium & delectationem hominis ſtatuit, ipſum B autem hominem horum omnium regem & principem fecit, vtique deliciis paradiſi frueretur voluit. Fecit & aliud quod magis mirum eſt. Nam illum cadentem à paradiſo ob peccatum, rurſum per ſanguinem vnigeniti Filij ſui redemit & reuocauit. Ita vt abſque dubio omnium quæ videntur precioſiſſima ſit poſſeſſio Deo homo. Neque ſolum precioſiſſima, ſed etiam præter omnes domeſtica & familiaris creatura. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: & iterum, fecit *Deus hominem, ad imaginem quippe Dei fecit illum, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Et ipſe Dominus noſter exul ad nos veniens, formam & mentem hominis aſſumpſit, & vt dicam breuiter, quicquid erat in homine præter peccatum. Quare rectè dicimus nullum eſſe animal quod Deo eſſet C magis accommodatum, magis domeſticum, magis familiare ipſo homine, & ſanctus noſter nullam creaturam precioſiorem dixit, quare manifeſtè ſubintulit, vt ſcilicet redderemus imagini, quod eſſet ſecundum imaginem. Quod quale ſit diſcamus ab Apoſtolo qui ait: *Mundemus nos ipſos ab omni nequitia carnis & ſpiritus.* Purificemus imaginem noſtram, vt qualem accepimus, talem reddamus. Abſtergamus ipſum ſqualorem peccati, vt omnis eius pulchritudo per virtutes appareat. De qua ſanè pulchritudine gratias agit Dauid dicens: *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* Purgemus imaginem noſtram, vult enim illam à nobis Deus abſque macula & ruga, aut aliqua huiuſcemodi turpitudine. Reddamus imagini imaginem. Cognoſcamus D dignitatem noſtram. Diſcamus quàm magnis bonis digni habeamur. Diſcamus ad cuius imaginem conditi ſumus. Ne ignoremus munera noſtra nobis cœlitus à Deo data ſua clementia & bonitate, nõ meritis noſtris. Cognoſcamus quoniam ad imaginem Dei facti ſumus, ipſe enim fecit nos, honorem exhibeamus archetypo. Ne afficiamus contumelia imaginem Dei, ad quàm facti ſumus. Quis enim regiam imaginem depicturus, colorem pallidum & turpem audeat imagini imponere, & regem contemnere à quo ſit poſtmodum pœnas acceptorus? An non potius colores precioſos, perſpicuos & claros adhibebit, & dignos regia maieſtate? Laminas aureas imponet, veſtes omnes (vt regem decet) adaptabit, vt cum illam fuerit quiſpiam contuitus, & omnem regium caracterem viderit, putet ſeſe regem ipſum, nõ imaginem intueri, atque ipſum archetypum cõſiderare. Et nos igitur archetypum noſtrum ne contemnamus Deum, ad cuius imaginem facti ſimus: Sed puram, nitidam, honeſtam, propriam imaginem faciamus, & dignã archetypo. Si enim imaginem ſenſibilis & ſimiliter vt nos geniti regis commaculãtes puniuntur, quid nos paſſuros credimus, qui ſpernimus quæ in nobis eſt, diuinã imaginem, neque illam vt par eſt, puram & immaculatam reddimus? Honoremus fratres, archetypum. Cognoſcamus myſterij virtute, cognoſcamus pro qua cauſa Chriſtus mortuus eſt, ipſa enim eſt virtus: ipſa myſterium eſt mortis Chriſti. Per peccatum namq; imaginẽ noſtrã deleuimus, & idcirco mortis legi addicti ſumus, vt ait Apoſtolus. Faciens enim nos Dominus ad imaginem ſuam,

Gal. 2.

Homo precioſiſſ. omnium creaturarum.

Gen. 2.

Gen. 1.

2. Cor. 7.

Pſal. 29.

Anima cum ſit imago Dei non eſt peccato deformanda.

Matth. 19.

Gal. 5.

nem ſuã, miſertúſque proprij plaſmatis, propter nos factus eſt homo, pro nobis mortem ſuſcepit, vt mortuos A reduceret ad vitam, ex qua propter inobedientiam cecideramus. Aſcendens in crucem voluntate ſua, & peccatum ruinæ noſtræ cauſam cruci affigens captiuam duxit captiuitatem, vt ſcriptum eſt. Aſcendens multum, &c. Quid eſt, captiuam duxit captiuitatem? Ex transgreſſione namque Adæ captiuos omnes nos fecit inimicus, & ſubiectos habuit. Vnde egredientes animæ ex corporibus hominum, inferna petebant; clauſus enim erat paradiſus. Aſcendens igitur Chriſtus in altitudinẽ ſanctæ & viuificæ crucis à captiuitate in quam nos hoſtis duxerat ob tranſgreſſionem, liberauit per ſanguinẽ ſuum, & iterum nos ex manibus inimici traxit, & ſuperauit eiicientem & captiuos facientem nos: & hinc dicitur: captiuam duxit captiuitatem. Hæc eſt virtus myſterij, propter hoc pro nobis mortuus Chriſtus, vt nos B mortuos reduceret ad vitam. Erepti ſumus igitur ab inferis ob Chriſti humanitatem, & in noſtra manu eſt redire ad paradiſum, non enim vſque adeò tyrannidem exercet hoſtis vt antea, neque nos ſub ea qua primum ſeruitute habet. Reliquum igitur eſt fratres, vt caueamus & cuſtodiamus noſipſos, ne rurſus in peccati ruinam decidamus, vt enim vobis ſæpius dixi peccati actio ſeruos nos facit, & ſponte noſtra ſeruituti huic ſubiicimur. An non pudet nos noſtri, non miſeremur nobis, vt extracti ab inferis per ſanguinẽ Chriſti, rurſum relabamur & reiiciamus noſipſos in infernum? An non ita digni videmur maiore ſupplicio & pœna. Deus clemẽs miſereatur noſtri, & det nobis ſtudium intelligendi & opem ferendi nobiſipſis, ita vt paulum quid miſericor- C diæ mereamur ab eo inuenire.

Eph. 4.

Dia' oli ty. rannis.

EXPOSITIO IN VERBA DIVI GREGORII DECANTATA IN SANctos Martyres, *Doctrina* XXIII.

BONVM eſt ſemper aliquid decantare ex ſermonibus ſanctorum patrum: In his enim ſẽper eorum ſtudium fuit nos edocere & erudite quæcunque extenderentur ad lumen animarum noſtrarum. Quare debemus & nos parati eſſe ex ipſis ſermonibus virtutem elicere quæ memoriam noſtram mentémque perficiat. Atque hoc maximè faciendum eſt cum Dominica ſolennitas, vel ſanctorum D martyrum, vel quæcunque dies ſancta fuerit & præclara. Ita vt pſalmodiæ ſtudium & curam adhibeamus, & mentem tamen non diuertamus a virtute ſanctorũ verborum, vt ſcilicet & os & cor pariter pſallant. Didicimus igitur ex primo Pſalmo quædam pro capacitate ingenij noſtri de ſancto paſchate. Videamus etiam nunc quid docere nos geſtiat diuus Gregorius de ſactis martyribus, ait enim. Sacrificia viuentia, holocauſtomata rationabilia. Quid eſt ſacrificia viuentia? Sacrificium dicitur quicquid ſacrum Deo libatur. Subiice veruecẽ, vel bouem, vel aliud quid ſimile.

Quomodo pſallendum.

Sacrificium quid.

Quid autem ait de ſanctis martyribus ſacrificia viuẽtia? Aries doctus ad ſacrificium iugulatur primum& interficitur, poſtea diuiditur & in fruſta conciditur, atq; ita immolatur Deo. Sancti autem martyres viuentes E conciderunt, carnes ſuas, excoriati, ſecti, cruciati, multis laboribus & tormentis afflicti. Quorum aliis tortores manus abſciderunt, aliis linguam extraxerunt, aliis oculos effoderunt, aliis latera diſſuerunt, ita vt ordinem & harmoniam inteſtiorum ſuorum poſſent cernere. Quæ omnia & viuentes & habẽtes adhuc in corporibus animas patiebantur. Quare optima ſacrificia viuentia appellati ſunt: holocauſtomata vero rationabilia quare dicta ſunt? Sacrificij genus aliud eſt quod vocant, cum ſcilicet totum arietem non offerunt, ſed primitias eius, vt dicitur in lege brachium dextrũ, & fibras, & duos renes, & his ſimilia. Holocauſtum autẽ eſt cũ totus aries, vel bos, vel quicquid offertur: omnino exuritur. Vt præcipitur in lege; caput cum pedibus & inteſtinis combu- A reretis. Ita peragebãt ſacrificia & holocauſta filij Iſrael ſecundum legem. Digna erant ſacrificia illa & holocauſta animarum ſalutem quærentium, & ſeſe offerentiũ Deo, de quibus etiam ego nunc vobis pauca quædam referabo, vt cum ea legeritis & cogitationes veſtras in illa intenderitis, foueatis animas veſtras. Brachiũ de quo prædiximus, interpretati ſunt maiores noſtri actiones eſſe. Accipiamus autem & pro eadem re manum, vt ſolemus dicere, brachium virtutem eſſe manus. Obtulerunt igitur virtutem manus dextræ hoc eſt bonorum operum, dextram enim pro bono accipiunt, & alia omnia quæcunque diximus, fibras renes duos abdomen eorum, lũbos, ſexum, crurũ, cor, pectuſculum, ſigna erant hęc omnia, vt enim ait etiam Apoſtolus: In figura hæc omnia contingebant illis, & ſcripta ſunt ad doctrinam noſtrã.

Leuit. 3. Holocauſtum.

Leuit. 6.

1. Cor. 10.

B Et hoc quo pacto dicam? anima noſtra (vt ait hic diuus Gregorius) in tres partes diuiſa eſt, in appetibilem, iraſcibilem, & rationabilem. Obtulerunt igitur fibras. Epar interpretantur appetitum, fibra autẽ epatis eſt ſummum ipſius epatis. Obtulerunt igitur in figura ſummitatem appetibilis partis, hoc eſt primitias eius, partem ſanè optimam & magis pretioſam ipſius: Quod ſignificat nihil ante Deum eſſe diligendum. Neque ex omnibus appetibilibus ante Deum appetendum eſſe. Dicimus etiam quòd partes magis precioſas obtulere, quales renes, lumbos, abdomen, & crurum pinguedinem, quæ omnia excellentiam quandam ſignificant, in his enim dicunt eſſe appetitum. Hæc igitur ſigna ſunt partis appetibilis. Iraſcibilis autem ſignum dicunt cor, in eo C enim iram eſſe autumant, & hoc affirmant à Baſilio, cùm iram ita definit: Ira eſt ebullitio ſanguinis circa cor. Pectuſculum autem ſignum eſt rationalis, nam pectus rationem ſignificare aiunt, inducentes Moyſen cum Aaron fratrem indueret ſacerdotale indumentum, pectori eius rationale, vt iuſſerat Dominus, appoſuiſſe. Hæc igitur omnia, vt diximus, ſigna ſunt animæ quæ ſe per bona opera purgat, & redit ad propriam naturam. Nam, vt ait Euagrius, rationalis anima tunc agit ſecundum naturam, cùm pars eius appetibilis virtutes appetit, iraſcibilis ad eas acquirendas pugnat, rationabilis contemplatur & aduertit quæ facta ſunt. Cum ergo offerebatur vel bos vel ouis, vel aliud quippiam ſimile in ſacrificium, accipiebant illud filij Iſrael ex manibus offerẽtis, & imponebant ſuper altare in cõſpectu Domini, idque D ſacrificium dicebatur. Holocauſtum autem totũ ex toto offerebant, & illud omnino comburebant, & ita, vt diximus, ſaluum, integrum, & perfectum erat, ad perfectorum hominum ſignum qui dixerunt: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Ad quam perfectionẽ hortabatur illum Dominus, qui præcepta decalogi ſeruaſſe ſe ab adoleſcentia ſua reſpondit, cum dixit ei: Vnũ tibi deeſt, vt ſcilicet tollas crucem tuam & ſequaris me. Sic igitur ſancti martyres totos ſeſe Deo obtulere, neq; ſolum ſeipſos, ſed & quæ ipſorum fuerant & quæ circa ipſos. Aliud enim nos ſumus (vt ait Baſilius) aliud noſtra, aliud quæ circa nos. Nos ſumus mens & anima, noſtrum eſt corpus, circa nos ſunt poſſeſſiones & alia huiuſcemodi. Obtulerunt ergo ſeſe primùm ſancti Deo, E toto corde, tota anima, tota virtute, vt ſcriptum eſt: Diliges Dominũ Deũ tuũ, toto corde tuo, tota mente, tota anima tua. Non ſolum enim filios, vxores, gloriã, pecunias, & cæteram omnem ſubſtantiam contempſerunt, ſed & ſua propria corpora tradiderunt. Quare rectè dicuntur holocauſtomata. Rationabilia autem, quia rationale animal eſt homo, & ſacrificiũ perfectum Deo.

Myſteria ſacrificiorum Iſraeliticorũ.

Holocauſtum

Matth. 9.

Ibidem.

Exod. 10.

Sequitur. Deum cognoſcentes, & à Deo cognitas oues. Quo pacto Deum cognoſcentes? Oſtendit hoc Dominus dicens: Oues meæ vocem meam audiunt: hoc eſt, ſermonibus meis parent, præcepta mea cuſtodiunt & ex his cognoſcunt me. Per obſeruantiam enim præceptorum appropinquant Deo ſancti, & quanto magis illi appropinquant, tantò

Ioh. 10.

magis cognoſcunt, & ab eo cognoſcuntur. Dominus enim omnia nouit, & profunda & occulta, & etiam quæ nondum ſunt. Cognoſci autem dicuntur ab eo per obſeruantiam præceptorum, vt diximus, ea ſimilitudine qua quis ignorare & ignorari ab aliquo dicitur per elongationem, & per appropinquationem ſciri & cognoſci: Iuxta quod dicitur Deum ignorare peccatores, quoniam longè fiant ab eo per peccatum. De quib. ait dominus in Euangelio: Amen amē dico vobis, neſcio vos. Sequitur: Quarum mandra lupis eſt inuia.

Matth. 25.

Mandra dicitur locus circumſeptus, huc congregat paſtor oues, & cuſtodiam illarum agit, ne rapiantur à lupis, vel abigantur à furibus. Quod ſi aliqua ea parte mandra fragilis fuerit & debilis, facilè peruia fit inſidiis tam luporum, quàm furum. Mandra igitur ſanctorum munita eſt vndique, tuta & obſeruata, vt ait dominus, vbi fures non effodiunt, neque quicquam nocens afferre poſſunt. Oremus fratres dominum, vt & nos illis pariter corregnemus, pariter congaudeamus in loco deliciarum & ſanctæ quietis. Niſi enim in eorum ſtatum & perfectionem peruenerimus, haud vnquam digni erimus eorum gloria. At vtinam à paradiſo non cadamus, quod ſanè minimè continget, ſi vigilauerimus, ſi ſtudioſi fuerimus, ſi nosipſos coëgerimus. Vt enim ait Climachus: quiſquis coronam optat conſequi, ſtudeat atque operam det, vt ſit apud coronatos. Vt enim in palatio magni ſunt ac ſplendidi magiſtratus, finge ſenatum, patricios, magiſtros equitum, præfectos, ſilentiarios qui omnes magiſtratus venerabiles ſunt. Et alij quoque in eodem palatio ſunt militiam agentes paruo ære & modico ſtipendio, & tamen ipſi quoque militare dicuntur regi, & quamuis ſummorum illorum gloriam non habeant, & ipſi tamen in palatio ſunt. Contingit autem plerunque vt & ipſi ſenſim proficientes cōſequantur magiſtratus illos magnos & ſplēdidos, & eandem gloriam adipiſcantur. Ita & nos operam demus, vt à peccato immunes omnes omnino ſimus, quò gehenna repulſa, liberum aditum in paradiſum Chriſti clementia & miſericordia, & ſanctorum precibus habeamus.

De compoſitione Monachi,

DOCTRINA IIII.

HÆC eſt modeſta & grata neo compoſitio. Primùm non circumferre huc & illuc oculos, ſed quæ ante te ſunt ſolum intueri, neque vana & ocioſa loqui, ſed tantum neceſſaria. Veſtibus ita modicis vti, quæ ad corporis neceſſitatem ſint, & cibis, qui corpus conſolident, non gulam prouocent. Nihil diſcernere, de omnibus indifferenter degustare. Non cibo hos vt viles reiicere, illos vt delicatos eligere, ſéque his ad vomitum ingurgitare: maior quacunque virtute diſcretio eſt. Vino ne vtere extra ſymbolum, vel infirmitatis aut imbecillitatis gratia. Ne interrumpas ſermonem altero loquente, neque vt rudis & indoctus reſpondeas, ſed vt ſapiens. Stabilis & firmus ſis, & vbicunque locorum fueris, miniſtrum & ſeruum te puta fratrum tuorum. Ne denudaueris præſente aliquo vllum membrorum tuorum, neque appropinques corpori alicuius abſque manifeſta & ſumma neceſſitate, aut permittas alium tibi appropinquare abſque rationabili cauſa. Fuge præſumptionem tanquam mortem. Sobrius & modeſtus eſto. In ſomno ne longe fiat à te virtus quæ tibi circumuigilat. Vbi autem cubes, nemo (ſi fieri poteſt) vel ſciat vel videat. Ne capuas vel excrees ante aliquem. Quod ſi te tuſſis inuaſerit ſedentem ad menſam verte faciem tuam retrorſom, & cum omni modeſtia expue. Comede & bibe vt decet ſeruos Dei. Ne extendas manum impudēter, vt capias quod ante fratrem tuum eſt. Si ſederit tecum hoſpes, inuita illum ſemel & iterum ad comedendum. Compoſitæ menſæ aſſideas modeſtè, & contractè, non confuſè. Nullum membrorum tuorum enuda, cum æſtuas & cales. Cum oſcitas, caue os tuum quiſquam videat, comprimente autem te ſpiritum tuum illico pertranſiet. Cum ingredieris cellam præpoſiti vel amici vel diſcipuli tui, caue quippiam curioſius inſpicias earum rerum quæ in illa fuerint. Qui enim in his impudenter ſe habet, mentitur monaſticum habitum & Chriſtum qui habitum huiuſcemodi nobis gratificatus eſt. Cum modeſtia & ſine ſtrepitu aperi & claude oſtia vel tua vel amici tui. Ne tumultuariè ingrediaris ad quenquam, ſed priùs exterius pulſans, cum vocatus fueris ingredere. Ne ſtudeas in inceſſu tuo abſque neceſſaria cauſa. Cunctis pare in omni opere bono, non tamen diuitibus, locupletibus & ſæcularibus multum adhæſeris, ne fiat opus diabolicum. Cum manſuetudine omnibus loquere, & cum modeſtia homines intuere & cōtemplare, ne videaris faciem alicuius non cernere, ſed haurire oculis tuis. Cum ambulas in via, ne præoccupes aut præcedas maiores tuos, quòd ſi tuum erit præcedere, præſtolare ſocium tuum, neque multum velis eum antire. Qui enim hoc non egerit, inſipiens iudicabitur, & ſimilis porco exlegi. Si locutus fuerit ſocius tuus cum occurſantibus amicis in via, expecta eum libenter, neque compelle. Sanus ægro dicat ante tempus, comedamus. Ne reprehenderis vllum aliquando peccantem vel labentem in aliquo, ſed te ſemper ſuſpectum habeto, & lapſus illius te cauſam puta. Omne opus vile adeas libenter & cum humilitate. Si coactus fueris ridere, riſus tuus careat dentibus. Si compulſus fueris mulieribus congredi, auerte faciem tuam à conſpectu earum, & ſic loquere. Ab impudicis fuge tanquam ab igne & laqueo diaboli, & caue illas vſquam obuias habeas, alloquaris, aut aſpicias, ne cor tuum luto paſſionum deturbetur: etiamſi ſorores tibi fuerint, eas vt ignotas declina. Cognatis & affinibus tuis ne admodum commiſceatis, ne refrigeſcat cor tuum à charitate Dei, adoleſcentularum colloquia & conſuetudinem fuge, vt amicitiam diaboli. Vnicum habeto ſocium, verum amicum Deum timentem, qui cum loquaris, & conſueſcas, quique in domo inops ſit & tenuis, in myſteriis autem Dei diues & plenus. Secreta tua, bella animi, & quoſcunque actus tuos apud omnes cela. Ante nullum ſedeas niſi compulſus,

Curioſitas fugienda.

Modeſtia in oſtiis claudendis, ingreſſu, inceſſu, & ſermone.

Non tollit fraternam correctionem, ſed ſuperbā exprobrationem in fratrē peccantem.

Correptio fraterna.

Decorum in viſu & congreſſu mulierum.

Amici delectus.

Cum modeſtia egredere ad neceſſarios vſus neceſſariè. Venerare cuſtodem tui Angelum in omnibus actibus tuis. Cum timore Dei omnia perfice, téque ad orationem, meditationem, & contemplationem ſæpe compelle. Melius tibi eſt mortiferam æruginem manducare, quam cum muliere comedere, etiamſi mater, ſi ſoror tua ſit. Melius tibi eſt cohabitare ſerpenti, quàm cum ſcorto conſedere, etiam ſi tibi ſoror fuerit ſecundum carnem. Si à ſuperioribus tuis cum in itinere es, inuitatus fueris ad pſallendum, ne recuſa parere: quòd ſi nihil didiceris, lingua tace, corde tamen Dominum glorifica. Ne contendas cum vllo de re aliqua, ne facias turbationes, ne mentiaris, ne iures in nei nomine. Cōtemne teipſum, non alium, teipſum iniuria affice, non alium. Melius eſt omnia corporea perire cum corpore, quàm in te quauis minima lædi animam. Ne contende in iudicio cum aliquo, ſed adiudicatus patientiam habe, etiam ſi non meritus ſis id iudicium. Nihil in te diligas, quod priſtinum hominem redolcat. Subiicere ſuperioribus & ducibus tuis, & illorum nimiam conſuetudinem vita, eſt enim laqueus negligentes & deſides in perditionem inducens. O guloſe qui ventrem tuum ingurgitare ſtudes, melius tibi eſſet carbones ignis deuorare, vel parellas & ſtiaorias deglutire, quàm ita ventrem enutrire. In omnes miſericors eſto, abſtractus autem ab omnibus. A multiloquio abſtine, hoc enim extinguit cordi aduenientes cogitationes rationabiles, & cœleſtes. Caue dogmatizare cum alumnis prælatis Eccleſiæ, & cum alienigenis, & præſertim in

Contemplatio frequens.

Mulierum conuictus.

Contentiones.

Lites fugiendæ.

Obedientia.

Contra gulam.

Multiloquiū.

In veſtitu.

Monachi decorū in aſpectu.

Decorum in menſa.

Litigioſi & ſuperbi fugiendi.

tim in publico. Si quos videris inter ſe verbis altercantes & ira percitos, tranſeas, ne cor tuum quoque ira impleatur, & dominentur cordi tuo erroris tenebræ. Cum ſuperbo ne eas, ne Spiritus ſancti actio tollatur ab anima tua, & fias habitaculum omnis prauæ & immundæ paſſionis. Hæc præcepta, ſi cuſtodieris ô homo, téque ſemper exercueris in Dei meditatione ſyncere & abſque fictione: apparebit in tua anima lumen Chriſti, quod in æternum non extinguetur. Ipſi gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Prouidentia.

EIVSDEM AD FRATREM TENTATIONIBVS OPPRESSVM.

Oratio in tentationibus.

PRIMO quidem fili, neſcimus Dei diſpenſationem: & debemus ei permittere gubernationem noſtri, quod nunc præcipuè facere debemus. Si enim velis humanis rationibus ea quæ contingunt, iudicare, & non potius in Deum reiicere curam tuam, laborabis valde. Oportet igitur, cùm contrarij impetus tibi ſubeunt opprimentes te, ad Deũ clamare: Domine ſicut vis & ſicut noſti, guberna negociũ. Multa enim prouidentia Dei præterquam putamus aut ſperamus facit: & res aliter ſperatæ experientia aliter inueniuntur, & omnino non humanis conſiliis ſolent, vt dixi, ſuperari diaboli inſidiæ. Abbas paſtor hæc ſciens dixit homini in tentationibus exiſtenti dictum eſſe: Ne de craſtino ſolicitus ſit. Crede igitur vera eſſe hæc fili, dimitte proprias cogitationes, etiamſi prudentes ſint, & tene ſpem in Deum qui abundanter facit quæ petimus aut cogitamus. Potuiſſem omnibus quæ dixiſti, reſpondere: ſed nolo tecum pugnare, immò nec mecum: ſed tantùm viam ad ſpem in Deum demonſtrare. Illa enim ſine ſolicitudine & tranquilla eſt, Dominus ſit tecum.

Act. 14.

AD EVNDEM.

Tentationes quomodo perferendæ. Matth. 8.

REcordare fili eius qui dixit, quòd per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum cœlorum, non adiiciens per has aut illas, ſed dicens indefinitè, per multas. Et tu igitur ſufferas, quæ incidunt, cum gratiarum actione in ſcientia, tanquam iucunda, ſi habes peccatum: ſin minus, tanquam purgantia te ab affectibus, aut præparantia regnum cœlorum. Deus amans hominum & animarum, & qui imperauit vento & mari, & fecit tranquillitatem magnam, imperabit etiam tuis tẽtationibus fili, & det tibi magnitudinem animi, vt videre poſſis malitiam hoſtis Amen.

EIVSDEM AD FRATREM QVI IN DIVTVRNVM MORBVM ET VARIA ACCIDENTIA INCIDERAT.

HOrtor fili vt toleres & gratias agas ob ea quæ in morbo accidunt tibi, ſecundum eum qui dixit: Omnia quæ accidunt tibi tanquam bona ſuſcipe, vt ſcopus prouidentiæ ad beneplacitum ipſius conſummetur in te, fili mi. Virili igitur animo ſis & corroborare in Domino, & in voluntate erga te, Dominus ſit tecum.

EIVSDEM AD FRATREM IN TENTATIONE EXISTENTEM.

Philip. 4.

PAX in Chriſto frater. Vince animum tuum, quia tu omnino occaſionem dediſti tentationi tuæ: & ſi nunc quidem cauſam non intelligis, accuſa teipſum & ſuſtine & ora. Et crede in miſericordiam boni Domini Chriſti, quod tollat tentationem. Dixit enim Apoſtolus: Pax Chriſti, quæ excedit omnem intellectum, cuſtodiet corda veſtra.

AD EVNDEM.

Orandum in tentationibus.

QVemadmodum corpora vmbra: ſic præcepta tentationes ſequuntur. Nemo enim, vt Antonius inquit, ſine tentationibus intrabit in regnum cœlorum. Noli igitur mirari fili, ſi tibi de ſalute tua conſulimus, tentationes habes & afflictiones: ſuſtine forti animo & precare, gratias agens quod dignus reputaris ad exercitia & probationem, tentari in anima tua propter præceptum. Bonus Dominus dabit tibi reſipiſcentiam tempore tentationis & tolerantiam.

Ezech. 18.

AD EVNDEM.

Matth. 9. Luc. 5. Pſal. 54.

BONI & amantiſſimi Dei figmentum & opus ſumus, qui dixit. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: Et iterum. Non veni vocare iuſtum, ſed peccatores ad pœnitentiam. Si igitur ita ſe habet, ita & credamus: iaciamus Dominum curam noſtram & ipſe enutriet nos & ſaluabit. Ipſi enim curæ ſumus nos, qui cor tuum conſoletur precibus ſanctorum, Amen.

Matth. 6.

AD EVNDEM.

BENE Abbas Paſtor intellexit illud: Ne quis curet de craſtino, de homine dictum eſſe qui tentetur. Eiuſdem generis eſt illud: iacta curam tuam in Dominum. Relinque igitur cogitationes humanas & prebende in Deum ſpem, facientem multa præter quam cogitamus & trãquillum te reddet ſpes in Deum. Deus iuuet te fili precibus ſanctorum. Oportet igitur nos relinquere eiuſmodi cogitationes, ne habeamus curam vitæ craſtinæ.

EIVSDEM AD IMBECILLIOREM QVENDAM FRATREM, VARIA COGITANTEM DE ADMINISTRANTE QUÆ AD IPSIUS VSUM PERTINEBANT.

Dilectio proximi.

IN nomine Ieſu Chriſti. Frater mi, nihil iuris habemus cum charitate vincere & deuorare. Nemo enim dicit proximo, cur non amas me? ſed ipſe faciens amore digna, allicit etiam proximum in amorem. Quod ad neceſſitatem corporis attinet, ſi quis dignus ſit requie, etiam Sarracenorum corda flectet Dominus, vt faciant cum eo miſericordiam iuxta neceſſitatem ipſius. Si verò non eſt dignus, nec conducit ipſi vt in caſtigatione conſolationem accipiat: nouum cœlum & nouam terram ſi faciet, inueniet requiem. Quòd autem dicis graues fratres tuos, apertè iuſtificari vis. Nullus enim cupiens præcepta Dei cuſtodire, proximo cupienti ſaluari, dicit quòd eum grauet. Odio habens irritantes, odit lenitatem: fugiens afflictos, fugit requiem in Chriſto. Deus amator hominum fili, cuſtodiat nos ſua gratia propter preces omnium ſanctorum, Amen.

BEATI ESAIÆ ABBATIS PRÆCEPTA, AD FRATRES QVI CVM IPSO VIVEBANT.

ORATIO PRIMA.

QVI mecum manere vultis, audite, quæſo per Deum. In cella quiſque ſua degat cum timore Dei. Opus manuum veſtrarum propter Dei mandatum ne contemnatis. Curam propriam & orationem aſſiduam ne negligatis. Cor ab alienis cogitationibus cuſtodite, nihil de vllo homine aut negotio huius ſæculi ſolliciti. Semper quærite, quomodo progrediamini, & vos emenderis, cum animi dolore, & lacrymis, & afflictione Deum obſecrantes, vt peccata vobis condonet, & in futurum cuſtodiat vos, ne in eadem rurſum incidatis. Mors vobis quotidie ante oculos verſetur. Ea vos cura ſolicitet, quomodo è corpore exeatis, quomodo poteſtates tenebrarũ euitetis, quæ in aere vobis occurrent. Quomodo coram Deo conſiſtatis in horrendo illo iudicij die, cùm pro cuiuſque opere, & ſermone, & cogitatione merita præmia tribuentur. Omnia enim ſunt nuda, & aperta oculis eius, cui vobis reddenda eſt ratio.

B In menſa & congregatione nihil loquamini, niſi magna vrgente neceſſitate. Pſallentem ne corrigatis, niſi quid ipſe vos roget. Sua ſinguli hebdomada in timore Dei ſic victui neceſſaria reliquis parent, vt ne interim propriam animi curam abiiciant. Nemo in fratris ſui cellam ingrediatur. Ne curetis mutuò vos ante præfinitum tempus conſpicere. Nolite inueſtigare, quæ cæteri opera fecerint, neque vtrum frater plus quam tu, an tu quàm ille, laboratis. Ad opus exeuntes à deſidia & arrogantia cauete. Et vnuſquiſque cum timore Dei attendat ſibi, & operi manuum ſuarum, atque meditationi, & animæ ſuæ in abſcondito. Cùm dimittitur congregatio, aut à menſa conſurgitis, inter vos ne diuinis quidem de rebus colloquentes conſideatis: ſed ſuam quiſque cellam petat, ibique lugeat peccata ſua. Quòd ſi neceſſitas colloquium exiget, pauciſſima cum humilitate & religione,

C tanquam Deo præſente, colloquimini. Nec vlla de re contendite, aut cuipiam detrahite, aut quenquam iudicate, aut ſermone, animòve quempiam contemnite, aut de quoquam mali aliquid ſuſpicamini. Nec mendacium ex ore veſtro egrediatur. Nec loqui, aut audire velitis quicquam, quod non expediat. Malitia in corde veſtro ne reſideat, neque odium neque inuidia aduerſus proximum. Vnum in ore promptum, aliud in animo clauſum ne habeatis. Deus enim non irridetur, ſed omnia tam occulta, quàm manifeſta perſpicit. Cogitationes, & afflictiones, & ſuſpiciones veſtras nolite abſcõdere, ſed eas Abbati veſtro cunctas indicate: & quod ab ipſo auditis, id cum fide perficite. Cauete, ne mandata mea negligatis, quando mecum viuere decreuiſtis. Si e-

D nim ea ſeruaueritis, ego pro vobis Deo rationem reddã, ſin ea non ſeruaueritis, à vobis & de negligentia veſtra, & de inertia mea ratio repetetur. Qui mandata mea cuſtodierit, tam in occulto, quàm in manifeſto, Dominus Deus cuſtodiet ipſum ab omni malo, & proteget eũ in omni tentatione tam occulta, quàm manifeſta. Hortor vos fratres mei, vt conſideretis, cur è mundo receſſeritis. Salutis veſtræ curam agite, ne renunciatio veſtra inanis ſit, & in conſpectu Dei, & Sanctorum eius, qui propter ipſum mundo renunciauerunt, afflictique ſunt, erubeſcatis. In eo virtutem ſitam exiſtimate, ſi à contẽtionibus temperetis, ſi res aduerſas æquo animo patiamini, ſi humilitatem excolatis, ſi omnibus in rebus voluntatem propriam abnegetis, ſi iuſtitiæ veſtræ minimè confidatis; ſed peccata veſtra ſemper ante oculos habeatis. Recreatio mihi credite, & relaxatio, & inanis gloria omnem monachi fructum excutiunt.

Eiuſdem de mente ſecundum naturam.

A

ORATIO II.

NOLO vos ignorare fratres, Deum, cùm in principio hominem feciſſet, eum ſenſibus integris & naturæ congruentibus in paradiſo collocaſſe. Verum poſteaquam audiuit illum, à quo deceptus fuit, omnes eius ſenſus in habitum naturæ contrarium conuerſi ſunt & ipſe è gloria ſua deiectus eſt. At Dominus noſter magna impulſus charitate miſericordiam ſuam erga genus humanum declarauit. Verbum enim caro, id eſt, perfectus homo factum eſt, omnibus in rebus nobis ſimile, excepto peccato, vt per ſanctum corpus ſuum nos in priſtinum naturæ ſtatum reuocaret. Homini enim oſtendens miſericordiam ſuam reduxit eũ in paradiſum, Sic enim eos, qui eius ſequi veſtigia, & mandatis, quæ nobis dedit, obedire volunt, excitauit, vt eos vincere

B valeant, qui nos è gloria noſtra deiecerunt. Tradidit etiam nobis ſanctam Dei colendi rationem, legémque puram, vt in illum naturæ ſtatum homo reuertatur, in quo fuerat à Deo conſtitutus. Proinde qui vult illuc redire, is omnes carnis ſuæ amputet voluntates, vt mẽtem ſuam in ſtatum priſtinum redigat. Eſt deſiderium naturæ conueniens, ſine quo nec charitas in Deum cõſiſtit. Idcircò Daniel vocatus eſt vir deſideriorum. Deſiderium hoc inimicus in fœdam mutauit cupiditatem, vt omnes immunditias concupiſcamus. Eſt animi æmulatio naturæ congruens, ſine qua non licet in Deum progredi. Idcircò æmulamini, inquit Apoſtolus, dona præſtantiora. Diuina hæc æmulatio deflexit è ſtatu naturali, vt mutuis nos æmulationibus & inuidia & mendacus oppugnemus. Eſt mentis ira à naturæ ratione mi-

C nimè aliena, ſine qua caſtitas homini non conſtat, hoc eſt, niſi aduerſus ſemina quæ ab inimico in nos ſpargũtur, iraſcamur. Quemadmodum Phinees filius Eleazar, Num. 25.
eiuſmodi ira commotus hominem ſimul cum fœmina confodit, & ira Domini à populo ſuo receſſit. Hæc nobis ira eo conuerſa eſt, vt proximis noſtris de rebus qui- 3. Reg. 18.
buſlibet ſtultis, & inutilibus iraſcamur. Eſt odium animi ſecundum naturam, quo Elias inuento omnes turpitudinis prophetas interfecit. Eodem & Samuel in Agag
Regem Amalech exarſit. Sine hoc in aduerſarium o- 1. Reg. 15.
dio, animi gloria non declaratur. Verùm hoc nobis odium contra naturam conuerſum eſt, & ideò proximũ
odimus, atque deſpicimus, & virtutes omnes inſecta- Iob. 30.
mur. Eſt animi elatio in hoſtes minimè naturæ contraria, quam Iob cum inueniſſet, inimicis ſuis conuitium

D fecit: Homines, inquiens, ſordidi, & abiecti, atque indigentes omni bono, quos indignos exiſtimaui ponere cum canibus gregis mei. Hæc nos animi ſublimitas defecit aduerſus inimicos, & humiliati ſumus inimicis noſtris, cum proximis autem ſuperbè contendimus, & nos præ illis iuſtos exiſtimamus. Qua quidẽ ſuperbia Deus nobis inimicus efficitur. Eiuſmodi animi affectiones cũ homine creatæ ſunt, quas ille, cùm ex arbore vetita comediſſet, in turpia vitia cõmutauit, Hæc nos fratres chariſſimi, ex animis noſtris deleamus, & colamus ea, quæ nobis in ſacto corpore ſuo Dominus noſter Ieſus Chriſtus oſtendit. Sanctus ille eſt, & in ſanctis habitat. Attẽdamus nobis ipſis & operã demus, vt Deo pro viribus placeamus, bonis operib. incũbentes. Omnia ſtudia & curas noſtras põderemus, ad rectámq; naturæ rationem ac normã redigamus, vt inueniamus miſericordiã in die tẽtationis, quæ orbi imminet vniuerſo. Dei benignitate ſẽper indigemus, quæ infirmitati noſtræ ferat auxiliũ, &

liberet

liberet nos ab inimicis noſtris, quoniam eius eſt poten-
A tiam, & auxilium, & imperium in ſæcula ſæculorum,
Amen.

Ad Fratres iuniores inſtitutio.

ORATIO III.

HVmilitas in primis eſt neceſſaria, quod in omni ſer-
mone dicendum eſt. Humilitate enim omnes ad-
uerſarij artes ſuperantur. Omnia quæ tibi agenda ſunt
diligenter expende, vt in verbis tuis conſtans inuenia-
ris. Serua grauitatem in vultu, erga hoſpites vtere man-
ſuetudine, vt Dei timor tecum habitet. Si cum fratribus
iter ſuſceperis, ita te confirma, vt taceas. In itinere mēs
in partes varias ne diſtrahatur: ſed tecum ipſe meditare,
B aut Deo funde preces in corde tuo. Vbicunque diuer-
teris, arrogantiam vita, & omnibus in rebus modeſtum
ac verecundum te præbe. Ad id quod tibi appoſitum
fuerit, ſic manum extendito, tanquam edere coactus ſis.
Si iunior es, ne audeas corpori alterius manum adhibe-
re. Quo in loco tibi eſt dormiendum, pallio te atque
alium ne cooperueris. Antequam te cubitum conferas,
multas funde preces in corde tuo. Si de via feſſus oleo
paululum vngi volueris propter itineris laborem, pedes
tuos tātùm ſic vngi permitte, vt eos teregi verearis. To-
tum verò corpus vngi ne permiſeris, niſi neceſſitas, aut
morbus impellat. Si ad te in cella tua commorantem
frater peregrinus acceſſerit, idem illi officium exhibeto,
oleóque pedes eius inungito, ac dicito charitatis gratia,
Frater, ſuſcipe parum olei, & corpus tuum cura. Quòd
C ſi cum quiete noluerit accipere, moleſtus illi ne eſto. At
ſi ſenex erit exercitatus, coge ipſum, vt totum ſe vngi
permittat. Si ad menſam cum fratribus iunioribus diſ-
cubueris, ne dixeris animo tuo, comede. Sed peccata
tua tibi in mentem reuoca, ne comedas cum voluptate.
Manum tuam ante te ſolùm protende. Si quid autē ante
alium poſitum eſt, ad id manum iniicias caue. Pallium
contegat pedes tuos. Genua tua ſint inter ſe coniuncta.
Sin hoſpites fuerint, qui veſcuntur, hilari vultu neceſ-
ſaria illius ſubminiſtra. Et cum edere deſierint, dic illis
iterum, ac tertiò: Comedite adhuc, obſecro vos, pau-
xillum. Inter veſcendum oculos tuos in proximum ne
conieceris, néve reſpexeris huc & illuc, neq; verba ſtul-
ta protuleris. Ad nihil quod velis, manum extende, niſi
D prius dicas: Benedicite. Cum aquam bibis, guttur tuum
ne ſinas ſonum edere, vt ſolent homines vulgares. Si in
fratrum conſeſſu pituita tibi moleſta fuerit, eam in eo-
rum conſpectu ne proiice, ſed foras egredere, ibique te
expurga. Ne corpus tuum expone, vt ab hominibus vi-
deatur. Si oſcitandi te cupiditas inuaſerit, os clauſum
cōtine, & abs te fugiet. Ne aperueris os tuum vt rideas.
Eſt enim id animi ſolutioris. Si proximi tui aut veſtē, aut
zonam, aut cucullam, aut aliud quippiam videris, id ne
concupiſcas. Neque ſimilia tibi ipſe conficiens, tuæ in-
dulgeas cupiditati. Si librum tibi ipſe compegeris, in eo
ne elabores exornando. Eſt enim vitium puerile. Si ali-
qua in re erraueris mendacio, ne tegas errorem tuum,
ſed pœnitentiam agens veniam pete, & error ibi remit-
tetur. Si quis te durius compellarit, ne extollas aduer-
E ſus illum cor tuum, ſed operam da, vt illi ſatisfacias, an-
tequam animus tuus indignetur: ira enim ex ſtudio pro-
uenit. Si aliqua in re vel iure, vel iniuria ab aliquo repre-
henſus fueris, ne perturberis, ſed pœnitentiā age: Ignoſ-
ce, inquiens, mihi, non faciam amplius. His enim ratio-
nibus ſtudio pietatis adoleſcentia proficit. Cum aliquid
manibus tuis operaris, in timore Dei diligentiam adhi-
be, ne, ſi negligens ſis, ignorantia pecces. Cum opus a-
liquod diſcis, magiſtrum conſule, & ne erubeſce ſæpius
illum orare, vt pro charitate videat, rectè ne illud ſe ha-
beat, nec ne. Si te in opere occupatum vocauerit frater
tuus, ſedulò vide, quid velit & opere tuo intermiſſo, il-
lum adiuua. Cum è menſura ſurgis, in cellam tuam in-
gredere, & precibus incumbe, nec cum illis conſide, qui

tibi non proſunt, Quòd ſi de Deo ſenes colloquantur.
Abbatem tuum roga, vtrum tibi audiendum ſit, an eun-
dum ad cellam, & quod ille dixerit, facito: Si te aliquò
miſerit, roga, vt te diuerti velit, & quæ tibi mādata det,
diligenter animaduerte, ne plus minúſve facias. Quæ
foris audiueris, ea reuertens nemini dixeris. Si aures tuas
cuſtodieris, lingua tua non peccabit. Si rem aliquam
vis, & eam is quo cum habitas nollet, remitte illi volun-
tatem tuam ne contentio oboriatur, néve frater tuus
triſtitia afficiatur. Hoſpitio ſuſceptus à fratre tuo, ne-
quid illi, vt peregrinus præcipias, neu velis ipſe præeſſe.
In eorum ſermones, quibuſcum habitas, ne te vt ſocium
& parem intrudas. Si quid tibi commiſerint, quod ipſo
nolis, pugna cum voluntate tua quoad ipſam ſuperet,
ne affligas eos, & modeſtiam amittas tuam, & quietam
ipſorum conſuetudinem perturbes. Si frater quo cum
habitas, aliquid ſibi vt proſpicias, abs te petierit, quod
poſſis, id facito cum timore Dei. Si quod opus faciē-
dum eſt, omnes qui ſimul viuitis, manum admouete:
nemo corpori ſuo parcat, ne aliorum conſcientia per-
turbetur. Cùm manè ſurgis, quotidie priuſquam ad o-
pus te conferas, quæ Dei ſunt, meditare. Tum ſeu ſpor-
tula, ſeu vas, ſeu quid aliud faciendum eſt, id impigrè cū
diligentia facito. Si quid eſt, quod lucrum afferat, fra-
trem adhibe ſocium, & ne illi inuideas. Si opus eſt ali-
quod paruum, & vnus alteri dixerit, Recede frater, o-
perare, ego ſolus hoc faciā: pare: qui enim paret is ma-
gnus eſt. Si ad te frater peregrinus accedit, læta ipſum
facie ſaluta, atque complectere, & quam geſtat ſarcinā,
cum gaudio ipſe ſuſcipe. Et in eius diſceſſu rurſum idē
facito. Salutatio autem tua ſit cum manſuetudine & ti-
more Dei, ne offendatur. Caue, ne illum de rebus inu-
tilibus interroges, ſed eum ad orationē inuita. Et poſt-
eaquàm ſederit, quomodo ſe habeat quære, & nihil am-
plius, ſed libellum ei aliquem legendum præbe. Sin feſ-
ſus fuerit de via, fac vt quieſcat, & pedes eius laua. Si
verba protulerit non conuenientia, mone ipſum cum
charitate. Ignoſce, inquiens, mihi: infirmus ſum, & iſt-
hæc ferre nō poſſum. Si pauper eſt, & ſordida habet ve-
ſtimēta, ea tu ablue. Si vagus eſt & circulator, & aliquos
apud te fideles habes, eum in conſpectum eorum ne ad-
ducito, ſed miſericordiam in illum oſtendito cum Dei
charitate. Sin frater eſt, & propter Deū quærit apud te
hoſpitari, ne auertas faciem tuam ab eo, ſed cum lætitia
illum ſuſcipe, & cum fidelibus qui apud te diuerterunt,
admitte. Si mendicus eſt, vacuū abs te ne dimiſeris, ſed
benedictionis quam tibi Deus dedit aliquid impertire,
vt declares ea quæ habes, non eſſe tua, ſed dona Dei: Si
frater apud te aliquid depoſuerit, illud ne aperias, niſi
ipſe adſit. Si pretioſum aliquid ineſt, dic ei vt id reponat
in manu tua. Si peregrè proficiſcens diuerteris apud ali-
quem, & ille domo egrediatur, & te ſolum relinquat,
oculos tuos ne ſuſtuleris, vt, quæ ibi ſunt, vaſa, & ſuppel-
lectilem aſpicias. Feneſtram aut arcam aut librum ape-
rias caue. Illum autem egredientem ora, vt aliquid tibi
operis committat, id facito diligēter. Incognita ne lau-
daris. Quæ audiueris ea tanquam certa atque perſpecta
ne affirmaueris. Neminem propter habitum contemne.
Si vel aquam hauris, vel aliud quippiam viui neceſſa-
rium agis, ne ſis negligens, ſed à Deo te conſpici re-
cordare. Si in cella tua vacas precationi, caue id fa-
cias negligenter, ne dum vis Deum honorare, eum ad
iracundiam prouoces. Sed ſta in timore Dei: ne te i-
pſum ad parietem inclines: ne ita ſtatuas pedes tuos, vt
in vno ſtes, & alterum tollas, vt ſtulti faciunt. Cor tuum
ita confirma, ne ambules in voluntate tua, vt ſacrifi-
cium tuum Deo ſit gratum. Si pſallitis inter vos, pre-
ces quiſque ſuas perſoluat. Si peregrinus aliquis ad-
eſt, rogate illum cum charitate, vt eo ipſe munere
fungatur, idque illi iterum ac tertiò dicite ſine con-
tentione. In hora ſacrificij reſiſte cogitationibus, vt
ſenſus tuos continens in timore Dei, myſterijs dignus
efficiaris, & Dominus tuas curet ægritudines. Caue,

ne corpus tuom in ſordibos abiectum relinqués ab inani gloria ſeducaris. Qui iunior eſt corpus in omni negligat deformitate: id id enim illi prodeſt. Qui iunior eſt, nunquam pulchrum induat veſtimentum, niſi prius ad virilem ætatem peruenerit: hac enim eget ille medicina, Ad tertium vſq, cyathum, ſi id valetudinis ratio poſtular, vinum bibat. Deutes in riſu nunquam aperiat. Faciem humi præ verecundia demiſſam teneat. Intus cubitum zona ſua præcinctus ſit. Sic aſſueſcat manus, ne intro ferantur. Multa enim haber corpus vitia, quæ perficit animus. In itinere tantùm, non autem in cella ſandalium ferat. Cum ambulat, manus ad zonam inter ſe coniunctas componat, neque illas concutiat, vt ſolent homines ſoluoores. Si cum maioribus iter facit, ne præcedat omnino. Si is, qui maior eſt, conſiſtit, & cum aliquo loquitur, tu ne cootemne, aut conſide: ſed tandiu ſta, quoad ille, quid tibi agendum ſit dicat. Si in ciuitatem, aut vicum proficiſceris, oculi tui deorſum aſpiciát, ne hoſtes tibi in cella ſuſcites. Peregrè proficiſcens ne dormias in cuiuſquam domo vbi cor peccati periculum reformidet. Si aliquo in loco cibum capturus, intelligis ibidem mulierem affuturam, ne conſideas vllo modo. Satius enim eſt, vt eum, qui te inuitauit offendas, quàm vt occultè cor tuum committat adulterium. Ne veſtes quidem mulierum, ſi fieri poteſt aſpicias. Si te mulier iter facientem ſalutauerit, reſponde illi in corde tuo, ſed oculos humi defixos tene. Si cum ſeniore iter facis, ſarcinam, ſi qua ferēda eſt, ne ſinas illum omnino geſtare: Sin æquales eſtis, eam ambo viciſſim geſtate, ita tamen, vt ſemper onuſtus præcedat.

Quid in itinere obſeruandum.

ORATIO IIII.

SI, cum iter facitis eſt aliquis inter vos imbecillior, ſinite illum præire, vt ſi ſedere velit, poſſit. Sin iterū contingit, vt cum iuniores ſitis, vobis primum ad menſam diſcumbendum ſit, vel manus ad patinam admouēda, ſemel id facite, ne ſi ante horam acceſſeritis, perturbemini. Verùm ſi quis nunc primus ingreditur, alius aliàs primus ingrediatur. Si de cogitationibus tuis ſenē interrogas, & cum ad ea, quæ dixeris cuſtodienda fidelem eſſe cognoueris, animum illi tuum liberè patefacito. Si fratris tui peccatum audiueris, id nemini communicatis. Eſt enim mors tua. Si de cogitationibus, quibus oppugnaris, aliqui colloquantur, eos ne cures audire, ne tibi bellum excitetur. Orationi frequenter incumbe. Nam animæ tuæ lux eſt oratio. Quotidie quę peccaueris cogita: etenim ſi pro peccatis tuis deprecaberis, Deus ea tibi condonabit. Si quis coram te loquitur aduerſus fratrem ſuum, caue taceas præ pudore, aut illi aſſentiaris, ne pecces aduerſus Deum, ſed cum humilitate dic, Ignoſce mihi frater, infœlix ego ſum: & hæc, quæ loqueris mea ſunt, & ea ferre non poſſum. Si frater te læſerit, & aliquis de illo coram te malè dixerit, cor tuum cuſtodi, ne malitia in eo renouetur, & peccatorum tuorum in Dei conſpectu reminiſcere, vt ignoſcat tibi. Ne malum pro malo tribuas proximo tuo. Si cum fratribus ignotis tèque minoribus iter facis, eos vt maiores honora. Quod ſi ad amicum tuum diuerteris, eos tibi omnibus in rebus antepone, vt & in mēſa prius diſcumbant, & prius cibis manos admoueant, ne propter te ſuſcepo fuiſſe videantur, ſed contra potius, eos honorans, oſtende te propter illos miſericordiam accepiſſe. Si cum fratre te in viam dederis, & amicus tibi fuerit inuiſendus, cauſam aperi fratri tuo, & dic illi tantiſper vt ſedeat. Quod ſi te amicus, vt comedas, coëgerit, caue ne quid in os tuum ingrediatur, prius quàm aduoces fratrem tuum, vt ſimul quieſcat & recreetur. Si cum pluribus fratribus iter ingreſſus fueris, & pudore detinearis, quominus eos tecum ducas ad amicum tuum, quia multi ſint, caue, ne contemnas eos, & clam relictis illis diſcedas, aut comedas: ſed eos, quid tibi
A agendum ſit, conſule, & quod ipſi dixerint, age. In via autem ne tibi ipſe parcas, ſeruilia reſpuens miniſteria. Peregre proficiſcens ſi apud fratrem diuertere volueris, & ille hoſpitio te ſuſcipere recuſarit, & is poſtea vel in via tibi obuius fuerit, vel ad te diuerterit imprudēs eum benignius humaniúſq; tractato. Si quem tibi acceperis detraxiſſe, & aliquo in loco cōgrediamini, vel ad te ipſe diuerterit, hilarem ac benignum illi pro viribus vultum oſtende, neque illa, audiuiſti, commemorans quære, cur ita locutus ſit: Nam, vt in prouerbiis ſcriptum eſt. Qui memor eſt iniuriarum, iniquus eſt. Si fratres eſtis, & peregre proficiſcentes ad fratrem pauperem diuertitis, ne affligatis eum in rebus neceſſariis, ſed eas vobis emite, vt ei quoque ſatis ſint, hoſpitióque ac
B recto contenti eſtote, quod inueniſtis. Si ſenes aliquos tibi notos inuiſeris, & tecum fuerint alij ſenibus ignoti, ne colloquaris tu cum ſenibus in conſpectu ipſorum, ſed ſinas eos loqui. Si fratres tecum habitant, eorum curam gere diligenter, ſciens te pro ipſis Deo rationem redditurum. Si propter Deum, aliquem in locum receſſit, ne commercium in eas cum incolis illius loci, néve cum illis ſermones conferas, ſatius enim fortè ſit tibi cum illis eſſe, qui ſanguine tibi coniuncti ſunt. Si in montem aſcenderis, vt fratres in monaſteriis inuiſas, apud quem diuerteris maneas, neque ad alium diſcedas, niſi prius roges eum, vtrum velit an non. Quòd ſi noluerit, ne relinquas illum, niſi cum tibi eſt abeundū. Si cellam in qua degas, acceperis, multos tibi amicos ne aſciueris, vnus tibi ſit ſatis propter infirmitatem, & ſuc-
C ceſſus tui fructum ne amittas. Si pauperi benefeceris, ne voces illum ad opus, ne beneficium perdas, quod in eum contuliſti. Si in monaſterium tibi ignotum introieris, vbi tibi manere permittetur, ibi mane, neque aliam in cellam ingredere, niſi accerſaris. Si propinquos reliquiſti, vt propter Deum in ſolitudine degeres, eorum te deſiderio capi ne permiſeris. Si te in cella commorantem patris aut matris commiſeratio ſtimularit, aut fratris, ſororiſve recordatio, aut miſericordia filiorum, aut vxoris deſiderium, tibi ante oculos pone extremum vitæ diem, atque iudicij, in quo tibi eorum nemo laturus eſt auxilium, & eos te reliquiſſe minime pœnitebit. Si in cella tua ſedens memineris alicuius, à quo fueris affectus iniuria, ſurge, & ex toto corde tuo Deum, vt
D illi ignoſcat, deprecare, & vltionis abs te fugiet cogitatio. Si ad percipiendam myſteriorum communionem accedis, omnes tuas cogitationes, obſerua, ne in iudicium eam percipias. Si noctu conſuetudinis imaginatione tentaris, cuſtodi cor tuum, ne interdiu conſideret, qualis ea corporum fuerit imaginatio, atque ita ea cogitatione coinquineris, Deúmq; prouoces ad indignationem, ſed ſupplex ante illum procumbe in toto corde tuo, & axiliabitur tibi. Miſericors enim eſt in hominū infirmitate. Si vacas exercitationi, ea cor tuum ne innitatur atque confidat, ſed cogitationi tuæ dicas, Deus per corporis afflictionem audiet miſeriam meam. Si quis te affecerit contumelia, ne reſpondeas illi, ſed tacitus tecum ipſe conſidera, an vera ſint, quæ audis, & ſi
E vera ſunt, pœnitentiam age, & Deus miſerebitur tui. Si cum fratribus iter faciens, aliquem inter eos nactus fueris, quem in Deo diligas, ne liberius cum illo cæteris videntibus colloquaris, ne fortè ſit inter ipſos infirmus quiſpiam, qui zelo moriatur, & tu peccatum eius ſuſtineas, quoniam ei peccandi occaſionem obtuliſti. Cum ad aliquos diuertis, ne expectes, vt ab illis cum gaudio ſuſcipiaris, vt ſi te ſuſceperint, Deo gratias agas. Si te in cella quieti vacantem morbus inuaſerit, ne concidas animo, ſed age gratias Deo. Si cor ſenſeris conſternatū, dic illi, nònne morbus hic leuior eſt tibi quàm gehēna, in quam, niſi te patienter conſtántérque geris, introibis? atque ita conquieſcet. Si apud fratres diuerteris, & eorū aliquis dixerit, Hic ego quietem non reperio, habitare tecum volo, tu id ei ne permiſeris, ne reliquis ſis offendiculo.

diculo. Sin dixerit: ob rem occultam moritur anima
mea, ei da locum, vt inde abeat, ſed apud te manere ne
permittas.

Cum in cella tua quietem & ſilentium colis, in cibo
modum aliquem ſerua, vt corpus habeat, quæ neceſſaria
ſunt, & ibi in diuino cultu poſſit inſeruire. Nihil autem,
ſeu bonum, ſeu malum ſit, comede cum delectatione, &
guſtus voluptate. Si neceſſitas coget, vt fratres, aut cœ-
nobium inuiſas, corpori tuo nihil, quod ei iucundum
ſit, tribuas ad ſaturitatem, vt libentius ad cellulam re-
uertatur, nec te prodat. Si Dæmones ſuaſerint animo
tuo, vt te ſupra vires exerceas tuas: eos ne audieris. So-
lent enim hominem ad ea, quæ præſtare non poteſt, in-
citare, vt in manus eorum incidat, & ipſi gaudeant. Se-
mel in die comede & corpori, quod ei neceſſarium eſt,
tribue, vt in exercitio tuo pio durare queas. Vigiliæ pru-
denter vaca, nec quietem neceſſariam corpori nega, ſed
cum manſuetudine & conſideratè pietatis ſtudium cō-
plectere, ne nimia vigilia animus perturbetur, & è ſtadio
fugiat. Noctis dimidium pio ſatis eſt exercitio, dimidiū
alterum corporis quieti concedatur. Binas antequam
cubitum eas, orando, pſallendóque horas conſume.
Poſtea quieſce, & cum te Dominus excitauerit, preca-
tionibus diligenter incumbe. Si corpus tuum pigrum
videris, illi dicito: Vis ad breue tempus torpere, & mox
proijci in tenebras exteriores? Si te paululum excitabis,
robur & vires aduenient. Ne ineas cum illis hominibus
amicitiam, qui tibi ſint aliorum etiam hominum fami-
liaritatem conciliaturi, ne tibi nimia celebritas detrimē-
tum afferat. Si in monaſterio es, & ſeruum habes, in quē
imperium exerceas, habitum afficis cōtumelia. Sin eum
vt fratrem diligis, in Deum peccas niſi eum manumittis,
vt liber diſcedat. Quòd ſi velit monachus fieri, ipſe vi-
derit, tu quidem ne permiſeris, vt tecū maneat, id enim
non expedit animæ tuæ. Si in loco celebri corpus tuum
affligis, & idcircò te homines æmulantur & honorant,
eum relinque, & aliò proficiſcere, ne labor tuus inanis
efficiatur. Quòd ſi inanem gloriam ſubegiſti, ne atten-
das, quid homines dicant, aut faciant, ſed omnia refer ad
Dei munificentiam. Si mundo renunciaſti, tibi nihil
omnino reſerua. Si te vagandi cupiditas inuaſerit, cor-
pus in opere manuum tuarum affligе vehementius, vt
in cellula tua cum manſuetudine conquieſcas, & come-
das panem tuum. Si vt opera tua vendas, ad vrbem pro-
ficiſceris, ne de precio contendas, vt ſolent homines ſe-
culares, ſed ea vende cum ſimplicitate, ne cellæ tuæ fru-
ctum amittas. Si cogit neceſſitas, vt aliquid emas aliquā-
do, eme ſine contentione, ne dicas non emam, niſi tan-
ti, ſed da quod petitur ſi habes, ſi non habes, cum ſilentio
diſcede. Quòd ſi te cogitatio ſtimulauerit, dicito, Om-
nino iam factus ſum ſicut omnes ſancti, qui tentati fue-
runt in paupertate, donec eorum propoſitum fidele
Deus inuenit, & eduxit eos in latitudinem. Si apud te
frater aliquid depoſuerit, & eo tibi ſit opus, illud niſi
prius fratrem rogaueris, ne contingito. Si te aliquò pro-
ficiſcentem orauerit frater, ſibi vt aliquid emas, ſi tibi id
emere potes, eme & illi. Sin autem cum alijs viuis, id
præter eorum ſententiam ne feceris, ne tuos offendas
contubernales. Si qua neceſſitate coactus in patriam
proficiſceris, cuſtodi te ab ijs qui ſanguine tibi coniun-
cti ſunt, ne liberius cum ipſis verſeris, ſermonémve con-
feras. Si quid tibi frater commodauerit, illud ne negli-
gas, ſed integrum celeriter reddas. Si inſtrumentum eſt
aliquod operi neceſſarium, ſimul ac opus confeceris,
redde. Quòd ſi abs te fuerit confractum, aut corruptum
refice, aut aliud melius reſtitue. Si quid commodaueris,
aut mutuo dederis fratri tuo pauperi, quod ille nequeat
reddere, ne affligas eum, acerbéve exigas, ſeu pecunia,
ſeu veſtis, ſed quid aliud ſit, quod ei dediſti. Si aliquem
in locum ad habitandum te contuleris, & cellam acce-
peris, & ædificando ſumptum feceris, eámque poſtea
reliqueris, & poſt aliquod tempus reuertens in ea fra-
trem habitantem inueneris, ne expellas eum, ſed aliam
tibi cellam quæras, ne in Deum pecces. Quòd ſi ſponte
A ſua velit diſcedere, innocens eris. Quæ autem in cella
tua reliquiſti, ſi fortè ab eo conſumpta ſunt, ne requiras.
Si à cella tua migraueris, quæ in ea ſunt vſui neceſſaria,
ne tecum exportato, ſed fratri pauperi relinquito, &
Deus tibi vbicunque vixeris, prouidebit. Cogitationes,
quæ te oppugnant, omnes ſeniori patefacere ne erubeſ-
cas, ſi vis leuationis ſolatium inuenire. Dæmones enim
non niſi ex homine, qui cogitationes ſuas tegit, ſeu ma-
læ, ſeu bonæ ſint gaudium percipiunt. Caue diligenter,
cum ad communionem accedis, ne quid malitiæ habeas
cum fratre tuo, ſic enim te ipſum decipis. Si verba ſcri-
pturæ tibi patefiunt, vt ea poſſis ad allegoriam transfer-
re, id facito. Sed caue, ne literam deſtruas, néve ſenſui
tuo magis credas, quàm ſanctæ ſcripturæ. Id enim ſu-
perbiæ eſt argumentum. Si frater tuus verbis deceptus
B hæreticorum, à recta fide per imprudentiam diſceſſerit,
ad eámque rurſus reſipiſcens reuertatur, eum tu ne de-
ſpexeris. Ignorantia enim aberrauit. Caue, ne defendē-
dæ quidem fidei cauſa cum hæreticis colloquaris, ne
fortè ſermones ipſorum animo tuo virus infundant. Si
librum inueneris qui eſſe dicatur hæreticorum, caue ne
illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat, ſed
in ea doctrina quam in Eccleſia ſancta didiciſti, ita perſi-
ſte, vt ei nihil addas, nihil detrahas. Abhorre à falſi no-
minis ſcientia, quæ ſanæ doctrinæ, vt inquit Apoſtolus,
aduerſatur. Si iunior es, & corpus tuum nondum in ſer-
uitutem redegiſti, audis autem eximias patrum virtutes,
ad illas ne ita contendas, vt eas te in otio & quiete con-
ſequi poſſe confidas. Niſi enim illas colueris, non aſſe-
C queris. Quòd ſi colueris, ſponte ad te ipſæ venient. Ab
inertia fuge, quantum potes, hæc enim monachi fru-
ctum diſperdit. Si cum animi perturbationibus & vitijs
pugnas ne deſice, ſed te ipſum proſterne coram Deo,
Non poſſum, inquiens, in toto corde tuo, per me reſi-
ſtere, tu mihi miſero, Domine, fer auxilium, & ſupera-
bis. Si tibi in cellula commoranti ſemina turpitudinis in
corde tuo ſparſa fuerint, totis viribus contende, ne coa-
leſcant, atque impetent tibi. Conſidera, Deum eſſe præ-
ſentem, cuius oculis pateant ea, quæ in corde loqueris.
Sic igitur animam tuam alloquere: Si tui ſimiles erubeſ-
cis peccatores, metuiſque ne videant flagitia tua, quā-
tò magis Deum vereri debes, cui ſunt omnia manifeſta?
Ex hac conſideratione timor Dei in anima excitatur, cui
D ſi innitaris, aduerſus perturbationes immobilis perma-
nebis. Scriptum eſt enim: Qui confidunt in Domino,
ſicut mons Sion. Non commouebitur in æternum qui
habitat in Ieruſalem. Si in exercitatione ita reſiſtis ten-
tationi, vt frangi debilitaríque videatur ac retrocedere,
ne triumphet cor tuum, aut extollatur. Dæmones enim
fugientes inſidias ſtruunt, & prælium priori periculo-
ſius parant. Poſt ciuitatem copias in inſidijs locant, iu-
bêntque, ne prodeant, niſi cum eos fugientes cor tuum
perſequens inſoleſcat, tum verò conſurgāt, vt anima in-
fœlix circumuenta nullum perfugium habeat. Perfugiū
igitur & propugnaculum tuum ſit, vt in toto corde tuo
ſupplex ad Deum accedas, & opem eius implores, & li-
berabit te ex omnibus impugnationibus inimici. Si Deū
E precaris vt te liberet à tentatione, & non exaudieris, ne
deſpondeas animum: Nouit enim magis, quàm tu, quid
expediat tibi. Ne dixeris igitur, hoc mihi da, aut aufer
illud à me: ſed ita precare: Domine Ieſu Chriſte, adiu-
ua me. Ne ſinas me peccare aduerſus te. A recta via de-
flexi. Ne permittas me ſequi voluntatē meā. Ne patiaris
me perire in peccatis meis. Miſerere creaturæ. Ne deſpi-
ſpicias me, quia infirmus ſum. Ne derelinquas me, quo-
niam ad te confugi. Medere animæ meæ, quia peccaui
tibi. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me. Et
non eſt ad quem confugiam, niſi ad te, Domine. Salua
me, quæſo, Domine per miſericordiam tuam. Confun-
dantur omnes & erubeſcant, qui inſurgūt aduerſus me,
qui quærunt animam meam, vt perdant illam. Tu Do-
mine potes omnia, & per te eſt gloria Deo & Patri, &

Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum, Amen. Tunc conſciẽtia tua clam loquetur cum corde tuo, & cauſam A aperiet, quamobrem te non exaudiat Deus. Tuum igitur iam erit quod illa dixerit, id non negligere, ſed facere diligenter. Fieri enim non poteſt, ſi Deum homo audit, quin Deus hominem exaudiat. Neque enim eſt procul ab homine. Sed voluntates noſtræ ei contrariæ non permittunt, vt ille nos audiat. Nemo te decipiat. Quemadmodum enim ſine ſemine & aqua non poteſt ager ea ſe fructum ferre: ſic homo ſine afflictione atque humilitate ferre fructum non valet. In Dei timore, fratres chariſſimi, maneamus, & virtutes excolentes nullum conſcientiæ noſtræ offendiculum præbeamus, ſed nobiſmetipſis attendamus in timore Dei, donec ipſa quoque nobiſcum libera ſit, atque ita coniuncta, vt nobis deinceps cuſtos ſit, oſtendátque à quibus caueamus. Quòd B ſi ei parere noluerimus, nos derelinquet ac deſeret, & incidemus in manibus inimicorum noſtrorum, qui noſtri poſtea non miſerebuntur, quemadmodum docuit nos Dominus. Eſto inquiens, cum aduerſario tuo conſentiens, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. Aduerſaria dicitur conſcientia, quoniam homini cupienti facere carnis voluntatem, aduerſatur. Quæquidem aduerſaria, niſi cum ea homo conſentiat, tradit eum inimicis ipſius. Idcircò Oſeas commiſerans Ephraim, dicebat: Oppreſſit aduerſarium ſuum, & conculcauit iudicium. Quæſiuit Ægyptum, & vi ductus eſt ad Aſſyrios. Ægyptum quærit, qui C carnis vult facere voluntatem. Vi autem ducitur ad Aſſyrios, cùm vel volens vel inuitus inimicis ſeruit. Operam demus fratres chariſſimi, ne in manus voluntatis noſtræ ſecundum carnem incidamus, ne captiuos nos in Aſſyriam ducat, nos autem acerba illa verba audiamus: Venit Rex Aſſyriorum in terram Iſraël, & captiuos duxit Ephraim & Iſraël in Aſſyrios & poſuit eos iuxta Elcam & Enamor fluuios Chuzam, & ſunt illic vſque ad præſentem diem. Tunc miſit Aſſyriorum Rex è populis ſuis, qui habitarẽt in terra Iſraël, & ſuum ſibi quiſque ſculptile confecit, & adorauit illud, & ecce illic ſunt vſque ad hodiernum diem. Hæc Ephraim contigerunt: quia oppreſſit aduerſarium ſuum, & iudicium conculcauit. Conſiderate chariſſimi, quid eis acciderit D qui voluntatibus ſuis malis indulſerunt, & propriam conſcientiam conculcarunt. Ne æmulemur eos dilectiſſimi, ſed omnes potius ſanctos imitemur, qui ad mortem vſque peccato non obtemperarunt, ſed ſanctæ ſuæ conſcientiæ paruerunt, & regni cœleſtis hæreditatem acceperunt. Horum enim quiſque ætate ſua perfectus fuit in charitate. Et nomina ipſorũ nulla vnquam delebit obliuio. Figuram dilecti Iacob ſuſcipiamus, qui parentibus ſuis ſecundum Deum in omnibus obediuit. Qui accepta benedictione voluit in Meſopotamiam proficiſci, vt ſibi filios illic procrearet. Neque enim filios gignere voluit ex filiabus Chananæorum, qui cum parentibus ſuis contenderant. Tunc ſuſcepto baculo & olei lenticula venit in locum Bethel, quod ſignificat domum E Dei, & ibi dormiuit, viditque noctu ſecundum quietem figuram ſcalæ de cœlo in terram vſque pertingentis, & Angelos Dei per eam aſcendentes ac deſcendentes. Dominus autẽ & ſcalæ innitebatur, hæc figura demonſtrat illi qui Deo incipit inſeruire, in principio quidem virtutum ſpeciem apparere, quas niſi diligenter excoluerit, ad Deum non poterit peruenire. Surrexit autem Iacob, & fœdus cum Deo percuſſit, vt eſſet ſeruus eius, & confirmauit eum Deus, Ego inquiens, ero tecum & te cuſtodiam. Tunc in Meſopotamiam profectus, vt ibi vxorem duceret, cum Rachel vidiſſet filiam auunculi ſui, dilexit eam, & ſeptem annos ſeruiuit propter illam. Quãquam non prius ei data fuit, quam Liam vxorem acciperet. Et Rachel erat ſterilis. Meſopotamia nomen ex eo ſortita eſt, quòd ſit inter duos fluuios ſita, nempe inter

Tigrim & Euphratem. Prior labitur è regione Aſſyriorum A alter initium non habet, ſed dicitur fluens in latitudine. Tigris eſt diſcretio. Euphrates autem humilitas. Lia corporis laborum typum gerit. Rachel autem veræ contemplationis. Hæc homini contingunt in Meſopotamia commoranti, vt cum diſcretione labores corporeos ſuſpiciat, quibus hoſtes Aſſyrios vincat, & cum humilitate ad veram contemplationem perueniat. Cæterùm Rachel filios non genuit, antequam pareret Lia, & Iacob ipſe ſeruiret. Ex quo intelligimus hominem, niſi prius labores in excolendis virtutibus pertulerit, non poſſe ad veræ perfectionis libertatem aſpirare. Vxores erant ambæ quidem Iacob, ſed ille magis Rachel, quàm Liam diligebat, quoniam Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venuſto aſpectu. Prioris vxoris oculi lippi ſignificant hominem, dum in corporis laboribus B occupatur, nondum veram contemplationem intueri. Intermittendi ſunt igitur. Quamuis enim paulum ceſſauerint, dabitur tamen ad illos reditus. Præbebit enim viro ſuo Lia Zelpham ancillam, atque ita rurſum liberos tollet, vocabit nomen filij, Aſer, quod eſt diuitiæ. Porrò cum parere deſierit Lia, tũc Deus recordabitur Rachel. Cum igitur labores corporis ſenſus edomuerint, & à perturbationibus liberauerint, tunc vera contemplatio aperit animo gloriam ſuam. Ac tametſi filij Liæ Iacob erant auxilio, tamen maximè omnium Ioſeph diligebat. Id eſt, quamuis corporis labores ab inimico hominem defendant, tamen vera contemplatio coniungit illum cum Deo. Poſteáquam vidit Ioſeph, reuerti voluit ad parentes ſuos, cum vtique ſibi eum natum aſpexiſſet, C qui rex foret inter fratres ſuos. Cùm autem dicit torrentem Iacob omnes ſuas copias traieciſſe ſolúmque remãſiſſe, & benedictionis gaudium accepiſſe, dicente Domino, Non erit tibi nomen Iacob, ſed Iſraël Iacob appellatus eſt, quoniam ſupplantauit, quoad benedictione dignus effectus eſt, & ſenſus ſuos ſeruauit, qui erant in manu inimici. Poſteáquam igitur liberati ſunt, vocatus eſt Iſraël, hoc eſt mens Deum videns. Etenim cum eò peruenerit mens, vt diuinitatis gloriam videat, metuitur ab inimico. Quamuis igitur veniat in occurſum eius Eſaü cum acerbitate, humilitas Iacob extinguit malitiam ipſius, nec ab eo amplius oppugnatur. Quòd ſi adhuc ſeuiat inimicus, proijcit ſe in conſpectu Dei. Et cum ille magnam videat gloriam, quam accepit, ei vim D afferre non poteſt. Deus enim illi opitulatur, ſicut ſcriptum eſt: Reuertere in terram generationis tuæ, & ero tecum. Poſtea venit in Salem, & emit ibi agrum, & ædificauit altare Deo. Salem eſt pax. Cùm enim homo bellum euaſerit, in quo defendit eum Deus, venit ad pacem & duodecim lapidibus altare conſtituit, & offert ſuper illo ex laboribus ſeruitutis, quam in Meſopotamia ſeruiuit, in poſſeſſione, quam poſſedit in terra promiſſionis. Talis fuit & dilectus Deo Moſes, cum eduxit populum ex Ægypto, cúmque de manu Pharaonis liberauit, traiecitque rubrum mare, & omnium hoſtium ſuorum mortem conſpexit, & miſit Ioſue vt perderet Amalech. Ipſe verò in montis vertice conſtitit, & manus eius ab Aaron & Or ſuſtinebantur, ne ea crucis ſpecie, in qua E erant conſtitutæ, deciderent. Et reuerſus eſt Ioſue cum gaudio, deleto Amalech. Tunc ſuper monte duodecim lapidibus altare conſtruxit, & monti nomen impoſuit, Dominus refugium meum, quia manu occulta pugnauit Deus cum Amalech. Amalech ſignificat acediam. Si enim cœperit homo ea voluntatibus ſuis effugere, & ad Deum confugerit, acedia in primis eum inuadit, conatúrque ad priſtina peccata reducere, ſed illam repellit aſſidua cum Deo familiaritas, quam temperantia gignit, temperantiam porro corporis afflictio parit. His rationibus Iſraël liberatur. Et tunc homo gratias agit Deo, Ego inquiens, infirmus ſum & imbecillus, ſed tu adiutor meus à generatione in generationem. Talis fuit & magnus Propheta Elias, qui omnes turpitudinis prophetas ſibi aduerſantes delere non potuit prius quàm

Gen. 3.c

duo-

Digitized by Google

duodecim lapidibus altare conſtrueret, & lignis congeſtis aquam infunderet, & ſanctum ſacrificium imponeret. Et ignis diuinus conſumpſit altare, & quæ ſuper altari erant poſita. Tunc fiduciam ſumpſit contra aduerſarios ſuos, & cum eos ad internecionem vſque deleuiſſet, gratias egit Deo, Tu inquiens, in his omnibus es. Scriptum eſt enim, eum inter genua ſua faciem poſuiſſe. Niſi enim mens diligenter inter ſenſus ſuos ſit conſtituta, & ſobria caſtáque vigilet aſſiduè, æternam non aſſequitur fœlicitatem, quæ hanc illi gloriam affert. Et ſi miniſter Eliæ proſpiciat, & nullum ex ſeptem vitijs conſurgere videat, tunc cernit paruam nubem inſtar hominis ex mari aquam afferentem. Quod Spiritum ſanctum ſignificat in animo noſtro conquieſcẽtem. In hoc enim ſita fœlicitas eſt, vt noſtra virtutis ſtudia integra atque perpetua ſint, & ne reuertamur ad ea, quorum veniam impetrauimus. B Si enim labores ac ſtudia noſtra Deo fuerint accepta, aduerſarij noſtri non poterunt conſiſtere. Cùm enim viderint voluntati ipſorum à nobis nõ obtemperari, tunc per ſe diſſoluentur. Inuocate, inquit, nomina Deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Domini Dei mei. Et quicúmque audiuerit in igne, is erit Dominus Deus. Quamuis animis noſtris Dæmones ſuggerant tentationes, eas tamen nobis inuitis ad exitum perducere nequeunt. Omnes illi quidem vires conferunt ſuas, ſed eos non audit homo Dei, quoniam ab illis abhorret cor ipſius, quo in Dei voluntate requieſcit. Inuocate, inquit nomina Deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei. Quod illi fruſtra fecerunt. Hæc ad vtilitatem noſtram ſcripta ſunt, vt ſequamur C eorum veſtigia, qui virtutum ſtudio ad fœlicitatem contenderunt. Confugiebant illi ad auxilium Dei, in eóque ſpes ſuas omnes collocabant, nihil viribus proprijs confidentes. Et diuina protectio fuit eis in ciuitatem munitam. Sciebant enim ſe ſine Dei præſidio nihil poſſe. Dicebant cum humilitate illa Dauidis verba: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Si enim viderit Deus animum ſibi omnino eſſe ſubiectum, neq; in alio ſpem habere, confirmat eum dicens: Ne timeas, fili mi Iacob, puer Iſraël, ne timeas, quoniam liberaui te, & vocaui nomen tuum, meus es tu, & ſi per aquam tranſieris, tecum ſum, & fluuij te non intercludent. Et ſi per ignem trãſieris, non combureris. Flamma enim exuret te. Quia D ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſraël, ſaluans te. Hanc vocẽ animus ſi audierit, audet aduerſus inimicos, Quis eſt, inquiens, oppugnator meus? appropinquet mihi. Ecce Deus adiutor meus, quis mihi nocebit? Ecce vos omnes ſicut veſtimentum inueteraſcetis, & tanquam vellera à tinea corrodemini. Vtinam inueniat nos Deus cum illis, qui humilitate ſunt præditi, & ab ea ſeruantur incolumes ab omnibus iaculis inimici, per gratiam Dei, cuius eſt potentia, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quæ obſeruanda ſint ijs, qui ſimul in pace habitare cupiunt.

ORATIO VI.

SI ſimul iter facitis, attendite, ſi quis inter vos ſit imbecillior, & eius rationem habete, ſi vel paulum ſedere velit, aut aliquid ante præſcriptam horam guſtare. Si ad opus faciendum proficiſcimini, ſibi quiſque attendat, non autem fratri ſuo. Ne quis alterum docere audeat, aut ei quicquam præcipere. Si intra cellam opus aliquod facitis, permittite, vt quiſque faciat arbitratu ſuo. Sin aliquis dixerit, Obſecro vos, me vt doceatis, neque enim ſcio, qui inter vos peritus eſt, ne reluctetur, aut ſcire ne neget. Hæc enim non eſt humilitas ſecundum Deum. Si videris fratrem tuum opus aliquod faciẽtem, ne dixeris eum errare, aut nihil agere. Quod ſi ipſe te rogauerit, vt ſe doceas, tu verò id non feceris, ſed tacueris, A oſtendis in te non eſſe Dei charitatem, ſed nequitiam. Si frater tuus edulia haud ita bene coxerit, ne dixeris eum malè coxiſſe. Id enim mors eſt animæ tuæ. Sed conſidera, quàm moleſtum & graue tibi fuiſſet, ſiquis in te ea verba pronunciaſſet, & quieſces. Inter pſallendum ſiquis in aliquo verbo errauerit, ne ſtatim eum corrigas atque perturbes. Sed ſi verbum prætererit, ne ſit tibi curæ. Sin rogauerit, vt corrigas, amanter id facito. Si quid in menſa fuerit, à quo fratrum aliquis abhorreat, ne dicat eo ſe veſci non poſſe, ſed ad mortem vſque ſibi ipſe vim afferat, & Deus illum conſolabitur. Si opus aliquod ſimul facitis, & aliquis veſtrum animo puſillo deſiſtendum ab illo ſuaſerit, eum ne reprehendaris, ſed pariter gaudere. Si fratres aliqui ad vos diuerterint, eos de rebus inutilibus ne interrogeris, alioquin apud vos re- B linquent ſeruitutem. Quòd ſi quiſpiam ex illis ſibi temperare nequiuerit, quominus alicui veſtrum dicat aliquid inutile & perniciofum, is qui illud audiuerit, reliquis fratribus ne aperiat rem, ne venenum mortiferum animos eorum interimat. Si te peregrè proficiſci neceſſitas coegerit, ne percontaris quicquam, quod tibi prodeſſe nequeat, vt ad cellulam tuam incolumis reuertare. Quod ſi vel inuitus aliquid eiuſmodi audiueris, in domum reuerſus ne fratribus nunciaris. Si hoſpes in aliena regione verſaris, quemcumque in locum veneris, nihil arroganter aut facias, aut dicas, vt ex modeſtia taciturnitatéq; tua incolæ fructum percipiant. Infirmi enim propter cordis imbecillitatem facilè offenduntur, quia non perſpiciunt peccata ſua. Diuinum auxilium, & ſpes, C manſuetudo, & bona conſcientia, & propriæ voluntatis omnibus in rebus abnegatio, ſunt humilitatis indicia. Arrogantia verò, & contentio, & ſui ipſius exiſtimatio, fratriſque deſpectio, & cùm quis eo propter ſe afflicto ac perturbato, dicit, Quid ad me? Quid mihi negotij cum illo eſt? Hæc omnia cordis duritiam declarant. Si te opus faciente frater in cellam tuam ingrediatur, caue ne animum tuum ea occupet cogitatio, vt te plus quàm illum laboraſſe putes. Si cum fratre imbecilliore opus facis, ne contendas, vt plus quam ille feciſſe videare. Si commune aliquod opus efficitis, ſic in illud totis viribus incumbe, vt quid tu, quid frater tuus in hebdomada laborauerit, ſcire non cures. Ineptum eſt *Matth. 5.* enim id quærere. Si ad opus faciendum cum fratribus D proficiſceris, ne cupias, vt ſciant te omnium maximè laboraſſe. Opus enim quod homo facit in occulto perſpicit Deus. Si quid tibi frater reſponderit acerbius, id cum lætitia ſuſcipe. Si enim recto Dei iudicio cogitationes tuas examinaris, te peccaſſe animaduertes. Si cum fratribus habitas, & animus te ſtimulat, vt reſtrictius viuas, dic animo tuo, frater hic infirmus eſt Dominus meus. Quòd ſi temperantius omnino viuere decreuiſti, cellulam tibi delige ſeparatim, & noli fratrem tuum infirmum affligere. Si frater aliquis peregrinus, quem vitio aliquo laborare acceperitis, apud vos diuerterit, ne *Oſe. 5.* exploretis eum verbis, niſi vitium eius ſeſe apparuerit, ſed cauete, ne quid faciatis, quod ſi frater reſcierit, affligatur. Si qua re tibi opus eſt, ne ſuccenſeas fratri tuo, E quod eam tibi ſpontè non commodarit. Sed cum fiducia & ſimplicitate roga illum, vt rem tibi neceſſariam tribuat. Hæc enim in corde eſt caſtitas ſancta. Nam ſi id illi non patefeceris, ſed in corde tuo cum murmure ſuccenſueris, iudicium tibi ipſe conſtituis. Si inter vos inciderit ſermo de aliquo ſcripturæ loco, cui locus ille notus eſt, is eum fratri ſuo modeſtè benignéque declaret. Ea namque ſcripturæ maxima cognitio eſt vt te humilem præbeas fratri tuo. Conſidera iudicium illud, ad quod ſiſtendus es, & operam da, ne mutus ibi deprehẽdatis, nec vllam in illa hora formidanda defenſionem inuenias. Quæ mundi ſunt, ne curioſiùs loquaris, ne latrinis ſimiles ſitis, ad quas homines accedunt, vt ventris onera deponant, atque ita fœtore ſunt plenæ. Sed eſtote potius templa & altaria Dei in ſanctitate, vbi ma-

ne & veſperi thymiama adoleatur. Nunquam altare hoc ſit ſine thymiamate. Semper eſtote in conſpectu Dei obſecrantes eum, & gratias agentes cum ſimplicitate & ſynceritate, vt à vobis accipiat Deus ea, quæ calliditati & ſapientiæ dæmoniacæ, & curioſitati, & nimio amori ſui ipſius, cordiſque malitiæ ſunt contraria. His enim qui ſunt obſtricti, fruſtra laborant, & finis eorum interitus: qui verò Deum timet, & conſcientiam audit, ab his omnibus abhorrebit. At paterfamilias abeſt, miſer homo domum conſtructam habet ſuper voluntate ſua, & loquitur, quæ non vult in ſe ipſo: quoniam non habet cor in poteſtate ſua, ſed in manu inimici. Si ad opus exire vultis, vnus alterum ne deſpiciat, neque relinquat fratrem ſuum, vt in cella à conſcientia ſtimuletur. Sed cum amanter ſic alloquatur: Vis vt exeamus? Quòd ſi fratrem ſuum eo tempore minus quietum aſpexerit, aut corpore inualidum, ne contendat tunc eſſe diſcedendum, ſed paululum differat, & cum charitate ad cellulam reuertatur. Cauete, ne vlla in re fratribus veſtris aduerſemini, ne eos perturbetis. Si quis cum patre aut fratre ſuo habitat ſpirituali, nullum cum externis commercium habeat. Hæc enim eſt pax & ſubiectio. Si cum patre aut fratre tuo habitas, ne ineas clam amicitiam cum aliquo, neque occulte literas ad aliquem ſcribas quod eos, quibus cum viuis, velis ignorare, alioquin & te ipſum & illos perdes. Si cum ſuperiore te habitas, noli clã & eo inſcio pauperi benefacere. Noli poſt factum petere conſilium. Sed de ijs quæ te in præſentia ſtimulant conſule, ſiue de migratione cogitas, ſiue opus diſcere cupis, aut intermittere, aut cum aliquibus diſcedere. Audacter conſilium pete, antequam rem ipſam aggrediare. Aperi ægritudinem animi tui, aut corporis morbos, aut eorum cauſas, atque ita aperi, non vt integer, ſed vt vulneratus videare, ſi vis vulneris medicamentum accipere. Quod ſi cogitationes tuas patefacis, ne ſimules, néve rem vnam pro alia dicas, aut tanquam de alio conſulas, ſed veritatem prome, atque ita te ipſum para, vt quæ tibi dicentur, efficias, alioqui non ſenes quos conſulis, ſed te ipſum decipies. Si à ſenibus conſilium petis aduerſus tentationum impugnationes, ne audias eos, qui tibi plura quam ſenes intus loquuntur. Sed Deum ora, vt tecum faciat miſericordiam ſuam, ſenéſque moneat, vt tibi, quæ ipſi gratia ſunt conſulant. Tum quæ tibi ſenes dixerint, facito, & Deus te conſolabitur. Si cum fratribus habitas, & quietem non inuenis, vel propter opera, vel propter vincula, vel quia onus ferre non potes, vel propter acediam, vel quia iugum ſuſtinere non vales, vel quia facere voluntatem tuam non potes, vel quia non ſuppetunt res neceſſariæ, vel quia ſeueriore te diſciplina cupis aſtringere, & vehementius caſtigare, ſeu quauis alia de cauſa te animus mouet, vt egrediaris, caue ne temere id facias, neu iugum excutias, & exeas cum triſtitia, aut occultè fugias cum afflictione, immemor fraternitatis, cum offenſio intercedit, & malitiæ velamen obtendas. Sed potiùs pacis & tranquillitatis tempus obſerua, vt animus tuus vbicunque fueris, conquieſcat. Tibi ipſi culpam aſcribe, non autem fratribus, quibus cum vixiſti. Ne audieris inimicum ſuadentem, vt ſi-

Matt. 10. Luc. 12. mules te à fratribus affectum iniuria, à quibus beneficium accepiſti, quo fugias infamiam, & eorum ignominia contegas tuam, atque ita ſeruus inimici fias, vbicúnque vixeris. Si te aliquo contuleris ad habitãdum, haud ita citò cellam incolendam tibi ipſe conſtituas, niſi prius loci naturas conſideres, ne fortè illic offendiculum reperias, vel propter ſolicitudinem, vel propter cuiuſpiam conſpectum, vel propter gloriam, vel propter laboris magnitudinem, vel propter offenſionem amicorum.

Io. 14. Quamquam ſi ſapiens fueris, paucis diebus omnia cognoſcet, vnde tibi aut mors, aut vita ſit prouentura. Si fratri cellam tuam dies aliquot ad habitandum conceſſeris, noli eum tibi ſubditum exiſtimare. Si cellam alterius ipſe diebus aliquot ad habitandum acceperis, nihil in ea diruas, aut ædifices ſine eius licentia, qui eam tibi commodauit.

A Si cum aliquo vel habitas, vel peregrè proficiſceris, & ab eo mandatum accipis, caue propter Deum, ne contemnas, néve aut clam, aut palam ab ipſo mandato recedas. Si tibi ipſe in cellula tua præſcripſiſti, vt vel ſtatuta aliqua hora comedas, vel à cibo aliquo abſtineas, caue ne cum peregrè proficiſceris, in menſa cuipiam dicas ignoſce mihi, hoc ego cibo non veſcor. Sic enim vanitas tua labores tuos in manus inimicorũ tuorum excuteret. Dominus enim iubet, vt in occultò hæc faciamus, quo pater noſter nobis reddat in manifeſto. Qui opera ſua diligit, ea ſeruet, ne pereant. Si in eodem viuitis contubernio, & cum opus aliquod intus, aut foris facitis, frater tuus vocat te, ne dixeris pauliſper expecta, dum opus abſoluam, ſed ſtatim obtempera. Cùm opus aliquod ſimul facitis, ſi erratum alicuius animaduerteris, ne illud ad alios deferas, aut in ore tuo ſit, vt fratri-

B bus dicas. Id enim eſt mors animæ tuæ. Si tecum fratres habitauerint, cum laborando ſunt feſſi, ante ſolitã edendi horam, fac, vt cibum capiant, & quieſcant. Dei iudicio vtere, non autem tuo. Quicquid agis, Deum tibi ante oculos propone. Si aliquò ad habitandum conceſſeris, vel ſolus, vel cum illis, qui erant illic ante te, & videris ibi artificem, aut opera, quæ detrimentum afferãt, aut monacho minus conuenientia, ne patefeceris os tuum ad reprehendendum, ſed ſi quietẽ non inuenis, aliò proficiſcere, & linguam cohibe, ne maledicas. Id enim tibi mors eſt. Si infirmus es, & ad vitia procliuis, ne permittas vt cogitationes ſuas prauas tibi tanquam fideli quiſpiam cõmunicet. Ea enim res animæ tuæ eſt pernicioſa. Si inter vos oriatur ſermo, qui riſum moueat, cauete, ne vo-

C cem veſtram ſinatis exaudiri. Ibi enim ſolutior eſt riſus vbi non eſt diſciplina, nec timor Dei, nec interior animi cuſtodia. Quoniam ira diuina in diebus noſtris inuaſit orbem terrarum, nolite terreri, ſi quid horrendum audiueritis, ſed ita vobiſcum conſiderate: Quid ſunt hæc, ſi cum illis conferantur, in quæ propter peccata noſtra, niſi reſipuerimus, incidemus? Diligite inter vos propter Deum. Si hæc in ſimplicitate ſeruaueritis, cum gaudio peruenietis ad requiẽ filij Dei: ſin ab his receſſeritis, fruſtra hic laborabitis, & cum è corpore exibitis, ad ſuppliciũ æternum, vt ſcripturæ teſtantur, rapiemini. Ob hæc enim, quæ cõmemorauimus, venit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Verùm cordis noſtri duritia nos excæcat, quia noſtræ obſequimur voluntati, eámq; proponimus

D ipſi Deo. Neque enim eum diligimus, ſed noſtras voluptates. Et hæc vobis coactus ſum ſcribere: quia priora nõ fuerunt ſatis. Diligite igitur inter vos, & nolite in cordibus veſtris incircuncisis permanete. Pauculos iſtos vitæ dies rectè tranſigite cum humilitate, & pace, & patientia, propriã amputantes voluntatem in charitate. Quòd ſi hæc nõ obſeruatis, ſed eſt inter vos zelus, & lis, & cõtentio, & ſuperbia, & indignatio, & ſuſpicio, & inobedientia, malè tempus conſumitis, & ſine dubio in æterna ſupplicia, cum hinc diſceſſeritis, incurretis. Diligite igitur fratres veſtros in charitate ſancta, & linguam veſtram cuſtodite, ne temerè verba pronũciet, quibus nos offendatis. Poteſt autem Dominus Deus noſter gratiam nobis elargiri, vt bona opera facientes miſericordiam

E eius conſequamur cum omnibus ſanctis, qui ei placuerunt: Quoniam ipſius eſt gloria, & honor, & adoratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Qui honeſtam quietem amplecti volunt, eos eſſe curioſos non oportere, neque omiſſa peccatorum ſuorum conſideratione, tempus in rebus inutilibus conſumere.

ORATIO VI.

QVI cum curioſitate ſcrutatur ſcripturas, inimicitias inuenit & contentionem: at qui luget peccata ſua, pacem reperit & tranquillitatem. Monachus qui reſidet in cella ſua, & poſthabita peccatorum ſuorũ conſideratione,

deratione, curioſus eſt in ſcrutanda ſcriptura, in errore verſatur. Quiſquis antequam ſeipſum poſſideat, quæſtiunculis vacat, quòd ſic, aut ſic loqoatur ſcriptura, is A curioſitatis vitio laborat. Qui autem vigilat, ne à peccatis capiatur, is ſe ſupplicem aſſiduè proijcit in conſpectu Dei. Qui ſimilitudinē in Deo quærit, maledicit Deo. Qui Deum venerari ſtudet, in timore eius ſanctitatem amplectitur. Qui Dei verba cuſtodit & ſeruat, is Deum cognoſcit. Quæ Dei ſublimia ſunt, ne quæſieris, dum eius auxilium imploras, vt veniat & ſeruet te à peccato. Dei munera ſponte veniunt, ſi locum purum caſtúmque repererint. Qui propria nititur cognitione, & ſuam ſequitur voluntatem, is in ſe fouet inimicitias, & ab eo ſpiritu eſſe non poteſt, qui cordis parit compunctionē. Qui videt verba ſcripturæ, & ſeruat ea proprio ſenſu obſtinatéque contendit ſic illa eſſe intelligenda, is gloriā Dei B & diuitias eius ignorat. Qui autem ea ſic inſpicit, vt dicat: Non noui, homo enim ſum: & dat gloriam Deo, in eo Dei diuitiæ inhabitant. Cogitationes tuas noli quibuſlibet aperire, ſed patribus tantum tuis, ne triſtitiam contrahas in corde tuo. Os tuum cuſtodi, vt proximus tuus in honore ſit apud te. Erudi linguam tuam in Dei ſermonibus, & mendacium fugiet à te. Humanæ gloriæ cupiditas mendacium parit. At humilitans ſtudium Dei timorem in corde maiorem efficit. Eorum qui in mūdo gloria ſunt inſignes, amicitiam noli cōcupiſcere, ne Dei gloriam extinguas in corde tuo. Si quis detrahit fratri ſuo, & eum calumniatur, & malitiam oſtendit, ei ne patefacias aures tuas: ne te ea, quæ nolis, comprehendant. Simplicitas & humilis de ſe opinio cor integrum & purum à malo conſeruat. Qui callidè ambulat cum fratre C ſuo, animi triſtitiam non effugiet. Qui vnum in corde, aliud in lingua promptum habet ſacrificia eius ſunt vana. Cum eiuſmodi hominibus noli verſari, ne veneno ipſorum conſpergare. Cum probis & ſanctis hominibus ambula, vt eorum probitatis & ſanctitatis particeps fias. Odium in animo ſerues aduerſus neminem, alioquin labores tuos irritos inanéſque reddes. Cor tuum erga omnes ſit integrum atque beneuolum, vt Dei pacem in te reperias. Quemadmodum virus in totum illius corpus diffunditur, qui morſus eſt à ſcorpione, & ad cor vſque pertranſit, ſic quem odium occupat, veneno perfunditur, & animus eius ab eo vulneratur. Quiſquis igitur ſtudet, ne labores & opera ſua celeriter pereant, is ſcorpionem à ſe procul auertet, id eſt odium atque improbita- D tem. A qua quidem peſte liberet nos benignitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius eſt gloria & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen.

De Virtutibus.

Oratio VII.

TRES ſunt virtutes, quæ menti ſemper proſpiciunt, eíque ſunt neceſſariæ, impetus ſecundum naturam & fortitudo, & diligentia. Tres ſunt virtutes, quas ſi mēs ſecum viderit, ſe proximè ad fœlicitatem credit acceſſiſſe: Vnum ab alio diſcernere, omnia ante tempus præuidere, & núllis externis rebus commoueri. Tres ſunt virtutes, quæ menti lucem præbent aſſiduè: Non noſſe cu- E iuſcunque hominis malitiam, & benefacere ijs, à quibus affecti ſumus iniuria, & ferre quæcunque accidunt ſine perturbatione. Hæ tres virtutes tres alias pariunt ſeipſis maiores: Non noſſe hominis malitiam, beneuolentiam gignit. Benefacere illis à quibus afficimur iniuria, pacem generat. Ferre ſine perturbatione quæcunque accidunt, parit manſuetudinem. Quatuor ſunt virtutes, quæ ſanctam animam reddunt, taciturnitas, obſeruatio mandatorū, paupertas, & humilitas. Quatuor hiſce virtutibus mens ſemper indiget. Deo aſſiduè ſupplicare, ſeſe proſternere in conſpectu Dei, neminem iudicare, ſurdum eſſe aduerſus obſtrepētes perturbationes. Quatuor animam virtutes muniunt, & ab hoſtium terrore faciūt reſpirare. Miſericordia, manſuetudo, longanimitas, & iniuriarum obliuio. Quatuor virtutes adoleſcentiam adiuuant apud Deum, aſſidua meditatio & diligentia, & vigilātia, & humilis de ſe exiſtimatio. Quatuor ſunt, quæ animum contaminant, verſari in ciuitate, nec oculos cuſtodire, mulierum vti familiaritate: eorum qui in mundo glorioſi ſunt amicitiam ſequi, & illorū, qui ſanguine nobis coniuncti ſunt, diligere conſuetudinem. Quatuor ſunt, quibus in corpore libido concitatur. Sōnus vſq; ad ſatietatē, ciborum copia, facetiarum vrbanitas, & delitiæ veſtimentorū. Quatuor ſunt, quæ menti tenebras offundunt, odium proximi & cōtēptus, & æmulatio, atq; ſuſpicio. Quatuor ſunt quibus anima deſerta redditur, trāſitus de loco in locum, negotiorū occupatio, rerū terrenarum amor, & auaritia. Quatuor ſunt, quibus ad iracūdiā incitamur, cū non aſſequimur cōcupita, cum propriā amplectimur voluntatē, cum docēdi munus accipimus, & nos prudentes exiſtimamus. Tria ſunt, quæ virtutes omnes conſeruant, ſed paratu ſunt difficilia, cordis compunctio, luctus propter peccata, & aſſidua mortis meditatio. Tria ſunt quæ animæ dominantur, antequam ad magnam menſuram perueniat, & hæc in mente nō ſinūt habitare virtutes: captiuitas, pigritia, & obliuio. Pugnat enim cum homine obliuio, & conatur opprimere omnes eius bonas cogitationes, atq; ita malorum omnium affert occaſionem, & quotidie deſtruit ea, quæ ab homine ædificantur. Ccrnis opera noui hominis & veteris. Qui diligit animam ſuam, ne perdat eam, ſeruat ea quæ ſunt hominis noui. At qui in hoc exiguo vitæ ſpatio requiem quærit, ea quæ ſunt veteris hominis, amplectitur, ſed perdit animam ſuam. Nam Dominus noſter Ieſus C Chriſtus nouum in corpore ſuo hominem oſtendens, dicebat: Qui amat animam ſuam, perdet eam: qui autem perdiderit eam propter me, inueniet illam. Ipſe enim eſt Dominus pacis, & per ipſum medius inimicitiæ paries *Matth. 10.* dirutus eſt. Et nō veni inquit, mittere pacem, ſed gladiū. *Luc. 12.* Et rurſum, Veni mittere ignem in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Hic eſt ignis ille diuinitatis eius, qui in animis eorum, qui ſanctam ipſius doctrinam ſecuti ſunt, exarſit. Tunc inuenerūt gladium ſpiritus, & omnes carnis volūtates amputarunt. Et poſtea dedit eis gaudiū, *Ioan. 14.* dicens, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Ecce qui ſtuduerunt animas ſuas liberare, voluntates proprias circuncidentes, oues eius ſanctæ ad ſacrificiū facti ſunt. Et cū apparuerit in gloria diuinitatis ſuę, D vocabit eos ad dexteram ſuā: Venite, inquiens, benedicti *Matth. 25.* patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare & quæ ſequuntur. Ecce qui animas ſuas in hoc breui vitæ curriculo perdunt, quomodo eas inuenient in tēpore neceſſitatis, & præmia longè maiora percipient, quā expectarant. Qui autem proprijs voluntatibus indulgentes, ſeruant animas ſuas in hoc ſæculo peccatis obnoxio, ſéque diuitiarum ſuarum vanitate defendunt, neque obſeruant mandata Dei, ſed perpetuò ſe in hoc ſæculo victuros putant in die iudicij cæcitatis ſuæ turpitudinem agnoſcent, & fient hœdi maledicti, & formidandam exaudient iudicis ſententiam dicentis: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, paratum Diabolo, & angelis *Matth. 25.* E eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, & reliqua. Tunc os illis obſtruetur, & quod reſpondeant nō habebunt. Nam & ſi dixerint: Domine quando te vidimus eſurientem, & non miniſtrauimus tibi? ita refellentur: Qui bene fecit vni ex his, qui in me credunt, mihi fecit. Exploremus ſinguli noſmetipſos chariſſimi, & conſideremus, vtrum mādata eius pro viribus obſeruauerimus, nec ne. Debitores enim ſumus omnes, vt ea pro viribus obſeruemus, paruus pro exiguitate ſua, & magnus pro ſua magnitudine. Etenim qui in gazophylacium *Matth. 12.* munera conferebant, erant diuites. *Luc. 21.*

Attamen duobus viduæ minutis magis gauiſus eſt Dominus, qui animi noſtri propoſitum intuetur. Nullum in cordibus noſtris inertia locum inueniat, ne inuidia

nos ſepatet à Deo. Sed miniſteria noſtra pro viribus exequamut. *Matth. 9.* A Quemadmodum enim miſericordiam ſuam in Archiſyoagogi filiam oſtendit eam in vitam reuocans. Et ſicut miſertus eſt illius mulieris, quæ ſanguinis fluxũ *Matth. 8.* patiebatnt, quæque antequam Chriſtum cognoſceret, *Matth. 15.* omnes facultates ſuas in medicos coſumpſetat. Et quẽadmodum curauit puerum Centurionis, qui in ſe crediderat. *Io. 2.* *Luc. 7.* Et quemadmodum Chananæam miſeratus eſt in eius filiæ curatione. *Io. 2.* Et Lazarum amicum ſuum in vitam *Luc. 7.* reuocauit. Sic vnicum pauperis viduæ filium lachrymis eius commotus ſuſcitauit. Et quemadmodum Mariam quæ pedes eius vnguento vnxit, & lachrymis abſterſit, *Matth. 4.* non eſt aſpernatus: Ita nec peccatricem pedes ſuos vnguento vngentem contempſit. Et quemadmodum Petrum & Ioannem è nauicula ipſorum vocauit, Sequimini inquiens, me ſic & *Matth. 9.* Matthæum in telonio ſedentem *Io. 13.* B vocauit. Et quemadmodm lauit pedes diſcipulorum, ſic *Act. 2.* lauit & Iudam ſine vllo diſcrimine. Et quemadmodum ſuper Apoſtolos venit Spiritus paracletus, ſic & ſuper Cornelium venit. Et quemadmodum propter Paulum *Act. 10.* Ananiæ opera vſus eſt Damaſci. *Act. 9.* Quoniam inquiens, vas electionis eſt mihi. Sic in Samaria propter Eunuchum Æthiopem vſus eſt opera Philippi. *Act. 8.* Nulla enim in conſpectu eius eſt acceptio perſonarum, nulla inter paruum & magnum, nulla inter pauperem & diuitem differentia. Animi propoſitum reſpicit, & fidem erga ſe & mandatorum ſuorum *Ioan. 13.* obſeruationem, & dilectionem erga omnes. Hoc eſt enim animi ſignum & nota, cum è corpore diſceſſerit. In hoc, inquit, cognoſcent omnes vos meos eſſe diſcipulos, ſi dilectionem habueritis inter C vos. Hanc dilectionis notam quibus impreſſam viderint aduerſarij, ab illis cum timore diſcedent. At omnes An*Matth. 5.* gelorum cœtus illis congratulabuntur. Totis igitur viribus operam demus, fratres chariſſimi vt eam conſequamur, ne aduerſarij noſtri nos expugnent. Non poteſt, inquit Dominus, ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Quo de monte loquitur, niſi de ſermone ſuo, cum ait: Qui diligit me, mandata mea ſeruabit. In hoc ſtudium diligenter incumbamus, vt eius ſermonem ſeruemus. Et *Io. 13.* labores noſtri erunt veluti ciuitas fortis ac munita, quæ nos, quoad ipſi occurremus, cuſtodiet ab omnibus inimicis noſtris. Hac enim fiducia ſi erimus muniti, omnes inimici eius per montem ſermonis ipſius diſſipabuntur. *Dan. 2.* Hoc ex monte lapis ſine manibus exciſus ſtatuam ex auro & argento, & ære, ac ferro conflatam confregit. D *Ephes. 6.* Induite vos, inquit Apoſtolus, armaturam Dei vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.

Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum ſæculi huius, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Quatuor hos principatus indicat quadruplex illa ſtatua, quam lapis hoc eſt, *Dan. 2.* Dei verbum confregit, vt ſcriptum eſt, & in mõtem magnum euaſit, & terram impleuit vniuerſam. In montem hunc fugiamus, fratres chariſſimi, vt ſit nobis perfugium ſeruétque nos à quatuor iſtis improbis dominationibus, percipiamúſque etiam nos gaudium cum omnibus ſanctis eius, qui ad eum congregantur ex quatuor termi- E nis terræ. Pro ſuis enim quiſque operibus propriam audiet beatitudinem. Porrò ſanctum eius nomen potens eſt, ſi nobiſcum ſit, vt corroboret nos ad opus ipſius, nec ſinat nos decipi ab inimico, ſed cuſtodiat nos atque muniat, vt poſſimus quæcunque nobis acciderint, ſuſtinere, miſericordiámque reperire, cum illis, qui digni facti ſunt, vt vera beatitudine fruerentur. Ipſi Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto gloria, & honor, & adoratio, nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Beati Eſaiæ Abbatis Apophthegmata.

ORATIO VIII.

Video me aliquando, inquit Abbas Eſaias, tanquam equum ſine rectore oberrantem, quem qui inuenit inſidet ei, ac rurſus dimiſſum ab illo alius apprehendit, A atque conſcendit. Alias autem ſimilis ſum inquit, homini, quem inimici comprehenſum ac vinctum in cœni lacum coniecerunt. Qui ſi clamauerit ad Dominum ſuum verberatur ab eis, vt taceat. Item ſimilis inquit, ſum paſſeri, cuius pes laqueo vinctus ſit: qui dum ſolutum ſe exiſtimans volatu extollitur, laqueo retinetur. Nemo enim eſt, qui non ad extremum vſque ſpiritum aliqua prematur ſolicitudine. Idem, ſiquid inquit, alicui mutuò dediſti, nec illud repetis, Ieſu naturam imitaris, ſi repetis, naturam Adæ: ſin fœnus exigis, peruerſum eiuſdem morem. Si quis te reprehendit propter rem aliquam quam vel feciſti, vel non feciſti, ſi taces, Ieſu te ſimilem præbes. Sin reſpondes, Quid inquiens, feci? non amplius ei ſimilis es. At ſi par pari refers, es omnino diſſimilis. Si tuum aufers ſacrificium cum humilitate, tan- B quam ſis indignus, gratum eſt apud Deum, quòd ſi extollaris in corde tuo, & recorderis alterius dormientis aut negligentis, tuus inanis eſt labor. Dicere ſolitus erat humilitatem nec linguam habere, qua de aliquo tanquã negligente, aut ſuperbo loqueretur: neque oculos, quibus aliorum errata perſpiceret: neque aures, quibus ea, quæ animæ ſuæ non prodeſſent, audiret, nihil denique habere negotij, niſi cum peccatis ſuis. Illi enim cum omnibus pacem eſſe, non amicitiæ gratia, ſed propter mandatum Dei. Quòd ſi quis ſine humilitate vel ieiunijs incumbat, vel ſeſe vehementer affligat, vel mandata conetur obſeruare, eius inanes eſſe labores. Si quis inquit, inſtrumentum poſſidet, & illud quo tempore neceſſarium eſt, non inuenit, fruſtra poſſidet. Talis eſt, C qui ſe timere Deum aſſerit, & cum tempus adeſt, vt Dei timorem oſtendat, quo vel ab iracundia, arrogantia, vel ambitione, aut alio vitio cohibeatur, Dei timorem non reperit, huius omnia ſtudia ſunt inania. Dominus noſter Ieſus Chriſtus non prius in crucem aſcendit, quàm omnes humanas curaret infirmitates, vt quo conſilio humanitatem induerat, declararet. Antequam enim ipſe veniret in carne, homo erat cæcus, & mutus, & ſurdus & paralyticus, & leproſus, & claudus, & in omnibus vitijs naturæ contrarijs mortuus: At poſteaquam humana pro nobis peregrinatione ſuſcepta, miſericordiam ſuam oſtendit, mortuum ſuſcitauit, claudum fecit ambulare, & cæcum aſpicere, & mutum loqui, & ſurdum audire, & nouum hominem conſtituit, ab omni liberum infir- D mitate. Porrò in crucem ſublatus duos ſecum latrones aſſumpſit. Quorum is, qui à dextris ipſius erat, laudabat eum, ac precabatur, Memento inquiens, mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. *Luc. 23.* Alter autem, qui à ſiniſtris erat, eum maledictis inſectabatur. Mens antequam è negligentia reſipiſcat, cum inimico eſt: at ſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus illam è negligentia ſuſcitarit, eíque dederit, vt omnia queat diiudicare, tum poterit in crucem aſcendere. Quod ſi inimico calumniante ad negligentiam redierit, fiet id quod de duobus latronibus dictum eſt, quos Dominus noſter Ieſus Chriſtus à mutua beneuolentia ſeparauit, quorum vnus blaſphemabat eum, alter autem ita precatus eſt, vt meruerit audire, hodie mecum eris in paradiſo. Hic eſt ille la- E tro qui paradiſum etiam furatus eſt, & comedit de ligno vitæ. *Luc. 23.* Idem rurſus de ſancta communione dicebat, eius eſſe munus, vt nos coniungat atque vniat cum Deo. Quod cùm ita ſit, Vbi eſt, inquit iſta coniunctio, ab ira aut æmulatione, aut odio, aut ambitione, aut inani gloria, aut alijs vitijs ſuperati longè abſumus à Deo? Idem cum oramus, inquit, & aliqua ex perturbationibus eiuſmodi viget in corde noſtro, inanis eſt noſter labor, & minimè gratus ipſi Deo. Cur igitur, reſpondit quidam è ſenibus, eo tempore non inhabenter reſpondit: Cùm pluit ſuper terram in qua ſemen eſt, germinat. Quod ſi non habeat ſemen, non germinat. Studeat igitur quiſque mala ſemina eijcere de corde ſuo, ne exoriantur. Deus hominem vult omnibus in rebus eſſe ſimilem ſui. Ideò venit in mundum &

paſſus

paſſus eſt, vt natura hominis prauam immutaret, & voluntates noſtras abſcinderet,& falſam cognitionē, quæ noſtros animos occupat, expelleret. Cætera enim animalia naturam propriam cōſeruarunt. Homo verò mutanit naturam ſuam. Quamobrem quemadmodum iumenta homini ſubiecta ſunt, ſic quiſque debet eſſe ſubiectus proximo ſuo propter Deum. Idcircò enim Dominus venit. Vide, quantò iumēta præſtent hominibus; qui ſcientia ſua innituntur. Si ad naturam meam redire voluero, quemadmodum iumenta parent alienę voluntati, ſic mihi faciendum erit, non ſolùm cum familiaribus, ſed etiam cum aduerſarijs meis. Hæc eſt enim voluntas Dei. Qui cellulæ ſuæ quiete vult frui,& ab inimico non ſuperari, ab hominum recedat conſuetudine, nequenquam vituperet, aut laudet, aut beatum putet, néve iuſtitiam ſuam prædicet, aut quempiam offendat, ſed ſibi ipſe attendat, nec inimici aculeum cogitationis relinquat in corde ſuo. Noli mentem tuam ignorantibus aperire, nec voluntatē tuam imprudentibus patefacere. Noſce teipſum, & quæ tibi pernicioſa ſunt, caue. Qui propria confiſus iuſtitia voluntatem amplectitur ſuam, nec hoſtis inſidias effugere poteſt, nec quietē inuenire, nec quæ ſibi deſunt intelligere, nec, cum è corpore diſcedit, miſericordiam aſſequi. Hæc rerum omnium ſumma, vt ſpes tuas omnes in Deo poſitas habeas, ad eúmque toto corde ac viribus tuis confugias, & erga omnes miſericors ſis, atque peccata lugeas tua; Deique auxilium ac miſericordiā implores. Quod autem attinet ad docendos proximos mandata Dei, vnde, inquit, ego ſcire poſſum, me Deo gratum eſſe, vt hoc aut ille alteri faciēdum præſcribere audeam, cum adhuc ipſe defleam peccata mea? Qui enim aliquando lapſus eſt, lugere debet nec tutus eſt, antequam ſe veniam nouit impetraſſe. Homo quidem peccat, Deus autem miſeretur. Cor tuum ſecurum eſſe non poteſt prius quàm accedas ad iudicium Dei. Quòd ſi cupis intelligere, verum tibi peccata condonata ſint, illud magnum eſt argumētum, ſi nihil ex illis amplius eſt reliquum in corde tuo. At ſi viuunt adhuc, & memoria commouetur, neque tu id admodum curas, malum eſt ſignū. Luge igitur, & dole, ac contremiſce, donec à Deo miſericordiam impetres. Si quis à te doceri vult, nec tamen facit ea, quæ ſtudioſè illi præcipis, ſed ſubinde reuertitur idem flagitans declina ab eo. Docet omnes Deus qui audire volunt. Quis docuit Cain & Abel, vt hoc facerent, ab eo abſtinerent, cùm lex adhuc ſcripta non eſſet? Fruſtra diſcendo laborat homo, qui Deum magiſtrum non habet. Si quis verba pronuntiat inutilia, audire noli, ne perdat animam tuā. Quòd ſi ea te offenditur, ne ſit tibi curæ. Dic, animus meus hæc ferre non poteſt, omitte ea, obſecro, neque enim maior ego ſum primo illo homine, quem manibus ſuis formauit Deus, & prauis colloquijs corruptus eſt. Fuge igitur, & noli audire, ſed ita fuge, vt quæ dicuntur penitus obliuiſcare: Nam ſi quid memoria tua reſidere permiſeris, illud dæmones minimè negligent, ſed occident animam tuam. Idem; Quantum inquit, video, lucrum, & honor, & otium ad mortem vſque hominum oppugnant. Qui alios docendi ſibi munus arrogat, lædit animam ſuam, & dum proximum corrigere profitetur, atque eius domum ædificare, ſibi ipſe ruinam atque interitum ſtruit. Caue ne peccando coinquines innocentiam quam in baptiſmate accepiſti. Etenim ſiue pecces in corpus tuum, ſiue te furto obſtringas, ſiue cupidius aliquid intuearis, ſiue clam quippiam deguſtes, timens ne te aliquis aſpiciat, ſiue quid elegantius aut pretioſius occulte poſſideas, Dei filium afficis contumelia. Tantíne ſunt hæc, quidam inquit, ô pater Cui ille reſpondit. Quemadmodum qui defoſſo pariete pecuniam ſurripuit, à diabolo deceptus eſt ſic & is qui hoc facit. Nam qui illum vicit, vincit & hunc. Et qui paruis in rebus vincitur, in magnis etiam ſuperatur. Si quis inquit, virtutes magnas fecerit & curationes, & omnem ſcientiam habuerit & mortuos ſuſcitauerit, & afflixerit corpus ſuum, viderit autem aliquem in peccatis omnibus verſantem, eúmque deſpexerit, ea nihil ei proderunt, quia Chriſti membra contemnit, eáque ipſe iudicat, nec relinquit iudicio Dei. Dicebat nos omnes eſſe tanquam in medici officina, in qua hic oculis, ille manibus, alius fiſtula, alius alio morbo laborat: cúmque ſint quædam vulnera iam curata, tamen niſi à cibis contrarijs temperes, recrudeſcunt. Sic qui pœnitentiæ incumbit, cùm alium iudicat, aut contemnit, animæ ſuæ renouat ægritudinem. Suus igitur cuique curandus eſt morbus, ſua cuique lugenda peccata, non autem alij deſpiciendi. Væ illi animæ, quæ non abhorret ab omni peccato. Cùm eſſet populus Iſrael in Ægypto, abundè edebant, & bibebant, ſed premebantur Pharaonis ſeruitute: at cùm Deus illis miſit auxilium per Moſem, vt à ſeruitute liberarentur, tunc laboribus afflicti ſunt, nec prius Moyſes confiſus eſt, quamuis Pharao varijs plagis afficeretur, quàm tempus illud aduenit, cùm Deus dixit illi; Adhuc vna reſtat plaga, & mox Pharao dimittet populum meum. Interficiam enim omne primogenitum. Et dixit Deus ad Moſem: Dices omni plebi, vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea, veſtémque plurimam. Dicebat igitur ſe à ſenioribus audiuiſſe, vaſa argentea, & aurea, ac veſtem ſenſus ſignificare, qui inimico deſeruiunt. Quos homo niſi ab inimico extorſerit, feceritque, vt fructum afferant Deo, ad veram quietem peruenire non poteſt. Tabernaculum non obumbrauit Deus, quoad imperfectum fuit, ſed cùm eſſet abſolutum, tunc illud obumbrauit. Sic & templum nebula non obumbrauit, quamdiu illi quicquam defuit: at vbi perfectum fuit, oblata ſunt holocauſta & odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis. Niſi homo ex totis viribus ſuis, & ex tota mente ſua Deum dilexerit, eíque toto corde coniunctus fuerit, ſuper eum Deus non requieſcit. Si mens, inquit, antequam ſenſus domet, velit in crucem conſcendere, prouocat iram Dei. Rem enim viribus ſuis maiorem aggreditur. Si mala te cogitationes coinquinant, tu autem non doles in corde tuo, ſed foues ea, vnde proficiſcuntur, veterem Adam imitaris. Si in illud ſtudium incumbis, vt peccatum ſuperes, te ipſum affligens, & omnes remouens occaſiones, & Dei opem implorans; Tua inquiens, Domine, eſt miſericordia; vt liberes me. Ego enim ſine auxilio tuo manus inimicorum meorum effugere nequeo. Si hæc facis, & diligenter operam das ne offendas eos, qui in te ſecundum Deum erudiunt, Ieſu naturam imitaris. Et ipſe cuſtodiet te ab omni malo. Quoniam eius eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad eos qui mundo renuntiarunt,

Oratio IX.

Si mundo renuntiaſti, téque Deo per pœnitentiam addixiſti, ne ſinas ea te affligi cognitione, quaſi veterum peccatorum veniam non impetraris. Neque rurſum eius mandata contemnas, & ad eadem peccata reuertaris. Ad mortem vſque ſerua diuina mandata, & ea nunquam deſpice. Cùm mulieribus cibum ne capias, nec tibi cum iunioribus familiaritas intercedat. Eodem in lectulo cum nemine dormias. Te ipſum quoque dum ſolus es, dum induis, aut exuis, reuerere. Si vrget neceſſitas, ad tertium vtrumq; vini poculum bibe. Menſuram hanc amicitiæ gratia tranſilias caue. Eum ne incolas locum, vbi peccādo Deum offendiſti. Orationis ſtudium noli remittere, ne incidas in manus inimicorū tuorum. Pſalmorum incumbe meditationi: ea enim te in innocentia continebit. Corporis afflictiones amplectere, & vitia reprimētur. Ne qua in re tibi placeas caue. Peccata tua aſſiduè defle. A mendacio abhorre: expellet enim abs te timorem Dei. Cogitationes tuas in omnium conſpectu ne retexeris, ne proximo tuo ſis offendiculo.

Aperi cogitationes tuas patribus tuis, vt gratia Dei te protegat. In opere & labore manus tuas exerce, & timor Dei tecum habitabit. Si fratris tui peccatum videris non ad mortem, eum ne deſpexeris, ne incidas in manus inimici tui. Eorum quæ admiſiſti memoria ne delectare, ne renouentur in te peccata tua. Humilitatem amplectere, & proteget te à peccatis tuis. Noli eſſe contentioſus, ne omnis in te habitet improbitas. Ne ſis apud temetipſum prudens ne incidas in manus inimicorum tuorum. Cor tuum inclina, vt libenter obediat patribus tuis, & gratia Dei habitabit in te. Linguam tuam aſſuefacito vt dicat; Da mihi veniá, ignoſce mihi: & humilitas ad te veniet. Dum reſides in cella tua, his tribus aſſiduè vaca, orationi, meditationi, & labori manuum tuarum. Ita viue, vt ſi diem agas quotidie vltimum, & non peccabis. Ventri noli indulgere, ne priſtina in te peccata renouentur. In omni loco atque opere deſidiam vita, ne te inimici vis opprimat. Quæ Dei ſunt aſſiduè meditare, & Deus in te requieſcet. Quemadmodum domus extra ciuitatem diruta fit locus fœtidus: ſic anima pigri monachi vitiorum fit domicilium. Orationi cum lachrymis incumbe, vt Dei miſericordia veterem hominẽ peccatis onuſtum exuat. Labor & paupertas, & hoſpitalitas, & afflictio, & ſilentium pariunt humilitatem. Humilitas verò veniam impetrat omnium peccatorum. Poteſt autem Domini & Dei noſtri benignitas nos ita corroborare, vt voluntatem ipſius agnoſcentes ac facientes, miſericordiam inueniamus cum omnibus ſanctis, qui mandatis eius obtemperarunt, Amen.

Euſdem argumenti.

ORATIO X.

SANCTO Petro Apoſtolo Deus oſtendit, nullum debere communem aut immundum hominem exiſtimari. Cuius mundum eſt cor, is omnes homines mundos exiſtimat: at qui vitijs cor habet inquinatum, is neminem mundum putat, ſed ſui ſimiles omnes arbitratur: quòd ſi quis dixerit aliquem eſſe virum bonum, ſtatim iraſcitur in corde ſuo. Cauete igitur, ne quempiam aut apertè, aut in animo veſtro vituperetis. Quantò ſe quiſque negligentius explorat, tantò ſe iudicat amiciorem Dei. Et qui ſtudet ſe à vitijs & perturbationibus expurgare, erubeſcit in cœlum tollere oculos ſuos in conſpectu Dei: ſe enim perſpicit ab illo abeſſe quàm longiſſimè. Homo quidam duos ſeruos habebat, & miſit eos in agrum ſuum, vt meterent triticum, iuſſitque vt ſeptena ſinguli vna die iugera meterent. Alter ipſorum totis viribus operam dedit, vt Domini faceret imperata: Sed tamen opus explere non potuit, quoniã vires ipſius ſuperabat: Alter autem otio ſe dedit; Ecquis, ſecum ipſe inquiens, tantum opus vno die queat perficere? iuſſa igitur negligens, nulla afficiebatur ſolicitudine, ſed modò dormiens, modò oſcitans, modò ſeſe vertens, vt oſtium vertitur in cardine ſuo, diem temerè cõſumpſit. Cùm autem veſper aduenisſet, ad Dominum reuerſi ſunt. Qui cùm ſerui diligentis laborem intellexiſſet, licet totum ab eo non eſſet opus perfectum, tamen hominem laudauit. Alterum autem vt inertem ac deſidem contemptorẽ domo ſua malè mulctatum extrudi iuſſit. Nos item in omni opere, & afflictione nauiter ac totis viribus laboremus, & Deus nos ſine dubio ſuſcipiet cum ſanctis ſuis. Debet homo preces aſſiduè fundere in conſpectu Dei magna cum humilitate cordis, & corporis afflictione, nec vllo in opere ſuo ſibi placere, nec humanis laudibus extolli, aut vituperationibus deprimi. Sed frequẽter peccatorum ſuorum recordari. Sic enim cor ab inimicis ſuis requieſcet. Nullum verbum acerbum exeat ab ore tuo. Neminem coram laudes, aut vſquam vitiperes. Omnes animæ fores, id eſt ſenſus diligenter occlude atque cuſtodi, ne per illas aut euagetur, aut mundi verba ad eam perferantur. Beatus qui continenter luget peccata ſua, Amen.

De grano ſinapis.

ORATIO XI.

MAGNVM in exiguo ſinapis grano myſterium continetur, quemadmodum Patres dixerunt, ideóque ad noſtram doctrinam ſcriptum eſt: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quod omnium eſt ſeminum minimum, cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius. *Matth. 13. Luc. 13.* Hæc cùm ita ſe habeant, conſentaneum eſt, vt huius granuli facultates imitemur. Cùm enim illud ex omnibus ſeminibus dicat eſſe minimum, oſtendit humilitatem nobis eſſe complectendam: vt manſuetudine & patiẽtia nobis omnes homines anteponamus. Rubor in eo verecundiam ſignificat & caſtitatem, vt nullum in carne noſtra dedecus admittamus. Acris in eo vis indicat odium aduerſus vitia, & mundi vanitates. Quòd autem vis eius non patet, niſi tractetur, & conteratur, demonſtrat nihil virtutem prodeſſe, niſi labore, atque vſu, & exercitatione actio prodeat & cõſequatur. Valet etiam ad corpora condienda, ne putreſcant, aut fœteant. Hoc igitur granulo quod regno cœlorum eſt ſimile, quod Chriſtus eſt, voluntates noſtras ſolutas ac mortuas conſpergamus, ne putreſcant, & vermibus ſcateant. Idcircò enim Dominus Ieſus factus eſt homo, ne ſoliciti ſimus, ne mundi curis diſtrahamur, ſed ipſum pro viribus imitemur. Ad huius granuli normam nos exploremus, videamus vtrum illi cordis humilitate, animi manſuetudine, charitatis ardore ſimiles ſimus. Ipſe autem Dominus Ieſus nos miſericordia ſua confirmet, vt voluntati eius pareamus, quoniam eius eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

De vino. **ORATIO XII.**

VINI & naturæ hominis myſterium ſic intelligitur. Debemus cor noſtrum integrum cum omni ſanctitate ſeruare, ſi volumus, vt in eo Deus cum lætitia degat. Dolium niſi vndique ſit pice illitum, & nullas habeat rimas, vinum non poteſt cõtinere: Cor niſi humilitate & caſtitate muniatur, & nullas habeat vitiorũ rimas, Dei non poteſt eſſe domicilium. Fieri enim inquit, ne Deo quis ſimul, & voluptatibus ſeruiat. Caueamus diligenter, ne in corde noſtro ſit odium, aut inimicitia: hęc enim arcent hominem à vera pœnitentia: vt Deo placere non poſſit. Feruet initio vinum: ſic & adoleſcentia, paulatim feruorem remittit vinum, tandémq; conſiſtit: ſic æſtus adoleſcentiæ tempore ſedatur, tandémque cõſtituitur, dum patrum diſciplina erudimur, & eorum præceptis obtẽperamus. Non infertur vinum in cellam, niſi prius conſiſtat: Non admittitur in aliorum cœtum, cuius non eſt conſtantia varijs antè rationibus explorata. Sic cum vinaceis vinum relinquatur, aceſſit. Sic & adoleſcens ſi cum illis, qui ſanguine ei coniuncti ſunt, aut certè ab inſtitutis eius alieni, ſinatur verſari, diſciplinam à patribus traditam corrumpit, & bonos mores. Niſi vinum in locis profundis & ſubterraneis recondatur, euaneſcit: Sic adoleſcentiæ labores omnes ſunt vani, niſi in humilitate conſeruentur. Vinum, quod ſubinde mouetur & guſtatur, deterius fit: ſic & homo, qui ſtudia & actiones ſuas frequenter oſtentat, inani gloria, amittit perfectionẽ. Si dolij os apertum manet, culices ingrediuntur, & vinum corrumpunt: Idem accidit in multiloquio, & facetis vaniſque ſermonibus. Vinum ventis expoſitum amittit gratiam ſuam: & ſuperbia perdit omnem hominis fructum. quieſcit vinum in locis penitus abditis, & operitur: Sic qui virtutem colit, in ſilentio conquieſcit, & regit labore ſtudia ſua. Hæc omnia in vino obſeruãtur, vt placeat Domino ſuo: Debet hæc omnia quiſque cuſtodire, vt placeat Deo. Porrò quemadmodum vino non creditur, quale ſit, niſi

hauriatur

hauriatur & deguſtetur; ſic homo non debet ſibi ipſi fidere, ſed in timore verſari, donec occurrat Deo, à A quo opera ipſius comprobentur. Ac quemadmodum ſi qua in dolio rimula exiſtat, defluit vinum, antequam Dominus ſciat, ſi negligens eſt: Sic quælibet res quamuis exigua fructum excutit hominis negligentis. Studioſè igitur, fratres, ab omnibus offenſionibus & peccatis caueamus, vt Deus nobis miſericordiam & gratiam ſuam in iudicij die largiatur, quod faciet ille profectò, ſi pro infirmitatis noſtræ viribus mandata eius obſeruauerimus. Cæterum tua eſt Domine, potentia, & miſericordia, & auxilium, & protectio, & venia, & patientia. Quis enim ego ſum in manu malorum, à quibus me liberaſti? Ego nihil habeo quod tibi dem. Peccator ego ſum, atque indignus omnibus donis tuis. Tu me è manibus inimicorum meorum eripuiſti: Tu B es Dominus meus, & Deus meus. Tua eſt gloria, & miſericordia, & defenſio, & præſidium, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad eos, qui initiantur & tendunt ad perfectionem.

Oratio XIII.

Luc. 7. HÆc ſunt ſigna, quæ fecit Dominus Ieſus, antequam in crucem aſcenderet. Euntes, inquit, renunciate Ioanni, quæ audiuiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Qui ſpem ſuam in hoc mundo C ſitam habet, cæcus eſt. At ſi hac ſpe omiſſa, animũ ſuum ad ea, quæ in altera vita expectantur, intenderit, viſum recipit. Claudus eſt, qui amat hoc ſæculum, quòd ſi eo neglecto, Deum diligit, carnemque contemnit, rectè incedit. Surdus eſt, qui vanis diſtractus occupationibus, diuinis rebus minimè vacet. Quod ſi relictis omnibus, capeſſit præcepta Dei, iam audiuit. Qui odio, aut inuidia, aut æmulatione, aut maledictis proximum ſuum inſectatur, leproſus eſt, & iccircò, vt olim leproſi, arcendus eſt ab altari. Quòd ſi vitia eiuſmodi expulerit, mundus erit. Si igitur reſpiciat cæcus, ambulet claudus, ſurdus audiat, & leproſus mundetur, homo qui negligẽtiæ tempore in his vitijs erat mortuus, in vitam reuocatur, & fit homo nouus, ac deinceps euãgelizatur, cùm antea pauper ſenſibus fuerit, virtutum diuitijs carens, & hæc D renunciat ei, à quo baptizatus eſt. Baptiſma eſt afflictio Matth. 3. cum humilitate atque ſilentio. Ioannes enim, vt ſcriptum eſt, indumentum habebat ex pilis cameli, zona pellicea erat circa lumbos eius, & in deſerto verſabatur: quod afflictionis eſt ſignum, ac pœnitẽtiæ, quæ mundat hominem, ac talem reddit, vt vacet ei in crucem aſcendere. Crux autem eſt futuræ immortalitatis indicium: Sed opus eſt prius, vt ora claudat Phariſæorum, & Sadducæorum. Sadducæi figuram gerunt infidelitatis, & obſtinationis: Phariſæi autem malitiæ, & ſimulationis, & inanis gloriæ. Scriptum eſt enim; Et nemo ex illa die auſus eſt amplius Ieſum interrogare. Poſtea miſit Petrũ Matth. 21. Luc. 22. & Ioannem, vt pararent Paſcha. Cùm enim mens ſe ipſam viderit nullis obſtrictam vitijs, paratur ad immor- E talitatem, ſenſúſque ſuos eodem dirigit, & ſecum coniunctos habet. Ieſus autem orauit, dicens: Pater mi, ſi Matth. 26. fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte in hac hora. Quod nobis eſt documento, vt cùm mens vult in crucem conſcendere, multum incumbat orationi & lachrymis, ſuppléxque ſemper proſternat ſe in conſpectu Dei, benignitatis eius opem implorans, vt roboretur & cuſtodiatur, donec reſurgat in nouitate ſancta atque inuicta. Crucis enim tempore magnum imminet periculum. Cùm autem orat, Petrum & Ioannem & Iacobum adhibere ſocios debet, id eſt integram fidem, ſpem conſtantem, & ardentem charitatem. Atque hæc quidem geſſit, & pertulit dilect' Dominus ac Deus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis, & omnibus in rebus nobis exẽplum fuit, vt inquit Apoſtolus, vt cognoſcamus eum, & virtu- A tem reſurrectionis ipſius, & participes ſimus paſſionum eius, mortíque conformemur, vt occurramus ad reſurrectionem mortuorum. Fel ipſe pro nobis guſtauit, vt nos improbam omnem cupiditatem abijciamus & os noſtrum obſtruamus, nec ſinamus illam ex eo prodire ac perfici. Guſtauit acetum pro nobis, vt nos omnem arrogantiam & perturbationem extinguamus. Sputis conſperſus eſt pro nobis, vt nos mundi laudes & humanam gloriam aſpernemur. Spinea corona caput eius cõfixum eſt pro nobis, vt nos humilitatis corona redimiti, inimici ſuperbiam conculcemus. Quòd autem verberibus affectus eſt Ieſus, antequam in crucem ageretur, nobis documento, vt omnes hominũm contumelias, atque iniurias æquo animo feramus. Iam quòd veſtimenta eius B ductis ſortibus inter ſe diuiſerint, admonemur, vt rerum caducarum iacturam paruipendamus, & crucem amplectamur, rapinam bonorũ noſtrorum, vt Paulus ait, cum Hebr. 10. gaudio ſuſcipientes, quandoquidem meliorem & manentem ſubſtantiam habemus in cœlis. Hæc omnia debet homo præſtare pro viribus ſuis, alioquin in crucem cum Domino non conſcendet. Porrò, cùm hora ſexta crucifixus ſit pro ſalute noſtra cum tanta cordis acerbitate, debemus ignauiam omnem ac formidinem deponere, donec peccatum intereat: quoniam vt ſcriptum eſt, per crucem interfecit inimicitiam in eo. Nam quòd Ephes. 2. hora nona clamauit Ieſus voce magna, Deus, Deus meus, quid dereliquiſti me? noſtrum eſſe declarat, poſteaquam vitia nos acriter affligentes deuicimus, vt tandem cum humilitate clamantes ad Deum, fiduciam ſu- C mamus. Quòd autem ſole obſcurato Dominus remiſit ſpiritum, intellige tunc in te mortuum eſſe peccatum, cum ſpes rerum, quæ in hoc mundo cernuntur, in animo tuo defecit. Et velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum: quod ſignificat, ſi mens fuerit liberata, interſtitium quod inter illam & Deum intercedit, ſublatum iri. Petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta: quoniam per mortem illam nobis adhibitam omne pondus, & cæcitas, & quæcumque premunt animam noſtram, confringuntur, & ſenſus, qui morti fructum ferebant conualeſcunt, atque excitantur inuicti. In ſindone munda & aromatibus inuolutus eſt: vt nos poſt eius mortem in ſanctitate atque immortalitate conquieſcamus. Et poſuerunt illum in monumento nouo in quo nemo po- D ſitus fuerat, & voluerunt lapidem magnum ad oſtium monumenti. Cùm mens ab omnibus huius ſæculi perturbationibus liberata ſabbatum agit, eſt in monumẽto nouo, & res nouas atque incorruptas meditatur. Vbi Luc. 17. corpus eſt, illuc congregabuntur & aquilæ. Surrexit in gloria Patris ſui, & aſcendit in cœlos, & ſedet in dextera maieſtatis in excelſis. Noſtrum igitur eſt Apoſtolus ait, Coloſſ. 3. vt ſi cum Chriſto conſurreximus, quæ ſurſum ſunt inquiramus, vbi Chriſtus eſt in gloria Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapiamus, non quæ ſuper terram. Mortui enim cum Chriſto ſumus, qui pro ſancto nomine ſuo faciet nobiſcum miſericordiam ſuam: noſtras enim tulit infirmitates, vt peccata noſtra deleret, nóſque in ſanctorum ſuorum numero collocaret, qui viuit & regnat E in ſæcula ſæculorum, Amen.

Beati Eſaiæ Abbatis luctus & lamentatio.

Oratio XIIII.

ME miſerum, me miſerum, quia nondum à gehennæ igne ſum liber. Qui ad illam homines detrahunt, adhuc in me operantur: & omnia opera eius mouentur in corde meo. Qui me in incẽdium conantur demergere, agunt adhuc in corde meo, & fructus ſuos proferre cupiunt. Nondum mihi conſtat, quoniam hinc ſim profecturus. Nondum mihi parata eſt recta via. Nondum planè liberatus ſum ab aëreis poteſtatibus, quæ mihi per mala mea opera dominari conantur.

Nondum liberatorem meum ſuſcepi, qui venit vt me ab ipſis vindicaret. Adhuc enim in me viget earum im- A probitas. Nondum video, quæ mibi apud iudicem poſſit eſſe fiducia. Nondum exploratum habeo, vtrum morte mulctandus ſim, necne. Nondum ex reorum numero exemptus ſum. Reus qui in carcere vinctus eſt, non lætatur. Qui ferreis obſtrictus eſt vinculis, facere voluntatem ſuam nō poteſt. Non docet alios, qui compeditus tenetur. Qui in doloribus verſatur, non valet quieſcere. Non edit cum voluptate, cuius collo iniectus eſt laqueus. Neque amplius cogitat, quomodo alia ſcelera committat, ſed in luctu & mœrore degit ob illa, quibus obſtrictus eſt, & propter quæ meritò cruciatur. Qui conſiderat extrema illa ſupplicia, quibus afficiendus eſt propter peccata ſua, is animū in cæteris iudicandis non habet occupatum: cor eius ſtimulat dolor tormento- B rum: cruciatuum cogitatio nō ſinit eum eſſe curioſum: de cibis non eſt ſolicitus. Non reſpondet illis, à quibus afficitur contumelia: patienti animo fert omnes iniurias, ſeque dignum illis exiſtimat: riſus ab eo procul abeſt: cum ſuſpirio & gemitu formidandi iudicij in quo ſiſtendus eſt, recordatur: ſi quid audit, nō animaduertit, vtrum cum laude dictum ſit, an contrà doloris magnitudo ingentem ex oculis eius copiam exprimit lachrymarum: ſi ex claris parentibus ortus eſt, magis etiam dolet, quoniam in iudicio tam multis ſpectantibus videndus eſt: in populo non cōſiderat, qui boni, qui mali ſint: ſi vnà cùm ipſo alij vincti trahuntur, non attendit illis, nec cōſultat cum eis, quid agendum ſit. Onus enim fert quiſque ſuum. Dum ad ſupplicium trahitur, oculos C humi defixos tenet: nemo de illo audet verba facere propter metum tormentorum. Ea quæ patrarit, quamobrem meritò damnatus ſit, ipſe confitetur. Quamdiu igitur ebrius ero ſine vino, & hæc quæ ante me ſunt negligam? Ariditas cordis mei oculos meos exiccauit. Et ſolicitudinis ebrietate caput meū exhauſtum eſt. Animi diſtractio ad horam vſq; tenebratum mihi obliuionem adduxit. Corporis neceſſitas deuinxit me: & interitus de via me cogit deflectere. Neque amicum habeo, qui de me loquatur; nec munus eſt mihi, quod ciuibus mittam. Fama calamitatum quibus afficior, facit vt me non agnoſcant. Si eos imploro, non audiūt me. Vident enim me nondum à doloribus liberum. Cor meum conſolationem non inuenit. Peccatorum enim aculeus ſine vlla intermiſſione me ſtimulat: & onus iniquitatū mearum D ingraueſcit. Nec tamen ignis vim planè reformido, quoniam in illum me iniectum iri exploratum non habeo. Clamor in auribus meis inſonat, in propinquo ſupplicium eſſe. Vulnera quæ ſanata videbantur, in corpore meo recrudeſcunt, nec tamen adhuc computruerunt, vt medium requiram. Contego vulnera mea, ne ab hominibus videantur, & pati nequeo, vt ea medicus curet. Acerba inferre vult ille medicamēta, ſed ego non patior. Bonus eſt medicus, nec mercedē à me requirit, & ego ſum ita piger, vt ad eum grauer accedere. Vltrò ipſe ad me venit, vt mihi medeatur, & inuenit me comedentem, quæ vulneribus ſunt contraria. Hortatur me, vt deinceps abſtineam, & veſcendi voluptas cor meum decipit. quoties comedo, toties me pœnitet comediſſe, E ſed pœnitentia mea non eſt vera. Mittit ille mibi, quod comedam, vt conualeſcam. At mala conſuetudo ea me ſuſcipere non permittit. In ſumma, quid agam, ignoro. Lugete mecum, omnes vos fratres mei, vt Dei auxilium viribus meis maius ad me deſcendat, vt me regat, & doceat; Quoniam ipſius eſt regnum, & gloria, nunc & ſemper, & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

De mundi renunciatione.

ORATIO XV.

RATIONIBVS noſtris conſulamus chariſſimi, quoniam tempus breue eſt. Animo vacare non poteſt, qui de corpore ſolicitus eſt. Quemadmodum nemo poteſt oculum vnum in cœlum tollere, & alterum humi A defigere, ita mens nequit, quæ Dei & quæ mundi ſunt ſimul curare. De ijs quæ tibi non proſunt, te adeò fuiſſe ſolicitum erubeſces, cum è corpore exceſſeris. Deum time, qui tuas cogitationes attuetur. Quæ coram hominibus facere erubeſcis, ea & occultè cogitare turpe puta. Vt arbor ex fructu cognoſcitur, ſic ex cogitatione mens qualis ſit, intelligitur. Quamdiu peccato pates, ne te liberum putes. Qui vera fruitur libertate, is in eorum quæ turpiter admiſit, meditatione non immoratur. Ne te igitur liberum exiſtima, donec Dominum prouocas ad indignationem. Libertas non aduenit, quoad animus aliquid eorum quæ in mundo ſunt, concupiſcit. Ea te cura ſoliciter, quòd reſurrecturus ſis, & Deo rationem redditurus. Deum time, qui ſingula quæ feciſti, iudicaturus eſt. Qui tam ſolicitus es, ſi corpus ægrotat, vt illud B cures: cur non ſtudes, vt in reſurrectione beatum efficiatur? Quotidie antequā Deo preces effundas, tecum ipſe conſidera, quod vitium ſuperaris. Quemadmodum terra ſine ſemine & aqua fructum ferre non poteſt: ſic agere nequit homo pœnitentiam ſine humilitate & corporis afflictione. Aeris circumfuſi & ſpirantis afflatu florent germina. Et mandatorum obſeruantia floret homo. Quæ quidem obſeruantia fidei in Deum eſt argumentum. Timor Dei conſcientiam integram & tranquillam conſeruat. Si tibi in cellula commoranti voluptas ſenſus tuos libidine titillauerit, primos cogitationis impetus cohibe, ne te corripiant. Deum eſſe præſentem recordaro, cuius oculis vel cordis arcana ſunt manifeſta. Sic igitur animam tuam alloquere: Si vereris, C ne te peccātem aſpiciant peccatores ſimiles tui, quantò magis Deum vereri debes, qui penitus abdita & occulta contuetur? His verbis Dei timor excitabitur in corde tuo, quem quidem Dei timorem ſi amplecti volueris, immobilis atque inuictus aduerſus vitia permanebis. Sicut ſcriptū eſt: Qui confidunt in Domino, non commouebitur in æternum qui habitat in Ieruſalem. Qui *Pſal. 124.* credit ſibi cùm è corpore diſceſſerit, iudicium eſſe ſubeundum, is nulla in re iudicat proximum ſuum. Oportet *Rom. 14.* enim, vt ſcriptū eſt, omnes nos ſiſti ante tribunal Chriſti, *2. Cor. 5.* vt vnuſquiſque recipiat ex operibus, quæ geſſit in corpore ſuo, vel præmium, vel ſupplicium. Qui credit, futurum eſſe ſanctorum regnum, cauet ne in paruis, aut minimis rebus peccet, vt fiat vas electum. Nam ſimile D inquit, eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quas cùm impleta eſſet, extrahentes elegerunt bonos, & putres abiecerūt. Qui credit corpus ſuum in die iudicij reſurrecturum, *Matth. 13.* debet illud ab omni ſorde & macula purum integrúmq; ſeruare. Reformabit enim, vt ſcriptum eſt, corpus humilitatis noſtræ, vt ſit conforme corpori claritatis ſuæ ſecundum operationē virtutis ſuæ. Nihil eſt in hoc mundo, quod eum, in quo Dei charitas habitat, poſſit ab illa ſeparare. Quis enim, inquit, Apoſtolus, nos ſeparabit *Philip. 3.* à charitate Dei? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Vtinā nos inter illos reperiat Deus quos nulla res huius mundi ſeparauit à charitate Chriſti, vt vnà cum illis in- E ueniamus miſericordiam per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius cum Patre ingenito, & Spiritu ſancto eſt gloria, & imperium, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

De gaudio animæ Deo ſeruientis.

ORATIO XVI.

IN primis hortor te in timore Dei, vt ex eius voluntate perfectus ſis, ne labores tui ſint inanes, ſed Deo grati. Qui enim negotiatur, lucrū faciet, ideóq; lætatur, nec conſiderat, quos labores pertulerit. Qui duxit vxorem, eam ſtudioſè obſeruat atque cuſtodit, & cor eius in illa conquieſcit. Miles pro rege ſuo pugnans mortem deſpicit,

deſpicit, vt corona donetur. Hæc iſtius mundi ſunt opera, & qui ea faciunt gaudent. Quod cùm ita ſit, quo-
A niam gaudio affici debet animus illius, qui Dei ſeſe addixit ſeruituti, & in eo ſtudio ſe nauiter gerit, cùm conſiderat Angelos ſibi ex hac vita diſcedenti obuiam venturos, gratulaturóſque, quòd ex tenebrarũ poteſtatibus fuerit liberatus? Cùm enim anima è corpore egreditur, Angeli cum ipſa proficiſcũtur: Tunc autem occurrunt illi omnes tenebrarum poteſtates, exquirúntque, ſi quid in ea proprium inueniãt, vt illam ſibi vendicent. Contra verò tum Angeli pugnant, tum multo magis opera, quæ ipſa fecit, quibus ab aduerſarijs oppugnantibus defenditur, & cuſtoditur, vt eam attingere nequeant. Quòd opera bona vicerint, tunc eius præconium canunt Angeli, donec eum lætitia Deo occurrat. Quo quidem tempore omnium laborum, quos in mundo pertulit,
B obliuiſcitur. In hoc ergo exiguo vitæ curriculo alacriter laboremus, & opera noſtra ab omni malitia pura atque integra cuſtodiamus, vt è manibus inimicorum noſtrorum, qui admodũ improbi crudeléſque ſunt, liberemur. Beatus ille, in quo nihil eorum ineſt, quoniam gaudium eius, & lætitia, & quies, & corona eſt immortalis. Huius autem mũdi diuitiæ & voluptates ſunt vanæ. Ploremus coram Domino pro viribus, vt ipſe pro benignitate ſua noſtri miſereatur, nobiſque ferat auxilium, quo nos adorientibus inimicis reſiſtamus. Curam noſtri geramus cum ſeueritate, deſiderióque feramus in Deum, vt tunc ex improbis inimicorum manibus nos eripiat; Pauperes benignè complectamur, vt nos ab auaritia liberet.
C Omnes fratres noſtros pariter diligamus, neminem omnino odio proſequentes, neque vlli malum pro malo reddamus, atque ita ab æmulatione liberabimur. Pacem cum omnibus, tam paruis, quàm magnis habeamus. Omnibus in rebus humilitatem ſeruemus, proximóque cedamus, quamuis iniuria, aut contumelia affecti, vt à ſuperbia liberi ſimus. Proximum noſtrum, licet vituperemur ab eo, honore proſequamur, & à maledicentia erimus alieni. Mundi delicias & dignitates contemnamus, vt ab inuidia ſimus integri. Linguam in Dei laudibus & precibus contineamus, vt mendacium à nobis procul abſit. Animum & corpus noſtrum à libidine arceamus, vt puri caſtique ſimus. Hæc enim animam, cùm è corpore egreditur, tuentur atque defendunt, & virtutes ei ſunt auxilio, ſi
D eas poſſederit. Quis ſapiens recuſet mortem oppetere, vt à mundi miſerijs, & peccatis liberetur? Faciamus, quod in nobis eſt, & virtus Domini noſtri Ieſu Chriſti noſtræ non deerit humilitati. Nouit enim hominis infirmitatem, & idcircò conceſſit illi perfugium pœnitentiæ, quamdiu eſt in corpore, vſque ad extremum ſpiritum. Omnes igitur cogitationes tuas in Deo fige, vt te cuſtodiat. Nihil in hoc mundo ſpei ponas, ne te perdat: res enim has omnes terrenas derelinques, & emigrabis. Quicquid autem geſſeris propter Deum, id te neceſſitatis tempore comitabitur. Quæ mundi ſunt, odio proſequere, vt Deum cor tuum videat. Orationi continenter incumbe, vt animus tuus illuſtretur. Deſidiã fuge, ne dolore afficiaris in reſurrectione iuſtorum.
E Linguam tuam cuſtodi, & Dei timorem amplectere. In pauperes benignus eſto, ne in ſanctorum cõſpectu confundaris. Ciborum ne indulgeas cupiditati, ne arceat te Amalec. A murmurationibus tempera, ne te ſerpentes deuorent. Noli vinum diligere ad ebrietatem, ne Dei lætitia priueris. Pios homines dilige atque obſerua, vt per ipſos miſericordiam conſequa te. Sanctos homines cole, vt zelus eorum comedat te. Regni cœlorum recordare, vt eius memoria te paulatim alliciat. Gehennam conſidera, vt eius opera tibi ſint inuiſa. Quotidie manè cùm ſurgis, cogita, Deo te rerum omnium, quas geſſeris, rationem redditurum, & non peccabis aduerſus illum, ſed eius timor in te manebit. Para te, vt ei obuiam procedas, & eius voluntati obtemperabis. Eorum in quibus hic deficis, quotidie rationem ſubducito, & in ipſo mortis articulo non affligeris. Videant fratres tui opera tua bona, & zelus ſanctus comedat eos. Explora quotidie, ecquod in te vitium ſuperaris, nec tibi propterea placeas, nam miſericordia, & virtus ſunt Dei. De fide & probitate tua ne extollaris, ſed ad vltimum vſque vitę ſpiritum ſta in timore. Ne tibi ipſe fidas, quamdiu viuis, donec ſuperes omnes tenebrarum poteſtates. Vigila frater, aduerſus ſpiritum homini triſtitiam afferentem. Multas enim tendit inſidias, vt opprimat te. Triſtitia quæ ex Deo eſt lætitiam affert, & hominem confirmat in voluntate Dei. Qui autem dicit tibi: Quò fugies? pœnitentiam non habes, veniam non inuenies: is ab inimico eſt, & nihil aliud quærit, niſi vt abiecta continentia incidas in deſperationem. Triſtitia verò quæ ex Deo eſt, hominem ad deſperationem non impellit, ſed contrà potius eum conſolatur, ne timeas inquiens: ad Deum reuertere, qui benignus & miſericors eſt, & nouit hominũ imbecillitatatem. Malis cogitationibus acriter reſiſte, & abs te fugient. Timidos enim ignauóſque premunt, ac ſuperant, & fidẽ in Deo nũ habere coarguunt. Qui ſibi ipſe minimè blanditur, quíque ſuam agnoſcit imperitiam atque infirmitatem, is non cupiditatibus indulget ſuis, ſed diuinæ obtemperat voluntati. Qui ſibi ipſe placet, & ſententiam ſuam cæteris anteponit, timorem Dei à ſe abeſſe oſtẽdit. Timor Dei cuſtos eſt animæ, & rationis defenſor aduerſus inimicos eius. Qui Dei gloriam quærit, à ſe fugat immunditiam. Qui prudenter ſolicitus eſt, abſcindit cupiditates. Solicitudo enim, vt ſcriptum eſt, veniet ad hominem ſapientem. Et qui ſe ipſum extenuat, nouit ſanitatem. Qui Regis ſui vicit aduerſarios, coronatur. Sunt vitia, ſunt & virtutes. Quòd ſi nos deſidiæ dedimus, deprehendimur proditores. Labor ſecundùm Deum ad virtutem auxilio eſt, deſidia vitiorum eſt mater. Eorum, qui virtutes capeſſunt, eſt vt ſi ceciderint, nõ deſperent, ſed exurgant. Moderati corporis labores in excolendis virtutibus proſunt. Ex inertia pullulant vitia. Scienter pugnantiũ murus eſt, proximum non iudicare. Murum hunc diruit, qui vituperat proximum. Linguæ moderatio prudentem indicat hominem. Qui linguæ laxat habenas, ſe procul à virtute abeſſe ſignificat. Eleemoſyna fiduciã parit: qui abhorret ab eleemoſyna, virtutis eſt expers. Bonitas mater eſt caſtitatis. Animi diſtractio gignit cupiditates. Cordis aſperitas iracundiam promit. Animi exercitatio terrenas deteſtatur occupationes. Corporis exercitatio parum vtilis eſt. Animus cõcidit, cum occupationes diligit: exurgit autem, dum moderatã quietem amplectitur. Somni ſatietas in corpore excitat cupiditates. Vigilia moderata ſalus eſt cordis. Somnus immodicus hebetat animum, moderatus autem illum acuit. Qui vigiliæ tempus in nugis conſumit, tolerabilius illud in ſomno collocaret. Vitiorum omnium comes eſt dolor. Proximi conſcientiam non pungit humilitas. Humana gloria paulatim ſuperbiam parit. Diſtentio impedit cognitionem. Ventris continentia vitia domat. Epularum ſtudium immenſas excitat cupiditates. Corporis ornatus eſt animæ interitus. Diuini iudicij meditatio animum continet in officio. Qui conſcientiam conculcat, virtutes exeunt è corde ſuo. Qui Deum timet, diligens eſt: qui illum non timet, amplectitur negligentiam. Qui os ſuum cuſtodit, prudentérque tacet, cogitationes in Deum tollit. E multiloquio deſidia prodit & furor. Qui voluntatem ſuam proximo ſubmittit, animum virtutis ſtudioſum oſtendit: Qui verò voluntatem ſuam amplectitur, præ ſe fert imperitiam. Dei timor & tacita meditatio cuſtodit animum à vitijs. Mundi colloquia cordi tenebras offundunt, & à virtutibus deterrent. Rerum amor terrenarum mentem atque animum perturbat: earum verò contemptus quietem affert & tranquillitatem. Qui celat cogitationes ſuas mundi, gloriam quærit: qui autem cogitationes ſuas patribus aperit, fugat eas à ſe. In domum quæ foribus, feneſtriſque caret quilibet ſerpens ingreditur: huic ſimilis eſt homo, qui laborat, & non

cuſtodit labores ſuos. Quemadmodum ærugo ferrum conſumit, ſic ambitio cor hominis rodit. Quemadmodum hedera vitem amplexa, fructum illius deſtruit: ſic inanis gloria hominis labores euertit. Inter virtutes excellit humilitas,& ingluuies præſtat inter vitia. Virtutũ finis eſt charitas,& vitiorum extremum eſt ſe iuſtum exiſtimare. Quemadmodum tinea lignum rodendo corrumpit, ita malitia cor hominis inuadens animam opprimit. Qui animam ſuam proijcit in conſpectu Dei, facilè perferr hominum contumelias. Qui ſeipſum non reprehendit, ab iracundia ſuperatur. Qui cum hominibus mundo deditis verſatur, ſermonéſque confert, animam ſuam perturbat, & confundit eam, adimens illi fiduciam in oratione. Qui ea quæ mundi ſunt diligit, animæ ſuæ tenebras offundit. Qui autem ea quæ mundi ſunt, planè contemnit ac deſpicit, quæ vera ſunt bona, cognoſcit & percipit. Qui labores libenter ſumit, facilè vitia domat ac fugat. Inertia verò atq; ignauia ea gignit & fouet. Ne te ciuilibus negotijs implices, & animus tuus tranquillus erit. Ne confidas viribus tuis,& diuinũ auxilium aderit tibi. Nullo cum homine inimicitias exercueris, alioquin oratio tua execrabilis. Pax tibi cum omnibus ſit, vt oratio tua Deo ſit grata. Oculos tuos cuſtodi, & cor tuum improba ne conſpiciat. Qui mulierem ſpectat cum voluptate, committit adulterium inimici iacturam ne cupias audire, ne cor tuum vltione gaudeat. Aures tuas obſera, ne tibi compares inimicos. Opere & labore manuum exerce, vt pauper panem inueniat, Inertia enim mors eſt & interitus animæ. Oratio frequens excutit ſeruitutis iugum. Qui mortem cogitat appropinquare, facilè temperat à peccatis. Qui diu ſe victurum ſperat, multis peccatis irretitur. Qui ita viuit, tanquam factorum ſuorum omnium rationem redditurus, auxilio Dei vitam ſuam ſeruat integram à peccato: qui autem contemnit, Quando inquiens, erit illa dies? ambulat in via peccatorum. Cogita vbi ſis,& quò tibi ſit abeundum, cùm è corpore diſceſſeris, & nullo tempore negligas animam tuam. Honorem conſidera, quem omnes ſancti ſunt aſſecuti, & eorum æmulatio te paulatim ad virtutem alliciet. Dedecus item conſidera, in quod peccatores omnes inciderunt, & cuſtodiet te ſemper à malis. Quicquid agis, id patrum tuorum conſilio dirige,& tempus omne traduces cum trãquillitate. Attende tibi: cùm te cogitatio ſtimulat, quòd fratrem tuum offenderis, ne illam contempſeris, ſed ſupplex ab eo veniam pete, donec eam impetres. Caue ne durus acerbúſque ſis aduerſus fratrem tuum, ab inimico enim omnes tentamur. Si cum alijs fratribus habitas, noli ſemper illis imperare, ſed ſimul labora, ne mercedem amittas tuam. Si tibi de victu veſtitúq; dæmones ſolicitudinem iniecerint, aut nimiam inopiam exprobrarint, nihil eis reſponde, ſed te ipſum in toto corde tuo ante Deum proſterne, & ipſe te conſolabitur. Caue, ne in orationibus tuis negligens ſis: ex illis enim lumen ad animam venit. Si multa bona opera feciſti, ne glorieris. Quod ſi mala rurſus multa cõmiſiſti, cor tuum ne contabeſcat deſperatione, ſed diligenter attendat, ne illis amplius obſtringatur. Si libido te premit, corpus tuum affige ſine intermiſſione in conſpectu Dei cum humilitate & quietem inuenies. Si te liuor inuaſerit, cogita nos omnes eſſe Chriſti membra, proximíque tum honorem, tum ignominiam eſſe nobis communem, & liberabetis. Si te gula ciborumque cupiditas oppugnat, fœtorem inde prouenientem conſidera,& conquieſces. Si te obtrectandi fratri vitiũ adoritur, cogita illud quàm abiecti ſit animi, inuiſúmque Deo, & recedet à te. Si te ſuperbia occupat, recordare per illam omnes excuti virtutum fructus,& abs te fugiet. Si te proximi cõtemptus inuadit, cogita Deum traditurum te in manus inimicorum tuorum,& recedet à te. Si cor tuum trahit corporis pulchritudo, quæ ſit intus in eo fœditas, conſidera, & requieſces. Si fœminæ voluptas tibi iucunda eſt, aliquid earum quæ iam mortuæ ſunt memoria repete, & quietem inuenies. Hæc omnia rationis iudicio diſcutiuntur. A Quod quidem iudicium aſſequi ſine exercitatione non potes. Primum quies eſt neceſſaria, hæc ſtudium parit, ex ſtudio humanæ miſeriæ cognitio naſcitur, quæ gignit timorẽ Dei, ex Dei timore prouenit humilitas, ex humilitate prudentia, ex prudẽtia dilectio, dilectio ſeruat animam à perturbationibus liberam. Tunc homo quã lõgè ſit à Deo, facilè intelligit. Ad hæc virtutũ ornamenta qui cupit accedere, humanam omnem abijciat ſolicitudinem, & ſe ipſum ad mortem præparet, & quoties orat, conſideret, quid ſit quod ſeparet ipſum à Deo, atque illud vitet, & mundum oderit vniuerſum: & Dei benignitas munera hæc illi omnia celeriter largietur. Ad ea verò nemo, mihi crede, aſpirabit, qui vino cibíſque indulget, & eorum quæ mundi ſunt, aliquid amat, ſed ſe ipſum decipit. Quàobrem omnes homines, qui Deum B ſibi per pœnitentiam conciliare cupiunt, hortor, vt à vino temperent. Vinum enim renouat omnia vitia, & ab anima Dei timorem expellit. Deum ora totis viribus tuis, vt ſui timorem tibi largiatur, quo poſſis omnia vitia miſeram animam tuam, vt eam in ſeruitutem redigant, oppugnantia, ſuperare. Nunquam igitur ceſſes, frater, dum es in corpore, neque tibi ipſe confidas, quamuis interdum te ſentias à perturbationibus liberum. Hoſtes enim nos ad tempus deſinunt oppugnare, vt ſtudium remittamus, quò nos imprudentes adoriantur, & infœlicem animam noſtram tanquam paſſerem rapiant, & in peccatis grauioribus detineant, quàm erant illa, à quibus vt ſolueretur, antea precabatur. Maneamus igitur in timore Dei,& virtutes omnes, quæ hoſtium malitiam C cohibent, amplectamur. Virtutes enim non ſolùm à vitijs nos vindicant, ſed animæ coronam parant, antequam è corpore diſcedat. *Matth. 24.* Magiſter noſter ſanctus Dominus Ieſus hoſtium noſtrorum cognita crudelitate, & genus humanum commiſeratus, Vigilate, inquit, quia neſcitis, qua hora fur venturus ſit, ne fortè veniat repentè,& inueniat vos dormientes. *Luc. 21.* Rurſúmque docens ſuos, videte, inquit, ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & ſolicitudinibus huius vitæ, & repentè ſuperueniat vobis hora. Cùm item ſciret nobis eſſe fortiores aduerſarios noſtros, vt doceret nos ab ipſo vim proficiſci, qua muniti eos minimè timeremus, *Matth. 10.* Ecce ego vos, inquit, mitto ſicut oues in medio luporum, Et præcepit eis, vt nihil acciperent in via. Cùm enim nihil lu- D porum haberẽt, non poterant eos lupi deuorare. Porrò cùm incolumes obſeruato mandato eius reuertiſſent, gratulatus eſt eis, gratias agens Deo & Patri pro ipſis. *Luc. 10.* Et cor eorum confirmãs dicebat illis: Videbam ſatanam tanquam fulgur è cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones,& nihil vobis nocebit. Miſſio illa fuit cum timore & obſeruatione. Sed cùm expleto mandato reuerſi eſſent, dedit eis poteſtatem atque auctoritatem. Hæc non ad eos ſolùm pertinẽt, ſed ad omnes qui mandata eius obſeruãt. Cùm enim eos diligeret charitate perfecta, Ne timeas, inquit, puſille grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Luc. 12.* Vendite quæ poſſidetis,& date eleemoſynam, & habebitis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis. Cùm autem & ſermo- E nem hunc ſeruaſſent, dixit eis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et rurſum eos cohortans, *Ioan. 14.* Qui diligit me inquit, mandata mea ſeruabit, & ego & Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Ioann 16.* Iam vt mundi terrorem ab illis excuteret, In mundo inquit, afflictionem habetis, ſed confidite, ego vici mundum. Eos verò corroborãs, ne in rebus aduerſis animum deſponderent,& corda eorum lætitia perfundens, Vos inquit, eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. *Luc. 22.* Et ego diſpono vobis, ſicut Pater meus diſpoſuit mihi regnum, vt edatis & bibatis in menſa mea. Hæc autem non omnibus dixit, ſed illis, qui ſecum permãſerant in tribulationibus. Quinam illi ſunt, qui cum Ieſu permanſerant in tribulationibus? niſi qui conſtantes ſunt

in vitijs

in vitijs inſectandis donec ea abſciderint. Sic autem
illos alloquebatur, cùm eſſet ad crucem profecturus. A
Quamobrē qui vult edere & bibere in menſa Domini,
vnà cum illo crucem conſcendat. Crux enim Ieſu eſt
omnium cupiditatum, donec eas deleueris inſectatio.
Itaque Beatus Apoſtolus qui eas contriuerat, audebat
dicere: Cum Chriſto crucifixus ſum. Viuo autem iam
Gal. 2. non ego, Viuit autem in me Chriſtus. In illis igitur qui
Gal. 5. cupiditates deſtruxerunt, viuit Chriſtus. Quare filios
ſuos Apoſtolus commonefaciens. Qui Chriſti Ieſu ſunt
2. Tim. 2. inquit, carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiſcen-
tijs. Scribens autem ad Timotheum filium ſuum. Si in-
quit, commortui ſumus, & conuiuemus. Si ſuſtinemus,
& conregnabimus. Si negauerimus, & ille negabit nos.
Quis autem negat illum, niſi qui voluntatem ſuam facit
ſecundum carnem, quique contumelia afficit ſanctum B
baptiſma? Nam per ſanctum nomen eius data nobis eſt
remiſſio peccatorum. At hoſtis noſter nos rurſum pec-
cato per inuidiam obſtrinxit. Cuius malitiam cùm ab
initio Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ignoret, pœ-
nitentiæ nobis donum ad extremū vſque ſpiritum con-
Ephes. 13. ceſſit. Niſi enim hoc pœnitentiæ munus eſſet, nemo
ferè ſaluaretur. Proinde cùm ſciret Apoſtolus non de-
eſſe, qui peccent etiam poſt baptiſma. Qui furabatur,
inquit, iam non furetur. Dum igitur Spiritus ſancti ſi-
gnaculum habemus, abolere peccata noſtra ſtudeamus,
vt miſericordiam inueniamus in die illa, quæ iam appro-
pinquat. Citò enim aderit Dominus ſedens in ſolio ma-
ieſtatis ſuę, & congregabuntur coram illo omnes tribus,
& vnuſquiſque ex propria lampade, quam in manu te- C
nebit, illuſtrabitur. Quòd ſi quis oleum non habuerit,
lampas eius extinguetur, & in tenebras conijcietur. Qui
lampadem ſplendidam & ardētem habuerit, in regnum
ingredietur. Demus igitur operam, fratres, vt vaſa noſtra
ſint oleo plena, quamdiu ſumus in corpore, quo lampas
noſtra nobis in regnum ingredientibus præluceat. Præ-
clara lampas atque illuſtris eſt anima ſancta. Anima enim
bonis operibus ſplendens in regnum introibit. Anima
verò malitia coinquinata in tenebras diſcedet. Vigilate
igitur fratres, & bonis operibus incumbite, quoniam
tempus appropinquat. Beatus qui ſtrenuè ſe gerit. Ma-
tura iam ſeges eſt, & meſſis adeſt. Beatus qui fructum
ſuum ſeruauit: quia venient Angeli, & recondent illum
in horreo æterno. Væ illis qui zizania ſunt, quoniam
ignis eos manet. Hæreditas huius mundi eſt aurum, & D
argentum, & domus, & veſtimenta: quę quidem omnia
peccati materiam præbent, & tamen hinc diſcedentes
ea relinquimus. Dei verò hæreditas eſt immenſa, quam
neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque cor ho-
minis cogitatione comprehendit. Atque hanc elargitur
ijs, qui exiguo hoc tempore mandatis ſuis obtemperant.
Hanc pro pane & aqua, & veſtimentis, quæ pauperibus
largiti fuerimus, pro humanitate, pro corporis caſtitate,
pro cordis innocētia, & reliquis virtutibus accipiemus.
Quas quidem virtutes qui colunt, & quietem inueniunt
in hoc ſæculo, & in honore ac veneratione ſunt apud
homines, & cùm è corpore deceſſerint, gaudium perci-
pient ſempiternum. Qui verò cupiditatibus indulgent
ſuis, nec pœnitentiam agunt, ſed voluptate detinentur, E
& opinionis errore decepti delicias aucupantur, & vitia
complectuntur, nec Dei iudicium reformidant, crude-
léſque ſunt atq; inhumani aduerſus pauperes, & reliquis
ſeſe peccatis obſtringunt atque contaminant: iſti cùm
in hoc ſæculo confundentur, deſpectique atque inuiſi
erunt apud homines, tum verò, cùm ex hoc mundo mi-
grauerint, dedecus eos & ignominia in gehennam con-
ſequetur. Poteſt autem Deus dignos nos facere, qui
in operibus eius proficiamus, abſtineamúſque ab omni
opere malo, vt ſeruari poſſimus in tempore tentationis,
quæ ventura eſt ſuper mundū vniuerſum. Neque enim
tardat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſed veniet ſecum
præmia ferens, atque impios quidem mittet in ignem
æternum, pijs autem mercedem tribuet, & ingredien-
A tur cum ipſo in regnum cœleſte, vbi conquieſcent in
ſæcula ſæculorum, Amen.

De mundi abrenunciatione.

ORATIO XVII.

DIFFICILE videtur in primis patria relicta in ſo-
litudinem ſeſe conferre, ſecúmque gerere fidem
perfectam, & ſpem, animíque conſtantiam aduerſus
proprias volūtates. Statim enim eiuſmodi cogitationes
te circumuenient, & timorem inijcient. Quomodo ten-
tationes laturus ſis, & aſperam paupertatem, & morbos,
ſi in eos incideris, cùm qui te curet, aut cognoſcat, ha-
B beas neminem? Sic autem explorat te bonitas Dei, vt
ſtudium tuum, & charitas erga ipſum appareat. Deniq;
cùm in cellula tua ſolus eris, inuadent te grauiſſimæ ti-
moris cogitationes. Seruat hominem inquient, non ſo-
litudo, ſed obſeruatio mandatorum Dei, tibíque in me-
moriam redigent ſanguine coniunctos aliquos, & di-
cent: Nonne iſti ſunt ſerui Dei? Aëris præterea pro-
ponent intemperiem, vt concidat cor tuum, atque ani-
mum deſpōdeas. Verùm ſi in te charitas, ſpéſque fuerit,
malitia nihil proficiet: ſed tuus in Deum amor patefiet,
qui eum magis diligas, quàm quietē carnis. Solitudinis
afflictio perducit hominem ad ſpem, ſpes defendit ab
inimicis ex carne. Neque enim temerè in ſolitudinem
te contuliſti, ſed vt te ipſum explores exerceréſque con-
C tra aduerſarios tuos, diſceréſque ſuos quemque illorum
tempore proſternere, quibus deuictis ad immortalitatis
quietem peruenires. Magnum autem ac præclarum exi-
ſtimo inanem gloriā vincere, atque in Dei cogitatione
proficere. Qui enim hac improba inanis gloriæ pertur-
batione tenetur, is procul abeſt ab ipſa pace, & animum
à ſanctis alienum habet, & ad malorum ſuorum extre-
mum incidit in ſuperbiæ vitium, fallendique ſolicitudi-
nem. Tu verò ô Chriſtiane, labores cela, virtutéſque
tuas, & caue, ne lingua tua tibi illas ſurripiat, & tradat
inimicis tuis. Qui enim rectè agit, & corporis ſui vitia
infirmitatéſque per pœnitentiam abijcit, is animam
ſuam pretioſam conſtituit in conſpectu Dei, & gratum
illi templum efficitur. Qui verò gloriam hominum di-
ligit, is vitiorum expers eſſe non poteſt, ſed æmulatio &
D inuidia habitant in eo, is animam ſuam multis tentatio-
nibus exponit, & cor eius à dæmonibus conuulneratur,
cùm explendæ cupiditatis ſuæ locum non ſemper inue-
niat: finis autem eius interitus. Humilibus à Deo pec-
cata reteguntur, vt ea agnoſcant, & pœnitentiam agant,
expulſíſque ſeptem dæmonibus, vera gloria & ſanctis
virtutibus animam ornant. Qui ſunt eiuſmodi non
curant hominum contumelias. Suorum enim memoria
peccatorum tanquam clypeo ab iracundia vltionéque
ſeſe defendunt, patientérque ferunt, quicquid illis acci-
dit. Quænam illos attingat ignominia, qui ſua in con-
ſpectu Dei peccata perſpiciunt? Quòd ſi verba proximi
tui ferre non poteris, ſed volueris illi reſpondere, bella
excitabuntur in corde tuo, quæ tibi moleſtiam afferent,
E tum ex ijs, quæ audieris, tum ex ijs, quæ fueris locutus.
Et beatos exiſtimabis eos qui ſoli degunt, irritabitúrque
cor tuum aduerſus proximos tuos, tanquam ſint chari-
tatis expertes. Patientiam igitur & charitatem ample-
ctere. Patientia enim iracundiam vincit, & charitas mo-
leſtiam abſtergit. Itaque Deum ora, vt has tibi virtutes
largiatur, quibus iracundiæ impetum repellas. Quod ſi
tibi obijcientur adhuc, quibus aduerſus proximum ira-
ſcaris, iraſcere aduerſus dæmonas, cum proximo autem
humiliter pacem retine. Qui vt pacem colat, dura ho-
minis acerbi ac ſtulti verba ſuſtinet, is vocabitur filius
pacis, animæque & corporis, & ſpiritus pacem poſſide-
bit. Quæ quidem tria ſi in te conſenſerint, concident ij,
qui armati ſunt aduerſus legem mentis, & carnis ſerui-

tus deſtructur, & ipſe filius pacis appellaberis, & habitabit in te Spiritus ſanctus, & non diſcedet. Beati qui labores ſuos prudenter conſideratéque ſuſcipiunt. Eos enim leuius ferunt, & dæmonum dolos ac fraudes ſubterfugiunt, eorum in primis qui formidine quadam homines ab omni opere bono, quod aggrediuntur, deterrent, & ad ignauiam animum Deo vacātem impellunt, vt eum ab eiuſmodi auocent ſtudio. Verùm ſi charitas in vobis fuerit, & patientia, & continentia, ne ab vno quidem opere bono poterunt nos amouere, præſertim ſi cogitauerimus ignauiam bona cuncta deſtruere. Si mundo renunciaſti, caueto à dæmone triſtitiam afferente, ne te per nimiam acerbitatem & afflictionem impediat, quo minus ad magnas virtutes peruenias, quæ in eo ſitæ ſunt, vt tibi ipſe ne placeas, vt æquo animo contumeliam feras, gaudeáſque te ad nullum ſæculi negotium & munus aptum exiſtimari. Hæc ſi operam dederis, vt aſſequare, animæ coronam & decus acquires. Neque enim qui mundo renunciarunt, & paupertatem in aperto tantùm complexi ſunt, ſpiritu pauperes exiſtunt: ſed qui malitiæ renuntiant, Deique memoriam ſemper eſuriunt & ſitiunt. Neque qui corporis tantùm incumbunt afflictioni, ad animi perueniunt tranquillitatem: ſed qui vacant homini interiori, & proprias amputant volūtates, ij virtutū coronas accipient. Sta igitur in cuſtodia cordis tui, & ſenſib⁹ tuis attēde, vt memoria tecum ab omnibus mundi cogitationibus conquieſcat, neque à latronibus diripiatur. Qui enim cogitationes ſuas diligenter obſeruant, agnoſcunt eas, quæ cupiunt ingredi, & animum coinquinare. Si ardenti ſtudio diuinis mandatis incubueris, intelliges eos, qui te perturbant: qua occaſione tibi terrorem inijciant. Mentem enim perterrefaciunt, vt extollatur, & iners fiat. At illi, quibus malitia eorum cognita eſt, conſtantes manent in eo loco, quem elegerunt, & Domino gratias agunt. Sic enim in rebus aduerſis ſe gerunt illi, quibus patientia, & longanimitas, & charitas cordi eſt. Deſidia verò, & negligentia, otijque cupiditas ea ſuadent loca conquirere, in quibus laudem & gloriam inueniamus. Ex quo ſenſus fiunt imbeciliores, & perturbationū impetus exurgit, ſuperbiáque & ſatietate occultam continentiam perdit. Si ſenſibus tuis vis perfectè mederi, Chriſti crucem amplectere: in ea enim veram omnium ægritudinum medicinam inuenies. Si te inuito cor tuum extollitur, & ad ea, quæ nolis, facienda pertrahitur, id ex vetere Adam ſcito proficiſci. Si cor tuum peccatum odit, & abhorret ab ijs, quæ peccati afferunt occaſionem, & tu prudenter adhibito ſupplicio, recedes ab ijs, quæ te ad peccandum alliciunt, & ex animo procteatorem tuum oras, vt tibi ferat auxilium, vt nulla in re ipſum offendas, multiſque lachrymis in conſpectu eius proſtratus ita precatis: Tuū eſt Domine, miſereri. Libera me Domine, ab inimicis meis. Ego enim ſum imbecilior, quam vt ſine ope tua poſſim è manibus eorum effugere: ſi hoc modo ſupplicaris, diligenter ſtudens, ne illos moleſtia afficias, qui docent te ſecūdùm Deum: id ex natura eſt noui Adam Ieſu Chriſti. Niſi enim obedientiam, & humilitatem, & patientiam, amplectare, licet cuncta facias, tamen ad habitum naturæ contrarium declinabis. Totum igitur cor tuum ad obediendū Deo conuerte, ſic illum obſecrans in veritate. Ad te Domine, ſupplex accedo, doce me facere voluntatem tuam. Ego enim quid mihi expediat, ignoro. Tu Domine pro me pugna aduerſus inimicos meos. Mihi enim ignotæ ſunt fraudes ipſorum & doli. Si ex animo ita precatus ea ſtudueris exequi, quæ noui hominis Ieſu naturæ ſunt congruentia, is nulla in re te decipi patietur. Sin vnum aliquod duntaxat præceptum obſeruas, non curas te ipſum planè, neque illius ſeruituti te penitus addixiſti. Quemadmodum agellus per ſe non poteſt efficere, vt à zizanijs expurgetur, & ſemina bona percipiat, neque fruges bona ſimul cum zizanijs ferre, quoniam à zizanijs opprimuntur, ita tu niſi ope diuina fueris à carnis voluntatibus expurgatus, non poteris te ipſum à peccato cuſtodire. A Caue igitur ab ijs, quę peccatū generant. Auaritia mater eſt improba omnium peccatorum. Acedia propriam fouet voluntatem. Voluntas propria ſuperbia intumeſcit, & contemptum gignit. Cor ſibi placens mundanæ conſuetudinis parit cupiditatē. Inde fit, vt quæ tibi ſunt inutilia, cōcupiſcas, vt obtrectatoribus aures patefacias, vt nugas aucuperis, eáſque alijs vendites, vt quæ ſæculi ſunt diligas, vt doceas, quæ non didiciſti, & quæ abs te non exiguntur: vt lingua tua proximum pungas, ac ſtimules. Hæc & alia mala permulta conſequuntur. Si quis igitur proficit, aut cupit proficere, caueat diligenter ab occaſionibus peccatorum, atq; ita peccata comprimet, & extinguet. Qui ſtrenuè pugnat, hæc animaduertit, & admonitiones libenter audit. B Qui verò eas aſpernatur, adulatoribus aures patefacit. Qui corporis timet infirmitatem, ad id quod ſecundum naturam eſt, non perueniet. Qui ſupplex ad Deum confugit, in eo quietem inueniet. Niſi *Iud. 7.* Gedeon hydrias confregiſſet, non aſpexiſſet lampadum ſplendorem: itidem homo niſi corpus contempſerit, diuinitatis lumen non intuebitur. Etenim Iahel vxor Abber Cinnæi, niſi tuliſſet clauum tabernaculi, Siſaræ *Iud. 4.* ſuperbiam non oppreſſiſſet. Si mens igitur ſe confirmauerit, decreueritq; charitatem ſequi, omnia carnis vitia ſuperabit. Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, æmulationem, & arrogantiam vitat, permittit, vt mens ab ijs, quæ naturæ contraria ſunt, opprimatur. Mens autem bona, caput eſt animæ, atque princeps, nec ſinit eam quicquam ſuſcipere, quod ſit naturæ cōtrarium: C oſtendit enim illi, quot iniurijs propter ea ſit affecta. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum ſuam erga genus humanum in cruce miſericordiam oſtenderet, latrones duos, cùm inter ipſos medius eſſet, ſeparauit. Turbatus eſt autem is, qui à ſiniſtris erat, animaduertens neceſſitudinem prauam quæ ſibi cum altero qui à dextris pendebat, interceſſerat, eſſe dirempram. At ipſe cum humilitate & timore in Ieſum intuens: Memento inquit, mei cùm veneris in regnum tuum. Amici nō ſunt igitur amplius, nec poteſt is, qui à dextris eſt alteri perſuadere, vt à malo vitæ propoſito recedat. Cæterùm illi, qui nondum ad hanc humilitatis & charitatis viam peruenerunt, identidem cadunt, & reſurgunt, donec miſericordia Dei cum illis fiat, ſine qua ſalutem aſſequi nequeunt. D Quæ cum ita ſint, boni latronis fidem atque humilitatem imitemur. Humilitas faciet, vt crucis ignominiam libenter feramus. Qui cruce ſua ſublata per Chriſtum à malo latrone ſeiungitur, agnoſcit peccata ſua, quibus Deum offendit, eáque confitetur, & deflet, & veniam atque miſericordiam impetrat ab ipſo Deo, cui poteſtas, & gloria nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

De iniuriarum obliuione.

ORATIO XVIII.

SANCTVS Apoſtolus præcipiebat filijs ſuis, Dominus inquiēs, propè eſt: nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni E oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ ſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras. Et Dominus in Euangelio; Dimittite *Philip. 4.* inquit, omnia peccata debitoribus veſtris, vt & vobis dimittat Pater veſter peccata veſtra. Verbum Domini *Matth. 6.* terribile ac formidandum. Niſi cor tuum videris erga *Luc. 6.* omnes purum, caue petas aliquid à Deo, ne te ipſum afficias ignominia: qui peccator cùm ſis, & ſuccenſeas proximo tuo, tamen corda ſcrutanti audeas dicere, dimitte mihi peccata mea. Qui talis eſt, non orat mente, ſed labris cum ignorantia. Qui enim in veritate orare vult Deum in Spiritu ſancto & corde puro, animum ſuum explorat, antequam ad orandum accedat, vtrum

odij

odij quippiam retineat aduerſus aliquem, an non, ne ſe ipſum decipiat, cùm audiat nemo. Si quidem nec mens A ipſa orat, niſi quodam conſuetudinis inſtituto horarias preces perſoluendi. Quamobrem ſi puram vis orationem offerre, prius excute mentem tuam, atque ita conſtitue, vt ſi dixeris, Miſerere mei, ipſe quoque peccantis te miſerearis. Si dixeris; Ignoſce mihi, tu item inimicis ignoſcas tuis. Si dixeris; Ne reminiſcaris delicta mea, nec tu proximi tui delicta recorderis. Si dixeris, ne memineris peccatorum, quibus me vel volens, vel inuitus obſtrinxi, ipſe quoque, quibus ſis affectus iniurijs, obliuiſcaris. Hæc niſi præſtiteris, fruſtra precaris. Neque enim te Deus exaudit, vt omnes ſcripturæ teſtantur. Sic *Matth. 6.* enim in Euangelio Matthæi præcipit orare: Et dimitte nobis nobis debita noſtra, ſicut & nos dimitimus debitoribus noſtris. Si enim dimiſeritis hominibus peccata B eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis peccata *Luc 6.* veſtra. Et in Euágelio Lucæ: Dimittite inquit, & dimittetur vobis: Et alibi diſcipulos precari docens: Et dimitte nobis peccata noſtra, ſi quidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Totam charitatis vim oſtendi tibi, vt quod à Deo vis tibi fieri, id prior ipſe facias. Et tunc ea menſura, quam hominibus exhibuiſti, liberaberis. Cordis affectionem Deus intuetur, non linguæ verba tantùm. Cor igitur tuum ita confirma, vt omnes iniurias obliuione deleas voluntaria: nihil enim voluntate vehementius eſt, ſiue ad mortem, ſiue ad vitam inclinet. Beati igitur qui vitam æternam diligunt, quia non offendent. In eam curam omni labore & ſtudio eſt incumbendum, vt oppugnantes peſſimas cogitationes, antequam cor tuum vulnerent. Id aſſequere, ſi peccata tua C ſemper ante oculos habueris. Hoc enim pacto ſi quam tibi ab aliquo illatam iniuriam intellexeris, faciliùs ex animo tuo pelles omnem vleiſcédi cupiditatem. Quòd ſi proximo tuo perrexeris ſuccenſere, gehennæ timor inuadet te, & cū tibi ignoſci poſtulaueris, ita coarguet: Infœlix ac miſer homo ad hunc vſque diem te Deus paciēter expectauit, nec peccata tua patefecit, & tu palàm iraſceris fratri tuo, & peccata eius acerbè perſequeris, & ſperas te à Deo veniam impetraturum? Falleris, mihi crede. Si igitur cor tuum mite fuerit & facile ad ignoſcendum, apud Deum miſericordiam inuenies. Sin durum aduerſus proximum extiterit & inhumanum, nulla tui habebitur ratio in conſpectu Dei. Ignoſce mihi. Ego enim egenus planè ſum, & peccatis obſtrictus. Et hæc D ſcribens confundor in corde meo. Niſi enim homo ad filij Dei naturam & exemplum ſe compoſuerit, inanes ſunt omnes labores eius. Qui ſeminat multiplicem fructum expectat. Quòd ſi ſpes eum feſellerit, dolet, quòd ſemina laboréſque perdiderit. Petrus Apoſtolus cùm Romæ eſſet affigendus cruci orauit, vt capite demiſſo ſuſpenderetur. Quo quidem myſterio, quæ naturæ contraria ſunt, atque homini dominantur indicauit. Quiſquis enim baptizatus eſt, debet omnia naturæ rationiq; repugnantia, quibus ſuperatus eſt Adam, & ex gloria in ignominiam æternúmque dedecus deturbatus, crucifigere. Forti igitur animo pugnandum eſt, deſpiciendáq; omnia quæ apud homines ſunt in pretio. Hæc enim ſunt illa, quæ filios Adam, redigunt in ſeruitutē: nempe E lucrum, honor, otium, gloria corporis pulchritudo, & cætera his ſimilia, quæ nutriūt voluptatem, quam draco in os Euæ coniecit. Quamobrem nos quoque ex malis cogitationibus, quæ nos Dei hoſtes conſtituunt, agnoſcimus nos eſſe filios Adam. Beatus qui cum Chriſto crucifixus eſt, & mortuus, & ſepultus, & reſurrexit in nouitate vitæ, & ſancta Ieſu veſtigia ſequitur, qui pro nobis factus eſt homo, vt ei per humilitatem, & paupertatem, & iniuriarum, ignominiæque tolerantiam ſimiles efficiamur, & de corpore nihil ſoliciti, neque malorum inſidias veriti, pacem cum omnibus habeamus. Qui vitijs ſublatis hæc complectitur, is ex Chriſto eſt, & filius Dei, & frater Ieſu. Faxit Deus, vt nos omnes ſimus in numero electorum eius, & bonis potiamur ſempiternis in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria A & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

De morbis animi.

ORATIO XIX.

CLAMARE libet & mihi cum Eſaia Propheta: Patiens fui, ſicut parturiens, loquar, diſſipabo eos, & perdā. *Iſa. 42.* Si teipſum noſti, ſi fons in te fluit Spiritus ſancti, conſtat diſſipatos & perditos eſſe inimicos tuos. Non eſt, inquit Saluator noſter, regnum Dei hîc aut illic, ſed intra vos. Sunt qui loquuntur ea, quæ regni ſunt, nec tamen faciunt. Sunt rurſus qui ea faciunt, ſed minus ſcienter & conſideratè: Pauciſſimi verò intra quos ſit regnum Dei, vt ſaluator ait. *Luc. 17.* Ad hos peruenit Spiritus ſanctus: in his impletus eſt ſermo Ioannis Euangeliſtæ. *Ioan. 1.* B Poteſtatem dedit eis filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Iſti liberati ſunt à dolore, qui Euam inuaſit. In dolore filios paries. Iſti liberati ſunt ab acerba ſententia, quæ lata fuit in Adam. Maledicta terra in opere tuo. *Geneſ. 3.* Iſti ſunt qui gratiam accipiunt, quam accepit Maria. Quia Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. *Luc. 1.* Quemadmodum enim dolor cœpit Euam & ſemen eius ad hunc vſque diem: ſic gaudium cepit Mariam, & bonos omnes Chriſtianos in perpetuum. Sicut igitur eramus iam filij Euæ, & maledictionem eius in nos per malas noſtras cogitationes agnoſcebamus: ita debemus intelligere nos eſſe filios Dei per bonas C Spiritus ſancti cogitationes, & Chriſti paſſiones, ſi quidem verè ſunt in corpore noſtro. Sic enim ab Apoſtolo ſcriptum eſt: *2. Cor. 13.* Probate voſmetipſos, vtrum Chriſtus in vobis ſit, ne fortè reprobi ſitis. Quando enim ferebamus imaginem terreni, cognoſcebamus nos eius eſſe filios ex turpi materia cogitationum in nobis habitātium, quæ morbi ſunt animi: qui autem cœleſtis geſtant imaginem, cognoſcunt ſe Dei filios per Spiritum ſanctum in ipſis habitantem. *Iſa. 26.* Eſaias enim clamat; Ex timore tuo Domine, in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis in terra. Et rurſus in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *Eccleſ. 11.* Quemadmodum compinguntur oſſa in ventre gerētis, ſic eſt via ſpiritus. Nam ſicut ſancta virgo geſtauit Dei filium in carne: ita qui Spiritus ſancti gratiam accipiunt, cōcipiunt & geſtant illum in corde ſuo, D ſicut Apoſtolus ait habitare Chriſtum in interiori homine per fidem in cordibus veſtris. *Epheſ. 3.* Radicati & fundati in charitate, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis. Et rurſum: Habemus inquit, theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. *2. Cor. 4.* Si illuc igitur perueniſti, vt eadem imagine ex gloria in gloriam ſis transformatus, & impletum eſt in te illud Apoſtoli, Et pax Dei exultet in cordibus veſtris: *Coloſſ. 3.* & ſi in mente veſtra eſt Chriſtus Ieſus. Et; Quoniam è tenebris lux effulſit in cordibus veſtris cognitionis Dei: & ſi adimpletum eſt illud in te: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. *Luc. 12.* Et; Eritis ſicut ſerui expectantes Dominum ſuum, donec reuertatur à nuptijs. Ne obſtruatur os tuum, non habens, E quod reſpondeat in medio ſanctorum. Et ſi noſti te, quemadmodū virgines illas habere oleum in vaſe tuo, vt ſponſo obuiam procedas, neque excludaris. Et ſi cognoſcis ſpiritum tuum, & animam, & corpus eſſe coniuncta ſine reprehenſione, vt in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſine macula appareant. Et ſi te non accuſat neq; arguit conſcientia. Et ſi paruulus factus es iuxta ſermonem Saluatoris dicentis: *Matth. 19.* Sinite paruulos venire ad me: talium enim eſt regnum cœlorum: verè ſponſa eius facta eſt anima tua. Et Spiritus ſanctus in te, nunc etiam dum es in corpore, conquieſcit. Quòd ſi non es eiuſmodi, dolorem & gemitum acerbum expecta, quoniam dedecus & ignominia præcedent te in conſpectu ſanctorum. Quemadmodum virgo quotidie manè cum ſurgit,

nihil aliud curat, niſi vt ornet ſe ſponſo ſuo, & ſpeculo
explorat diligenter, ne qua macula reſideat in vultu ſuo, A
qua ſponſus offundatur: ſic magna quotidie cura & di-
ligentia ſancti cogitationes & ſermones, actionéſque
explorant ſuas, ne quid in illis ſit quod cœleſti ſponſo
diſpliceat. Nullis neque animi neq; corporis laboribus
parcito frater, vt æternum illud gaudium aſſequare, quo
pauci reperiuntur digni, nimirum illi, qui ſpiritus gladio
animum ſenſúſque ſuos ab omni inquinamento, vt mo-
net Apoſtolus, mundauerunt. Adiuuet Deus infirmita- 2. Cor. 7.
tem noſtram, vt in numero ſanctorum eius eſſe merca-
mur per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

De humilitate.

Oratio XX.

Qvid eſt humilitas? Humilitas eſt cùm quis ſe pec- B
catoré exiſtimat, & nihil boni facere in conſpectu
Dei. Humilitatis exercet officia, qui ſilentium colit, qui
ſibi ipſe non placet vlla in re, qui non eſt contentioſus,
qui ſe ſubijcit omnibus, qui oculos humi defixos tenet,
qui mortem aſſiduè meditatur, qui à mendacio cauet,
& à nugis, & ſermonibus abhorret inutilibus, qui ma-
ioribus non aduerſatur, qui ſententiam ſuam minimè
defendit, qui æquo animo fert contumeliam, qui otium
fugit, qui labores libenter ſubit, qui neminem irritat. Da
igitur operam frater, vt hæc poſſideas, ne anima tua do-
micilium fiat omnium perturbationum, & vitam tran-
ſigas ſemper infructuoſam. Concedat nobis Deus, vt
fructus feramus dignos æterna vita, cui gloria in ſæcula
ſæculorum, Amen. C

De pœnitentia.

Oratio XXI.

Qværitvm fuit ex Abbate Eſaia, quid eſſet pœni-
tentia, aut quid eſſet fugere à peccato. Qui reſpon-
dens; Duæ ſunt inquit, viæ. Vna vitæ, mortis altera. Qui
per hanc ingreditur, in illa non ambulat. Qui autem in
vtraque incedit, nondum addictus eſt vni, neque ad
regnum, neque ad ſupplicium, donec è vita deceſſerit.
Iudicium eſt Dei, cuius & miſericordia. Qui vult in
regnum introire, opera eius obſeruat. Regnum enim
cœlorum deſtruit omne peccatum. Seminant inimici,
ſed eorum non germinant ſemina cogitationũ. Etenim D
cùm mens diuinitatis dulcedinem guſtauit, iacula ne-
queunt ad eam penetrare. Munita eſt enim virtutum
clypeo, quo ſe defendit, vt nequeat perturbari, & pro-
priè incumbit meditationi, vt viam vtramque diſcernat,
atque vnam quidem fugiat, alteram autem diligat. Si
quis Dei gloriam nouit, is inimici ſæuitiam intelligit. Si
quis regnum agnoſcit, is gehennam non ignorat. Cui
nota eſt dilectio, huic perſpectum eſt odium. Cui amor
Dei cognitus eſt, huic odium mundi non eſt incogni-
tum. Qui munditiam nouit, is immunditiam deteſtatur.
Qui ſcit virtutum fructum, is etiam ſcit, qui ſit malitiæ
fructus. Cui de bonis operibus Angeli gratulantur, is
non dubitat dæmones gaudere, cùm eorum opera per-
ficimus. Quomodo quiſpiam intelligat, quæ ſit auaritia, E
niſi propter Deum paupertatem amplectatur? Quomo-
do quis æmulationis amaritudinem norit, niſi manſuetu-
dinē ſit adeptus? Quomodo quis iracundiæ cognoſcat
perturbationem, niſi omnibus in rebus patientiam di-
ligat? Quomodo libidinis fœtorem, niſi integræ caſti-
tatis ſentiat ſuauitatem? Quomodo obtrectationis de-
decus, niſi ſuas agnoſcat infirmitates? Quomodo riſus
ineptias, niſi in lugendis peccatis lachrymas effundat?
Quomodo deſidiæ vitium: niſi ſenſibus rectè cōſtitutis
Dei lumen perſpiciat? Horum malorum omnium caput
eſt vnum malitia inimici. Virtutum autē fons eſt timor
Dei. Qui Dei timorem poſſidet, in caſtitate virtutes
parit, & amputat malitiæ ramos, quos recenſuimus. Dei
timorem amplectere frater chariſſime, & tempus omne
traduces cum tranquillitate. Virtutum enim omnium
radix eſt timor Dei. Quamdiu quis hæc tranſgreditur, A
nondum eſt regni cœlorum. Paulatim igitur illi certan-
dum eſt donec vitia quæ commemorauimus, expugnet.
Id autem hoc argumento intelliget ſe conſecutum.
Donec ſiniſtra peragit opera ſua, nondum peccatum
interijt: neque virtus dexteræ tecum conquieſcit. Scri-
ptum eſt enim: An neſcitis, quoniam cui exhibetis vos Rom. 6.
ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue
peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? Et
rurſum: An neſcitis, quòd Ieſus Chriſtus in vobis eſt?
niſi fortè reprobi eſtis. Et Iacobus; Si quis inquit, vide- 2. Cor. 13.
tur religioſus eſſe, non refrænans linguam ſuam, huius Iac. 1.
vana eſt religio. Hæc omnia nos docet Spiritus ſanctus,
vt à peccato recedamus, neque in illud amplius incur-
ramus. In hoc enim pœnitentia conſiſtit. Peccatum
verò non vnum eſt, ſed multiplex. Totus enim homo B
vetus peccatum appellatur. Idcircò; Neſcitis inquit
Apoſtolus, quod qui in ſtadio currunt, omnes quidem
currunt, ſed vnus accipit brauium? Quis autem eſt hic, 1. Cor. 9.
niſi qui conſtanter & fortiter pugnat? Qui enim inquit,
in agone contendit, ab omnibus abſtinet. Curam igitur
noſtri geramus fratres chariſſimi. In eo autem hæc cura
potiſſimum ita ſit, vt ſupplices procidamus in cōſpectu
bonitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui poteſt nos ex
improbis inimicorũ noſtrorum manibus liberare. Idem
Abbas, cùm ex eo quæreretur, quomodo ſit in cella
quieſcendum, reſpondit: Is in cella rectè quietem & ſi-
lentium colit, qui ſupplex ante Deum proſtratus aſſiduè
vacat orationi, & totis viribus improbas omnes inimici
repellit cogitationes. Id enim eſt à mundo procul au- C
fugere. Rurſum ex eo cùm quæreretur, quid eſſet mun-
dus. Mundus eſt, inquit, animi ad peccata diſtractio.
Mundus eſt, cùm ea, quæ naturæ contraria ſunt, ſequi-
mur. Mundus eſt, cum carnis voluptates implemus.
Mundus eſt, cum arbitramur diu nos in hoc ſæculo per-
manſuros. Mundus eſt, cùm maiorem corporis, quàm
animæ curam gerimus. Mundus eſt, cùm ijs quæ caduca
ſunt gloriamur. Non ex me ipſo iſta confingo, ſed Ioan-
nes Apoſtolus ita loquitur. Nolite diligere mundum,
neque ea quæ ex mundo ſunt. Si quis diligit mundum,
non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt 1. Ioan. 2.
in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia
oculorum, & ſuperbia vitę, quare non eſt ex patre ſed ex
mundó eſt, & mundus tranſit & concupiſcentia eius. D
Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.
Filioli, ne quis vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.
Qui autem peccatum facit, ex diabolo eſt. Ab initio
enim diabolus peccat. Amicitia enim mundi inimicitia
eſt in Deum. Et Petrus Apoſtolus deterrens filios ſuos 1. Pet. 2.
à peccato: Hortor inquit, vos fratres, tanquam aduenas
& peregrinos, vt abſtineatis à carnalibus deſiderijs, quæ
militant aduerſus animam. Et dilectus Dominus noſter Ioan. 14.
Ieſus, cùm, ſciret mundum afferre nobis peccati mole-
ſtiam, donec illum relinquamus, diſcipulos ſuos confir-
mauit; Venit inquiens, princeps mundi huius, & in me
nihil eorum, quæ ipſius ſunt, inuenit. Et rurſum: Mun-
dus in maligno poſitus eſt. Ac de diſcipulis ſuis dicebat Ioan. 5.
eos ſe elegiſſe de mundo. Quomodo è mundo elegit Ioan. 15.
eos, niſi ex omni occupatione peccati? Quiſquis igitur E
vult eſſe diſcipulus Ieſu, fugit à vitijs: niſi enim ea pro-
iecerit, Dei non poteſt eſſe domicilium, neque diuini-
tatis dulcedinem guſtare. Lucerna enim, inquit, cor-
poris eſt oculus. Niſi oculus ſimplex fuerit, totũ corpus Matth. 7.
tenebroſum erit. Itaque niſi mens à malitia fuerit aliena,
atque integra, non poteſt diuinitatis lucem intueri. Ma-
litia enim tanquam obſcurus paries menti prætenditur,
& animam deſertam efficit, vt in Euãgelio ſcriptum eſt.
Nemo lucernam accendens ponit eam ſub modio, ſed Luc. 2.
ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.
Mundi huius iniuſtitia modius dicitur, qua dum mens
ipſa detinetur, in ea diuinitatis lucerna non poteſt eſſe.
At ſi mens ſuper ſublimius candelabrum fuerit, tunc
diuinitatis

diuinitatis lumen in ipſa eſt. Tunc cognoſcit eos, qui in
domo ſunt, & quos debet eijcere, & quibuſcum pacem
habere. Sic enim docuit eos, quorum mens in diuinis
Luc. 6. mandatis illuſtrata eſt. Dico inquiens, vobis, qui auditis:
Diligite inimicos veſtros benefacite ijs, qui oderunt
vos. Orate pro calumniantibus & perſequentibus vos.
Percutienti te in dextera maxilla, præbe illi & alteram.
Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam
noli prohibere. Omni penitenti te tribue. Et volenti
mutuare à te, ne auertare: Et ab eo, qui aufert, quæ tua
ſunt, ne repetas. Hæc dixit ad eos, qui mundũ fugerant.
Reliquerant enim omnia ſæculi huius, & parauerant ſe
ipſos, vt Saluatorem ſuum ſequerentur. Ideò diligens
Ioan. 14. eos charitate perfecta dicebat eis: Surgite, abeamus
hinc. Quò igitur ducit eos, quia dicit; Surgite, abeamus
hinc? Ab huius ſæculi negotijs abducit illos in regnum
Ioan. 15. ſuum, vt requieſcant. Quamobrem ad ipſos; Ego inquit,
ſum vitis, & vos palmites. Manete in me, & ego in vo-
bis. Quemadmodum palmes non poteſt ferre fructum,
niſi manſerit in vite: ita nec vos niſi in me manſeritis.
Sic eos alloquitur, qui mundum reliquerunt, quia Spi-
ritus ſanctus in illis eſt, & habitat in cordibus eorum.
Non relinquam vos orphanos, ſed veniam ad vos. Si
quis igitur Deum diligit, & vult eum in ſe habitare, & ſe
orphanum non derelinqui, ſtudeat, ea quæ Ieſus præ-
cepit, obſeruare, & habitabit cum ipſo. Neque enim
procul à nobis eſt, neque inter ipſum & nos quicquam
intercedit, niſi peccatum. Quamobrem frater, ſi dicis te
Ioan. 12. mundo renunciaſſe, & ea quæ mundi ſunt facere depre-
henderis, non renunciaſti planè, ſed teipſum decipis.
Hoc enim eorum, qui mundo renunciarunt, iudicium
Luc. 14. tulit, Qui amat inquiens, animam ſuam, perdet eam:
Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, ſer-
uabit eam. Quomodo quis perdit animam ſuam, niſi
dum omnes carnis voluntates amputat? Et rurſum. Qui
non tollit crucem ſuam & ſequitur me, non poteſt meus
eſſe diſcipulus. Quam dicit vt tollamus crucem? niſi vt
mens aſſiduè vigilet & virtutibus incumbat? A cruce
non diſcedit, qui vitia perſequitur, donec ea profliget,
Ioan. 12. ac ſuperet. Ad eos qui reſurgunt; Niſi inquit, granum
frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipſum ſolum
manet. Sin autem mortuum fuerit, multum fructum af-
fert. Eos verò qui ad grani ſimilitudinem moriuntur,
Ibidem. conſolatur; Qui mihi inquiens, miniſtrauerit, honori-
ficabit eum Pater meus. Et vbi ego ſum, illic & miniſter
meus erit. Quomodo miniſtrant Ieſu, niſi dum mundi
vitia odio perſequuntur, & obſeruant mandata Dei?
Quorum obſeruatione fiduciam ſumunt, & dicunt ei:
Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid
ergo erit nobis? Quibus ille reſpondet: Vos qui ſecuti
eſtis me in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in
ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes iudican-
tes duodecim tribus Iſraël. Et quicunque reliquerit
domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem,
aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum,
centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Cùm
ſciret dilectus Dominus noſter Ieſus fieri non poſſe, vt
hominis mens ad crucem accederet, niſi ab omni mun-
di ſolicitudine abeſſet, præcepit, vt omnia relinqueret,
quorum occaſione auocaretur à cruce. Ideo venienti
Matth. 8. ad ſe dicẽtique, ſequar te Domine, ſed permitte vt prius
diſponam ea, quæ in domo mea ſunt, prohibuit: quo-
niam ſi ea vidiſſet cor eius, iterum ad illa declinaſſet.
Luc. 14. Nemo inquit, mittens manum ad aratrum, & reuertens
retrò, aptus eſt ad regnum cœlorum, iam cùm feciſſet
cœnam filio ſuo pater, miſiſſetque ſeruos, qui vocarent
inuitatos, & rerum quas quiſque diligebat, cupiditate
noluiſſet venire, dolore commotus dixit; Si quis venit
ad me, & odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, &
filios, & fratres, & ſorores atque etiam animam ſuam,
Matth. 22. non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quibus verbis ſignifi-
cauit, non poſſe nos ad regnum quod cupimus, perue-
nire, niſi prius decreuerimus odio perſequi ea, quæ cor

noſtrum ad mundum alliciunt. Porrò monens nos, ne
A fide ſola in qua non inſint opera, confidamus; Ingreſſus *2. Tim. 2.*
inquit, Rex vt recumbentes videret, aſpexit illic homi-
nem non indutum veſte nuptiarum, & iuſſit eum extru-
di in tenebras exteriores. Ingrediuntur enim quia ſunt
nomine Chriſtiani, eijciuntur autem, quia non habent
opera nomini congruentia. Sciebat Apoſtolus nemi-
nem, quæ Dei & quæ mundi ſunt, ſimul poſſe diligere,
ideo ſcripſit ad Timotheum diſcipulum ſuum: Nemo *Ibidem.*
militans vitæ negotijs implicatur, vt ei placeat, à quo *1. Cor. 7.*
miles electus eſt. Neque pugil quiſquam coronatur, niſi
legitimè certauerit. Et confirmans eum, ne labores ſuos *Matth. 25.*
crederet inanes fore, laborantem inquit, agricolam
oportet primũ de fructibus accipere. Et ad Corinthios
ſcribens, Qui ſine vxore eſt inquit, ſolicitus eſt, quæ
Domini ſunt, quomodo placeat Deo, Qui autem cum
B vxore eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, &
diuiſus eſt. Caueat vnuſquiſque, ne vocem illam audiat.
Proijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor
dentium. Demus igitur operam pro viribus fratres, vt
induamus veſtimenta virtutum, ne foras exturbemur.
Nulla enim erit acceptio perſonarum apud Deum in
illa die. Et qui turpiter flagitioſéque viuunt, vt ait Apo-
ſtolus, regnum Dei poſſidere non poſſunt. Et quoniam
qui ex mortuis operibus ſuſcitantur, & viuunt ſecundum
ſpiritum, à quo accuſentur, non habent; quinam ſit
fructus ipſius ſpiritus indicat. Fructus inquiens, ſpiritus
eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bo-
nitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, conti-
nentia, caſtitas, Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. At
C amabilis Dominus noſter Ieſus, oſtendens nobis opera
in illa die eſſe patefacienda; Multi inquit, quærent in- *Galat. 5.*
gredi, & non poterunt. Poſteaquam enim pater familias
ſurrexerit, & oſtium clauſerit, pulſantibus reſpondebit:
Neſcio vos. Num poſſumus dicere Deum quicquam
ignorare? Abſit. Cur igitur dicit, Neſcio vos? Quia *Luc. 13.*
virtutes ignorant illi qui pulſant & dicunt; Domine,
Domine, aperi nobis. Ac de illis quidem qui fidem ha-
bent, & non habent opera, rurſum loquitur; Ego ſum *Ioan. 15.*
inquiens, vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego
in eo, hic fert fructum multum: qui autem in me non
manet eijcietur foras, & areſcet, & in ignem conijcietur.
Qui autem fructum ferunt bonum, eos purgat Deus, vt
plus fructuum ferant. Quòd autem illos non amet qui
carnis obtẽperant voluntati, declarat; Non pro mundo
D inquiens, rogo, ſed pro ijs, quos dediſti mihi. Quia tui
ſunt, & ego elegi eos de mundo. Mundus enim quæ ſua
ſunt, diligit. Pater ſerua illos à malo, quia non ſunt de
mundo. Exploremus noſmetipſos fratres vtrum ſimus
de mundo, néc ne. Quod ſi non ſumus è mundo, nos *Ioan 17.*
à malo ſeruabit. Sic enim ait: Non pro ijs tantùm rogo,
ſed & pro illis, qui per ſermonẽ ipſorum in me credent,
vt omnes vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Et rur-
ſum: Vt vbi ego ſum, illic ſint & ipſi mecum. Conſide-
rate chariſſimi, quanta nos, qui in hoc mundo certamus,
& carnis voluntatem odimus, charitas amplectatur, ſi-
quidem regnaturi ſumus cum ipſo in infinita ſæcula.
Contemplans enim magnam illam gloriã Ioannes Apo-
ſtolus; Scimus inquit, quia cum apparuerit, ſimiles ei *1. Ioan. 3.*
E erimus, ſi ſeruauerimus mandata eius, & ea quæ ſunt
placida in conſpectu eius fecerimus. Et idem rurſus:
Nolite mirari chariſſimi, ſi mundus vos odit. Nos ſci-
mus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam
diligimus fratres. Et rurſum: Omnis, qui non facit iu-
ſtitiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.
Et rurſum, qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt. Qui au-
tem peccatum facit, ex diabolo eſt. Et rurſum: Qui ex
Deo natus eſt, peccatum non facit, quia ſemen eius in
ipſo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo na-
tus eſt. His teſtimonijs confirmati ad Dei benignitatem
confugiamus, vt miſereatur noſtri, viréſque tribuat, qui-
bus mundi iſtius immundi iugum excutiamus. Neque
enim inimicus noſter vnquam ceſſat vias omnes perſe-

Digitized by Google

qui, qoibus animas noſtras deprædetur. Verùm Domi-
nus noſter Ieſus Chriſtus nobiſcum eſt. Eius verba no- A
bis opitulantur. Horum virtute, ſi ea ſeruauerimus, ini-
micuoi cooteremus, Alioqui quis ei reſiſtere valeat?
1. Petr. 1. Pettus Apoſtolus docens hominem operibus ſeruari,
Miniſtrate inquit, io fide veſtra virtutem, in virtute
autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinenriam, in ab-
ſtinentia autem patieotiam, in patiētia autem pietatem,
in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem
fraternitaris charitatem. Hæc enim ſi vobis adſint, &
ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent
in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non
præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu teotans obliuionem
accipiens veterum ſuorum peccatorum. Et Ioannes Ba-
Luc 3. priſta; Facite inquit, fructus digoos pœnitentiæ. Iam &
ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omois igitur
arbor non faciens fructum bonum, excinditor, & in B
ignem mittitur. Et Domious, Ex fructu inquir, arbor
cognoſcitur. Nunquid colliguor è ſpinis vuam, aut è
Matth. 7. tribulis ficus? Et ruſum oon omois qui dicit mihi, Do-
mine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui
Iac. 2. facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Et Iacobus,
Fides inquit, ſine operibus mortua eſt. Et dæmonia cre-
dunt, & contremiſcunt. Sicut enim corpus ſine ſpiritu
Epheſ. 5. mortuum eſt, ſic & fides ſine operibus mortua eſt. Apo-
ſtolus item affirmans filijs ſuis fidem operibus indigere,
ſic eis vehementer præcipit: fornicatio, & omnis im-
munditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut
decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquiom, aut ſcur-
rilitas, quæ ad rem ooo pertinet: ſed magis gratiarum C
actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis for-
nicator, ant immundus, aut auarus, quod eſt idolorum
ſeruitus, nō habe: hæreditatem in regno Chriſti & Dei.
Et hæc coofirmans ſubijcit: Nemo vos ſeducat inani-
bus verbis; ptopter bæc enim veoit ira Dei in filios in-
obedientiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis
enim aliquaodo tenebræ, nunc autem lux in Domino,
vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni
bonitate & triſtitia, & veritate, probantes, quid ſit be-
neplacitum Deo, & nolite communicare operibus in-
fructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Et rur-
Epheſ. 4. ſum: Omnis amatitudo, & ira, & indignatio, & clamor,
& blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Imi-
tatores inquit, mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Quicum-
que enim in Chriſtū baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. D
Exploremus nos ipſos fratres vtrum Chriſtum indueri-
mus, an non. Agnoſcitur Chriſtus per caſtitatem: caſtus
eſt enim, & in caſtis habitat. Quomodo igitur caſti ſior
niſi deſinaot ea flagitia facere, quæ faciebaot? Ea eoim
eſt Dei benignitas vt quacumque bora ſe coouerterit
homo à peccatis ſuis, ſuſcipiat eum cum gaudio, & ve-
Luc. 15. terum eius peccatorum obliuiſcatur, ſicut in Euangelio
ſcriptum eſt de filio iuniore, qui hæreditatis ſuæ partem
prodigus dilapidarat, & ad extremum eò redactus eſt, vt
vt porcos paſceret, & ſaturari cuperet porcorum cibo.
Denique reſipiſcens intellexit nullam inueniri pecca-
torum ſatietatem. Quantò enim magis ea cōmittimus,
tantò maiori eorom accendimur cupiditate. Cum igitur
pœnitentiæ ſtimulus eum attigiſſet, rem non diſtulit, ſed E
ſtatim carnis voluntatem abijciens, ad patrem ſuum re-
dijt cum humilitate. Patris enim miſericordia confiſus,
ſperauit eum ſibi peccata, quæ commiſerat, non expro-
braturum. Quamobrem & pater eius confeſtim iuſſit,
illi ſanctitatis ſtolam dari, & arram paterni amoris. Hoc
exemplo nos docuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt
ſi volumus ad ipſum reuerti, prius porcorum cibum re-
linquamus, & tunc ſuſcipiet nos. Hæc dixit, ne animum
deſpondentes dubitemus, vtrum nos ſit exauditurus.
Conuertamus igitur nos in toto corde, nec precando
deſatigemur, & celeriter nos exaudiet, ipſe enim air:
Matth. 7. Petite & accipietis. Quærite, & inuenietis. Pulſate &
aperietur vobis. Si igitur petere, ac quærere aut pulſare
volumus diſcamus, quid ab eo nobis petendum ſit. Qui
media nocte ad amicum ſuum acceſſit; Mutua inquit, *Luc. 11.*
A mihi tres panes, quooiam amicus ad me venit de via.
Cum igitur pulſare pergeret, quod petebat impetrauit.
Abijciamus pigritiam à nobis fratres, & hanc petendi
conſtantiam imitemur, & quæcumque petierimus im-
petrabimus. Miſericors enim eſt, nec magis quicquam
cupit quàm vt peccator reſipiſcat, & cōuertatur. Amen
dico vobis, inquit ipſe, gaudium eſt in cœlo ſuper vno
peccatore pœnitentiam agente. Dum ad eius clemen- *Luc. 15.*
tiam cōfugere poſſumus, & miſericordiæ ipſius diuitijs
perfrui, reſipiſcamus in toto corde, dum ſumus in cor-
pore, ad illum reuertamur. Exiguum eſt huius vitæ cur-
riculum. Quod ſi fecerimus, gaudium æternum & in-
credibile conſequemur: Sin retrò nos conuerterimus,
ſimiles erimus adoleſcenti illi qui Dominum Ieſum in- *Luc. 18.*
B terrogauit, quid ſibi agendum eſſet vt ſaluus fieret. Cui
Dominus cum reſpondiſſet; Vende omnia, quæ habes,
& da pauperibus, & tolle crucem tuam & ſequere me,
oſtendens nobis ſalutem in eo ſitam eſſe vt voluntatem
noſtram abnegemus. His ille audiins triſtis diſceſſit. In-
telligebat enim graue quidem eſſe, dare cuncta paupe-
ribus, ſed multo grauius crucē ſuam geſtare. Facultates
enim pauperibus diſtribuere virtus eſt vna, quæ tamen
etiam in cruce conſiſtit. Crucem verò geſtare eſt omna
peccatum deſtruere, vnde & charitas naſcitur, ſine qua
non eſt crux. Cæterum cum ſciret Apoſtolus multas eſſe
& haberi virtutes, in quibus charitas non eſt, neqoe vir-
tutum perfectio; Si linguis hominum inquit, loquar, &
Angelorum, charitatem autem oon habuero, factus *1. Cor. 13.*
C ſum ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinoiens. Et ſi diſtri-
buero omnes facultates meas, & dedero corpus meum,
ita, vt ardeam, charitatem autem nō habuero, nihil mihi
prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur,
non agit perperam, non inflatur, non indecorè ſe gerit
non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat ma-
lum. Qui vult igitur in via charitatis incedere, ab omniū
hominum, ſeu boni ſeu mali ſint ſolicitudine recedit, &
Dei deſiderium fouet in corde ſuo. Quod quidem deſi-
derium iuſtam quandam illi iram gignit, qua propulſat
inimicum. Tunc Dei timor nutritur in eo, & per timo- *Act. 21.*
rem charitas patefit. Ei qui eiuſmodi eſt, eadem fiducia
qua Apoſtolus, dicit; Ego paratus ſum oon ſolum vin-
ciri, ſed etiam mori pro nomine Domini noſtri Ieſu
Chriſti. Beata eſt anima illa, quæ ad talem charitatem
D peruenit. Exeamus è mundo fratres. Quo in ſtatu ſimus
conſideremus. Etenim miſericors eſt Dominus Ieſus, &
pro cuiuſqoe operibus quietem tribuit, magnis pro ma- *Ioan. 14.*
gnitudine, paruis pro tenuitate ipſorum. Multæ enim
ſunt inquit, manſiooes apud Patrem meum. Licet enim
vnum ſit regnum, proprium tameo in eo quiſque locum
inuenit, & opus ſuum. Pugnemus fratres, aduerſus igna-
uiam, & tenebrarum velum à nobis excutiamus quod
eſt obliuio, vt pœnitentiæ lucem aſpiciamus. Martham
& Mariam imitemur, quæ plorant in conſpectu Salua-
toris, vt ſuſcitet fratrem Lazarum, id eſt animum
multis peccatorum vinculis obſtrictum. Qui ſi ſolutus
fuerit, tunc Mariæ Marthæque ſtudium extabit, & La-
zarus ſine ſolicitudine recumbet cum Ieſu. Martha cum
E lætitia miniſterium ſuum diligenter exercebit: Maria
verò promet alabaſtrum vnguenti, & vnget pedes Do-
mini. Quod in nobis eſt, fratres id totis viribus exequa-
mur. Et Deus pro multitudine miſericordiæ ſuæ nobis
opitulabitur. Quòd ſi corda noſtra haud ita cuſtodiui-
mus, vt patres noſtri, nunc ſaltem ea à peccatis cuſtodia-
mus, ſperemúſque nos item famis tempore apud eum
miſericordiam inuenturos, ſicut inuenerunt ſancti om-
nes. Quamuis enim alia ſit ſolis gloria, alia lunæ, & ſtella
à ſtella differat in claritate, in eodem tamen ſunt firma-
mento. Et gloria atque honor omnium eſt ipſius Dei in
ſæcula ſæculorum, Amen.

De operibus

Digitized by Google

De operibus hominis noui.

ORATIO XXII.

TRIA ſunt chariſſimi, quibus Hebræus ab alijs di-
ſtinguitur: circuncíſio, & Paſcha, & ſabbatum. Sic
Geneſ. 21. enim in Geneſi ſcriptum eſt: Infans octo dierum circun-
cidetur in vobis, tam vernaculus, quàm emptitius. Qui
circuncíſus non fuerit, delebitur de populo meo, quia
pactum meum irritum fecit. Primus Abraham circun-
cíſus eſt. Id eſt ſignum hominis noui, quod in ſancto cor-
pore ſuo Dominus Ieſus admiſit. De hoc & Apoſtolus
Coloſſ. 2. ait: In quo circuncíſi eſtis circunciſione nō manu facta
in expoliatione corporis carnis in circunciſione Chriſti,
cōſepulti ei in baptiſmo. In quo & ſurrexiſtis per fidem
operationis Dei. Et rurſum: Deponite vos ſecundum
pristinam conſeruationem veterem hominem, qui cor- B
rumpitur ſecundum deſideria erroris: Renouamini au-
Ephes. 4. tem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem
qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctita-
te, & veritate. Et rurſum: Vt moriamini quidem pecca-
to, viuatis autem iuſtitiæ. Et hæc quidem de circunci-
ſione, quæ qui non obſeruat, non eſt circuncíſus, nec
verè Chriſtianus, quia irritum fecit pactum, quod pro-
prio ſanguine ſancto ſuo Dominus Ieſus ſanciuit. Nunc
de ſancto paſchate dicendum eſt, de quo ſic ait ad Moy-
Exod. 12. ſem: Hæc eſt paſchatis lex: Omnis alienigena non ve-
ſcetur ex eo. Omnis ſeruus emptitius non comedet ex
eo. Omnem ſeruum emptitium circuncides: & ſic co-
medet ex eo. Quiſquis autem non fuerit circuncíſus,
ne comedet ex eo. Hoc comedite in vna domu. Renes C
veſtros accingetis, & calceamenta veſtra habebitis in
pedibus veſtris, tenentes baculos in manibus. Non edi-
tur paſcha niſi cum azimis & lactucis agreſtibus, & car-
nibus aſſatis igni. Non dixit: Accingetis vos ſuper re-
nes veſtros, ne quis de ſingulo dictum intelligeret. Sed
renes veſtros accingetis, vt de caſtitate & munditia in-
telligamus. Calciamenta autem ſignificant, vt prompti
paratique ſimus ad omnia fugienda & declinanda, quæ
conſcientiam pungunt, & maculant, mentémque auer-
tunt à propria contemplatione in ſanctitate. Per bacu-
lum ſpes indicatur, & fortitudo tendentium ad terram
promiſſionis. Hi ſunt qui ſabbatum obſeruant. Sanguis
agni ſignificat ſanguinē Domini Ieſu, qui factus homo
venit ad nos, vt filios Iſraël duceret ad promiſſam cœli D
hæreditatem. Apparent qui inſtructi ſunt, & ſignum in
anima ſua perſpicuè impreſſum habent. Hyſopi faſci-
culum indicat afflictionem. Iubet enim vt cum lactucis
agreſtibus, ſeu herbis amaris comedatur. Expende dili-
genter ô frater, vtrum ſis circuncíſus, & domus tuę fores
inunxeris agni ſanguine immaculati. Vtrum ab omni
terrena cogitatione te remoueris. Vtrum te ipſum ſic
inſtruxeris, vt intrepide in terram promiſſionis ingre-
diaris. Deinceps in ſabbatho dicendum eſt, quod eſt
ipſorum proprium, qui circuncíſi ſunt & ſanctū paſcha,
vt diximus, comederunt, & ab Ægyptijs liberati eos
omnes in mari rubro ſubmerſos conſpexerunt, & ab
acerba eorum ſeruitute quieuerunt. Sex diebus inquit,
operaberis. Septima dies ſabbatum eſt requietionis Do- E
Leuit. 23. mini. Qui die ſabbati fuerit operatus, perdetur anima
illa. At Dominus noſter Ieſus verum ipſe ſabbatum ob-
ſeruauit, docuitque, quomodo deberet obſeruari. Cum
in paraſceue aſcendit, ſed antequam in crucem aſcen-
deret, cuncta præparauit, tot ignominias, & cōtumelias
ferens, nō ſoluens, neque ſe ipſum recreans vllo modo,
quinetiam cum diceret; Sitio, obtulerunt illi ſpongiam
aceto plenam, quo deguſtato dixit, conſummata ſunt
omnia, & inclinato capite tradidit ſpiritum. Et depoſue-
runt eum verè ſabbatum obſeruantem. Quieuit enim
Dominus Ieſus ſeptimo die, & benedixit ei, quoniam
requieuit ab omnibus operibus, quibus humanas de-
ſtruxerat infirmitates. Ingrediens enim, vt ſcribit Apo-
Hebr. 4. ſtolus, in requiem ſuam, ab omnibus operibus ſuis quie-

uit, quemadmodum & à ſuis Deus. Hoc verum eſt ſab-
batum, quod qui non obſeruat, non eſt Chriſtianus.
A Lugens enim Ieremias ſuper populum Iſrael; Nolite
inquit, onera geſtare in die ſabbati. Et ne egrediamini
portas Ieruſalem portantes onera in die ſabbati. Heu
me miſerum, qui hæc ſancta mandata non obſeruo, &
grauia fero onera in die ſabbati. Quæ ſunt iſta onera?
Ira onus eſt graue, æmulatio, odium; inanis gloria, ob-
trectatio, maledicentia, irritatio, ſuperbia, arrogantia;
contentio, amor proprius, inuidia. Hæc animæ ſunt.
Corporis autem, ingluuies, nimius corporis ornatus &
cura, libido, cōcupiſcentia, cordis defectio. Hæc omnia, Ephes. 2.
& reliqua his ſimilia repulit à corporibus ſanctorum, oc-
cidens ea in ſancto corpore ſuo, vt affirmat Apoſtolus,
per crucem interficiens inimicitias in ſeipſo. Quiſquis
igitur grauia fert onera peccatorum, is ſabbatum violat,
B nec verus eſt Iſraëlita, ſed ſeipſum decipit. Solum enim
habet nomen, nec quicquam accipiet à Domino Ieſu,
quem factis negat, ſuſcitans ea quæ interfecit, & faciens
illa, quæ ſepeliuit. Cum igitur venerit Dominus Ieſus in
gloria ſua, ſolos filios Iſrael, id eſt ſolos verè Chriſtianos,
circunciſione non manufacta, ſed ſpiritu circuncíſos,
quos ex omnibus populis elegit, ducet in regnum ſuum
ſempiternum. Cæcitas enim, inquit Apoſtolus, con-
tigit ex parte populo Iſrael, donec omnes ingrediantur Rom. 11.
nationes. Et rurſum: Quicumque hanc regulam ſecuti
fuerint, pax ſuper illos, & ſuper Iſrael Dei. Animaduer-
tis eos eſſe Iſraelitas Dei, qui cordis habent circunci-
ſionem & ſabbati obſeruationem, hoc eſt deſtructio-
nem peccati. Nam, vt idem ait Apoſtolus, non qui in Galat. 6.
C manifeſto Iudæus eſt in carne, ille Iudæus eſt: Neque
circunciſio quæ cernitur, illa eſt circunciſio: ſed qui in
occulto Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu, non
in litera. Attendamus nobiſmetipſis fratres. Quouſque Rom. 2.
fruſtra laborauimus? quouſque noſtro parebimus ad-
uerſario, qui in nobis eſt, & allicit ad vitia, à virtute nos
auocans, nec permittit, vt oculos ad perſpiciendam di-
uinitatis lucem extollamus? Explora teipſum infœlix,
qui baptizatus es in Chriſtum & mortem eius. Conſi-
dera, qualem ipſe pro te mortem ſubierit, vtrum eius ſe-
quaris veſtigia. Oſtende mihi mores tuos. Ipſe ſine pec-
cato eſt, & ſe tibi omnibus in rebus exēplum propoſuit
ad imitandum. Paupertatem amplexus eſt, tu autem ab-
horres à paupertate. Non habuit vbi caput reclinaret:
D tu certum & commodum quæris domicilium. Ille con-
tumelias pertulit: tu eas ferre non vis. Ille malum pro
malo non reddidit: tu vltionis es cupidus. Ille, dum pa-
teretur, non comminabatur, tu dum laboras, iraſceris.
Ille inter ignominias minimè turbabatur: tu nulla affe-
ctus ignominia perturbaris. Ille benignè ad ſe peccato-
res vocabat: tu verbis tuis amicos etiam pungis. Ille in-
iurias æquo animo perferebat: tu nulla iniuria prouoca-
tus indignaris. Ille manſuetus in eos, qui in peccatum
inciderāt: tu ſuperbus etiam in eos, qui te meliores exi-
ſtunt. Ille ſemetipſum tradidit pro illis, à quibus offēſus
fuerat, vt eos redimeret: tu eos etiā lædis, qui de te ſunt
bene meriti. Conſidera quid tibi ille dederit, & quid tu
viciſſim illi retribuas. Agnoſce illum ex eius operibus,
E & te ex operibus tuis. Si mortuus es cum ipſo, quis facis
iſta opera, id eſt iſta peccata? Sancta ipſius mandata dili-
genter attendamus dilectiſſimi, & proprias abnegabi-
mus voluntates. Si diligimus eos qui nos colunt, quid
amplius facimus, quàm ethnici? Si pro bene merentibus
oramus, id faciunt & publicani. Si laudantium ſermone
delectaris, & Iudæis idē contingit. Quid igitur amplius
facis tu qui peccato mortuus, viuis in Chriſto Ieſu? Si
eos, qui tibi obſequuntur, tantum amas, quid amplius
facis, quàm peccatores? Nonne & ipſi idem faciunt? Si
eos qui te moleſtia afficiunt, qui non obediunt, qui la-
ceſſunt, odio proſequeris, ethnico & tu ſimilis es: Pro
illis potius tibi precandum erat, vt eis ignoſceretur. Si
contumelijs & ignominijs doles, dolent & publicani.
Teipſum excute & expende qui in Chriſti nomine ba-

ptizatus es, vtrum hæc ſint opera nomini tuo congruentia, ſiáne in die gloriæ eius tecum coram illo laturus ſis, A vt coroneris. Corona dabitur pro illarum victoria perturbationum, quas olim ſperauit Rex tuus, ſeipſum tibi proponens exemplum. Ipſe enim Rex Regum, & Dominus dominantium cum illa die ſe gentibus omnibus conſpiciendum præbebit in maieſtate, ſecum feret ſigna ſua, nempe cicatrices illas, quas pro nobis pertulit. Tu verò nihil eorũ ſimile laturus es in corpore tuo. Quamobrem dicet tibi, neſcio te. Tunc vidẽs omnes ſanctos, qui propter nomen ipſius mortẽ oppetierunt, in eorum conſpectu erubeſcens conſiſtere: Sanctorum omnium vitas perpende, & eos reperies, cum mala pertulerint, ea non rependiſſe; Sanguis eorum omnium clamat: Vindica nos ex omnibus inhabitantibus terram. Ego verò, qui otium & quietẽ diligo, quid dicam in illa die quando B perſpiciã illic Prophetas, & Apoſtolos, & Martyres, & reliquos ſanctos, qui nullum dantes vltionis aut iracundiæ ſignum, in iniurijs tolerandis fortes atque conſtantes extiterunt? Cùm illa dies aduenerit, non erit in cuiuſque poteſtate quid reſpondeat. Sed vnuſquiſque reſurget proprijs operibus, ſiue bonis, ſiue malis, tanquã veſtimentis indutus. Opera loquentur ipſa, & in loco cuiuſque conſiſtent. Beatus qui in eam curam diligenter incumbit, vt exuat opera quæ in gehennam detrahunt, & induat illa, quæ perducunt in cœlum. Nam, vt Apoſtolus ait; Et ſi terrena noſtra habitatio huius tabernaculi diſſoluatur, ſcimus nos habitationem habere domum non manufactam in cœlis. Nihil eſt tempus vitæ noſtræ, & cum venerit hora noſtra, ratio à nobis acriter exigetur. Ne ſint igitur animi noſtri remiſſi & diſſoluti. Sed C omni ſtudio ac diligentia laboremus, ſuppliciterque ad Dei benignitatem, vt nos adiuuet, aſſiduè cõfugiamus. Fratribus noſtris ne iraſcamur, quod re aut ſermone nos læſerint. Quòd ſi operarij, & vaſa diaboli eſſe perrexerint, Dei conſtituentur aduerſarij, donec diſſoluãtur, & è ſtadio fugiant. Omnibus in rebus fratres chariſſimi, humilitatem & patientiam amplectimini, & ſemper in eam cogitationem incumbite, vt propriæ voluntati renuncietis. Nam propria voluntas perdit omnes virtutes. Qui cogitationes ſuas rectè diſponit ac moderatur, propriam abnegat voluntatem, & manſuetudinem amplectens, tanquam à dracone fugit ab omni diſcordia & contentione. Hæc enim totum virtutis ædificiũ euertit, & animo tenebras offundit, vt honeſtatis lucem aſpicere nequeat. Ab hoc igitur vitio, quod ſe virtutibus inſinuat D atque implicat, donec eas deleat, declinato. Etenim nec Dominus Ieſus prius aſcẽdit in crucem, quàm Iudam expuliſſet è medio diſcipulorũ. Niſi enim homo tetrum hoc vitium excindit non poteſt proficere ſecundum Deum; Ex eo namque mala cuncta proficiſcuntur. Qui hoc vitio laborat, crucem ſuam ferre non vult, inanem gloriam ſequitur: omnia denique, quæ Deus odit, habitant in animo hominis contentioſi & arrogantis. Qui peccata ſua conſiderat, facilè aſſequitur humilitatem. Humilitatis eſt propriam voluntatem ſubijcere proximi voluntati. Cordis munditia gratas Deo preces perſoluit. Cui propria diſplicent vitia, luctui & lachrymis vacat. Charitas non iudicat proximum. Patientia E non meminit iniuriarum. Qui Deum diligit, vindictam non appetit. Qui ſilentium & quietem colit, quòd ſibi minus obediatur non cõmouetur. Animus paupertatis ſtudioſus, innocens eſt. Qui proprijs ſenſibus dominatur, in pace degit. Qui mitis eſt omnia perfert. Qui miſericors, facilè ignoſcit. Propriæ voluntatis abnegatio gignit hæc omnia, & virtute amabili pacis vinculo coniungit. Nihil in omnibus ſcripturis perſpicio, quod magis ab homine Deus exigat, quàm vt omnibus in rebus humiliet ſe proximo ſuo, & propriam abneget voluntatem, & Dei ſemper auxilium imploret, vt oculos ſuos excitet à ſomno obliuionis, & ab errore captiuitatis. Hominis natura mutabilis eſt, & ad malum prona: Dei verò eſt miſereri, & imbecillitatem noſtrã corroborare. Dei nos ad ſe conuertere. Dei nobis gratiam elargiri, vt A ei gratias agamus: Dei nos defendere atque eripere è manibus inimicorum: Dei denique eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. Contentionem verò quæ pariunt, hæc ſunt. Multiloquium, & curioſitas, & adulatio, & arrogantia, & linguæ duplicitas. Anima illius in quo ſunt hæc, virtutum eſt expers. Niſi quis magno cum ſudore ſingulis virtutibus incubuerit, ad quietẽ filij Dei non poterit peruenire. Vitam igitur veſtram fratres, ne negligatis, neque mens veſtra in malitiæ operibus torpeſcat, ne tempus deficiat: antequã ad filij Dei quietem aſpiretis, quæ in eo ſita eſt, vt omnibus in rebus humilitatem, atque innocentiam complectamini, & neminem oderitis, neque vlli rei Deo inuiſæ acquieſcatis, ſed ab omnibus peccatis abhorrentes, cunctis malitiæ operibus mortui ſitis. Sic enim Deus qui non mentitur, aderit B nobis, & infirmitatem noſtram miſericordia ſua confirmabit, Amen.

De Perfectione.

ORATIO XXIII.

NISI quis fidem in Deum poſſideat, vt quidam è patribus ait, & aſſiduo eius flagret deſiderio & neminem noceat, nec malum pro malo reddat, affligátque ſe & humilitatem, & caſtitatem, & humanitatem colat, mundóque renunciet, manſuetúſque ſit & patiens, aſſiduóque cordis labore Deum precetur, & veram charitatem amplectatur, neque ad ea quæ retrò ſunt, redeat, ſed ad interiora contendat, neque bonis operibus & ſacrificijs ſuis confiſus, diuinum quotidie imploret auxi- C lium, ſalutem aſſequi non poteſt: Tam acres vigilantéſq; ſunt hominis aduerſarij. Ne contemnas frater, neque negligas conſcientiam tuam, neque tibi ipſe confidas omnino, quamuis aliquo in pretio apud Deum eſſe videaris. Vndiq; enim ab aduerſarijs obſidemur. Afflictio conſiderata præteritas delet negligentiæ notas. Et ſenſuum caſtigatio hoſtium interiorũ vulneribus medetur, perfecta ſecundum Deum dilectio occultis hoſtibus reſiſtit. Occulta ſanctitas occultis bellis ſuperatis ad filij Dei quietem perducit. Et ſanctitas manifeſta virtutes ſeruat. Dei cognitio facit, vt ad eum tempore tẽtationis confugiamus, eiúſque muniti præſidio ſuperiores ſimus. Qui laboribus ſuis minimè confidit, is Dei magis ſentit auxilium. Qui ex animo piè Deum quærit in veritate, is D ſtat in timore, ne diſpliceat Deo. Semper enim à conſcientia ſtimulatur, quòd aliqua in re defecerit. Vbi autem ſtimulus, ibi accuſatio: vbi accuſatio, nõ eſt libertas. Quòd ſi deinceps orando animaduerterit ſe nullo malitiæ ſtimulo pungi, tum verè liber eſt, & ex voluntate Dei in requiem ſanctam introiuit. Si bonos fructus perſpexeris à nullis inimici zizanijs ſuffocari, neque tamen quamuis cum ſenſibus amplius non pugnes, hoſtes malitia ſua confiſi deſinent oppugnare. Et ſi nubes tabernaculum obumbrauit, neque Sol vſſit te per diem neque luna per noctem: Et inuentus in te fuerit omnis apparatus tabernaculi, vt colloces, & cuſtodias illud ſecundum volũtatem Dei, parta nimirum tibi per Deum eſt victoria, & ipſe tabernaculum obumbrabit, quia ipſe eſt, & E ipſe præcedit, & parat, vbi conſtituatur. Niſi enim præcipiat ipſe, quo in loco ſit collocãdum, non poteſt conſiſtere, vt ait ſcriptura; Magnũ iam eſt periculum, donec homo ſeipſum nouerit. Et planè ſciat in ſe non eſſe, vt ab interpellantibus, & ad iracundiam impellentibus liberetur. Oportet igitur vt cũ timore ad eius benignitatem confugiamus, aſſiduéque memoria repetamus ipſius beneficia, & ſanctã humilitatem amplectamur, quæ nullo vnquam tempore diſcedat à corde noſtro, quæ peccata noſtra nobis ſemper ante oculos proponat, & bona ſi qua in nobis ſunt, ſeruet & ad finem vſque tueatur, faciátque ne nobis ipſi confidamus. Cæterùm qui proximum iudicat, & iraſcitur fratri ſuo, eúmque contemnit, ac deſpicit, aut iracundè docet, aut cuipiam detrahit, à miſericordia,

miſericordia, qua ſancti ſunt præditi alienus eſt, & ab alijs præſtātibus virtutibus. Eiuſmodi enim vitia labores A hominum perdunt, & fructus bonos excutiunt. Si quis peccata ſua lugere ſe dicit, neque ab illis recedit, is ſeipſum decipit. Qui ad quietem aſpirat, neque ſolicitus eſt, vt animi pellat ægritudines, cæcus eſt, & ſanctæ virtutum ædificationis imperitus. Qui poſthabita peccatorum ſuorũ curatione, alijs mederi ſtudet, præpoſterè agit. Prinſquam enim illud aggrediatur, debet peccata ſua lachrymis abſtergere, & Dei miſericordiā imploret, vt ſibi ignoſcat, tantùmque roboris & fortitudinis præbeat, vt nunquam amplius in eadem incurrat, aut illum vel cogitatione, vel ſermone, vel factis offendat. Beatus qui ita ſe gerit in veritate. Qui verè pœnitentiam agit, in eo non eſt occupatus, vt proximum iudicet. Satis enim ſua cuique peccata negotij præbent, nec ſpacium relin- B quunt, aliena vt curet. Qui malum pro malo reddit, procul abeſt à vera pœnitentia. Qui gloriæ captus cupiditate, mundi negotijs implicatur, ex animo non luget peccata ſua. Qui nunc aut illum bonum, aut malum affirmat eſſe, in corde ſuo confundetur. Dum enim ea, quæ noſtra non ſunt volumus iudicare, decipimur, atque ita diſtrahimur, vt nobis non vacet peccata noſtra cognoſcere. Si contumelia affectus indignaris, veram non agis pœnitentiam. Si rebus tuis tibi ereptis doles, Dei timor non eſt in te. Si quod in te aliquis falſa contulerit perturbaris, timor Dei non eſt in te. Si laudes tuas libenter audis, timor Dei non eſt in te. Si in mutuis ſermonibus verba tua volueris præualere, timor Dei non eſt in te. Si dolueris quod ſermo tuus contemna- C tur, timor Dei non eſt in te. Hæc enim omnia indicant veterem hominem adhuc vigere, neque eſſe qui illum expugnet, verúmque, & Deo gratum luctum amplectatur. Aperiendi ſunt mentis oculi, vt nos ipſi cognoſcamus, ſciamúſque Dei inimicum conſtitui, qui propriam ſequitur voluntatem. Si cuſtodieris mandata Dei, & ex ipſius voluntate direxeris opera tua, & animaduerteris maieſtati eius per te placere non poſſe, & peccata tua ſemper ante oculos habueris, inuenies propugnaculum oppoſitũ aduerſario tuo, qui te conatur per ſuperbiam, qua tibi iuſtus videaris, expugnare, & ædificium, quod extruit pœnitentiæ luctus conſeruabis. Tunc te tibi notum eſſe intelliges, & vbi ſis, & cor tuum, tanquam victoria parta non extolletur. Etenim, niſi homo in iudicio conſtiterit, & ſententiam audiuerit, & locum ſuum D nouerit, ſcire non poteſt, vtrum Deo placeat, nécne. Dolor qui ſecundum Deum cor pungit, ſenſus in officio poteſt continere, & ſobrietas mentem integram conſeruare. Sed homo ſibi ipſe non debet vnquam confidere, imò tamdiu ſolicitus eſſe dum eſt in corpore. Beati qui ſuis nunquam operibus fidunt, ſed ſemper pauidi Deo non audent occurrere, & cognita eius maieſtate, & propria infirmitate, voluntati eius, vt ipſe vult, ſtudent obtemperare, atque ita ſeipſos lugent, & cæteros non iudicant, ſed Deo omnium Iudici iudicium derelinquũt. Cùm quis ſeipſum Deo totum addixerit, & ex voluntate eius perfectus deceſſerit, tunc in libro viuentium ſe ſcriptum inueniet, & Angeli teſtabuntur eum ſiniſtræ principes euaſiſſe. Tunc inter beatos ſpiritus conſiſtet, E At dum viget bellum in timore verſatur homo: & ſi hodie vincit, neſcit vtrum cras victurus ſit. Ancipiti enim certamine cor eſt ſuſpenſum. At qui iam brauium percepit, trãquillus eſt, nec metuit, quorſum tres illæ partes tendant, quæ iam in Deo cum pace coniunctæ ſunt, anima nimirum, & corpus, & ſpiritus, vt ait Apoſtolus. *1. Theſſ. 5.* Cum enim hæc tria per operationem Spiritus ſancti vnum fuerint, amplius ſeiungi nequeunt. Chriſtus enim *Rom. 6.* mortuus eſt, & reſurrexit, & amplius non moritur, mors illi vltrà non dominatur: Nam mors eius ſalus nobis facta eſt. Et per mortem eius peccatum deletum eſt in perpetuum. Et reſurrectio ipſius vita facta eſt credentibus in eum, vt in Deo viuãt, & iuſtitiæ fructum afferant. Ne viciſſe te putes, dum pugnas. Militia enim eſt vita *Iob. 7.* hominis ſuper terram. Siue vigilemus, ſiue dormiamus, A non ceſſat nos aduerſarius oppugnare. Qui in ſtadio pugnat, ſi prudens eſt, ante victoriam præconium non canit. Imprudens autem, & ſi cadit, tamen extollitur, & *Luc. 10.* ſe victorem exiſtimat. Idcircò Dominus, cum diſcipulos ſuos mitteret ad prædicandum; Neminem inquit, in via ſalutaueritis: in domum autem cum intraueritis, ſalutate: & ſi ibi fuerit filius pacis, apud eum manete. Et Eliſæus ad Giezi, cum eum mitteret; Si occurrerit, in- *4. Reg. 4.* quit, tibi homo, ne ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, nec reſpondeas illi. Neque tamen Giezi puerum ſuſcitauit. At cum veniſſet vir Dei, vidit puerum iacentem in lectulo, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper illum, & cum ſingulis ſenſibus pugnauit, deſcendenſque in domo ſemel huc atque illuc deambulauit, & cum calefacta eſſet caro pueri, per voluntatem Spiritus Dei aperti B ſunt oculi eius. Quid dicemus nos miſeri, qui gloriam mundi diligimus magis, quàm gloriam Dei? Qui nec quomodo pugnandum ſit, aut ad requiem contendendum, conſideramus, nec Dei patientiam intelligimus, qui cum bono fructu ſinit zizania creſcere, nec priuſquam ille creuerit, perfectúſque ſit, permittit, vt zizania colligantur. Et Giezi itineris curſum confecit, ſed tamen non potuit puerum ſuſcitare, quia dilexit gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Beati oculi qui cum humilitate ad Deũ reſpiciunt, & ſoliciti ſunt, quomodo curent vulnera ſua & peccata lachrymis abluunt, ac veniam deprecantur. Væ illis qui tempus conſumunt, putantque ſe eſſe ſine peccatis, & propriam conculcant conſcientiam, nec volunt pœnitentiam agere. Agricola, C qui ſemen ſuum iacit, niſi germinet, queritur quod ſumptum & operam perdiderit. Sic & homo licet nouerit myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & fecerit virtutes multas & curationes, variíſque ſe afflictionibus affecerit, niſi charitatis fructus aſpiciat, magno affici timore debet. Vndique enim inimicorũ fraudibus, inſidijs, & dolis oppugnatur, vt concidat. Charitas verò nunquam excidit, ſed omnia ſperat, & credit, & ſuſtinet. O quàm *1. Cor. 13.* laborioſa eſt via Dei. Anguſta enim eſt, vt ipſe ait, porta, & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui *Matth. 7.* inueniunt eam. Nos autem inertes, & ignaui, & voluptatibus dediti quietem in eo ſitam ducimus, quòd iugum illius non geſtamus qui dixit: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & hu- D milis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quis ſapiens ac timens Deum non omnibus viribus contendit, vt diuina mandata cuſtodiat, & tamen cum omnia fecerit, ſe indignum agnoſcit, qui Dei nomen inuocet? Dominus noſter Ieſus Chriſtus propter nos factus eſt homo, vt ægritudines noſtras curaret, vt ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem ambulemus, & patris voluntatem nobis pateſecit. Et diſcipulis ſuis dixit; Cum feceritis omnia, quæ præcipio vobis, dicite; Serui inutiles ſumus: etenim quod debemus facere fecimus. Si quis viperam aut ſcorpionem, aut aliquid aliud peſtiferum viderit, timore perterritus fugit, & imprudens atq; *Luc. 17.* infœlix anima, cùm mortifera cernat, non fugit neque E recedit, ſed audacter cum illis verſatur. Ideò ſterilis & ſine fructu tempus omne conſumit.

De tranquillitate.

ORATIO XXIIII.

IN virtutũ via eſt lapſus, ſunt inimici, eſt mutatio, eſt copia, eſt mediocritas, eſt inopia, eſt mœſtitia, eſt gaudiũ, eſt animi labor, & anguſtia, eſt quies, eſt progreſſio, eſt vis. Iter enim agimus, donec ad requiẽ perueniamus. Tranquillitas autem ab omnibus eſt perturbationibus vacua, & nulla re indiget. Eſt enim in Deo, & Deus in illa. Inimicos nõ habet, non lapſum, nõ incredulitatem, non perturbationis laborẽ, non rei cuiuſquã cupiditatẽ. Magnæ denique atque innumerabiles ſunt illius dotes,

Ab hac procul abeſt, qui aliqua laborat perturbatione.
Hæc eſt illa charitas, quam nos Dominus Ieſus docnit A
omnibus exhibere. Ad hanc imperiti nonnulli putant ſe
petueniſſe, cum adhuc animi motbis diuexentur, & cor-
poris immuoditia ſotdcant, & ab omni vittute ſint re-
motiſſimi. Ignoſcite mihi, quæſo per Deum, cui gloria
in ſæcula ſæculorum, Amen.

Eiuſdem ad Petrum Abbatem diſcipulum ſuum.

ORATIO XXV.

QVOD ſcribis ad me, te velle peccatorum tuotum
pœnitentiam agere, ſi Deus te ab huius mundi ſo-
licitudine liberauetit, rectè dicis. Fieri enim non poreſt,
vt mens ſæculi curis obuoluta Dco ſeruiat. Non pore- B
ſtis (inquir Dominus) Deo ſeruire & Mammonæ. Per
Mammonam omnia mūdi negotia ſignificat. Quæ qui-
dem homo niſi reliquerit, Deo ſeruire non poteſt. Dei
ſetuitus requirit, vt dum illum colimus, & adoramus &
precamur, & laudamus, neq; malitiam in animo, neque
odium, oeque inuidiam, neque turpem cupiditatem
retineamus. Hæc enim omoia miſeræ animæ tenebras
offundunt, vt Deo caſtè ſeruire noo poſſit, & illi in ab-
ſcondito henedicere. Hæc illam impediunt, quominus
occurrat Deo, & cum charitatis dulcedine, & cordis
ſuauitate illum ſanctè ex animo deprecetur, vt ſeipſam
illuſtret. Hæc ſunt in cauſa, quominus proficiat ſecun-
dum Deum: & omnes amputer perturbationes. Quod
qnidem aſſequi non poſſumus, niſi ab omoibus mundi
ſolicitudinibus recedamus. Anima enim ſoris & intus C
oppugnatur. Foris ab huius ſæculi occupationibus, vt
corpori ſatisfaciat: iotus à proprijs ægritudinibus, quæ
ſunt ioimicæ virtutis. Has autem illa nec videre poreſt,
nec curare, niſi mūdi negotijs & curis liberetur. Idcircò
Dominus Ieſus eos negat ſuos poſſe diſcipulos eſſe, qui
Luc. 14. propriæ non renunriant voluntati. Voluntas enim tam
intimis, quam externis actionibus domioatur. Et ideo,
ne menrem interimat, vt Dominus præcipit, eſt abne-
ganda. Mens enim occiditur, cum anima mūdi negotijs
& ſolicitudinibus deſtinetur. Tuoc enim ægritudines
intus ſæuiunt & propagantur. Quòd ſi anima Domini
Ieſu verbis obtemperaos, omnes ſuas abiecerit volunta-
tes, ab omnibus ſæculi iſtius operibus abhorrebit. Tunc
mens excitata cōfirmabitur, & omnes à ſe depellet ægri- D
tudines, animámque diligenter cuſtodiet, ne rurſus ad
priſtina ſeſe conuertens, in manus incidat inimicorum.
Anima enim ſimilis eſt adoleſcentulæ degenti cum viro
ſuo, quæ ſi fortè vir peregrè abierit, excuſſo timore, res
domeſticas negligit. At illo domum reuerſo, ſedula ad
officium redit, & cum timore cuncta ex viri voluntate
diſponit. Ipſe verò domui ſuæ cōſulit omnibus in rebus
neceſſarijs. Sic & mens animā obſeruat aſſiduè, & bona
opera ex illa tanquam filios gignit, & nutrit: Atque ita
conueniunt, vt cor vnnm efficiantur. Anima menti vt
mulier viro ſubijcitur. Nam, vt ait Apoſtolus, caput mu-
lieris eſt vir. Et rurſum: Vir, inquit, oon debet velare ca-
put. Imago enim & gloria Dei eſt. Mulier autem eſt viri
gloria. Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro.
Etenim nō eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier E
propter vitum. Propterea mulier debet velare caput &
propter Angelos. Veruotamen neque mulier ſine viro,
1. Cor. 11. neque vir ſine muliere in Domino. Sicut enim mulier ex
viro, ſic & vir ex muliere, omnia autem ex Deo. Cùm
igitur anima menti paret in Domino, tunc Deo preces
fundimus in caſtitate, tunc Deo benedicimus ex corde
ſancto, tunc illuſtramur à Deo: tunc veri illi efficimur
adoratores, quos Deus requirit. Tales ſuot, de quibus
2. Cor. 6. ipſe ait: Inhabitabo in eis & inambulabo. Tunc illud
Matth. 18. impletur: Si duo veſtrum conſenſerint, quæcumque in
nomine meo petierint, impetrabunt. Vult ergo Deus, vt
ab omnibus quæ ipſe deſtruxit in corpore ſuo, quæque
nos vel intus vel foris coinquinant, liberi ſimus. Manere
inquit, in me, & ego in vobis. Vides frater, quomodo Ioan. 15.
A velit, vt maneamus in ipſo per bona opera, vt ipſe in no-
bis maneat per ſanctitatem. At ego, dicet aliquis, in ipſo
maneo per baptiſma, opera autē perficere nequeo. Audi
frater chariſſime, quiſquis baptiſma ſuſcipit, illud ſuſci-
pit ad peccati deſtructionē. Illi enim conſepulti ſumus
in mortem, vt inqnit Apoſtolus, vt deſtruatur corpus Rom. 6.
peccati, hoc eſt, vt peccato amplius nō ſeruiamus. Simul
cum peccato Chriſtus manere non poreſt. Quamobrem
ſi in te Chriſtus habitat, peccatum mortuum eſt, ſpiritus
autem per iuſtitiam viuit. Quæ enim, vt ait Apoſtolus,
ſub viro eſt mulier, et dum viuit, alligata eſt lege. Quòd
ſi vir mortuus fuerit, liberabitur à lege viri. Itaque ſi vi- Coloſſ. 2.
uēte viro cum alio fuerit, adultera declarabitur. At mor-
tuo viro liberabitur à lege, vt non ſit adultera, ſi fuerit
cum alio viro. Si quis igitur ſcire cupit, vtrum in ſe Chri-
B ſtus inhabitet, id ex proprijs intelligat cogitationibns.
Quamdiu enim cordi peccatū imperat, Deus in eo non
habitat, neq; ſpiritus eius in illo requiem inuenit. Deus
habitat in homine, qui bona facit opera, & homo in
Deo, cuius eſt cor liberum à peccato. Qui adhæret me-
retrici, inquit Apoſtolus, vnum cum illa corpus efficitur.
Et qui adhæret Domino, vnus cum illo ſpiritus eſt. Per
meretricem intelligitur omoe vitium. Si igitur liberata
fuerit anima, & euaſerit omnia, quæ illi in hoc aëre ad-
uerſantur, tunc maoet io Deo, & haurit de ſpiritu eius, 1. Cor. 6.
atque ita dictum illud impletur: Qui adhæret Domino,
vnus ſpiritus eſt. Et diſcit, quomodo orare debeat, ad-
orans eum aſſiduè, & adhærens illi ſine intermiſſione.
Indéipſe manet in ea, & requieſcit, apetiens & largiens
C ei honores & munera ſua incredibilia. Regeneratur e-
nim ab illo per baptiſma & ſancti Spiritus iofuſionem.
Porrò qui natus eſt ex Deo, vt ſcriptum eſt, noo peccat; 1. Ioan. 3.
Nec tangit eum malus. Niſi conuerſi fueritis inquit ipſe,
& efficiamioi ſicut paruuli, ooo intrabitis in regnum
cœlorum. Sicut modò geniti iofantes, inquit Petrus, ra- Matth. 18.
tionabile, ac ſine dolo lac concupiſcite, vt in ipſo creſ-
catis. Quænam ſunt inſantis opera? Infans ſi verberetur,
plorat. Riſu agnoſcit arridētes ſibi. Affectus contumelia 1. Petr. 2.
non iraſcitur. Laudibus nō extollitur. Si loco eius alium
venereris, non dolet. Si res illi ſuas eripias, non turbatur.
Si paucis in rebus hæres fuerit inſtitutus, minimè curat.
Neminem vocat in iudicium. Pro fortunis ſuis non
contendit. Neminem odit. Si pauper eſt, non mœret. Si
diues, non ſuperbit. Si mulierem videt, non cōcupiſcit.
D Nulla illi neque libido, neqoe ſolicitudo dominatur.
Neminem iudicat. Nemini imperat. Inuidet nemini
In ijs quæ neſcit, ſeſe non iactitat. Proximi formam aut
habitum oon deridet. Non exercet vllo cum homine
ioimicitias. Non ſimulat. Non quærit mundi dignitates.
Cumulādis diuitijs nō incumbit. Non diligit auaritiam.
Non eſt pertinax. Non litigioſus. Non io docendo am-
bitioſus. Si exuatur, nō eſt ſolicitus. Noo triſtatur. Pro-
priam ooo defeodit voluntatem. Famem non metuit.
Maleficos & facinoroſos homines non timet. Serpentes
& feras non formidat. Si bellum ingruat, non perhor-
reſcit. Tales ſuot de quibus ait Dominus noſter Ieſus
Chriſtus: Niſi coouerſi fueritis & efficiamini ſicut par-
uuli, non intrabitis in regnum Dei. Cæterum vbi infans Epheſ. 4.
E paululū creuerit, & in eo malitia cœperit habitare, cum
Apoſtolus arguit, vt iam inquieos, non ſimus paruuli,
fluctuantes & circumferamur omoi vento doctrinæ, in
nequitia hominum, in aſtutia, ad circūuentionem erro-
ris. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus
in illo per omnia qui eſt caput, Chriſtus. Et alibi; Tan-
quam paruulis inquit, in Chriſto, lac vobis potum dedi,
non cibum, nondum enim poteratis: ſed nec nunc qui-
dem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Et alio in loco;
Quanto inquit, tempore hæres paruulus eſt, nihil differt 1. Cor. 3.
à ſeruo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus &
actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre. Sic & Rom. 4.
nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus
ſeruientes. Idem rurſus: Iuuenilia inquit, deſideria fuge. 1. Tim. 2.
Docens

Docens autem nos, vt eiuſmodi infantiam euitemus;
Nolite inquit, pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli A
eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote, paruulorum igi-
1. Cor. 14. tur, quos requirit Dominus, opera indicantur ab Apo-
1. Petr. 2. ſtolo. Porrò in illis verbis: Deponentes omnem mali-
tiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, &
omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes, &c.
Intellexiſti Frater, qui ſit ſenſus verborum Domini no-
ſtri Ieſu, cum ait: Amen, amen dico vobis, niſi conuerſi
Matt. 18. fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in re-
gnum cœlorum. Quæ quidem verba eo maiorem ter-
rorem afferunt, quoniam duplici cum affirmatione ſunt
pronũciata. Amen enim iurantis eſt vox. Idcircò Paulus
Apoſtolus; Quoniam inquit, neminẽ habuit, per quem
Hebr. 6. iuraret maiorem ſe, iurauit per ſemetipſum; Niſi bene-
dicens benedicã. Hæc igitur aſſiduè cum timore & tre-
more diligenter conſideremus. Quoties diabolus ini- B
micus noſter aduerſus proximum nos incitauerit, aut
quoties nos aliquis laceſſierit, aut contumelia affecerit,
aut nobis calumniam ſtruxerit, aut proximus nobiſcum
contenderit, aut dicto audiens non fuerit, quamobrem
acerba nos in eum ira, aut indignatio, aut odium adoria-
tur, vt animæ tenebras offundat: ſermonem Domini
Matth 18. nobis in memoriam reuocemus ſic affirmantis: Amen,
amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiami ſicut
paruuli, non intrabitis in regnum Dei. Quis hęc audiens
verba non contremiſcat? Aut quis ſapiens, & ſalutis ani-
mæ ſuæ cupidus non proijciat omnem ex animo ſuo ad-
uerſus proximum indignationem? Aut quis metuens in-
cendium gehennæ, odium non expellat è corde ſuo, ne
è regno deturbetur? Verbum nobis propoſuit abbre- C
uiatum; Niſi conuerſi inquiens, fueritis, & efficiamini
ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorum: Acerba
ſententia apud illos, qui propriæ indulgent voluntati,
mundúmque diligunt, nec munus agnoſcunt Spiritus
ſancti, qui ſuper quos venerit, facit eos omnium iniqui-
tatum obliuiſci, & docet illos, quæ ſua ſunt, pro ira leni-
tatem, pro inimicitia pacem, pro contentione humili-
tatem, charitatem pro odio, patientiam pro contume-
lia. Eiuſmodi ſunt illi, quibus contigit regeneratio. Stu-
deamus igitur euellere è corde noſtro, & abolere, quæ
dixit magnus Apoſtolus, vt ad paruuli menſuram ve-
niamus. Qui enim ea circumcidunt atque amputant, hi
rurſus ad ſanctam, & magnam, atque perfectam ætatem
perueniunt. Etenim cum in faciem ipſorum inſufflaſſet; D
Accipite inquit, Spiritum ſanctum, apparuit eis iuxta
mare Galileæ; Habetis inquiens, aliquid, quod mandu-
cetur? Per Spiritus inſufflationẽ eos ſe feciſſe paruulos
ſignificauit. Atqui non erant ætate paruuli. Rurſus ſcri-
Luc. 24. ptum eſt: Ecce ego & paruuli, quos dedit mihi Deus.
Quoniam igitur pueri communicauerant carni & ſan-
Hebr. 2. guini, & ipſe pariter factus eſt particeps eorum. Vt per
mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium,
id eſt diabolum, atque illos liberaret. Cuiuſnam carnis
& ſanguinis factus eſt particeps ad eorum ſimilitudi-
nem? niſi illorum, qui malitiam omnem abiecerant, &
ad ſanctæ peruenerant menſuram infantiæ? Et ipſi rur-
Epheſ. 4. ſus fiunt perfecti, vt ait Apoſtolus, donec occurramus
omnes in vnitatem fidei filij Dei, in virum perfectum, E
ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Et rurſum:
Augmentum corporis facite ad ædificationem eius in
charitate. Ad eos qui ſunt eiuſmodi, loquitur Ioannes
Ioan. 2. Apoſtolus, hæc ſcribo inquiens, vobis filioli, quia co-
gnouiſtis eum quæ eſt ab initio: Scripſi vobis adole-
ſcentes, quia viciſtis malum. Vides eos qui malitia par-
uuli ſunt, fieri pugnatores aduerſus inimicũ? Eius enim
armatura, quę eſt malitia, ſunt exuti. Et ijdem patres eua-
dunt, & ad perfectionis menſuram perueniunt. Quo-
niam committuntur eis myſteria & reuelationes, donec
ſapientiam, & vnitatem, & bonitatem, & manſuetudi-
nem, & caſtitatem aſſequantur. Hi ſunt qui Chriſtum
honorant in corpore ſuo. Quæ cum ita ſint frater, &
magna fames terram occupet, omni ſtudio contenda-

mus, ne quid nobis deſit. Sed bonitatem, & fortitudi-
A nem, atque conſtantiam poſtulemus, ne hoſtis inuidus
nos decipiat, perſuadeatque, vt abiecto pudore atque
miſericordia, flagitia, & ſcelera admittamus. Aſſiduè
igitur Deum cum Dauid obſecrãtes dicamus: Reſpice,
& audi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos,
ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat ini-
micus meus, Præualui aduerſus eum. Quoniam qui tri-
bulant me ſi cecidero, gaudebunt. Si igitur nos adorti
fuerint, clamemus, dicentes: Deus, quis ſimilis erit tibi,
ne taceas, neq; compeſcaris Deus. Quoniã ecce inimici
tui ſonuerunt, & qui oderũt te, extulerunt caput. Super
populum tuum inierunt conſilium, & cogitauerunt ad-
uerſus ſanctos tuos. Dixerunt, Venite, & diſperdamus
eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltrà.
B Quamobtem ſupplicans Spiritui ſancto dicebat: Deus
meus pone eos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem
venti. Imple facies eorum ignominia, & cognoſcant,
quia tu es Deus ſolus. Ecce quomodo qui fide muniti Pſal. 82.
ſunt, cor ſuum armant aduerſus inimicos, & ſeſe confir-
mant ad ſanctam petram, qui Chriſtus eſt, & cum animi
fortitudine, circumdederunt inquiunt, me ſicut apes, &
exarſerunt, ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini,
quia vltus ſum in eos. Proinde ſi viderimus eos, qui nos Pſal. 117.
malitia ſua, id eſt acedia circumdederunt, aut voluptate
animam noſtram diſſoluere, aut ira nos aduerſus proxi-
mum, ſiquid perperam egerit, concitare, aut oculos no-
ſtros ad cupiendam corporum pulchritudinem com-
mouere, aut proximi noſtri ſermonem nobis tanquam
venenum obijcere, aut nos ad aliorum verba carpenda
C pellicere, aut ad ſerendas inter fratres diſcordias, dicen-
tes, hunc eſſe bonum, illum verò malum: fraudibus eo-
rum ne ſuccumbamus, ſed potius cum Dauid magna
animi fortitudine clamemus: Dominus protector vitæ
meæ. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor
meum. Si exurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſpe- Pſal. 26.
rabo. Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabi-
tem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt vi-
deam lætitiam Domini, & viſitem templũ ſanctum eius.
Quoniã protexit me & ecce nunc exaltauit caput meum
ſuper inimicos meos. Hæc eorum ſunt, qui mentem à 1. Theſſ. 5.
mortuis excitãt, quos Apoſtolus noctem appellat, Non
ſumus inquiens, noctis, nec tenebrarum. Eos verò qui Ibidem.
deſidiæ dediti ſeipſos negligunt, coarguit; Qui dormiũt
D inquiens, nocte dormiunt, & qui ebrij ſunt, nocte ſunt Ibidem.
ebrij. Et rurſum: Dies Domini tanquam fur veniet, &
non effugiẽt, quoniam ſunt in nocte. Ad illos autem, qui
mentem excitant à vitijs, quæ ſunt nox; Induentes in-
quit, loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpei ſalutis.
Ab operibus ergo mortuorum vigilemus, & animæ dili-
genter vacemus, ne quid agamus, quod ſit naturæ con-
trariũ. Eſt enim anima natura mutabilis, & ſimilis ferro,
quod, ſi negligatur, rubigine conſumitur, igne autem ex-
coctum purgatur, & quadiu manet in igne, fit ei ſimile,
nec poteſt illud quiſquam attingere, quoniam ignis eſt.
Itidem anima dum verſatur & loquitur cum Deo, ignis
efficitur, & comburit inimicos ſuos, qui eam negligẽtiæ
ſomno conſopitam ſolent opprimere. Vt ferrum igitur,
E anima renouatur, ſanctáque efficitur, neque amplius
vlla in re iſtius mundi corrumpitur, ſed in recta natura
ſua, quam habet à Deo conquieſcit. Quòd ſi à natura
ſua receſſerit, perit. Quemadmodum enim animalia
terreſtria, ſi in aqua demergantur, intereunt, quoniam
ſunt è natura terrena: Piſces autem in terram extracti
moriũtur, quoniam ex aquæ natura ſunt. Volucres verò
in aëre quieſcunt, quòd ſi in terram deſcẽderint, timent
ne capiantur. Sic & anima ſi à propria natura deflexerit,
ſtatim interimitur. Quamobrem qui diuinis illis mune-
ribus donati ſunt, mundi fraudes & dolos reformi-
dant, eiúſque fugiunt conſuetudinem, ne in laqueos &
mortem incidant. Talis anima, ne ſi velit quidem, po-
teſt mundum diligere. Meminit enim qualis fuerit, an-
tequam eſſet in Deo. Et quid ſibi ex mundo contigerit,

& quàm malè fuerit ab ipſo tractata. Quemadmodum
enim cùm in vrbem, quam expugnarit rex inimicus in- A
gredietur, ciues timore contettiti paſſis manibus victori
ſe dedunt: At ille ſtatim deiectis alterius regis imagini-
bus, legibúſque ſublatis, imagines ſuas, & leges nouas
conſtituit. Quòd ſi ciues legitimo regi clam denuntia-
rint, vt ſibi ferat auxilium, & iratus ille aduerſus hoſtem
exercitũ duxerit, ciuéſque, re intellecta, regi ſuo portas
aperuerit, ingrediens ipſe captum hoſtem interficit, ſta-
tuáſque ſuas, & priſtinas leges reſtituit, regis aduerſarij
ſtatuis & legibus euerſis & abrogatis. Tunc incredibili
ciuitas exultat gaudio. Rex autem in illa habitat, & ſic
eam munit, vt nemo poſſit amplius ea potiri. Et ciues
ſuos docet arma tractare, vt nullum metuant aduerſa-
rium. Sic etiam anima poſt ſuſceptum baptiſma, à dia-
bolo fuit expugnata, qui eam pro libidine ſua euertit B
atque vaſtauit, exturbatáque veri regis imagine, ſuam
erexit, fecítque vt miſera anima ſæculi iſtius curis & ſo-
licitudinibus vacaret, & in omnibus vitijs & peccatis
volutaretur. Verum poſteaquam ſancti magníque regis
Ieſu Chriſti benignitas eam ad pœnitentiam reuocauit,
læta regi ſuo fores aperuit. At ille ingreſſus aduerſarium
expulit, & turpem eius imaginem, atque nefarias leges
aboleuit, animámque in priſtinã libertatem vindicauit,
& ſuam in illa ſanctam imaginem inſtaurans, ſanctas ei
leges dedit, pugnandíque peritiam tradidit, & ſenſus
illius omnes communiuit, ac deinceps in ea vti ſua re-
quieuit. Fieri enim non poteſt, vt anima ingrediatur in
requiem filij Dei, niſi eius imaginem habeat. Quemad-
modum enim nullus mercator nummum accipit, in quo C
regis imago non ſit expreſſa: neque eum nummularius
probat, neque rex in ſuum theſaurum admittit: Sic ani-
ma, niſi regis magni & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruet
imaginem, non probatur ab Angelis, neque admittitur
Ioan. 13. ab ipſo rege: Quin potius audit: Quomodo huc intraſti
non habens imaginem meam? Porrò imaginis nota cha-
ritas eſt. In hoc enim inquit, cognoſcent vos meos eſſe
diſcipulos, ſi dilexeritis inter vos. At charitas eius in no-
bis eſſe non poteſt, cum anima ita diuiſa ſit, vt & Deum
quærat, & diligat ea, quæ mundi ſunt. Etenim quemad-
modum volucris vnica ala volare non poteſt, ſic anima
nequit in Deum progredi, ſi altera parte ad mundum in-
clinet. Et quemadmodum nauis, ſi quid ei neceſſarium
deſit, per mare tranſire non poteſt: ſic anima, ſi virtus D
ei aliqua deſit, perturbationum pelagus non poteſt tra-
ijcere. Et quemadmodum nautæ ſi pulchra veſtimenta,
& chirothecas, & calciamenta habent muliebria, officio
ſuo fungi & nauigare non poſſunt, quia neceſſe, vt ſint
expediti: ſic anima improbas ſpirituum aduerſariorum
procellas ſuperare non valet, niſi mundi curis & ſolici-
tudinibus ſit vacua. Et quemadmodum miles cum ho-
ſtibus principis ſui conflictutus, ſi arma deficiant, non
poteſt reſiſtere, ita Chriſti aduerſarijs, id eſt vitijs & per-
turbationibus homo repugnare non valet, ſi virtutum
armis ſit deſtitutus. Et quemadmodum ſi pars aliqua
muri corruerit, hoſtes in vrbem per illam ingredi pote-
runt, licet portæ cuſtodiantur: Ita ſi quis ædificij ſpiri-
tualis propugnacula aliqua ex parte per vitium aut flagi- E
tium aliquod ſinat corruere, licet ſenſuum portas alio-
qui diligenter cuſtodiat, tamen aduerſarius diabolus in-
greditur, & euertit omnia. Neque verò hæc ipſe con-
fingo, ſed ita teſtatur diuina Scriptura. Et dixit Deus
Geneſ. 7. Noë: Te ſolum in hac generatione vidi iuſtum atque
perfectum. Abrahæ verò, ambula inquit, coram me, &
Geneſ 17. eſto perfectus, & ponam pactum meum tecum ſempi-
ternum. Et Iſaac benedicens filio ſuo Iacob, Deus in-
quit, meus corroboret te, donec poſſis facere omnem
Num. 9. voluntatem eius. Et in Numeris ſcriptum eſt: omnis
qui votum habet ſuper ſe, ſeipſum cuſtodiat, nec vinum
bibat, aut acetũ ex vino, aut quicquid inebriare poteſt,
vſque ad acinum vuæ. Et in Deuteronomio, ſi exieris
inquit, ad pugnam contra aduerſarios tuos, cuſtodi te
ipſum ab omni ſermone & opere malo, donec tradatur

inimicus tuus in manus tuas. Porrò ex his ſeptem gen-
tibus neminem omnino captiuum ſeruabis, ne doceat
te peccare contra me. Ac docens nos, ne contemnamus
eos, qui dicunt; Quando poterimus eos delere, cùm
tam multi ſint? Non poteris inquit, delere eos in anno
vno, ne fortè terra deſerta relinquatur, & multiplicẽtur
feræ contra te. Sed paulatim, donec numero augearis.
Et dilatabit Deus terminos ſuos. Sæpe etiam præcepit
illis Deus; Caue inquiens, ne fœdus ineas cum Chana-
næis, quos ego ſum deleturus à facie tua. Iam cum Ieſus
filius Naue Iericho obſideret, vt illam euerteret, ana-
thema inquit, conſtitues illam, & omnia quæ in ea ſunt. *Ioan. 6.*
Et cum vellet manum cum hoſte conſerere, non potuit
Iſraël reſiſtere, ſed fugit à facie eius, propter exiguum
anathema, quod ſurripuerat Acham. Et procidens Ioſue
in faciem ſuam clamauit in conſpectu Dei. Vertit in-
quiens, Iſraël terga inimicis ſuis. Et ego quid faciam? Et
dixit ei princeps militiæ Domini; Quoniam eſt in te *Ioan. 7.*
anathema, Iſraël non poteris reſiſtere inimicis tuis. Et
non proceſſit in prælium prius, quam è medio tolleret
Acham. Ad hęc videmus, quomodo Saülem regno ſpo- *1. Reg. 15.*
liauerit Deus, propter anathema, quod ceperat ex
Amalech. *1. Reg. 14.*

Quid, quòd Deus non audijt Iſraël, cum Ionathas
haſtam innnxiſſet in melle, cúmque admouiſſet ori ſuo? *Eccleſ. 10.*
Eccleſiaſtes prætetea docens, quolibet minimo vitio
virtutum aciem frangi dicebat; Muſcæ morientes per-
dunt ſuauitatem vnguenti. Et Ezechiel. Quacumque *Ezech. 3.*
inquit die iuſtus deflexerit de via iuſtitiæ ſuæ, & fecerit
iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius tradentur obliuioni. Et *Gal. 5.*
Apoſtolus, Modicum inquit, fermentum totam maſſam
corrumpit. Ananias autem & Saphira vxor eius, cum
fraudaſſent de pretio agri mentientes, repentè cecide-
runt ante pedes Apoſtolorum, & expirarunt. Si quis in-
quit Iacobus, totam legem ſeruauerit, offenderit autem *Iac. 2.*
in vno, factus eſt omnium reus. Admonet nos Deus, vt
ad ſe nos conuertamus: In qua die inquiens per Eze-
chielem, conuerterit ſe impius à via impietatis ſuæ, & *Ezech. 18.*
fecerit iuſtitiam & iudicium, iniquitatum eius non re-
cordabor. Sed vita viuet. Quia nolo mortem peccato-
ris, ſed potius vt conuertatur, & viuat. Dicit Dominus
Deus; Connertimini conuertentes. Cur interit domus
Iſraël? Et Ieremias; Conuertimini inquit, ad me, domus *Hier. 8.*
Iſraël, & propitius ero vobis, dicit Dominus. Et idem
rurſus: Nonquid qui cecidit, non reſurget? & qui auer-
ſus eſt, non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus
iſte auerſione contentioſa? Apprehenderunt menda-
cium, & noluerunt reuerti ad me, dicit Dominus. Con- *Matth. 6.*
uertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et Dominus;
Si dimiſeritis inquit, hominibus peccata eorũ, dimittet
& vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Quòd ſi
non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis. Si quis *Gal. 6.*
veſtrum inquit Apoſtolus, præoccupatus fuerit in ali-
quo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, corripite eiuſmodi
in ſpiritu lenitatis. Et Iacobus; Fratres mei inquit, ſi quis *Iac. 5.*
ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum,
ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem
ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam à morte, &
operiet multitudinem peccatorum. Ecce quomodo
cuncta ſcripturarum teſtimonia nos commonent, vt
noſmetipſos exploremus, ne, dum ſtudio virtutis in-
cumbimus, malitiam ſeruemus, aut iram aduerſus pro-
ximum, quæ labores noſtros perdat, & Dominus noſter
Ieſus Chriſtus nobis eo tempore non opituletur, cum
inimici noſtri nos afflixerint. His enim indignatur, cum *Matth. 18.*
ait: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam
rogaſti me: nonne oportuit & te miſereri conſerui tui?
Et iratus tradidit eum tortoribus, donec redderet omne
debitum. Sic faciet pater meus cœleſtis, niſi dimiſeritis
vnuſquiſque fratri veſtro è cordibus veſtris. Explora te
ipſum frater, & quotidie cor tuum excute in conſpectu
Dei, vt intelligas, vtrum in eo reſideat indignatio, aut
odium in fratrem tuum, aut contumelia, aut inuidia,

aut

aut ſuperbia. Quoniam ſi eiuſmodi veneno infectum fuerit, Deo placere non poterit. Tibi in memoriam redige verba illa Domini Ieſu: Niſi dimiſerit vnuſquiſq; proximo ſuo ex toto corde.

Quiſquis igitur timet, ne in gehennam incurrat, omnem è corde ſuo malitiam expellat. Attende cordi tuo frater, & vigila. Hoſtes enim noſtri ſunt aſtutiſſimi, & nunquam dormiunt. Scito fieri non poſſe, vt homo, dum malè agit, faciat bona. Poteſt tamen ſub ſpecie

Math. 7.

boni mala facere. Idcircò Dominus ad vigilandum nos hortabatur: Anguſta enim eſt porta, & arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Lata autem &

Ibidem.

ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui ingrediuntur per illam. Attendite inquit, à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autē ſunt lupi rapaces, à fructibus ipſorum cognoſcetis eos. Quinā ſunt fructus iſtorum? Omnia peccata, ad quæ nos conantur impellere. Attamen eos, qui Deum ex toto corde diligunt, decipere nequeunt falſi prophetæ. Quis inquit Apoſtolus, nos ſeparabit à cha-

Rom. 8.

ritate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an periculum? an nuditas? an gladius? Certus ſum enim, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque præſentia, neque futura, neque vlla alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Chriſti. Animaduertis mi frater, nihil eſſe in mundo, quod ex toto corde diligentes Deum poſſit ab ipſius charitate ſeparare. Attende igitur tibi, ne qua te malitia ſeiungat ab eius charitate, ne aurum, aut argentum, aut ædes, aut voluptas, aut odium, aut contumelia, aut acerbius aliquod dictum, aut vllum aliud draconis venenum, quo ille cor noſtrum afflauerit. Ne turbemur, ſed potius in ſerpentem ęneum aciem intendamus, quem ex ſermone Domini Moſes fecit. Ligno enim illum affixit in montis vertice, vt quicumque fuiſſet à ſerpentibus morſus, ſtatim in eum reſpiciens, curaretur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus æneo ſerpenti aſſimilatus eſt. Quandoquidem inimicus eſt, quem audiuit Adam, inimicus conſtitutus eſt Dei. At Dominus noſter Ieſus Chriſtus, perfectus homo factus eſt in omnibus, excepto peccato, ſimilis Adam propter nos. Porrò ſerpens eſt æneus, quia ſimilis eſt illi qui Dei erat inimicus, nō tamen improbam habet cogitationem, neque venenum, neque malitiam, neque abſcondit ſeſe, neque afflat, neque ſpiritum habet inimici. Figuram hanc ſubijt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt venenum illud extingueret, quod ex ore draconis Adam hauſerat. Natura igitur, quę fuerat deprauata, in proprium ſtatum redacta eſt. Quid eſt, inquit Dominus Moyſi, quod habes in manu tua? Et dixit: Virga. Proijce inquit, illam in terram. Quæ proiecta in ſerpentem conuerſa eſt. Et fugit Moyſes a facie eius. Et dixit illi Deus: Extende manum tuam, & caudam ipſius apprehende. Quod ille cùm feciſſet, in virgam conuerſus eſt ſerpens. Et dixit Deus, Sume virgam, quæ in ſerpentem verſa eſt, & fluuium Ægypti percuties in conſpectu Pharaonis, & aqua eius vertetur in ſanguinem. Et ruſſus eandem virgam accipiens, percute mare rubrum, & areſcet. Petram item eadem virga percutito, & aquam effundet. Cernis, quomodo qui per veſtigia Domini noſtri Ieſu Chriſti incedit, poſteaquam factus eſt innocuus & ſerpens, in virgam vertitur, & nullus illi reſiſtere poteſt aduerſarius? Myſterium hoc magnum eſt. Si igitur draco ſuum in nos virus effuderit, oculos noſtros ad crucifixum intendamus, qui propter nos hæc omnia paſſus eſt, neque tamen immutatus eſt, neque ira commotus in eos, à quibus tot iniurijs & contumelijs afficiebatur, nihil reſpondens, ſed ad ænei ſerpentis ſimili-

Ioan. 3.

tudinem immobilis manens. Quamobrem ſi auxilium eius implorauerimus, ab occultorum ſerpentium morſibus integri permanebimus. In eo ſitum eſt robur & præſidium noſtrum. Quemadmodū enim, inquit ipſe, Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet Filium hominis: vt omnis, qui credit in eum, non

pereat, ſed habeat vitam æternam. Vt omnis inquit, qui A credit in eum. Neceſſe eſt, vt ad illum per fidem accedamus. Neque enim æneus ſerpens vulneratos curabat, 1. Cor. 10.

niſi qui in eum reſpexiſſent. Multi enim increduli, neglecto Dei ſermone à ſerpentibus icti moriebantur, vt teſtatur Apoſtolus: Et ne tentemus inquiens, eum, ſicut illi tentauerunt, & à ſerpentibus ſunt interfecti. Cernis frater, hoc item tempore ſerpentes in eorum cordibus ineſſe, qui tentare volunt Dominum Ieſum? Quinam ſunt iſti? Illi nimirum, qui mandata eius requirunt, cum ea nolint obſeruare. Acceſſit inquit, ad eum vnus è legiſperitis tentans eum, & dicens: Magiſter quod eſt magnum & primum mandatum in lege? Cui reſpondit Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde

Math. 22.

tuo, ex tota anima tua, & proximū tuum ſicut te ipſum. In his duobus præceptis vniuerſa lex pendet & prophe- B tæ. Vides eos, qui quærunt & non faciunt, tentatores appellari? quoniam æneo ſerpenti nolunt credere, qui poteſt eos à peſtifero occulti ſerpentis morſu curare. Cor igitur tuum confirma, & ne dixeris; Quomodo poſſum eius mandata ſeruare, cùm homo peccator ſim? Qui enim confeſſus fuerit peccata ſua ſeſe conuertens ad Deum, per pœnitentiam regenerabitur. Sicut portauimus imaginem terreni, inquit Apoſtolus, portemus & imaginē cœleſtis. Poteſtatem, vt vides, dedit homini Deus, vt per pœnitentiam immutetur, & totus per illam nouus efficiatur. Mater dum infans eſt in ſinu ſuo, illum ſeruat ab omni malo. Si luget, māmam præbet. Leuiter colaphos infligit, vt cum timore lac ſugat, nec contumax euadat. Flentem complexu & oſculo conſolatur. Eum C vt cor, & viſcera propria, diligit & fouet, & ad ſugenda vbera inuitat. Si aurum infanti, aut argentum, aut margarita, aut quiduis aliud oſtendatur, aſpicit ille quidem, ſed in ſinum matris fugiens omnia contemnit, vt mammam eius accipiat. Non arguit eum pater quod nihil agat, quod ſe ad bellum non conferat, & pugnet cum aduerſarijs. Quoniam eſt paruulus, non poteſt: pedes habet ille quidē, ſed illis inniti non valet. Manus habet, ſed arma nequit tractare. Patienter expectat mater, vt paulatim creſcat. Vbi paululum creuit, ſi fortè cum alio luctari voluit, victúſque cecidit non iraſcitur pater, quoniam paruus eſt. At cum in virum euaſerit, eius apparet virtus & ſtudium. Patris inimicos perſequitur. Tunc illi pater omnia ſua committit & credit, quoniam filius eſt. Quod ſi poſt omnes labores, quos in eo educando pa- D rentes pertulerunt, fames, aut peſtis aut bellū ingruerit, & ille parentes deſerat, neque eorum ſenectuti velit conſulere, ſed cum inimicis illorum amicitiam ineat, tunc amoris obliti, domo filium ingratum eijciunt, & ſpoliāt hæreditate. Et nos igitur fratres, operam demus, vt in pœnitentiæ præſidio conſiſtamus, ſugamúſque lac è ſanctis eius vberibus, vt nos ipſa nutriat & foueat. Omnia quæ cernuntur, aſpernemur, vt lac eius in ore noſtro dulceſcat. Diſciplinæ ipſius iugum ſubeamus, vt noſtri curam gerat. Quòd ſi cum hoſtibus noſtris pugnauerimus, & illi nos vt paruulos afflixerint, ploremus in ſinu eius, vt illa patrem noſtrū ad eos, qui nos vexant, vlciſcendos exhortetur. Omnem cordis noſtri voluntatem amputemus, & nos eſſe peregrinos non pigebit, E vt nos tanquam Abraham ſeruet atq; defendat. Manibus eius nos vt Iacob, ſubijciamus, vt à patre noſtro benedictionem impetremus. Voluntates noſtras abnegemus, vt Moyſes, qui ſub eius perfugio ſeruatus eſt aduerſus illos, qui eum interficere cupiebant. Ne contemnamus illam, ne oderit nos ſicut Eſaū. Sanctitatem eius cuſtodiamus, vt nos exaltet in terra inimicorum noſtrorum. Eam tanquā propugnaculū teneamus, vt Ieſus filius Naue, qui puer è tabernaculo non egrediebatur. Inertiæ locum in corde noſtro ne relinquamus, ne ſpoliet nos terræ promiſſionis hæreditate. Omnibus in rebus humilitatem amplectamur, vt quemadmodum Caleb, ingrediamur in terram fluentem lac & mel. Nihil perditionis concupiſcamus, ne pereamus, vt Achan. Amemus eius

ſtimulum conſcientiæ, qui omni hora nos excitet, vt ſeruet nos in tempore tentationis, quemadmodũ Raab. A
In nullo cibi genere gulæ indulgeamus, ne perdat nos, vt filios Heli. Seruemus nos integros ab omni iniquitate, ſicuti Samuel, qui nullo conſcientiæ ſtimulo pungebatur, quòd mali quippiam feciſſet proximo ſuo. Caueamus, ne malum proximo reddamus, vt nos à malo cuſtodiat, quemadmodum Dauid. Ab omni iactantia atque inani gloria temperemus, ne reijciant nos à facie Patris noſtri, vt Abſalom. Humilitatem & grauitatem colamus, vt habeat nos vltores aduerſus inimicos patria noſtri, quemadmodum Salomonem. Omni in re nos ſubijci ſtudeamus, membra noſtra ab omnibus operibus mortuis cohibentes, vt cor ſtrenuum aduerſus inimicos noſtros obtineamus, ſicut Elias Theſbites. Ne ſimus cupidi voluptatis, ne nos perdat vt Acham. Totis viri- B
bus ad mortem vſque contendamus, ne ſanctam ipſius amittamus hæreditatem, vti Nabut Iſraëlita: Obedientes ſimus patribus noſtris ſpiritualibus, voluntates noſtras omnibus in rebus abnegantes, donec illis ſubijciamur, vt ad Eliſei ſimilitudinem, eorum benedictio nobiſcum maneat. Ne ſimus auari, neque mendaces, vt hominibus placeamus, ne nos perterrefaciat, vt Giezi. Viros pios magis, quàm noſmetipſos omnibus in rebus diligamus, vt nos quemadmodum Sunamitidem benedicat. Peccatum ad mortem vſque odio perſequamur, vt in die neceſſitatis ſicut Suſannam nos adiuuet. Varia ciborum genera ne cupiamus, vt illi qui cibum de mẽſa Nabuchodonoſor capiebant. Afflictione gaudeamus, vt Azarias. Ne ſimus aſtuti & callidi, ſicut Babylonij C
murmurantes contra fideles. Expleamus miniſteria noſtra, vt Daniel, corporis ignauiæ non indulgentes, quoniam maluit mori, quàm relinquere ſacrificia, quæ quotidie faciebat. Deus enim fortis eſt, eóſque à tentationibus ſeruat, à quibus diligitur. Improbos autem perdit. Iuſti verò fides in Deum feras reddit vt agnos ouium. Benedictus Deus pœnitentiæ, & benedictus à Deo, qui pœnitentiam diligit, & collum ſubijcit voluntati eius, donec deſuper regeneretur ex voluntate Dei. Magna frater, opus eſt homini diligentia, & iudicio, & vigilantia, vt omnem ſuam repudiet voluntatem, & rectè incedat in omnibus vijs ſuis, ne aberret, & incidat in manus hoſtium pœnitentiæ. Qui ſe iuſtum exiſtimat, illam interficit. Qui iudicat peccatores, eam inſectatur. Qui deſpicit negligentes, eam diſſoluit. De hac in Prouer- D
bijs ſcriptum eſt. Omnes viæ eius rectæ. Cibum otioſa non comedit. Veſtimenta duplicia fecit viro ſuo. Facta eſt velut nauis inſtitoris de longè portans diuitias ſuas. Ex his verbis illam conſideremus. Mercator qui nauem onerat, non genus vnum mercium in eam conijcit, ſed omnia, ex quibus ſe lucraturum ſperat. Quòd ſi quam iacturam feciſſe viderit, eum non imitatur, ſed eos potius, quos animaduerterit diuites euaſiſſe. Incolas, & quos minimè inuidos arbitratur, rogat, quanti vnaquæque res emi aut vendi poſſit. Talis eſt anima, quæ Deo cum lætitia cupit occurrere. Non vna re tantùm contenta eſt. Sed omnia cõparat, ex quibus lucrum ſperat. Ea verò reſpuit, quæ damnum allatura ſuſpicatur. Nunc igitur mi frater, quando Domini Ieſu mercator effectus E
es, ab illis mercibus caue, quæ afferunt detrimentum. Cuiuſmodi ſunt, humana gloria, ſuperbia, arrogantia, iactantia, irritatio proximi, maledicẽtia, auaritia, diſcordia. Hæc, & his ſimilia Domino Ieſu placere non poſſunt. Te ipſum frater, conſidera diligenter, ſenſus tuos expende, vt ſcias, quinam ex illia, aut Deo, aut peccato fructum ferat. Vtrum oculi tui rapiantur à voluptate. Vtrum lingua ſit ad petulãtiam prona. Vtrum cor tuum humanæ gloriæ dulcedine capiatur. Vtrum aures adulatores & maledicos libenter audiant. Hæc omnia menti ſunt detrimento. Nam in Leuitico ſcriptum eſt. Sic dicito Aaron: Ne obtuleris ad altare meum ex animalibus mundis, quod maculam habeat, ne moriaris: Aaron mentem ſignificat. Et quoniam inimicus cum ſpecie iuſtitiæ miſcet malitiam ſuam, ideo iuſſit, vt exploraret, antequam offerret, ne moreretur. Diligens hæc exploratio illorum eſt, qui verè diligunt Dominum Ieſum, & ſperant in eum. Horum anima facta eſt ſpõſa virtutibus omnibus exornata, quæ habet ſpeculum ſuum. Nam, vt inquit Apoſtolus, nos omnes reuelata facie gloriam Dei *2. Cor. 3.*
veluti ſpeculo referentes in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Nunc autem videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc videbimus ipſum facie ad faciem. Quamobrem animæ, quæ ſponſæ illius fiunt, in caſtitate ſeipſas tanquam in ſpeculo contemplãtur, ne fortè aliqua in vultu macula reſideat, qua diſpliceant ſponſo ſuo. Quærit enim ille virgines animas caſtas, & mundas nullam habentes maculam. Id quod de Rebecca ſcriptum eſt: Quòd virgo erat pulchra valde, neſciens virum. Et Propheta; Adducentur inquit, virgines poſt eam. Proximæ *Pſal. 44.*
eius adducentur tibi. Adducentur, habita humanitatis ratione. Proximæ, quia coniungentur ipſi. Sancti enim baptiſmatis regeneratio renouat eas ab omni vetuſtate. Et pœnitentia illas ſanctificat, & puras virgines reddit. Totius enim vetuſtatis obliuiſcuntur. Audi inquit, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui, & domum patris tui. Et concupiſcet rex ſpeciem tuam. Et ſuſpicient illam omnes virtutes cœlorum, propter mũditiam, qua eam pœnitentia decorauit, & vnum cum ipſo corpus illam effecit. Et dicent: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata inter filias eius? Omnibus ergo viribus contẽdamus, vt paulatim veteris hominis actiones exuamus, caueamus à rebus omnibus perditionis, donec charitas eius ad nos veniat, & à nobis auferat imaginem terreni, & ſanctam eius imaginem figat in corde noſtro, vt puri & integri ab omni macula eo digni efficiamur. Et ſicut portauimus imaginem terreni, vt inquit Apoſtolus, portemus, & imaginem cœleſtis. Quo- *1. Cor. 15.*
niam probè nouit Apoſtolus, neminem eſſe ſine peccato, ex quo facta eſt tranſgreſſio: & pœnitentiam eſſe, quæ hominẽ ad integram ducit puritatem: idcircò nos monet, vt deſtruamus actionem eius qui non obediuit, & actionem amplectamur Domini noſtri Ieſu Chriſti, obtemperantes mandatis illius, qui miſericordia adductus hominis ſeruitutem tulit, vt eum in reconditum reduceret paradiſum, & ſanctas illi ſuas virtutes omnes largiretur, permitteretque veſci de ligno vitæ, quæ eſt ſermonum eius cognitio atq; obſeruatio, quæ in animo fidelium pacem infert, eóſque ſeruat aſſiduè, & arcet aurea eorum ab omni ſermone draconis improbi, in memoriam illis redigens acerbam ſeruitutem, in quam per inobedientiam incidimus, cohortánſque nos, vt ei ſemper gratias agamus, qui pretioſo ſanguine ſuo nos redemit, delens in cruce chirographum noſtræ ſeruitutis, nóſque ſibi fratres & amicos aſcribens, qui cùm Spiritum ſuum in charitate ſuper diſcipulos ſuos effudiſſet, & animos eorum recreaſſet; Aſcendo inquit, ad patrem *Ioan. 20.*
meum, & patrẽ veſtrum, Deum meũ, & Deum veſtrum. Volo Pater, vt vbi ego ſum, & ipſi illic ſint mecum. Quoniam dilexi eos, ſicut tu dilexiſti me: cæterum vt oſtenderet ſe non de omnibus dicere, ſed de illis, qui proprias amputant voluntates, & ſanctæ ipſius voluntati patent, & omnia mundi huius commercia à ſe reijciunt; Elegi inquit, eos de mundo, propterea odit eos *Ioan. 15.*
mundus, quoniam ab eo non ſunt. Qui ea quæ mundi ſunt, reliquerũt, digni facti ſunt, quemadmodum vides, vt Domini Ieſu ſpõſæ ſint, & in eius vnitate permaneãt. Propter hoc inquit Apoſtolus, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico *Ephes. 5.*
in Chriſto & in Eccleſia. Idem Apoſtolus gentes dixit *Ephes. 3.*
eſſe cohæredes, & concorporales & comparticipes promiſſionis in Chriſto Ieſu per Euangelium. Qui digni facti ſunt, vt ſint vnum corpus cum ipſo, Spiritus ſanctus habitat in eis, & ipſe ſuggerit illis omnia, & pro illis ipſe ſolicitus eſt. Neque enim vos eſtis inquit, qui loquimini, *Matth. 15.*
ſed

ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Et Apo-
ſtolus; Quoniam inquit, vobis reuelauit Deus per ſpi- A
1. Cor. 2. ritum ſuum; Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam pro-
funda Dei.

Nos enim inquit, mentem Chriſti habemus. Quo-
modo igitur Chriſti mente peccatum aliquod cogite-
mus, myſterium hoc frater, animo contemplare. Omnia
genera animalium, quæ ſunt in terra cum ſimili, nō cum
diuerſo genere coniuncta generant, ſiue iumenta ſint,
ſiue feræ, ſiue ſerpentes, ſiue volucres. Propterea Deus
adduxit omnia ad Adam, vt videret, an inueniret quod
ſibi eſſet ſimile. Et nullum ex omnibus inuenit, quoniam
ex eius natura non erat. Tunc accepit Deus vnam è co-
ſtis eius, & fecit ipſi vxorem, quoniam ſumpſerat eam
è viro ſuo. Myſterium hoc magnum eſt in illis, qui ſiunt
ſponſæ Chriſti. Quia ſunt ex eius ſubſtantia per regene-
rationem, & ex ſancto illius ſunt corpore. Nam, vt Apo- B
ſtolus ait; Vnum corpus ſumus omnes in Chriſto: Sin-
1. Cor. 12. guli autem alter alterius membra. Et rurſum: Quoniam
inquit, membra ſumus corporis eius, ex carnibus eius,
Epheſ. 5. & ex oſſibus eius. Vides quomodo velit hominem eſſe
in omnibus, quemadmodum Eua ex Adam, & ſicut eſt
ipſe in omnibus. Nam qui brutorum inſtar ſunt rationis
expertes, aut ſibi viciſſim aliquid ſuſcipientes feratum
auaritiam imitantur, aut volucrum inconſtantiam, aut
venenum ſerpētium: horum animæ ſponſæ Chriſti eſſe
non poſſunt: quoniam illi ſunt actione diſſimiles. Vides
frater, quomodo velit hominem ſibi eſſe ſimilem, vt
anima eius ſit ſponſa ipſius? Ex proprijs igitur actioni-
bus agnoſcit anima cogitationes ſuas. Nam ſi rectè agit,
Spiritus ſanctus habitat in ea. Actiones bonæ reddunt C
animam à perturbationibus liberam. Porrò fieri non
Ioan. 14. poteſt, vt in ea quæ talis eſt, nō habitet Spiritus ſanctus.
Si me diligitis inquit Dominus, mandata mea ſeruate.
Et ego rogabo Patrem, & mittet vobis paracletum Spi-
ritum veritatis. Et Apoſtolus, Nonne inquit, cognoſci-
tis, quòd Chriſtus Ieſus habitat in vobis? niſi fortè re-
probi eſtis. Vides, quomodo, niſi quis Domini actio-
nem imitetur, reprobus ſit & ſponſa eius eſſe nequeat?
Matth. 25. Et virgines omnes parauerunt lampades ſuas, ſed quæ
non habebant opera bona, reiectæ ſunt. Sagena miſſa in
Matth. 13. mare congregauit & intulit bonos piſces in regnum cœ-
lorum. Zizania ſimul cum tritico creuerunt, ſed cum
Ibidem. meſſis adueniſſet, ligata ſunt, & in ignem proiecta. Pal-
Ioan. 15. mites qui fructum non tulerunt, in ignem proiecti ſunt. D
Oues ſimul cum hœdis paſcebantur, ſed oues tantum à
dextris conſtiterunt, hœdi autem à ſiniſtris. Is qui ſemi-
nat ſeminauit ſemen ſuum. Sed illud ſolum, quod ceci-
dit in terram bonam, fructum tulit. Dedit argentum
Matth. 13. ſuum ſine ſimulatione, ſed eo tamen gauiſus eſt dupli-
cato. Vocati fuerant omnes ad nuptias, ſed qui non ha-
bebat veſtem nuptiarum, iuſſus eſt proijci in tenebras
Matth. 22. exteriores. Omnes ſe credere profitentur, ſed qui bona
non habent opera, eijciūtur foras. Quoniam multi ſunt
vocati, pauci verò electi. Exploremus noſmetipſos fra-
tres, & opera noſtra perpendamus, antequam illi ſit ob-
uiam à nobis prodeundum. Ne ſimus ex eorū numero,
qui carnis faciunt voluntatem. Operam demus, vt eas
diuitias aſſequamur, quas in illa neceſſitatis hora ſumus E
inuenturi. Eas quæ nobis hic neceſſariò ſunt relinquen-
dæ, contemnamus. Conſideremus illos, qui ſummo ſtu-
dio caducis iſtis diuitijs cumulandis incubuerunt. Quo-
modo illis relictis, in gehēnam inciderint, quia Domini
Ieſu veſtigia ſequi neglexerunt, vt dignæ fierent illius
ſponſæ. Lachrymis igitur coram Deo, & occulto cordis
dolore ac gemitu laboremus: ne in dedecus ipſorum
incidamus. Etenim ſi tempeſtas in mari oriatur, & multa
nauigia ſubmergantur, non dicimus, quoniam illi perie-
runt, pereamus & nos. Quinetiam totis viribus con-
tēdimus, & Deo vota facimus, vt incolumes euadamus.
Verè magna fratres, in hoc vitæ pelago tempeſtas ob-
orta eſt. Cohortemur nos ad laborem, & clamemus ad
Dominum, ne fluctibus obruamur. Niſi deponamus

onera peccatorum, exuamúſque nos ab omni ſolicitu-
A dine, ex hac turbulenta tempeſtate non poſſumus eua-
dere. Moyſes non prius cecinit canticum Domino,
quàm mare traieciſſet, vidiſſetque mortem eorum, qui
volebant Dei populum in ſeruitute detinere: Tunc de-
mum dixit. Cantemus Domino. Glorioſè enim magni-
ficatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare. Si
mens igitur animæ ſenſus à carnis voluntate ſeruauerit,
& cōtemplationis columna animam ab illa ſeparauerit,
tunc Deus perſpiciens improbitatem perturbationum,
quæ in animam impetum facientes ſenſus ipſius in pec-
catis conantur continere, menti aſſiduè ſupplicanti fert
auxiliū, & inimicos eius omnes perdit ac delet. Quem-
admodum dixit & Moyſi: Quid clamas ad me? præce-
pit filijs Iſraël, vt prompti paratíq; ſint. Tu autem virga
quæ eſt in manu tua, percute mare, & areſcet. Fidelis eſt
B Deus qui nobis etiam opituletur, vt Moyſi, eripiátque
nos è manibus inimicorum noſtrorum, vt illi poſſimus
canere canticum nouū, & dicere: Cantemus Domino,
glorioſè enim magnificatus eſt. Cæterùm quomodo
poterimus hæc pronuntiare, ſi hoſtibus noſtris parea-
mus, & voluntate in Ægyptum reuertamur, concupi-
ſcentes ea, quæ olim comedebamus, & clamantes ad
Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant & reducant nos
in Ægyptum, diſplicet enim nobis iſte cibus ſpiritualis.
Potens eſt Deus mittere Moyſem ad nos, qui conterat
vitulum conflatilem, per quem ad iram eum prouoca-
mus. Potens eſt Deus qui nobis largitus eſt pœnitentiæ
donum, nos iterum ad ſe conuertere, & Moyſem con-
firmare, & pro nobis precetur & dicat: ſiquidem di-
C mittis illis peccatum, dimitte. Sin minus, dele me de
libro viuentium, corroborabit & Ioſue in tempore, quo
deleantur ſeptem gentes, vt in terram promiſſionis nos
introducat: Et Iſraël accipiat hæreditatem habitans in
illa commodiſſimè in ſæcula ſæculorum, Amen. Ipſius
Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt fortitudo, ipſius eſt auxi-
lium, ipſius eſt protectio, ipſius eſt ſapientia, ipſius eſt
cuſtodia. Ipſe in nobis eſt ad gloriam, & honorem Dei
Patris, & ſancti Spiritus ante ſæcula ſæculorum, Amen.
Si hæc intelligis frater, operam da vt ea perficias; Et Do-
minus proteget te in hora tentationis, Amen.

Beati Eſaiæ Abbatis dicta, quæ Petrus Abbas diſcipulus eius ex illo accepit, & literis commendauit.

D

Oratio XXVI.

DICEBAT Pater meus: Fortis eſto in ijs corrigen-
dis, quæ indigent correctione. Animi puritas
gratas Deo fundit preces. Dei timor & anguſtia facilè
veniam impetrant peccatorum. Hominis qui vltionis
eſt cupidus, ſacrificia ſunt vana. Huius temporis noli
conſilium aut rationem requirere, nec requirenti tibi
confide. Et eos attende, qui intra te loquuntur, & Deum
ora, vt te doceat, quem ex illis debeas audire; Caue, ne
aliud in lingua, aliud in corde promptum habeas. Qui
ſupplex ſe proſternit ante Deum, & qui cum humilitate
mandata audit, charitatem aſſequitur. Charitas autem
E vitia & perturbationes expellit. Qui ſe quieti & ſilentio
tradit, aſſiduè conſideret, vtrum eos effugerit aduerſa-
rios, qui nos in aëre oppugnant, & ab eis liberatus ſit.
Quamdiu enim eorum ſeruituti ſubiectus eſt, non eſt
liber. Affligat igitur ſeſe, donec à Deo miſericordiam
impetret: Qui accuſatur à corde ſuo, nondum miſeri-
cordiam impetrauit. Si vis ſequi Dominum noſtrum
Ieſum Chriſtum, ſerua ſermonem eius. Si veterem ho-
minem vis cum ipſo ſuſpendere, ab ijs qui à cruce te re-
uocāt, debes abhorrere, & teipſum aſſuefacere, vt æquo
animo feras, ſi contemnaris, & qui te afficiunt iniuria,
diligas, & te illis humilem præbeas, & tuis cupiditatibus
domineris, atque oris ſilentium cuſtodias, & neminem
iudices in corde tuo. Qui quietem & ſilentium colit,
timorem habeat ſibi occurrentis Dei. Dei timor non eſt

in illo, qui peccato obtemperat, & eger miſericordia Dei. Hoc graue eſt, quòd probitatem in ore, iniquitatem & malitiam in corde gerimus. Niſi quis ad mortem vſque contenderit, vt corpus ſuum tale reddat, quale fuit dilecti Ieſu, nō occurrit illi cum lætitia, nec ab acerba ſeruitute liberatur. Dicebat: Miſerere, miſerere, miſerere, quoniam decidit anima mea: in quali puritate creata fuit? in qua ſeruitute detinetur: cui vanitati obſtricta eſt? Hortor te, dum es in corpore, ne cor tuum liberes. Quemadmodum enim homo agri ſui fructus incertos putat, donec eos in horrea ſua condiderit: Ita quos è corde tuo fructus ſis percepturus, incertus es, donec in naribus ſpiritū habes. Quemadmodum homo, à quo vitio ſit oppugnandus ad extremum vſq; ſpiritum ſcire non poteſt: ita liberare cor ſuum nequit, dum ſpirat, ſed aſſiduè Dei auxilium & miſericordiam debet implorare. Quæſiui ex eo, quid ſit humilitas, & quomodo comparetur? Reſpondit. Humilitas eſt obedientia, & propriæ voluntatis abnegatio. Humilitatis eſt affligere ſe, cordis puritatē amplecti, proximi cōtumelias, & iniurias libenter ferre. Beatus inquit, qui nouum induit hominem, antequam Chriſto occurrat. Caro enim & ſanguis, vt ait Apoſtolus, regnum Dei poſſidere non
1. Cor. 15. poſſunt. Idem, Dum zelum, inquit, & contentionem
1. Cor. 3. habetis inter vos, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominē ambulatis? Ideo inquit, ſic affligimur ab inimicis noſtris, quia noſtras infirmitates ignoramus, nec conſideratè luctum amplectimur. Aperiret enim nobis peccata noſtra, quæ quidem nobis ſi planè eſſent cognita, deteriores nos meretricibus exiſtimaremus. Illæ enim palàm peccant, quia ignorant Deum. Nos autem, qui Dei cognitionem profitemur, peccato tamen inſeruimus. Qui ſuſtinet reprehenſionem, & proximo ſubijcit voluntatem ſuā, ne Deus inimicum in medium prodire ſinat, ſe mercenariū oſtendit. Si enim ingenuè ad Domini Ieſu pedes ſeſe ſubijceret, ſtuderet propriæ voluntati renuntiare, ne ab amabili Domino ſuo ſeiungeretur. Qui propriam ſequitur voluntatem, ne cum bonis quidem pacem habet. Contemptus enim, & ira, & contentio in eius corde vigent. Qui ſe curare negat, quid aut loquatur, aut audiat, cæco ſimilis eſt, qui tam intus, quàm foris lumen non videt. Qui aſſiduè cogitat peccata ſua, linguam non habet, qua vllo de homine verba faciat. Quæ mundi ſunt, & ipſam etiam corporis quietem odio proſequere, quoniam auocant te ab amicitia Dei. Sicut qui habet inimicum, cum illo pugnat, ita nos cum corpore noſtro debemus pugnare: neque illi otium aut quietem concedere. Qui Deum amat, cogitationes ſuas debet expendere, vtrum ex corpore ſint, nécne. Quamdiu enim corporis curis diſtinetur, non eſt
Pſal. 50. pura Dei ſponſa. Interrogatus à me, quid ſibi vellet ea precatio: Sanctificetur nomen tuum. Perfectum eſt inquit, quoniam Dei nomen in nobis ſanctificari non poteſt, dum cupiditatibus obtemperamus. Dicebat ex veterum patrum ſententia. Receſſum eſſe corporis fugam, & mortis meditationem. Vbi non eſt pax inquit, ibi nec Deus. Qui cernit peccata ſua, pacem intuetur. Peccata non fugat locus, ſed humilitas. Dauid cùm in adulterij & homicidij crimen incidiſſet, vnum illud Deo gratum ſacrificium inuenit, & ideo dixit: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Contemptus & indignatio mentem perturbant, nec permittunt illi Dei lumen aſpicere. Hæc tria imprimis vitia totis viribus fuge, auaritiam, ambitionem, & ignauiam: quæ ſi animam occupent, euertunt illam, nec ſinunt proficere. Si te in cellula tua conſidentem cupiditas iudicandi fratris inuaſerit, ex peccatis tuis illum iudica, tua quàm illius tum plura tum maiora eſſe conſiderans, & quæ bona in te eſſe opera arbitraris, ea Deo placere ne putes. Firmiora enim corporis membra pro infirmioribus ſunt ſolicita, eiſque donec conualeſcant, propter neceſſitudinem, qua cum illis coniuncta ſunt, ſeruiunt. Qui duro ſunt corde, nunquam peccaſſe ſe exiſtimant. Humiles verò proximi culpam in ſe transferunt. Superbus in animo ſuo ſapientem ſe iudicat, & neminē vnquam offendiſſe. Is autem, in quo timor eſt Dei, ſolicitus eſt, ne qua ſibi virtus deſit. Si in cellula tua conſederis, & preces tuas in ſilentio fuderis, & cor tuum ad aliquid, quod Dei non ſit, inclinarit, idque tecum ipſe non eſſe peccatum, ſed cogitationem reputaris, conſidera preces etiam tuas, quas in ſilentio fundis non eſſe veras. Quòd ſi cordis tui ſacrificium Deo credis acceptum eſſe, conclude ſimplicem item cordis cogitationem cum malitia coniunctam tibi crimini verti apud Deum. Qui belli tempore auxilium non inuenit, pacem ſperare non poteſt. Is fruſtra docet, cuius opera ſunt doctrinæ contraria. De communione dicebat: Hei mihi, hei mihi. Si communio cum inimicis Dei: quæ mihi cum Deo poteſt eſſe communio? Nonne in iudicium & condemnationem à me ſuſcipitur? Omnia enim munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus, nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. Si enim ego ſanctus ſum, qui ſunt iſti, qui operantur in me? cum ex illo quæſiſſem, quid eſſet timor Dei, reſpondit: Timor Dei non eſt in illo, qui paret inimicis eius. Rurſum quæſiui, quem duceret eſſe ſeruum Dei. Ille Dei ſeruus inquit, non eſt exiſtimandus, qui proprijs obtemperat cupiditatibus. Cui enim quis imperat, is eius eſt Dominus: Hei mihi, hei mihi dicebat, qui non ſtudui me purum & ſanctum reddere, vt miſericordiam conſequi poſſem. Heu me miſerum, qui vt regnarem cum Chriſto, meos inimicos ſuperare non contendi. Heu me miſerū, qui ex nomine tuo appellor Domine, & ſeruio inimicis tuis. Hei mihi, hei mihi, quia veſcor ijs, quæ rex meus deteſtatur, & ideò non medetur mihi. Cùm eum ęgrotum & morbo valde laborantem inuiſerem, & incommoda eius valetudine dolerem: Vix inquit, ita morbo vexatus, poſſum illius acerbi temporis recordari, tantum abeſt, vt eius memor eſſem futurus, ſi caro valeret. Cùm enim valet, pronior eſt ad exercendas inimicitias cum Deo. Arbor quæ irrigatur, non areſcit, ſed fructum affert. Calamitates nobis ſunt adiumento ad obſeruanda mandata Dei. Hei mihi, hei mihi, qui habeo ante me accuſatores. Quomodo potero occurrere Domino meo, & ſanctis eius, cùm inimici mei mihi ne vnū quidem membrum integrum reliquerint. Quæſiui quid eſſet homini ſolitario neceſſarium. Et reſpondens; Tria ſunt, inquit, illi neceſſaria, perpetuus timor, aſſidua precatio, & continua cordis cuſtodia. Cauere debet homo ſolitudini & quieti deditus, ne verba audiat inutilia. Hæc enim perdunt labores ipſius. Abbas inquit, Serapio rogatus à quodam ſene, qualis ſibi ipſe videtur: reſpondit mihi. Similis videor homini ſuper turre exiſtenti, qui nutu ſignificet accedentibus, ne ad ſe veniant. Et ſenex qui ipſum interrogauerat, dixit ei; Mihi autem ſimilis videor homini, qui propugnaculū ædificauit, & ferreis vectibus illud muniuit, vt ſi quis pulſet, non audiat, neque intelligat, quis ille ſit, aut vnde veniat, aut quid velit, neq; aperiat ei prius, quàm diſcedat. Si quis Dominum quærit ex animo, attendítque ſibi, nec mundi vinculis illigatur, & cor ſuum cuſtodit, vt ſine offenſione poſſit ante Dei tribunal conſiſtere: is ab eo exauditur atque diligitur.

In dictum illud: Attende tibi.

ORATIO XXVII.

ATTENDE tibi diligenter, & magna cum fiducia conſidera: Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum Deus eſſet, & ineffabilem haberet gloriam & maieſtatem, hominem pro nobis eſſe factum, ſeque nobis exemplum propoſuiſſe, vt ſequamur veſtigia eius. Formam enim ſerui accipiens, vehementer atque incredibili modo humiliauit ſemetipſum, & pauper effectus eſt,

eſt, multotúmque ignominias & contumelias pertulit:
& quemadmodum ſcriptum eſt, tanquam ouis ad occi-
ſionem ductus eſt, & tanquam agnus cotam tondente
ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum, in humilitate eius
iudicium ſublatum eſt, & mortem turpiſſimam pro no-
Eſai. 53. bis ſubijt. Quamobrem & nos propter mandatum eius,
& pro peccatis noſtris, patienti, atque æquo animo
ferte debemus, ſi quis nos vel iure vel iniuria lædit, aut
afficit contumelia. Si quis ad mortem vſque perſequi-
tur, tanquam oues nos geramus, non reſiſtentes nec
contradicentes, ſed potius cum ſilentio & humilitate
pro inimicis orantes.

2 Attende tibi diligenter, & magnum lucrum exiſtima,
ſalutémque animæ tuæ in eo ſitam arbitrare, ſi contu-
melias, & ignominias, & oppugnationes propter Do-
minum patienter feras. Illud cogita, te multo grauiora
mereri ſupplicia propter peccata tua. Et beneficij loco
numera quòd dignus factus ſis, qui propter Deum ple-
ctaris, vt aliquo ſaltem modo ex multis afflictionibus &
probris Domini tui fœdiſſima ludibria & cruciatus a-
cerbiſſimos imiteris. Et quoties affligentium te atque
inſectantium recordaris, noli conqueri, ſed potius ex
animo pro illis ora, vt qui tibi maximorum bonorum
ſint authores.

3 Attende tibi diligenter, vt tanquam peſtem, & mor-
tem, atque interitum animæ, æternúmque ſupplicium
fugias imperij, & gloriæ, & honoris, & laudis cupidita-
tem. Et caue, ne te aliquid eſſe putes, aut virtute aliqua
præditum, aut te alijs vel præſtantiorem, vel etiam pa-
rem. Et omne quamuis exiguum carnis deſiderium &
voluptatem penitus abſcinde. Neque cuiuſquam ho-
minis vtere, niſi neceſſitas vrgeat, familiaritate, neque
corpus alterius attinge, aut quippiam licet pauxillum ſit,
comede præter tempus, ne paulatim ex minimis ad de-
teriora prolabare.

4 Attende tibi diligenter, vt te verè atque ex animo
Chriſtianorum omnium abiectiſſimum, & peccatorem
maximum arbitrere: & animus tuus ſemper humilis ſit,
& in mœrore triſtitiáque verſetur. Semper vt imperitus
indignúſque tace, neque vnquam omnino, niſi neceſſe
ſit, loquere.

5 Attende tibi diligenter, ignis ille perpetuus, & ſem-
piterna ſupplicia, & qui illic damnati excruciantur, tibi
ſemper ante oculos obuerſentur, téque ex eorum nu-
mero vnum potius, quàm viuentium exiſtima.

6 Attende tibi diligenter, & conſidera, Dominum
noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, &
ſurrexiſſe, nóſque ſanguine ſuo redemiſſe, vt ipſi tibi
non amplius viuas, ſed Domino, qui pro nobis mortuus
eſt, & reſurrexit. Cogita igitur, te ſemper ante oculos
eius verſari, & cor tuum obſerua.

7 Attende tibi diligenter, vt prompto ſemper animo
pareas voluntati Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſiue
in vita, ſiue in morte, ſiue in quauis afflictione. Et ſem-
per magnas aliquas terribiles tẽtationes, & afflictiones,
& calamitates, & mortem expecta, ne te imparatum
offendant.

8 Attende tibi diligenter, vt tanquam vbique præſens
ſit Deus, nihil facere cogites, quod eius ſit voluntati
contrarium. Omnibus in rebus quamuis minimis, ſeu
quid loqui vis, ſeu agere, ſeu cum aliquo negotij quip-
piam contrahere aut cibum capere, aut bibere, aut cu-
bitum ire, aut quicquam aggredi, prius conſidera, vtrum
id cum Dei voluntate conueniat, & eius cauſam conſi-
tere, atque ita rem aggredere, vt magna tibi fiducia ſit
apud Deum.

9 Attende tibi diligenter, vt, ſi quis te aliqua in re of-
fenderit, & te dolor extimulet aut indignatio, ne quid
præter decus loquaris, ſed taceas, donec quieſcat cor
tuum, ac tum demum benignè fratrem admone, & co-
hortare. Quòd ſi neceſſe fuerit fratrem reprehendere,
& te ira commotum videris, & non tui iuris: caue, ne
quid omnino loquaris, ne creſcat perturbatio, ſed cum
& te & illum quietos tranquillóſque animaduerteris;
A tum ſic eum alloquere, vt non arguere, ſed omni cum
humilitate commonere proximum videare.

10 Attende tibi diligenter, vt ſingulis horis aliquam
tibi vel ex morte, vel ex calamitate, aut magno aliquo
periculo tentationem inſtare non dubites. Et quæ adue-
nerint, forti ac ſtrenuo animo perfer omnia, cõſiderans
eſſe neceſſarium, vt per multas afflictiones & ærumnas
ingrediamur in regnum cœlorum.

11 Attende tibi diligenter, vt nulla in actione, aut ſer-
mone, aut cogitatione, voluntati aut quieti tuæ ſeruias,
ſed voluntati Dei, etiamſi magnus propoſitus labor vi-
deatur. Sic enim tenditur ad regnum cœlorum. Eam
igitur, omni humanæ prudentiæ antepone & reliquis
omnibus hominum conſilijs vtiliorem exiſtima. Dei
B namque mandatum eſt æterna vita. Et qui ipſum exqui-
runt, non minuentur omni bono.

12 Attende tibi diligenter, vt in conſpectu Dei ſemper
exiſtens nihil ab vllo alio ſperes, ſed ab vno illo omnia
cum fide. Si qua re tibi opus eſt, Deum precare, vt eam
tibi, ſi velit, concedat. Quicquid habes, id non alijs, ſed
Deo acceptũ refer, & illi gratias age. Si qua tibi deſunt,
ea ab hominibus ne expectes, neq; de vllo conquerare,
ſed alacri animo & tranquillo cuncta ſuſtineas, tecum
ipſe ita cogitans: Ego quidem propter peccata mea
multis ſum dignus afflictionibus: attamen Deus, ſi velit,
poteſt mei miſereri, & quæ ſunt vſui neceſſaria, mihi
ſubminiſtrare. Hoc animo ſi fueris, Deus nihil tibi,
quod expediat, deeſſe patietur.

C 13 Attende tibi diligenter, vt nihil omnino ſuſcipias,
niſi quod tibi perſuaſeris iuſtè partum, à Deo ſuppedi-
tari. Quæ ſunt eiuſmodi, ea cum pace ſuſcipito. Quæ
verò ex iniquitate, aut bello, aut fraude, aut ſimulatione
profecta perſpexeris, ea reijcito, & repudiato. Melior
enim exigua pars cum timore Dei, quàm ingentes the-
ſauri cum iniquitate.

14 Attende tibi diligenter, vt omni ſtudio ſilentium
colas, quò facilius, Deo adiuuante, ad virtutem conten-
das, atque proficias. Quòd ſi tempus inciderit, vt neceſ-
ſariò loquendum ſit, aut præſtet loqui, quam tacere:
tunc os tuum aperiens cum timore Dei, atque tremore,
& capite demiſſo, modeſtè & ſummiſſa voce verba fa-
cito. Si cum aliquo congreſſus fueris, charitatis gratia
pauca loquere, & celeriter tace. Si fueris interrogatus,
D tantum reſponde, quãtum obedientiæ neceſſitas coget,
& non amplius.

15 Attende tibi diligenter, vt quemadmodum à libi-
dine temperas, ſic etiam oculorum, & aurium, & tactus
cohibeas cupiditatem. Oculos manuum tuarum operi-
bus ſolum intende, & non rebus alijs, niſi probabilis ne-
ceſſitas id poſtulabit. Fœminas verò, aut viros formo-
ſos, niſi magna vrgente neceſſitate, reſpicias, caue. Quæ
de alijs dicuntur, ne cures audire: Os tuum, niſi neceſſe
ſit, nihil loquatur omnino. Si hæc vtilia eſſe animaduer-
tis frater, operam da, vt ea teipſa perficias, vt in hora
tentationis te Deus protegat ac tueatur, Amen.

De malitiæ ramis.

E

Oratio XXVIII.

DE malitiæ ramis dicendum eſt, vt homo quid ſit
vitium, & quid ſe à Deo ſeparet, intelligat, & eius
auxilium imploret aduerſus ſingula vitia, & diuina ad-
iuuante clementia, ea profliget & expellat. Vitia ſunt
animæ vulnera, quæ ſeiungunt illam à Deo. Beatus ille,
qui à vitijs integer & purus eſt. Quia tanquam ouis ra-
tione prædita gratum Deo ſacrificium offeretur, & iu-
cundã illam Domini vocem exaudiet. Euge ſerue bone,
& fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te
conſtituam: Intra in gaudium Domini tui. Qui autem
volunt carnis ſuæ voluntates explere, neque ſe ſanctis
pœnitentiæ medicamentis curare, vt mundi ſanctique
fiant, in hora neceſſitatis virtutum ſtola reperientur

Digitized by Google

nudi, & proijcientur in tenebras exteriores, vbi diabolus eſt ſtola vitiorum indutus, A quæ ſunt fornicatio, cupiditas, auaritia, detractio, ira, æmulatio, inanis gloria, ſuperbia. Hi ſunt malitiæ rami, & alij ſimiles multi, vt ebrietas, corporis ornatus, animi diſtractio, inertia, ſcurrilitas, ſermones ridiculi, impudentia, cachinnatio, conſcientiæ deſpectio, diuini iudicij negligentia, inuidia, mendacium, adulatio, falſum teſtimonium, falſa ſcientiæ profeſſio, docendi arrogantia, lucri cupiditas, deſperatio, odium proximi, cum ſeipſum quis non reprehẽdit, cum hominum gloriam diligit, cum delicatas epulas quærit, cum corporis cupiditates amplectitur, cùm inconſideratè ſcandalizatur, cùm propter doctrinã ſibi ipſe plaudit, cum contendit, & altercatur, cùm propriam defendit voluntatem, cum ſe bonum & ſapientem exiſtimat, cum fratrem ſuum improbum aut ſtultum B putat ac deſpicit. Iſti malitiæ rami creſcunt & propagantur in anima miſera atque infœlici, donec eam ſeparent à Deo. Hęc ſunt onera illa grauiſſima, quibus Adam ceruicem ſubdidit, cum ex ligno vetito comedit. Hæc ſunt, quamobrem dictum eſt: Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Hæc ſunt, quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus interfecit in cruce. Hi ſunt vtres illi veteres, in quos non infunditur vinum nouum. Hæc ſunt illa vincula, quibus Lazarus erat obligatus. Iſti ſunt illi dæmones, quos Chriſtus immiſit in gregem porcorum: Talis eſt vetus ille homo, quem Apoſtolus præcipit, vt exuamus. Propterea dixit: Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Et rurſum: ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Iſtæ ſunt illæ C ſpinæ & tribuli, quos terra protulit Adam, poſteaquam eiectus eſt è paradiſo. At Chriſti iugum ſuaue eſt, & onus leue, nempe manſuetudo, caſtitas, lenitas, bonitas, gaudium ſpiritus, abſtinentia ab omnibus vitijs, charitas erga omnes, ſancta diſcretio, fides immobilis, affectionum toleratio, à mundo ſeiunctio, cupiditas à corpore diſcedendi, & occurrendi Domino Ieſu Chriſto. Hæc ſunt onera illa leuia, quæ nos iuſſit Dominus geſtare. Hæc eſt illa via, ad quam ſancti vt peruenirent, tam multos labores pertulerunt. Hæc ſunt, quæ nemo conſequi poteſt, niſi veterem hominẽ exuerit, & liberatus fuerit, & poſſederit charitatẽ, quæ quidem charitas hominem liberat ab omnibus curis & ſolicitudinibus. Neq; verò fieri poteſt, vt charitas in nobis habitet, quãdiu aliquid D mundi diligimus. Non poteſtis inquit, menſæ Dei participes eſſe, & menſæ dęmoniorũ. Et Eſayas: Quis annunciabit inquit, vobis locum æternum? Qui ambulat in iuſtitia, & loquitur viam rectam, qui odit iniquitatem & iniuſtitiã, & excutit manus ſuas à muneribus. Qui aures obturat, ne audiat iudicium ſanguinis. Qui claudit oculos, vt non videat iniquitatem. Hic habitabit in excelſa ſpelunca petræ fortis. Panis ei dabitur, & aqua eius fidelis. Vide, quibus honoribus & præmijs eos Dominus ſit affecturus, qui ſtrenuè pugnant in hoc exiguo vitæ curriculo, & per patientiam atque afflictionem mundi ſarcinam excutiunt? Cernis quomodo Deus adiuuet labores eorum, qui proprias amputant voluntates, & omnes ab illis perturbationes expellat, qui cupiditatibus ſuis diuinam voluntatem anteponunt? Qui autem E voluntatibus indulgent ſuis, quamuis ſpiritu incipiant, tamen quia volunt eas implere, hoſtibus reſiſtere nequeunt, & in carne deſinunt, ac perdunt labores ſuos. Itaque deteſtatur eos Ieremias Propheta; Maledictus inquit, qui facit opera Domini negligenter. Vides, quomodo Deus eos, qui in ſeruitutem ipſius ſe dedicant, & tamen propriæ voluntati deſeruiunt, non adiuuet, ſed deſerat, & tradat in manus inimicorum: ex quo fit, vt loco honoris, quem ab hominibus aucupantur, in dedecus & ignominiam incidant, quia hoſtibus non reſtiterunt, donec Deus illis ad eos ſuperandos auxilium ferret? Porrò, ſicur omnes ſcripturæ teſtantur, homo non exauditur à Deo, niſi cũ oret ac deprecetur. Quamobrem ad eius clementiam cum omni ſtudio, & lachrymis ſupplices accedamus ſubijciamúſque nos omnibus hominibus propter Dominum, & fratribus noſtris, vt prudentioribus nos ſubmittamus, nemini malum pro malo reddentes, neque male de aliquo cogitantes in corde noſtro, ſed cor vnum ſimus omnes atque anima vna.

Quod autem ad ea pertinet, quæ ſunt corpori neceſſaria, nunquam dicamus: hoc meum eſt. Cor noſtrum aſſiduè cuſtodiamus, obſeruemúſque, quo ſeſe vertat, ne immundum aut impurum aliquid cogitet. Corpus à repletione coërceamus, ne à nobis proprias exigat cupiditates, ſed animæ ſubiectum ſit, & anima menti, vt fiat ſponſa pura, & munda ab omni macula, vocétque ſponſum ſuũ; Veniat inquiens, dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. In hoc ſtudium & curam incumbamus, fratres, vt hac fiducia præditi, audiamus eum dicentem: Vbi ego ſum, volo vt & ipſi ſint, quoniam dilexi eos, quemadmodum dilexiſti me Pater. Et tu in me, & ego in eis. Oſtendat nobis ſancta & eiuſdem eſſentię, ac ſine principio Trinitas miſericordiam ſuam, vt veniã & remiſſionem inueniamus cum ſanctis eius in die iudicij. Quoniam ipſi eſt gloria, & imperium, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Eiuſdem lamentationes.

Oratio XXIX.

VÆ nobis, qui in hoc exiguo vitæ ſpatio voluptati dediti ſumus, quia, vt iniquæ & breui carnis cupiditati ſatisfaciamus, nos iucundiſſimo diuinæ gloriæ ſpectaculo indignos conſtituimus. Væ nobis quia corruptio incorruptionem non poſſidebit. Et nos incorruptione contempta, corruptionis cupidine furimus & inſanimus. Væ nobis qui carnem noſtram, quæ in putredinem eſt reſoluenda, & vermium eſca futura, in peccatis fouemus & enutrimus, nec ignem, in quo ſumus perpetuò excruciandi, nec vermem, qui nunquam dormit, extimeſcimus. Væ nobis, quorum corpus immundities coinquinatum homines pij colunt & deoſculantur, cum tamen ſimus ſepulchra dealbata, & mortiferum peccatum redoleamus. Væ nobis, qui per intemperantiam & delicias epularum ſemen in nobis adaugemus, & idcircò ad nefarias corporum mixtiones incitamur. Væ nobis, qui mortalitatem cum immortalitate non comparamus, & diuinam ac formidandam rectitudinem negligimus. Væ nobis, qui pigri tardique ſumus ad bona, prompti autem & alacres ad mala. Væ nobis, qui corpus noſtrum capax æternæ lucis, tenebris addiximus ſempiternis. Væ nobis, quia filius hominis, qui eſt eiuſdem eſſentiæ cum Deo & Patre, pro nobis factus homo non habet apud nos vbi caput reclinet: cum vulpes, hoc eſt aſtuti atque improbi ſpiritus ſuas in nobis ſtruxerint. Væ nobis, qui quia recti corde animas puras & corpora ſua ſancta & ſine macula ſiſtent ante iudicẽ: nos autem impuras animas & immunda corpora habentes, æterni ſupplicij ſentẽtiam audiemus. Væ nobis, qui cum omnium dedecororum & flagitiorum ſimus ſtudioſi, honorem & gloriam ſanctorum flagitamus. Væ nobis, qui cùm damnati ſimus, & multis peccatis obnoxij, tanquàm liberi atque inſontes in medio ſanctorum & innocentium verſamur. Væ nobis, qui cùm ſimus erroribus pleni, eos, qui nobis multo meliores præſtantioréſque ſunt, monemus & inſtituimus. Væ nobis, qui trabem habentes in oculo, quàm minimas fratrum feſtucas acutè cernimus, & iracundè volumus excutere, tanquàm nihil in nobis ſit, quod egeat reprehenſione. Væ nobis, quia grauia fratribus onera atque intolerabilia imponimus, cùm ea nos tanquàm corpore imbecilliores ne digito quidem velimus attingere. Væ nobis, qui cùm diuina & monaſtica miniſteria recuſemus, alios quæ ſint excolendæ virtutis officia, docere non erubeſcimus. Væ nobis, qui non ſolùm veterum peccatorum obliuiſcimur, ſed recentia depellere, & lachrymis

chrymis diluere negligimus. Væ oobis, qui cùm Dei auxilio & gratia rectè viuendi fundamenta iecerimus, A nunc ea, quæ carnis ſunt, ſuperſtruimus. Væ nobis, qui malis cogitationibus ita delectamur, vt peccata, quæ deſpeximus, memoria repetamus. Væ nobis, qui in edendo bibendóque nõ præuidemus, quod nobis è crapula bellum otiatur. Væ nobis, quos diabolus, dum libidinis ſuggerit cogitata, imparatos, & conſentientes offendit. Væ nobis, qui neglecto diuinarum precum, & ſacræ lectionis ſtudio, in nugis & rebus inutilibus dies noſtros conſumimus. Væ nubis, quorum adeò cęca ſunt corda, vt dum lugẽdis peccatis noſtris debemus incumbere, inertia atque otio torpeſcamus. Væ nobis, qui cùm Deus dicat: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: eius aſſiduè peccaotis nullam curam gerimus. Væ nobis, qui corpus noſtrum ad peccata procliue ciborũ copia & delicijs ad impuras cupiditates & immũdas cogitationes impellimus, & improbi briſtias iacula per oculos io cor admittimus, & corporum tactu equi furentes euadimus, neque dignitatis noſtræ, neque æterni ſupplicij rationem vllam habemus. B Væ nobis, qui corporis morbos & dolores tam facilè ſentimus, in animæ autem ægritudinibus & vulneribus grauiſſimis caremus omni ſenſu. Væ nobis, quia princeps animæ pars, carni, quæ ancilla eſt, ſeruit, & pars deterior imperat præſtantiori, oeque ambæ concordes atque vnanimes procreatori ſuo ſeruiunt Deo. Væ nobis, in quos peccata malis & immundis cogitatioibus debacchantur, neque nos inter Dei diſceſſum, & impurorũ ſpirituum acceſſum ſinunt diſcernere. Væ nobis, qui tam ſtulti ſumus atque imprudentes, vt cùm laudes ſanctorũ aucupemur, opera tamen & actiones eorum nolumus imitari. C Væ nobis, qui neque ſeruorum metum, neq; mercenarium ſtudium, neque amorem filiorum in exeqnẽdis diuinis mandatis exhibemus. Væ nobis, qui cum pro iucunda hominum gratia nihil aut loqui aut facere recuſemus, iuſtitiam negligimus & æquitatem. Væ nobis, quos æternum dedecus nihil mouet, & reſpectus hominum etiam ad peccandum impellit. Væ oobis, qui cum è pauperibus & obſcuris orti parentibus ſimus, noſmetipſos ignoramus, & paupertatis & ignominiæ ſtudiũ profeſſi, inter opulentos & claros viros numerari contendimus. Væ nobis, qui nunc paupertate coacti temperantiam in mundo complectimur, nunc autẽ ad abſtinentiã vocati, ſaturitatem ventris, & carnis requiẽ ſummo ſtudio conſectamur. D Væ nobis, qui cùm Angeli ad eos, qui Deum timent, ſeſe adiungant, & dæmones ad illos, qui Deum ſpernunt, & mandata eius negligunt, accedant, nos ſocietati dæmonũ aſcribimus. Væ nobis, qui diuitibus & potentibus placere ſtudemus, pauperes autem & ſupplices tanquam importunam turbã auerſamur. Væ nobis, qui nõ ex virtute homines, ſed ex opinione pendimus. Væ nobis qui quæ iuſta bonáque ſint, definimus, & iudicamus, & docemus; à iuſtis autẽ & bonis operibus abſumus quàm longiſſimè. Væ nobis, qui terrã a lappis & tribulis, & ſpinis cæteriſque frugum peſtibus diligenter purgamus: animam autem noſtrã à prauis & immundis cogitationibus, quæ ſanctos virtutum fructus excutiunt ac perdunt, Dei timore purgare contemnimus. Væ nobis, qui tanta ſolicitudine tamdiu torquemur, vt caducũ E aliquid percipiamus è terra, in qua ſumus hoſpites ac peregrini: temporis autem illius, quo nobis hinc in perpetuum erit neceſſariò demigrandum, nullam omnino curam ſuſcipere dignamur. Væ nobis, qui cum de omni actione, de omni verbo otioſo, de omnibus deniq; improbis & impuris cogitationibus rationem reddituri ſimus apud iudicem ſeueriſſimum: tamen tanquam liberi ſimus futuri, nullis reddendis rationibus obnoxij, totũ vitæ noſtræ tempus ſine vlla huius rei ſolicitudine tranſigimus. Væ nobis, quia non ſolum impia multa nefariaque patrauimus, verùm etiam per incredulitatem Dei promiſſa ſpreuimus, atque contempſimus. Væ nobis, qui ſtulto corruptionis ſtudio capti, cum per Euangeliũ vitæ poſſemus aſſequi incorruptionem, rerum terrenarũ amore inſanientes, æternis incorruptiſque bonis nos A ſpoliauimus. Væ nobis, qui in hominũ conſpectu peccare metuimus: ante oculos autẽ occulta cernentis Dei impia agentes & peccãtes non contremiſcimus. Væ oobis, qui ſermones noſtros nõ condimus ſale diuino, ſed verba inutilia, & ab omni religione aliena temerè fundimus. Væ nobis, quorum animi compunctionem propter ſomnum atque deſidiam noſtrã dæmones deprædantur. Væ nobis, qui cum reliquerimus mundum, homines qui in mundo viuunt, peccatis & vitijs ſuperamus. Væ nobis, qui cum magnis reprehenſionibus indigeamus; eos qui minimis vrgentur vitijs, acerbiſſimè caſtigamus. Væ nobis, ſi Deus nos, antequam emendemur in iudicium adduxerit. Væ nobis, qui ventris noſtri B ſordes non conſiderantes, à libidine & ſuperbia ſuperamur. Væ nobis, qui cùm aſſiduè corda noſtra fœdis cogitationibus inquinemus, nos tamen & haberi ſanctos volumus appellari. Væ nobis, qui vanitatibus incumbentes, pugnare cum vitijs obliuiſcimur. Væ nobis, qui hic ſine timore nos peccatis obſtringimus, quoniã illic nos ignis æternus excipiet, & tenebræ exteriores, & vermis, qui non dormit, & luctus, & ſtridor dẽtium, & coram Angelis & creaturis omnibus dedecus ſempiternũ. Væ nobis, quorum animæ confuſæ, & à pœnitentia alienæ in reſurrectione, & horrendo illo generum omnium iudicio, aſſumptis corporibus ſuis, cum fletu & ſtridore dentium in gemitus, & luctus, & cruciatus conijcientur acerbiſſimos ac ſempiternos. Væ nobis, qui in iſto peregrinationis exilio deteſtandas oblectationes cõſectamur, & paradiſi deliciarum obliti, cõtemnimus regnum C cœlorum. Væ nobis, qui propter crudelitatem ſtultis virginibus ſimiles ſumus, & oleum, quo noſtræ lampades illuſtrentur, beneficia in proximum cõferentes non emimus. Væ nobis, qui diebus ac noctibus Chriſto preces perſoluimus dicentes: Domine, domine: & ea quæ nobis præcipit, non obſeruamus. Væ mihi, qui lamentationes iſtas conſcribo, neque vllum veræ pœnitentiæ ſignum oſtendo. Væ illis qui alijs laborant, & ſibi ipſis non proſunt. Væ nobis, qui cum aſſiduos conſcientiæ nos reprehendentis ſtimulos ſentiamus, non erubeſcimus, nec rationem actionum omnium noſtrarũ reddituri, Dei iudicium formidamus. Væ nobis, qui cùm turpibus operibus fœteamus, laudibus tamen hominum gaudemus. Væ nobis, qui rebus inanibus occupati, diuini timoris obliuiſcimur. D Væ nobis, quorum mens ſtudio vanitatis obtunditur, & hebetatur. Væ nobis, qui cùm Dei patientia nos toleret & expectet, non tamen reſipiſcimus, nec prauas actiones noſtras emendamus. Væ nobis qui peccatorum noſtrorum in præſentia non meminimus: Quoniam paulò poſt, cùm anima erit corpore exuta, omnia quæ vel cogitatione, vel verbis, vel factis admiſimus, magno cum dolore nobis in memoria conſcripta perlegemus. Væ nobis, qui cum Apoſtolus dicat, Qui manducat panem, vel bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: noſtris immunditijs coinquinati, ad tremenda & formidãda Dei myſteria, veniam nobis ipſi eorum, quæ nocturnis imaginationibus cogitando E fecimus, tribuentes accedimus. Qui enim nec puram habet cogitationem, nec caſtos oculos, nec corpus incorruptum, nec animam mundam, & aſſidet Deo, is ſe multis tum carnis doloribus, tum animi ægritudinibus obnoxium reddit, & mox in æternos cruciatus, & immenſum dedecus incurret. Me miſerum qui hęc acerbè lachrymans ſcribo, nec tamen reipſa pœnitentiam amplector. Hei mihi, qui vera dico, ſed bona non facio. Hei mihi, qui bona doceo, ſed mala committo. Væ illis qui voluptatis ſuauitate deliniti peccant, quoniam ad extremum dolore afficientur & ignominia ſempiterna. Væ illis, qui lugent, ſed peccare non deſinunt, quoniam vtili ſe luctu ſpoliant. Væ hominibus, qui proximum contumelia afficiunt & ignominia, quo

niam à charitatis beatitudine ſunt alicoi. Væ inuidis, quoniam procul abſunt à Dei benignitate. Væ illis, qui ſtudent hominibus placere, quia Deo placere non poſſunt. Væ illis, qui perſonas hominum reſpiciunt, quoniam à Dei veritate deciderunt. Væ ſuperbis, quia ſunt ex parte diaboli deſertoris. Væ illis, qui Deum non timens, quia pluribus peccatis implicabuntur, & in hac atque in alia vita vapulabunt. Væ nobis, qui publicum, & lendium, & pediculorum, & muſcarum, & culicum, & apum morſus atque aculeos ferre non poſſumus, ab ingenti autem dracone, qui fauces horrendas aperit, vt nos deuoret, & abſorbeat, omnibúſque peſtiferis mortis aculeis vulneret, nec ſtudemus aufugere, nec vllum aduerſus eum imploramus auxilium. Væ nobis, quos diabolus voluptatibus, & doloribus, & neceſſitatibus, & omnibus, quæ in mundo ſunt, fraudibus decipit. Et tamen nos à tot malis nolumus liberari. Væ nobis, qui cum multi tot iam annos ab Eccleſia defecerint, & orthodoxam fidem conētur labeſactare, tamē nec lachrymas fundimus, neque vllum animi dolorē oſtendimus, nec mores ac vitam emendamus, vt peccata peccatis, & incredulitatem malis operibus cumulantes acerbiſſima nobis ſupplicia in gehenna paremus, ac ſempiterna. Væ nobis qui poſt conſcriptas lamentationes, & fine mundi iam aduentante, nec reſipiſcimus, neque eorum quæ à nobis in adoleſcentia commiſſa ſunt pœnitentiam agimus, ſed miſeræ ſenectuti maiora & grauiora in dies imponimus onera peccatorum. Væ nobis, quos, cùm variis corporum morbis erubeſcamus, non pudet miſeras animas noſtras & corporum flagitus & peccatis fœdiſſimis ægrotare. Væ nobis quibus per ignem ſuper maris vndas ebullientis eſt tranſeundum, vt vnuſquiſque noſtrum in ſuo corpore accipiat, prout geſſit ſiue bona, ſiue mala. Væ nobis, qui tenebroſum illud, & materiæ expers incendium, æternúmque atque amarū fletum, & ſtridorem dentium non conſideramus. Ablato enim flammæ ſplendore Deus in illo igne reliquit vrendi vim & obſcuritatem, quo magis impij & peccatores excrucientur. Hei mihi miſera anima mea, quoniam aſſiduus dolor & cruciatus cor meum affligit: quia malitia prudentiam immutauit: corruptio vicit incorruptionem: mendacium texit veritatem: mors vita ſuperior fuit: terrena caduca, breuia cœleſtibus, perpetuis, & ſempiternis ſunt commutata: abiecta & odio digna vera Chriſti charitate & grauitate dulciora ſunt A habita ac iucundiora. Error ex animo meo depulit veritatem. Dedecus & ignominiam pro veris laudibus, & gloria ſum amplexus. Amaritudinem pro dulcedine, deguſtaui, terræ fuliginem pro cœlorum regno dilexi. Inimicus ab omni vera pulchritudine abhorrens cordi meo tenebras offudit, & cognitionis lumen deleuit è mente mea. Heu me miſerum & infœlicem, quem diabolus ſuis implicitum retibus cepit, ac ſupplantauit, & è tanta ſublimitate deiecit. In curſu contractus cecidi. Vani fuerunt ſudores mei. Quis vicem meam non lugeat? Quis me inanibus conſumptum laboribus non lamentetur? Quis me in portu naufragium facientem non miſericordia proſequatur? Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Et benignum, quique à nullis vincitur malis, Dominū meum Ieſum Chriſtum ſupplices deprecamini; ſi fortè miſericordia addo- B ctus denſiſſimā diaboli ab omni pulchritudine abhorrentis caliginem excutiat è mente mea, vt quo in luto verſer, nec ſurgere curem, tandem aſpiciam, ne fortè contractum vitæ meæ tempus omnem mihi ſpem adimat. Non eſt dolor, ſupra dolorem meum. Non eſt plaga ſimilis plagæ meæ. Non eſt cruciatus par cruciatui cordis mei. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Vulnera mea non ſunt gladij vulnera, nec mortui mei ſunt mortui in bello. Sed ſagittæ inimici acutæ infixæ ſunt mihi, & meum interiorem hominem excæcarunt. Et infixus ſum in limo profundi & nō eſt ſubſtantia. Timor, quem timebam, euenit mihi: & vmbra mortis operuit me. Hei mihi, conſidera anima mea, & vide quæ præſentia ſunt, quàm fugacia ſint, & C quanta cum acerbitate & dolore citò pertranſeant, & quanto ſint, quæ iam aduentant atque adſunt, acerbiora. Cogita anima, è quantis bonis excidas & quanta ſpe, & quantis mox cruciatibus & ſupplicijs in perpetuum afficieris. Antequam igitur ſuper caput tuum lux extinguatur, ſupples ad Dei clemētiam accede, æterni luminis largitorem obſecra & obteſtare, vt liberet te à deuorante flamma, & tenebris obſcuriſſimis. Quoniam benignitatis ipſius eſt, hominum peccatis ignoſcere, & nobis licet miſericordia eius indignis, veniam dare. Cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

D. SO-

Digitized by Google

D. SOPHRONII ARCHIEPISCOPI HIEROSOLIMITANI ORATIONES.

DE S. SOPHRONIO PATRIARCHA HIEROSOLIMITANO PER *M. D. L. B.*

SOPHRONIVM *hunc poſteriorem eſſe priore illo altero cuius vt presbyteri meminit deſcripſitque vitam S. Hieronymus in ſcriptorum Eccleſiaſticorum catalogo: Cum ille S. Hieronymo σύγχρονος ad tempora Ioannis 44. Hieroſolymitani Pontificis vixerit: Hic verò cùm in ſua de Chriſti natalitiis oratione multis agat de immani ſæuaque tyrannide Saracenorum qui per id tempus oppidum Bethlehem occupabant, ſatis indicat ſe illum eſſe Sophronium 62. ac poſtremum Pontificem Hieroſolymitanum, cuius meminit Nicephori Conſtantinopolitani chronologia, huius bibliotheca tom. 1.*

Pleniora de S. Sophronio Hieroſolymitano Epiſcopo ſuppeditabit, tom. 8. Annalium Eccleſ. exact. 13. ſextæ ſynodi ex Concilio Romano ſub ſancto Martino Papa, ſecretario 2. tom. 3. Ex Theophane in miſcella & aliis. Conſule quoque notas ad Romanum martyrologium 11. Martij Conſignatur obitus S. Sophronij ſub Heraclio Imperatore, anno ſalutis 636. 11. Martij quo die eius natalis inter ſanctos inſcriptus habetur publicis Latinæ & Græcæ Eccleſiæ tabulis.

SOPHRONII ARCHIEPISCOPI HIEROSOLYMITANI IN CHRISTI SERVATORIS NATALITIA, QVÆ TVM IN DOMINICAM DIEM INCIDERANT, oratio. Attexuntur huic quædam etiam de immani ſæuáque Saracenorum tyrannide, qui per id tempus oppidum Bethlehem, vel occuparant, vel certè obſeſſum tenebant.

LÆTAM illuſtrémque præſentem diem cerno; vtpote gemino nos ſplendore & luce perfundentem, A geminàque lætitia & iocunditate genus noſtrum cumulantem. Non quod duplicem nobis ſolem oſtendat, eáque ratione duplici nos gratia irradiet, ſed quod vnus idémque iuſtitiæ Sol, quem offert, dupliciter quodammodo nobis, qui in terris ætatem degimus, exoriatur, duplicémque ſplendorem & gloriam mortalium generi ſubminiſtret; & duplex tandem ſpiritale gaudium eidem adferat: Hinc quidem ex vtero virgineo exortus; inde verò ex aditis inferorũ antris excitatus. Vt exortus immenſa mortalium animos lætitia delibutos reddidit; vt verò excitatus, triſtem mortem peremit, omnéſque, quos detinebat mortuos, illi ademit; & nobis qui in terreſtri hac regione B verſamur, ad incorruptam immortalémque vitam iter aperuit. In vnum namque vtraque coierunt, iuxta illud, quod in pſalmis fertur: *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi; iuſtitia & pax oſculata ſunt. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Etenim Dominus noſter Ieſus Chriſtus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Chriſti namque exortus, eiuſdémque ex mortuis reſurrectio in vnum diem inciderunt. Iure proinde meritóque lucẽ hanc dierum dominam appellaueris, vt quæ communẽ omnium Dominum nobis ex mortuis exhibebat rediuiuum, natalitiaque ob illius ex virgine ortum, ſolennitate aucta & cumulata ſit. Nihil videri his poteſt ſplendidius; nihil mentis oculis obſeruari iucundius. Ecquid enim diuiniſſimo Dei Opt. Max. exortu animo pertractari poteſt illuſtrius? quid celebratione dignius? Quid C rurſum eiuſdem DEI ex mortuis reſurrectione, cogitari poteſt lætius? Quid obiri feſtiuius? Eſt enim ille vera lux, quæ ex vera luce æternè indiuiduéque naſcitur; quæque nobis hodie bifariam oritur, per natiuitatem omnium, & reſurrectionem, duplicéſque ſalutares radios impertitur: vtraque enim ſalutari gaudio referta eſt. Quamobrem lætæ quoque feſtiuæque voces præſentem hanc ſolennitatem illuſtrant fideléſque duplici nomine ad feſtum hunc diem celebrandum inuitant. Hic virgo, quæ eum in lucem edidit, Angelum non abſque iuſtiſſima cauſa, eiuſmodi oratione ſe compellantem A accipit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*: quaſi dicat, maledictio quæ Euæ iam olim irrogata fuerat, iam tandem per te finem facit. Hic rurſum paſtores vigilantes, nocturnáſque cuſtodias obſeruantes Angelum eiuſmodi nuntium ad ſe deferentem audiunt: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.* Per quem & ſeruamur, & excuſſo ſeruitutis iugo, in Dei filios gratis cooptamur. Illic verò illuſtres fœminæ Chriſti redemptionis diſcipulæ, ipſummet Dominũ *Auete*, clamantem exaudiunt. Qui ſanè Chriſtus omnibus tantæ huius lætitiæ auctor exiſtit. Nam & per ipſum mors mortua eſt, & terribile illud condamnationis noſtræ iudicium quaſi exterritum, abolitum eſt, & legale B maledictum diſſolutum eſt & Euæ pœna reſtincta eſt, & mortis imperium euerſum eſt, & mortuorũ reſurrectio, mortem in ſeipſam ſæuire, amplius non ſinens, luculenter inchoata eſt. Ibi propter admiſſam in paradiſo præuaricationem, maledictio illa: *In dolore paries filios*, omnino proſcripta eſt; quippe cùm lætitia & gaudiũ Chriſti natalitia exceperint: hic verò alterum illud maledictum, nempe: *Terra es, & in terram reuerteris*, penitus euacuatum eſt, eò quòd vita reſurrectionem ex mortuis propalam oſtendent; ſiquidem Euæ maledictio & pœna erat illud: *In dolore paries filios*: Adami verò alterum illud: *Terra es & in terram redibis*: Vtriuſque autem; parcam & miſeram vitam perpetuo ducere. Verùmenimuero potentiſſimus horum liberator & redemptor per ſuam natiuitatem & reſurrectionem in medium ſe C tulit, verúmque redemptorem & liberatorem ſeſe declarauit. Nihil enim extat, quod Dei potentiam vincat. *Dominus namque mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, vt ſcriptum eſt.* Sed neque quicquam comperiri quoque poteſt, quod omnipotenti illius nutui obſiſtere valeat. Manus eius propter peccata hominem verberant; eædem rurſus propter ingentem eiuſdem benignitatem, percuſſum ſanant. Aſt quis ſum ego, qui quæ videmus, & audimus, pro dignitate exponam? Deſtituor enim oratione, & lin-

Duplex Chriſti ſecundum carnem exortus.

Pſalm. 84.

Dominica dierum domina.

Luc. 1.

Luc. 2.

Matth. 28.

Geneſ. 3.

Geneſ. 3.

Non tadem in Adamum & Euam pœna conſtituta.

Diuina potentia nihil maius.

1. Reg. 2.

gua, & ore, quibus diuinorum illorum feſtorum miracula pro merito ediſſeram. Ea propter maximè perplexus, ſummáque in rerum difficultate conſtitutus, Angelorum hymnum mutuò accipiam, illúmque Deo humanam naturam ſortito, nec non è ſepulchro & mortuis hodierna luce exuſcitato, ingenti voce decantabo, claréque & perſpicuè perſonabo: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nam quo nos

Luc. 2.

ſublimes efficeret, magíſque cœleſtes, quàm terrenos eſſe oſtenderet è ſublimi ad nos viles abiectóſque deſcendit.

Cum verbum à cœlo ad terram ſeſe dimiſerit.

Bello rurſum, quod ſub aſpectum non cadit, impetitos, ſecuritate & pace donauit, ſuóque patri reconciliauit, & noſtram cum Deo Patre pacificationem in ſeipſo faciens, ſe pacem noſtram eſſe demonſtrauit. Et nos æquè, qui longiſſimè à diuino aſpectu reiecti proſcriptique eramus ita ſuis virtutibus exornauit & inſtaurauit, vt & Deo probaremur, & clementi oculo ab eodem aſpiceremur: Et ſepis maceria è medio ſublata,

Epheſ. 2.

illud quoque præter cætera nobis impertitus eſt, vt Dei claritatem reuelata facie contemplari queamus. Denique nos, qui pridem ob delicta noſtra in morté incurreramus, eadémque vltro & quaſi data opera nobis abſciueramus: *Deus enim mortem non fecit, neque,* (cùm ſit optimus) *in viuorum perditione lætatur,* denuo in vitam aſſeruit, & è ſepulchro & interitu exuſcitauit, diceréq; nos iuſſit: *Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt ſtimulus tuus inferne?*

Sap. 1.

Chriſtus enim ad nos humiles ſeſe demittens, noſtrúmque ortum ſponte ſubiens, & vt verus homo mortem oppetens, vtraque defregit & obſcurauit.

1. Cor. 15.
Oſe. 13.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ & potentiæ diuinæ? ô benignitatem verè immenſam? Etenim cùm antea non eſſemus, ex nihilo nos produxit. Inſano rurſum temerarióque conſilio, in interitum prolapſos, nec nõ in mortis barathrum præcipites actos, ex tumulo denuo exuſcitauit; mortéque, qua validè tenebamur, debellata, ipſam viuendi naturam iterum nobis reſtituit, atque adeò ipſam ſpiritalem vim, æquè vt antè, infundere nũquam deſiit. Cùm enim Deus ſit, iis, qui ope illius indigent, dona & beneficia verè diuina & magna iugiter impertit.

Rom. 11.
Ingens Dei in hominem benignitas & clementia.

Ea propter rurſum clamo, ſempérque cum cœleſtibus illis exercitibus clamabo: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecquid enim conuenientius veréque decentius, & reipſa quoque illuſtrius dicere poſſunt, qui natum Deum celebrare, laudibúſque euehere cupiunt, quam: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis?*

Luc. 2.

Deus in terra agit; & quis in cœlum non euadat? Deus è virgine natus in medium prodit: & quis hodie diuinus non efficiatur? Quis, quò propius ad eum accedere queat, ad virginitatis ſanctitatem non anhelet? continentiámque alacri animo non complectatur? Deus vilibus abiectiſque panniculis inuoluitur: & quis eſt, qui, ſi quid fortè vile abiectumque quandoque occurrat, quo diuinitatis particeps fiat, obuiis vlnis illud non excipiat?

Virginitas iter ad Deum pandit.

Nec enim alia de cauſa humana paupertate ſeſe conueſtiuit Deus, quàm vt ſua nos gratia Deos efficeret. Atque hoc pſalmiſta Dauid, idémque Chriſti parens, prophetiæ dono illuſtratus, Chriſtique ex ſe naſcituri beneficia edoctus, ac præclara diuináque eiuſdem facta liquidò per ſpiritũ conſpicatus, diſertis iam olim verbis expoſuit: *Ego,* ait, *dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.*

Pſalm. 81.

Deus inter nos eſt, veterem hominem exuti, ipſúmque, quoad eius fieri poteſt æmulati, diuini efficiamur. Celſiſſimus factus eſt terrenus; & nos noſtræ quoque mentis propoſita, animique deſideria ſurſum ſubrigamus, diuinorúmq; munerum capaces nos reddere ſtudeamus.

Deus in præſepio palàm proponitur, nobiſque, qui & fame tabeſcimus, & iumentorum more nulla penè ratione ducimur, ſeipſum vltrò in cibum exhibet. Ecquis euchobruto illo alimento tanquam diuinis dapibus, diuináque charitate prorſus indigno abiecto, in illius diuinitate ſe non oblectet?

Cur verbum incarnatum præſepe exceperit.

Verè dixerim: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tripudio, paſtorúmque more exulto, dum voces eiuſmodi planè diuinas audio; & ad præſepe, quod Deum excepit, ſtatim conuolare geſtio, nec nõ ad cœleſte illud ſpecus toto animi impetu raptus, myſterium, quod in ipſo latet, coram conſpicari, atque hymnum illum: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* in recẽs nati gloriam & honorẽ depromere ardenter deſider[e].

Luc. 2.

Quin diuinos quoque Magos veneror, magniqueſ[a]cio: & curſum, quo Deo addicti, diuináque edocti viri illi vſi, ad cæleſtem Bethlehem deuenerunt, maiorẽ in modum admiror. Acceſſerunt huc autem, Herodis quidem furorem, infantúmque trucidatorem gladium, nihil quicquam veriti: ſtellam verò luce ſua viam præmõſtrantem, ducem vtique ſublimem, planéque cœleſtem, ad ſublime illud cœleſtéque iter commodè conficiendum, peropportunè nacti.

Quibus præſidiis Magi ad Bethlehem ciuitatem venerint.

Horum ego comes eſſe peropto, natóque Deo munera quædam offerre percupio: Etſi ille hoc tempore ab amicis non exigat aurum, aut myrrham, aut thus (hæc enim aliáque ad vitæ vſum neceſſaria, tanquam vniuerſorum conditor & Dominus, egentibus familiariùs ipſe donare ſolet, quàm ab vllis omnino poſtulare.) Auri autem loco fidei ſinceritatem exigit. Pro myrrha autem incorruptam animæ corporíſque integritatem depoſcit: Tũ doctrinæ rurſum prædicationis puritatem: Tum orthodoxum tandem circa fidem ſenſum & intellectum.

Chriſtus hoc tempore non exigit à nobis aurum, thus, aut myrrham, ſed dona myſtica per tria hæc deſignata.

Thuris autem vice bonorum operum ſuaueolentiam à nobis efflagitat: non quo horum acceptione diues euadat: Verùm quò nos per ea opulentiores reddat. Ecquid enim extat vſque ſublimiũ cœleſtiúmve rerum, aut illuſtrium beneficiorum, quorũ theſaurus & fons immenſúmque pelagus non eſt Deus? Neque horum ſolùm origo & cauſa eſt, ſed magnificus quoque liberaliſque, ſi egentes adſunt, eorundem dator.

Verùm Magi, diuiníque paſtores ad Bethlehem, quæ Deum excepit, proficiſcantur, ſtellámque comitem & itineris ducem habeant, & miraculum illud planè ſtupendum coram contemplentur, contemplantéſque obſtupeſcant, & dona Magis digna hilariter offerant, & Angelorum doxologiam ingeminent: *Gloria in excelſis Deo,* recinentes, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Luc. 2.

Nihil illi formident, nihil extimeſcant, non inſani Herodis furias, non aliud vllum metum incurere ſolitum animo pertractent; ſed diuinis tantùm meditationibus ſe occupent, infantemque pannis inuolutum, & in diuino præſepio poſitum, defixa oculorum acie ſpectent. Qui infans vniuerſorum eſt ſeruator, Deuſque & Dominus verè inexplicabilis; etſi noſtri cauſa, qui carnales ſumus, adeóque puram nudámque illius diuinitatem intueri nequibamus, humanæ carnis corporiſque velamine ſit obtectus.

Ieſus infans vniuerſorum Deus & Dominus, mundique Seruator.

Nos autem propter innumera peccata noſtra grauiſſimáque errata, earum rerum contemplatione indigni effecti, curſu illuc contendere, præſtóque adeſſe prohibemur, ſed vel inuiti & nocentes domi manere cogimur; nullis ſanè corporis vinculis aſtricti, verùm Saracenico metu abſterriti & compediti; triſtitiáque, noſtra quidem infelicitate digna, indigna autem bonis, quæ nobis alioqui debebantur, veluti tempeſtate quadam iactati. Quandoquidem, ſi miſeria noſtra bonis illis digna fuiſſet, omnino nos quoque prope loca illa poſiti (nec enim à longinquo illa aſpicimus) cum paſtoribus choros duceremus, & cum Magis Deo dona afferremus, & cum Angelis odam illam: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* decantaremus.

Hieroſolyma prope Bethlehem poſita.

Luc. 2.

Verùm enimuero eiuſmodi voces vel hoc loco depromere inoffenſè ſinimur; at ipſum verò præſepe, & ſpecum illam verè ſublimem cœleſtémque contueri, & cœli terræque regem coram iſthic contemplari, tanquam ſpectaculo eiuſmodi indigni, omnino vetamur. Verè generis noſtri principem, primúmque parentem Adamum à paradiſi habitatione miſerabiliter proſcriptum, hic imitamur. Etenim ob nefaria peccata

peccata lapſúſque, quæ praua præpoſteráque mente ſubinde deſignamus, tam grauia, vel multò quoque (A) grauiora triſtioráque patimur, quàm ille. Nam vt ille à paradiſi delicijs proſcriptus, exúlque factus, & grauiſſima irreuocabilique Dei ſententia inde eiectus, oculis quidem paradiſi hortum vſurpabat (è regione enim illius habitabat) ad ipſum autem denuo regredi non valebat; vt qui flammeam illam verſatilémque romphæam, quæ aditum ad eiuſmodi locum præcludebat, ipſumque ob deſignatum præuaricationis peccatum bono illo ardenter cupito orbabat, ob oculos verſari cerneret; ita nos quoque hodierna die mulctamur: Quandoquidem ciuitatem Bethlehem, quæ Deum excepit vicinam habemus, neque in ipſam tamen ingredi permittimur, non quidem ardentem illam verſatilémque paradiſi romphæam conſpicantes; ſed efferatum, planéque barbarum, atque omni reuera crudelitate plenum Saracenorum (B) gladium extimeſcentes. Hic enim gladius horrendum fulminans, cædémque ſpirans & intentans, beatæ illius viſionis exortes nos reddit, domique citra vlteriorem progreſſionem manere compellit. At verò licet Agarenorum ſica æquè nunc fulminet, ac romphæa illa quæ paradiſi oſtium quondam aſſeruabat; attamen ſi nos voluerimus, hoc eſt, ſi conuerſi Deum noſtri cauſa natum per ſtudioſa opera ex animo quæſiuerimus, vt antea fuerat, ſedata mox & mitis euadet. Si inquam, nos peccatorum flammas per pœnitentiam reſtinxerimus, & Deum Optimum Maximum propter nos & ſecundum nos natum religioſè coluerimus, operúmque, quæ ille exectari ſolet, ſtudium intermiſerimus, ardoris ſui ſenſum facilè deponet. Qua quæſo, fronte ad (C) Deum accedere audemus qui nullam, neque animi fœcunditatem, neque corporis caſtimoniam muneris loco deferimus? Quomodo ipſi appropinquare non vetemur, qui operum; quæ illi lætitiam & voluptatem parere dignoſcuntur, ſuaueolentiam nullam obtinemus? Præſertim cùm flagitioſorum operum graueolentiam infeſtiſſimè odiſſe non ignoremus? Metuo autem magnóque tremore conſtringor, ne, qui orthodoxam fidem habere videmur, ſecundùm illam quoque laborare deprehendamur: vt qui eam ſolam, hoc eſt ab honeſtarum actionum coniugio ſeiunctam, bonorúmque operum comitatu deſtitutam, obertare permiſerimus: Si enim fides ſtudioſa fragrantium operum actione orbata, ſecundùm Iacobum fratrem Domini, qui huius (D) quoque gregis paſtor aliquando extitit, eſt mortua; quomodo nos rectum curſum tenebimus, qui fidem operibus, quaſi alis quibuſdam exornare non curamus? neque animos noſtros pernicibus operum miſericordiæ pennis obarmamus? Quamobrem fratres animo meo exoptatiſſimi, opera quæſo, cum fide conſociemus, neque ob operum, quæ adeſſe oportebat, abſentiam, eam infirmemus: ita enim fiet, vt quemadmodum fide fortes validique conſiſtimus, (neque enim Chriſti gratia defenſi conſeruatique, vlla illam ex parte labefactauimus) ſic bonis quoque operibus firmemur; & Chriſtum ipſum qui honeſtis actionibus impensè delectatur, fide ſimul & operibus non parum recreemus, clementiſſimámque eiuſdem celſitudinem nobis promereamur. Ipſe enim eſt, qui tanquam legiſlator, hæc (E) decreta diſertè pronuntiat: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui eſt in cælo.* Rurſum: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Item: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Si itaque paternam illius voluntatem fecerimus, verámque & orthodoxam fidem conſtanter retinuerimus, Iſmaëlitarum romphæam facili negotio amoliemur; Saracenicamque ſicam à nobis auertemus; & Agarenorum arcam confringemus; & diuinam Bethlehem non longo poſt tempore contemplabimur; & quæ in illa ſunt admirabilia contuebimur, & admirandorum operum opificem Chriſtum conſpicabimur: & vnà cùm Angelis doxologiam illam: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* (A) magna ſonoráque voce decantabimus, operámque ea re Chriſto cumprimis gratam nauabimus. Eſt enim ille iis rebus, quæ ſalutem noſtram promouere & procurare natæ ſunt addictiſſimus.

Adamus paradiſo expulſus, ſed ex paradiſo proximus tenebat.

Flagitioſa opera Deo nauſeam mouent.

Iacob. 2. Iacobus frater Domini Hieroſolymorum Epiſcopus.

Chriſtus honeſtis actionibus impensè delectatur.

Matth. 7.

Ioan. 14.
Ioan. 15.

Luc. 2.

An non cùm Dei verbum eſſet, æternúmque ex æterno Patre ortum haberet, impollutum matris Virginis vterum propter nos inhabitauit? Verámque in illa, & ex illa carnem ſuſcepit? Suſcepit autem ex ea carnem non priùs quidem formatam, & exiſtentem, quàm indiſſolubili vinculo illi coniungeretur: ſed vnà cum ipſo, & in ipſo verbi complexu, exiſtentiam ſortitam. Ipſius namque conſtitutio & ratio cum ipſa compoſitione ad punctum coibat, ipſique coæua erat. Quam etiam carnem rationalis vitæ ſpiritu animatam ſibi ſecundùm hypoſtaſin adiunxit, vt illuſtre illud fidei lumen Leo docet, (B) & ſapientiſſimus Cyrillus, magnus ille cœleſtis doctrinæ præco, præclarè veræque pietati & religioni admodum conſentaneè, confirmat. Chriſtus namque ſalutis noſtræ cauſa nobis per omnia aſſimilatus, & ſimilis expertem conceptionem habuit (viri enim, vt naſceretur, ſynergia nulla egebat) & Virginis vtero ſe circúmſcribi ſuſtinuit, & hominum more pro ſua clementia in lucem edi voluit, & in manifeſtiſſimum omnipotentis diuinitatis ſuæ indicium & argumentum, Virginem, ex qua prodit, integram incorruptámque conſeruauit, ipſámque nihilominus Deiparam eſſe palàm oſtendit. Quin & ipſa viciſſim virgo luculentum ineffabili illius diuinitati teſtimonium perhibuit: Teſtatum inquam, orbi fecit, ipſum eſſe verum Deum, verúmque Dei Filium, (C) eiuſdem cum Patre naturæ & ſubſtantiæ: etſi ab illis, in quorum oculos incurrebat, homo tantùm noſtri ſimilis fuerit habitus. Coruſcat autem & licet hic Filius duabus naturis diuina vna, humana altera, interim nulla ex parte eſt diuiſus; manet enim vnus Chriſtus, & vnus Filius, omnis expers mutationis, confuſionis, ſectionis, & diuiſionis. An non idem ille, cùm diues eſſet, vnáque cum regno imperium in omnes obtineret, quò nos, qui pauperi nos eramus, immortales illius opes conſequeremur, in noſtram mendicitatem víro ſeſe dimiſit? Nónne, cùm increatus, imò verò creator, vniuerſæque creaturæ conditor eſſet, quo nos in increatæ naturæ ſuæ conſortium eueheret, inter creaturas cenſeri voluit? Nónne cùm omnis materiæ, corporeæque concretionis exors degeret, quò nos caducis iſtis fluxiſ- (D) que corporibus & carnibus ſuperiores efficeret, noſtráque corpora incorruptione veſtiret: & carnem noſtram immortalitate donaret, caro & corpus fieri in animum induxit? An non, cùm ſecundùm diuinitatem nullis limitibus circunſcriberetur, quoad immenſum regnum ſuum aditum nobis patefaceret, carnem mole definitam ſibi aſciuit? An non, cùm ab omni peccato vacuus, ſanctúſque & per omnia impollutus eſſet (*Peccatum enim non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius*) noſtri cauſa peccatoribus annumeratus eſt? & in peccatricis carnis ſimilitudinem, in lucem fuſus eſt? Qui enim peccatum ignorabat, eum pater, in quem nullum peccatum cadit, propter nos peccatum fecit: vt carne ab omni peccato immuni, peccati condemnationem (E) euacuaret, noſque peccatores à contractis peccatorum ſordibus expiaret. Nónne cum Filius & liber foret, naturaliſque Domini polleret, quò nos libertatis dono ornatos, Deo Patri quaſi filios offerret, inter ſeruos cenſeri ſuſtinuit? Per ipſum enim id ſecuti ſumus, altiſſimi filij nomine nos & ſimus. Interim illud adoptionis donum non natura, ſed gratia nacti ſumus. An non, cùm æternus & impatibilis, & immortalis eſſet, quò nos ab interitu, omnique patiendi neceſſitate liberaret, & à mortis vinculis multiplicibúſque catenis quibus irretiti tenebamur, expediret & vindicaret, carnem noſtram patibilem mortalémque induit? An non hæc omnia præſtitit, modóque diuiniſſimo impleuit, & cõſummauit? Vtique; nec enim contingit Deũ propoſito

Chriſti caro ſimul formata, ſimul verbo vnita.

Chriſti caro rationali ſpiritu informata: Leo Pontifex, illuſtre fidei lumen.

Chriſtus in duabus naturis inconfuſè ſubſiſtit.

Hebr. 9.

1. Petr. 2.

Rom. 8.

Dominus propter ſeruos ſerui formam ſe induit.

ſuo fruſtrati. Nam quid animo concipi poteſt, quod
Deus, ſi velit, non efficiat? Aut quis eſt, qui omnipo-
Diuinæ voluntati nihil obſiſtere poteſt.
tenti efficaciſſimæque eiuſdem voluntati ſua volunta-
te, vt maximè id contendat, obſiſtere valeat? Huius tan-
ti numinis fratres, feſtum diem nos hodie obimus, etãſi
magna cum triſtitia illud faciamus: vt qui locum, in quo
Deus Verbum, & Dominus per exortum, qui verbis
explicari nequit, apparuit, propinquum habeamus, ne-
que ad illum tamen accurrere valeamus. Sanè idem fe-
rè hic nobis vſu venit, quod diuiniſſimo Moyſi: Hic e-
nim in montem præcelſum ſubuectus, promiſſionis ter-
ram oculis quidem vſurpabat auidiſſiméque in illam in-
gredi cupiebat, verùm quod virgæ ſuæ verbere aquarũ
fluenta & riuos è petra eductutus, Deum non benedi-
xiſſet, nequaquam huc ingredi permiſſus eſt. Et ille
quidem ad eum modum terra multum deſiderata or-
batus, mœrotéque exhauſtus, hinc ad Deum emigrauit.
Num. 20. Cur Moyſes promiſſionis terrã ingredi nõ potuiſſet.
Nos autem, qui his non diſſimilia patimur, quid facie-
mus? Nam etſi de cœleſtibus donis animo voluptatem
capimus, & lætamur, & religioſè nos oblectamus, &
quaſi continuum gaudium haurimus; contriſtamur ta-
men, turbamur non parum, quòd locum cominus aſ-
picere non licet, ibique feſtiuum conuentum agitare,
vbi vera illa lux exorta eſt, vbi æterna vita floruit, vbi
tandem donorum & gratiarum omnium theſaurus a-
ſpectabili forma apparens, omnes, qui cum fide & pie-
tate intuentur, illuſtrat & recreat, cœleſtique gaudio
vbertimè exatiat; ac tales illis opes impertitur, qui ne-
que defluunt, neque deficiunt; efficítque vt non abſq;
gaudio & oblectatione, cum Angelis, paſtoribus, &
Magis: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus
bonæ voluntatis*, concinant. Adamo tantùm primo ge-
neri noſtri parenti, diuinóque Moyſi miſerè admodum
hodierna luce aſſimilamur: verùm Dauidis quoque Dei
parentis ſortem cumprimis exactè exprimimus: Vt qui
iiſdem penè difficultatibus hoc tempore inuoluamur,
obſtaculiſque præpediamur, quibus olim ille. Ete-
nim Dauid in regem à Deo aſſumptus, cùm Philiſtæo-
2. Reg. 23.
rum acie vndique circumiecta aliquando coërceretur
Dauid myſticè ex ciſterna Bethlehemitica aquam deſiderat.
ſpiritali ſiti, quali forſan nos modo, arens, ardénſque
ſalutarem aquam ex ciſterna, quæ erat in Bethlehem,
bibere deſiderabat? Aqua autem quam myſticè ille ex-
petebat, & viua erat, & omnes qui ex ea bibebant, Di-
uina virtute viuos efficiebat: *Si ſcires donum Dei*, aiebat
Ioan. 4.
Chriſtus, fons ille vitæ nunquam deficiens ad Samari-
tanam: *Et quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forſam
petiuiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Omnis qui bibet
ex aqua hac, ſitiet iterum; Qui autem biberit ex aqua, quam
ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo
ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ciſterna
hæc ſacra ſanctiſſimam Virginem deſignabat, quæ &
vterum geſtura, & Deum paritura erat. Quod enim
Ciſterna Bethlehemitica deſignabat Virginem matrem, aqua intra eam concluſa Chriſtum.
hîc tranſigebatur, prophetia & figura erat de Chriſto,
qui eſt aqua viua omnibus vitam infundens, déque
myſtica & ſpiritali ciſterna, quæ aquam illam, quæ
nunquam deficit, vtero comprehenſam, in lucem de-
dit, hoc eſt de impolluta virgine. Hanc autem ciſter-
nam & aquam bifariam Rex Dauid videre deſiderabat,
Dauid Chriſtum & Virginem matrẽ bifariam videre deſiderat.
incenſéque geſtiebat; ſpiritalibus nimirum & corpo-
reis oculis: Illis quidem, vt illuſtriſſimus Propheta, his
verò, vt conſummatiſſimus iuſtus: Hoc ergo deſide-
rio intus ardens aiebat: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de
2. Reg. 3.
ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam.* Cognoſcere
hinc licet, quàm aptè nos hoc tempore iis aſſimile-
mur, qui Chriſtum quondam, cùm ſpiritalibus, tum
corporeis quoque oculis contueri exoptabãt. Ad quod
Matth. 3.
veterum deſideriũ Chriſtus Dominus aqua illa viua al-
ludens, alicubi ita concionatur: *Multi Prophetæ & iuſti cu-
pierunt videre, quæ videtis, & non viderunt; & audire, quæ vos
auditis, & nõ audierũt.* Huc etiam ſpectãt, quæ Apoſtolus
Petrus ad eos, qui in Chriſtum Seruatorem crediderãt,
1. Petr. 1.
ea de re ſcribit: *Quem ait, cum non videritis, diligitis, in quem
nunc quoque non videntes creditis. Credentes autem exultatis
lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ.*
A *ſalutem animarum veſtrarum: de qua ſalute exquiſiuerunt,
atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia pro-
phetauerunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in
eis ſpiritus Chriſti, prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſio-
nes: & poſteriores glorias. Quibus reuelatum eſt, quòd non ſi-
bimet ipſis, vobis aut miniſtrabant ea, quæ nunc annunciata
ſunt vobis per eos, qui Euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto
miſſo de cœlo, in quæ deſiderant Angeli proſpicere.* Si ergo
Prophetæ & veteris teſtamenti Sancti, Chriſtum in carne videre exoptarunt.
iuſti, & Prophetæ, & Angeli, Chriſti natiuitatem & lo-
cum in quo exoptatiſſimus eiuſdem ortus contigit, con-
tueri deſiderabant, & deſiderant; quid mirum eſt, ſi
nos abiecti minimíque, qui eiuſdem religionis & pieta-
tis participes, orthodoxæque fidei cohæredes effecti ſu-
mus, ardenter iſtud deſideremus. Et quænam cauſa
B quæſo, Diuinum Dauidem, cum & germanus Bethle-
hemita eſſet, ortúmq; è Deifera Bethlehem duceret im-
pediebat, quò minus Bethlehemiticæ ciſternæ aquam,
quam tantopere expetebat, tantáque auiditate ſitiebat,
biberet? Eadem prorſus, quæ nos hoc tempore: nam &
ipſe quoque æquè ac nos modò, ob hoſtilem metum,
ad ſacram Bethlehem curſu contendere, aquámq; con-
cupitam haurire prohibebatur. (Quid autem homini
Crux magna, bono deſiderato & ad oculum propoſito, potiri non poſſe.
contingere poteſt miſerabilius, quàm bonum deſidera-
tum ob oculos poſitum habere; neque deſiderato tamẽ
frui poſſe?) Quandoquidem tum temporis quoque,
proinde ac nunc, Philiſtæorum ſtatio Bethlehem obſi-
debat: eáque res illum, quemadmodũ nos quoque hac
tempeſtate, quò minùs bonum illud vſque adeò beatũ
& deſideratum: (quippe quo nihil nobis obtingere po-
C tuiſſet felicius, aut honoratius, aut oblectabilius) con-
ſequamur, impedit, & abſterret, ne ad diuinam Beth-
lehem accederet, abſterrebat, & impediebat. Verùm li-
cet ille è Bethlehemica ciſterna aquã bibere deſiderans,
propter infeſtam Philiſtæorum aciem, quæ Bethlehem
ſummis ſemper laudibus prædicandam, tunc obſeſſam
tenebat, ad Deiferam illam ciuitatem, per id tempus
peruenire non poſſet; nihilominus expetitam aquam,
ſi quidem ſenſilem aquam bibere placuiſſet, obtinuit.
Etenim tres fortiſſimi ſatellites, validiſſimique propu-
gnatores, regis deſiderio comperto, ipſúmque non ſi-
ne æquiſſima cauſa dicere audientes: *O ſi quis mihi daret
potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam:*
tam aquæ quæ ſenſu percipitur deſiderio illum tene-
D ri, cùm eſſent, vt conicere & dicere licet; ad mor-
tem illius cauſa ſubeundam promptiſſimi, in manife-
ſtum vitæ diſcrimen proruerunt: regi per hoc animi ſui
robur, infractámque audaciam probare volentes, vel
certè eximiam & admiratione dignam in principem
ſuum beneuolentiam, inuictámque erga ſalutarem e-
iuſdem ſermonem, ſtudium & ardorem demonſtrare
inſtituentes. Siquidem *maiorem hac, dilectionem nemo
Ioan. 15.
habet*, ait Saluator: *quàm vt animam ſuam ponat quis
pro amicis ſuis. Irruperunt ergo tres fortes*, ait Scriptura,
2. Reg. 23.
*in caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Beth-
lehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.*
Hic tu iam Dauidis pietatem, virtutúmque omnium
Virtutum omniũ regina diſcretio.
reginam diſcretionem conſidera: Nam vt regnorum
E habet hiſtoria, noluit aquam illam bibere, verùm li-
bauit eam Domino, dicens: *Propitius ſit mihi Dominus,
ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti
ſunt, & animarum periculum bibam?* Noluit ergo vir
ille planè diuinus aquam hanc bibere. At cur noluit?
Egregia ratio, cur Dauid aquam ex ciſterna allatã noluerit bibere.
quia prophetiæ lumine illuſtratus, fore præuidebat,
vt Iudæi aquæ illi viuenti, omniáque viuificanti ſecun-
dùm carnem è Bethlehem exoriturae, & è lacu virgineo
naſciturae, & in lucem proditurae, hoc eſt, Chriſto fidem
denegaturi eſſent: Vt vates ergo ſanctiſſimus Iudæorum
in Chriſtum perfidiam facto adumbrabat. Ob id in-
quam, diuinus ille vir aquam ad ſe delatam haurire no-
luit, quia inſanos ſceleratóſque Iudæos Chriſti prædica-
tioni in ſuum ipſorum interitum & perditionem, ne-
quaquam credituros præſagiebat, certóq; præuidebat.
At

Digitized by Google

At nos verò, qui Chriſtum Seruatorem gratanter ſuſcipimus, & orthodoxa fide ornati ſumus, & execrandam Iudæorum incredulitatem auerſamur, & ſpuriam fœdámque eorúmdem amentiam modis omnibus deteſtamur, ſacram Bethlehem adire enixè auemus, diuinámque ciſternam, quæ iuxta portam extat, Deiparámque virginem myſticè deſignat, (hæc namque aquam viuam quæ vitam dat mundo effudit) mentis oculis contemplari, & ſalutem, quæ in ipſa apparuit, hoc eſt Chriſtum, qui humanum ortum hac luce in ea ſubiit (hic enim noſtra eſt ſalus, & vita, & redemptio) accuratè contueri, adire nequaquam poſſumus. Tenemur profectò deſiderio, & ſiti æquè nos torrente, atque altera illa torrebat regem; videre autem aquam, vt decantatus ille Dauid, & vel ſolo aſpectu animam viſúmque inde paſcere propter Saracenorum metum omnino non valemus. B Etenim impiorum Agarenorum ſtatio ęquè nunc, vt dictum eſt, illuſtrem Bethlehem occupat & obſidet, vt quondam Philiſtæorum; nec vllum prorſus tranſitum ad illam indulget. Interminatur enim cædem & interitum, ſi quis ad ſanctam illam ciuitatem egredi, diuiniſſimæque ac nobis optatiſſimæ Bethlehem appropinquare auſus fuerit. Quare intra ciuitatis huius portas concluſi, nec non in diuino hoc Dei genitricis templo conſtituti, feſtum hunc diem anniuerſariámque ſolennitatem, non citra triſtitiam obimus publicéque celebramus: Veſtram proinde in Chriſto Deo noſtro dilectionem hortor, rogóque & obſecro, &c.

Templum Hieroſolymis matri Virgini dicatum.

In codice Græco, quo vſus ſum, deeſt orationis epilogus, quem ex chartæ ſpatio quod reliquum erat, tres aut quatuor periodos exceſſiſſe non puto. C

SANCTORVM ARCHANGELORVM ET ANGELORVM, CÆTERARVMque cæleſtium virtutum encomium, per eundem Hieroſolymorum Archiepiſcopum Sophronium conſcriptum.

O Divinæ materiæque expertes Dei exercitus! ô mente rationéque præditæ intelligentiæ! At præſtat gradatim & ea ordine vos prædicare, magnificare, & inuocare. O Seraphim, quæ ſex alis exornata, inque prima cœleſtium D exercituum acie collocata, veſtro ardore cæteros omnes incenditis: Vos eſtis, quæ propter inconcuſſam ſtabilitatem, corporeǽque concretionis vacuitatem; tum ob æternitatem vobis communicatam, cognoſcendique & inflammandi virtutem, expreſſum quoddam diuinæ ſimilitudinis ſimulachrum præ vobis fertis: Vos ſecundaria lumina emanatione planè beata è prima luce prodeuntia rectè appellamini; vt quæ immenſum infinitúmque trini vniciqoe principatus illius numeris omnibus abſoluti ſplendorem, quantum fas eſt, citra vllum medium excipiatis, exceptúmque cæteris mentibus & intelligentijs communem faciatis. Cum vos ergo ob incendendi capiandique vim, qua polletis, quáque omnem malitiam, omnémque fœditatem abſumere & ex- E piare conſueuiſtis, incenſorum & calfactorum nominibus deſignemini, internos obſecro, animæ meæ receſſus, à vitiorum ſordibus expiate, ſpinoſáque materia, quæ eidem cohæret, incenſa abſumptáque diuinum ſermonem pectori meo inſerite; ac cordis mei tenebris penitus eliminatis diſcuſſiſque, intimos mentis meæ ſenſus illuminate. O vos Cherubim oculis plena, & quadriformia, quæ internis viribus formæ veſtræ cognatis, appoſitáque proportione reſpondentibus, vi ratiocinante nimirum & iraſcente; fortitudine rurſum & cœleſti celſitudine, amplè magnificéque exculta, omníque ſapientia plena eſtis (quare etiam cognitionis fontes & ſcaturigines appellamini) diuini verbi cognitione me expolite, itáque contra veterem ſerpentem incendite, & è

Seraphim multis modis Dei ſimilitudinem præ ſe gerunt.

Seraphim ab incendendo vo nomen ſortiti.

Seraphim inuocantur.

Cherubim oculis plena & quadriformia.

Inuocantur Cherubim.

terra in ſublime potenter euehite. O Throni ardore acA cenſi & inacceſſi, qui Dei Optimi Maximi ſedes, vehiculum, & requies eſtis, omníque humili abiectáque ſeruitute ſuperiores; vtpote ſummum illum regem inter vos compleai; me ab omni fraude & execrando opere liberate, Deíque gloria & maieſtate dignum efficite. O venerandæ Dominationes, hoc nobis ea de cauſa ſortitæ, quod diuinam authoritatem veſtro munere exprimatis, cœleſtiúmque bonorum communicationem verè propriéque citra vllum prorſus impedimentum excipiatis; donate mihi, vt animi perturbationibus, quæ mẽtem corrumpunt, imperare, dæmoniſque inſidijs, quæ animum grauiter lædunt, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum dominari queam. O poteſtates, quæ appellationem functioni veſtræ conſentaneam conſecutæ, nulla prorſus ſeruitute valetis premi, nullo turbine concuti, quæB que ab illo ſolo principatu; à quo omnis poteſtas fluit poteſtatem & firmitatem nacti eſtis; impertiamini mihi poteſtatem contra aſpectabiles & inaſpectabiles hoſtes, qui contra animam meam inſurgunt, mentémque meam in captiuitatem redigere contendunt, & greſſus meos, ne ſecundum Deum dirigantur, euertere nituntur. O immotæ maſculæque Virtutes, quæ propter animi robur & fortitudinem, inuictámque virium præſtantiam, diuinam potentiam & vim adumbratis, me debilem ac infirmum diuino robore & fortitudine circuncingite, &, quo ſpiritales illos angues & ſcorpios viriliter propulſem proteramque, idoneum reddite. O flecti neſcij monerique nefeij Principatus, qui à diuino principatu omnis principij caperte, omniſq; principatus auctoC re, & nomen & dignitatem principatus citra cõtrouerſiam accepiſtis, quíque tertio Angelorum choro prælati eſtis, fidi adeſte, & quo de infeſtiſſimis hoſtibus triumphem, ijdémque ad finem vſque imperterritè, & ſine vulnere reſiſtam, ſedulam operam nauate. O ter ſanctiſſime ſummèq; amande & venerande ſacræ militiæ princeps & adminiſter Michaël Angelorum coryphæe, omni cultu omníque laude celebratione digniſſime; Qui Iudaici populi ductor quódam extitiſti, ipſíque planam ad meliora, ſalutíque viciniora viam ſumma fide oſtendiſti. Quique ingenti illa horrendáque, ac longè latéque per omnia ſonitum ſpargente tuba olim perſoniturus es: Cuius quidem terribili clangore, qui à ſæculo mortui fuerant, ea abditis terræ receptaculis reſurgent; & D terra veluti funda notata è fundamentis mouebitur, & elementa diſſoluentur; & Sol atro colore perfundetur, & in cilicini ſacci modum obſcurabitur, & luna tota in ſanguinem conuertetur; & ſtellæ perinde ac groſſus è ficu, dum valida vi venti agitatur, è cœlo in terram decident, & vniuerſus aër, quaſi teṫris nubibus obductus, in noctem vertetur, & cœlum inſtar libri inuolutum e medio faceſſet; & mons omnis, & vallis, & inſula, & ciuitas è ſedibus ſuis emouebuntur; & magnates, & potentes, & duces, & terræ iudices, & reliqui populi humiliabũtur, & quòd grauiſſimorum dolorum & gemituum, ſtridorúmque dentium, ac omne genus ſuppliciorum, tempus iam adeſſe cernent, præ timore & horrore exanimabuntur.

E Quando ergo omnes, qui in viuis adhuc degunt, in momento, & quaſi in ictu oculi emorientur, ſtatimque immutabuntur: Quando mare, & flumina, & inferuus ingenti impendentium malorum formidine metúque concuſſa, quos detinebant, mortuos emittent: Quando iuſti quidem aeris nubibus ſubuecti, obuiá Chriſto Domino rapientur, in omnem æternitatem vitam cum eo acturi; peccatores autem ad ſupplicia, quæ in illos conſtituta ſunt amandabuntur: Quando tandem omnia illa admirabilia, quæ expectantur, per ſonitum, quem daturus es, conſummabuntur, tunc ô ſancte Archiſatrapa, errantium ductor, prolapſorum excitator, aumotorum propugnator, corporum conſeruator, dæmonum exterminator, vniuerſæq; creaturæ illuſtrator, tunc, obſecro te, tunc fidus cauſæ meæ patronus adeſſe ne grauere.

Throni charitatis ardore accenſi.

Inuocantur Throni.

Inuocantur Dominationes.

Inuocantur Poteſtates.

Inuocantur Virtutes.

Inuocantur Principatus.

Iudaici populi quondam dux Michaël.

Michaële tuba clangente, totus commouebitur orbis.

Horrenda ſigna toto paſſim terrarum orbe generale iudicium antecedent.

Viui tempore iudicij in ipſo raptu morientur & immutabuntur.

Inuocatur Michaël Archangelus prolixè.

Michaël animarum illuſtrator.

Interceſſio Michaëlis valet ad profligandum omnem animi morbum.

Mich. & piorum animas è corporis ergaſtulo & purgatorio exceptas, deducit ad cælum.

O ſanctiſſime Michaël, qui populum Iſraëliticum Dei mandato per mare traiectum in terra promiſſionis conſtituiſti, & Ieſum Naue contra aduerſarios armaſti, & Moyſi tabernaculum à ſanguinario hoſte liberaſti, & multorum aliorum ſanctorum animas illuminaſti, meos quoque internus ſenſus illuſtra: internúmque animæ meæ oculum illumina; & cor meum vitæ huius fluctibus agitatum, confirma; & mentem meam, ad terrena inclinatam, ſurſum ad cœleſtem prudentiam ſubleua; & remiſſas manus meas contra bello aſſuetos hoſtes confirma; & emortuos pedes meos, ne ſemitam, quæ ad cœlos ducit, deſerant, corrobora; & ceruicem meam peccatis onuſtam ſubrige; & cicatrices meas, quæ grauеolentiam exhalant, planéque computreſcunt, ſana; & ardentium libidinum perturbationúmque incendium ſeda; & cæteras tandem miſeriarũ & laborum meorum moleſtias cura. Iterum te & nomine Michaël te oro, & quanto poſſum ſenſu obteſtor, vt è vitæ huius curriculo exituro, lætus pacatúſque appareas, méque ſub honorato alarum tuarum velamine abſcondas, atque ex anguſtis obſcuriſque inferorum locis ereptum, in loca tabernaculi admirabilis conſtituas, deducens vſque ad domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis, & ſoni feſtum celebrantium.

Inuocatur Gabriel. Mira fecit & facit Deus per ſanctum Gabrielem.

Tu quoque diuiniſſime, Angelorumque præſtantiſſime Gabriel, qui mundo es exoptatiſſimus, gaudiique & lætitiæ dator optimus; Qui diuinorum arcanorum interpres es ſcientiſſimus, bonorúmque omnium adminiſter & procurator primarius; Qui ſacrorum tandem miniſtrorum dux & princeps es auguſtiſſimus; agedum mentem & cor meum inſtrue, & ad vniuerſa Dei iudicia & iuſtificationes dirige. Qui Danieli in Chobar viſionem illam planè diuinam patefeciſti, ſterilitatis meæ labem diſſolue. Qui infœcundum antè Elizabetis vterum à vinculo, quo tenebatur, Dei iuſſione ſoluiſti, eandémque fructuoſam effeciſti, meam quoque infœlicem afflictamque animam grata quadam venuſtate, internáque lætitia & luce perfunde: Qui beatiſſimam inculpatiſſimámque ſacratiſſimæ puriſſimæque Dominæ noſtræ genitricis Dei Mariæ animam læta ſalutarique annunciatione ingenti gaudio imbuiſti, Euæque triſtitiã eiuſdemque luctum, certæ ſalutis ſponſione in lætitiam transformaſti: Paucis, qui totius mundi mœrorem in gaudium conuertiſti, veſtéque luctuoſa diſciſſa, omnes lætitiæ ſtola induiſti; te etiam atque etiam ô Gabriel veræ lætitiæ conciliator & dator, rogo obteſtórque vt me graui ægritudine preſſum, clementer viſites, diuináque virtute atque animi iucunditate impleas, nec non à tormentis Belial, aſpectabiliúmque & inaſpectabilium hoſtium periculis exemptum, per tuam auctoritatem, & apud Deum interceſſionem, iuſtorum & ſanctorum cœtui adiungas, & tandem in locis illis, quæ omnibus delicijs affluunt, tuto colloces.

Inuocantur cæteri omnes Angeli & Archangeli. Plurima & admirabilia Angelorum opera. Varia & penè innumera Angelorum nomina ab illorum munia deſumpta.

O vos reliqui omnes Angeli & Archangeli, cœtus cœleſtis, corona impenetrabilis, phalanx præſtantiſſima multitudo immenſa, exercitus innumerus, celſitudo inacceſſa, magnitudo incomprehenſa, chorus incomparabilis, notitia omni indagatione ſuperior, lætitia inexplicabilis, pompa ſummè admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, ſubtilitas menſuram ignorans, agilitas cui alia nulla eſt ſimilis, ordo infinitè multiplex, celeritas infanda, ſubſtantia quæ circumſcribi nequit, gloria mentis cogitatione comprehendi neſcia, vis omni virtute & robore maior. Vos omnium regis eſtis adminiſtri, vos venti, & ſpiritus, & aquæ, & principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apoſtoli, & Prædicatores, & Prophetæ, & Euangeliſtæ, & rerum diuinarum interpretes, & cuſtodes, & præſides, & conſeruatores, & abactores, & conductores, & viæ duces, & inquiſitores, & libripendes, & calculatores, & curatores, & illuminatores, opum datores, & luminaria, & lucernæ, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & iudices, & ſuſceptores, & relatores, & defenſores, & decertatores, & propugnatores, & diuina ſpecula, & ſimulacbra, & imagines, & nautæ, & naues, & gubernatores. Vos ij eſtis, qui cœlum curſu expeditiſſimo trãſmittitis; qui motu celerrimo incitatiſſimóque per aërem diſcurritis; qui cœlum & æthera repletis, qui nulli non homini cuſtodes & comites adeſtis; qui creatoris voluntatem indeflexè perficitis; qui vocem ſermonum eius citra intermiſſionem audiris; qui ſemper creſcitis & proficitis, perpetuáque incrementa ſumitis; (ſolus enim Deus eſt, in quem nulla cadit mutatio) qui cœleſtia corpora vocamini; qui mentes Deíque tabernacula appellamini; qui carbones, & turbines, & flammæ nominamini; qui myſtæ, myſteriorúmque interpretes, & omnium regis amici & muſici, necnon ſacrorum miniſtri, & Diaconi dicimini. Cùm igitur tali tantáque gloria ſitis exornati, tótque prærogatiuis cumulati, meritò veſtram benignitatem rogo & obſecro ô boni, omniſque maculæ exortes Angeli & Archangeli, veſtræ ô impolluti ſpiritus, magnificentiæ ſupplico, conſeruate vitam meam inoffenſam, ſpem infractam, mores inculpatos, dilectionem erga Deum & proximum integram, & ab omni offenſione liberam. Manu me quæſo, ducite & deducite, & ad omnem ſalutarem, Deoque acceptam ſemitam dirigite.

Angeli hominum cuſtodes & duces.

In ſolum Deum non cadit mutatio.

Illuſtris Angelorum inuocatio.

Angeli merita hominum trutinant.

Ex bonis operibus ſalutis ſpem concipere licet.

Vitæ præſentis afflictiones cedunt in meritum vitæ & condonationem pœnæ.

Iterum o diuini ſpiritus, vos rogatos plurimúmque obteſtatos cupio, quando in vltimo vitæ meæ hiatu ex luteo hoc vaſe excedere compellar, voſq; omnes actiones meas trutina expenſuri eſtis, cunctáque quæ vel palam, vel clam deſignaui, calculaturi, vt tunc vel omnes, vel ij certè, quos Deus ex veſtro ordine tum mittet, quo infelicem miſerámque animam meam excipiant, placidos clementéſque vos mihi exhibeatis, bilancémque, quam prauis meis operibus perditè grauaui dextere ſubleuetis, eandémque tanquam ſolius clementis Dei miniſtri quauis ratione & arte exonerare ſtudeatis. Porrò autem bonorum honeſtorúmque operum loco, de quibus ſpem concipere licebat, immenſam Domini miſericordiam, in medium proponite, beneficium clementémque Deum ô laudatiſſimæ, præſtantiſſimæque mentes, orantes, vt per veſtram interceſſionem, omnes afflictiones, & morbos, & calamitates, quæ vnquam in vita pertuli, in criminum meorum compenſationem, condemnationiſque & cruciatuum non vulgarium, quos iuſtè promeritus fueram, relaxationem & condonationem admittere, eorumdémque vice & locu habere, & calculare dignetur; quò inimico per diuinam gratiam perfectè ſemel ſuperato debellatóque, obſeruatam miſeram animam meam, ingens gaudium oriatur in cœlo; Conditore ter benigniſſimo vos conuocante & dicente: *Congratulamini mihi amici, quia inueni ouem, quæ olim in montibus aberrauerat.*

Luc. 15.

Angeli individuos ſiſtunt Deo.

Angeli omnia luſtrant.

Denique cùm conſummationis dies aduenerit, & mundi finis iam præ foribus vrſerit, & cœli contremiſcent, & firmamentum nutabit, & terræ fundamẽta quatientur, & abyſſus abyſſi præ timore obrigeſcet, & inferi formidine horrebunt, & immenſi maris diuiſiones in ignem vertentur, & elementa omnia a facie ignis, vt cera, diſſoluentur, & qui in terræ receſſibus obruti iacebunt, exuſcitabuntur, & mundi huius figura pertranſibit, & tremendus iudex in limine ipſo aſſiſtet, voſque aduentum illius anteuertentes, terminos finéſque terræ percurreris, quò vniuerſos mortales, qui à ſeculo mortem obierant, in vnum cogatis, illoſque incorrupto iudici ſimul omnes ſiſtatis, quo ſinguli de omni opere, omnique cogitatione, & animi conceptione rationem reddant; tunc obſecro vos, neque vnquam vſque ad vitæ finem obſecrare deſinam, qui omnia luſtratis, publicáque Dei miniſteria non abſque auctoritate obitis, & hoc ipſo regiam quandam dignitatem præ vobis geritis, quòd & ſceptra, & virgas, & haſtas defertis (per hæc enim coërcendi & puniendi vim, qua polletis, euidenter oſtenditis) tunc inquam, tunc obſecro, propitij adeſte, miſeróque & infœlici tanquam ter optimi regis illux

Angeli ſua interceſſione liberãt à damnatione.

lius principes parcite, & me à triſti illa iracundáque A ſententia, quæ in ignem æternum amandat, per veſtram apud Deum interceſſionem liberate. Contra verò lætæ & iocundæ illius vocationis, vitæque, quæ omni mœrore caret nulláque te indiget, me vna cum meis ſynergis & cognatis, quorum nomina & vocationem nouit is, qui nihil neſcit, participem efficite, & gaudij tandem, quod nunquam finem facit, hæredem declarare.

Summa Dei vis & facilitas in agẽdo.

O Domine, Seruator, Deus, & Verbum, qui dominarum in excelſo obtines; qui principio cares, vniuerſáque contines; qui ingenti robore polles, omnibus vitam, omnibus timorem adfers; qui cœlum, & terram, omniáque, quæ illorum ambitu continentur, ſolo nutu condidiſti; qui primum quidem Angelos mẽte concepiſti, tuúſq; cõceptus opus fuit, quod enim mente conceperas, id ſolo verbo expleſti & abſoluiſti. Mox pari arte & facilitate hominem è terræ puluere, ſecundum B tuam imaginem & ſimilitudinem formaſti, efformatúmque & modicum quid ab Angelis diminutum & libero arbitrio ornatum, omnium creatarum rerum regem & Dominum conſtituiſti; nempe quò bonis illis, quæ illi in paradiſo præparaueras, frueretur, quibus etiam tantiſper fruitus eſt, dum à ſerpente & vxore captus atque ſeductus, diuina tua mandata præuaricatus eſt, deguſtando nimirum letiferæ arboris pomum: Quare è regia dignitate è veſtigio excidit, paradiſóque excluſus, in pœnam factis ſuis dignam incurrit; Putà in fletum, & ſeruilem habitum, in ſudorem, laborem, & moleſtiam, in triſtitiam, & dolorem, & quod ſuppliciorum omnium verè eſt acerbiſſimum, in iuſtam tandem mortem, diſſolutionémque in terram, ex qua primò ſuſceptus productúſque fuerat.

Pœna & cruces variæ, in quas homo propter peccatum incidit. Mors ſuppliciorum maximum. Homo peculium Deo præ cæteris charũ.

Tu autem Domine verè clemens & miſericors, peculium, quod præ cæteris omnibus tibi charum, Diaboli tyrannis oppreſſerat, nequaquam aſpernatus es, verum tremendum illud myſterium, quod ante omnia ſæcula definieras, expleturus, teipſum, qui Patris es ſapientia, & mens, & Verbum, & character, & terminus, & imago, & ſigillum, & filius, & forma expreſſa exinaniuiſti. Nam & in caſta virgine per Spiritum ſanctum inhabitaſti, & ortum ex ea, qui omnem rationem excedit, ſumpſiſti. Nec enim virginea clauſtra omnino ſoluiſti, ſed carnis expers, modo quem tu noſti, in eam ingreſſus, carne indutus ex ea denuo egreſſus es, vteri oſtio clauſo, vt antè erat, relicto. Mox crucem ſubijſti, felle & aceto inter ſe permixtis potatus, lanceáque ad latus tuum adacta contoſſus. Mortem tandem ſponte perpeſſus, mortem ipſam peremiſti, mundúmque vniuerſum immortalitate donaſti; & prolapſam deformatámque imaginem in integrum inſtauraſti, & veterem maledictionem, quæ per lignum hominibus irrogata fuerat, deleuiſti.

Varia diuini verbi nomina.

Mors morte debellata.

B Tu ergo vniuerſorum rex & conditor, qui vnus tantarum, tamque admirabilium rerum architectus es, cunctaque quæ vſque extant, in communem mortalium vtilitatem condidiſti, ac pœnæ obnoxios non abſque paterna affectione punire conſueuiſti, quando pro tribunali ſedens, omnes ad iudicium es adducturus, ſtatione dextera cum ijs omnibus, quorum memoriam in mente habeo, me dignare. O omnium inſpector, occultorúmque cognitor, criminibus, quæ vllo vnquam tempore perpetraui, obliuioni traditis, immortalis thalami oſtium, hoc eſt cœleſtem gloriam mihi pande. O immortalis ſponſe, benedictionis vocem fac nos audire. O benefice, iuſtorum numero me acceſe, tuíque gaudij, inculpatæ Matris tuæ, Angelorúmque ſanctorum, & Apoſtolorum, & Prophetarum, & Martyrum, & iuſtorum omnium, qui à ſeculo fuerunt, precibus in-C tercedentibus, conſortes nos effice; qui cum Patre tuo & Spiritu ſancto es benedictus, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum; Amen.

Sanctis omnes ordine inuocantur.

LAVS DEO.

DE S. CAESARIO ARELATENSI EPISCOPO, EX SCRIPTIS ILLIVS, ET TRITHEMIO.

Sanctus Caſarius ad annum Domini 670. in Lirinenſi cænobio Monachum; & poſtea, Abbatem ſub regula S. Benedicti egit; vt patet ex eius Homil. 24. & ſermone 3. de pugna Monachi contra vitia. Inde aſſumptus eſt in Epiſcopum Arelatenſem ob praclaras ſuas virtutes & ſingularem doctrinam. In ſacris ſiquidem literis egregiè eruditus erat, ingenio placidus, eloquio dulcis & ornatus, miráque ſententiarum breuitate decorus: verſatus eſt quoque in lectione priſcorum Patrum; nam Auguſtini, Gregorij & Iſidori dicta allegat, Homil. 40. Scripta etiam eius multoties citauit Venerabilis Beda in ſuis ſcintillis, ſeu locis communibus. Tomo 7. Harum magnam partem autem qua eius nomine ſequuntur, Homelia, Quentelius typographus excudit præfixo illis hoc titulo; Admonitiones & Interpretationes aliquot difficilium Scripturæ locorum, Fœliciarij Arelatenſis Epiſcopi; Coloniæ; *facile immutato ex Caſarij in Fœliciarium nomine authoris vt opinor.*

Vberiora de S. Caſareo ac planè certiora petenda tibi, lector, erunt ex notis ad Rom. Martyrol. 27. Auguſti. & ex Annal. Eccleſ. Tom. 6. vbi multa de S. Caſareo ex probatiſſimis auctoribus collecta reperies. Ac præſertim ex ſinceris actis vita eius à Cuſano eius diſcipulo conſcriptis, quæ Surius in quarto tomo congeſſit. Ex quibus omnibus liquido conſtat S. Cæſareum non potuiſſe multum excedere tempora Symmachi PP. & Anaſtaſij Imperatoris: Nam etiam Gennadius aut lib. de ſcript. Eccleſ. cap. 86. illum claruiſſe ſub Anaſtaſio Auguſto Annales ex certa temporum ratione res S. Cæſarei qua ſciri potuerunt non perducunt vltra annum Simach. 10. & Anaſtaſij 18. Hoc eſt Domini 508. vnde manifeſti erroris arguuntur Tritemius, & alij quotquot dixerunt ipſum vixiſſe ad annum Domini 670. vel 70. & fuiſſe Monachum S. Benedicti cum antequam S. Benedictus vitam monaſticam arriperet iam S. Cæſareus factus Epiſcopus & ſanctitate & doctrina florebat. Agit de his abunde Baronius locis citat. Quocirca Homil. 42. inferius poſita in qua citantur S. Gregorius & S. Iſidorus Cæſareo poſteriores, alterius potius quàm S. Cæſarei eſſe opus oportet.

S. CÆSARII ARELATENSIS EPISCOPI, AD POPVLVM IN QVADRAGESIMA, HOMILIA I.

Leuit. 16. Ieiunia corpora macerant, corda purificant.

AIT quoddam loco, ſermo diuinus: *In diebus ſolennitatum veſtrarum affligite animas veſtras.* Quare hoc dixit? Quia ieiunia, ac vigiliæ, & ſanctæ afflictiones humiliata corpora macerant, maculata corda purificant. Membris ſubtrahunt fortitudinem; ſed conſcientijs addunt nitorem. Nihilominus de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, & per duræ crucis exercitia deceptæ dudum carnis gaudia puniũtur: ac ſic mortificatione præſenti futura mortis ſententia præuenitur; & dum culpæ auctor humiliatur, culpa conſumitur: dumque exterior afflictio voluntariæ diſtrictionis infertur, tremendi iudicij offenſa ſedatur; & ingentia debita labor ſoluit exiguus, quæ vix conſumpturus erat ardor æternus.

Exiguus ieiunij labor debita ingentia diſſoluit.

B Tractantes ergo cauſam ſalutis noſtræ, faciamus inter nos quod circa nos medici facere ſolent. Si læſura aliqua vel querela in prima corporis cute ſentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur: Si verò in oſſibus vulnus abſconditum, aut in viſcerum profunda dimerſum eſt; auſteriorem ac violentiorem poſcit vis occulta medicinam, vt vlceris magnitudo aut ſectione aut exuſtione ſupercuretur, & dolor dolore pellatur. Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda eſt. Si leuia ſunt forraſſe delicta (verbi gratia; ſi homo, vel in ſermone vel in aliqua reprehenſibili voluntate; ſi oculo peccauit, aut corde) verborum & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & priuata compunctione terendæ ſunt. Si verò quiſque conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod capitale commiſit; aut ſi fidem ſuam falſo teſtimonio expugnauit ac prodidit, aut ſacrum veritatis nomen periurij temeritate

Leuia peccata compunctione & Dominica Oratione curantur.

C violauit, ſi veram Baptiſmi tunicam, & ſpecioſam virginitatis holoſericam cœno commaculati pudoris infecit, ſi in ſemetipſo nouum hominem nece hominis occidit; ſi per augures & diuinos atque incantatores ca-

A ptiuum ſe Diabolo tradidit: hæc & huiuſmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecreta ſatisfactione non poſſunt: ſed graues cauſæ grauiores & acriores & publicas curas requirunt: vt qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat. Homo enim ipſe ſe decipit, ſi cum in medullis feruere ſibi ſentiat morbum, per ſuperficiem corporis molle deducat vnguentum. Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu & gemitu & fonte indigent lachrymarum: atque per lachrymas clamandum eſt cum Propheta: Rugiebam à *Pſal. 37.* gemitu cordis mei. Et lauabo per ſingulas noctes lectum meum. *Pſalm. 6.* Et iterum: Ego autem cinerem ſicut panem mandocabam, & potum meum cum fletu miſcebam. *Pſalm. 101.* Nemo deſpiciat hanc humilitatem. Summus

B rex erat qui iſta faciebat & dicebat. Oportet itaque ſicut ſuper mortuum conclamatum, ita magnos ſuper extinctam animam dare planctus. Et quomodo ſolet mater orbata ſuper amiſſione vnici filij ſui tracto pectore lamentari: ita conuenit ſuper vnicam ſuam, ſed cum ſpe reparationis affligi. De qua vnica ſermo Propheticus dicit: *Pſalm. 21.* Erue à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam. Quare vnicam dixit? ſiue quia tanquam vnica diligenda eſt, ſiue quia ipſa ſola & ſingulis ante tribunal cœleſte rationem remotis omnibus ſolatijs redditura eſt. Ita inquam neceſſe ſuper hanc vnicam criminum mucrone confoſſam totum pondus doloris effundi. Si forte poſſit lachrymarum viuificata fontibus calore fidei ſuſcitari.

Accendenda eſt compunctio, corroborandæ ſunt preces futuri recordatione iudicij, atque miſericordia-

C rum operibus adiuuanda. Audienda eſt Prophetæ ſententia, ſed audienda obedientiæ aure dicentis: *Dan. 4.* Accipe inquit, ô rex conſilium meum, & peccata tua eleemoſynis redime. *Luc. 19.* Exemplum etiam illius Euangelici viri ita eſt audiendum, quaſi verè pro noſtra redemptione

con-

conſcriptum: Ecce dimidium bonorum meorum Do-
mine do pauperibus: de quibus audiuimus in Euange-
lio Dominum ineffabili dignatione & charitate dicen-
Matth. 25. tem: Qui fecit vni ex minimis iſtis, mihi fecit. Quæ
verba eleemoſynarum nobis effectus cœleſti auctori-
tate commendant. Sed fortè quando de eleemoſynis
loquimur, expaueſcit exanguiſta paupertas. Non ita
eſt chariſſimi. Meminerit potius æra minuta diuitum
Pauperes ad quid voluit eſſe Deus. theſauris fuiſſe prælata: quia Dominus non ſolum co-
pia largitatis, ſed beneuolentia paſcitur largientis. Ego
autem puto chariſſimi, quia ita Deus noſter pauperes
in hoc mundo eſſe permiſerit, vt in pauperibus diuitum
fidem probaret: vel in pauperum miſericordia diuiti-
bus miſereretur, vt abundantibus boni operis ac redem-
ptionis ſuæ occaſio non deeſſet, vt beneuolum locu-
pletem etiam inopia aliena ditaret, & opulentior quiſ- B
que ingentia de egente lucra reciperet, & mirifico ſum-
móque commercio, dum inopi miſericordia tempora-
li largitate confertur, inde æternus theſaurus compen-
ſetur. Dirigamus ergo actus noſtros, & quicquid poſ-
ſumus, & quicquid habemus, in exercitia bonæ volun-
tatis, in ſtudia iuſtitiæ ac miſericordiæ conferamus.
Curramus dum lucem habemus priuſquam nos tene-
Ioan. 12. bræ comprehendant: quia iam in illo ſæculo emenda-
tioni ac redemptioni proſpicere non licebit, ſicut di-
cit ſermo diuinus: Quoniam non eſt in morte qui me-
mor ſit tui. Sicut ergo ibi nulla timebitur meritorum
Pſalm. 6. amiſſio, ita nulla tribuetur remiſſio peccatorum. Nul-
la ibi iam exercendi boni operis licentia concedetur.
Nunquid illi paſcere aliquis eſurientem poterit, vbi C
edendi neceſſitas non erit: vbi cibo & potu nec impius
inter flammas, nec pius inter paradiſi delitias indigebit?
Nunquid ibi algentem veſtire continget, vbi omnino
tegendi corporis cura ceſſabit, vbi ſub illo frigore de
quo Propheta dicit: ante faciem frigoris eius quis ſub-
ſiſtit? In perpetuum nudus erit qui hic indumentum
nuptiale perdiderit, vbi malus maculoſæ conſcientiæ
tenebris, bonus verò pallio immortalitatis & beatitu-
dinis veſtietur, vbi indumenta merita erunt. Sic Do-
Sap. 3. minus dicit: Iuſti fulgebunt ſicut ſol. Et Propheta: Sa-
Pſal. 131. cerdotes tui induantur iuſtitiam: vel illud: Aſtitit regina
Pſal. 44. à dextris tuis in veſtitu deaurato.

Ibi ergo pro ſanctorum corporum tunica lux fulge-
bit æterna. Ibi veſtitus nullis vnquam ſæculis exuen- D
dus conuertetur in corpus. Ibi indumentum tranſibit
in præmium. Angelica illa ſtola non iam erit amictus,
non iam erit habitus, ſed natura. Nunquid ibi iam
auarus aut tenax de abundantia ſua bene facere alteri
poterit, vbi nec ſibi vnam in medio ſtagni æſtuans vo-
Pſalm. 48. luntas inueniet? Nihil enim ſecum de his quæ Prophe-
ta habere ſe credit, portaturus eſt, ſicut dixit Propheta:
Non enim cum morietur, accipiet omnia, neque ſimul
deſcẽdet cum eo gloria domus eius, auditurus inter in-
defeſſa ſupplicia: Eſuriui, & non dediſtis mihi mandu-
care; ſitiui, non dediſtis mihi bibere. Intelligamus quid
damnationis erit ſpoliaſſe pauperem, quem ſummum
crimen eſt non pauiſſe.

Hinc ergo qui tenuem atque egenum ſine vlla futuri E
iudicij conſideratione nunc opprimit: hue inquam, ſi-
cut quidam dixit, adueniet tempus magnum eum opta-
uerit impletum, intactum pauperem & cum ſpolia diẽ-
que illa oderit. Intollerabilis dolor erit, ſi idem quiſ-
que cauſas mortis incurrat, vnde vitæ gaudia compara-
re potuiſſet. Noli ergo deſpicere inopem, qui cum ſibi
pauper ſit, facere te diuitem poteſt. Rapiamus ergo de
præſenti ſæculo feruenti deuotione quod poſſumus.
Cito tranſeunt dies noſtri, vtinam bene tranſeant. Ra-
piamus ergo quod poſſumus de hoc ſæculo, gratias a-
gentes illi qui ita diſpenſauit vtrámque vitam, vt labo-
rum & agonum tempora citò finirentur: honorum verò
& præmiorum gaudia ſine fine durarent.

A *ITEM EIVSDEM SERMO DE EO QVOD dicitur: Frange eſurienti panem tuum, & quod melior eſt eleemoſyna quàm ieiunium, & vt peregrini vel in vno angulo domus excipiantur, & de veſtimentis comeſtis.*

HOMILIA II.

ROGO vos fratres chariſſimi, vt in iſto
legitimo ac ſacratiſſimo quadrageſimæ *Quadrageſimæ ieiunium.*
tempore exceptis Dominicis diebus,
nullus prandere præſumat, niſi fortè
ille quem ieiunare infirmitas non per-
mittit: quia alijs diebus ieiunare, aut
B remedium, aut præmium eſt: in quadrageſima non ieiu-
nare peccatum eſt. Alio tempore qui ieiunat accipiet
indulgentiam: in his diebus qui poteſt & non ieiunat,
ſentiet pœnam. Et ipſe tamen qui ieiunare non præ-
ualet, ſecretius ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus cum ip-
ſo, ſibi in domo præparet quod accipiat: & illos qui ie-
iunare præualent, ad prandium non inuitet: quia ſi fe-
cerit, non ſolum Deus, ſed etiam homines poſſunt in-
telligere illum non pro infirmitate non poſſe ieiunare,
ſed quod pro gula ſe abſtinere non præualet: Et magis
cum gemitu & ſuſpirio & animi dolore manducet, pro
eo quod alijs ieiunantibus ille abſtinere non potuit.
Quid prodeſt vnicuique infirmo aliquem ſanum rogare
ad prandium, vt ſibi augeat de alterius gula peccatum?
C Pro eo tamen quod non poteſt ieiunare amplius debet
erogare pauperibus, vt peccata quæ non poteſt ieiu-
nando curare, poſſit eleemoſynas dando redimere. Bo-
num eſt ieiunare fratres, ſed melius eſt eleemoſynam
dare. Si aliquis vtrúmque poteſt, duo ſunt bona. Si ve-
rò non poteſt, melius eſt eleemoſynam dare. Si poſſi-
bilitas non fuerit ieiunandi, eleemoſyna ſufficit ſibi ſi-
ne ieiunio: ieiunium ſine eleemoſyna omnino non ſuf-
ficit. Ergo ſi aliquis non poteſt ieiunare, eleemoſyna ſi-
ne ieiunio bonum eſt. Si verò præualet ieiunium cum *Eleemoſyna melior eſt ieiunio.*
eleemoſyna, duplex bonum eſt. Ieiunium ſine elee-
moſyna nullum bonum eſt: niſi fortè ſi ita ſit aliquis *Cautè lege: fortè intelligit de quo tenetur ex præcepto dare eleemoſynam nullũ eſſe meritum eſt omnino ſine eleemoſyna, vel eſt hyperbole.*
pauper, vt non habeat omnino quod tribuat. Ille
ergo qui non habuerit quod tribuat, ſufficit vo-
D luntas bona: ſecundum illud quod ſcriptum eſt. *Glo-
ria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*
Sed quis erit qui ſe poſſit excuſare, cùm pro calice aquæ
frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit?
Et quare frigidam dixit, ne fortè poſſit aliquis pauper
de lignorum penuria excuſare, aut certè dicere ſe vaſ-
culum vbi aquam calefaceret, non habere. Denique & *Luc. 2.*
per beatum Prophetam fratres chariſſimi, Dominus ita *Matth. 10.*
hortatur & admonet eleemoſynam fieri, vt propterea
nullus pauper ſit qui ſe valeat excuſare. Sic enim ait.
Hoc eſt ieiunium quod elegi, dicit Dominus: Frange
eſurienti panem tuum. Non dixit, vt integrum daret, *Iſa. 58.*
cum fortè pauper ille alium non haberet: ſed frange in-
quit: hoc eſt dicere, etiam ſi tanta tibi paupertas eſt, vt
E non habeas niſi vnum panem, ex ipſo tamen frange, &
pauperi tribue, & egenum inquit, ac ſine tecto induc in
domum tuam. Si aliquis ita pauper eſt, vt non habeat
vnde tribuat cibum, vel in vno angulo domus ſuæ pere-
grino præparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi ſu-
mus fratres? quam excuſationem prætendere poteri-
mus, qui amplas & ſpatioſas domos habentes, vix ali-
quando dignamur excipere peregrinum? Ignoratis im-
mò non creditis quòd in omnibus peregrinis Chriſtus
excipiatur. Sicut ipſe dixit: *Hoſpes fui, ſuſcepiſtis me. Et* *Matth. 25.*
quandiu feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis. Laborio-
ſum & faſtidioſum nobis eſt in pauperibus recipere
Chriſtum in patria noſtra: timeo ne nobis ille vicem
reddat in cœlo, & non nos recipiat in beatitudinem
ſuam: contemnimus illum in mundo: timeo ne nos ite-
rum contemnat in cœlo, ſecundùm illud quod ipſe di-

xit: *Eſurmi, & non dediſti mihi manducare: hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me. Et quandiu non feciſtis vni ex minimis iſtis, nec mihi feciſtis.* Et quid poſthæc ſequitur fratres? auertat Deus à nobis. Hoc enim poſtea addit dicens: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius.* Hæc ergo fratres chariſſimi, non tranſitoriè, nec ſolis corporis auribus audiamus: ſed fideliter attendentes, etiam vt alij teneant & impleant, verbo pariter & exemplo doceamus. Quid ergo poſt hæc dixit Dominus per Prophetam: *Si videris* (inquit) *nudum, operi eum.* Ego in hoc neminem iudico: vnuſquiſque attendat conſcientiam ſuam, me tamen arguo & reprebendo, quia fortè aliquoties euenit, vt per negligentiam, veſtimenticula mea quæ debuerunt accipere pauperes, deuorarentur à tineis: & timeo, ne mihi ipſi panni ad teſtimonium proferantur in die iudicij, ſecundum illud quod Iacobus Apoſtolus terribiliter increpat dicens: Agite nunc diuites, plorate, vlulate in miſerijs quæ aduenient vobis: diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis ſuper terram, & in delicijs enutriſtis corda veſtra in die occiſionis. Hæc omnia fratres chariſſimi, quæ per Apoſtolum comminatus eſt Chriſtus, licet nos nimium terreant, non tamen de Dei miſericordia deſperandum eſt. Adhuc enim ego & ſimiles mei negligentes, cum Dei adiutorio poſſumus nos emendare, ſi volumus, vt eleemoſynas quas huc vſque parcius fecimus, largius erogemus: pro peccatis præteritis cum dolore & gemitu, & cum ſpe reparationis Dei miſericordiam deprecemur. Ergo ſicut ſuprà ſuggeſſimus, fratres chariſſimi, ieiunia noſtra eleemoſynarum pinguedo commendet: quia tale eſt ieiunium ſine eleemoſyna, qualis ſine oleo lucerna. Nam ſicut lucerna quæ ſine oleo accenditur, fumigare poteſt, lucem habere non poteſt: ita ieiunium ſine eleemoſyna carnem quidem cruciat, ſed claritatis lumine animam non illuſtrat. Interim vel quod præſens agitur fratres, ſic ieiunemos, vt prandia noſtra pauperibus erogemus, vt quod pranſuri eramus, non in noſtris ſacculis, ſed in viſceribus pauperum reponamus: quia manus pauperis gazophilacium Chriſti eſt: quicquid accipit, ne in terra pereat, in cœlo reponit. Quia quiuis cibus quem pauper accipit, licet conſumatur: merces tamen boni operis, in cœlo reconditur. Nam ſi prandia noſtra exquiſitis ſaporibus & multiplicatis ferculis expendere ſtudeamus ad cœnam, ſi corpori noſtro deliciæ non ſolum ſubtrahuntur; ſed etiam duplicantur. Ac ſic quomodo corpori nihil minuitur, ſic animæ nihil augetur. Hæc fratres, timens magis quàm de vobis aliquid ſiniſtrum credens admoneo. Scio enim plures ex vobis Deo propitio & peregrinos aſſiduè accipere, & pauperibus frequenter eleemoſynas dare. Et ideò quod ſuggero ad hoc proficiat, vt qui faciebat, amplius faciat: qui verò non faciebat, aut fortè tardius faciebat, tam ſanctam ſibi & Deo placitam operationem in conſuetudinem mittat. Et licet credam quòd Deo inſpirante ſemper ſuperuenientibus feſtiuitatibus caſtitatem antè plures dies etiam cum proprijs vxoribus cuſtodiat charitas veſtra, tamen licet ex ſuperfluo, etiam quod vos facere credo, charitatis contemplatione commoneo, vt per totam quadrageſimam & vſque ad finem Paſchæ caſtitatem (Deo auxiliante) ſeruantes, in illa ſacroſancta ſolennitate Paſchæ, caſtitatis luce veſtiti, eleemoſynis dealbati, orationibus, vigilijs & ieiunijs, velut quibuſdam cœleſtibus & ſpiritualibus margaritis ornati, non ſolùm cum cum amicis ſed etiam cum inimicis pacifici, libera & ſecura conſcientia ad altare Domini accedentes, corpus & ſanguinem eius non ad iudicium, ſed ad remedium poſſitis accipere. Sed cum de eleemoſynis loquimur, non conturbetur anguſta paupertas. Omnia enim compleuit, qui quod potuit, fecit: quia voluntas perfecta faciendi, reputatur pro opere facti. Sed hoc ille implere poterit, qui omnem pauperem quaſi ſeipſum conſiderare voluerit: & ſic pauperi tribuit, quomodo ſi ipſe in tali neceſſitate eſſet, ſibi fieri cupiebat. Hæc qui fecerit, & noui & veteris teſtamenti mandata compleuit. Implens illud quod in Euangelio Dominus dicit: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter: hæc enim lex eſt & Prophetæ.* Ad quam veræ & perfectæ charitatis legem pius vos Dominus ſub ſua protectione perducat, cui eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Iſa. 58.
Iacob. 5.
Ieiunium ſine eleemoſyna eſt lucerna ſine oleo.
Matth. 7.
Luc. 6.

EIUSDEM S. P. N. CÆSARII ARElatenſis Epiſcopi, de Paſchate.

HOMILIA III.

EXVLTA cœlum & lætare terra. Deus iſte amplius ex ſepulchro radiauit, quàm de ſole refulſit. Dolet infernus, quia reſolutus eſt, gaudeat quia viſitatus eſt.

Reſultet quia ignotam lucem poſt ſæcula longa vidit, & in profundæ noctis caligine reſpirauit. O pulchra lux quæ de candido cœli faſtigio promicaſti, & inter fluenta ſulphurea ſedentes in tenebris & vmbra mortis ſubita claritate veſtiſti. Confeſtim igitur æterna nox inferorum Chriſto deſcendente reſplenduit. Siluit ſtridor lugentium ille, ſoluta ſunt onera catbenatum, dirupta ceciderunt vincula damnatorum. Attonitæ mentis obſtupuere tortores. Omnis ſimul impia officina contremuit, cum Chriſtum repente in ſuis ſedibus vidit. Mox igitur ferruginei ianitores deſcendente Chriſto talia inter vmbroſa ſilentia cæci, metu incubante ſubmurmurant: Quiſnam inquiunt, eſt iſte terribilis, & niueo ſplẽdore chorus? Nunquid noſter talem excepit tartarus, nunquid in noſtram cauernam talem euomuit mundus? Inuaſor eſt iſte, non debitor, exfractor eſt, non peccator: iudicem videmus, non ſupplicem: venit iubere, non ſuccumbere: erumpere, non manere. Vbinam putatis ianitores noſtri dormierũt, cum iſte bellator clauſtra noſtra vexabat? Hic ſi reus eſſet, ſuperbus vel audax non eſſet. Si eum aliqua delicta fuſcarent, nunquam fulgore ſuo noſtras tenebras diſſiparet. Sed ſi Deus eſt, quid in ſepulchro facit? Si homo, quid præſumpſit? Si Deus vt quid venit. Si homo, quare captiuos ſoluit? Nunquid nam iſte cum auctore noſtro compoſuit: aut fortè ipſum aggreſſus vicit, & ſic ad noſtra regna tranſiuit? Certè mortuus erat, certè victus erat. Illuſus eſt præliator noſter in mundo, neſciuit quam hic ſtragem procuraret inferno, Crux illa fallens gaudia noſtra, parturiens damna noſtra. Per lignum ditati ſumus, per lignum euertimur. Periit poteſtas illa ſemper populis formidata. Nullus huc viuus intrauit, nemo carnifices terruit. Nunquam hoc in loco fuligine & nigra ſemper caligine cæcato iniucundum lumen apparuit. An fortè ſol de mundo migrauit? Sed nec cœlum nobis aſtráque parent, & tamen infernus lucet. Quid agimus? Quomodo vertimur? Defendere contra iſtum non valemus cruentas domus, & obtinere noſtri auerni cuſtodiam non valemus! Malè turbati ſumus. Lumen obtenebrare nequiuimus, inſuper & de noſtro interitu formidamus.

Chriſti ad inferna deſcenſus.

EIVSDEM

EIVSDEM S. P. NOSTRI CÆSARII *Arelatenſis Epiſcopi, de Paſchate.*

HOMILIA IIII.

MAGNVM & admirabile Paſcha & Baptiſmi ſacramentum iamdudum etiam in veteri teſtamento, vel lege nouimus conſecratum. Celebre à ſeculis eſt, cum beatus Moyſes populũ Domini de Ægypto & de iugo indignæ ſeruitutis educeret: celebre eſt facere plebi tranſitum maris rubri profundum natura rerum obſtupeſcente potuiſſe. Hic primo loco diligentius inſpiciamus, quid talis ſeruitus, vel quid talis tranſitus ædificationis poſſit afferre: quia & beatus Apoſtolus dicens: hæc omnia in figura facta ſunt illis, in cœleſti authoritate cõfirmat illius temporis ſigna atq; miracula ad futuræ redemptionis pertinuiſſe myſteria. Sic enim ait: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſen baptizati ſunt in nube & in mari.* Noſtris ego iam tunc ſub illius populi ducatu noſtris commodis militabat diuina virtus, prædiues in beneficijs, ſed ſemper in promiſſis. Dux quidem erat eis beatus Moyſes, ſed eos in colũna lucis & nubis filius & Spiritus ſanctus præcedebat. Hoc loco agnoſcamus in primis, quod plebs qua præpoſitos ſuos ſtudet audire, Deum ſequetur, & per Deum hominẽ perueniet ad ſalutẽ. Ergo filij Iſraël ad libertatis & quietis & regni ſedem per difficiles itineris vias ducis Moyſi & Sacerdotis ſui non reluctantur imperio, Dei meruere comitatum. Nec immeritò eos hoſtis non attigit: Lux præceſſit, fluctus expauit. Sic Propheta teſtatur. Et increpauit, inquit, mari rubro, & receſſit. Et iterum: Mare vidit & fugit. Quid vidit? Hoc itaq; quod in Baptiſmo credi debet. Sine dubio illud terribile profundum atque ſecretum aſſiſtentis inhorruit maieſtatem, & ad præſentiam ſui ceſſit auctoris. Et ideo filij Iſrael ſecuri vel inter vndas tranſeunt, vel ſub vndis, cum ſuper eos præruptæ vaſtorum gurgitum moles, pendentibus dextra læuáque fluctibus imminerent, cum creatura inſenſibilis elemẽti factorem ſuum ſentiens, tranſmeantibus circumflua præberet viam, & in perſequentes pararet refuſa vindictam. Secundum hæc, ſi & nos vitia & crimina quaſi Ægyptum reliquimus, & currat vnuſquiſque noſtrum intento corde poſt Chriſtum auctorem peccati diabolum Chriſtianus idem Hebrȩus Ægyptum non timebit. Talis eſt enim natura & infirmitas inimici. Te recedente cedit, & per dorſum tuum, ſi legem Domini tanquam Moyſen ſequaris, ingreditur. Ecce hoſtem, quem fugiſſe viciſſe eſt. Iam primùm duriſſima illa Ægypti tyrannica ſeruitus, quid aliud præferebat, quàm diabolum ſuper humanum genus peccatorum exercere dominatum. Quid inquam, aliud erant illa vilia & horrenda in luto & paleis Pharaonis imperia, niſi fœda atque terrena diabolicæ voluptatis officia, & victorum deteſtanda contagia? Siquidem infructuoſa & inania vitæ huius opera paleæ ſunt. Paleæ inquam, nimium flammis amica materia.

Exod. 15.

Sola plebs Deũ ſequitur quæ præpoſitos ſuos ſtudet amare.

Pſalm. 105.

Pſalm. 113.

C

D

Iac. 4.

Quid Ægypti dariſſima.

Inania vitæ opera paleæ.

Sed & hoc ipſum quod Pharao paruulos Hebræorum pueros iubet interfici, & fœminas reſeruari, diaboli vtique ſpeciem præ ſe ferens, inimicus ſpiritui, & amicus carni, inuidens virtuti, conſentiens voluptati: fortitudinem præfocabat, concupiſcen[...]s nutriebat. Hæc itaque ſeruitus, quod peius eſt, non illius tantum temporis fuit: ſed etiam nunc animas negligentium & infidelium multo periculoſius nexibus blanda captiuitatis inuoluit. A quo enim quis vincitur, ſicut & Apoſtolus teſtatur, eius & ſeruus eſt. Iſte obtemperat iniuſtitiæ, ille iræ. Iſte ſuperbiæ, ille ſæuitiæ. Iſte malitiæ, ille iracundiæ. Iſte auaritiæ, ille luxuriæ. Neſcio quomodo ſe inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot Domini in partes ſuas diſtrahunt. Quid prodeſt quod liber eſt in natura, qui ſeruus eſt in conſcientia? Videmus nos extrinſecus generis claritate ſublimes intrinſecus mentis infirmitate degeneres. Innocentum Dominos, & criminum ſeruos. Iam melior eſt vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinaſſe cõditio. Haberis boni famuli veſtram conſolationem, pro libertate complectimini honeſtam ſeruitutem. Intolerabile iugum & fœda dominatio, & erubeſcenda ſubiectio. Aut quid ſpei relinquitur ſeruienti, vbi æterna mors iuncta eſt ſeruituti. Sine cauſa eſt a foris vel genere vel honore conſpicuus, qui non eſt intus ingenuus. Graui damnatione iterantur crimina, poſtquam Chriſti ſanguine ſunt redempta. Inexcuſabile malum eſt poſt mortem redemptoris noſtri Domini ſeruum maculari peccatis. Si fortè chariſſimi hominis cuiuſcumque ſeruus duris Domini ſui vrgeatur imperijs, quocumq; fugiendo aut latitando euadere & declinare iniquum Dominum poteſt. Seruus peccati quo fugiet? Quo ſe trahet? Quocumque fugiat, non fugit ſeipſum. Non eſt quò eat mala conſcientia. Sequitur ſe, imò non recedit à ſe. Vix aliquod deforis poteſt eſſe remedium, quando intus eſt vulnus incluſum. Quid prodeſt quod homo ſonantem fugit arcum, qui iaculum ſecum portat infixum? Serpens ille & ſi reuocauit morſum reliquit venenum. Fecit quiſque peccatum, vt aliquam caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod delectat. Conſummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertranſit. De hac ergo ſeruitute & de his hoſtibus vſque ad baptiſmi littora Dei populum perſequentibus innumera captiuorum millia per ſacri fontis irriguum liberat Chriſto, & cõfringit ſuper aquas caput draconis magni. Ac ſic ille ſæuiſſimus draco proprium venenum in necem ſui refuſum ſenſit exitij: ac dum nocere ſe credit, dum contra Dominum ſuum cæcus impetum facit, dúmque pondus tormenti ſui illidit in ſolida, ictu ſuo repercuſſus, ſortem fuiſſe ſe doluit, & omnem nocendi potentiã ſe amiſiſſe cognouit: qui noxios virulentorum dentium morſus ſacro in corpore reliquit. Et ideo nunc infelices quoſque, quos ſibi aſſenſum facilem accõmodare præuiderit, ad fauces ſuas ſolicitationum carminibus trahit, vt voluntariam prædam inermis expectet. Ac proinde proſtratus Domino humanum genus nõ quaſi furtior impugnat, ſed iniqua conſilia quaſi debilitatus inſibilat. Cuius vos carmina vt poſſitis euadere, de eloquijs Dei vocẽ ſacræ incantationis libẽter audite. Hunc Chriſtus nõ in ſua diuinitate, ſed in noſtra carne ſuperauit, vt etiam à nobis eũ ſuperari poſſe monſtraret. Hunc inquam, per ſanctos ſuos Chriſtus interfecit. Et fortè hic eſt ille ſerpens, quem beati Moyſi virga in ſerpentem verſa, conſumpſit. Quo genere iam tunc euidẽter oſtendit, per virgam idem per Chriſti Domini regiam poteſtatem, conterendum eſſe mortis auctorem. Moyſe itaq; contra maleficos decertante, modo cõuertebatur virga in ſerpentem, modo ſerpens reuertebatur in virgam. Quid eſt hoc? In ſerpente perſonam hominis maledicti qui crucifigendus maledicebatur, agnoſce. In virga ſceptrum regiæ dignitatis intellige. Quid virga in ſerpentem? Idem Deus in hominem mutatus.

A

Quæ vera libertas.

Chriſtianis peccantibus quam infidelibus maior pœna infligetur.

B

Voluptas fugitiua.

Voluntaria dæmonis præda peccatoris hominis libera voluntas.

Exod. 4.

Quid ſerpens in virga? Is homo in Deum receptus. Ac ſic in homine eſt exinanita diuinitas, vt in Deo glorificaretur humanitas. Habemus adhuc in eptatico, ſub ſimplici & pari ſigno ſactæ redemptionis inſignia. Cum in deſerto filij Iſraël abſque vlla miſericordia venenatis ſerpentum morſibus ſternerentur, legitur beatus Moyſes diuino commonitus inſtinctu ſerpentem æreum præfixum ligno inter medias morientium erexiſſe turbas, & mandaſſe pereuntibus, vt poſt exceptos virulentos ictus ad præſentiam ſerpentis pro recipienda ſanitate concurrerent. Quo confugientibos, tam prompta aderat ſalubritas medicandi, quam velox inerat fœlicitas intuendi. Sequebatur certum ſub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in ſerpente myſterium. Si dixerimus hoc in loco quia nomini typum ſpecies refugienda prȩtulerit, non ad ipſum contremiſcat auditum? Sed quis vel cogitare iſtud auderet, niſi ipſe myſterij expoſuiſſet figuram, qui fi-

E

Num. 21.

guræ ipſius ſuſcepit iniuriam? Qui proprio per Euangelium teſtatur oraculo. *Ioh. 3.* A Sicut, inquit, Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet hominis filium. Videamus autem quid ſibi velit contra ſerpentium virus ſerpentis aſpectus. Serpens ab initio maledictus erat. Et qui ſuſpendendus fuiſſet in ligno ſicut & *Deut. 21.* Saluator, maledictionibus replebatur. Iterum enim dicit: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Videmus quid ſerpens contra ſerpentem. Item damnatus contra damnatum, maledictus contra maledictum, ſapientia contra calliditatem, bonitas contra malitiam, acetum & fel contra venenũ, mors contra mortem conſumens dcurantem, & interficiens occidentem. Sic & ipſe Dominus loquitur per Prophetam: *Oſee 13.* O mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne. Sed etiam modo medela, ſi volumus, nobis contra morſum ſerpentis, viſo ſerpente confertur. B Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipſius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confeſſione aboletur. Ac ſi homo quando dixit cum Propheta, *Pſalm. 50.* quoniam iniquitates meas ego agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper, quando bene reſpicit peccatum ſuum, ſanat morſum ſerpentis per ſerpentis aſpectum. Serpens itaque contra ſerpentem, hoc eſt Chriſtus perſequens peccatum ſub habitu peccatoris. Et ideo dixit Apoſtolus: *Rom. 8.* Et de peccato damnauit peccatum in carne. Idem peccatum originale deleuit per carnem ſimilem peccatricem, & de peccato peccatum, id eſt mortem de morte contriuit.

Peccatum originale, peccatum pro effectu.

Rectè peccati nomine mortem appellauit: quia eandem de peccato cõſtat eſſe generatam. Secundum hæc, C nihil eſt aliud procedens de ſerpente ſanitas, quàm latens quaſi ſub peccati carne diuinitas. Quæ cum ita ſint chariſſimi, introſpicientes noſmetipſos, ſi aliquid vulneris ſenſerimus, ſtatim refugientes peccatum, confugiamus ad Chriſtum. Ad illum ſpei noſtræ eleuemus obtuitum: ad illum mentis oculos cõferamus. Cuiuſmodi autem ſit iſte morſus debemus agnoſcere. Qui alienum malum reſpicit, qui in alienam rem anxia cupiditate ſuſpirat, qui alienam mulierem importunis oculis & mortem ad ſe trahentibus conſpicit, qui in alieno corpore ſacrificat diabolo, animam ſuam toxicato ſpiculo in corde percuſſus eſt: hic quam debili morſu, tam exitiabili ſauciatus eſt. Qui malitiam vel inuidiam tanquam vulnus incluſum in viſceribus retinet, amatiſſimo atque mortifero dente laniatus eſt. Qui fide vacuus, & odio D plenus, totus draconis illius deuoratus morſibus. Sed & ſi ita ſit, nullum conuenit deſperare. Legimus in Iona *Ion. 2.* Propheta, quomodo beſtia etiam deuoratum cogatur euomere. Ergo inter diuerſos morſus, reſpiciamus ad Chriſtum, vt ille ad nos reſpiciat. Hic reſpiciamus ad ſanatorem noſtrum, iam illic à peccatoribus niſi fortè in iudicio non videndum. Aut quomodo quis videre poterit auctorem gloriæ, dicturus vale vltimum rerum naturæ? Et ideo qui illum hic agnoſcere voluerit adquiſitus, iam eum illic non poterit videre damnatus. Nunc ergo eum fide & operibus ante conſpectum noſtrum conſtituamus, & ad cœlum oculos ſpe ducente raculeniut. Demonſtrauit in veteri teſtamento Moyſes remedium, poſtquam ſerpens momordiſſet. Chriſtus etiam E iſtud oſtendit, quomodo ſi reſiſtas, mordere non poſſit. Videte nomen Dei veſtri quantum prodeſſe poſſit in gratia, quod tantum profuit in figura. Referuntur ad ſerpentem cum remedio aſpexiſſe redimendi. Quantum ſalubrius erit, ſi ad Chriſtum reſpiciant iam redempti?

DE PASCHA.

HOMILIA V.

HODIERNI diei ſacroſancta ſolennitas, Hebraicè phaſe, Græcè Paſcha, Latinè tranſitus interpretatur. Hoc celebrauerunt Iudæi poſt longum captiuitatis iugum ex Ægypto recedentes. Ecce etiam nunc populum Dei liberatum: ecce iterum phaſe agitur, iterum tranſitus celebratur. Quo- A modo iterum tranſitus celebratur? Idem de ſeruitute ad libertatem, de iniquitate ad iuſtitiam, de culpa ad gratiam, de morte ad vitam per ſalutifera fluenta tranſitur. Potes iterum excelſi brachij antiqua rubri maris exercere miracula. Ingreditur anima vitales vndas, velut rubras Chriſti ſanguine conſecratas. Ingreditur mortiferis plena debitis, paulò poſt felicibus peccatorum ditanda naufragijs. In vno eodémque vndæ ſalutaris elemento, tanquam Ægyptius peccator perit, tanquam Hebræus iuſtitia tota permanſit. Reus diluitur, reatus aboletur. Mira Domini clementia, quæ irreuocabile ſcelus, & infectas criminum maculas, ad infectum reuocat, & peccatorem peccato moriente viuificat. Ecce homo in fonte demergitur, & ſola ſecreto munere *Pſal. 105.* hominis culpa damnatur. Criminoſus tingitur, & B ſolum crimen extinguitur. Quo genere Propheticum illud impletur oraculum: *Et operuit*, inquit, *aqua tribulantes eos, & vnus ex eis non remanſit*. Vnus ex illis id vnicum ac primum illud originale debitum ſacri fontis vnda vacuauit. Illud ſingulare delictum primi parentis interemit.

Originale peccatum baptiſmo deletur.

Oſtendit hoc in loco magnificentia tanti muneris beatam præſentiam Trinitatis. Ecce mala innumera antiquis ac recentibus impreſſa vulneribus, perpetuis gehennæ vix expianda ſupplicijs, terna ſubmerſione purgantur. Vno momento operante velociter Deo, inter aquarum ſinus flammarum pabula conſumuntur. Et ideo B. Apoſtolus dicit: *Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem*. Demerguntur animæ ſacro gurgite, veniunt confinia mortis & vitæ. Et quæ perditioni C obnoxiæ fuerant, illo primæ natiuitatis exortu, ſalutifero renaſcuntur occaſu. Exuuntur fœditate inuiſibilis ſenectutis, & peccatorum deformitate contractæ, induuntur pulchritudine cœleſtis infantiæ. Stupemus interdum ad magnitudinem nouitatis, ſi quando audimus aut legimus Dominum Ieſum Chriſtum ex ſola fœmina ceſſante virilis conſortij ſocietate progenitum. Ecce nunc peregrinantibus naturæ legibus, innumeræ per omnem terrã multitudines de ſolo ſinu fontis tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat Chriſti Eccleſia, quæ ad ſimilitudinem beatæ Mariæ ſancto Spiritu operante ditatur, & mater diuinæ prolis efficitur. Ceſſet ergo infidelium cæcus error aſſerere, quod fœmina quæ ſine viro filium potuit parere, virgo non potuit permanere. Ecce quantos & quantorum fratres ſub vna nocte D nobis edidit fœcunda de ſinu integritatis Eccleſia mater & ſponſa. Mirabaris paulò antè de incorruptione naſcentem hominem: mirare nunc quod non minus nouum eſt, etiam renaſcentem. Conferamus ſi placet has duas matres, & vtriuſque generatio fidem noſtram in alterutra corroborabit. Mariam ſecreto impleuit à lapſu ſancti Spiritus obumbratio, & Eccleſiam in fonte benedictos ſancti Spiritus maritauit infuſio. Maria filium ſine peccato genuit, & Eccleſia in his quos generauit peccata conſumpſit. Per Mariam natum eſt quod in principio erat, per Eccleſiam renatum quod in principio perierat. Illa pluribus generauit, hæc populos. Illa vt nouimus virgo permanens ſemel peperit filium, hæc ſemper parit per virginem ſponſum. Quod ergo puta- E bas à ſæculis ſingulare miraculum, iam munus annuum recognoſce. Si reſurrecturum eſſe redubitas, mirare in te prolem, quam paulò ante noueras mortis hæredem. Vbi ſunt qui dicunt eſſe geneſim vel fatum, per quod in peccatum tranſire pars hominũ violenta neceſſitate cogatur? Vbi ſunt qui dicunt eſſe animas, quæ cum damnatione natæ ad mortem cogente malæ naturæ præfinitione rapiãtur? Iam primum ſi ita eſt, quare malos & humana lex & diuina condẽnat, niſi quia vitium voluntatis in culpa eſt? Iuſtitia enim non punit, quod natura compellit. Sed eſto. Aliquis deputatus fuerit perditioni, præiudicata ſorte naſcendi. Ecce deſcenditur in fontem tanquã in ſepulchrum. Etiam ſi maculata fuiſſet natura, vtique euanuiſſet in nihilum. Accepiſſet deterior origo terminum,

Nullũ fatum nulla neceſſitas.

terminum, quia ſumebat melior vita principium. Hic iam videmus, quomodo nos Deus noſter de manu re- A dimit inimici. Totus homo diluitur, abſoluitur, innouatur. Cùm venerit diabolus iam non agnoſcit ſuum, quem exinanita & expoſita natura in adoptioné Chriſti emancipauit, & in gremium Patris de mali perſuaſoris iure transfudit. Abſtulit ſine dubio renaſcentis gratia libertatis. Nec iam obnoxij eſſe poſſunt primæ origini ſecunda natiuitate nati. Qui mihi nunc quicumque es illæ, ingeris naturale Adæ vinculum, cùm me in Chriſto agnoſcas renatum? Quid mihi inquam peccatum opponis alienum, vbi mihi remitti profiteris & proprium? Quid opponis mihi veteris chirographi debitum, cum illud videas noua cautione vacuatum? Cautionem enim & pactum cum Chriſto in baptiſmo fecimus, vt homo illi ſeruaret innocentiam, & ille homini redderet glo- B riam: famulus ſeruitium offerret, & Dominus regnum pararet. Quid agat inter hæc familiæ perſuaſor alienæ? Videt ſeruos quondam ſuos iniquè à ſe occupatos per agnitionem Chriſti ingenuitati traditos, & ſe cauſæ præiudicio cecidiſſe, & ſe plus perendi incurriſſe diſcrimen. Quomodo plus perendi incurriſſe diſcrimen? Quomodo plus perendi? Si quidem cum ei homo per peccati obedientiam deberetur, ille Deum ſpecie hominis deceptus appetijt, & in ipſum cœli dominatorem parricidales manus inferre præſumpſit. Et ſubito per tantum nefas etiam crimen maieſtatis incurrit: ac ſic hominem quem violentus tenebat, proſcriptus amiſit. Proſcriptus inquam. Nam ſtatim in ipſo homine quem redemptio in eius originem reuocauit, titulos ſuos Chri-

Exod. 12.

ſtus affixit. Hæc eſt illa crux quam in poſtibus regijs ſi- C gnatam in fronte geſtamus, quam iuſtiſſimè in poſſeſſione receptam dominus cardinalis & imperator legitimus impreſſit, vt nos verè dici domus diuina poſſimus.

1.Cor. 3.

Ad hominem enim per Apoſtolum ſuum Deus loquitur. *Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis*: bis de cauſis præpotens & ſuperbus proſcribi meruit: quia iam ſæculo reus vt dictum eſt maieſtatis apparuit. Nam in excelſis factori ſuo carus, tunc diuinitatis conſortium factoris immemor concupiuit, nunc iam in auctorem rerum cruentas manus conſuetudine impietatis extẽdit. Ac ſic prædonis iuſta damnatio gratuita captiui facta eſt manumiſſio. Et ideo nunc genuit, inuidet, circuit, ſi fortè vel furto à nobis poſſit auferre inſtrumen- D tum ipſius manumiſſionis, & adquiſitæ tabulæ libertatis. Totis itaque viribus ſtudet, ſi quomodo valeat hominem indulto nudare priuilegio, & operante peccato velut ingrato præiudicare liberto. Tabulæ autem noſtræ, chariſſimi, fides noſtra eſt, in paginis cordis inſcripta. Libertas noſtra, Dei gratia & conuerſatio noſtra eſt. Libertas inquam, noſtra eſt cultus religionis, iuſtitia operis, puritas caſtitatis. Hanc omni mentis vigilantia contra diabolum vindicemus: quia tanto infeſtior eſt ad expugnandum animæ theſaurum, quanto magis eum nouit eſſe precioſum. Et ideo quia meminit exul cœli quid agatur in cœlo, quanta homini trementi ſermones Dei præparetur remuneratio, zeli indicat magnitudo. Prodit gloriam, dum exercet inuidiam. Et inimicus eſt E beneficijs illius, qui de terra aſſumptum hominem ſecum regnaturum eſſe promittit in cœlo, vt fidelium beatitudo mortalium in confuſionem rebellium tranſeat Angelorum.

DE PASCHA.

HOMILIA VI.

2.Cor. 6.

OPPORTVNE & congruè ſub die inſignis ſolemnitatis hodiernę in vocem exultationis aſſurgimus, & cum Apoſtolo dicimus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hodie interfectis Ægyptijs, de luto ac paleis Dei

Exod. 12.

populus; id eſt de viliſſimis & inaniſſimis operibus li- A beratur. Hodie agnus ille qui tollit peccata mundi in redemptionem humanæ ſalutis offertur, quando poſtes domorum ſanguine illius iubentur inſcribi: id eſt crucis titulo frons noſtra depingi, ne locum Angelus exterminator inueniat. Sub hoc tempore excutitur Pharao cum exercitu in mari rubro. Pereuntibus ſacro in fonte peccatis, tanquam in rubras Ægyptij demerguntur vndas. Rubras id eſt Chriſti ſanguine conſecratas. Sub hoc tempore pro reditu filij iunioris qui perierat, & inuentus eſt pro ſalute gentilium, ſaginatus ille vitulus immolatus eſt. Iunior autem filius nos ſumus, qui ſeniore fratre, id eſt Iudæis tardantibus, intrare nolentibus, ad creatorem noſtrũ reuertimur ſub pœnitudine peccatorum. Euerteramus enim & prodideramus à B Deo Patre ſubſtantiam. Videamus quam ſubſtantiam: id eſt vniuerſæ naturæ bona. Dei enim eſt ſubſtantia, omne quod viuimus, ſapimus, cogitamus, intellectus & ratio ad diſcretionem boni & mali. Dei ſubſtantia eſt etiam libertas arbitrij quam acceperamus, vel ad declinanda blandimenta peccati, vel ad incitandum liberæ voluntatis affectum in auctoris obſequium, vel ad cuſtodiendam imaginem & ſimilitudinem Dei. Has ergo datas nobis & intus inſertas à creatore diuitias, in priuatos tranſtulimus vſus, & conſumpſeramus in exercitia vitiorum derelicto fonte virtutum, peregrè & nimis longè a patre profecti, non locis ab eo & regionibus, ſed cordibus & operibus diſcedentes. Qui enim ſequitur proprias voluptates, & per paſſiones ſuas rapitur, exul à Deo efficitur. Ad quem ſuſcepta peccatorum C agnitione redeuntibus nobis, & quidem redeuntibus non greſſu corporis, ſed mentis affectu, cum immenſa miſericordia, cum ineffabili lætitia & conſolatione obuiam venit inter feſta conuiuij ordinat choros atque ſymphonias: id eſt exultationes cœleſtium gaudiorum, quibus Angeli lætantur in cœlis vno peccatore pœnitentiam agente. Redeuntibus itaque nobis ad emendationem, hoc conuiuium quotidie celebratur.

Luc. 15.

Metaphoricè ſeu parabolicè appellat Dei ſubſtantiam omnia bona quæ à Deo accepimus ſiue ſubſtãtia ſint ſiue accidẽtia, vt alludat ad illud Lucæ 15. Diſſipauit omnem ſubſtantiã ſuam.

Quotidie pater filium recipit. Semper Chriſtus credentibus immolatur. Hic eſt ergo ille vitulus ſaginatus, quem in veteri teſtamento docemur offerre. Vitulus ex bubus, id eſt ex Patriarcharum, ex Prophetarum, ex Abrahæ generatione deſcenderis, maſculus immaculatus. Maſculus, id eſt contra omne peccatum robuſtus ac D validus. Maſculini enim & virilis eſt animi illecebram repudiaſſe peccati. Sicut fœmineæ fragilitatis ignauia eſt vitij ſuſcepiſſe laſciuiam. Vnde & ille typum gerens diaboli Pharao, premens populum Dei, inimicus ſpiritui, amicus carni, fortitudines præfocabat, concupiſcentias inuertebat. Mortuus eſt ergo Chriſtus propter iniquitates noſtras, & ſic ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Hic eſt ille agnus quem in vna domo comedere ex lege præcipimur, ſuccinctis lumbis noſtris. Comedere autem cum pedibus? Quid eſt in vna domo? id eſt in vnitate Eccleſiæ iubemur carnes eius aſſumere. Arriani ergo & diuerſæ hæreticorum peruerſitates, non in vna illum comedunt domo. Quod E ideo, ſicut in diluuio non ſaluatus eſt, niſi qui inter arcam Noë fuit inuentus: ita diuerſæ fidei homines extra Eccleſiæ domum non habentes agnum qui Chriſtus, ſalui eſſe non poſſunt. Quod vero huius agni caput cum pedibus comedere nos debere ſcriptura commemorat, hoc eſt vt Deum & hominem pari confeſſione veneremur. Caput accipiamus de eo quod dicit B. Ioannes, *In principio erat Verbum.* Pedes verò de eo quod Apoſtolus ſcribit: *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo. Et factus ex muliere, factus ſub lege*, oportet ergo vt huius noſtri agni carnibus ſuccinctis lumbis, id eſt mortificatis carnalibus paſſionibus, cum ſumma cordis & corporis puritate veſcamur. Caput cum pedibus, id eſt & ex Deo genitum credamus, & ex homine procreatum.

Leuit. 9. Num. 19.

Exod. 1.

Exod. 12.

Agnus non niſi in Eccleſia comeditur.

1.Ioan. 1.

Philip. 2. Galat. 4.

Quod autem dixi & ex Deo genitum, fortè ſint aliqui de minus eruditis qui dicant in corde ſuo: Quomodo (A) Deus filium genuit? Nihil hic corporeum cogitemus. Quid eſt enim Deus Deum genuit, niſi de igne ignis apparuit, lux de luce proceſſit? Ergo propter aliquos qui tardi ſunt ad intelligendum, aliquam iam ſpeciem vel comparationem de terrenis ac viſibilibus aſſumamus. Verbi gratia, Si lampas accendatur ex lampade, ſi vna illuminatur ex alia, non tibi videtur flamma quodammodo flammam parturiens, ſplendorem de ſplendore genuiſſe? Non tibi videtur inæſtimabili ratiooe natum fuiſſe lumen ex lumine? Quod cum de lampade ad lampadem transferatur, licet duæ lampades ardeant, tamen ille ignis ipſe eſt vtique in ſecunda, qui ſplendebat in prima. Nunquid de nihilo, aut de aliquo nouo inino factus eſt ille ignis? Sed magis de natura (B) ſui ſplendoris effuſus eſt. Ergo illa illuminatio quæ de prima lampade videtur accenſa, non quaſi ex nihilo in ſecunda eſſe cœpit, ſed de cognato ſplendore proceſſit, qui in primi luminis origine iam manebat: & licet in vtraque lampade genuina & duplex micare videatur flamma, vtraque tamen vna ſubſtaotia eſt. Ita & vnigenito Dei filio, ſi ſpecies perſonæ propria eſt, generis tamen natura communis eſt, non de Patre incipiens, ſed ex Patre cum Patre ſubſiſtens. Omnia de nihilo creata ſunt, ille ſolus de Deo Deus. Hic ergo cum in forma Dei eſſet, formam ſerui pro ſalute ſeruorum ſuſcepit & in ligno crucis cum vitæ eſſet lignum appenſus eſt, quaſi ſeipſum penſaret in pretium perditorum. Alapis cæſus eſt, ſpinis coronatus eſt. Quod verò coccinea indutus eſt chlamyde, indumenta Chriſti merita (C) ſanctorum ſunt. Iam tunc itaque martyrum ſanguine in illo cocci colore perfunditur. Quod autem Iudæi purpurea chlamyde indutum flexo adorant genu, vellent, nollent regem illum & Dominum confitentur. Quod autem io cruce dixit ſitio, fidem in ſuis requirebat. Sed quia *in propria venit, & ſui eum recipere noluerunt*, pro ſuauitate fidei ei perfidiam propinauerunt. Porrigitur acetum malitiæ, quia vinum ſapientiæ quod à Chriſtu acceperant, peccandi perdiderant. Potatur acerbitate malorum noſtrorum, daturus dulcedinem bonorum ſuorum. Sed & nunc quotidie quando peccatis contriſtatur, exacerbatur, aceti quodammodo illi potus, & cibus fellis ingeritur. Velum templi ſcinditur. Velum ornamentum tabernaculi eſt. Coruſcante igitur gratia, Eccleſia ædificatur, Synagoga deſtruitur. Veli (D) templum bonore nudatur, remoto per aduentum Chriſti velamine literæ, vt eom Paulo reuelata facie legis interiora pandantur. Reſurgunt laxata ſede tartarea cum Chriſto ſancti, & quem ſuperi non recipiunt, inferi Deum eſſe cognoſcunt; Vnde nos agnoſcentes erga nos diuinorum beneficiorum alta myſteria, reſpondeamus in quo poſſumus miſericordiæ redéptoris. Demus illi compunctionem Dei peccatorum emendatione pro ſpinis ſuis. Offeramus illi cor ſuo timore confixum pro clauis ſuis. Reddamus illi palmam perſeuerantiæ pro alapis ſuis.

Indumenta Chriſti merita ſanctorũ ſunt.

Ioan. 19.
Ioan. 1.

Acetum Chriſto porrigere, eſt peccatis exacerbare.
Matth. 27.
Marc. 15.
2. Cor. 3.

DE PASCHA.

HOMILIA VII.

MAGNITVDO cœleſtiom beneficiorum anguſtias humanæ mentis excedit. Et propterea ita ordinauit diuina prouidentia, vt quod capere in nobis rauo rerum mole victa non poterat, fides deuota conciperet, & intellectum credulitas robuſta nutriret. Cum ergo per primam transgreſſionem Adæ origini & morti obnoxij teneremur, perſpiciens ex alto Deus in quo eſſemus genere debitores vitæ, qualitates captiuitatis reparauit munus redemptionis: id eſt vt pro debita morte offerret indebitam. Et quia nec nos habebamus vnde viueremus, nec ille vnde moreretur, materiã de noſtra mortalitate ſuſcepit, vt ſua (A) immortalitate collocata, mori poſſet vita pro mortuis. Et ideo qui corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat vt nobis in hac die ſacrameotum corporis & ſanguinis coñſecraret, vt coleretur iugiter per myſterium quod ſemel offerebatur in pretium, vt quia quotidiana & indeſeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio: perpetua etiam eſſet redemptioois oblatio, & perennis victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia, nec vnica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori aſpectu. Vnde merito cœleſtis confirmat auctoritas, quia *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui auctor eſt muneris ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis (B) Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbi ſui ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: *Accipite & edite, Hoc eſt corpus meum.* Et ſanctificatione repetita: *Accipite & bibite. Hic eſt ſanguis meus.* Ergo ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum. Pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis verbi præcipit virtus, & rei ſeruit effectus. Quanta itaque celebranda beneficia vis diuina benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impoſſibile eſſe non debeat, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutantur, reipſum qui iam in Chriſto es regeneratus, interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à miſericordia, à ſalutis via intrinſecus exulabas. Subito (C) initiatus Chriſti legibus & ſalutaribus myſterijs innouatus, in corpus Eccleſiæ non videndo, ſed credendo tranſiſti, & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruiſti. In menſura viſibili permanens, maior factus es teipſo, inuiſibiliter ſine quantitatis augmento. Cum ipſe atque idem eſſes, multo aliter fidei proceſſibus extitiſti io exteriore nihil additum eſt, & totum in interiore mutatum eſt. Ac ſic homo Chriſti filius effectus, & Chriſtus in hominis mente formatus eſt. Sicut ergo ſine corporali ſenſu, prætenta vtilitate depoſita, ſubito nouam indutus es dignitatem, & ſicut hoc quod in te Deus læſa curauit, infecta diluit, maculata deterſit, noo oculis ſed ſenſibus tuis ſunt credita, & ita cum reuerendum altare cibis ſatiandus aſcendis, ſactum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice, bo- (D) nore mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiori aſſume. Quod ſi illud legis manna, de quo legitur, pluit illis manna, vt ederent, hoc vnicuique ſapiebat quod deſiderium concupiſceret: aliud erat quod ſumebatur, quod videbatur, inuiſibiliter ſapor ille in ſingulorum ſenſibus formabatur. At vero illud legis manna cœlitus illapſum, per multimodas ſuauitates, naturæ meritum & generis ſui excedebat intuitum. Et cum creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condiret, præbebat guſtus quod ignorabat aſpectus. Iuxta percipientis deſiderium eſcæ illius nouitas & dignitas naſcebatur. Vnumquemq; varijs & alienis ſaporibus reficiebat melliſluum pluuiæ illius donum, & multiplex ſicci imbris obſequium. (E) Quæ cum ita ſint, quod illic auiditas faciebat, hîc fides faciat. Quod ſi in corpore cibus ſapiat, in pectore Deus credulitate proficiat, ſicut legimus; Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operetur in ſenſibus. Ad cognoſcendum & percipiendum ſacrificium veri corporis, ipſe te roboret, & potentia conſectantis inuitet. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, ſit tibi nunc manifeſtatus in gratia. Ipſum autem fuiſſe in mannæ illius ſpecie præſignatum, etiam Propheta euidenter oſtendit, dicens: *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Et quis panis Angelorum eſt niſi Chriſtus, qui eos cibo ſuæ charitatis & lumine ſuæ claritatis exſatiat? hic panis dicente Propheta,

Quare Chriſtus corporis & ſanguinis ſacramentum Eccleſiæ reliquit.

Panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti conuerſio.

Non nouum Euchariſtiæ ſacramẽtum, nec Deo impoſſibile.

In altari Chriſtum ſumimus.
Deut. 8.
Pſal. 77.

Pſal. 63.

Euchariſtia ſacrificium veri corporis Chriſti.
Pſal. 67.

Exod. 16.

Sexta die duplum colliges, Sabbato autem non colliges: dum à primo, id eſt à Dominico in lege tribuitur: & in ſolo A Sabbato denegatur, iam tunc Chriſtus ab Eccleſia, cui Dominicum corpus reſurrectio conſecrauit, recipiendus oſtenditur, & Synagogæ, ad quam cultus Sabbati pertinebat negandus eſſe prædicatur, dum dies iſte, id eſt dies ſeptimus cœleſtis panis fraude mutilatur. De quo pane vetus narrat hiſtoria, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: eo quòd Euchariſtiæ ſacra perceptio non in quantitate, ſed in virtute conſiſtat. Quod corpus Sacerdote diſpenſante tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto. Quod cum Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniuerſis: ita integrum eſſe probatur in ſingulis. De quo ſenſu Apoſtolica ſententia docet, dicens: *qui multa habet, non abundabit: & qui modicum,* 2. Cor. 8. B *non minorabit.* Si fortè eſum panis eſurientibus apponeremus, non ex toto perueniret ad ſingulos, quia particulatim & minutatim portionem ſuam vnuſquiſque præſumeret. De hoc vero pane cum aſſumitur, nihil minus habent ſinguli quàm vniuerſi. Totum vnus, totum duo, totum plures ſine diminutione percipiunt: quia benedictio huius ſacramenti ſcit diſtribui: neſcit diſtributione conſumi. Sacramenti itaque huius formam, etiam in Iudæorum paginis inuenimus expreſſam. Nam de Melchiſedech in Geneſi legimus, & Geneſ. 14. *Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abraha.* Melchiſedech autem fuit Sacerdos Dei ſummi. Dum à præputio, id eſt à gentili, circunciſio futura benedicitur, Eccleſiæ gratia prædicatur, & Synagogæ infideli, plebs ex gentibus adquiſita præponi- C tur. Hic ergo in Melchiſedech, cuius genealogia vel origo notitiam illius temporis, latuit oblatione panis & vini hoc Chriſti ſacrificium præſignauit. De quo Pſal. 109. Propheta pronunciat: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Nam & beatus Moyſes de eo myſterio loquens, vinum & ſanguinem ſub vna appellatione ſignificat in benedictionem Patriarchæ, Dominicam Paſſionem multo antè demonſtrans, ita inquiens, Geneſ. 49. *lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Aduerte quàm euidenter conſtat vini creaturam Chriſti ſanguine nuncupatam. Quid adhuc de hac duplici ſpecie inquirere debeas, ipſo Domino atteſtante, Ioh. 6. cognoſce. *Niſi inquit manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod D teſtimonium contra Pelagij blaſphemias euidentiſſimum atque validiſſimum eſt, qui aſſerere arrepta impietate præſumit, non propter vitam, ſed propter regnum cœlorum baptiſmum paruulis conferendum. Sub his enim Domini verbis, quibus Euangeliſta pronunciat, *non habebitis vitam in vobis*, apertè intelligenda eſt omnis anima munere baptiſmi vacua, non ſolum Baptiſmi neceſſitas. gloria carere, ſed vita. Hoc itaque Dominici ſanguinis vinum aqua eſſe miſcendum non ſolum traditione Dominus, ſed etiam ipſo genere paſſionis oſtendit, ex cuius ſacro latere ſanguis & aqua lanceæ illiſione profluxit: ſicut & Propheta multo ante præcinit, dicens: Pſal. 77. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ.* Et Apoſtolus: *bibebant de ſpiritali conſequente eos petra. petra autem erat Chriſtus.* 1. Cor. 10. Bibebant autem inquit, de conſequenti eos petra. Vi- E Prou. 9. des quòd qui de Chriſti gratia biberit, ſequitur eum Chriſti miſericordia. Sed in Salomone de ipſo Domino prædictum legimus: *ſapientia inquit, ædificauit ſibi domum:* id eſt corpus hominis aſſumpſit, in quo habitauit plenitudo diuinitatis. Et ſubdidit columnas ſeptem. Quia illum benedictio Spiritus ſancti gratiæ ſeptiformis impleuit. *Mactauit hoſtias ſuas, miſcuit in cratera vinum ſuum, & parauit menſam ſuam.* Et in ſequenti: *Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Admixtum ergo aqua vinum legimus, nunc cauſam quare vtrumq; Dominus miſceri voluerit, inquira- Ioan. 2. mus. Quando in Iudæorum conuiuio nuptiale vinum, id eſt fides in eis deficiebat: vinum inquit, deficiebat, A quia vinea fructum negabat. De qua dicitur: *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem ſpinas.* Vnde & ſertum ſpineum Eſai. 5. capiti redemptoris impoſuit, quando Dominus nuptiali tempore, id eſt quando ſponſus Eccleſiæ ſuæ Paſchali exultatione iungendus aquas in vina conuertit: manifeſtè præfigurabat multitudines gentium de ſanguine ſui gratia eſſe venturas. Per aquas enim populos ſignificari ſacris aperitur eloquijs, ſicut legimus, *Aquas* Apoc. 17. *iſtas quas vidiſti, populi ſunt, & gens & linguæ.* Aduertimus in aquis figuram gentium demonſtrari, in vino autem ſanguinem Dominicæ Paſſionis oſtendi: ac ſic dum in ſacramentis vino aqua miſcetur, Chriſto fidelis populus incorporatur & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur, vt poſſit dicere cum Apoſtolo, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio an an-* Rom. 8. B *guſtia, an fames, an perſecutio?* & reliqua. Deus autem homini ſuſcepta ſanctificatione miſcetur, quando fides in ipſo pectore affectu iuſtitiæ, miſericordiæ, pietatis infunditur. Etiam in hoc ipſo quod innumeroſis tritici generis † confici nouimus, vnitatem conſtat aſſignari † fortaſſi granis. populorum. Sic enim frumentum ſolita purgantis ſollicitudine præparatum in candidam ſpeciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis ſubſtantiam congregatur. Sic variæ gentes, diuerſæque nationes in vnam fidem conuenientes, vnum de ſe Chriſti corpus efficiunt, & Chriſtianus populus, quaſi tritici innumerabilia grana à ſacrilegis nationibus fide purgante atque cribrante diſcernitur, & in vnum quaſi infidelium lolio pertranſeunte colligitur, & duorum C teſtamentorum inſtructionem velut veſtimentum gemino molarum opere curatum niteſcit, & illam primæ originis dignitatem natiui candore mutatur, ac per aquam baptiſmi, vel per ignem Spiritus ſancti æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo genera † ſeparari ab illius confecti panis adunatione non poſſunt, & † grana. ſicut aqua ad propriam redire ſubſtantiam in vino permixta non poteſt: ſic & fideles quique atque ſapientes, qui redemptos ſe Chriſti ſanguine & paſſione cognoſcunt, ita debent quaſi inſeparabilia membra capiti ſuo conſeruatione & ardentiſſima religione ſociari, vt ab eo non voluntate, non neceſſitate ſeiungi, non vlla terrenæ rei ambitione, non denique ipſa poſſint morte diuidi. Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu Tranſmutare naturã Deus poteſt. D potentiæ, præſentia maieſtatis, in Dominici corporis tranſire poſſe naturam, cum ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba Baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his vero commemoratis mox exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione ſancti nominis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti corpus & ſanguis Chriſti.

Quid autem mirum eſt, ſi ea quæ verbo potuit creare, poſſit verbo creata conuertere? Imò iam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ea nihilo agnoſcitur condidiſſe, iam conditum in melius mutare valeat. Re- E quire quid ei poſſit eſſe difficile, cui facile fuit viſibilia & inuiſibilia voluntatis imperio ſuſcitare, cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imagine ſuæ diuinitatis induere: cui promptum eſt, eum rurſum reuocare de inferis, reſtituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cœlum leuare, de homine Angelum facere, corpus humanum conforme corpori claritatis ſuæ reddere, & figmentum ſuum in regni ſui conſortio ſublimare, vt qui corpus noſtræ fragilitatis aſſumpſerit, nos in corpus ſuæ immortalitatis aſſumat. Ad quam glorioſam reſurrectionem pijs nos operibus parare dignetur, qui regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

EIVSDEM S. P. N. CÆSARII ARELAtenſis Epiſcopi, ex his Apoſtoli verbis: Cuius opus manſerit, mercedem accipiet; ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur. 1. Corinth. 4.

HOMILIA VIII.

IN lectione Apoſtolica, quæ nobis paulò antè recitata eſt, Fratres chariſſimi, audiuimus Apoſtolum dicentem: *Quia fundamentum aliud nemo ponere poteſt, † præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentũ, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſi autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

† al. præter id quod poſ. 1. Cor. 3.

Multi ſunt qui lectionem iſtam malè intelligentes, falſa ſecuritate decipiuntur, dum credunt quòd cùm ſupra fundamentum Chriſti crimina capitalia ędificant, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſſunt purgari, & ipſi poſtea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iſte, fratres chariſſimi, corrigendus eſt, quia ipſi ſe seducunt, qui ſibi blandiuntur. Illo enim tranſitorio igne de quo dixit Apoſtolus: *ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem:* non capitalia, ſed minuta peccata purgantur. Et quamuis, quod peius eſt, non ſolùm maiora, ſed etiam & minuta, ſi nimium plura ſint mergunt; de ipſis tamen maioribus ſiue minoribus peccatis, etſi non omnia, vel aliqua commemoranda ſunt, ne ſe aliquis excuſare conetur & dicat: neſcire ſe quæ ſint minuta peccata, quæ autem criminalia & capitalia. Et quamuis Apoſtolus capitalia plura cõmemorauerit: nos tamen ne deſperationem facere videamur, breuiter dicemus quæ illa ſint: ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ſuperbia, inuidia, auaritia, & ſi longo tempore teneatur iracundia: ebrietas, ſi aſſidua ſit: & detractio in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de iſtis peccatis in ſe dominari cognouerit, niſi dignè (ſi habuerit ſpatiũ) longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemoſynas erogauerit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illa flamma ſine vllo remedio cruciabitur. Quæ autem ſint minuta peccata, licet omnibus nota ſint, tamen quia longum eſt, vt omnia replicentur, opus eſt, vt ex eis vel aliqua nominemus. Quotiens aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quàm neceſſe eſt, ad minuta peccata nouerit, pertinere. Quotiens plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quam expedit. Quotiens pauperem importunè petentem exaſperat. Quotiens cùm ſit corpore ſanus, alijs ieiunãtibus prandere voluerit, & ſomno deditus tardus ad Eccleſiam ſurgit. Quotiens excepto deſiderio filiorũ, vxorem ſuam † agnouerit. Quotiens in carcere poſitos tardius requiſierit, infirmos tardius viſitauerit. Si diſcordes ad concordiam reuocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut vxorem aut filium, aut ſeruum exaſperauerit quàm oportet: vel ſi amplius fuerit blanditus quàm expedit. Si cuiquam maiori perſonæ aut ex voluntare, aut ex neceſſitate adulari voluerit. Si pauperibus eſurientibus nimium delicioſa vel ſumptuoſa ſibi conuiuia præparauerit. Si ſe aut in Eccleſia, aut extra Eccleſiam fabulis otioſis (de quibus in die iudicij ratio reddenda eſt) occupauerit. Si, dum incautè iuramus, & cum hoc per aliquam neceſſitatem implere non poterimus, vtique periuramus, & cum omni facilitate vel temeritate maledicimus: cùm ſcriptum ſit: *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* Et cùm temerè aliquid ſuſpicamur, quod tamen plerumque non ita (vt credimus) comprobatur, ſine vlla dubitatione delinquimus. Hæc enim & his ſimilia ad minuta peccata pertinere non dubium eſt, quæ (ſicut iam dixi) enumerari vix poſſint, & à quibus non ſolùm omnis populus Chriſtianus, ſed etiã nullus ſanctorum immunis eſſe potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis, licet occidi animam non credamus: tamen ita eam velut quibuſdam puſtulis & quaſi horrenda ſcabie repente deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius cœleſtis ſponſi, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant. De quo ſcriptum eſt: *Aptauit ſibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam.* Et ideo continuis orationibus, & frequentibus ieiunijs, & largioribus eleemoſynis, & per indulgentiam eorum qui in nobis peccant, aſſiduè redimantur, ne fortè ſimul collecta, cumulum faciant & demergant. Quicquid enim de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo Apoſtolus dixit: *Quia in igne reuelabitur, & cuius opus arſerit, detrimentum patietur.* Aut enim dum in hoc ſæculo viuimus, ipſi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certè volente, aut permittente Deo, multis tribulationibus pro iſtis peccatis affligimur: & ſi Deo gratias agimus, liberamur. Quod ita fit, ſi quotiens maritus aut vxor aut filius moritur, vel ſubſtantia nobis quam pluſquàm oportet, amamus, aufertur: licet plus Chriſtum quàm ipſam ſubſtantiam diligamus, & ſi neceſſitas fuerit, malumus ipſam ſubſtantiam perdere, quam Chriſtum negare: tamen quia (ſicut iam dixi) ſi plus eam quàm debemus, diligimus, amittere eam, aut dum viuimus, aut dum morimur ſine grandi dolore non poſſumus, & tamen ſi Deo, qui illa auferre, velut pius pater permittit, tanquam boni filij gratias agimus, & minus nos pati quàm meremur, cum vera humilitate perferimus: ita peccata ipſa in hoc ſæculo purgantur, vt in futuro ignis ille purgatorius, aut non inueniat, aut parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus ipſa peccata redimimus: tamdiu in illo purgatorio moras habebimus, quamdiu ſupradicta minuta peccata, tanquam ligna & fœnum & ſtipula conſumãtur. Sed dicit aliquis, non ad me pertinet quamdiu moras habeam, tantum vt ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat fratres chariſſimi, quia ille ipſe purgatorius ignis durior erit, quam quicquid poteſt pœnarũ in hoc ſæculo, aut cogitari, aut videri, aut ſentiri. Et cùm de die iudicij ſcriptum ſit, quòd erit dies vnus, tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus; vnde ſcit vnuſquiſque vtrum diebus aut menſibus, an fortè etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus? Et qui modò vnum digitum ſuum in ignem mittere timet, quare non timeat, ne neceſſe ſit tunc non paruo tempore cum anima & corpore cruciari? Et ideo totis viribus vnuſquiſque laboret, vt & capitalia crimina poſſit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt aut parum ex ipſis, aut nihil videatur remanere, quod ignis ille poſſit abſumere. Illi enim qui capitalia peccata committunt, ſi ea (dum viuunt) emendare pœnitentiæ lamento & medicamento noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apoſtolus: Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, ſicut iam dictum eſt, venire non poterunt, † ſed magnam illam duram & irreuocabilem ſententiam audituri ſunt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Et ideo qui & ab iſta perpetua pœna, & ab illa purgatoria deſiderant liberari, capitalia crimina non admittant: aut ſi iam commiſerunt, fructuoſam pœnitentiam agant, & illa parua vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non deſiſtant. Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis inſinuare deſidero. Quotiens infirmos viſitamus, in carcere poſitos requirimus, diſcordes ad concordiam reuocamus, indicto in Eccleſia ieiunio ieiunamus, hoſpitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius conuenimus, eleemoſynam ante oſtium prætereuntibus pauperibus damus: inimicis noſtris quotiens petierint indulgemus: iſtis operibus, & his ſimilibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt

Purgatorium. Venalia peccata.

Quæ ſint peccata mortalia.

† forte cognouerit.

1. Cor. 6.

Nullus à peccatis venialibus immunis.

Epheſ. 5.

Purgatorij pœna qualis.

† al. per pœnitentiæ medicamenta.

† al. ſed magis illam.

Matth. 25.

Quibus operibus peccata venialia redimantur.

dæ ſunt lachrymæ, & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore procraſta ieiunia, largiores eleemoſynæ, A etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus erogandæ, vltro nos ipſos à communione Eccleſiæ remouentes, in luctu & triſtitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes: quia iuſtum eſt, vt qui cum multorũ deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat. Ad extremum non eſt impoſſibile vel graue quod ſuggero, vel ſic lugeamus extinctam animam noſtram, quomodo alienam carnem mortuam plangimus, ſi aut vxor aut filius aut maritus mortui fuerint, in terra ſe collidunt homines, capillos trahendo, & tundendo pectora, in luctu, in abſtinentia, in lachrymis non paruo tempore perſeuerant. Rogo vos fratres, exhibeamus noſtræ animæ, quod illi exhibent alienæ carni. Et hoc videte fratres, quàm malum ſit vt quæramus quod non poſſumus quod & non quæramus, poſſu- B mus: carnem quam non poſſumus ſuſcitare, plangimus, & mortuam animam non plangimus, quam poſſumus ad ſtatum priſtinum reuocare. Sed quod nobis peius eſt, corpus mortuũ plangimus, quod amamus: animam verò mortuam † quam non amamus, nec dolemus nec plangimus. Et ideo mutua vice incipiamus plus Dominum amare, quàm ſeruum, id eſt, plus factorem corporis quàm corpus: plus dominam quàm ancillam, id eſt, plus animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam: vt cùm die vltimo caro noſtra putreſcere cœperit in ſepulchro, anima noſtra in Abrahæ gremio, Angelorum manibus eleuetur: & in die iudicij, recepto corpore per Reſurrectionem audire mereamur: *Euge ſerue bone, intra in gaudium Domini tui.* Et vt C hæc quæ ſuprà diximus, cordibus veſtris tenacius valeát inhærere, & ipſa Apoſtolica lectio plenius poſſit intelligi, breuiter charitati veſtræ volo repetere. Omnes ſancti qui Deo fideliter ſeruiunt, lectioni & orationi vacare, & in bonis operibus perſeuerare contendunt, nec capitalia crimina nec minuta peccata admittant, id eſt, lignum, fœnum & ſtipulam ſupra fundamentum Chriſti: ſed bona opera, hoc eſt aurum, argentum, lapides precinſos ſupetædificantes, per ignem illum, de quo Apoſtolus ait, quia in igne reuelabitur, abſque vlla violentia tranſibunt. Illi verò qui quamuis capitalia crimina non admittant, & ad perpetranda minuta peccata ſint faciles, ad vitam æternam pro eo quod in Chriſtum crediderunt, & capitalia crimina non admiſerunt, ven- D turi ſunt: ſed prius aut in ſæculo per Dei iuſtitiam vel miſericordiam (ſicut iam dictum eſt) amariſſimis tribulatinnibus excoquendis: aut illi ipſi per multas eleemoſynas, & dum inimicis clementer indulgent, per Dei miſericordiam liberandi: aut certè illo igne, de quo dixit Apoſtolus, longo tempore cruciandi ſunt, vt ad vitam æternam ſine macula & ruga perueniant. Illi verò qui aut homicidum, aut ſacrilegium, aut adulterium, vel reliqua his ſimilia commiſerunt, ſicut iam dictum eſt: ſi eis digna pœnitentia non ſubuenerit, non per purgatorium ignem tranſire merebuntur ad vitam, ſed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem. Et ideò quotiens in lectione Apoſtolica audieritis. *Si quis ſupra fundamentum Chriſti ſuperædificat aurum, argentum, lapides* E *pretioſos:* de ſanctis hoc & perfectis Chriſtianis accipite, qui velut aurum purgatum merebuntur ad æterna præmia peruenire. Illi verò qui ſuperædificát ligna, fœnum & ſtipulam, de bonis Chriſtianis, ſed tamen ad minuta peccata purganda negligentibus (vt ſæpe dictum eſt) intelligite. Quæ peccata ſi nec diuina iuſtitia multis tribulationibus purgauerit, nec vnuſquiſque eleemoſynarum largitate redemerit, non ſine grandi dolore in illis implebitur, quod dixit Apoſtolus: *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Nemo tamen (ſicut iam ſupradictum eſt) ſeipſum circumueniat, vt hoc etiam pro capitalibus criminibus ſi incurata remanſerint, poſſe fieri, credat. Et ideo, ſicut iam ſæpe dixi, quantum poſſimus, cum Dei

Quod faciendo vt peccata mortalia deleantur.

† al. quia.

Matth. 25.

1. Cor. 3.

adiutorio laboremus, vt & maiora peccata poſſimus euadere, & minuta, ſine quibus eſſe non poſſumus, iugiter, amore inimicorum, eleemoſynarum largitate redimere præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE ELEEMOSYNA.

Homilia IX.

PIVS & miſericors Dominus, Fratres chariſſimi, multis modis occaſiones vel opportunitates prouidere dignatur, quibus poſſumus ſine grandi labore ac difficultate, peccata noſtra redimere. Nam quis videt pro peccatis ſuis, ad ieiunandum virtutem non habere, & à carne vel à vino abſtinere non poſſe, vendere etiam ſubſtantiam ſuam & pauperibus erogare, pauperum inopiam prouidet, & abundantiores fructus tribuit: vt dum ſuperflua ſua pauperibus largiuntur, peccatorum ipſi indulgentiam conſequantur: Quid tam pium ac delegatum? quid tam facile & in promptu potitum poteſt eſſe, fratres chariſſimi, quam de hoc, quod amplius quàm opus eſt, tibi Deus dignatus fuerit dare, eleemoſynam dando ſtudeas peccata tua redimere? Non hoc iubet Deus, vt ea quæ tibi, vel tuis neceſſaria ſunt, debeas erogare. De quibus etiam Apoſtolus dicit: *Non vt alijs ſit refrigerium, vobis autem tribulatio.* Superflua tua non ille ſibi indiget expendere, ſed tibi vult in æterna beatitudine conſeruare. Nam & pauperes ideo eſſe voluit, & diuites haberent quomodo peccata ſua redimerent. Potuit enim Deus omnipotens homines diuites facere: ſed diuitibus voluit locum miſericordiæ prouidere. Non enim ſuo merito pauci diuites plus colligunt quàm illis opus eſt: & multi pauperes non colligunt nec quod illis neceſſarium eſt. Hoc enim, ſicut iam dixi, diuinæ miſericordiæ artificium eſt, vt dum pauperes patienter egeſtatem tolerant, indulgentiam peccatorum accipiant: ſimiliter & diuites dum ſuperflua miſericorditer erogant, & à peccatis ſe redimant, & ad præmia æterna perueniant. Cõſiderate fratres chariſſimi, & videte, quia nulla excuſatio nobis poteſt remanere, per quam dicamus peccata noſtra non potuiſſe redimere. Potes forſitan dicere, quod carnem tuam ieiunijs ac vigilijs non poſſis affligere, à vino vel à carnibus nõ valeas abſtinere: nunquid potes dicere, quòd ea quæ tibi, ampliùs quàm opus erat, Deus dedit, nõ poſſis pro peccatis tuis pauperibus erogare? Sed tu fortè reſpondes & dicis: Ex eo quòd mihi Deus amplius dederit quàm opus ſit: volo filijs & filiabus meis argentum emere, ornamenta pretioſiſſima comparare. Cui ego reſpondeo: Ornamenta quidem emis, ſed peccata non redimis. Et quia non ſolùm decimæ non ſunt noſtræ, ſed Eccleſiæ deputatæ: verùm quicquid amplius, quam nobis opus eſt, à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum eſt, noſtris cupiditatibus vel vanitatibus reſeruamus, quanti pauperes in locis, vbi nos ſumus, fame vel nuditate mortui fuerint, nouerimus nos rationem de animabus illorum in die iudicij reddituros. Eſt adhuc aliud genus eleemoſynarum, de quo poſſumus ſine vllo labore peccata redimere noſtra. Si enim aliquis ita ſit pauper, vt nec aurum habeat, nec frumentũ; nec vinum, vel oleum, vnde corporalem eleemoſynam faciat: quia non poteſt fieri, vt ab aliquibus hominibus non patiatur iniuriam, toto corde omnibus inimicis indulgeat, & nullum peccatum remaneat, quod eius conſcientiam mordeat, & ſecurus in oratione Dominica dicat. *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et implebitur in eo illud, quod Chriſtus in Euangelio promittere dignatus eſt dicens: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra.* Et illud: *Date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis.*

1. Cor. 8.

Pauperes voluit eſſe Deus, vt diuitum peccata expientur.

Qui ieiunare non poteſt, det eleemoſynã.

Decimæ non ſunt noſtræ, ſed Eccleſiæ.

Matth. 6

Videte fratres chariſſimi, quia ſicut & illa alia, de qua prius diximus, ita & in hac eleemoſyna nullus poteſt A inuenire, vnde ſe valeat excuſare, nec aliquam rationem dare poterit, quod eam implere non poſſit. Iſta enim eleemoſyna per quam in nobis peccantibus veniam damus, non de cellario, non de horreo, vel de ſacello, ſed de cordis theſauro profertur, de quo ipſe Dominus Matth.12. dixit: *Bonus homo, de bono theſauro cordis profert bona.* De illis ergo quæ ſupra diximus, id eſt auro, argento, frumento, vino, & oleo, multi ſe poſſunt pauperes excuſare. Illam verò eleemoſynam, quæ de corde profertur, qua fronte aut qua conſcientia vllus homo ſe dicturus eſt habere non poſſe? Et ideò quia non habemus, vnde nos excuſare poſſimus, cui Deus amplius dederit, quàm illi opus eſt, de ſuperfluis redimere peccata ſua feſtinet. Ille vero qui captiuos redimere, & pauperes paſcere vel B veſtire non præualet, contra nullum hominem odium in corde reſeruet, & inimicis ſuis non ſolum malum pro malo non reddat, ſed etiam diligat, & pro eis orare non deſinat, certus de promiſſione, vel de miſericordia Domini ſui libera conſcientia ante tribunal Chriſti dicere poterit: Da Domine quia dedi, dimitte quia dimiſi. Ea tamen conditione, vt poſteaquàm talibus eleemoſynis cœperit peccata ſua redimere, quia nunquam illi deerunt minuta peccata quæ quotidie redimat, crimina capitalia non admittat propter illud quod ſcriptum eſt: Eccleſ.34. Prou.26. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum contigit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Et illud: *Sicut odibilis fit canis quando reuertitur ad vomitum ſuum, ita peccator quando reuertitur ad peccatum ſuum.* Sed dum iſta duo genera eleemoſynarum C inſinuare videmur, fortè dicet aliquis. Ecce ego nec terrenam ſubſtantiam habeo, quam pauperibus poſſim erogare: nec ab aliquo iniuriam patior, cui indulgentiam dando poſſim peccata mea redimere. Quid facturus ſum, qui nec iſta habeo, nec ieiunare à vino, vel à carnibus valeo abſtinere. Qui cum iſta dicit, poteram ei reſpondere, falſum eſſe quod conatur aſſerere: quia nullus homo in hoc mundo inuenitur, qui nunquam ab alijs iniuriam patiatur: tamen acquieſcamus, ita eſſe vt aſſerit: ſic tamen acquieſcamus, vt ei demonſtremus eſſe adhuc tertium eleemoſynarum genus, quod ita omnes excuſationes poſſit excludere; vt nullus vnquam inueniat quod ei poſſit opponere. Ecce dixiſti te nec abundanter frumenta colligere, vnde D victum aut veſtitum poſſis pauperibus dare, nec iniuriam ſuſtinere, quas inimicis debeas indulgere: & ideo dubitas quòd non habeas vnde poſſis peccata tua redimere. Accipe ergo, & fideliter tene præclarum ac præcipuum tertium genus eleemoſynarum. Sit vitæ bona voluntas: omnes homines dilige ſicut teipſum: pro Tertium eleemoſynæ genus bona volūtas. omnibus ora: & hoc illis deſidera quod & tibi: & clamatur tibi ab Angelis: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et 1.Petr.4. quia bona voluntas, ipſa eſt charitas: ſi illam habere volueris, impletur in te quod ſcriptum eſt: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Agnoſce ergo quia ſublata eſt omnis excuſatio peccatorum vel contradictio tua. Non enim poteris dicere, quòd bonam voluntatem habere non poſſis quia poteſt fieri quod non velis: nunquam E tamen probare poteris quod non poſſis. Et ideo beneficia & tam præclara medicamenta Domini & Saluatoris noſtri non negligenter, ſed fideliter accipere, & cuſtodire cum ipſius adiutorio laboremus: vt non ſolùm indulgentiam peccatorum accipere, ſed etiam ad æterna mereamur præmia peruenire. De illis duabus eleemoſynis quæ ſecundò vel tertiò poſitæ ſunt, eſt vnum vt in nobis peccantibus dimittamus, vt pro inimicis noſtris oremus, vt eos toto corde diligamus, & vt per bonam voluntatem & veram charitatem quæ operit multitudinem peccatorum, in nobis Deo propitio fieri laboremus. Ita aperta eſt ipſa admonitio, vt expoſitore omnino non egeat. Illam verò eleemoſynam, quam primo loco poſuimus, per quam ex eo quod nobis Deus amplius dat quàm opus eſt, peccata redimere & præmia æterna nobis poſſumus Deo inſpirante præparare; conſilium meum ſi vultis audire, cum gaudio illam & cum lætitia, poteritis Deo auxiliante perficere. Quotiens aut meſſes aut vindemias colligitis, & veſtras & omnium qui ad vos pertinent, computate expenſas: ſimul enim & illud quod in fiſco daturi eſtis, & id quod vobis ſupereſſe cognoſcitis: quia non vobis propriè datum eſt, ſed (ſicut iam dictum eſt) diſpenſandum per vos pauperibus tranſmiſſum eſt: aut totum, aut quantum Deus cordi veſtro inſpirauerit, ſequeſtrate: & ſic ſit apud vos quomodo ſi hoc iam in manu Dei obtuleritis. Hoc ſi (ſecundum quod credimus) fideliter facere volueritis, venientibus captiuis & pauperibus non ſolùm non exaſperatur aut contriſtatur animus veſter, ſed etiam lætificatur & gaudet: dum ea quæ pro amore Dei neceſſitatibus pauperum deputaſtis, cum ſummo deſiderio expendere feſtinatis, & impletur in nobis illud quod ſcriptum eſt. *Hilarem datorem diligit* 2. Cor. 9. *Deus.* Et illud: *Qui dat pauperibus, nunquam egebit.* Et illud: Eccleſ. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Luc. 11. Et quod in Euangelio ipſe Dominus dixit, *Verumtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

EIVSDEM ADMONITIO PER QVAM docemur, vt cogitationes turpes debeamus fugere, & quæ ſanctæ ſunt Dei adiutorio in corde ſeruare.

HOMILIA X.

IN ſcripturis ſanctis, fratres chariſſimi, legimus, quia eos qui de animæ ſuæ ſalute ſoliciti ſunt, cogitatio ſancta cuſtodiet. Sic enim ait ſermo diuinus: *Cogitatio ſancta cuſtodiet te.* Si cogitatio ſancta cuſtodit; illa quæ non eſt ſancta non ſolum non cuſtodit, ſed etiam perdit. Sed dicet fortè aliquis: Et quis eſt qui poſſit ſemper de Deo & æterna beatitudine cogitare, cùm omnibus hominibus neceſſe ſit de victu & veſtitu & domus ſuæ ordinationis ſuæ ſolicitudinem gerere? Nec Deus hoc iubet, vt ſolicitudo de præſenti vita eſſe non debeat, præcipiens per Apoſtolum ſuum: *Qui non operatur, non* 1.Cor. 4. *manducet.* Et illud quod de ſeipſo idem Apoſtolus dicit: *Nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus.* Iſti enim cogitationi per quam de victu & veſtitu rationabiliter cogitatur, quia hoc ſpecialiter Deus præcepit: ſi auaritia, & cupiditas, quæ luxuriæ ſeruire ſolent, victæ non fuerint, quicquid agitur, quicquid cogitatur, ſanctum eſſe iuſtiſſimè creditur; Tantum eſt, vt non ſint ita nimiæ ipſæ occupationes, vt nos Deo vacare non ſinant, propter illud quod ſcriptum eſt: *Impedimenta mundi fecerunt eos miſeros.* Et quia neceſſitas corporis paruis rebus expletur, & cupiditas nullis vnquam, etiam ſi totum mundum adquirat, ſatiatur: reſpuamus cogitationes impias, quę de venenoſa cupiditatis radice naſcũtur, & illas tantummodo diligamus, quibus ad æternũ præmiũ peruenitur: vt impleatur in nobis illud quod prius dictũ eſt: *Cogitatio ſancta cuſtodiet te.* Et quia duo genera Duo ſunt genera cogitationum. cogitationum bonarum & malarum cordibus noſtris ſe iugiter conãtur ingerere, cum Dei adiutorio toto corde & toto animo, illas quæ ſanctæ ſunt, feſtinemus recipere, vt libidinoſas aut improbas poſſimus excludere. Sed fortè dicet aliquis, ita fecere malæ conſuetudines & turpes cogitationes in corde meo, vt eas à me nulla poſſim ratione repellere. Omnibus enim notum eſt, Amor amore vincitur. quia amor amore vincitur. Incipiamus bonas cogitationes diligere, & ſtatim nos ab illis, quæ malæ ſunt, Dominus dignabitur liberare. Locum quem in corde libidinoſa & ſordida cogitatio tenebat, caſtitas occupet: Quomodo vitari poſſunt malæ cogitationes. quem auaritia vaſtabat, miſericordia reparet: quem

ſuperbia

ſuperbia deſtruebat, humilitas reædificet: quem malitia
vel inuidia tanquam vipereo veneno percuſſerat, chari- A
tatis vel benignitatis dulcedo componat. Quod autem
luxurioſas cogitationes non debeamus in corde ſuſci-
pere, euidentius exemplis poſſumus approbare. Atten-
de, quæſo te quomodo ſi aliquis in veſtimentis noſtris
flegmata vel ſputa proijciat, ita nobis horrorem faciunt,
vt nec oculis aſpicere, nec ſummis ſaltem digitis velimus
attingere. Et ſi nobis ſputa, vel flegmata quæ ſine pec-
cato proijciuntur, horrorem faciunt in veſtibus noſtris:
putas cogitationes libidinoſæ, quas diabolus ingerit,
qualem horrorem faciunt Deo in animabus noſtris?
Et ſi ſputa vel flegmata ſic perhorreſcimus, quæ vtique
inuiti excipimus: quanto magis cogitationes ſordidas,
quas cum noſtra voluntate in corde noſtro moras ha-
bere permittimus, opus eſt, vt cum Dei adiutorio cele- B
rius reſpuamus? Et hoc conſidera, quod ſi in templo
Dei de lignis & lapidibus, quiſquam porcos vel canes
introducat, aut lutum mittat, aut ſtercora ſpargat, ita
offenditur animus noſter, vt illum, per quem negligen-
tia hæc facta eſt, flagellari velimus. Et cùm hæc ita ſint,
quid de nobis cogitamus, ſi in animabus noſtris, vbi
ſunt templa Dei viuentia, multum peiores quam ſterco-
ra ſunt, cogitationes luxurioſas vel malignas ſuſcipien-
tes, Deo qui in nobis habitare dignatur, iniurias irroge-
mus. Et ideo multum plus licet oportebat, tamen vel ſic
ab immunditia peccatorum ſtudeamus animas noſtras
cuſtodire: quomodo nec templum Dei, nec veſtes no-
ſtras volumus aliquibus inquinari. Et illud: Dic mihi
quæſo, ſi te in conuentu populi, aliqua famoſa meretrix C
expanſis manibus amplecti aut oſculari conetur, vtrum
hoc patienter aut libenter excipias? nónne magis eam &
manibus repellis, & in faciem conſpuis timens ne fortè
quicumque viderint ex conſuetudine hoc eam feciſſe
dijudicent? Certum eſt enim, quòd non ſolùm qui ho-
neſti vel caſti ſunt, hoc erga ſe fieri non permittunt, ſed
etiam & illi qui in ſecreto luxuriæ ſeruiunt, meretricum
amplexus in conuentu hominum perhorreſcunt, plus
timentes opprobria hominum in publico, quàm Dei
præſentiã in occulto. Si ergo propter iudicia hominum
nullus eſt qui velit publicè à meretricibus oſculari, qua-
re in ſecreto conſcientiæ noſtræ, immundiſſimas mere-
trices, id eſt, cogitationes luxurioſas & impias, non ſo-
lùm frequenter ſuſcipere, ſed etiam non paruas moras
habere permittimus? Eſt & alia ſimilitudo quam prudẽ- D
ter cõſiderare debemus. Et hoc attendite fratres, quia ſi
aliquis carbonem viuum, quamuis grandem, apprehen-
dat in manu ſua, & eum ſtatim proijciat, nec combuſtu-
ram habere poterit, nec dolorem, ſi verò eum vel vnius
horæ momento tenuerit, ſine vulnere iactare non pote-
rit. Hoc ergo quod de carbonibus viuis obſeruamus in
corpore, quare de cogitationibus malis non timemus in
corde? Eſt & aliud, vnde hoc quod diximus, probare
poſſumus. Dic mihi (quæſo te) nunquid eſt vllus homo,
qui ſuper ſeceſſum vel cloacam vermibus plenam velit
diutius ſtare, & eorum putredinem ventilare? Corpora
nunc fœtorem cloacæ non ſuſtinent, & corda conta-
gioni luxurioſæ conſentiunt. Et vide quæ pars poſſit
exhalare maiorem putorem. Si benè & iuſtè iudicas, E
incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogita-
tiones luxurioſæ, quàm cloacæ. Quia illi fœtores ani-
marum ſunt, iſti corporum. Et ſine dubio, quãtò melior
eſt anima quàm corpus, tanto maiorem fœtorem red-
dunt ſordidæ cogitationes in anima, quàm in carne ſe-
ceſſus aut cloacæ. Quomodo ergo in loco fœtoribus
pleno diu ſtare nolumus corpora noſtra, ſic cogitatio-
nes luxurioſas & ſordidas ne ad momentum quidem
moras habere permittamus in animabus, vel in ſenſibus
noſtris. Et quia inter reliquas cogitationes, maximè
iracundia cupiditas, & luxuria cordibus noſtris iugiter
conantur obrepere: ſi eas volumus Chriſto auxiliante,
repellere, ſanctis cogitationibus ſtudeamus animum
noſtrum occupare. Habemus enim multa in Scripturis
ſanctis, per quæ nobis Dominus noſter, & ſanctorum
præmia pollicetur, & peccatorum ſupplicia commina-
tur: miſericorditer admonens, vt & iuſti perſeuerent
in bonis, & impij reuocentur à malis. Quæ ſi frequen-
tius aut ipſi legere, aut alijs legentibus voluerimus li-
benter audire, nunquam nobis poterunt cogitationes
malæ ſubrepere. Quæ cum ita ſint, fratres chariſſimi,
non ſine grandi verecundia & poſſumus & debemus
nos ipſos reprehendere: qui cum in arca, vbi ſunt veſti-
menta noſtra, qualemcunque ſcintillam ignis nolumus
intrare per iniquas tamen cogitationes intus in arca
conſcientiæ noſtræ flammas iracundiæ, non ſolùm in-
trare permittimus, ſed etiam falſis ſuſpicionibus ad
maius incendium prouocamus, atque ſuccendimus. Et
quam excuſationem apud Dominũ habere poterimus,
qui plus amamus veſtem noſtram quàm animam no-
ſtram? Nec graue, nec durum, nec impoſſibile eſt
quod à nobis requiritur, fratres chariſſimi. Nam licet
incomparabiliter amplius debeamus cuſtodire animas
noſtras, quàm noſtras veſtes: tamen non paruum pro-
fectum habet, qui vel ſic cuſtodit animam ſuam, vt &
ea malis, vel turpibus cogitationibus non ſordidetur,
quomodo cuſtodit veſtem ſuam, ne à tineis aut muribus
corrumpatur. Rogo vos fratres, quid à nobis tantum
mali meruit anima noſtra ad Dei imaginem facta, vt vel
tantam cuſtodiam ei nolimus impendere, quantum vi-
demur de noſtris veſtibus cogitare? Et cùm corpora
noſtra videant oculi hominum, & animas noſtras aſpi-
ciant oculi Angelorum, neſcio qua conſcientia orne-
mus & componamus precioſis rebus carnem noſtram,
quæ poſt paucos dies aut annos, à vermibus deuoranda
eſt in ſepulchro & animam noſtram non ornemus bo-
nis operibus, quæ Deo & Angelis præſentanda erit in
cœlo. Et ideo mutata in melius vice corporibus noſtris
mediocrem ac ſufficientem victum & veſtitum proui-
deamus, vt totum quod ſupereſt, quò melius iuuare
poſſumus animam noſtram in æternam beatitudinem,
per eleemoſynam pauperum reponamus: ne fortè ſi
plus de carne quàm de anima cogitamus, cùm ad illud
nuptiale conuiuium non bonis operibus ornati, ſed
magis vitiorum pannis ſordentibus inuoluti veneri-
mus, dicatur nobis: *Amice, quomodo huc intraſti, non ha-* Matth. 22.
bens veſtem nuptialem? Auertat Deus à nobis illud quod
ſequitur: *Ligate* (inquit) *illi manus & pedes, & proijcite*
in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Ecce
qualem ſententiam audire merebitur, qui per vnitatem
& luxuriam ordinat carnem ſuam, & propter vitam
æternam bonis operibus diſſimulat ornare animã ſuam.
Sed credimus de Dei miſericordia, quod ita nobis in-
ſpirare dignabitur, vt cor noſtrum à malis cogitationi-
bus, ipſo auxiliante, cuſtodiamus illæſum & corpus no-
ſtrum, in omni caſtitate & ſobrietate nitidum conſer-
uemus. Vt cùm ante tribunal æterni iudicis venire me-
ruimus, non pro malis actibus pœnam mereamur exci-
pere, ſed pro bonis operibus ad æterna præmia perue-
nire, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto qui cum
Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculo-
rum, Amen.

DE DILIGENDIS INIMICIS.

HOMILIA XI.

IN diuinis voluminibus, fratres chariſſimi,
ita diſpenſauit Spiritus ſanctus, vt & ſanis
medicamenta deeſſe non poſſint. Quam
rem ego, Domino donante, cognoſcens
vnicum ac ſingulare animæ remedium, tanquam ſpiri-
tale antidotum vobis ſtudui prouidere. Primum ac *Præcipuum*
principale medicamentum eſt animæ ægrotanti, ita cha- *animæ medi-*
ritatis dulcedinem retinere, vt non ſolùm amicos, ſed *camentum eſt*
etiam inimicos velit toto corde diligere, propter illud *inimicos dili-*
quod ſcriptum eſt: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum,* *gere.* Matth. 6.

dimittet vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Vt ergo tam præclaram dilectionem & memoriter tenere & operibus poſſitis Deo auxiliante perficere, pauca capitula de Scripturis ſanctis excerpſimus, quæ vnuſquiſque, ſi non diſcutiendo, ſed credendo ſuſceperit, & peccatorum

† al. accipiet. indulgentiam † ſuſcipiet, & ad æternę vitæ beatitudinem Deo auxiliante perueniet. In primis conſideranda eſt, & totis viribus imitanda, benigna etiam erga inimicos antiquorum Sanctorum charitas. Nam beatus Ioſeph pro parricidij crimine impijs & inimicis fratribus ſuis, non odij amaritudinem, ſed charitatis dulce-

Geneſ. 45. dinem repenſauit. Oſculabatur enim ſingulos, & per ſingulos flebat. Quibus non ſolùm nihil mali rependens, ſed etiam omnia bona retribuens, tam viuo quàm mortuo patre, germano ſemper amore eos dilexit.

B Beatum quoque Moſem cùm frequenter populus rebellis non ſolùm contemnere, ſed etiam lapidare voluiſſet: diuinæ charitatis memor, ita pro illis Domino ſup-

Exod. 32. plicabat, vt clamaret: *Si non dimiſeris peccatum populi tui, dele me de libro quem ſcripſiſti.* In ipſo enim veteri Teſtamento legimus ſcriptum: *Itinera eorum qui iniuriam retinent malefacti, in mortem. Ne memor* (inquit) *ſis iniuriæ pro-*

Exod. 23. *ximi tui.* Et iterum: *Si videris aſinum inimici tui in luto iacentem, non præteribis niſi prius alleues eum.* Quo loco diligenter vnuſquiſque conſideret, quòd ſi aſinum inimici non licet in luto dimitti, quanto magis homo ad imaginem Dei factus, non debet odio haberi, vel negligi. Beatus quoque Iob ita veram & perfectam charitatem etiam cum inimicis fideliter retinebat, vt gaudens, &

C libera conſcientia ad Dominum diceret: *Si gauiſus ſum ad ruinam inimici mei, & exultaui, eo quòd inueniſſet eum ma-*

Iob 31. *lum, vel ſi in corde meo dixi bene.* Beatus verò Dauid licet multis virtutibus fuerit exornatus, nulla tamen eum actio familiarius Deo coniunxit, quàm dilectio inimicorum ſuorum: cui cùm inimicus ſuus in facie maledi-

2. Reg. 18. ceret, maluit tamen parcere, & Dei iudicio reſeruare, quàm ſuæ iracundiæ ſatisfacere. Et in tantùm non fuit ſimulata nec falſa ſua dilectio, vt ipſos etiam ſuos aduerſarios fleret, & illos qui eos occidere præſumpſerant, vindicaret. Ideo ſecurus dicebat in Pſalmis illud, quod omnes homines ſatis attento & trementi animo

Pſal. 7. dicere debent: *Si reddidi* (inquit) *retribuentibus mihi mala decidam merito ab inimicis meis inanis: perſequatur inimicus ani-*

D *mam meam, & comprehendat eam, & conculcet eam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Ecce quaſi maledicto ſeipſum condemnat, qui de inimicis diligendis Dei præcepta contemnens, odium in corde ſuo ſeruare non metuit. Vnde conſiderandum eſt, qua fronte vel qua conſcientia verſiculum iſtum ex ore ſuo proferre poterit, qui inimicis ſuis mala pro malis retribuit. Per Salomonem

Prou. 24. quoque Spiritus ſanctus clamat & dicit: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne forte videat Deus, & diſpliceat illi, & auertat iram ſuam ab eo: & vtique cùm ab illo auerterit, ad illum dirigat, qui de inimici ruina gaudebat:* ſecundum illud:

Prou. 17. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Item ibi: *Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam: & qui in*

Prou. 27. *hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, ipſe cum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem quærit à Deo.* Quis exorabit

E Vnum & eundem diligere poſſumus & odiſſe. pro peccatis illius? Dicit quidem in veteri Teſtamento: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed qui ſano intellectu Scripturæ diuinæ ſenſum agnoſcere cupit, ſententiam iſtam hoc modo intelligit: vt diligat omnem hominem tanquam proximum ſuum, quod etiam in vno homine malo impleri poteſt. In ipſo enim vno qui malus eſt, & proximum habes & inimicum. Nam quòd homo eſt, proximus tuus eſt: quòd malus eſt non ſolùm tuus, ſed etiam ſuus inimicus eſt. Dilige ergo in eum carnem & animam, hoc eſt proximum tuum, quem Deus fecit: & odio habe malitiam, quam ipſo conſentiente diabolus intromiſit. Quod cùm ſan-

† al. amore. cto & pio † animo feceris, vices cœleſtis medici agis: odio habens morbum, & diligens ægrotum. Item per

Prou. 25. 22. Salomonem loquitur Spiritus ſanctus: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. Si ſitit potum da illi. Hoc enim faciens,*

A *carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Hoc loco cum grandi diligentia obſeruandum eſt, ne fortè dum eum bene non intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus. Solent enim nonnulli hoc præceptum facere quaſi ad ſatiandum furorem ſuum. Dicunt enim apud ſe: Ecce cibo inimicum meum, vt ardeat in æternum. Auertat Deus huiuſmodi intelligentiam ab animis noſtris. Qualiter ergo accipi debet locus iſte, ſancti & antiqui Patres, reuelante Spiritu ſancto, definierunt:

Si eſurierit (inquit) *inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc enim* (inquit) *faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Caput Prou. 25.

in homine, ſenſus rationalis intelligitur. Qui ſenſus, cum à feruore charitatis recedens factus fuerit frigidus, vnde ſcriptum eſt: *Quia abundauit iniquitas, refrigeſcet cha-*

B *ritas multorum:* neceſſe eſt, vt quod eſt ſaluti contrarium, ſapiat: & cui deberet eſſe amicus, inimicus exiſtat. Ad ſanandum ergo talem freneticum, homines ſanctos & charitatis igne accenſos hortatur Spiritus ſanctus, dicens: *Carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Cùm enim Rom. 12. † al. amore.

inimico tuo pio animo frequentius benefeceris, quamlibet ſit impius & crudelis, barbarus & cruentus, tamen tandem aliquando erubeſcit & dolet, & pœnitere incipit quod amiſit. Iam cùm pœnitentiam cœperit agere ſenſus rationalis, hoc eſt cùm caput ipſius inceperit charitatis igne ſuccendi, & qui prius quaſi frigidus & freneticus contra te conſueuerat iracundiam retinere, cùm ſpiritali calore tua bonitate fuerit ſuccenſus, incipiet te toto corde diligere. Ecce quomodo ſancti Patres hunc ſcripturæ locum intelligendum eſſe dixerunt.

C Nam abſit à ſenſu Catholico, vt eo animo quiſque boni aliquid inimico ſuo conetur impendere, vt eum pro hoc beneficio velit æterno incendio deputari. Vnde cum grandi cautela fideı conſiderandum eſt, & timendum, ne ſequamur literam occidentem, ſed magis viuificantem ſpiritum diligamus. Et illud fratres chariſſimi, cum grandi timore conſiderare debemus, quod in Pſalmo terribiliter Spiritus ſanctus dixit: Cùm enim illam cœleſtem Ieruſalem, id eſt, congregationem omnium Sanctorum, quæ cum Chriſto eſt regnatura, ad laudandum Dominum prouocaret, cùm dixiſſet.

Lauda Ieruſalem Dominum: addidit, *qui poſuit fines tuos* Pſal. 147.

pacem. Ergo vt ipſi videtis, Ieruſalem illa cœleſtis,

D muros de pace conſtructos habet. Qui enim talem pacem & talem charitatem habet, vt omnes diligat, & pro bonis orat vt meliores fiant: pro malis ſupplicat, vt citò ſe corrigant: de qua parte voluerit intrare illius cœleſtis Ieruſalem portas, apertas merebitur inuenire.

Qui autem non vult habere talem charitatem qualem Matth. 25.

Chriſtus præcipit, & Apoſtolus docuit, ex omni parte Ieruſalem portas clauſas inueniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clauſis ianuis ſponſi cum illis fatuis virginibus illam audiet vocem: *Amen amen dico vobis, neſcio vos vnde ſitis.* Quomodo enim illis quinque virginibus quæ charitatis oleum habuerunt, illa cœleſtis Ieruſalem aperiet ianuas ſuas, vt intrent in gaudium Domini ſui: ſic illis è contrario, qui ſine charitate veniunt, claudet, & æterna à ſe ſeparatione repellet. Et imple-

E bitur in eo quod in ipſo Pſalmo ſcriptum eſt de illa Ieruſalem. *Quoniam* (inquit) *confortauit ſeras portarum tuarum.* Clauſis portis & confirmatis ſeris nunquam exiet amicus. Quia quomodo iuſtus nunquam erit exiturus à gloria, ita & peccator nunquam poterit liberari à pœna. Et ideo ſi volumus vt ab iſtis malis nos dignetur diuina pietas liberare, in illam cœleſtem Ieruſalem vt mereamur intrare, totis viribus laboremus ſicut ſcri-

ptum eſt: *Et quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an periculum, an gladius?* Rom. 8.

Et illud: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque altitudo, neque profundum, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Ecce ſicut audiſtis beatum Apoſtolum &

Apoſtolicos

Apoſtolicoa viros, tanta ac tettibilia, à charitate Dei ſeparare uon poterant. Vnde nimis dolendum eſt, vt cùm illi à charitate nec tormentis potuerint ſeparati, nos interdum ocioſis fabulis ſeparemur. Et nonnunquam ptopter paruiſſimum conuitium, & cuiuſcumque miſeri hominis detractionem, ita derelinquimus charitatem, vt cum co non ſolùm multis diebus, ſed etiam menſibus fortaſſis & annis, nec loquamur, nee ad conuiuium venite velimus. Et non attendimus, quia dum nos inuicem odio babemus, ita muros ciuitatis Ieruſalem contra nos claudimus, vt nobis nullus aditus temaneat per quem intrare poſſimus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum baber: & (dicente Ioanne Euangeliſta) *Deus charitas eſt*: qui charitatatem babere noluerit, qua fronte vel qua conſcientia, ad Deum qui eſt charitas, præſumit accedere? Hæc omnia fratres chariſſimi, dum vobis paterna pietate frequenter inſinuo, abſoluo apud Dominum conſcientiam meam. Et quia nullua vnquam erit, qui ſe in veritate excuſare valeat, quòd veram pacem & veram charitatem † tenere non poſſit, totis viribus Dei miſericordiam deprecemur, vt nobis illam charitatem, ſine qua nullus vnquam Dominum videbit, inſinuare & donare dignetur, vt nullis tormentis, nec damnis, nec perſecutionibus, ab illius dilectione vel dulcedine ſeparemur. Si iubetis, iam non eſt opus, vt vos proliziore ſermone diutius fatigemus. Et ideo iam iſta quæ ad præſens dicta ſunt, charitati veſtræ ſufficiant. Dum hæc Deo placita, quæ accepiſtis, ſanctis cogitationibus velut munda animalia aſſiduè ruminare, & qualiter ea cum Dei adiutorio poſſitis implere, in veſtris animis definiatis, ea quæ ſequuntur de amore inimicorum, aut die craſtino, aut certè die Dominico, abſque aliqua laſſitudine corporis, opportunius audietis. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto: cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

1. Ioan. 4.

† al. habere.

ADMONITIO PER QVAM SVADETVR, vt omnis populus, donec diuina myſteria celebrantur, in Eccleſia fideliter expectent.

HOMILIA XII.

Miſſam integram audiendam.

ROGO vos, fratres chariſſimi, & paterna pietate commoneo, vt quotiens aut in die Dominico, aut in alijs maioribus feſtiuitatibus Miſſæ fiunt, nullus de Eccleſia diſcedat, donec diuina myſteria compleantur. Et quamuis multi ſint, de quorum fide & deuotione gaudeamus, ſunt tamen plures minus de ſalute ſuæ animæ cogitantes, qui lectis diuinis lectionibus ſtatim de Eccleſia foris exeunt: cùm tamen etiam dum ipſæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otioſis & ſæcularibus ſabulis occupentur, vt eas nee ipſi audiant, nec alios audire permittant. Iſti tales minus à nobis culparentur, ſi ad Eccleſiam non venirent. Quia ibi probantur amplius Dominum lædere, vbi peccatorum potuerant indulgentiam promereri. Vnde rogo vos fratres, vt humilitatis noſtræ ſuggeſtionem non ſolùm patienter, ſed etiam libenter accipiatis. Si enim diligenter attenderitis, cognoſcetis, quia non tunc fiunt Miſſæ, quando diuinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & corpus vel ſanguis Domini conſecratur. Nam lectiones ſiue Propheticas, ſiue Apoſtolicas, ſiue Euangelicas, etiam in domibus veſtris aut ipſi legere, aut alios legentes audire poteſtis. Conſecrationem verò corporis & ſangoinis Chriſti, non alibi niſi in domo Dei audire vel videre poteritis. Ideo qui vult Miſſas ad integrum cum lucro ſuæ animæ celebrare, vſquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde ſe debet in Eccleſia continere. Cum enim maxima pars populi, imò quod peius eſt, penè omnes recitatis lectionibus exeunt de

Miſſa vbi incipit.

Iſto modo fieri debet in Eccleſia tantum.

Eccleſia, cui dicturus eſt Sacerdoa: Surſum corda; A Nunquid reſpondere poſſunt, quando deorſum in plateis & corpore ſimul & corde diſcedunt, vel qualiter cum tremore ſimul & gaudio clamabunt; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, benedictus qui venit in nomine Domini?* Aut quando oratio Dominica dicitur, quis eſt qui humiliter & veraciter clamet: *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Cùm enim etiam illi qui ſe in Eccleſia continent, ſi non dimiſerint debita debitoribus, ad iudicium magis quàm ad remedium orationem Dominicam proferunt ex ore, quam implere non probantur in opere: & ſine cauſa dicunt; *Libera nos à malo*: quando ipſi non deſinunt reddere malum pro malo. Si ergo etiam illi periclitantur qui intus ſunt, ſi implere noluerint quod promittunt, quid de ſe cogitant illi quos aut inſatiabilis cupiditas, aut amor B ſæculi iſtius ita detinet implicatos, vt eos vnius horæ momento ſtare in Eccleſia non permittant. Quibus non ſufficit, quòd per totam hebdomadam, aut pro neceſſitate, aut fortè (quòd verius eſt) pro cupiditate iugiter occupantur. Adhuc inſuper poſt vnius aut duarum horarum ſpatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad Eccleſiam conuenire, mittentes dorſa ſacrificijs vel Sacerdotibus Dei, ad amplexandam voluptatem ſæculi huius, ſine mora aliqua reuertuntur, non agnoſcentes quid expetant, quid relinquant. Sequuntur tenebras, & deſerunt lucem: amplectuntur vmbram, & deſpiciunt veritatem: dimittunt dulcedinem Chriſti, & requirunt amaritudinem mundi, diligentes C vanitatem & quærentes mendacium: verè ignurat, quantum boni in celebrandis Miſſis agitur, qui de Eccleſia feſtinus egreditur. Cùm tamen iſtos tales ſi aut Rex, aut aliqua potens perſona vocaſſet ad prandium, velim ſcire ſi præſumerent diſcedere, niſi prius totum prandium compleretur, etiam ſi perſona non teneret gula teneret. Quare de conuiuio hominis, niſi per expeditum fuerit, non diſcedimus: niſi quia & ventrem fortè plus quàm expedit, implere volumus & hominem lędere formidamus. Quare de ſpiritale & diuino conuiuio citò diſcedimus, timeo dicere, ne fortè aliqui iraſcantur, ſed tamen tam propter veſtrum periculum dicturus ſum. Hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Deum timemus, nec hominem reuere-mur. Et quia Deo propitio, non ſunt omnes in hac parte D culpabiles, ſed multi inueniuntur qui vſquequo benedictio ſuper populum detur, de Eccleſia non diſcedunt, & humiliter orare non ſolùm pro ſe, ſed & pro alijs non deſiſtunt. Illis quibus tantam compunctionem Deus dedit, vt in Eccleſia perſeuerent, retribuet mercedem: eos verò qui negligentes ſunt, iuſto iudicio damnabit. Et ideo fratres, monete eos qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt, & non deſinite caſtigare, dicentes eis & infinitiſſimè comminantes, quia nihil eis prodeſt quod lectiones diuinas audiunt, ſi antequam diuina myſteria compleantur, abſcedunt. Illis tamen qui in publicis neceſſitatibus occupantur, & eis qui aliqua infirmitate prohibente expectare non poſſunt, imputare non poſſumus, nec debemus. E Ipſi tamen videant in conſcientia ſua, vtrum eos neceſſitas retrahat an voluntas. Vnde iterum atque iterum rogo, pariter & conteſtor, vt omni die Dominico, & præcipuè in maioribus feſtiuitatibus, donec diuina myſteria compleantur, nullus de Eccleſia abſcedat: niſi fortè (de quibua ſuprà diximus) quos aut grauis infirmitas, aut publica neceſſitas ſtare diutius non permittit. Verè dico fratres, ſatis durum & propè nimis impium eſt, vt Chriſtiani non habeant reuerentiam diei Dominico, quam Iudæi obſeruare videntur in Sabbato. Cùm enim ipſi infœlices ita Sabbatum obſeruent, vt in eo nihil terreni operis exercere præſumant, quantò magis illi qui nec auro nec argento, ſed precioſo ſanguine Chriſti redempti ſunt, debent attendere precium ſuum, & Reſurrectionis die Deo vacare, & de ſalute animæ

Bona conſequitur memoria qui frequenter Miſſas audit.

Soli publicis neceſſitatibus occupati & infirmi excuſantur à peccato, ſi exeant à Miſſa.

Dies Dominica honor qualis eſſe debeat.

Digitized by Google

ſuæ attentius cogitare? Ad extremum ſi toto die Dominico lectioni inſiſtere, & Deo ſupplicare negligimus, non leuiter in Deum peccamus: quantum mali eſt, ſi vel vnius vel duarum horarum ſpatio, cùm diuina myſteria celebrantur, in Eccleſia ſtandi patientiam non habeamus? Sed quod peius eſt, ita nos amor ſæculi huius inebriat, vt nos vmbra volaticæ falſitatis, ad vana & falſa gaudia, quæ veros dolores pariunt, hoc eſt voluptas mundi atque cupiditas, iugiter trahat. Vnde iterum rogo, vt nullus ex vobis de Eccleſia diſcedat, niſi cùm diuina myſteria ad integrum fuerint celebrata. Et ita vos in Eccleſia continete, vt nullus ea vobis otioſis, aut terrenis ſe fabulis ſtudeat occupare. Ego quod & mihi expedit dicere, & vobis audire, humiliter admoneo pariter & conteſtor. Qui contemnit præconem, ſentiet iudicem. Ille autem qui me libenter audierit, & quod ſupplicaui, implere contenderit, credo de Dei miſericordia, quòd illi & in hoc ſæculo & in futuro repenſabuntur præmia glorioſa. Ille verò qui contemnere voluerit, non ſe poterit ante tribunal Chriſti excuſare, dicendo, ſe nec à malis prohibitum, nec ad ea quæ ſunt ſancta, & Deo placita, admonitione aſſidua prouocatum. Sed credimus de Dei miſericordia, quod non de contemptu incurſuri eſtis iudicium, ſed magis pro benigna obedientia peruenietis ad regnum. Præſtet qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

ADMONITIO UT PRO CAPITALIBUS *criminibus ſine aliqua diſſimulatione ad medicamentum pœnitentiæ recurratur.*

HOMILIA XIII.

Nec præſumendum eſt de Dei miſericordia, nec deſperandum ob eius iuſtitiam.

QVOTIANS euenerit, fratres chariſſimi, vt in quocumque graui peccato, aut etiam crimine aliquis (vt ſe habet humana fragilitas) cadat: nec quia Deus iuſtus eſt deſperare: nec quia miſericors eſt, debet nimia ſecuritate confidere, ſed ſic timeat iuſtitiam, vt quærat miſericordiam, ſic de miſericordia confidat, vt tamen iuſtitiam contremiſcat. Quia quando nos Deus diutius expectat vt corrigamur, tanto grauius vindicat, ſi de conuerſione tardius cogitemus. Optimè enim malagma vel fibula D calidis adhuc vulneribus opponitur, & citò vulnus ad ſanitatem reducitur, quod putreſcere diu terna abuſtione non finitur. Sed dicit aliquis: Cum ad ſenectam venero, tunc ad pœnitentiæ medicamenta confugiam. Quare hoc de ſe fragilitas humana præſumit, cum vnum diem vitæ ſuæ in poteſtate non habeat? Quàm multi ſeſe credebant longo tempore victuros, & ita illos mors repentina ſubtraxit, vt nec ad illam momentaneam poſſint pœnitentiam peruenire? Erubeſcimus modò paruo tempore pœnitentiam agere, & non timemus ſine vllo termino æterna ſupplicia ſuſtinere. O infœlix homo, de ipſo vulnere non erubeſcis, & de ligatura vulneris erubeſcis. Peccatum enim vulnus eſt, pœnitentia ligatura vulneris eſt. Tu qui pœnitentiam non vis agere, E ſine dubio diſſimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere. Et non agnoſcis quia plus factũ eſt, & maiorem horrorem generat vulnus diſcoopertum, quàm ſi eſſet medicamentis oppoſitis inuolutum. Et hoc conſiderate fratres, quia etiam ſi vobis capitalia crimina non ſubrepetent: Ipſa minuta peccata quæ (quod peius eſt) aut non attendimus, aut certè pro nihilo computamus: ſi ſimul omnia congregentur, neſcio quę bonorũ operum abundantia illis præponderare ſufficiat. Cogitemus ex quo ſapere cœpimus, quid pro iuramẽtis, pro periurijs, quid pro maledictis & detractionibus, quid pro otioſis ſermonibus, quid pro odio, quid pro ira, quid pro inuidia, quid pro concupiſcentia mala, quid pro gula, quid pro ſomnolentia, qui pro ſordidis cogitationibus, quid pro concupiſcentia oculorum, quid pro voluptuoſa A delectatione auriũ, quid pro exaſperatione pauperum, quid pro eo quod aut tardè, aut difficile Chriſtum in carcere viſitauimus, quod peregrinos negligenter excepimus, quod ſecundum promiſſionem noſtram in baptiſmo pedes lauare neglegimus, quòd infirmos tardius quàm oportuit viſitauimus, quod diſcordes ad concordiam non toto & integro animo reuocauimus, quòd Eccleſia ieiunante prandere voluimus, quòd in ipſa Eccleſia ſtantes dum ſanctæ lectiones legerentur, otioſis fabulis occupati fuimus quod aut pſallendo, aut orando aliquotiens, quæ ſunt luxurioſa locuti ſumus. Hæc ergo, & his ſimillima, quę vix enumerari poſſunt, ſi ex eo tempore quo ſapere cœpimus, in vnum cumulum colligantur, etiam ſi capitalia crimina non addantur, quantis & B qualibus bonorum operum copijs redimi poterunt, niſi præponderante diuina miſericordia, per humilem & compunctam pœnitentiam, additis ſecundum vires noſtras largioribus eleemoſynis, Dei ſeueritas vel iuſtitia fuerit mitigata? Cùm ergo & iſta quæ dixi, ſine quibus nullus hominum poteſt eſſe: nos nimium premant, & fortè etiam capitalia nobis crimina & peccata ſubrepãt, neſcio qua conſcientia periculoſam nobis ſecuritatem inducimus, & remedium pœnitentiæ quærere, mortifera diſſimulatione negligimus. Et cùm in pelago mundi innumerabilibus fluctibus fatigemur, ad expetendum portum pœnitentiæ, poſt longa nos temporum ſpatia reſeruamus. Non intelligentes quod de multitudine peccatorum deſperatio naſcitur, ex deſperatione verò abſque vlla reuerentia peccatorum frena C laxantur, & impletur illud quod ſcriptum eſt: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnet.* Sed dicit aliquis: Cùm ad ſenectam venero, & aliqua nimia infirmitate fuero deſperatus; tunc pœnitentiam petam. Non quidem dicimus pœnitentiam prodeſſe non poſſe. Certum eſt quia prodeſt, ſi cum grandi eleemoſyna illam vnuſquiſque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam tribuat, & quibuſcumque fecit iniuriam veniam petat: & ita toto corde deliberet, & ſi euaſerit, quamdiu vixerit, totis viribus illam cum rugitu & gemitu & cum multis eleemoſynis humiliter ac fideliter agat. Et tamen tu homo ſapiens inter iſta omnia conſidera, ſi iuſtum eſt, vt per totam vitam tuam vitijs & peccatis ſeruias, & ad acquirendam vitam iam ſemiuiuus aſſurgas. Nun- D quid tibi hoc fieri vis à ſeruo tuo, vt quamdiu fortis ac iuuenis fuerit, inimicis tuis ſeruiat: & cùm ad ſenectam venerit, tunc ad tuum ſeruitium redire velit? Quod ergo non vis pati à ſeruo tuo, non eſt iuſtum vt facias Domino tuo. Cùm tamen multos nouerimus dum ſani eſſent frequenter dixiſſe pœnitentiam ſe toto corde deſiderare, ſed tamen quia illam ſtatim agere noluerunt, ſine ipſius remedio de hoc ſæculo receſſerunt. Percutitur enim etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei. Nam qui remediũ animæ ſuæ, quando potuit noluit quęrere, poſtea etiamſi velit, dubium eſt vtrum mereatur accipere. Et ideo fratres chariſſimi, tempus iudicij & diem reddẽdæ rationis ſapienter & vtiliter cogitemus, & crimina vel E peccata maiora cum gemitibus & ſuſpirijs quamdiu viuimus, lugeamus, & illa minuta delicta, vel quæ antè fecimus, vel quæ indeſinenter admittimus, aſſiduis orationibus & largioribus eleemoſynis redimamus. Et quomodo non deſunt quotidiana peccatorum vulnera, ſic nunquam deſint eleemoſynarum vel orationum remedia. Si enim noſmetipſos propria ſeueritate diſtringimus, ſententiam futuri iudicis præuenimus. Qui enim pro peccatis ſibi ipſe non parcit, Deus citò illi indulgentiam tribuit. Et qui ſeipſum modò à communione pro ſuo reatu ſuſpendit, ab illo altari quod eſt in cœlo remoueri non poterit, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Dic tu prior iniquitates tuas vt iuſtificeris.* Iniquitatem tuam ſi tu agnoſcis, Deus ignoſcit. Nemo ergo deſperet, ſed nemo malè ſperet. Malè deſperat, qui credit

Deſperatio naſcitur ex multitudine peccatorum.
Prou. 18.

quod

quòd etiam ſi pœnitentiam agat pro peccatis ſuis, diui-
Nec deſperādum, nec maliſperandum. na miſericordia non indulgeat. Malè autem ſperat, qui
ſe poſt multa tempora ad pœnitentiæ medicamenta re-
ſeruat. Quomodo enim malè deſperantibus dicitur, *Pec-*
Ezech. 18. *cator in quacunque die conuerſus fuerit, omnes iniquitates illius*
Eccl. 5. *obliuioni tradentur:* ſic malè ſperantibus dicitur: *Nolite*
tardare conuerti ad Dominum. Hæc ergo fratres chariſſi-
mi, tam viri quàm fœminæ, tam religioſi quàm laici,
tam ſenes quàm iuuenes, tam pueri quàm puellæ atten-
tius cogitemus, & ſine vlla diſſimulatione ſecuritatem
mortiferam reſpuentes, quotidianis diebus peccatis
noſtris pœnitentiæ medicamenta apponere ſtudeamus:
Eccl. 14.12. timentes illud quod dictum eſt. *Memento quoniam mors*
non tardat. Si enim hæc fideliter agimus, ante tribunal æ-
terni iudicis, non damnationis ſententiam ſuſcepturi,
ſed æternis premijs remunerandi gaudio & exultatione
fœliciter veniemus.

ADMONITIO DE EADEM RE,

HOMILIA XIIII.

ROGO vos, fratres chariſſimi, vt ſi fortè ali-
1. Cor. 6. quis ex vobis, vt ſe habet humana fragili-
tas, calliditate Diaboli fuerit ſuperatus,
& capitalibus criminibus inuolutus, ſe-
cundum quod ait Apoſtolus: *Si quis templum Dei in ſe vio-*
lando deſtruxerit, de Dei miſericordia non deſperet: ſed
citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat, ne conſuetudi-
ne peccandi in ipſis ſe ruinis ſuis ſepeliat. Non enim
qui peccauerit, ſed qui in peccatis perſeuerauerit, odi-
bilis & abominabilis Deo erit. Nam vt de indulgen-
tia Diuina nemo diffidat, Dominus nos per Prophe-
Ezech. 18. tam, velut piiſſimus pater conſolatur, dicens: *Nolo mor-*
tem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Et illud: *Impie-*
tas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab
impietate ſua. Sed licet ſit iſta tam magna miſericordia,
tamen tunc nobis prodeſt, ſi non tardamus conuerti ad
Dominum, nec crimina criminibus ſuperaddamus.
Denique etiam in ipſis vulneribus vel fracturis corpo-
rum, infirmitates cognoſcere poſſumus & animarum. Si
Analogia de corporis & animæ vulneribus. enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore ſolet
ad priſtinum officium reuocari. Si verò ſecundò & ter-
tiò frequentius in eodem loco membra ipſa frangan-
tur, poteſt intelligere charitas veſtra, cum quantis dolo-
ribus vulnera ipſa curanda ſunt. Et tamen poſt longas &
multas curas ſi vixerit homo, ad priſtinum ſtatum mem-
bra ipſa vix valeat reuocare. Similis ratio in animarum
fracturis ſeu vulneribus credenda eſt. Si ſemel aliquis
vel ſecundò peccauerit, & ſine aliqua diſſimulatione
ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam
Al. nō percipiet. incolumitatem ſine aliqua mora recipiet. Si verò pec-
cata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera
tegendo vel defendendo putreſcere, quæ confiten-
do & pœnitentiam agendo curare noluit: timendum
Rom. 2. eſt, ne in illo impleatur illud quod Apoſtolus dixit: *An*
ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem
ſecundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens theſaurizas
tibi iram in die iræ, & retributionis iuſti iudicij Dei. Sed for-
tè cogitat aliquis, tam grauia ſe admiſiſſe peccata, vt
Dei miſericordiam promereri non poſſit. Abſit hoc à
ſenſibus omnium peccatorum. O homo quicunque il-
le es, peccatorum tuorum multitudinem attendis, &
omnipotentiā cœleſtis medici non attendis! Cùm enim
Deus velit miſereri, quia bonus eſt, & poſſit quia omni-
potens eſt, ipſe contra ſe diuinæ miſericordiæ ianuam
claudit, quia Dominum ſibi miſereri, aut non velle, aut
non poſſe credit, & eum aut bonum, aut omnipotentem
eſſe diffidit. Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec
poſt mille crimina, de Dei miſericordia deſperet. Sic ta-
men non deſperet, vt ſine vlla mora Dominum ſibi pro-
pitiare feſtinet, ne fortè ſi conſuetudinem peccandi fe-
cerit, etiamſi velit, iam ſe à Diaboli laqueis liberare non
poſſit. Dauid enim qui rex & propheta diuino munere
A fieri meruit, poſt tantam gratiam ira præuentus eſt, vt nō
ſolum adulterium committeret, ſed etiam homicidium
perpetraret. Nec tamen ſe ad hoc reſeruauit, vt in ſene-
ctute ſua ad pœnitentiam medicamenta confugeret: ſed
ſtatim cilicio proſtratus & conſperſus cinere cum ingē-
ti rugitu & gemitu pœnitentiam agens, impleuit illud
quod ipſe in Pſalmis dixerat: *Lauabo per ſingulas noctes le-*
ctum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo: Et iterum: *Pſalm. 6. & 101.*
Cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum cum fletu
miſcebam. Et quia pœnitentiam agere mortifera ſecurita-
te non diſtulit, citò in ſe Dei miſericordiam prouocauit,
vt non ſolum regnum non amitteret, ſed etiam gratiam
Spiritus ſancti recipere mereretur. Achab quoque Rex
ſacrilegus, de quo Scriptura dicit, quod non fuerit alius *3. Reg. 21.*
talis qui venundatus ſit, vt faceret malum contra Domi-
B num, poſteàquam deprauatus ab vxore Iezabel, & abo-
minabilis factus eſt, interfecto & lapidato Naboth Iez-
rahelite, cùm vineam eius vellet inuadere, caſtigatus à
ſancto Helia, ſciſſis veſtibus cilicio indutus eſt, & incli-
nato capite pœnitentiam egit, pro qua re ſtatim ſermo
Dei ad Heliam factus eſt dicens. *Vidiſti humiliatum A-*
chab? quia (*inquit*) *humiliatus eſt mei cauſa, non inducam ma-*
lum in diebus eius. Conſiderate fratres, quia & ipſe quam-
libet eſſet ſacrilegus, non ſeruauit, vt poſt longa tempo-
ra pœnitentiam ageret, ſed ſtatim ſacrificium & contriti
& humiliati cordis Deo offerre non diſtulit: qui vtique,
ſi poſtea in illa humilitate, quam cœperat, perduraſſet,
nūquam ab illo miſericordia diſceſſiſſet. Manaſſes quo-
que Rex, vt in ſcripturis legimus, tam ſacrilegus & im-
C pius fuit, vt de illo ſcriptum ſit, *quod totam Ieruſalem omni* *4. Reg. 24.*
iniquitate repleuerit: & tamen poſt hæc in captiuitatem *2. Paral.*
ductus, & in carcerem miſſus, cum grandi humilitate
pœnitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuit, vt merere-
tur inter amicos Dei poſtmodum numerari. Meretrix
quoque illa quæ pedes Domini lachrymis lauit & capil- *Luc. 7.*
lis exterſit, ac vbi cæleſtem medicum veniſſe cognouit,
vltro ſe ingeſſit in domum vbi rogata non fuerat, & quæ
prius frontoſa fuerat ad perditionem, poſtea fronto-
ſior facta eſt ad ſalutem. Et ideo audire meruit quod ei
dimiſſa fuerint multa peccata. Nec ipſa ſe ad hoc reſer-
uauit, vt in fine vitæ ſuæ pœnitentiam ageret, ſed dum
adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, vt il-
lam de adulterijs ſuis non impoſſibilitas ſubtraheret, ſed
D voluntas. Multos adhuc in diuinis ſcripturis poteramus
inuenire, qui poſt infinita crimina pœnitentiam agen-
tes, Dei in ſe miſericordiam prouocarunt. Et non ſolùm
ad priorem, ſed etiam ad meliorem ſtatum redierint.
Sed quia longum eſt, me omnes recitare, iſti quatuor
quos nouimus, ſatis abundéque ſufficiunt, vt agnoſca-
mus quod Deus noſter qui & Dauid poſt tam graue
peccatum indulſit; & Achab ſacrilego Regi pepercit,
& Manaſſæ indulſit; qui iſtis tantis ac talibus peccatori-
bus veniam dedit, & poſt innumerabilia peccata pœni-
tentiam agentes inter amicos ſuos reputauit. Et meretri-
ci quæ lachrymis pedes lauerat & capillis exterſerat to-
tum indulſit. Qui iſtis tantis ac talibus peccatoribus ve-
niam dedit, paratus eſt etiam nobis, ſi in veritate cōuer-
E timur, non ſolum peccata dimittere, ſed etiam æternam
beatitudinem dare. Hæc ergo cogitantes, fratres chariſ-
ſimi, quantum poſſumus cum Dei adiutorio laboremus,
ne nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata ſubri-
piant. Si verò in hoc malum, fuerit aliquis Diabolica
callididitate proſtratus, priuſquàm crimina ipſa per cō-
ſuetudinem conualeſcant, remedium ſibi in die neceſſi-
tatis acquirat, & ingenti rugitu & gemitu Dominum ſi-
bi reconciliare contendat. Nec erubeſcat pœnitentiam
agere: qui non erubuit pœnitenda committere: ſed ci-
tò in ſe bonis operibus contendat Dei imaginem repa-
rare, vt inter filios mereatur agnoſci à patre: ne ab illa
æterna beatitudine excluſus, & à conuiuio nuptiali
proiectus, ligatis manibus & pedibus proijciatur in
tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium;

Matth. 21. Matth. 5. Matth. 25. ſed magis medicamentis pœnitentiæ humilitatis vel
compunctionis ad ſanitatem priſtinam reuocatus, &
A bonorum operum Margaritis ornatus, audire mereatur:
Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui,
Amen.

ADMONITIO VT PRO SALVTE ANIMÆ aſpera prædicatio non ſolum non reſpuatur, ſed etiam ardenti deſiderio requiratur.

HOMILIA XV.

QVOTIESCVNQVE fratres chariſſimi, tam pro
veſtra quàm pro mea ſalute, mihi neceſſe eſt
aliqua dura vel aſpera prædicare, conſiderantes
B periculum meum, débetis hoc æquanimiter
ac patienter accipere: quia prædicatio aſpera, ægrotis
medicamenta prouidet, ſanis ornamenta componit.
Non enim eſt leue, quod per Prophetam Spiritus
ſanctus ſacerdotibus Domini comminatur. *Si (inquit)*
Ezech. 33. *non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de*
Iſa. 58. *manu tua requiram.* Et iterum: *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba
exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.*
Et illud quod negligenti ſacerdoti nimirum terribiliter
de Euangelio dicitur: *Serue nequam, quare non dediſti
pecuniam meam nummulariis, & ego veniens, cum vſuris exegiſſem
illam?* Et poſt hæc; *Inutilem (inquit) ſeruum proijcite
in tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium.*
Ecce qualem ſententiam ſacerdos negligens ſuſtinebit,
qui verbum Dei aſſiduè prædicare noluerit. Et ideo fratres
C 1. Reg. 2. & 4. chariſſimi, quoties vobis aliqua pro ſalute animæ
veſtræ humiliter ſuggero, abſoluo apud Dominum conſcientiam
meam. Timeo enim & nimium expaueſco
Heli ſacerdotis exemplum, qui pro eo quòd audiens filios
ſuos adulteria committere, diſſimulauit eos aut cedere
aut à communione ſuſpendere, ſed tantummodo
leniter admonuit dicens: *Filij non eſt bonum quod de vobis
audio. Si homo in hominē peccauerit rogabit pro eo ſacerdos. Si autem
ipſe ſacerdos deliquerit, quis orabit pro eo?* Et tamen licet hoc
dixerit, quia eos non cum grandi feritate diſtrinxerit, &
ipſe retro cadens de ſella, fractis ceruicibus mortuus eſt:
& nomen eius de libro vitæ deletum eſt, & vna die triginta
millia de populo interfecti ſunt, & duo filij eius
occiſi ſunt, & arca Teſtamenti ab inimicis capta eſt. Ecce
D quàm graue malum factum eſt per negligentiam ſacerdotis,
qui noluit timere illud quod ſupra dictum eſt: *Si
non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinē eius de manu
tua requiram.* Iſta enim adeò terribilis ſententia: mihi
intollerabilem metum facit. Et ideo me vobis importunum
exiſtere & frequentius clamare compellit. Et quia
negligēs ſacerdos quàm graui fuerit plaga percuſſus audiſtis.
Phinees ſacerdos qui ſanctam veritatem tenuit, videte
quid à Domino audire meruit. Cùm enim duos adulteros
ſimul vno ictu percutiens occidiſſet, Domino
Num. 25. Pſalm. 105. dicente audire promeruit, *Phinees ſacerdos zelo meo commotus
reuocauit iram meam, ne diſperderem populum.* Et ideo ipſo
in Pſalmo ſcriptum eſt: *Stetit Phinees & exorauit, & ceſſauit
quaſſatio, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, à generatione in generationem
vſque in ſempiternum.* Sed quando peccatores
E pro ſuis criminibus caſtigantur, quod peius eſt, non toti
humiliter & obedienter accipiunt, ſed plures ſunt qui
Infœlix ſolatium eſt turba miſerorum. impudentiſſima fronte reſpondere non erubeſcunt dicentes:
Nunquid ego hoc ſolus feci? Nunquid non aut
ſimilia aut peiora fecerunt? Nunquid non talia clerici,
etiam maioris ordinis fecerunt? Infœlix, ſolatium tibi
eſt turba miſerorum. Nunquid ideo vnuſquiſque peccator
minus poterit torqueri, ſi cum ipſo infinitæ peccatorum
multitudines æterno ſupplicio cœperint cruciari?
Pſal. 50. Quanto melius erat vnicuique, vt peccatorum
ſuorum mala fugiens, humili confeſſione clamaret: *Ego
dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.*
Et illud: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum
contra me eſt ſemper.* Et magis exempla illorum, qui poſt
multa peccata & bene conuerſi ſunt, pro remedio animæ
A ſequeretur, & non ſibi illos proponeret imitandos,
quibus poſt breue gaudium ſuccedit ſine fine ſupplicium.
Solent etiam & hoc profana temeritate deſperantes
de Dei iuſtitia criminoſi vel negligentes dicere,
quod multi talia aut fortè peiora crimina committentes
nihil mali in hoc ſæculo patiuntur, ſed ſani & diuites in
proſperitate permanent, ô infœlix & nimium lugenda
præſumptio. Ergo capitalia crimina committentes ſuperbi
& impij, ideo tibi videntur eſſe beati, quia nihil
mali in hoc ſæculo patiuntur. Audi de talibus Scripturam
dicentem: *In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus
non flagellabuntur. Ideò tenuit eos ſuperbia eorum: operti
ſunt iniquitate & impietate ſua. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas
eorum.* Ideo enim in hoc ſæculo minimè flagellabuntur, Deſperātium poſitio. Pſalm. 72.
B quia pro nimietate ſcelerum ſuorum, æterno
ſupplicio reſeruantur. Non enim breui tempore caſtigari
poterūt, quibus neceſſe erit ſine fine torqueri. Nam
Dominus ac Deus noſter, qui iſtos pro ſua iuſtitia caſtigare
diſſimulat, filios ſuos diuerſis tribulationibus exercere
non ceſſat, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Flagellat
Deus omnē filium quem recipit.* Et illud: *Ego quos amo, arguo
& caſtigo.* Si omnem filium flagellat quem recipit, ergo Hebr. 12. Apoc. 3.
quem non flagellat, non recipit. Et ſi omnem quem
amat caſtigat: ergo quem non amat, non caſtigat. Et hoc
vt ita fiat, non Dei potentia operatur, ſed illorum nequitia
ſuſtinere meretur, ſecundum illud quod ſcriptum eſt.
Vt ſordidus ſordeſcat adhuc, & iuſtus iuſtificetur adhuc. Hæc ergo
diligentius & attentius cogitet, qui ſe in comparatione
C peiorum minus peccare putat, & dum adhuc anima
iſta peccatrix in iſto fragili corpuſculo continetur,
remedia ſibi æterna prouideat: ne fortè ſi eum delectat
breui tempore purpura indutum & byſſo, inter opes &
delicias voluptati vel luxuriæ infœliciter deſeruire, neceſſe
illi ſit poſtmodum inferni flammas ſine vllo iam
remedio guttam refrigerij poſtulare. Sed quando hoc Luc. 16.
luxurioſi audiunt, velut frenetici amiſſo ſanitatis ſenſu,
irridere ſolent, & ſubſannare illos à quibus ijs cum grandi
dolore talia prædicantur. Rideant quantum volunt, Luc. 6.
habent pro nobis Dominum reſpondentem. *Beati qui lugent,
quoniam ipſi conſolabuntur.* Habent enim ipſum Dominum
dicentem: Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis
& flebitis. Væ *qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Irrideāt
ergo nos ſuperbi: nos tamen pro eorum ſalute, licet minus
D digni, die noctéque cum rugitu & gemitu, Dei miſericordiam
ſupplicemus, confidentes de illius ineffabili
pietate, quod eos citò inter filios ſuos ita dignabitur
caſtigare, vt per ipſam caſtigationem ab omnium
peccatorum præcipitio reuocentur, & dignam pœnitentiam
agentes cum ſanctis mereantur præmia æterna
percipere. Quod tamen tunc in veritate fieri poterit,
quando ſine aliqua mora peccator ad pœnitentiæ
medicamenta confugerit. Vos ergo fratres chariſſimi,
agnoſcentes quàm grauis ſarcina ceruicibus immineat
ſacerdotum, à quibus omnium animæ requirendæ ſunt,
ſicut iam ſupra ſuggeſſimus, videntes quæ mala negligens
Heli ſacerdos incurrerit & quam gloriam Phinees
qui zelo Dei commotus eſt, Domino remunerante
E perceperit, ſecundum veſtram conſuetudinem ea quę Similitud.
vobis prædicātur, etiamſi aliquoties vobis amara videātur
& aſpera, libenter excipite. Et vos enim bene noſcitis,
quod non ſemper medici dulces potiones porrigunt
ægrotantibus, ſed frequenter amaras & aſperas. Nonnúquam
etiam ferramentis aliqua membra ſecare & cauterijs
exurere ſolent. Et totum, illi qui infirmi ſunt, patienter
excipiunt, dum poſt breuem tribulationem longam
ſanitatem recipere cupiunt. Et nos ergo, qui licet
minus digni, tamen qualeſcúnque medici ſpiritales eſſe
videmur, neceſſe nobis eſt nō ſemper blanda, & mollia,
ſed aliquotiens aſpera & dura illis qui anima ægrotare
videntur ingerere. Quomodo enim per amariſſimam
potionem digeruntur humores mali, ſic per aſperam
caſtiga-

caſtigationem mores peſſimi minuuntur. Nam illud quale eſt, fratres chariſſimi, quod medici corporum, A quando ad ægrotos venire diſſimulant, cum grandi humilitate rogantur, præmia & munera promittuntur: & tamen dubium eſt vtrum aliquid illorum medicamenta proficiant. Nos verò qui de medicamento ſpiritali in nullo penitus deſperamus, & nec terrenum præmium, nec aliqua temporalia lucra requirimus: ideo faſtidire debemus, quia nos vltrò ingerimus, & nihil aliud niſi pœnitentiam & correctionem inuenire deſideramus. Carnalis enim medicus vtrum releuare poſſit ægrotum, incertum eſt. Spiritalis verò medicina, ſi libenter accipiatur, abſque dubitatione, etiamſi mortua ſit anima, ſuſcitatur. Quare ergo tam graui expenſa & cum multis doloribus requiritur ſanitas corporum, & cùm ſine vlla expenſa tribuatur, ab aliquibus non libenter accipitur ſanitas animarum? Quare hoc fratres, niſi quia multi ſunt qui maiorem curam habent in carne ſua, quàm in anima ſua? Sed oportebat illos erga animam, vbi imago Dei eſt, maiorem ſolicitudinem ſemper impendere, quia quando caro, quæ modò tantum diligitur, à vermibus deuorari cœperit in ſepulchro, anima Deo præſentabitur in cœlo, & ibi ſi bona fuerit, coronabitur: & ſi mala, in tenebras exteriores proijcietur. De quibus tenebris attentius ſupplicemus vt nos Dei miſericordia liberare dignetur, Amen.

ADMONITIO AD EOS QVI SIC eleemoſynas frequentius faciunt, vt tamen & rapinas exerceant, & adulteria quotidiana committant.

HOMILIA XVI.

ROgo vos fratres, diligentius conſiderate, quantum poteſtis, expaueſcite vel cauete, ne nobis ille crudelis humani generis inimicus ita ſubrepat, quomodo ſolet incautos & negligentes iniqua calliditate decipere. Nam aliquibus homicidis, raptoribus, & adulteris, vanam ſecuritatem ingerit, vt cùm crimina quotidiana committunt credant quod ea quotidianis eleemoſynis redimant, putantes quod Deus corruptorum more iudicum, pecuniam accipiat, & peccata dimittat. Accipit planè pecuniã & eleemoſynis delectatur ea tamen ratione, vt vnuſquiſque peccator quando offert Deo pecuniam ſuam, ſimul offerat & animã ſuam. Nam rogo vos fratres, quæ iuſtitia eſt, vt aliquis criminoſus pecuniã ſuam per eleemoſynam Deo offerat, & animam ſuam Diabolo per luxuriam tradat? In pecunia, imaginem imperatoris offert Deo, & in ſeipſo imaginem Dei tradit Diabolo. Non ita Dominus præcipit in Euãgelio. Cùm enim dicit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*, quid aliud dicere videtur, niſi vt quomodo in ſolido imaginem Cæſaris Cæſari, ſic in vobis ipſis reddite imaginem Dei Deo? Nam quanlibet largas eleemoſynas aliquis tribuat, ſi capitalia crimina non declinat, timeo valde, timeo ne fortè falſa ſecuritate ſe decipiat, & pecuniam perdat & peccata non redimat. Nemo ergo putet, quod quotidiana adulteria, eleemoſynæ quotidianę conſumant. Aliud eſt enim mutare vitam aliud colorare vitam. Mutare vitam, eſt à capitalibus criminibus abſtinere. Vitam colorare eſt, minuta peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, eleemoſyna quotidiana redimere. Tunc enim (ſicut iam ſuprà dixi) largior eleemoſyna animam liberat, ſi criminoſus mortifera peccata iam deſerat. Si verò, ſicut iam ſuprà dictum eſt, ſubſtantiam ſuam tribuat Deo, & animam ſuam offerat inimico, implctur in eo quod ſcriptum eſt: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum contingit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Et illud quod Petrus *Apoſtolus clamat*, dicens: *Si enim effugientes coinquinationes mundi, hic rurſum impleti ſuperantur, facta ſunt eorum poſteriora deteriora prioribus*: conſiderate fratres, quia beatus

Anima, in primis Deo offerenda.

Matth. 22.

Eccl. 34.

2. Pet. 2.

Petrus Apoſtolus hoc peccatoribus conteſtatur, quod ſi poſteàquam redimere peccata cœperint, iterum ad criminum volutabra redierint, efficiuntur eorum poſteriora peiora prioribus. Et contingit eis illud quod idem Apoſtolus Petrus adiungit & dicit: *Canis reuerſus ad vomitum ſuum & ſus lota in volutabro luti.* Quam rem terribilius & apertius etiam Salomon admonet dicens: *Sicut canis odibilis eſt quando reuertitur ad vomitum ſuum, ſic peccator quando reuertitur ad peccatum ſuum.* Quod ipſe Dominus in Euangelio confirmat: *Ecce (inquit) ſanus factus es, noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Quod denuò Salomon conteſtatur & clamat: *Fili peccaſti, quieſce non adijcias iterum, ſed & de [1] priſtinis deprecare vt tibi remittantur.* Quam rem non de minutis peccatis ſine quibus eſſe non poſſumus, ſed de capitalibus criminibus dixiſſe manifeſtum eſt. Inde etiam in Euangelio ſcriptum eſt: B *Cùm exierit immundus ſpiritus ab homine, vadit per loca arida, & quærit requiem, & non inuenit. Poſthac reuertitur & inuenit domum ſuam vnde exierat, mundatam, & ducit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & erunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Hoc enim illis contingit, qui per eleemoſynam crimina capitalia redimere conantur. Quomodo enim eleemoſyna mundat, ſic luxuria ſordidat. Nam ſi aliquis frequenter ſtolam ſuam abluat & iterum atque iterum in lutum demergat, neſcio qua fronte illam induere in aliqua feſtiuitate poſſit. *Aptauit ſibi Eccleſiam non habentem maculam & rugam.* Si cum macula & ruga intrare in vitam æternam nemo poterit, qua conſcientia capitalibus criminibus oppreſſus aliquis intraturum ſe eſſe in eam confidit, niſi ſe emendando C & eleemoſynas dando mundauerit? Et hoc quod ſuggero, fratres chariſſimi, diligenter attendite, ne fortè aliquis malè intelligens credat me dicere, quod eleemoſyna non poſſit prodeſſe peccatis. Abſit à nobis hoc fratres non ſolum prodeſſe credimus, ſed & multum prodeſſe fatemur: ea tamen conditione, vt qui eleemoſynas pro peccatis ſuis erogat, crimina capitalia exercere iam deſinat, & ſic eleemoſynam faciat, iubente Domino, vt dedignetur ſeruire peccato. De qua re aliquam ſimilitudinem charitati veſtræ inſinuare volo. Rogo vos fratres, nunquid aliquis noſtrum vult vt ſeruus ſuus ſic illi pro opere ſuo mercedem reddat, vt tamẽ inimicis ſuis iugiter ſeruiat, & nunquam de illorum ſocietate diſcedat. Certum eſt, quòd hoc neſcio, ſi vllus D homo ſuſtinere præualeat. Quod ergo non vis pati à ſeruo tuo, non eſt iuſtum vt facias Domino tuo? Et ideò ſicut ſæpe iam diximus, quando pauperibus erogamus pecuniam, Deo offeramus animam noſtram vbi eſt, & cor noſtrum. Propterea Deus vos hortatur, vt per eleemoſynam pauperum theſaurizemus in cœlo, vt ibi ſequatur cor noſtrum, quo præmittimus theſaurum noſtrum. Et ſacerdote dicente: Surſum corda: cum ſecura conſcientia reſpondeamus: nos habere ad Dominum. Sed dicit aliquis, iuuenis ſum, & ideo voluptatem vincere & libidinem ſuperare non poſſum. Si te non potes continere, adi Apoſtolum dicentem. *Melius eſt nubere quã vri.* Cum enim vxorem ducere liceat, & concubinas habere vel adulterium perpetrare non liceat: quare vis E exercere quod non licet, & non vis habere quod licet? Nullus magis illicita vitare debet, quàm qui reſpuit quod licebat. [1] Verè dico fratres, quia hoc ſecundum Dominum non licuit aliquando, nec licet, nec vnquam licebit. Sed quod peius eſt, ita peccata iſta in conſuetudinem miſſa ſunt, & tam ſunt qui illa faciunt, vt iam quaſi ex licito fieri credantur. Si enim nullus vir eſt, qui ſponſam ſuam vellet ante nuptias adulterinũ habere cõcubitum, ſed omnes homines virgines vxores accipere volunt: qua fronte, qua conſcientia ante nuptias concubinas habere non erubeſcunt? Qua fronte vxorem integram vult inuenire, cum ipſe corruptus? Si enim ſecundum Scripturam diuinam, *Anima quæ peccauerit ipſa morietur*, quomodo aliquis viuam coniugem vult accipere, cùm ipſe ſit mortuus? Sed ſicut iam dixi,

2. Pet. 2.

Io. 5.

Eccl. 21.

1 De præteritis.

Luc. 11.

Matth. 9.

Epheſ. 5.

Eleemoſyna quatenus proſint.

Matth. 6.

Sacerdotis canon, Surſum corda.

1 Cor. 7.

1 Verum.

Ezech. 18.

mala & peſſima iſti conſuetudo, ita à pluribus ſine aliquo Dei timore committitur, vt hoc nec peccatum eſſe credatur. Sed forſitan aliquis putat licere hoc viris, & & fœminis non licere: vt enim viris liceat, ſicut iam dixi, peccantium obtinuit multitudo. Nam in populo Chriſtiano, quicquid fœminis non licet, nec viris vnquam licuit aut licebit. Vnde quicunque hoc ſe feciſſe cognoſcunt, rogo vt non mihi, ſed ſibi potius iraſcantur: & magis de ſua correctione, quàm de noſtra oblocutione vel perſecutione ſtudeant cogitare. Et cùm dies iudicij venerit, & ſi coronam non merentur accipere, vel peccatorum indulgentiam conſequantur, Amen.

ADMONITIO EXCERPTA DE LIBRIS Sanctorum antiquorum Patrum, vt qui ſe crimina capitalia feciſſe cognoſcit, ad pœnitentia medicamenta, ſine aliqua diſſimulatione confugiat.

Homilia XVII.

VNde vos frequenter admonui fratres chariſſimi, iterum atque iterum admoneo & conteſtor, vt qui ſe cognoſcit de littore continentiæ tempeſtate libidinis in pelago luxuriæ fuiſſe iactatum, & caſtitatis incurriſſe naufragium, peccatorum confeſſionem, velut tabulam fractæ nauis, velociter apprehendat, vt per ipſam de abyſſo, ac profundo luxuriæ poſſit euadere, & ad portum pœnitentiæ peruenire, vbi iam tutiori loco ſpei anchoram figere, & ſalutem perditam valeat reparare. Oportet enim vnumquemque ſuper ſeipſum, quaſi ſuper mortuum conclamare, & magnos ſuper extinctam animam dare planctus: & quomodo ſolet mater ſuper mortuum vnicum filium lamentari, ſic oportet ſuper vnicam animam noſtram criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi, ſi fortè poſſit lachrymarum fomentis calore fidei ſuſcitari. Ante omnia, ſicut frequenter admonui, caueat & obſeruet vnuſquiſque peccator, ne pro ſuis criminibus eleemoſynam tribuat, vt ipſa crimina non relinquat, timens illud quod Apoſtolus dixit: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt:* Sed dicit aliquis. Quomodo charitatem non habere iudicabitur, qui pauperibus tanta largitur? Cui ego reſpondeo: Quomodo in alijs charitatem cuſtodit, qui ſeipſum interficit, qui in animam ſuam crudelis exiſtit? Non enim mentitur Spiritus ſanctus qui dicit: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur,* Si enim quoties aut adulteria, aut homicidia committimus, animas noſtras occidimus, quid nobis prodeſt, quod in alijs benigni ſumus, & in nobis ipſis impij eſſe cognoſcimur? Eleemoſynas dando alienam carnem paſcimus, & crimina committendo noſtram animam iugulamus. Et ideo ſicut frequenter admonui, ſic pro maioribus peccatis eleemoſynas demus, vt numquam ad ipſa crimina redeamus. Non ſanitati credendum eſt, non ætati. In remedium ſalutis ſuæ ſemper tardatus eſt, qui vitæ ſuæ incertus eſt. O ſi tempus pœnitentiæ ſic diſponeretur, quando eſt in poteſtate poſitum, quomodo deſideraretur amiſſum. Nos ergo quibus adhuc etſi ſub incerta breuitate conceditur curare maculas, lauare culpas, ſubuenire præteritis, conſulere futuris, & facere infecta de factis, totis viribus laboremus, vt quod viuimus, ad vitā poſſit apponi: vt quod viuimus, non morti proficiat ſed ſaluti. Sint tamē efficaces gemitus qui peccata in oſſibus ſcrutentur, qui in medullis perſequantur. Nihil intactum fletus, nihil incuratum medicabilis pœnitentiæ dolor relinquat, quod contra nos in die diſcuſſionis aſſurgat, quod poſt vetera ſæcula repentè nouum in reatum malæ conſcientiæ mentis appareat? Feſtinemus emendatam vitam Domino antequàm auferatur, † afferre. Hic extinguamus mortem moriendo peccatis. Hic vitam, vitæ meritis acquiramus, nec nos in tempore ſenectutis ad pœnitentiæ remedia reſeruemus. Qui

1. Cor. 13.

Ezech. 18.

† Fortè offerre.

enim dixit, *Peccator in quacumque die conuerſus ingemuerit, omnes iniquitates illius obliuioni tradentur:* Ipſe etiam dixit, *Nolite tardare conuerti ad Dominum. Si te faciebat promiſsio illa ſecurum, faciat te conteſtatio iſta ſolicitum: & audi Scripturam dicentem. Memento fili quia mors non tardat.* Et illud: *Ne dixeris quia miſeratio Dei magna eſt, multitudinis peccatorum meorum ignoſcet.* Miſericordia & ira apud ipſum ſunt: & in peccatores, id eſt in peccatis perſeuerantes, reſpicit ira eius. Si enim hæc fideliter & diligenter attendimus, & ad pœnitentiæ medicamenta ſine aliqua dilatione confugimus, & pœnam perpetuam euadere, & ad præmia æterna poſſumus fœliciter peruenire, [1] ipſo adiuuante, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

A

Eccl. 14.12.

1. Præſtante Domino, &c.

B

SANCTI CÆSARII EXHORTATORIA ad Fratres.

Homilia XVIII.

DOminis ſanctis, & in Chriſto deſiderantibus fratribus in Monaſterio conſtitutis; Cæſarius Epiſcopus. Sanctus ac venerabilis pater veſter, religioſa quidem humilitate, ſed propè indiſcreta ſuggeſtione poſtulat, vt ad ſanctam charitatem veſtram exhortatorium debeam proferre ſermonem, & dum vobis quo iam propè non indigetis, deſiderat prouidere, nobis verecundiam videtur ingerere. Quid enim dictum ſumus verbo, quod vos iam glorioſo nō impleſtis exemplo? Nunquid debemus vobis dicere: Nolite mundum diligere: quos eundem cognoſcimus cum omnibus deſiderijs ſuis, tota fidei deuotione contemnere? Dicturi vobis ſumus, deſpicere ſæculi ornamenta, quæ iam Deo propicio velut purgamenta ac ſtercora reſpuiſtis. Nunquid dicere poſſumus, vt de ſubſtantia veſtra eleemoſynas tribuatis, qui non ſolum facultates ſed etiam vos ipſos Domino fideliter abſtuliſtis? nunquid admonendi eſtis gulæ vel ebrietati minimè deſeruire, cùm vos videamus ieiunijs & vigilijs indeſinenter inſiſtere? Nunquid prædicare poſſumus, vt lites & ſcandala debeatis fugere, quos videmus de periculoſo & nimijs fluctibus inquieto que ſæculi huius pelago, ad portum monaſterij fideliter ac fœliciter conuolaſſe? Et licet de his omnibus, quæ in vobis Deus contulit, gaudeamus, & quia illa Deo propitiante fideliter exercetis, admonere vos minimè præſumamus: eſt tamen quod non in filios rapiamus. Vnuſquiſque quod poſſumus de bono inreſtari parentis, hic de hæreditate eius aſſumat fidei boloſericam, geſtorúmque varietatem precioſam. Hic manſuetudinis ac ſimplicitatis occupet talentum, ille decus pectoris, beneuolentiæ ac ſapientiæ monile ſibi vendicet. Hic Margaritam compunctionis: & theſaurum caſtitatis inuadat. Licet enim ille locupletiſſimus Dei amicus quicquid habuit integrum, ſecum tulerit, & nobis tamen, ſi volumus, totum reliquit. Ita ergo agamus bona illius ſectantes, vt qui in æterna gloria ſuſcitandus, ſub fine ſæculorum redditur. Nunc Eccleſiæ per ſe de veſtro in filijs meritò iam reſurgat. Eſt tamen quod non incongruè debeamus veſtræ charitati ſuggerere: vt quod Deo inſpirante fideliter cœpiſtis, ipſo adiuuante vſque ad finem glorioſum viriliter compleatis. *Non enim qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et qui ſpiritalem fabricam ædificare, Chriſto adiuuante, cœpiſtis, fundamentum veræ religionis ſupra petram humilitatis collocare debetis. Quælibet enim fabrica quamuis ſublimis & ampla ſit, ſi firmum non habuerit fundamentum, citò delabitur in ruinam. Sic eſt fratres dilectiſſimi & cōſtructio ſpiritalis. Quælibet bona quis habeat, ſi verè humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter ſtare non poterit. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere (ſicut dixit Apoſtolus) præter id quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Dominus.

Duo

Inſcriptio hæc aberat à codice MS. F. D.

C

D

E

Matth. 10. & 24.

Humilitatis commendatio.

1. Cor. 3.

Digitized by Google

Duæ ſunt ciuitates in hoc mundo.

Dno enim ædificia & duæ ciuitates à mundi initio conſtruuntur: vnam ædificat Chriſtus, alteram Diabolus: vnam ædificat humilis, alteram ſuperbus: vna humiliatur vt firmiter ſurgat, altera erigitur vt infœliciter cadat. In fabrica Chriſti qui ædificantur de imis, leuantur ad ſumma; In fabrica verò Diaboli, de ſummis ad ima præcipitantur. Attendat vnuſquiſque fratres dilectiſſimi, conſcientiam ſuam, & ſi in ſe viderit dominari ſuperbiam, in ciuitate Diaboli ſe infœliciter ædificare, immò & præcipitari non dubitet. Si verò in illo vera humilitas regnat, Chriſto ſe coædificare, & fœliciter adhærere congaudeat. Non enim diſcernuntur filij Dei & filij Diaboli, niſi humilitate atque ſuperbia. Quemcunque ſuperbum videris, Diaboli filium eſſe non dubites. Quemcunque humilem conſpexeris, Dei eſſe filium confidenter credere debes. Et vt hoc verum eſſe cognoſcas, audi ſcripturam dicentem: *Initium apoſtatare à Deo, omnis ſuperbia. Et omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Nam quod Diabolus per ſuperbiam deijcit, Chriſtus per humilitatem erexit: quia ad vulnus ſuperbiæ medicamentum humilitatis exibuit. Si ergo volumus venenum ſuperbiæ fugere, antidotum humilitatis iugiter debemus haurire Audiamus Dominum dicentem: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Non enim dixit: Diſcite à me mundum fabricare, mortuos ſuſcitare, & virtutes reliquas facere, ſed quia (inquit) mitis ſum & humilis corde. Humilitatem ergo fratres dilectiſſimi, ante omnia teneamus: non illam quæ aliquoties foris tantum oſtenditur, ſed illam quæ in cõſcientia retinetur. Sunt enim qui quãdo aliqua tranquillitas fuerit, humilitatem in ore ſolent oſtẽdere & in corde ſuperbiam occultare: & ſi aliqua, vt aſſolet, tribulationis vel ſcandali procella ſurrexerit, effrenato ore & erecta ceruice, ſuperbia (quæ in corde tegebatur) ex ore profertur. Quare hoc factum eſt fratres, quia fundamentum veræ humilitatis non habuit, qui humilitatem quam prius *promittebat in corde, poſtmodum non adimpleuit opere. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Sine cauſa quæris attingere, quod cùm potuiſti, noluiſti recondere. Pectora noſtra dilectiſſimi fratres, ſic ſunt, quomodo vaſa quæ vacua eſſe nullatenus poſſunt. Nam aut de bono, aut de malo quiſque plenus eſſe cognoſcitur. Et quomodo vas aliquod cùm ventilatur, tunc quale ſit quod eſt intus, oſtenditur: ſic & vnuſquiſque homo cùm aut per caſtigationem, aut per aliquam diſtrictionem, vt ſolet fieri, fuerit ventilatus, ſtatim oſtendit vnde ſit plenus, quia (ſicut dixit) *ex abundantia cordis os loquitur.* Nam humilitas quam prius promittebat, in ore tantum erat, in conſcientia non erat. Cùm autem propter iuſtitiam caſtigatus fuerit, tyrannico furore amariſſima verba reſpondet. Superbia illa non tunc naſcitur, ſed tunc in veritate monſtratur: quia non illum diſciplina vel caſtigatio ſancta ſuperbum fecit, ſed qualis diu eſſet oſtendit. Sicut econtrario anima humilis & ſancta, etiam ſi aliquoties (vt fieri ſolet) aliquas iniuſtas, aut iuſtas increpationes audiat, amplius ſe Chriſto inſpirante humiliat, & minus ſe audire, quàm meretur, Spiritu ſancto ³ proclamante ſubclamat. Sic & ille qui ſuperbiam regit in corde, cùm ventilatus fuerit, fœtorem teterrimum emitit: & ille qui eſt humilis & mittis, odorem ſuauiſſimum reddit. Humiles ergo ſimus, fratres dilectiſſimi, non ſolum ſenioribus, ſed etiam coæqualibus & iunioribus noſtris, ne Deus ſuperbis reſiſtat, ne ſe exaltantes humiliet, ne inflati per viam anguſtam tranſire non poſſint. Quicquid vobis à ſenioribus fuerit imperatum, ſic accipite tanquam de cœlo ſit ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil diſcutias, in nullo pœnitus murmurare præſumas, quia in monaſterio ſeruire veniſti, non imperare, obedire potius quàm iubere: totum ſanctum, totum iuſtum, totum vtile iudica quicquid aut tibi, aut alijs videris imperari. Et nõ ſolum tuam linguam ſtude à murmuratione mortifera prohibere, ſed etiam murmurantem alium non libenter audire, ſed

Quomodo diſcernantur filij Dei & Diaboli.

Eccl. 10.

Matth. 11.

Luc. 6.

a. Promittebat in corpore non habebat in corde.

Matth. 12.

3 Operante proclamat.

magis, quantumpotes, contende tuo ſancto, & ſalubri conſilio furorem illius mitigare. Sunt enim quod peius A eſt, adiutores Diaboli, qui ſtatim vbi viderint aliquos nimia iracundia commoueri, venenoſum conſilium, vnde amplius iraſcantur, conantur ingerere. Iſti de parte ſiniſtra ſunt, & in illa ruinoſa ciuitate Diaboli conſtruuntur. Sunt verò & alij Chriſto propitiante, de quibus Apoſtolus ait, *Chriſti ſumus adiutores.* Sunt ergo adiutores Dei qui ſtatim vbi viderint in corde cuiuſque fratris venenum ſuperbiæ ſerpere, omni celeritate illud medicamento veræ humilitatis conantur extinguere. Et ſicut illi alij incentores malorum pro ſua perditione multiplicem pœnam merentur, ita iſti humiles & benigni duplicem gloriam conſequuntur. Illi enim per mala conſilia ſua non ſolum in ſuis, ſed etiam in aliorum cordibus Chriſtum occidere conantur; ſancti ve- B rò, & humiles in ſe, & alijs Diabolum perſequuntur. Et ideo fratres, ſicut iam ſuprà ſuggeſſi, de vera & non falſa humilitate debemus præſumere, & omnibus nos velut medicamentum & lumen ſplendidum debemus oſtendere, vt impleatur in nobis illud quod Dominus dicit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra opera bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Nam ſi charitas & humilitas vera non fuerit, de ſolo habitu religionis præſumere vel confidere non debemus, ne ſimus velut Sepulchra dealbata. Nemo ſe circumueniat fratres, quia nemo ſibi ſoli viuit, & nemo ſibi ſoli moritur.

1. Cor. 3.

Matth. 5.

Quantis enim exemplum veræ humilitatis & perfectæ charitatis oſtenderis, cùm tantis & pro tantis æterna C præmia poſſidebis. Si verò (quod abſit) ſuperbiæ, iracundiæ, murmurationis vel inobedientiæ formam ad imitandum te alijs dederis, non ſolùm pro te, ſed etiã pro illis quos deſtruxeris, gehennæ ſupplicium ſuſtinebis; ſed dicis fortaſſe, Nimis dura ſunt & inepta quæ nobis è noſtris ſenioribus imperantur. Non legiſti: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*: Non legiſti: *quia arcta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam*? Non audiſti Apoſtolum dicentem; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*? Non audiſti Prophetam dicentem. *Virga & flagello caſtigaberis filia Sion,* * *vt non diſcedat Zelus meus à te*? Et illud: *Quos amo, arguo & caſtigo.* Et alibi: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Et ſi ea quæ tibi & præcipiuntur, dura ſunt, nunquid murmurando illa facere poteris meliora? Cum humili- D tate præbe obedientiam. Si verò non præuales, impoſſibilitati tuæ cum humilitate poſtula veniam. Dura tibi videntur præcepta ſenioris: quanto tibi duriora erunt conſilia deceptoris? Aſpera tibi videntur, quæ tibi à ſenioribus imperantur: quanto duriora ſunt, quæ auaritia imperat cultoribus ſuis? Quàm laborioſa & quàm periculoſa itinera illos ſuſtinere compellit! Et cùm illud totum patienter excipiant, propter pecuniam temporalẽ, tu quare non æquanimiter pertuleris propter vitã æternam? Non legiſti: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quã fraudulenta oſcula odientis*? Et illud: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris, id eſt, adulatio aſſentatoris, non impinguet caput meum*: Senior enim caſtigat, vt corrigat: Diabolus autem blanditur, vt perdat. E Conſilium autem Diaboli (ſicut Propheta dicit) ad tempus impugnat fauces, poſtea felle amarior inuenitur. Ipſe enim breuiſſimo tempore per viam latam, & ſpatioſam ſuperbientes vel luxuriantes, ducit ad mortẽ: ſicut è contrario Chriſtus Dominus noſter per arctam, & anguſtam vitam humiles & obedientes perducit ad vitam. Ambæ iſtæ viæ, lata & anguſta finem habent, & breuiſſimæ ſunt. Nec in anguſta via diu laboratur, nec in illa diu quis gaudet: ac quos lata via & luxurioſa delectat, poſt breue gaudium habebunt ſine fine ſupplicium: & è contra, illi qui Chriſtum per viam arctam ſequuntur, poſt breues labores & anguſtias ad æterna merebuntur præmia peruenire. Nam ſi laicus homo, & in ſeculo conſtitutus ſuperbiam habeat, peccatum eſt;

Act. 14.

Apoc. 3.

Heb. 12.

** Et non diſcedat.*

Monachus verò ſi habuerit, ſacrilegium eſt. Taliter vos
exhibere debetis, fratres, tam ſanctè & tam iuſtè, tam A
piè, vt merita veſtra nō ſolùm vobis ſufficere, ſed etiam
peccantibus alijs in hoc ſæculo poſſint veniam impetra-
re. *Nam ſi linguam non refrenamus, non eſt vera, ſed falſa re-*
ligio noſtra. Et melius fuerat non vouere, quàm poſt votum
promiſſa non reddere. Et hæc, fratres, non ideo ſuggero,
quod vos tales eſſe cognouerim, ſed timentis magis ani-
mo quàm reprebendentis loqui præſumo, propter id
quod Apoſtolus dicit: *Cum metu & tremore veſtram ſalu-*
tem operamini. non ideo dixi, quia illud facitis: ſed ideò
ſuggeſſi, ne fortè ſubrepēte Diabolo faciatis. Nos enim
talem fiduciam de vobis habemus, vt magis nos creda-
mus veſtris orationibus adiuuari, vt inter procellas vel
tempeſtates ſæculi huius poſſimus ad portum venire
fœlicitatis, ſupplicantibus vobis. Adiuuante Domino
noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæ- B
culorum, Amen.

Iacob. 1.
Merita ſibi & alijs proſunt.
Eccl. 5.
Phil. 2.

ITEM HOMILIA EIVSDEM CÆSA-
rij de eo quod ſcriptum eſt in Euangelio: Regnum Dei, intra
vos eſt, & inter animam & carnem iuſto iudicio iudi-
cetur, vt murmurantes poſſimus, & qualiter contra
Dominum cum eo nunquam pacem habere
iuſtitiam & pacem vel gaudium
habere poſſimus.

Homilia XIX.

AVDIVIMVS cum Euangelium legeretur,
dicente Domino: *Regnum Dei intra vos eſt.* Et C
quia ſciebat quod non omnes poterant in-
telligere quod dicebat cùm dixiſſet, *Regnum*
Dei intra vos eſt: quaſi ab aliquo interrogaretur, ſubdi-
dit dicens: *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia &*
pax & gaudium. Rogo ergo vos fratres chariſſimi, con-
ſideremus conſcientias noſtras: videamus, ſi regnum
Dei intra arcellas animæ noſtræ repoſitum habemus. Si
eſt ibi iuſtitia, ſi pax, ſi gaudium, ſecuri ſumus, quia re-
gnum Dei intra nos eſſe cognoſcimus. Sed quæ eſt iſta
iuſtitia, quæ pax, quod gaudium, diligenter attendite.
Iuſtitia ergo vera & perfecta, ipſa eſt quæ non facit alijs
quod ſibi non vult. Sed dicit aliquis: Quis poteſt om-
nibus hominibus benefacere? Poteſt tamen omnibus
hominibus bene velle. Quod cùm feceris dicit tibi E- D
uangeliſta: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*
bonæ voluntatis. Poteſt dicere aliquis, Facultatem non ha-
beo: nunquid poteſt * dicere, Bonam voluntatem habe-
re non poſſum. Ipſa eſt ergo vera iuſtitia, quæ omnibus
hominibus quod ſibi vult optat: hoc quod ſibi vult il-
lis euenire deſiderat. Ipſa eſt vera iuſtitia quæ pro amo-
re Dei non ſolùm amicos ſed etiam ipſos diligit inimi-
cos. Sed iſtam veram iuſtitiam, fratres, tunc alijs bene
impendimus, ſi & nos habere deſideramus. Nam quo-
modo quiſquam alijs largitur, * quod in ſe ipſo habere
non cognoſcitur? Sed fortè aliquis interrogat, quomo-
do in nobis iuſtitiam ſeruare debemus? Attendite fra-
tres, iuſtitia videtur mihi quod inde nomen accepit,
quia inter duas partes, aduerſas & contrarias ſibi iuſtè E
iudicare conſueuit. Eia fratres, agnoſcamus & in no-
bis duo quædam eſſe contraria. *Nam caro concupiſcit ad-*
uerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem. Habemus ergo &
interiorem hominem, & exteriorem. Habemus carnem
& animam: hoc eſt, habemus dominam & ancillam:
Si ergo vis vt tibi credam, quod poſſis iuſtè cauſam al-
terius iudicare, in te ipſo volo primum agnoſcere. Eſto
iſtius iudex in te ipſo: tribue animæ quod dignum eſt:
reſerua carni quod opus eſt. Tribue dominæ, quod illi
ſufficiat in æternum, & hoc tantum reſerua ancillæ, vn-
de viuere poſſit in mundo. Nam ſi domina humilia-
tur, & ancilla erigitur, ſi dominæ aut parum aut nihil
reponitur in cœlo, & totum ancillæ reſeruatur in mun-
do: ecce iam in nobiſmetipſis iuſti non eſſe cognoſci-

Luc. 17.
Rom. 14.
Iuſtitia perfecta.
Luc. 2.
** al. dicere, voluntatem habere non poſſum.*
** al. quod ſi quæ habere non cognoſcit?*
Duo ſibi aduerſantia ſunt in nobis.
Gal. 5.

mur. Et quomodo cauſa alterius directo ordine à nobis
A auditur, quando in nobis & in noſtra cauſa nihil iuſti-
tiæ reſeruatur? Hoc ſolùm ſcio fratres, quod nunquam
alterius cauſam iuſtè iudicare poterit, qui inter animam
& carnem ſuam iuſtitiā tenere noluerit. In anima enim
& in mente ad imaginem Dei facti ſumus; ſecundum
carnem verò de limo terræ formati ſumus. Qui ergo
plus amat carnem quàm animam ſuam, imaginem Dei
vult deponere deorſum, & terram erigere ſurſum: &
qui in ſe ipſo tam iniuſtus eſt ſi cauſam alterius audierit,
ſine dubio iuſtitiam non tenebit. Et ideo qui iuſtitiam
tenere deſiderat, à ſe ipſo incipiat, & in ſe prius iuſtitiam
teneat, & inter carnem & animam ſuam iuſtus iudex eſ-
ſe conſueſcat. Carni victum & veſtimentum ſimplicem
& mediocrem reſeruet in mundo: & quod eſt melius,
animam per eleemoſynas ponat in cœlo. Nam ſi aliter
B fecerit, & ſe non emendauerit, ſi in hoc perſeuerare vo-
luerit, quomodo iudicat in hoc ſæculo, ſic iudicandus
eſt in futuro. Et hæc quidem de veſtra iuſtitia breuiter
dictum ſit. Pax enim quæ ſit vera, debetis agnoſcere.
Non eſt enim illa vera pax, quam ſibi inuicem * viden-
tur præſtare raptores & ebrioſi, maledici & ſuperbi.
Iſta non eſt dicenda pax, quæ de radice charitatis non
conſurgit. Qui ergo pacem veram deſiderat, primùm
cum Deo pacem habere contendat. Sed dicit aliquis:
Quis eſt qui pacem cum Deo habere non velit? Ille vti-
que qui ſic non viuit, quomodo Deus præcepit eſſe vi-
uendum: Quis eſt hic qui pacem cum Deo non habeat?
cui diſpliceat Deus. Sed dicit aliquis: Et quis ita inſa-
nus eſt, vt illi diſpliceat Deus? Si te ipſum diſcutio, fortè
C te ipſum inuenio cui diſplicet Deus. Dic mihi rogo te,
nunquam murmuraſti contra abundantiam pluuiarum?
nunquam ariditatem queſtus es ſiccitatum? nunquam
murmuraſti contra fœlicitatem malorum hominū, nun-
quam iratus es contra violentiam ventorum? Et vt quod
eſt amplius dicam, nunquam blaſphemaſti quando vi-
nearum fructus amplius non collegiſti? Et ſi in omni-
bus iſtis te contra Deum agnoſcis, & intelligis non mur-
muraſſe, ſcito te pacem veram cum Deo habere in om-
nibus quæ tibi acciderint: Clama quod ille beatiſſimus
Iob cum conſcientia ſecura clamabat: *Dominus dedit, Do-*
minus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen
Domini benedictum. Nam ſi quando bene tibi eſt, laudas
Dominum: & quando tibi male eſt, murmuras contra
D Dominum: non habes pacem cum Deo, nec potes di-
cere cum Pſalmiſta: *Benedicam Dominum in omni tempore.*
Quis eſt, qui benedicit Dominum omni tempore? Quē
non fœlicitas corrumpit, nec aduerſitas terret: prima
ergo & vera pax eſt, vt cum Deo pacifici ſimus. Cùm
hoc factum fuerit, etiam in nobis ipſis pacem habere
poterimus. Nam qui cum Deo pacem habere noluerit,
in ſe ipſo pacem habere non poterit. Sit ergo pacifica
cum Deo anima noſtra; vt animæ noſtræ ſit ſubdita caro
noſtra. Nam ſi te non regit ſuperior, cruciat te &
affligit inferior: inclinet ſub iugo Dei ceruicem ſuam
anima tua vt & ſub iugo animæ tuæ collum ſuum
ſubijciat caro tua. Tunc erit pax vera atque perfecta,
quando non ſolùm cum alijs, ſed etiam nobiſcum paci-
E fici ſumus. Sed quia adhuc in prælio ſumus, & contra
diabolum pugnamus, ne de victoria deſperemus, ſi cum
Deo pacifici ſumus. Et ſi Deo coniuncti ſumus, quo-
modo poteſt fieri vt diabolum timeamus? Talem impe-
ratorem tecum habes, & diabolum times? Sub tali rege
militas, & de victoria dubitas? Aduerſatur quidem quo-
tidie diabolus, ſed præſtò eſt Chriſtus: ille vult premere,
iſte leuare: ille vult occidere, iſte viuificare. Sed ſecuri
eſtote fratres, plus valet ad erigendum Chriſtus, quā ad
deprimendum diabolus. Si ergo ſicut ſuprà diximus, iu-
ſtitiam & pacem toto corde ſeruemus, tunc etiam verū
gaudium habere poterimus. Quod eſt verum gaudium
fratres, niſi regnum cœlorum? Quod regnum cœlo-
rum, niſi Chriſtus Dominus noſter? Sic enim Angeli
ſuo teſtimonio firmauerunt: cum enim dixiſſent: *Euan-*

geliza-

Imago Dei in anima.
Pax vera.
** al. videtur habere adulterij quàm ſibi præſtant capi.*
Iob. 1.
Pſalm. 33.

Digitized by Google

geliʒamus vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: ſtatim ſubiecerunt: Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus. Scio fratres, quòd verùm gaudium omnes homines habere volunt, ſed ipſe ſe circumuenit, qui non vult agrum colere, & vult de fructu gaudere: ipſe ſe decipit, qui non vult arborem plantare, & vult poma colligere. Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax, & iuſtitia teneatur. Prima eſt enim & quaſi radix iuſtitia, ſecunda pax, tertia gaudium, de iuſtitia naſcitur pax, de pace gaudium generatur. Iuſtitia & pax quaſi bona opera eſſe videntur, gaudium verò fructus eſſe bonorū operum intelligitur. Nunc ergo faciendo iuſtitiam, & pacem tenendo, quaſi in bono opere paruo tempore laboramus, ſed poſtea de fructu bonorum operum ſine fine gaudebimus. Audi Apoſtolum de Chriſto dicentem. *Ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum.* Gaudium verò quod ipſe ſit Chriſtus, iam antea diximus. Et Dominus Ieſus Chriſtus in Euangelio cùm ſuis diſcipulis loqueretur, ita eos exhortatus eſt, dicens: *Iterū* (inquit) *videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Quid eſt, gaudium veſtrum nemo tollet à vobis? Attendite cōſcientias veſtras fratres chariſſimi, ſi eſt in vobis iuſtitia: id eſt ſi omnibus hominibus hoc vultis & deſideratis, & optatis quod vobis ipſis, ſi eſt in vobis pax quæ non ſolum ad amicos ſed etiam vſque ad ipſos perueniat inimicos, ſcitote quia regnum cœlorum (hoc eſt Chriſtus Dominus) manet in vobis: qui verò ad conſcientiam ſuam recurrens non ibi inuenerit iuſtitiam ſed auaritiam, non pacem ſed diſcordiā, non gaudium de ſpe vitæ æternæ, ſed carnalem lætitiam de amore luxuriæ: agnoſcat & intelligat quia non in illo regnat rex legis Chriſtus, ſed crudelis tyrannus. Modò fratres dum adhuc viuimus in hoc corpore, poſſumus nos cum Dei adiutorio emendare atque corrigere. Si verò nos multis criminibus inuolutos vltimus dies inuenerit, corrigendi tempus non erit. Erit enim tunc ſicut omnibus ſanctis æternum gaudium, ita peccatoribus ſine fine ſupplicium: ſed illis hoc erit qui ſe per pœnitentiam emendare noluerūt. Tunc dicturus eſt Chriſtus ad ſiniſtram poſitis, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Ad dexteram verò poſitis: *Venite benedicti, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Ad quam beatitudinem nos Dominus ſub ſua protectione perducat, cui eſt honor & gloria & imperium cum patre & ſancto ſpiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

Luc. 2.

Verum gaudium.

Epheſ. 2.

Ioan. 16.

Matth. 25.

Item eiuſdem.

Homilia XX.

Admonitio populi, Vt lectiones diuinas audire ſtudeant, & qui poteſt legere legat, qui verò non poteſt legentem libenter audiat: quia hoc erit animæ pro cibo & potu in æternum, quod hic de diuina lectione conceperit, & de ſimilitudine culturæ terræ: vt vel ſic excolere ſtudeamus animam, quomodo vineam vel oliueta. Et de ſimilitudine culturæ & de purgandis vitibus vel oliuetis, & de agro mundando ſpinis atque lapidibus, vbi tricenos, & ſexagenos, & centenos fructus proficiat: & de tribus profeſſionibus virginum, viduarum & coniugatorum. Et licet ex his iam in alio ſermone aliqua contineantur, tamen & hic apta ſunt, & conueniunt.

GRATIAS Deo agimus fratres chariſſimi, quia nos etſi inter multas occupationes ſanctæ charitati veſtræ repræſentare dignatus eſt: nouit enim diuina clementia, quia etiam ſi ſecundo, aut tertio per ſingulos annos vobis poſſimus occurrere, nec ſic quidem poterimus noſtra deſideria ſatiare. Quis enim pater eſt, qui filios ſuos, & præcipuè fideles & bonos non frequenter videre deſideret? Concedat Deus vobis orantibus vt & in nobis quos tanta charitate ſuſcepiſtis, aliquid boni inuenire poſſitis: & nos hoc ſemper in vobis videamus, vnde plenius gaudere poſſimus. Quia ergo quantum dignum eſt, de charitatis veſtræ præſentia gratulamur, de ſalute communi

A quantum Dominus dederit, colloquamur. Quando aliquid de vtilitate animæ proferimus, fratres chariſſimi, nemo ſe excuſare conetur, vt dicat: Non mihi vacat legere, & ideo non poſſum Dei præcepta vel agnoſcere vel implere, nec dicat aliquis veſtrum: Non noui litteras, ideo mihi non imputabitur quicquid minus de Dei præceptis impleuero. Inanis eſt & inutilis excuſatio iſta, fratres chariſſimi. Primum eſt, quod lectionem diuinam, etiam ſi aliquis neſciens litteras non poteſt legere, poteſt tamen legentem libenter audire. Qui verò litteras nouit, nunquid poteſt fieri quod non inueniat libros, quibus poſſit ſcripturam diuinam legere? Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces iocos, ſermones ocioſos ac luxurioſos, quantum poſſumus reſpuamus,

Quid faciendum ſit ei qui litteras ignorat.

B & videamus ſi nobis non remanet tempus in quo lectioni diuinæ vacare poſſimus. Fugiamus prandia luxurioſa quæ nos occupant vſque ad veſperam, contemnamus cœnas quæ nos aliquoties etiam inuitos vſque ad noctem mediam trahunt, in quibus & caro noſtra per ebrietatē debilitatur, & anima per turpiloquia, & ſcurrilitates vulneratur, fortè autem etiam moritur. Iſtas malas occupationes quæ & animam & corpus debilitāt fugiamus, & videbimus quod nobis remanet tempus, in quo aliquid de ſalute animæ cogitemus. Quando noctes longiores ſunt, quis erit qui tantum poſſit dormire, vt lectionem diuinam vel tribus horis non poſſit aut ipſe legere, aut alios legētes audire? Illi enim lectionem diuinam legere non poſſunt, qui ſe, ſicut iam dictū eſt, vſque ad mediam noctem inebriare contendunt.

C Nos verò ſi Deo volumus placere, & de ſalute animæ attentius cogitare, ſobrietatem debemus diligere, & ebrietatem quaſi foueam inferni longè refugere. Attendite rogo vos fratres, ſi hoc dico quod non ignoratis. Nouimus enim aliquos negociatores, qui cum literas non nouerint, requirunt ſibi mercenarios literatos: & cum ipſi literas neſciant, aliis ſcribentibus ratione ſua ingentia lucra conquirunt. Et ſi illi qui litteras neſciūt, conducunt ſibi mercenarios literatos vt acquirant terrenam pecuniam, tu quicunque es qui litteras nō noſti, quare etiam non cum pretio & mercede rogas, qui tibi debeat ſcripturas diuinas relegere, vt ex illis poſſis præmia æterna conquirere? Pro certò fratres, qui hoc ſtudioſe requirit, credit quod ille in æternum prodeſſe poſſit. Qui verò lectionem nec ipſe vult legere, nec legentem libenter audire, omnino non credit, quod inde aliquid boni poſſit acquirere. Vos ergo fratres rogo &

Sacris litteris, & harum lectioni incumbendum eſt.

D admoneo, vt quicunque literas ſcitis, ſcripturam diuinam frequentius relegatis: qui verò non ſcitis, quando alij legunt, intentis auribus audiatis. Lumen enim animæ, & cibus æternus, non eſt aliud, niſi verbum Dei, ſine quo anima nec videre poteſt, nec viuere: quia quomodo caro noſtra moritur, ſi non capiat cibum, ita & anima noſtra extinguitur, ſi non accipiat Dei verbum. Sed dicit aliquis: Ego homo ruſticus ſum, & terrenis operibus iugiter occupatus ſum: lectionem diuinam nec legere poſſum, nec audire. Quàm multi ruſtici, & quam multæ mulieres ruſticanæ, cantica Diabolica, amatoria & turpia, ore decantant? Iſta poſſunt tenere at-

Lumen animæ & cibus æternus eſt verbum Dei.

E que parare quæ Diabolus docet, & non poſſunt tenere quod Chriſtus oſtendit. Quanto celerius & melius quicunque ruſticus, vel quæcunque mulier ruſticana, quanto vtilius poterit & Symbolum dicere, & orationem Dominicā, & aliquas antiphonas & Pſalmos quinquageſimum vel nonageſimum, & parare & tenere & frequentius dicere, vnde animam ſuam & Deo coniungere, & Diabolo liberare poſſet? Nam quomodo cantica turpia, in tenebras Diaboli mittunt: ſic cātica ſancta, Chriſti lumen oſtendunt. Nemo ergo dicat: Non poſſum aliquid de hoc quod in Eccleſia legitur, retinere. Sine dubio enim, ſi velis, poteris. Incipe velle, & ſtatim intelliges. Et vt de operibus bonis nullus homo ſe valeat excuſare, donante Deo, volo vobis qualem-

cunque rationem ſuggerere. Animæ noſtræ cura (fratres chariſſimi) maximè terrenæ culturæ ſimilis eſt. A Sicuti enim in terra quæ colitur, alia extirpantur, alia radicitus euelluntur, vt quæ bona ſunt, ſeminentur: ita etiam animæ noſtræ fieri debet. Eradicentur mala, & bona plantentur. Extirpentur noxia & vtilia inſerantur. Superbia euellatur, & humilitas plantetur. Proiiciatur auaritia, & miſericordia teneatur. Contemnatur luxuria & caſtitas diligatur. Nam quomodo in terra tua, niſi mala proieceris, bona plantare non poteris: ſic & de anima tua, niſi ſpinas & tribulos vitiorum eradicaueris, virtutum germina ſancta plantare non poteris. Dic mihi, rogo te, quicunque es ille, qui iam paulò ante dicebas, quòd pro eo quòd non noſſes legere ideò non poſſis Dei præcepta complere. Dic mihi: Quis tibi monſtrauit, quomodo putares vineam tuam? Quo tempore B plantares nouellam, quis tibi hoc oſtendit? Quia niſi vidiſti, aut interrogaſti cultores optimos, qualiter ſcires colere vineam tuam? Quomodo ergo ſolicitus es de vinea tua, & de tua anima non es ſolicitus? Attendite (rogo vos fratres) duo genera agrorum ſunt. Vnus ager, eſt Dei: alter eſt hominis. Habes tu villam tuam: habet & Deus ſuam. Villa tua, eſt terra tua: villa Dei, eſt anima tua. Nunquid iuſtum eſt, vt villam tuam colas: & villam Dei, deſertam dimittas? Si colis terram tuam, cole & animam tuam. Villam tuam vis componere, & Dei villam deſertam dimittere? Nunquid hoc iuſtum eſt fratres? nunquid à nobis hoc meretur Deus, vt animam noſtram qua ſatis ille diligit, negligamus? Quomodo attendis villam tuam cultam, & gaudes? cur non attendis animam tuam deſertam, & plangis? C De agro villæ noſtræ paucis diebus victum ſumus in mundo: ibi ergo, hoc eſt in anima noſtra, maius ſtudium debemus ſemper impendere.

Animæ cura terrenæ culturæ ſimilis eſt.

Duo ſunt agrorum genera.

Animam noſtram quaſi villam ſuam nobis dignatus eſt committere Deus, vt illam omni ſtudio debeamus excolere. Totis ergo viribus cum Dei adiutorio laboremus, vt cum Deus ad agrum ſuum; hoc eſt, ad animã noſtram venire voluerit, totum cultum, totum compoſitum, totum ordinatum inueniat, non ſpinas: vinum inueniat, non acetum: triticum magis quam lolium. Si omnia quæ placeant oculis ſuis inuenerit, æterna nobis præmia repenſabit. Si verò totum deſertum & ſpinis repletum aſpexerit, cum ipſis ſpinis operum noſtrorum æterno nos incendio deputabit. Inde eſt fratres, quòd D frequenter tribulationes & anguſtias ſuſtinemus: quia nobis Deus vicem quodammodo reddit. Nolumus nos amare animam noſtram, quam ille amat; & ille villam quam nos amamus, dimittit vt pereat. Nam vt deſerta remaneret ab hoſtibus terra noſtra lõgo tempore, multis vitiis & criminibus deſerta remanſerat anima noſtra. Quia ergo animam noſtram quam Deus diligit non amauimus, totum quod in hoc mundo amabamus, perdidimus. Et ideò, fratres chariſſimi, vel ſic diſcamus plus animam amare quàm carnem, æterna potius eligere quàm caduca. Quidquid enim pro carne laboramus, totum peribit: hoc ſolùm perire non poterit, quod vnuſquiſque pro ſalute animæ ſuæ in cœlo repoſuit. Nemo ſe excuſet & dicat ſe literas neſcire, ideo non poſſe Dei præcepta complere. Non eſt grande quod à nobis E requirit Deus, non durum, non aſperum. Clamat tibi in conſcientia tua æterna iuſtitia, quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tuum. Quomodo colis villam tuam, cole & animam tuã. Quomodo ſuperfluos palmites tollis de vite tua, ſic malos affectus tolle de anima tua. Præcidis de vite tua quod malum eſt, incide de anima tua quod iniquum eſt. Quomodo qui vitem ſuam vno anno putare noluerit, ipſo anno abundantius exhibebit, & poſtea ſine fructu ſterilis remanebit: ſic & qui malas cogitationes & mala deſideria non tollit de anima ſua, videtur afferre fructum de rapinis & fraudibus in anno vitæ ſuæ quo viuit in hoc mundo: ſed poſtea remanebit ſterilis in æternum. Et quia fructus legitimè non exhibuit, quaſi ſarmenta luxurioſa & infru- A ctuoſa, æterna illum flamma ſine miſericordia cruciabit, ſicut ipſe Dominus dixit: *Paleas autem comburet igni inextinguibilis.*

Vnde proueniant tribulationes.

Matth. 3.

Quomodo in vite tua totos ſuperfluos palmites amputas & duos aut tres qui ſunt legitimi derelinquis: ſic & in anima tua, omnia deſideria quæ res alienas malè reſpiciunt & peſſimè concupiſcunt, ſpiritus ſancti gladio & crucis falce debes incidere: & hoc tantum vnde iuſtitia vel miſericordia cernitur reſeruare. Nam terra quando colitur fratres dilectiſſimi, neſcitis quæ conſuetudo ſeruetur: Primum euelluntur ſpinæ, lapides proiiciuntur, poſtea terra ipſa proſcinditur, combinatur, tertiatur: deinde quarto aut quinto ſulco, ordine legitimo ſeminatur. Hoc ergo fiat fratres chariſſimi, in anima noſtra B primum eradicentur ſpinæ: id eſt cogitationes malæ. Poſtea lapides auferantur; hoc eſt, omnis malicia vel duricia expurgetur. Deinde cor noſtrum Euãgelico aratro & crucis vomere proſcindatur & aretur, & confringatur per pœnitentiam, molliatur per eleemoſynam, per charitatem † ſemẽtu Dominicæ præparetur: vt & tunc purgata & bene culta, cordis noſtri terra, cũ gaudio ſemen verbi Dei poſſit excipere, & non ſolum, trigeſimum, ſed etiam ſexageſimum, & centeſimum fructum reddere. Tres enim profeſſiones ſunt in ſancta Eccleſia Catholica. Sunt virgines, ſunt viduæ, ſunt etiam coniugatæ. Virgines exhibent centeſimum, viduæ ſexageſimum, coniugatæ verò trigeſimum. Alius quidẽ habet amplius, alius minus: ſed omnes in cœleſti horreo reconduntur, & æterna beatitudine fœliciter C perfruuntur? Virgines ergo cogitantes Mariam: viduæ conſiderantes Annam, maritatæ verò Suſannam: imitẽtur illarum caſtitatem in hoc ſæculo, vt illis ſociati mereantur in æternum. Bonæ enim virgines quæ non ſolum corpore, ſed etiam corde & lingua virgines eſſe voluerint, ſanctæ Mariæ cum reliquo exercitu virginum ſociantur. Bonæ viduæ, non delicioſæ, non linguoſæ, non curioſæ, non inuidioſæ, non ſuperbæ, quæ ieiuniis, eleemoſynis & orationibus ſicut beata Anna faciebat, ſeruiunt Deo, cum ipſa Anna ſancta ſociãtur multis millibus viduarum. Coniugatæ verò quæ ſibi inuicem fidẽ ſeruauerint, & extra ſe nihil agnouerint, ſe ipſas tantum non niſi pro deſiderio filiorum agnouerint, aſſiduè eleemoſynas fecerint, & in quantum poſſunt Dei præcepta ſeruauerint, ſancto Iob, ſanctæ Saræ vel ſanctæ Su- D ſannæ, cum ſanctis Patriarchis & Prophetis merebuntur fœliciter ſociari. Rogo vos, fratres chariſſimi, ſemper recolite, ſemper retinete quod vobis pro animæ veſtræ ſalute ſuggerimus: nolite hoc tranſitoriè accipere. Debet enim ſermo noſter in corde veſtro radices figere, vt eo tempore retributionis poſſit æternæ vitæ fructus fœliciter exhibere. Qui poteſt totum retinere poſt dicimus, Deo gratias agat: & alius quod retinet, ſemper oſtendat. Qui totum non poteſt retinere, vel partem aliquam recordetur. Et ſi totum non poteſtis, ſinguli ternas vel quaternas ſententias retinere. Et dum vnus alteri inſinuat quod audiuit, totum vobis inuicem referendo non ſolùm memoriter retinere, ſed etiam in bonis operibus Chriſto adiuuante poteritis implere. Dicat E vnus alteri: Ego audiui Epiſcopum meum de caſtitate dicentem: alius dicat: Ego in mente habeo illum de eleemoſynis prædicaſſe: alius dicat: Remanſit in memoria mea quod dixit: Vt ſic colamus animam noſtrã quomodo colimus terram noſtram. Alius referat: Ego retineo dixiſſe Epiſcopum meũ, vt qui nouit litteras, ſcripturam diuinam ſtudeat legere: qui verò nõ nouit, quærat ſibi & roget qui illi debeat Dei præcepta relegere, vt quod legerit poſſit Deo adiuuante complere. Dicat etiam alius: Ego audiui Epiſcopum meum dicentem, quod quomodo negociatores qui non nouerunt litteras, conducunt ſibi mercenarios litteratos, vt acquirant pecuniam: ſic Chriſtiani debent ſibi requirere & rogare, & (ſi neceſſe eſt) etiam mercedem dare, vt illis debeat

† ſemini dominico.

Tres ſunt in Eccleſia catholica profeſſiones.

Quæ audierint in concione populi, poſtea repetant.

Digitized by Google

beat aliquis ſcripturam diuinam relegere: vt quomodo negotiator alio legente acquirit pecuniam, ſic illi acquirant vitam æternam. Hæc ſi agitis, ſi vos inuicem admonetis, & in hoc ſæculo fideliter poteſtis viuere, & poſt ea ad æternæ vitæ beatitudinem peruenire. Nam ſi ſtatim vbi de Eccleſia diſceſſeris, totum quod ab Epiſcopo audiſti oblitus fueris, ſine fructu veniſti ad Eccleſiam; ſine fructu inanis redis ad domum tuam. Sed abſit hoc à vobis fratres: magis impleatur illud quod ſcriptum eſt: *Beati qui cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſtitiam in omni tempore.* Et illud: *Miſericordia autem Domini à ſæculo & vſque in ſæculum ſuper timentes eum, & iuſtitia eius ſuper filios filiorum cuſtodientibus mandata eius, & memoria retinentibus vt faciant ea.* Ad quam vos miſericordiam Dominus pro ſua pietate perducat, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſalm. 105. Pſalm. 102.

EIVSDEM DE DILECTIONE PARENTVM, & de decimis.

HOMILIA XX.

REGIMVS fratres dilectiſſimi, monente nos Domino per Prophetam parentibus noſtris & honorem ſemper & amorem impendere: & ſi fortè euenerit, vt aliqua paupertate laborent, neceſſitates eorum ſecundum quod poſſumus ſubleuare. Sic enim ait: *Si videris* (inquit) *nudum, cooperi eum, & domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris.* Hoc loco domeſticos ſeminis, parentes noſtros intelligi voluit. Sed dicit aliquis. Quis eſt qui parentes ſuos odio habeat, vt hoc pro magno Dominus admonuerit per Prophetam? Sine dubio, fratres ſciuit Spiritus ſanctus nonnullos homines qui cùm ad aliquos honores aut diuitias vndecũque acquiſitas peruenerint ita parentes ſuos pauperes deſpiciunt, vt eos nec videre dignentur. Quod ſi fecerint, non ſolum peccatum, ſed etiam graue crimen ſe admiſiſſe non dubitẽt. Et fortè euenit vt ille per diuitias & ſuperbiam crimina grandia vel peccata committat, & parentes ſui pro ipſa paupertate & humilitate & ſimplicitate iuſtitiam teneant. Et qua fronte infœlix dedignatur attendere parentes ſuos innocentes & iuſtos, cùm ipſe ſit peccator & impius? Si quis ergo idoneus eſt, ſi aliquos parentes habuerit pauperes, ipſis prius neceſſaria tribuat, & ſic indigentibus extraneis eleemoſynam faciat: quia reliquis pauperibus ſi tu non dederis, dabit alius: parentibus verò tuis pauperibus ſi tu nil largitus fueris, difficilè eſt vt alius largiatur; ipſe eſt eleemoſynarum ordo iuſtus atque legitimus, vt prius tibi & tuis victum & veſtitum ſufficientem & mediocrem, non pompoſum, nec delicioſum prouideas: deinde, ſicut dixi, ſi qui ſunt pauperes de parentibus tuis, quantum præuales largiaris. Deinde ſeruos & ancillas tuas, nec eſurire, neque algere permittas. Et poſthæc quicquid tibi Deus (ſicut dixi) excepto victu & veſtitu dederit, non in terreno vbi fures effodiunt & furantur, ſed in cœleſti theſauro recondas, *vt vbi fuerit theſaurus tuus, ibi ſit & cor tuum.* Et cùm ſacerdos clamauerit, Surſum corda, ſecuti, & in veritate reſpondeamus: Habemus ad Dominũ. Quæcunque enim Deus excepto mediocri & rationabili victu & veſtitu, ſiue de quacunque militia, ſiue de agricultura contulerit, non tibi ſpecialiter dedit, ſed per te pauperibus eroganda tranſmiſit. Si nolueris dare noueris te res alienas auferre, quia (ſicut dixi) hoc ſolum eſt noſtrum quod nobis vel noſtris rationabiliter ſufficit. Quicquid ſuperfuerit. Deus noſter (ſicut dixi) pauperibus erogandum tranſmiſit. Ac ſic non ſolùm decimas dare debemus, ſed etiam de nouem partibus quicquid ſolutis vel expletis ſumptibus noſtris remanſerit, quaſi aliis trãſmiſſum fideliter erogare debemus. Quod tamen ſi fecerimus, verè noſtra ſunt quæ donamus. Si verò nõ facimus, nec illa noſtra ſunt quæ ſeruamus, nec nos ipſi noſtri ſumus qui ſeruare videmur. Et tamen fratres, non video qua fronte illi non offerimus decimum à quo accepimus totum. Si velit Deus rationem facere nobiſcum & dicere. Terram quam colis, ego feci: animalia quæ te ad colendum adiuuant, ego condidi: calorem Solis ego tribuo: pluuiam temporibus ſuis, ego diſpenſo, ipſam ſementem quam ſpargis, ego concedo: ſed ad iuſtam rationem tibi decimas reſeruate, & mihi nouẽ partes debes dare. Nec hoc quæro: miſericorã eſſe volo: exẽplum tibi præbeo, vt quomodo miſertus ſum tui, ſic miſereatis pauperis. Si ergo, fratres, iuſtã rationẽ nobiſcum voluerit facere Deus, nunquid eſt quod reſpondere poſſimus? Et licet in multis ſanctarum ſcripturarum locis, nos de his rebus admoneat Deus, tamẽ per Apoſtolum ſpecialiter clamat & admonet dicens: *Habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & deſideria multa & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem: quia radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide. & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu verò homo Dei hæc fuge, ſectare iuſtitiam, pietatem, & fidem, &c.* Rogo vos fratres vt de ſcripturis reliquis taceamus: ſententia iſta Apoſtolica, vnicuique Chriſtiano ſufficit: Verè dico fratres, quod qui ſub tali tonitruo de auaritiæ ſomno non ſurgit, non dormiens, ſed mortuus eſſe credendus eſt. Et ideo fratres, quia pro iſta fragilitate carnali multis peccatis tanquam circumuolantibus muſcis aſſiduè inquietamur atque compungimur, ad portum miſericordiæ Dei inter procellas & tempeſtates mundi iſtius feſtinemus. Fortè aliquis interrogat, quomodo ad hunc portum valeat peruenire? Audiat Chriſtum dicentem: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et iterum: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Ergo iſtam Apoſtoli ſententiam, ſi euadere de pelago mundi huius volumus, ante oculos ſemper habere debemus. Sufficiat nobis habere victum & veſtitum rationabilem, non pompoſum, non delicioſum: & quicquid amplius Deus dederit, nõ negetur vſibus pauperum: quia per nos, ipſis probatur eſſe tranſmiſſum. Et ſi id quod nobis ſuperfluum eſt, nõ dederimus, res alienas inuaſimus. Et quanti pauperes cum noſtra ſcientia, fame mortui fuerint, cauſas nobiſcum ante tribunal Chriſti dicturi ſunt. Et quia duo ſunt eleemoſynarum genera, vnum quod pauperibus erogamus, aliud quod vicinis vel fratribus noſtris: quotieſcũque in nobis peccauerint, indulgemus. Vtrunque Deo auxiliante faciamus: quia vnum ſine alio nihil prodeſt. Si pauperi porrigis eleemoſynam, & in te peccanti non tribuis veniam, nihil tibi prodeſt. Sicut è contrario, ſi peccantibus tibi indulſeris, & eſurientibus quantum vales dare nolueris, ſicut dixi, vna virtus ſine altera tibi prodeſſe non poteſt. Nos verò fratres, iſta duo eleemoſynarum genera nobis quaſi ſpiritalium alarum remedia præparemus, vt ad principalem patriam & illam cœleſtem Hieruſalem omnibus terrenarum cupiditatũ ſpretis hiſque expediti ac liberis, virtutum pennis fulti, tanquam ſpiritales columbæ volare fœliciter ac venire poſſimus: ſecundum illud quod Pſalmiſta deſiderat, & ſupplicat dicens: *Quis dabit mihi pennas vt columbæ, & volabo, & requieſcam?* Certum eſt, fratres, quod niſi quiſque de peccatorum glutino & nimiis impedimentis ac laqueis mundi huius animæ ſuæ pennas contenderit expedire, ad veram requiem nunquam poterit peruenire. Nos verò fratres adiuuante Deo impedimenta mundi huius, ſi à nobis ad integrum ſubtrahere non poſſumus, vel ita ea quantum vires ſuppetunt temperare, vel aliquid ab eis reſcindere ſtudeamus, vt nobis remaneant aliqua horarum ſpacia, in quibus lectioni vel orationi vacare poſſimus. Nam ſi totum nobis occupatio terrena ſubtraxerit, timendum eſt, ne nobis veniat illud, quod ſcriptum eſt: *Impedimenta huius mundi fecerunt eos miſeros.* Magis ergo adiuuante Domino laboremus, vt & in nobis, vel ex parte aliqua, impleatur illud, quod de beato viro ſcriptum eſt: *In lege Domini meditabitur die ac nocte.*

Iſa. 58.

Legitimus eleemoſynarũ ordo.

Matth. 6. Surſum corda canit Sacerdos.

1. Tim. 6.

Tonitruum contra auaritiam.

Matth. 5. Luc. 11.

Duo ſunt eleemoſynarũ genera.

Pſalm. 54.

Pſalm. 1.

Quam rem Dominus ſanctæ charitati veſtræ pro ſua miſericordia præſtare dignetur, cui eſt honor & imperium, cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

IDEM EIUSDEM DE MISERICORDIÆ diuina & humana, Quod ideo Deus pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit, vt diuites haberent quomodo peccata ſua redimerent.

Homilia XV.

MODO fratres cùm Euangelium legeretur audiuimus dicentem Dominum Saluatoré noſtrum: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* *Matth. 5.* Dulce eſt nomen B miſericordiæ, fratres chariſſimi: & ſi nomen, quantò magis res ipſa? Et cùm eam omnes homines habere velint, quod peius eſt, non omnes ſic agunt, vt miſericordiam velint accipere: pauci ſunt qui velint miſericordiam dare. O homo qua fronte vis petere, quod diſſimulas dare? Debet ergo in hoc mundo miſericordiam dare, qui illam optat in cœlo recipere. Et ideo fratres chariſſimi, quia omnes miſericordiam volumus, faciamus nobis illam patronam in hoc ſæculo, vt nos ipſa liberet in futuro. Eſt enim in cœlo miſericordia, ad quá per terrenas miſericordias peruenitur. Sic enim ſcriptura dicit: *Domine in cœlo miſericordia tua.* Eſt ergo & terrena & cœleſtis miſericordia, humana ſcilicet & diuina. *Duplex eſt miſericordia. Pſalm. 5.* Qualis eſt miſericordia humana? Ipſa vtique, vt reſpicias miſerias pauperum. C Qualis verò eſt miſericordia diuina? Illa ſine dubio, quæ nobis tribuit indulgentiá peccatorum. Quicquid enim miſericordia humana largitur in via, miſericordia diuina reddit in patria. Deus enim in hoc mundo in omnibus pauperibus & alitur & eſurit, ſicut ipſe dixit: *Quandiu feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* Deus ergo qui de cœlo dignatur dare, vult in terra recipere. *Matth. 25.* Quales ſumus nos, qui quando donat Deus, volumus accipere: quando petit nolumus dare? Quando enim pauper eſurit, Chriſtus indiget: ſicut ipſe dixit. *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare.* Noli ergo *Ibidem.* deſpicere miſeriam pauperum, ſi vis ſecurus ſperare indulgentiam peccatorum. Eſurit modo Chriſtus fratres, in omnibus pauperibus: ipſe eſurire & ſitire dignatur, & quod in terra accipit, in cœlo reddit. D Rogo vos fratres, quid vultis, aut quid quæritis, quando ad Eccleſiá venitis? quid vtique niſi miſericordiam? Date ergo terrenam, & accipietis cœleſtem. Petit à te pauper, & tu petis a Deo. Ille buccellam, tu vitam æternam. Da mendico, quod accipere merearis à Chriſto. Audi ipſum dicentem: *Date & dabitur vobis.* *Luc. 6.* Neſcio qua fronte velis accipere, quod non vis dare. Et ideo quando ad Eccleſiam venitis, ſecundum vires veſtras, qualeſcunque eleemoſynas pauperibus exhibete. Qui poteſt, afferat argentum: qui non poteſt, exhibeat vinum. Si nec hoe habuerit, exhibeat eſurienti buccellam: ſi non habet integram vel qualemcumque particulam, vt impleat illud, quod Dominus admonuit per Prophetam: *Frange eſurienti panem tuum.* *Iſai. 58.* Non dixit: Da totum, ne forte pauper ſis, & amplius habere non poſſis. E Et ſi diligenter attendimus frates, hoc ipſum quod Chriſtus in pauperibus eſurit, nobis proficit. Ideo enim in hoc mũdo Deus pauperes eſſe permiſit, vt omnis homo haberet, quomodo ſua peccata redimeret. Si enim pauper nullus eſſet, eleemoſynam nemo daret, indulgentiam nemo reciperet. *Pauperes cur Deus eſſe permiſit.* Potuit enim Deus omnes homines diuites facere, ſed nobis per pauperum miſeriam voluit ſubuenire, vt & pauper per patientiam, & diues per eleemoſynam poſſint Dei + gratiam promereri: *Al. gloriam.* nobis enim militat inopia pauperum. Denique ſi ſapienter intelligis, & ſtatera cordis tui diligenter attẽdis, incomparabiliter plus eſt quod pro paupere recipis, quam id quod pauperi largiris. Attende & vide nummum, aut quid ſimile frater. Das pauperi nummum, & à Chriſto recipis regnum. A Das buccellam, & à Chriſto recipis vitam æternam. Das veſtimentum, & à Chriſto recipis remiſſionem peccatorum. Non ergo deſpiciamus pauperes fratres, ſed magis eos deſideremus, & vltro nos eis ingerere feſtinemus, quia miſeria pauperum medicamentum eſt diuitũ. Sic & ipſe Dominus dixit: *Veruntamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* *Luc. 11 & 12.* Et iterum: *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam.* *Eccl. 3.* Et per Prophetá clamat Spiritus ſanctus: *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Et iterum: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc liberabit te ab omni malo.* *Eccl. 29. 15.* Faciamus ergo miſericordiam fratres, & Chriſto adiuuante cautionis ſuæ vinculum teneamus. Illam vtique quam ſuprà memoraui, vbi ait. *Date & dabitur vobis.* *Matth. 5.* Et iterum: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* B Vnuſquiſque ſecundum vires ſtudeat, ne ad Eccleſiam vacuus veniat. Debet enim aliquid exhibere, qui optat accipere. Qui poteſt, nouo veſtimento tegat pauperem: qui non poteſt, vel veterem porrigat. Qui verò ad iſta ſe non ſentit idoneum, porrigat buccellam, ſuſcipiat peregrinum lectulum faciat, pedes abluat: vt audire mereamur à Chriſto: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum: quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare: hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me.* *Matth. 25. Matth. 10.* Nemo ſe, fratres chariſſimi, de dandis eleemoſynis excuſare poterit, quando pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Chriſtus redditurum eſſe promiſit. Et quia (ſicut frequenter admonui) duo ſunt eleemoſynarum genera: Vnum bonum, aliud melius. Vnum, vt pauperibus buccellam porrigas, alterum, vt peccanti in te fratri, citò indulgeas. C Ambo eleemoſynarum genera implere, auxiliante Domino feſtinemus, vt ad æternam indulgentiam, & ad Chriſti veram miſericordiam peruenire poſſimus. Sic enim ipſe dixit: *Si dimiſeritis, dimittet & vobis pater veſter peccata veſtra: ſi non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* *Matth. 6.* Et alibi clamat Spiritus ſanctus: *Homo homini ſeruat iram & à Deo quærit medelam.* *Eccl. 28. 3.* *In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam & miſericordiam petit a Deo?* Dicit etiam beatus Ioannes: *Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt.* Et iterum: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* *1. Ioan. 3.* Et ideo fratres chariſſimi, vt æterna mala poſſimus euadere, & ad bona perpetua peruenire, duo quæ ſupra dixi eleemoſynarum genera, quantum poſſumus, & quamdiu viuimus, D & ipſi habere & aliis impendere feſtinemus, vt ſecuri poſſimus, in die iudicij dicere: Da Domine, quia dedimus. Non fecimus quod iuſſiſti: tu imple quod promiſiſti. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorũ, Amen.

Eiuſdem de erepto energumeno.

Homilia XXIII.

SVPERIORI Dominica, fratres chariſſimi, dum Miſſæ celebrarentur, non paruum metũ omni populo inſaniẽs ille energumenus generauit. *Miſſarum celebratio.* E Certum eſt fratres chariſſimi quia vix inuenietur homo, qui cum infœlicem perſonam taliter vexari à diabolo viderit, nõ expaueſcat & metuat. Ratio tamẽ religionis & perfectæ charitatis hoc habeat, vt minus timere, & pro illo amplius orare deberemus. Et tamen fratres chariſſimi, ſi vultis (Deo auxiliante) poſſumus vobis oſtendere, vt poſſitis energumenum nõ timere. Nunquam timebis dæmonem qui eſt in carne aliena, ſi eum non habueris in anima tua. Denique ſancti & perfecti viri, non ſolum dæmoniacos non timent, ſed etiam à dæmoniacis, imò ab ipſis dæmonibus cum grandi tremore timentur. Sed ſi in alieno corpore dæmonem ſic timemus, quantum timere debemus, ne per malos actus eum in noſtris cordibus nutriamus? Omnis homo,

homo, chariſſimi fratres, in conuiuio cordis ſui, aut Chriſtum aut diabolum paſcit. Si iuſtitiam, ſi pacem, ſi caſtitatem, ſi miſericordiam & charitatem ſectari voluerit, Chriſtum in ſe ſine dubio paſcit & reficit, ſecundum illud quod ſcriptum eſt. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo.* Ecce prolatum vobis eſt, quomodo aut quali cibo anima ſancta Chriſtum paſcit & reficit. E contrario autem qui ſuperbiam, malitiam, inuidiam, luxuriam, & his ſimilia amare voluerit, diabolum ſe reficere, & deſiderabiles illi talibus malis delicias non dubitet præparare. De ſuis actibus poteſt vnuſquiſque cognoſcere quale conuiuiũ mereatur in ſuo corde recipere. Certum eſt, quòd quale conuiuium parateris, tales & conuiuas habere mereberis. Multi enim dæmonem in corpore alieno formidant, in ſuo corde diſſimulant. Omnis enim qui ſuperbiam diligit, diabolo plenus eſt. B Et ſi cum ſuperbia etiã inuidiam habere voluerit, duobus dæmonibus ſubditus erit. Et ſi cum inuidia, etiam adulterium fecerit, à tribus dæmonibus poſſidetur. Et ſi cum his malis mendacium amare voluerit, ab integra quadriga dæmonum ſubiugatur & premitur. Nam quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones. Denique & in Euangelio, ille à quo immundus ſpiritus exierat, cum per gratiam Dei ab vno idololatriæ dæmone meruit liberari, pro eo quòd in loco vitiorum virtutes noluit intromittere, reuerſus ille immundus ſpiritus adduxit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe: & impletum eſt in eo illud quod ſcriptum eſt: *A quo enim quis ſuperatur, eius & ſeruus eſt.* Et iterum: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Sed fortaſſis dicit aliquis: C Quomodo poteſt fieri, vt qui per luxuriam peccauerit in carne ſua, Diabolum in anima ſua? Nos fratres dilectiſſimi, quod diximus de ſanctarum Scripturarum teſtimoniis approbamus. Nam quiſquis ſuperbus eſt, dæmone plenus eſt. Audi ſcripturam dicentem: *Immundus eſt ante Dominum omnis qui exaltat cor ſuũ.* Et iterum: *Apoſtatare à Deo omnis ſuperbia.* Quid eſt apoſtatare, niſi à Deo diſcere? Et vtique qui à Deo diiungitur, diabolo ſociatur. Quod autem qui inuidus eſt, ſine dæmone eſſe non poteſt, ſicut ſcriptura dicit. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum qui ſunt ex parte ipſius. Nam quod & ille qui fornicatur, à diabolo poſſidetur, canonica nihilominus ſcriptura teſtatur. Sic enim dicit Propheta: *Spiritu fornicationis decepti eſtis.* Quod verò & omnis mendax ſine D maligno ſpiritu eſſe non poſſit, ſcriptura teſtis eſt: *Perdes* (inquit) *omnes qui loquuntur mendacium.* Et iterum: *Os quod mentitur, occidit animam.* Et in libro Regum legimus, ſpiritum malignum dixiſſe Domino, *Ego* (inquit) *decipiam Achab: Cui dixit Dominus: in quo decipies? Et ille reſpondit: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore Prophetarum eius. Dixit autem Dominus: Decipies, & praualebis.* Similiter & de cæteris capitalibus peccatis atque criminibus credere nos oportet: quia nemo illa, niſi diabolo inſtigante committit. Quid ergo fratres? cùm nos multis peccatis & criminibus ſentiamus obnoxios, nunquid deſperandũ eſt? Abſit hoc à populo Chriſtiano. Non quidem deſperandum eſt, ſed nec in ipſis peccatis inimica ſecuritate perſeuerandum. Qui enim dixit: *Cum conuerſus ingemueris, ſaluus eris, ipſe dixit: Nolite tardare conuerti ad Dominum, nec differatis de die in diem.* E Optime enim malagma vel fibula callidis adhuc vulneribus adhibetur, & citò vulnus ſanatur quod diu putreſcere non permittitur. Et ideò vbi aliquis ex nobis cuiuſlibet peccati vulnus acceperit, antequam longa conſuetudine putreſcat, & fœteat, omni celeritate ad pœnitentiæ medicamenta confugiat. Peccatum ſi diu dominari permittitur, omnibus ſanctis & Deum timentibus putorem teterrimum exhalare cognoſcitur. Et ideo cum Dei adiutorio laborandum eſt, vt expurgatis vel mortificatis omnibus peccatis, in poſſeſſionem vitiorum virtutes introeant: locũque quem tenebat ſuperbia, humilitas occupet, quem vaſtabat auaritia, obtineat eleemoſyna, quem luxuria A ſordidabat, caſtitas mundet atque recipiat, quem tenebat inuidia poſſideat beneuolentia. Vbi mendacium eſſe videbatur, veritas dominetur. Hæc enim fratres, ſi Chriſto auxiliante agere ſtudeamus, non ſolùm in aliorum corporibus dæmones non timemus, ſed etiam de noſtris cordibus per Dei gratiam effugamus, & longè repellimus. Præſtante Domino, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aut Chriſtum, aut diabolum, hominum corda inhabitat. *Apoc. 3.*
Quot vitia, tot dæmones habet homo.
Luc. 11. *Ioan. 8.*
Eccleſ. 10.
Sap. 2.
Oſe. 4. *Pſalm. 5.* *Sap. 1.*
3. Reg. 22.
2. Par. 18.
Ezech. 18. *Eccl. 5.*

EIVSDEM DE SIMILITVDINE VLMI & vitis.

HOMILIA XXIIII.

LEGIMVS in quodam libro fratres dilectiſſimi, de vlmo & vite propoſitam nobis ſimilitudinem, quam qui diligenter attendit, non paruam animæ ſuæ ædificationem inueniet. B Nam arbor vlmea & vitis, ſatis ſibi conuenientes eſſe videntur. Arbor enim vlmea, licet & amœna & in ſublime porrecta, nullum tamen fructum habere probatur. Vitis vero quamvis ſit parua & humilis, fructibus plena eſſe cognoſcitur: qui fructus niſi qualicunque ligno leuentur in altum, in terra putreſcunt atque depereunt. Si verò vlmus extendat ramos ſuos, & erigat vitem, & ſe ornat, & illam de putredine liberat. Quare iſta ſimilitudo ſit poſita, diligenter attendamus. Arbor vlmea ſignificat hominem diuitem in hoc mundo. Sicut enim arbor illa ſublimis eſt, & amœna, & humida, & tamen fructibus vacua: ita & quicunque diues C ſæculi huius, quamuis ſublimetur honoribus, in multis facultatibus amœnus & iucundus eſſe videatur: tamen ſi ad vitem, id eſt ad pauperem Chriſti eleemoſynarum ſuarum brachia quaſi ramos piiſſimos humiliter non expandit, a fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit. Vitis autem ſignificat ſeruos Dei, abbates, monachos, vel clericos ſpirituales Deo vacantes, & doctrinæ iugiter inſiſtentes: & ſi qui ſunt alij ſimiles horum, qui contempto mundo, Deo die noctúque deſeruiunt: quo ſeruitio in æterna beatitudine vberes fructus habere credũtur. Ac ſi diuites mundi huius abundant in hoc ſæculo, & pauperes Chriſti in cœlo. Quod ergo futurum eſt, vt nec arbor vlmea ſine fructu remaneat, nec vitis in terra putreſcat. Hoc enim expedit fieri, vt quomòdo arbor vlmea extendit ramos ſuos & erigit vel ſuſtinet vitem, D ſic diues ſæculi huius porrigat ramos ſuos, id eſt manus plenas fructibus agri ſui, & ſuſtentet pauperes Chriſti. Quod ſi fecerit in hoc mundo, ſine dubio ab ipſis pauperibus Chriſti multipliciter illi repenſabitur in futuro. Nec dedignetur diues, aut iniuriam ſibi æſtimet factã, quod arbori comparatus eſt, ſi audiat Dominum dicentem: *Arbor bona, bonos fructus facit: mala autem arbor, malos fructus facit.* Si magis timeat illud quod ſequitur: *Omnis* (inquit) *arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Extendat ergo manus ſuas ad eleemoſynas vt poſſit euadere æternas flammas: omnes ergo diuites timeant exemplum illius arboris infructuoſæ & ſterilis: id eſt illius qui purpura & byſſo induebatur. Arbor enim amœna & ſublimis erat in mundo, ſed quia E ramos miſericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in inferno & ab illo petebat guttam, cui negauerat micam. Hæc ergo cogitent diuites, qui ſe de rebus ſuis, dum ſuæ ſunt, redimere nolunt, vt non faciant talia, ne talia patiantur. Diues fuit de quo loquimur: ſunt & aliqui diuites ad quos nunc loquimur. Vnius ſunt nominis, caueant ne ſint vnius conditionis. Cùm hæc ita ſint, ſi illi qui diuites ſunt, aridas & contractas manus habuerint ad eleemoſynas faciendas, & quibuſcũque ſeruis Dei vigiliis, lectionibus vel orationibus inſiſtentibus quæ ſunt corpori neceſſaria dare noluerint efficiuntur velut vlmus ſterilis, quæ vitem ſuſtinere diſſimulat. Et cùm diues pauperibus Chriſti nihil dederit, neceſſitate in opere terreno pluſquam ſolebãt,

Diues vlmo comparatur, pauper verò, viti.
Matth. 7.
Luc. 16.

eaerceantur. Et dum mundanis actibus occupantur, orationi, lectioni, ieiuniis & vigiliis minus inſiſtunt; neceſſe eſt vt fructus illorũ quomodo vitis in terra iaceant, & ex parte aliqua minoantur, ac ſibi tantùm ſufficiant & nihil diuitibus largiantur. Beatus enim Apoſtolus Paulus dum diuites mundi huius pro ſuſtentandis Chriſti pauperibus admoneret, quaſi de vite loquebatur ad arborem: id eſt, pro Chriſti paupere loquebatur ad diuitem: *Veſtra* (inquit) *abundantia, illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia, veſtræ inopia ſit ſupplementum.* Quam rem vt omnes intelligant, apertius inſinuare debemus. Diuites mundi abundant in hoc mundo pecunia, pauperes Chriſti in cœlo vita æterna. Erogent ergo diuites in mundo pecuniam, vt recipiant in cœlo vitam æternam. Diuites mundi frumentum, vinum & oleum in bottea vel in † cellario copioſè reponunt: pauperes Chriſti, orando, vigilando, ieiunando, ſpiritualea theſauros in cœlo recondunt. Faciant ergo ſibi quoſcũque ſeruos Dei diuites huius mundi de terrena facultate participes, vt illi eos ſibi in cœleſti theſauro faciant cohæredes. Diuites mundi huius, dum aliquoties nimium ſe terrenis actibus obligant, quantum illos oportet vigilare, legere & orare vel ieiunare non poſſunt. Vnde timendum eſt, ne fortè aut pro peccatis minus offerant, aut non tantum quantum expedit in theſauro cœleſti repoonant. Pauperes Chriſti his fructibus Deo iugiter vacando eauberant. Non ergo ſint pigri diuites ad eroganda terrena, ſi cupiunt habere cœleſtia. Chriſtus enim qui omnibus hominibus munera ſua largitur, in ſuis pauperibus egere & eſurire & algere dignatur. Nemo ergo dubitet dare pauperibus quia manus pauperis gazophylacium eſt Chriſti. Quod in terra accipit, in cœlo repouit. Sic & ipſe Dominus dixit: *Quando feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* Audiuimus Apoſtolum dicentem: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Et poſt pauca: *Operemur quod bonum eſt ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Qui ſunt domeſtici fidei fratres, niſi clerici boni monachi, & quicunque alij ſerui Dei impedimenta huius mundi fugientes, Deo vacantes, lectionibus & orationibus inſiſtentes. Omnibus quidem petentibus, ſecundum quod poſſumus, dandum eſt: ſeruis autem Dei, qui petere a nobis erubeſcunt, etiam ſi non petierint ingerendum eſt. Ita ergo agere ſtudeamus fratres chariſſimi, vt ab auditu malo ſecuri eſſe poſſimus. Qui erit auditus malus? *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius, quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* Rogo vos fratres, nolite hoc otioſè & negligenter audite, ſed totis viribus Deo auxiliante contendite, vt nec aliena rapiatis, & de propriis Chriſti pauperibus abundantius erogetis, corde compuncto iugiter cogitantes & vobis ipſis inuicem colloquentes. Si in ignem mittitur qui non dedit ſua: vbi mittendus eſt, qui tulit aliena? vt non ad nos propter auaritiam illa vox tremenda & terribilis dirigatur: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ*, ſed magis propter eleemoſynam, illam deſiderabilem vocem audire mereamur: *Venite benedicti, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Necnon & illa magis mittentis Domini vox, ad nos fœliciter dirigatur. *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Ameo.

† cellaria.

Manus pauperis, Gazophylacium Chriſti. Matth. 25. Galat. 6.

Matth 25

Cæſarij Epiſcopi ad Monachos.

Hommelia XXV.

VIROR fratres dilectiſſimi, Dominum Patrem veſtrum tanta ſe humilitate deiicere, vt a me imperitiſſimo ſanctis & eruditis auribus veſtris exhortationis velit proferre ſermonem. Per hanc ergo admirabilem charitatem à me quaſi ab arente riuulo vobis viuis in Chriſto fontibus viui roris guttulas deſiderat miniſtrare. Quid ergo nunc faciam pauper & dolens? vbi potero inuenire, quod vobis eſurientibus iuſtitiam poſſim apponere? vbi, inquam, inquiram, quod à mea facultate non habeo? Beata prorſus tam ſancti Patris veſtri, quàm veſtra humilitas, qui cùm iam penè virtutum meritis altius ſublimari nõ poſſit, hac humilitate quo adhuc creſcere poſſit, inuenit. Benedicimus Dominum noſtrum qui ſanctam inſtitutionem, & admirabilem conſuetudinem loci huius, iugiter creſcere, & in maiori dignatur gloriæ cumulo ſublimare. O fœlix & beata habitatio inſulæ huius, vbi eam ſanctis quotidie, & tam ſpiritalibus lucris gloria Domini Saluatoris augetur, & tantis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata inquam, & fœlix inſula Lirinenſis, quę cum paruula & plana eſſe videatur, innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur. Hæc eſt quæ eximios nutrit monachos, & præſtantiſſimos per omnes prouincias erogat ſacerdotes. Ac ſi quos accipit filios, reddit patres & quos nutrit paruulos, reddit magnos: quos velut * tyrannos excipit, Reges facit. Nam omnes quoſcunque fœlix & beata habitatio iſta ſuſceperit, charitatis & humilitatis pennis ad excelſa virtutũ culmina Chriſto ſublimare conſueuit. Quæ res cùm pene in cunctis habitatoribus loci iſtius fuerit fœliciter conſummata, tamen reſiſtentibus meritis meis, in me non probatur impleta. Cùm enim paruitatem meam, hæc ſancta inſula, velut præclara mater, & vnica ac ſingularis bonorum omnium nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit, & non paruo ſpacio educare, vel nutrire contenderit: licet reliquos ad virtutum culmina euexerit, à me tamen quia cordis mei duritia contradicit, omnes negligentias auferre non potuit. Et ideo cũ omni humilitate ſupplico, & tota cordis cõtritione depoſco, vt quod negatur meritis meis, veſtris orationibus ſuppleatur. Et ego peculiaris alumnus veſter, ſic precum veſtrarum ſuffragiis adiuuari merear, vt hoc ipſum quod in iſto ſancto loco nutritus ſum, non mihi iudicium pariat, ſed profectum. Ego tamen chariſſimi fratres, dum precibus ſancti patris veſtri contradicere non præſumo, non paruam temeritatem excipio. Cùmque conſidero quis quibus loqui audeam, vel qualea quantóſque docere præſumam, ſub grandi pudoris põdere humilitatis meæ conſcientia contremiſcit. Quid ergo dicturus ſum ſanctis, cùm ſim ipſe multis negligẽtiis * occupatus? ſplendidis quid loquar obſcurus? feruentibus tepidus? In portu fœliciſſimo conſtitutis quid doceam in medio pelago mundi huius, nimiis fluctibus fatigatus, præcipuè Chriſti iugiter deliciis ſaginatis ego famelicus, vbi inueniam quod dignè offerre præualeam? Attamen ſanctis orationibus veſtris adiutus, credo iam me inueniſſe, quid facere debeam. Quid enim niſi ſacrificium contriti & humiliati cordis exhibeam, vt quod in me implere non poteſt bonorum operum facultas, ipſa ſaltem obtinere poſſit humilitas. Ecce præparo exceptorium cordis mei influẽti per vos aquæ diuinæ. Vos enim in veritate cognoſco, de quibus Dominum dixiſſe, legitur. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quia ergo de vobis, tanquam de ſpiritualibus fontibus aquas viuas manare & gaudemus & credimus, irrigate aridum & ſatiate famelicum, reficite laſſum, abluite multis negligentiis inquinatũ & quaſi boni ac ſpirituales illius cœleſtis medici diſcipuli orationum ſuffragia miniſtrate, ſublimium meritorum medicamenta porrigite. Et quia quod nos verbis tantummodo prædicamus, vos operibus implere gaudemus: obtinere, vt quia ſumus veſtri peculiares amatores, operum veſtrorum, vel ea aliquo mereamur eſſe participes. Et quia de veſtra conuerſatione non ſolũ homines in mundo, ſed etiam Angeli * gratulantur in cœlo, ſanctis precibus laborate contendite, vt cum vobis ante æternum iudicem meritorum veſtrorum gloria tribuetur, nobis vel peccatorum, venia concedatur. Et vt ſancti Patris veſtri pre-

Inſula Lyrinenſis eximios habebat monachos, & præſtantiſſimos Sacerdotes prouincia erogabat.

** Al. tyrannos accipit, reddit Reges.*

Al. obligatus.

Ioann. 7.

** Al. glorianetur.*

ſtri precibus non ad integrum videar contradictor exi-
ſtere, cum grandi humilitate, & reuerentia etiam quæ A
veſtra ſunt inſinuare præſumo. Supplico enim & humili
charitate commoneo, vt Domino meo patri veſtro, ve-
rum amorem ſemper impendere, & perfectam charita-
tis obediẽtiam ſanctitas veſtra iugiter ſtudeat exhibere,
vt ſicut vos gaudetis in Domino de ſancti Patris veſtri
meritis, ita & ille gratuletur ſemper de profectibus ve-
ſtris. Et quia pro ſancta obedientia & immaculatis ope-
ribus veſtris: vniuerſus mundus admiratur vos, & diligit,
& totius generis humani vos debitores eſſe cognoſci-
tis, oportet vt honorem & amorem quem ab hominibus
accepiſtis aſſiduis orationibus & immaculatis actibus
repenſetis. Ab Oriente enim vſque ad Occidentem, &
ab omnibus penè locis in quibus Chriſtiana religio co-
litur, religioſiſſima veſtra conuerſatio ad Chriſti glo- B
riam prædicatur. Iure à vobis exigitur, vt quod † à vobis *† al. in*
creditur, hoc probetur. Agite ergo Deo auxiliãte quod
ſemper egiſtis, & ita charitatem, manſuetudinem, humi-
litatem, & obedientiam cuſtodite, vt quod in vniuerſo
mundo de vobis creditur immaculatis ſemper conuer-
ſationis operibus augeatur: vt quicumque vos videre
meruerit, illam ſententiam poſſit ex ore proferre quam
protulit Regina illa, quæ in typum Eccleſiæ Salomonem
deſiderauit expetere: vt cùm vos vnuſquiſque quaſi
Regina Saba typus Eccleſiæ. Chriſti templa, viuentia bonorum operum margaritis
ornata, orationũ holocauſtis impleta, virtutum aroma-
tibus odorifera, meruerit contemplari, cõtinuò in exul-
tationis voce prorumpens, cùm Regina illa clamet &
† al. de conuerſatione ſancta huius congregationis. dicat: *Verus eſt ſermo quem in terra mea audiui* † *de* congre-
gatione inſulæ huius. Ecce nũc in veritate probaui, quia C
mihi vix media pars fuerat nunciata: quia maiora oculis
videre merui, quàm auribus prius audiui. Cùm ergo vos
vnuſquiſque velut Angelos in terra poſitos expetere ac
videre meruerit, & talia gaudens ex ore ſuo verba pro-
tulerit, & per totum mundum fœliciter nunciauerit:
conſiderate, & videte, quanta gloria de vobis augeatur,
& per vniuerſum mũdum, quam deſiderabilis & ſancta
vniuerſis Eccleſijs lætitia teneatur. Ante omnia fratres,
corde vigilantiſſimo ſemper metuite, ne animis veſtris
cogitatio illa ſubrepat, vt credamus, quòd nobis ad bea-
tam vitam ſola laus humana ſufficiat: & non conſidere-
mus, quales ipſi ſumus, ſed quales alijs eſſe videamur:
ne fortè neglectis virtutum meritis, de ſola opinione
curemus, ſed magis illam ſentẽtiam ſæcularem quidem, D
ſed valde vilem cogitemus: vt vera laus ornat, ita falſa
caſtigat. Et illud quod quidam de ſapientibus, dixit: Si
veræ ſunt laudes tuæ, præconia ſunt: ſi falſæ, conuicia.
Sed vt hæc tranſeam, & tam præclara perfectio impleri
poſſit, non paruo animi labore cõſtabit. Quis enim ſine
labore poſſit linguam ſuam à detractionibus amouere,
murmurationibus vel ocioſis ſermonibus finem impo-
nere, cogitationum immunditias vigilantiſſimo corde
repellere, à maledicto vel iuramẽto quaſi à veneno mor-
tifero abſtinere, vanitati reſiſtere, iracundiam refrenare?
Quis eſt qui ſine grandi cõpunctione cordis, ambitum
honoris, vel deſideriũ clericatus, veræ humilitatis amore
repudiauit, ac reſpuit? Quis vnquam ſine labore potuit
ſanctæ obedientiæ pia colla ſubmittere? nunquam ſe- E
nioris arbitrium reprehendere? cõtra nullum hominem
odium in corde ſeruare? non ſolùm fratres, ſed omnes
homines, etiam perſecutores, pro Chriſti amore dilige-
re? pro bonis orare, vt ſemper ſanctis operibus augean-
tur? pro malis ſupplicare, vt corrigi celerius mereantur?
Qui autẽ ſine labore poterit orationi inſiſtere? lectioni
vacare? Quis (inquam) hæc omnia, ſine gratia Dei &
grandi intentione cordis impleuit? Sed hęc omnia (fra-
tres) donec in conſuetudinem mittantur, laborioſa eſſe
videntur. Et (vt verius dicam) tamdiu impoſſibilia iudi-
cantur, quamdiu humanis viribus impleri poſſe putan-
tur. Cùm verò à Deo obtineri, & per Dei gratiam im-
pleri poſſe creduntur, nec dura, nec laborioſa, ſed leuia
& ſuauia comprobantur: ſecundum illud quod Domi-
nus dixit: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quod *Matth. 11.*
iugum, quia iam à vobis fœliciter portatur, & ſuauiter
ſuſtinetur, orate, vt cum etiam paruitas noſtra ſuſcipere,
& vſque ad finem mereatur humiliter baiulare: vt cùm
illa æterna beatitudine vobis dabitur gloria, nobis vel
peccatorum venia concedatur. Præſtante Domino no-
ſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæcu-
lorum, Amen.

ITEM EIVSDEM CÆSARII EPISCOPI, *vt Sacerdotes prædicationi inſiſtant.*

HOMILIA XXVI.

INTER reliquas beatitudines, quas in Euan-
gelio Dominus & Saluator noſter enumera-
re dignatus eſt, etiam hoc addidit, dicens:
Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi *Matth. 5.*
ſaturabuntur. Fœlices ſunt quibus iſtam præclarã famem,
& deſiderabilem ſitim, Deus donare dignatur. Quo-
modo autem eſuritur iuſtitia fratres? Iuſtitiam eſuris, ſi
verbum Dei patienter & libenter audire volueris, de
tali enim cibo dictum eſt: *Qui edunt me, adhuc † eſurient, &* *Eccleſ. 24. † eſuriunt. † ſitiunt.*
& qui bibunt me, adhuc † ſitient. Quamuis enim melius ſit
facere, quàm noſſe; prius tamen eſt noſſe, quàm facere.
Debet enim quiſque diſcere, quod optat implere. De-
nique audi Scripturã dicentem: *Omnis qui non didicerit iu-*
ſtitiam ſuper terram, veritatem non faciet. Et iterum: *Zelus* *Sap. 1.*
† apprehendet populum ineruditum, & † ignis aduerſarios con- *† apprehendit. † aduerſarios ignis.*
ſumit. Et hoc loco ideò † aduerſarios ignis conſumere C *† aduerſarios.*
dicitur, quia non de parte Chriſti ſed de parte diaboli,
eſſe cognoſcitur. Et iterum: *Iuſtitiam diſcite, qui habitatis*
† orbem. Manifeſtum eſt ergo, quòd ipſe eſurit iuſtitiam *† terram.*
qui diſcere optat iuſtitiam. Prius ergo debemus diſcere,
vt † poſtea mereamur implere. Vt ergo † iſta beati- *† poſtmodum. † iſta.*
tudo per Dei gratiam impleatur in vobis, ſi in veritate
(vt credimus) & eſuritis & ſititis iuſtitiam, quoties vobis
verbum Dei tardius fuerit prædicatum nolite expectare
vt vobis nos illud vltrò debeamus ingerere, ſed etiam
vos ipſi, quaſi rem vobis ex iure debitam fideliter à no-
bis ac ſitienter exigite. Nam ſi nos ſemper vltrò velimus
offerre, & vos vel aliquoties † tardius volueritis exige- *† tardantibus nobis voluerimus.*
re, poſſumus ab illis qui periculum noſtrum neſciunt
importuni forſitan iudicari. Sed qui benè nouit, quàm
D graue pondus immineat ceruicibus ſacerdotum, intel-
ligit quòd quamuis aſſiduè verbum Domini prædice-
mus, † reddimus quod debemus. Teſtificatur enim ſa-
cerdotibus Spiritus ſanctus per Prophetam: *Clama ne* *† minus reddimus, quam debemus.*
ceſſes. Non dixit, Clama poſt multos dies: ſed, *Clama ne*
ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo *Iſa. 58.*
peccata eorum. Et iterũ: *Si non annunciaueris iniqui iniquitatem*
ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram. Et Apoſtolus: *Ezech. 18.*
Memoriam mei retinete, quia per triennium die ac nocte nõ ceſſaui,
cum lachrymis monens vnumquemque veſtrum. Si Apoſtolus *Act. 20.*
† vt ſe apud Dominum exſolueret, die noctúq; verbum *† vt ſe commendaret apud Deum, vt ſolueret, die.*
Domini prædicabat: quid de vobis fiet, qui vix vel poſt
† paucos dies, commiſſo nobis gregi, ſpiritualia paſcua *† multos.*
prouidemus? Et propterea conteſtatur idem Apoſtolus:
E *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos &* *2. Tim. 4.*
mortuos, per aduentũ ipſius & regnum eius. Et quaſi interro-
gares, quare tam metuendam conteſtationem præmit-
teret, ſecutus adiunxit: *Prædica verbum, inſta opportune: im-*
portunè argue, obſecra, increpa. Quid eſt opportunè, impor-
tunè: niſi opportunè volẽtibus, importunè nolentibus?
Volentibus audire verbum Dei, offerendum eſt: faſti-
dientibus, ingerendũ: ne fortè contra nos ante tribunal
Chriſti ſtantes, dicant, ſe à nobis admonitos non fuiſſe:
& animarum illorum ſanguis, de noſtris manibus requi-
ratur. Vnde cum grandi timore & tremore † cõſiderare *† penſare.*
debemus, ne ad nos etiã illa terribilis ſentẽtia dirigatur,
quam ſeruus ille audire meruit, qui acceptum talentum
duplicare noluit: *Serue* (inquit) *male & piger, quare non de-*
diſti pecuniã meam nummularijs ad menſam, & ego veniens, cum *Matth. 25.*

Vſuris exegiſſem illam? Et quod poſt hæc ſequitur: *auertat hoc Deus à nobis: Inutilem* (inquit) *ſeruum proijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentiũ.* Quare(inquit) non dediſti pecuniam meam. Pecunia dilectiſſimi, non aliud intelligitur, niſi id quod in Eccleſia prædicatur. Nummularij qui pecuniam accipere debent, non ſunt alij, niſi populi Chriſtiani. Sicut enim graue peccatum erit, ad menſam cordis veſtri non dediſſe pecuniam Domini noſtri: ita è contrario, vnicuique veſtrum non paruum periculum imminet, ſi id quod verbis acceperit, bonis operibus duplicate noluerit. Quia ergo & noſtrũ & veſtrum periculum agnouiſtis, quoties euenerit vt vobis verbum Dei tardius miniſtretur: ſic hoc moleſtè accipite, quomodo ſi corpori veſtro quotidiani victus ſubſtantia ſubtrahatur. Non enim apud vos maior debet eſſe corporis fames, quàm animæ. Nam quantum animam digniorem eſſe nouimus, tantum de eius victu maiorem ſolicitudinem habere debemus. Si enim caro bis in die reficitur, quare moleſtum & ineptum iudicet aliquis, ſi vel poſt ſeptem dies anima Dei verbo paſcatur? Quomodo enim caro reficitur cibo iſto terreno, ſic & anima paſcitur Dei verbo. Et ideò quoties vobis tardius oblatum fuerit, per ſanctam importunitaté veſtram excitate pigritiam noſtram, & quod vobis ex iure debetur, exigite. Sacerdotes enim in Eccleſia, ſimilitudinem videntur habere vaccarum: Chriſtiani verò populi, typum præferunt vitulorum. Quomodo enim vaccæ per campos & prata diſcurrunt, vineta & oliueta circumeunt, vt depaſtis herbis ac frondibus, cibum lactis præparent vitulis ſuis: ita ſacerdotes, † diuinis ſanctarum ſcripturarum montibus aſſiduè legendo, verbi Dei debent flores **C** decerpere, ex quibus ſpiritualis lactis filijs ſuis cibos valeant miniſtrare: vt poſſint partem habere cum Apoſtolo Paulo, qui dixit: *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Non incongruè (fratres chariſſimi) ſacerdotes vaccarum ſimilitudinem habere videntur. Sicut enim vacca duo vbera habet, ex quibus nutriat vitulum ſuum, ita & ſacerdotes duobus vberibus, veteris ſcilicet & noui Teſtamenti, debent paſcere populum Chriſtianum. Conſiderate tamen fratres, & videte quia carnales vaccæ non ſolùm ipſæ ad ſuos vitulos veniunt, ſed etiam vituli ſui eis obuiam currunt: & ita vbera matrum ſuarum capite ſuo frequenter † percutiunt, vt aliquoties (ſi maiores vituli ſunt) ipſarum matrum corpora de terra ſubleuare videantur: attamen iniuriam † ipſæ vaccæ libenter ex- **D** cipiunt, dum vitulorum ſuorum cupiunt videre profectum. Hoc etiam boni Sacerdotes debent fideliter deſiderare vel cupere, vt filij eorum pro ſalute animæ ſuæ aſſiduis eos interrogationibus inquietent, vt dum filijs pulſantibus gratia diuina tribuitur, etiam Sacerdotibus ſanctarum Scripturarum ſecreta reuelantibus æternum præmium præparetur. Hoc ideo dico, vt in nobis, & in vobis, iſta ſimilitudo ſeruetur. Cupimus enim à vobis iſtam deſiderabilem inquietudinem aſſiduè ſuſtinere, dummodo animas veſtras videre mereamur in Chriſti amore proficere. Vnde, ſicut nobis expedit, collectis ſcripturarum floribus ſpiritualem cibum conficere: ita & vos oportet vbera cum grandi auiditate requirere. Nam quomodo ſolent vituli, matrum vbera grandi im- **E** petu inquietare, vt de interioribus earum, neceſſarium ſibi poſſint extrahere cibum: ita & populi Chriſtiani ſacerdotes ſuos, velut † ſanctæ Eccleſiæ vbera, aſſiduè debent interrogatione piiſſima prouocare, vt ſibi poſſint cibum ſalutis acquirere, & victum animæ ſuæ neceſſariũ prouidere, ne fortè ſi & ſacerdotes tardius † voluerint offerre, & populi nimijs impedimentis mundi iſtius occupari † non dignentur inquirere, impleatur illud quod ſcriptum eſt: *Mittam* (inquit) *famem † in terra, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* Credimus tamen de Dei miſericordia, quòd ita & nobis ſtudium legendi vel prædicandi, & vobis deſiderium præſtare dignabitur audiẽdi, vt ante tribunal æterni iudicis, & nos de prædicationibus noſtris bonam poſſimus rationem reddere, & vobiſcum, pro benigna obedientia **A** & bonorum operum perſeuerantia, ad æterna præmia mereamur peruenire, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Similitudo ex vaccis & vitulis accepta.
† de diuerſis ſanctarum.
1. Cor. 3.
† pulſant.
† ipſarum.
† ſanctæ Eccleſiarum.
† velint.
Amos 8.
† indignẽtur.
† in terram.

Eivsdem, Homilia XXVII.

SICVT à nobis Dominus, pro ſuſcepti officij neceſſitate, loquendi depoſcit officium: ita à nobis, chariſſimi, audiendi requirit affectum. Ita (inquam) charitati veſtræ expedit, his, quæ pro ſalute veſtra dicimus obedire, ſicut nobis imminet non tacere. Nam ſi nos offenſam metuimus de ſilentio, quanto magis vos eam debetis expaueſcere de contemptu? Si (inquam) nobis grande periculum eſt, aliena peccata non arguere, quanto periculoſius eſt propria **B** nolle corrigere? Ait quodam loco beatus Apoſtolus: *Videte vocationem veſtram, fratres.* Quapropter dilectiſſimi & nos videamus vocationem noſtram. Non enim ſatis prodeſt, quod iſtum locum expetiuimus, ſi tales ſumus, quales in ſæculo eſſe potuimus. Si enim bene perſpicimus, non ſolùm iſta ſolicitudo nos ad perfectionis neceſſitatem, ſed etiam ipſa congregationis multitudo conſtringit. Nam ſicut pretioſum atque præcipuum eſt, in medio multorum poſitum benè agere, & plurimos ad profectum boni operis incitare: ita periculoſum atque pernicioſum eſt, negligentius agendo multorum fidem frangere, multorúmq; animas deprauare. Sicut (inquã) fructuoſum eſt in medio multorum poſitum, probabiliter viuere: ita periculoſum eſt, aliquid deſtructionis **C** egiſſe. Hoc autem quare dico? quia quod peius eſt, facilius inuenimus: & ea quæ ſunt deteriora, quàm quæ meliora, ſectamur. Prona enim eſt ad imitationem mali humana fragilitas. Quapropter non nobis ſufficere credamus, quod nos † in hanc inſulã cernimus cõgregatos, quia vehementius in nobis negligentias noſtras profeſſa perfectio, quàm nec aſſumpta condemnat. Quia ſecundum ſcripturæ fidem, quibus multum cõmittitur, multum neceſſe eſt vt repetatur ab eis. O quantis prodeſt, & quantis è contrario oberit, loci huius opportunitas, & congruæ habitationis occaſio! Non enim in hoc loco benè dixiſſe laudãdum eſt, ſed in hoc loco bene feciſſe. Rurſum aſpice, nunquid nobis habitationis huius ſecretum aliquid prodeſt, quando tyrannico dominatu **D** malitia in nobis regnat? quando ira ſuperequitat? quando maiorem nobis metum humanus oculus quàm diuinus inducit? † quando laudabilis vitæ extra mundum nos eſſe credimus, & per diuerſarum paſſionum vitia mundum intra nos incluſum tenemus? Ita vt qui putabamus nos precibus noſtris ſæculo ipſi ſuccurrere, penè neceſſe ſit, vt videamus nos magis ſæculi interceſſionibus indigere. Dubium quippe non eſt, quòd illa anima quæ concupiſcentia ſecularium voluptatum, poſſeſſio efficitur mundanæ conuerſationis, non poſſit effici regnum diuinitatis. Ideo fratres, videte vocationem veſtram. Venire quidem ad eremum, ſumma perfectio eſt, ſed non perfectè in eremo viuere, ſumma damnatio eſt. Quid prodeſt, ſi locus quietus tantùm corporaliter te- **E** neatur, & inquietudo in corde † ſeruetur? Quid (inquã) prodeſt, ſi in habitatione ſilentium ſit, & in habitatoribus vitiorum ſit tumultus & colluctatio paſſionum? Si exterima noſtra ſerenitas teneat: & interiora, tempeſtas? Non enim ideò ad iſtum locum conuenimus, vt nobis mundus famularetur, vt rebus omnibus † abundantes, omni quiete frueremur. Non vtique ad requiem, nec ad ſecuritatem, ſed ad pugnam huc venimus, ad agonem proceſſim*, ad exercẽda cum vitijs bella properauimus, vt linguæ gladios retundamus, vt non ſolùm inimicè non inferamus iniurias, ſed nec ſentiamus illatas. Peculiarius autem iſtud ad profeſſionem noſtram pertinet, nihil in hac vita cõſolationis requirere, nihil quietis nec velle recipere, bona in vita ſua, ſed honores fugere, ſubiectione atq; abiectione gaudere, paupertatis ſtudium quærere,

& non

1. Cor. 1.
† in hac ſchola.
Humana fragilitas prona eſt ad imitationem mali.
† quando illi laudabiles eremitæ, qui extra m. u. e. credimus, per.
† per concupiſcentiam.
† verſatur.
† abundantes.

& non ſolùm facultates, ſed etiam ipſas cupiditates de cordibus eradicare. Nihil enim habere interdum res neceſſitatis eſt, nihil per auaritiam cupere virtutis. Et ideo hunc ſibi ſpecialiter modum, religioſus ponere debet, vt tantùm habeat, quantum neceſſitas poſcit non quantum cupiditas concupiſcit. Habendi enim amor, niſi ad integrum reſecetur, ardentior eſt in paruis, & plus torquetur in minimis. Et niſi ex toto corde & affectu pauper ſis, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria iudicanda eſt. Noueritis itaque fratres, nihil prodeſſe ſi carnem noſtram ieiunijs ac vigilijs † affligimus, & mentem noſtram non emendemus: aut quæ interiora ſunt, nõ curemus. Quid enim prodeſt afflictio corporalis, ſi linguam nequitijs & obtrectationib⁹ polluamus? Nónne omnes labores noſtri, ad nihilum redigũtur? Nónne omne opus noſtrum, velut fumus atq; vmbra euaneſcit, & velut ſtupæ fauilla in nihilum redigitur? O quanti, & quàm diuturni labores noſtri ſubitò pereunt: & quanta bona frequenter, iam acquiſita ac repoſita, de manu rapiuntur: dum id quod quærere ſtuduim⁹, aut augere aut cuſtodire negligimus. Quapropter, gratis nobis de corporis cruce & pectoris afflictione blandimur, ſi exterior homo noſter ſanctis laboribus exercetur, & paſſionibus nõ curatur interior. Sic eſt, quomodo ſi aliquis ſtatuam faciat à foris auream, vel quomodo ſi domus magnifica arte conſtructa, à foris pulcherrimis coloribus depicta videatur, & ab intus ſerpentibus & ſcorpionibus plena ſit. Quid prodeſt quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? Valde dura & nimis dolenda conditio eſt, omni intentione ſtudium laboris impendere, & fructum non recipere poſt laborem. Ieiunare, & vigilare, & mores non corrigere, ſic eſt quomodo ſi aliquis extra vineam extirpet aut colat, & vineam ipſam deſertam & incultam dimittat, vt ſpinas ac tribulos germinet, quæ inſiſtente cultore iocundiſſimos ex ſe fructus potuiſſet proferre. Agnoſcite itaque fratres chariſſimi, quod ad ſalutem perpetuam conquirendam abſtinentia corporalis ſola non ſufficit, niſi & animæ quoque ieiunium per abſtinentiam vitiorum fuerit ſociatum. Quid enim iuuat, ſi ſit quiſpiam corpore caſtus, & mente pollutus, quem malitia deprauat, quem furor iracundiæ facibus exagitat, quem ſuperbia omni gratia Dei expoliat, quem mendacijs vel maledictis lingua commaculat? Nónne ipſe ſe fallit? Nónne ipſe ſe irridet ac decipit, ſi credat ſe ſine reliquis virtutibus, ſuis ieiunijs ac vigilijs ſanctificandum? Et idcircò dilectiſſimi, ita corpus exerceamus ieiunijs, vt mentem purgemus à vitijs. Cogitemus illius iudicis inceſſanter aduentum, qui vtinam ſic nos paratos inueniat, quomodo nemo poteſt dubitare † quod veniat. Quòd ſi requiras quomodo veniet? In illo vtiq; corpore quod pro noſtra ſalute ſuſceptum, pro noſtra abſolutione † natum, & pro noſtrorum vulnerum medicina lancea clauiſque confixum eſt. Prima enim erit in reos intoleranda ſententia, reuerendarum præſentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi ſumus, quando contra † illius crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum noſtrorum & maculæ libidinum proferentur? Aut quo putas vultu, reſpiciet redemptio noſtra perditionem noſtram? Tanto grauiora erunt humana delicta, quanto maiora ſe oſtenderint diuina beneficia. Verendum eſt autem, ne illam vocem Reſurrectionis precioſæ Crucis veſtigia proteſtantem, etiam in iudicio ſuo ad vaſa iniquitatis prolaturus ſit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, & agnoſce quæ pro te impio pietas diuina perpeſſa ſit. Illa vtique clauorum ſigna, bonis ſalutaria, malis terribilia, quæ vſque ad diem iudicij non delentur.

† macéremus.

Inutile eſt ieiunium ſi mores non corrigas.

Abſtinentia corporalis ſola, ad ſalutem non ſufficit.

† quod veniet. Chriſtus in proprio corpore ad iudicium venturus eſt.

† damnatum.

† illos.

Ioan. 21. Cicatrices vulnerũ Chriſti vſque ad diem iudicij reſeruantur.

Et poſt hæc quid ſequitur, niſi illud interpoſitum inter viuos ac mortuos expaueſcendum chaos vaſtúmque diſcrimen excluſæ, † à natura viuentium tenebræ exteriores, dura ſeparatio à dulci intuitu ſanctorum & à ſocietate fœlicium: & è contrario, ire inter lachrymabiles gemitus planctúſque lugentium, & collegium triſte miſerorum, & ante beatam patriam æternum ſubire teterrimæ mortis exilium. Quàm lugubre erit homini, Dominum videre & perdere, & ante creatoris ſui perire conſpectum! Et ideo fratres chariſſimi, iſta dum tempus eſt cogitantes & redemptoris noſtri beneficia recolentes, ita cum Dei adiutorio indefeſſo ſtudio laboremus, vt quod nobis † obtulit iudicatus, integrum in nobis inueniat iudicaturus Ieſus Chriſtus Dominus noſter qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

†| Excluſio à natura viuentium.

† contulit.

HOMILIA XXVIII.

AD locum hunc (chariſſimi) properantes, non ad quietem, non ad ſecuritatem, ſed ad pugnam certaménque conuenimus. Ad agonem huc proceſſimus, & ad exercenda cum vitijs bella † conuenimus. Vitia enim noſtra, hoſtes noſtri ſunt, de quibus Scriptura pronunciat, dicens: Caue, ne vnquam habeas cum eis fœdus. Neceſſaria nobis eſt (fratres) peruigil cura, indefeſſaque cuſtodia, quia conflictus iſte ſine fine, hoſtis iſte ſine pace, vinci poteſt, & recipi in amicitiam non poteſt. Et ideo prælium iſtud quod ſuſcepimus, ſatis datum, ſatiſque periculoſum eſt quia intra hominẽ geritur, & niſi cum ipſo homine non finitur. Ideo ergo nos ad hæc tranquilla ſecreta & ſpiritualia caſtra contulimus, vt quotidie contra paſſiones noſtras infatigabili congreſſione certemus, vt quotidie ſenioribus noſtris voluntates noſtras quaſi famulas ſubijciamus, vt cordis nequitias circuncidamus, vel linguæ † gladios recondamus: vt non ſolùm inuicem non inferamus iniurias, ſed nec ab alijs ſentiamus illatas. Peculiariter enim iſta ad profeſſionem noſtram pertinent, nihil in hac vita conſolationis requirere, nihil honoris cupere, præſentium rerum ſolatia fugere, ad promiſſa æternæ remunerationis animum præparare, ſubiectione atque abiectione gaudere, † paupertatis ſtudium quærere, & non ſolùm facultates, ſed etiam ipſas habendi voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdum, res neceſſitatis eſt: nihil autem cupere, virtutis. Illud etiam ſcire debetis, quòd qui inter vos vitam agere conſtituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel diligentes vel etiã negligentes ſunt. Vnde fœlix eſt illa anima, quæ cùm benè in congregatione verſatur, multorum gaudium eſt: & plurimi ex ea vel ædificantur vel illuminantur. Bona enim eius, dum multis cõmunicantur, adduntur. Ad quod etiam ſapientiſſimi illius ſententia reſpicit, quæ dicit: Fili, ſi ſapiens fueris, tibi eris & proximis tuis. Itaque ſi quis in congregatione poſitus, ad humilitatem ſeſe † patienter præbuerit, quantum ex ſe bonum poximis commodat, tantum in ſe aliorum lucra conuertit. Si verò è contrario, per inobedientiam, vel ſuperbiam, quæ res (quod peius eſt) facilius inueniri ſolet, ad malum exemplum ſuæ iniquitatis alios traxerit, quãtos deſtruxerit, de tantis periculum damnationis incurrit. Quantis detrimentum fuit, de tantis dãna contraxit: & peccatum quod ab illo ſemel receſſit, ad eum multipliciter redundauit. Quamobrem ſicut ille valde admirandus atque laudandus eſt, cuius curſus bonus multorum, profectus eſt: ita ille meritò lugendus eſt, cuius vita mala multorum ruina eſt. Ideò (fratres chariſſimi) quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio poſiti agere ſtudeamus: ne † vita noſtra, aliorum virtutibus † noceat: ne aliorum feruorem, tepor noſter debilitet: & ne aliorum patientiam iracundia noſtra violet, ne aliorũ humilitatem, ſuperbia noſtra deprauet: ne aliorum ſanitatem, infirmitas noſtra corrumpat: ne aliorũ pulchritudinem, fœditas noſtra contaminet: ne aliorum ardentes extinguamus lampades, ſi noſtras illuminare non poſſumus. Et quidem ſtultæ illæ virgines, quamlibet ſtultæ eſſent, non tam alienas extinguere, quã ſuas illuminare cupiebant. Et ideo ad iſtatum

Deut. 7. † contẽdimus.

† gladium recondamus. Monaſtica profeſſionis propria.

† paupertatem ſtudio quærere.

† patientem.

† vitia. † noceant.

† ſimilitudinem, ſi cuiquam noſtrum deeſt pinguiſſima gratia humilitatis, ſi fidei ignis, ſi flamma feruoris, ſi A oleum charitatis, ſi lumen diſcretionis, veniat ad eos quos magis abundare perſpexerit: & gratiam in ſe proximi non auferendo, ſed imitando, transfundat: & bona poſſeſſionis alienæ, non ſolum ſine damno, ſed etiam cum lucro poſſeſſoris inuadat. Nunquam tibi deficit, quicquid † alter de te proficit. Nunquam enim lucerna luminis ſui damnum ſentit plurimis à ſe accenſis, nec minuit ſolis lucem conſiderantium multitudo. Quanti ad eum perſpexerint, tantis munera ſua commodat, & ipſe tamē integer perſeuerat. Benedicta à Deo illa anima cuius humilitas alterius confundit ſuperbiam, cuius patientia proximi extinguit iracundiam, cuius obedientia pigritiam alterius tacitè increpat, cuius feruor inertiam alieni teporis exuſcitat. Qui proximi ſui turbatū præ ira B oculum cordis, gratia conſolationis atque ædificationis illuminat, † melius huic quàm illi, qui fratrē paululum ab aliquo contriſtatum, non tam ſolatio ſuo porrecta manu ſubleuat, ſed titubantē, ſicut parietem inclinatum, maliloquiorū impulſu adiuuat ad ruinam: & ſalubriter pro diſciplinæ ratione correptum, per ſiniſtra cōſilia ſic incitat, vt allidat: ſic armat, vt perimat. Itaque fratres, cui mala propria non ſufficiunt, ille ſic agat vt iudicium etiam alienæ perditionis non incurrat. Certi ſumus (chariſſimi) quòd niſi caueamus, niſi noſtras quotidie reſecemus & circūcidamus paſſiones, deteriores multo nos effici, quàm fuimus, dum in ſæculo viueremus: ita vt fiant extrema noſtra, peiora prioribus. Et quidem chariſſimi, quādiu ad mundum pertinuimus, & illis actibus, C & negocijs militauimus, in quibus nunc erubeſcimus, tunc nobis aduerſarius non obſtabat, imò etiam conſentiebat: quia circa miſerabilem ac perditā vitam noſtram, non inueniebat, in quo exerceret inuidiam ſuam. Delectabant illum opera noſtra, ſufficiebant illi per ſe noſtra crimina & peccata. Quis enim ſuſcipiat bellum contra militem ſuum? quis velit impugnare ſubiectum ſuum? Sed ſupra omnem infœlicitatem erat vita illius, cui nocere non dignabatur inimicus. At verò nunc poſtquàm † voluntatibus illius renunciauimus, videt cultores ſuos ad auctoris ſui priſtinum redijſſe famulatum: videt in nobis quodāmodo idola ſua in Dei templa mutari, frendens & tanquam leo rugiens, omnes nocendi aditus peruigil inſidiator explorat. De quo leone Apoſtolus proteſtatur; Vigilate itaque, quia aduerſarius veſter dia- D bolus, vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Beati igitur, quos hic leo inquirendos iudicat: & † ſequendos vtique virtutum veſtigijs & odore meritorum. Non enim ab illo inquiruntur niſi boni, quia ſe vltrò ingerunt mali. Poſt illos violenter currit, iſtos etiam negligenter incurrit. Beati igitur quos hic leo inuidia cogitur quærere, & malitia non permittitur inuenire. Terribiliter quidē ſonat in auribus noſtris, dum audiuimus: Tanquam leo rugiens. Sed quia dictum eſt: † Eſca eius electi ſunt, quod quærit, electionis eſt, quod rugit, deſperationis. Sicut alio loco legimus: *Dentibus ſuis † fremet, & tabeſcet:* ita hoc loco loquitur ſermo diuin⁹, vt terrori coniuncta ſit conſolatio. † Cruciati quidem eſt, quod frendit: ſed victi eſt, quòd tabeſcit. Et inter hæc, quanta E ſint illa quæ à Deo præparata ſunt homini, etiam liuor prodit inimici. Hæc itaque cariſſimi, cogitantes & in hoc agone deſudantes, glorioſi ac præclari patris noſtri, nos & diſcipulos meminerimus eſſe & filios. Rapiamus vnuſquiſque quod poſſumus de † bonis inteſtati parentis: hic de hæreditate eius aſſumat † fidei holoſericam, geſtorum varietatem pretioſam: hic manſuetudinis ac ſimplicitatis occupet talentum, ille decus pectoris beneuolētiæ ac ſapientiæ monile ſibi vendicet: hic margaritam compūctionis, & theſaurum caſtitatis inuadat. Licet enim ille locupletiſſimus Dei amicus, quicquid habuit integrum, ſecum tulerit: & nobis tamen ſi volumus, totum reliquit. Ita ergo agamus bona illa illius ſectantes, vt qui æternam gloriam ſuſcitandus, ſub fine

† ſimilitudinē recurrimus, vt ſi cuiquā. Matth. 25.
† alteri.
† melius hic, quam ille.
Luc. 15.
† voluptatibus.
1. Petr. 5.
Bonos precipuè ſatanas perſequitur.
† inſequēdos.
† Eſca eius electa ſunt. Pſalm. 111.
† frendet, & tabeſcet.
† Cruciantis.
† bonis tanti parentis.
† fidei loricā.

ſæculorum creditur: nunc Eccleſiæ per rediuiua in filijs merita iam reſurgat. Adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Homilia XXIX.

Scimus quidem ſpirituali militiæ, cui nos mancipauimus, magnam eſſe in futurum repoſitam remunerationem: ſed ſi benè reſpiciamus, in hoc ipſo opere quod gerimus quodammodo, etiam in præſenti ſæculo iam partem præmij poſſidemus. Et planè magnus vitæ fructus eſt, ſæculum potuiſſe deſpicere, & Deo ſeruire cœpiſſe: euaſiſſe vitiorum infœliciſſimum dominatum, & fugiſſe gulæ atque luxuriæ fœdiſſimam ſeruitutem. Quid ergo? non iam magna pars præmij eſt, nihil commune habere cum mundo, vanarum rerum cupiditatibus non † exercitari, ſceleribus non admiſceri, & cum innocentia diem tranſigere, beatæ caſtitati operam dare, glorioſæ paupertatis ſufficientiam cum timore Domini poſſidere? De qua loquitur Sapientia: *Melior eſt exigua portio cum timore Domini, quàm theſauri magni ſine timore eius.* Intelligamus itaque quantum nobis Dominus pia vocatione contulerit. Numeremus (ſi poſſumus) ex illo tempore ex quo hic cōuerſari videmur, quanta peccata lucri fecerimus, de quantis fraudibus, de quantis adulterijs, rapinis, periurijs, ſacrilegijs, nos Dominus liberauerit: & tunc videbimus, quantum etiam de præſentibus beneficijs Domino debeamus. Si nunc in ſæculo eſſemus, quid aliud ageremus quàm conuolueremur in malis noſtris, & animas noſtras quotidianis † violaremus maculis, quotidianis confoderemus vulneribus, ita vt nec ſentire poſſemus. Habet enim hoc infœlix conſuetudo peccandi, vt quanto amplius vnuſquiſque peccauerit, tanto minus peccata ipſa intelligat: & tanto eum plus peccare delectet, & veniat illud quod Propheta peccatorib⁹ clamat: *Non eſt Deus in conſpectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius.* Etenim quando ſubrepit peccandi delectatio, ſtatim futuri iudicij diem abſcondit obliuio. E contrario autem quanto quiſque ſolicitior circa ſe fuerit, tanto plus metuit, ſicut ait Scriptura: *Sapiens timendo declinat à malo.* Sapiens ergo ſemper in compunctione, & ſemper in metu eſt: & vt de † præteritis ſuſpirat malis, ita de futuris periculis peruigili ſolicitudine contremiſcit. Qui de præteritis anxius eſt, & ſecum cogitat ac reuoluit, ne fortè parum defleuerit præterita, ne fortè nondum ſatisfecerit pro innumerabilibus debitis ſuis, ne fortè magis ad veteres iniquitates noua † poſuerit vulnera, ne ſuper antiquas conſcientiæ maculas, recentia adhuc crimina impreſſerit, & † conuerſationis nomen ad hoc aſſumpſerit, vt grauius ſub ſacra profeſſione delinqueret. † Aliquantum ſufficere nobis putamus, quòd fecerunt iſtud conſcendimus, quòd locum habitúmque mutauimus, quòd hic aliquantum temporis duximus, ſpem omnem in annorum numero collocantes, ac ſic pernicioſa noſmetipſos perſuaſione fallētes, putamus quod mala noſtra ſpatio temporis euanuerint. Et quia illa nos obliti ſumus, credimus quod de memoria diuinæ ſeueritatis lapſa ſint: ſed non ita eſt. Omnia apud illum † repoſita atque ſignata ſunt. Audiamus quid dicit ille, qui cum ipſo diabolo manu ad manum ſingulari certamine dimicat beatus Iob: Signaſti quaſi in ſacculo peccata mea. Et Dominus ait; Nonne hæc collecta ſunt apud me & ſignata in theſauris meis? Non putemus tam facilè remitti poſſe admiſſa ſemel crimina, & profundo vulnere in animæ impreſſa viſceribus. † Multum opus eſt fletus, multus gemitus, multæ contritiones corporis ad ſanandos ipſos dolores cordis. Tota incumbendum eſt ſpiritus compunctione, vt vetuſta mala tanquam ſagittæ quædā de conſcientiæ viſceribus euellātur. Non ſufficit ſummis labijs dicere: Peccaui, parce & remitte. Et Saul dicebat, Peccaui: ſed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare?

Quia

† cruciari.
Prou. 15.
† pollueremus.
Pſal. 13.
Timor Dei.
† præſentibus.
Satisfactio.
† ſuperpoſuerit.
† cōuerſionis.
† Aliquanti. Monachi veſtem mutabant.
† collecta, omnia repoſ.
Iob 14.
Deut. 32.
† Multo opus eſt fletu, multo g. multa contritione, ad ſ. ipſius cordis dolores: Tota ac incumb. eſt ſpir. compunctione.
Contritione, & ſatisfactione opus eſt pœnitentibus.
1. Reg. 15.

Quia confeſſionem illam nudam magis, quàm veri gemitus exprimebat: quia non compenſabatur cum magnitudine criminis † leuis humiliatio ſupplicantis. Non leui agendum eſt contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec tranſitoria opus eſt ſatisfactione, pro malis illis propter quæ paratus eſt ignis æternus. Si volumus intelligere quàm graues apud ſe faciat iudex noſter, hominum culpas, reſpiciamus ad pœnas. Quantum enim nunc patiens eſt Deus noſter, in ſuſtinendis delictis noſtris: tantum ſeuerus erit, in diſcutiendis actibus noſtris. Et ſicut inæſtimabilem parauit improbis pœnam, ita inenarrabilem iuſtis collaturus eſt gloriam. Ergo ſuppliciorum acerbitatem è contrario de præmiorum magnitudine colligamus. Quia qui nouit remunerare merita, nouit punire delicta. Saluberrima ergo eſt ac multum neceſſaria eſt, futuri iudicij recordatio & præteritorum commemoratio, vel deploratio delictorum. Quòd ſi quis eſt, qui ſibi de præteritis illæſæ vitæ meritis blandiatur, & adhuc innocentem ſe tranſiſſe putet ad Domini ſeruitutem, & ideo credit ſe eſſe ſecurum, iſte talis reſpiciat quàm incerti & quàm lubrici ſunt exitus vitæ. De qua dicitur: Ne laudaueris hominem in vita ſua: & cùm perſpexerit iam ſe de præterito non habere quod lugeat, habet de futuro quod timeat. Nemo ergo de præteritis ſecurus ſit, tanti laquei obiecti ſunt ante pedes animæ noſtræ, iam innumeri hoſtes obſeruant & cuſtodiunt iter noſtrum, tantæ foueæ † & iam præruptæ, tantæ rerum difficultates interiacent inter nos & finem noſtrum. Via ipſa quæ per ſe arcta & ardua eſt, tantis ſpiritualium latronum inſidijs † obſeſſa eſt, tantos nos ſcopulos, tantóſq; fluctus tranſire neceſſe eſt, vt ignoremus quid eueniat antequam anchoram optato in littore collocemus. Et putamus nos de præteritis debere eſſe ſecuros, & ſine quotidiana cura, ſine quotidiano timore & tremore, diem noſtrũ debere tranſigere? Quis tranſiens ſuper alicuius profundum fluminis per arctiſſimi pontis anguſtias, etiam ſi maiorem partem inoffenſo tranſierit pede, iam periculum euaſiſſe ſe credat: cùm in vltimo pontis ſpatio, ſi paululũ titubauerit, caſum quẽ in medio ſpatio vitarat, incurrat? Sic nos etiã, ſi magna pars vitæ iſtius videatur fuiſſe tranſacta, non ideo fiduciam præſumamus, cùm adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie poſitus ante finem certaminis, aut ante victoriæ ſecuritatem arma deponat? Nemo ergo ſecurum debere ſe eſſe iudicet, antequam ad finem fœlici conſummatione perueniat. Nec hoc nobis ſufficere putemus ad plenam ſalutẽ, quod inter ſeruos Dei vel habitatione cenſemur, vel nomine computamur, quod in inſula viuere, quodque inter monachos pſallere iubemur. Clamat enim nobis Dominus noſter: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit regnum cælorum.* Huc autem quare? *quia non auditores legis iuſti ſunt apud Dominum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Vnde etiã ſi bene vixerimus, curſum noſtrum ſtabilitate & perſeuerantia commendare debemus in loco vocationis perſiſtendo & † perficiendo. Verè dico etiam, ſi hîc viginti, aut triginta annos Domino impendiſſemus, cui vtique totum nos ſcimus debere quod viuimus: & vt ſatis vnum annum ageremus in ſæculo, inæſtimabile eſſet, quantum nobis de æternæ vitæ gaudijs fraudaremus, quia ſpes noſtræ omnes in conſummatione que fine conſiſtunt.

† fortè, leuis vel lenta.
Contã lege, non quanta vera contritio quantũ non magna ſatis eſt ad remiſſionẽ culpæ & pœnæ æternæ, ſed nomine cõtritionis vniuerſæ intellexit dolorẽ de peccatis qui vt remittat culpam non ita leuis eſſe debet vt nõ excedat attritionis metas.
Iudicij futuri recordatio vtilis.
Eccleſ. 11.
† & tanta prærupta.
Matth. 7.
† obſidetur.
Similitudo.
Matth. 7.
Rom. 2.
† forte, proficiendo.

Quid mihi prodeſt, ſi mihi ſata viridantia in herbis ſpem meſſis oſtendant, & me ſub ipſo falcis tempore ſubita vel aëris intemperies, vel pluuiarum inũdatio decipiat? quid mihi prodeſt, ſi vinea ſpem omnem in flore promittat, & vel ferarum incurſio, vel vaſtitas grandinis ſpem omnem † in conſummationem ſubducat? Ideóque omnis proſperitas, omniſque laborum fœlicitas, in fine conſiſtit. Cùm autem etiam illis dolendum ſit, qui hinc poſt multa laborum ſtipendia, poſt aliquantum annorum profectum, aliquibus deſiderijs abſtrahuntur: quid de illis erit, qui hîc quatuor aut quinque annis longiſſimum tempus credunt, & omnem reliquæ vitæ tractum, in ſæculi vanitate conſumunt, cùm etiam vnus annus ſæculi, labores noſtros in eremo acquiſitos, ita poſſit abſumere, quomodo ſi mare magnum paruiſſimum intra ſe riuulum recipiat & abſorbeat, atque ei nec nomen relinquat? Neſcio ad quæ lucra velimus in ſæculo viuere: Nam cùm hîc grande putetur damnum, non quotidie aliquid acquirere, illic grandis quæſtus eſt putandus vel acquiſita non perdere. Hic (inquam) graue detrimentũ creditur, nõ quotidie proficere: ibi verò ſumma virtus eſt non perire. Ideóque ſi adhuc tenues ac pauperes ſumus, hic aliquid conſequi elaboremus. Si verò aliquid conſequuti ſumus, hic illud ſeruare curemus. Hoc ſolùm † impendium & gaudium erit, quòd hic, Domino vixeris, quia quamdiu hîc conſiſtimus, in arbitrio eſt cùm velis ad ſæculum declinare. Cum verò declinaueris, iam difficilè ac penè impoſſibile erit, ad locũ iſtum vel cogitatione reſpicere. Quod ſi aliquis ideo ſecurum ſe putat, de hoc loco aliquando poſſe diſcedere, quòd hîc benè cucurrerit, quòd hic multũ laborauerit: hîc talis hoc agit, quomodo ſi aliquis oneratã mercibus nauem de portu ſoluat, & tempeſtatibus tradat, & ad ſcopulos atque ad ſaxa detorqueat. Quanto itaque laboramus amplius, tanto cautiores eſſe debemus. Proficiẽtibus enim inſidiatur inimicus; & vbi videt aliquam ſpem aut aliquam gratiam, ibi tanquam leo rugiens, & circuiens ad inuadendam prædam totus incumbit. Et ideo quia hic poſitis nocere non præualet, vult aliquos minus cautos per cogitationes ac per diuerſas tentationes ex hoc loco quodámodo, quaſi extra caſtra producere, & quaſi † de eminẽtiſſima arce deponere: & cùm depoſuerit, velut de loco ſuperiori confligere, vt etiam ſi nauem mergere non potuerit, ſaltem ex detrimentis & damnis quæ abundant in ſæculo, iocundiſſimam prædam reficiat. Mittit primùm intentiones diuerſas, indignitates, animoſitates: vt dum homo quod ſemel deſtinarit, atque in furore definierit, implere contendit: non cogitet damnum ſuum, nõ reſpiciat ad ruinam: & cùm illum depoſuerit, tunc ei in nihilum iam profutura pœnitudo ſuccedit. Hic ſumus, & tuti nõ ſumus: aut enim cordis cogitationibus varijs & improbis atque inhoneſtis agitamur; aut venenatis linguæ gladijs vulneramur, † pro minimis & prauiſſimis rebus ſcandalizãtes. Interdum etiam, quod monachum non decet, in lites & iurgia prorumpentes, profeſſionem noſtram regulæ tranſgreſſione violamus, furtum inferre præpoſitis, imò animabus noſtris, ſub Dei oculis non timentes: cùm hoc quod agere ſub præſentia præpoſitorum veremur, ſub Dei oculis committere non debeamus: non contenti ſumus neceſſarijs, ſed rurſum per cordis teporem abundantiam quam in ſæculo reliquimus, deſideramus. Vnde non ſatis prodeſt, quod à nobis qualeſcunque facultates excuſſimus, quando ipſæ in nobis reſident cupiditates. Inde eſt quod interdum de rebus † prauiſſimis excitamur, pro vilium rerum appetitu grauiſſimas contentiones mouemus. Hoc quare? quia licet reliquerimus in rebus exteriora bona, adhuc tamen in cordibus mala interiora retinem*. Et inter hæc quomodo exultat aduerſarius noſter, quando nos videt ad hoc maiora contẽpſiſſe, vt in minimis deformius vinceremur? Ideoque ea quæ foris poſita, intus animæ viſceribus adhæſerunt, radicitus † euellantur. Vnde & Apoſtolus non dixit; Aurum vel argentum, radix eſt malorum omnium: ſed magis, cupiditas diuitiarũ. Et non ſolum diuites, ſed; Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueũ ac tentationem. Rogat Apoſtolus non ſolum habentes, ſed & qui ipſam habendi † conſequitur voluntatẽ. Ideóque nihil proficit homo relinquẽdo quod extra ſe habet, qui vitia intra ſe retinet. Itaque (vt dixi) fratres, hic ſumus, & tuti non ſumus. † Et qui intra muros poſiti vix reſiſtimus; in ſeculo expoſiti quid faciemus? Qualiter ſtare poterit in fluctu atq; in ipſo colluctãtium tempeſtatũ impetu, qui hîc tã grauiter periclitatur in portu? Ideóq; in quantum

† in conſummatione.
Omnis fœlicitas in fine conſiſtit.
† compendium.
Liberum arbitrium.
† de inacceſſiſſima
Tentationum diabolicarum progreſſus.
† & pro minimis rebus ſcandalizamur.
† prauiſſimis.
† euellamus.
1. Tim. 6.
† habendi intra ſe retinet voluntatem.
† Et ſi intra.

† *portu.*

poſſumus, ſtabiles ſimus in hoc tranquilliſſimo † ſinu: quia quamlibet tepidus in vacuum non currit, qui ad palmam conſummationis perſeuerando peruenerit. Adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Homilia XXVIII.

† *al. illic ora noſtra.* † *defluet.* *Eccleſ. 19. Minuta negligentia.*

FRATRES chariſſimi, ad hoc in iſtum locum conuenimus, vt Domino noſtro vacare poſſimus: non his rebus, quibus noſter delectatur inimicus. Certum eſt enim, quod quando ea quæ ad ſæculum pertinent, loquimur, aut iniquis murmurationibus nos mordemus, † ille horas noſtras Deo ſubtrahi, & ſibi gaudet acquiri. quid prodeſt quòd nos precioſis vigilijs laboribúſq; conficimus, & ea quæ maximè Deus noſter in nobis deſiderat, non habemus? Hoc eſt, cor mundum & liberum ab iſtis minutis negligentijs; quas qui non obſeruat, paulatim † defluit, & ad maiora prolabitur. Illud ergo in primis habere ſtudeamus, quod in nobis Deus noſter expectat: id eſt, ſuauem, benignúmque ſermonem, mentem ab omni maledicto, ab omni malitia liberam, & deuitatis his quibus Spiritus ſanctus offenditur, humilitati & quieti operam dantem. Hæc ſunt præcipua ſacrificia, hæc pinguia holocauſta, quæ in conſpectu Domini in odorem ſuauitatis aſcendunt. Hoc etiam maximè ſtudeamus, vt illa quæ in honorem Dei noſtri agimus, cum hilari animo agamus, cum fidei gaudio & cum bonæ ac deuotæ voluntatis affectu. Quicquid verò inuiti atque compulſi facimus, nouerimus nos ex eo non ſolùm non habere profectum, ſed maximum detrimētum. Faciamus alicui potenti viro obſequium ſoluere, quod vtiq; ſuperiores perſonæ à clientibus ſuis expectare cõſueuerunt, nonne ſi nos videret homo ille, debitum ſibi officium inuito atque extorto animo, & etiam cum quodam faſtidio exhibere, nonne magis ſibi factam iniuriam iudicaret, & exhonorari ſe potius quàm excoli pronunciaret, & huiuſmodi negligẽti atque indeuoto offenſam potius crederet referendam eſſe quàm gratiam? Si ergo cuius hominis, deuotionem, fidem, atque hilaritatem requirit, vbi interdum melior eſt ille qui colit, quàm qui colitur, vbi nullum fructum officioſitas ipſa conſequitur: ſed hoc ſolùm profectus eſt, ſi mereatur ſuſceptus vocari, quantò magis nos in honore Dei noſtri obſeruare debemus, ne ad obſequia eius indeuoti atque compulſi, nec triſtes, atque ingrati inuitique inueniamur, & non reſpecti? At Deus, ad munera quæ negligenti ac vili animo afferuntur, non reſpicit. Non enim homini, ſed illi potius fides noſtra, ſeruituram ſe eſſe vel ipſam impendiſſe animam, parum debet † videre, cuius obſequijs atque beneficijs, etiam ipſi Angeli in Paradiſo confitentur: cui poſtremò cùm totum debeatur, nil tamẽ gratis ſoluitur. Pro hac ergo miſera vita, laboribus & doloribus plena, in qua vſus breuis eſt, & ipſa breuitas ſemper incerta; contẽdimus in obſequijs homini placere, & pro illa vbi iam nihil laboraturi ſumus, non contendimus, modò Deo deuotum ſeruitium impendere, quam vtiq; vitam etiamſi auctori ſuo offerre diſſimulet, deuoto voluntatis, continuò à nobis eſt exactura lex mortis: & quod non datur ex voto, ſoluitur ex debito. Pro iſta itaque vita, dabit illam vitam, quæ nec oculis poteſt cerni, nec tacita mentis cogitatione † perſtringi: quam vtique conſequi eſt facilius, quàm enarrare: cuius erit curſus ſine termino, vſus ſine faſtidio, refectio † ſine cibo, adiutorium ſine defectu, requies ſine nocte, otioſitas ſine ſenio, indeficiens ſub vultu Dei claritas, & ſub antiquis perpetuiſque gaudijs ſemper noua iocunditas, & ſine vllo amittendi periculo fœlicitas. Huius ergo vitæ dulcedinẽ relinquentes, iam nunc † de futuris ſæculis quotidie cogitando, etiam in hoc corpore prægustare conemur, & excluſa de ſenſibus noſtris ſæcularium deſideriorum amaritudine, quendam beatitudinis illius dulcem ſaporem noſtris cordibus attrahamus: & diſcuſſo omni torpore omníque pigritia, cuius mater eſt infidelitas; illa iam hilaritate, illa alacritate Domino ac Deo noſtro illóque gaudio ſeruiamus, quo gaudio ad munera † ſua inuitante veniamus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deo nihil gratis ſoluitur. † *videri.* † *perſtingi.* † *ſine cibi adiutorio, requies ſine noctis otio, ætas ſine ſenio.* *Vita æterna.* † *de futuris illius ſæculi reg.*

† *ſua ipſa ad munera inuitante veniamus, qui cum æterno Patre & Spiritu viuit & regn. Ieſum Chriſt. per o. ſ. ſ.*

Homilia XXIX.

Tũc viuimus, cum proprias volũtates abnegamus.

VIDETE vocationem veſtram, Fratres chariſſimi; Venire quidem ad eremum, ſumma perfectio eſt; non perfectè in eremo viuere, ſumma damnatio eſt. Quid prodeſt, ſi in loco quies teneatur, & inquietudo in corde verſetur? Si in habitatione, ſilentium ſit: & in habitatoribus, vitiorum ſit tumultus, & colluctatio paſſionum? Si exteriora noſtra ſerenitas teneat: & interiora noſtra, tempeſtas? Solemus annos noſtros, & ſpatia temporum, quibus nunc viuimus, ſupputare: Non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter ſæculo conſumpſiſti. Illum tantum diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegaſti, quem ſine vlla regulæ tranſgreſſione duxiſti. Illum tantùm diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegaſti, in quo deſiderijs reſtitiſti, quem ſine vlla regulæ tranſgreſſione duxiſti. Illum diem vixiſſe te computa, quem non malitia, non inuidia, non ſuperbia contaminauit: quem non mendacij, non periurij culpa reſperſit. Illum diem vixiſſe te computa, qui puritatis & ſanctæ meditationis habuit lucem, quem non cõuerſatio tenebroſa mutauit in noctem. Illum (inquam) diem applica ad vitam tuam, cuius lucrum venit ad animam tuam. Solemus etiam nobis de corporalium vigiliarum aſſiduitate blandiri, qui poſt vigilias ac fortè de ipſis vigilijs, ad obtrectationes, ad verboſitates, ad murmurationes egredimur. Nam qui ſe de choro pſallentium ad comeſſationes inhoneſtas, potationéſque furtiuas, non damnabili tranſgreſſione, ſed abominabili vtilitate ſubducit: multo eſſet leuius, ſi † ſobrietate dominante dormiret. Et ille qui ieiunans oneratum & prægrauatum pectus iracundiæ vel indignationis diſtrictione circumfert, quia vino ſe abſtinet: & in ſenſibus, virus amarum amariſſimæ diſcordiæ ebrietate turbatur: qui (inquam) exteriori & ſalutifera poculorum parcitate ſe macerat, & interiora eius mortiferum virus odiorum eructant: nónne in ſe Propheticas voces dirigi, iam etiam in præſenti vita prędamnatus intelligit? *Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus.* Vel illud: *Ex vinea enim Sodomorum, vinum eorum, & vites eorum, ex Gomorra. vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis in ipſis:* Ita autem interdum diabolus cùm aduertit animam fide vacuam, & Dei timore nudatam, ita diuerſis paſſionibus inebriat mentem, vt quando maledicimus, aut iraſcimur, aut obtrectamus, quando hæc agimus, alijs nos nocere, non nobis credamus. Sed non ita eſt. Nam vniuſcuiuſque vitij malum, in ſuum recurrit auctorem, ſicut dicit ſermo diuinus: *Fili, ſi malus fueris, ſolus hauries mala tua.* Suam linguam maliloquus maculat, ſuum cor obtrectator exulcerat, ſuæ mentis lumen iracundus obcæcat, ſuam inuidus animam velut tinea corrumpit. Et ſicut exulceratis partibus naſcuntur viperæ, ſicut (inquam) naſci viperei fœtus diruptis † matris viſceribus aſſeruntur, ita humana præcordia ipſis penitus quas cõceperunt paſſionibus dilacerantur. Illa (inquam) præcordia, de quibus vitiorum generatio ſerpentina profertur, ipſa primitus monſtruoſa partus fœcunditate violantur. De tali partu dicit ſermo diuinus: *Ecce parturit iniuſtitiam, concepit dolorē, & peperit iniquitatem. Conuertetur dolor eius, in caput eius: & in verticem ipſius, iniquitas eius deſcendet.* His itaque à noſtra vtpotè circa vos feruenti caritate, quæ pro aliquorum negligentijs longo cruciabatur dolore præmiſſis, & ex aliquo exonerati pectoris æſtibus præcipimus, admonemus, atque etiam vos pro

† *ebriolentia.* *Iſa. 58.* *Deuter. 32.* *Malum in ſuos ſemper recurrit auctores.* † *al. matrum viſceribus.* *Pſal. 7.*

vobis

Digitized by Google

vobis (ſi tamen affectum præcipientis audire non dedignemini) obſecramus, vt de reliquo corrigatis mores, A negligentias emendetis, ne ad vos poſtmodum noo cum linguæ ac ſermonis virga, ſed cum his verberibus, quæ obdurata depoſcunt corda veniamus. Elaborate fratres chariſſimi, vt deinceps inter vos contentione laudabili, ac meliori tandem æmulatione certetis. Vnuſquiſque veſtrum in opere Dei ſtudeat eſſe promptior, in oraóone frequentior, in lectione ſolicitior, in caſtitate ſit purior, in ſobrietate ſit parcior, in lachrymarum largitate profuſior, in corpore boneſtior, in corde ſyncerior, in ira mitior, in manſuetudine moderatior, in riſu rarior, in compunctione feruentior, in grauitate fundatior, in charitate iucundior. Et ideo noſmetipſos caſtigemus, quotidie ipſi nobiſcum rationem de quotidiana conuerſatione faciamus. Alloquatur ſe B in ſecreto cordis vnaquæque anima, & dicat: Videam ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione ac murmuratione tranſegi. Videam ſi hodie aliquid, quod ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertinet, operatus ſum. Puto quod hodie illum inſipienter deſtrxi, hodie ſeniori meo inobediens fui, mentitus ſum, periuraui, ira vel gula victus ſum. Plus hodie riſi, plus cibo ac potu, plus otio ac ſomno quàm decebat indulſi. Minus legi, minus oraui quàm debui. Quis mihi reddat hunc diem, quem in vanis fabulis perdidi? Ac ſic, fratres, de omnibus negligentijs noſtris compungamur in cubilibus: id eſt, in cordibus noſtris: Si ita egeritis, nos quidem de profectu veſtro lætificabimur, ſed vos de acquiſita ſalute gaudebitis. Nos vobis, pro ſalutis veſtræ acquiſitione ſubderis. C Docet autem illius qui potens eſt, pietas, vt ita de ſermone noſtro proficiant, vt nos viciſſim veſtris meritis adiuuetis, nobiſque ſitis & in præſenti ſæculo ornamentum, & in futuro præſidium. Adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Monaſtica exercitationes.

Homilia XXX.

QVon ſupplicante, & quodammodo cum charitate, iubente ſancto patre † veſtro fraternitati veſtræ qualemcumque ſermonem profero: non ex aliqua præſumptione hoc facio, ſed ex vera & integra charitate: Et licet tam per- D fecti (Deo propitio) ſitis, vt monitione noſtra minimè egeatis, tamen imperante charitate, quæ neſcit timere, etiam quod optimè vos implere nouimus, ſuggerere & admonere cum vera humilitate & perfecta charitate præſumimus, non tamen ſine verecundia. Cùm nos nec idoneos nouerimus eſſe diſcipulos, ad opus ſanctum videamur excitare magiſtros. Cùm ſimus tepidi, cogimur admonere feruentes. Cum ſimus peccatores, arguimus iuſtos. Cùm ſimus imperiti, doctos inſtruimus. Cùm ſimus in pelago huius mundi, nimijs fluctibus fatigati, ad eos qui ad portum iam fœliciter peruenerunt, prædicationis verba proferimus. Sed tamen fratres, quia ſolent naues ſuperatis & deuictis pelagi fluctibus, etiam in portu tutiſſimo ſæpe laborare, & niſi grandis E cautela fuerit, penè ſubmergi: cum ſumma humilitate, & ingenti reuerentia admonemus: vt quia vos Chriſtus de omnibus capitalibus criminibus, tanquam de periculoſis fluctibus liberauit, in portu quietæ beatitudinis conſtituti, paruas negligentias & minuta peccata, quæ ſic in animam confluunt, quomodo per minutiſſimas nauis rimulas † inteſtinæ guttæ concurrunt; cum omni vigilantia (Chriſto adiuuante) exhaurire iugiter feſtineris. Nam quomodo nauis, poſtea quam pelagi fluctus euaſerit, ſi in portu † deſtinata non fuerit, de minutiſſimis guttis impletur, & mergitur: ſic & Monachus, deuictis & ſuperatis ſæculi tempeſtatibus, & mundi huius criminibus, quaſi periculoſis fluctibus, cùm ad portum Monaſterij venerit, ſi † ſub repentina & minuta &

† noſtro.
Crimina capitalia.
Peccata minuta.
† in ſentina.
† ſentinata.
† ſubrepentia

quotidiana peccata de animæ ſuæ ſentina exhaurire neglexerit, in ipſo portu naufragij diſcrimen incurrit. Sed dicet aliquis, quomodo poteſt anima ſentinari. Vtique orando, ieiunando, vigilando, veram charitatem, veram humilitatem, & veram obedientiam exhibendo. Attendite fratres (quæſo vos) quomodo nauis ſentinatur à ſitula; ſic anima ab omnibus malis, oratione Dominica liberatur, ſi dicat, & verum dicat: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Qui enim omnibus in ſe peccantibus clementer indulſerit, nullius peccati veſtigium, † nullius macula remanebit. Attendite (fratres) diligenter conſiderate quod dixi; qui in ſe peccanti indulſerit: non enim dixit, quòd qui in † Dominum peccauerit, ipſi debeas indulgere: ſed qui in te peccauerit, illi debeas veniam dare. Quod peius eſt, aliquotiens qui in nobis peccauerit, aut tardè, aut difficilè veniam damus. Qui in † Dominum deliquerit, celeriter indulgemus. Sed ſi volumus iuſtè agere, ille qui in Dominum peccauit, ſine ſeueriſſima diſtrictione non debemus penitus indulgere: ne dum illi per indiſcretam pietatem remittitur, exemplum perditionis alijs præbeatur. In ſua ergo ſe vnuſquiſque oſtendat eſſe clementem. Quia Dominus dixit: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater veſter cæleſtis peccata veſtra.* Quando verò † in Domino aliquis peccatum præſumit admittere, diſtrictionem debet monaſterialem ſuſtinere. Et hoc bono & pio animo debet fieri, vt per ſpiritalem caſtigationem ita corrigatur in hoc ſæculo, vt non pereat in futuro. Quia omne peccatum quod in hoc mundo non corrigitur, in futuro ſæculo punietur. Sic enim de filio, vel de ſeruo, Scriptura diuina commemorat: *Tu* (inquit) *virga cum cædes, & animam illius de inferno liberabis?* Et ideo (ſicut ſuprà ſuggeſſi) non ſolùm capitalia crimina caueamus, ſed etiam prauas negligentias quotidie, quaſi venena diaboli, reſpuamus. Sunt enim nonnulli, qui poſt religionis profeſſionem, quia videntur exiſſe de ſæculo, nimia ſecuritate ſoluuntur: & implerur in illis illa ſententia Domini, qua dicitur: *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Quid eſt quod dixit; Vtinam calidus eſſes aut frigidus? hoc eſt dicere: Melius tibi fuerat aut in ſæculo remanſiſſe frigidum, aut in Monaſterio eſſe feruentem. Nunc autem quia & de ſæculo receſſiſti, & tamen feruorem ſpiritalem per negligentiam apprehendere noluiſti, tepidus effectus ea ore Domini vix iterum recipiendus euomeris. Et ideo, fratres chariſſimi, cum Dei adiutorio ſententiam diuinæ Scripturæ diligenter attendite, qua dicitur: *Omni cuſtodia, ſerua cor tuum.* Sicut enim gaudendum eſt de illo qui ad Monaſterium veniens, manſuetudinem, obedientiam & patientiam voluerit mitis & humilis exhibere: ita & è contrario, lugendus eſt ille, qui corpore tantum de ſæculo exiſſe videtur, corde tamen in mundo aut remanſiſſe infideliter, aut infeliciter rediſſe cognoſcitur, & pro humilitate profert ſuperbiam, pro patientia iracundiam, contemptum pro obedientia: pro charitatis medicamento, malitiæ effundit venenum. Talibus conuenit illa beati Petri vera & multum timenda ſententia: *Melius* (inquit) *fuerat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt cognitionem retrorſum conuerti.* Et iterum: *Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Sed nec de talibus deſperandum eſt, fratres, quia potens eſt Deus, orationibus veſtris ſcintillam compunctionis accendere, & omnem ſæculi voluptatem velut ſpinas & tribulos nequitiæ, ſalubri igne conſumere, illo vtique igne, de quo Dominus dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi, vt accendatur?* Orate ergo fratres dilectiſſimi, non ſolùm vt vobis Deus in bonis perſeuerantiam dignetur tribuere, ſed etiam illos qui negligentes ſunt iubeat de fouea ſubleuare, & de laqueis eruere. Si enim vobis orantibus & cum charitate conſilium dantibus, quicumque ſunt tepidi, & negligentes fuerint emendati, duplicatum vobis Dominus præmium & de veſtra

Matth. 6.
† in ipſius anima remanebit.
† Deum.
† Deum peccauerit.
Matth. 7. & 18.
† in Deum.
Apoc. 3.
Prou. 4.
2. Petr. 2.
Luc. 12.

Digitized by Google

ſalute & de illorum correctione dignabitur repenſare. A Nam nec illi qui boni ſunt, ſe debent quaſi de ſuis meritis extollere: nec illi qui negligentes ſunt, de Dei miſericordia deſperare: ſed illi cum humilitate, Dei dona cuſtodiant: & iſti cum grandi compunctione, celeritus ad pœnitentię vel correctionis medicaméta confugiant, quia qui bonus eſt, ſi ſuperbire cœperit; citò humiliatur: & qui ſuperbus eſt, ſi ſe humiliat, per Dei miſericordiam ſubleuatur. Tantum eſt, vt non ſe permittat amplius duriſſimo diaboli iugo premi: nec nimia & periculoſa diſſimulatione, in peccatis perſeuerans diutius obdurare: ſed tam citò cōfugiat, vt in ſe peccati veſtigium non relinquat. Optimè calidis adhuc vulneribus malagma vel fibula apponitur: quia ſi velox fuerit ad cœleſtem medicum intentio reſurgendi, veſtigium non poterit remanere collapſi: quia ſub manu omnipotentis medici, & citò perit morbus, & velociter ſanatur ægrotus. B Iterum atque iterum rogo & admoneo vos fratres, vt obedientiam, humilitatem atque charitatem, non ſolùm ſenioribus & coæqualibus, ſed etiam iunioribus exhibere iugiter ſtudeatis: quia quælibet bona Dei ſeruus habere contenderit, omnia infeliciter perdet, ſi in illo humilitas & charitas non fuerit. Nolite murmurare, quia ſcriptum eſt, quod murmurantes à ſerpentibus perierunt. Nolite detrahere fratribus, quia ſcriptum eſt: Qui detrahit fratri ſuo, eradicabitur. Nolite iracundiam in corde ſeruare, quia ſcriptum eſt: Ira viri, iuſtitiam Dei non operatur. Nolite vos inuicem odio habere, propter illud quod ſcriptum eſt: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Sed opus nos eſt, vt diutius ſanctam charitatem veſtram verbis doceamus, quæ C vos ad Chriſti gloriam operibus implere & cognoſcimus, & gaudemus. Hoc ſolùm ſpecialiter petimus, vt qui vos in quietis & tranquillitatis loco collocare dignatus eſt, pro nobis, quos ſæculi iſtius tempeſtates & innumerabiles fluctus affligunt, abundantius Domino ſupplicetis: vt ſi nobis, quia non meremur, gloria non detur, ſaltem vobis orantibus, peccatorum venia tribuatur. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

1. Cor. 10.
Humilitas & charitas potiſſimum requiſita.
Prouerb. 13.
Iaco. 1.

ADMONITIO, ORANDVM ESSE *attentè, & de ſermonibus otioſis.*

HOMILIA XXXI.

D LICET in multis rebus (fratres chariſſimi) nos, Deo propitio, veſtra operatio lætificet, & de veſtris profectibus frequentius gaudeamus: tamen ſunt aliqua, de quibus veſtra charitas debeat admoneri: & ideo rogo, vt ſuggeſtionem noſtram, ſicut conſueuiſtis, libenter accipiatis. Gaudeo, fratres dilectiſſimi, & Deo gratias ago, quia vos ad audiendas lectiones diuinas video ad Eccleſiam fideliter currere: ſed ſi & profectum veſtrum, & gaudium noſtrum complere ad integrum vultis, maturius conuenire debetis. Nam in tam prolixis noctibus; quem non infirmitas detinet, non ſine reatu animę ſuæ tardiùs ad Eccleſiam venit. Rogo vos (fratres) ſi inſtitores aurifices maturius vigilant, vt poſſint corporis neceſſaria E prouidere: nos non debemus ante lucem ad Eccleſiam ſurgere, vt peccatorum indulgentiam mereamur accipere. Si negotiatores vigilare ſolent pro lucro pecuniæ, nos quare non vigilemus pro amore vitæ perpetuæ? Interdum aliqui ventis ſe tempeſtatibúſque committunt & nauigant ab Oriente vſque ad Occidentem, & ab Occidente vſque ad Orientem, ſuſtinentes pericula multa, interdum etiam famem ac ſitim amariſſimè tolerantes: ſi hæc omnia illi patienter ſufferunt, propter ſubſtantiam perituram: nos quare pigeat vigilare, propter vitam æternam? Et ideo rogo vos, vt & maturius veniatis: & cùm veneritis, magis orare vel pſallere, quàm ocioſis vos vel ſecularibus ſtudeatis fabulis occupare.

Nocturna vigilia.

Qui enim ad Eccleſiam veniēs verboſare voluerit, melius illi fuerat non veniſſe: quia dum ſe infructuoſis fabulis occupat, nec ipſe pſallit, nec alios pſallere, aut lectiones diuinas audire permittit. Qui talis eſt, etſi cum paruo peccato ad Eccleſiam venit, cum maiori ad domum propriam redit: quia ibi ſe verboſando ſtuduit vulnerare, vbi pſallendo vel orando & ſibi & alijs medicamenta potuit prouidere. Ante omnia fratres chariſſimi, quoties orationi incumbimus, cum ſilentio & quiete ſupplicare debemus: quia quicumque voluerit cum alta voce orare, omnibus iuxta ſe ſtantibus orationis fructum videtur auferre. Rugitus tantum & ſuſpiria vel gemitus audiantur. Nam oratio noſtra talis eſſe debet, qualis fuiſſe legitur ſanctæ Annæ matris beati Samuëlis. Sic enim de illa ſcriptum eſt: *Quia flens orabat, & labia eius tantummodo mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Audiant hæc omnes, & imitentur præcipuè illi, qui ita alta garrulitate, ſine vlla verecundia, cum ſtrepitu vocis orant, vt iuxta ſe alios orare non permittant. Oremus ergo (ſicut dixi) cum ſuſpirio & rugitu vel gemitu, ſecundum illud Propheticum: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Oremus (inquam) non voce ſonante, ſed conſcientia ad Dominum clamante. Orantes autem (fratres chariſſimi) quantum poſſumus, adiuuante Domino, laboremus, vt nulla nobis extranea cogitatio ſubrepere poſſit: ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore: ne fortè dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus varijs occupata, ab orationis ſenſu diſcedat: & inde acquirat peccatum, vnde potuit habere remedium. Si enim apud aliquam potentem perſonam velles aliquam cauſam neceſſariam allegare, & ſubitò auerſus ab illo, media interlocutione dirupta, aliquibus te velles ſcurrilitatibus occupare, qualem putas iniuriam illi perſonæ cum qua loquebaris, inferres? aut quomodo contra te, illius iracundiam commoueres? Si ergo cum homine loquentes, tota intentione animi laboramus, ne aliud cogitantes, illi cum quo loquimur iniuriam facere videamur, cum Deo in oratione loquentes, & ante tantam maieſtatem, peccatorum noſtrorum miſerias allegantes, non nos pudet, & non erubeſcimus, captiuis ſenſibus huc illúcque diſcurrere, & infœlicem mentem multis occupationibus à conſpectu diuinæ maieſtatis abſtrahere? Et ideò vnuſquiſque antequam in oratione procumbat, omnes cogitationes ſuperfluas ab animi ſui intentione, Deo auxiliante, repellat: vt anima noſtra ſancti Spiritus feruore ſuccenſa, omne vitium compunctionis vel orationis igne conſumat, & vagas ac volaticas cogitationes longè diſpergat, vt ſolæ virtutes tantùm, & ſanctæ meditationes in cordibus noſtris, locum ſemper inueniant. Conſiderate, fratres chariſſimi, quæſo vos, & videte quàm ſit dura iſta captiuitas, vt lingua quaſi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad terram & parietes vel lapides dirigatur. Et ſi iſta quæ licitè alio tempore vel cogitare poſſumus, vel videre, nimis durum eſt ſi nobis in oratione ſubripiant: putas illa, quæ etiam alio tempore illicitè cogitantur, quantum mali erit, ſi ea in oratione poſiti cogitemus? Id eſt, ſi cupiditatem, ſi odium, ſi iracundiam, aut luxuriam, vel adulteria, & cætera his ſimilia inclinati, ad orationem ante cordis noſtri oculos proponamus. Vnde fratres chariſſimi, totis medullis conſcientiæ Dominum deprecemur, vt nos ab iſta ludificatione dæmonum liberare, & peccatorum nobis indulgentiam donare dignetur. Et ideò dilectiſſimi fratres, iterum atque iterum rogo, ſi fieri non poteſt, vt iſtas captiuitates animæ ad integrum poſſitis euadere, vel quantum poſſimus, auxiliante Domino laboremus, vt ei vel tardius occurrere non videamur, fortè per negligentiam, dum orantes aliud cogitamus inde apud Dominum inueniamus offenſam vnde poteramus acquirere gratiam. Oremus ergo fratres non ſolùm pro nobis, ſed etiam pro omnibus vbicumque ſunt Chriſtianis: nec ſolùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis,

Oratio qualis eſſe debeat.
1. Reg. 1.
Pſalm. 37.

Rom 8.

inimicis, Dei miſericotdiã deprecemur. Et quia beatus Apoſtolus dicit: *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Hoc ſemper pro nobis, & pro omnibus alijs ſupplicemus, vt nobis Deus hoc dignetur concedere quod nouit noſtræ animæ conuenire. Ante omnia fratres, orationem Dominicam in oratione dicamus: quia ſine dubio libenter orationem exaudit, quam ipſe pro ineffabili ſua benignitate inſtituit. Hæc ergo (fratres chariſſimi) ſi Deo inſpirante, ſicut conſueuiſtis libenter accipitis, & quantum Deus vires dat, implere contenditis: & nobis facietis gaudiũ, & vobis præparabitis regnum. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui regnat cum Patre & cum Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

† al. Item admonitio, vt genua in oratione flectantur, & de otioſis verbis.

DE GENIBVS FLECTENDIS IN oratione, vel de verbis otioſis.

HOMILIA XXXIIII.

Clamor diaconi, flectamus genua.

Coloſſ. 4.

ROGO vos & admoneo fratres chariſſimi, vt quotieſcumque iuxta altare à clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non ſolùm corda, ſed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, ſicut oportet, & diligenter attendo Diacono clamante: Flectamus genua: maximam partem populi, velut columnas erectos ſtare conſpicio: quod Chriſtianis dum in Eccleſia oratur, omnino nec licet, nec expedit. Non enim propter nos, ſed propter vos Diaconus clamat. Et ideo quia ad vos ſpecialiter vox illa, vel maximè ad negligentes dirigitur, iuſtum eſt vt à nobis fideliter impleatur. Sit ergo vox C illa, obedientibus in remedium: quia inobedientibus in teſtimonium, propter illud quod ſcriptum eſt: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Sed & illud timendum eſt fratres, quod Apoſtolus dixit, & omnimodis obſeruandum: *Inſtate orationi, vigilantes in ea.* Et iterum: *Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Et Dominus: *Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem.* Et iterum: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Et ideo, qui pro aliqua infirmitate non poteſt genua flectere, vel dorſum curuare, caput non pigeat inclinare, conſiderans per hanc humilitatem, publicanum illum Dei miſericordiam conſecutum, qui ad cœlum leuare oculos non audebat, ſed inclinato in terra capite, pectus tundebat: & peccata intus incluſa, quaſi iudex ſeueriſſimus, verberabat. D Et ideo meruit, vt de eo Dominus dicere dignaretur: *Deſcendit hic publicanus iuſtificatus magis quàm ille Phariſæus: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Exemplum etiam ipſius Phariſæi conſiderandum eſt, & timendum, ne pro eo, quod ſtans orauerit, ideo non meruerit exaudiri. Sed fortè ſunt aliqui, qui ideo genua nolunt flectere, quia ſe credunt peccata grauia non habere. Auertat hoc Deus à ſenſibus Chriſtianis. Ille periculoſius peccat, qui ſe grauiter peccare non putat. Et tunc maximam impugnationem ſuſtinet, quando impugnari non ſentit. Sed dicit aliquis: Quis eſt qui ſe peccatorem non credat? Sine dubio, ille ſe peccatum graue habere non credit, qui proſtratus aut incuruatus, animæ ſuæ remedium non quærit. Sed fortè E timet aliquis, ne pretioſis veſtimentis ſuis iniuriam faciat. Qui timet, ne orando inquinet veſtimẽta ſua: plus timeat, ne non orando ſordida remaneat anima ſua. Plus enim apud nos debet valere anima noſtra, quàm tunica noſtra. Et valde timendum eſt, ne dum veſtis nitida cuſtoditur, multis peccatis ac negligentijs anima ſordidetur. Vellem tamen ſcire, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, ſi aliquid ſibi ſatis neceſſarium, aut à iudice, aut ab aliqua potenti perſona, expeterent, vtrum ſtantes & recto capite negligenter & tepidè ſupplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & propè vſque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remiſſionem peccatorum & æternam requiem inquirentes, nec capita noſtra inclinare dignamur. Non ita legimus de beato Elia & Eliſeo, vel cæteris ſanctis, de quibus legitur, quod frequẽter proſtrati in terram, ad Dominum cum omni contritione orauerint. Et de ipſo Domino noſtro, in Euangelio ſcriptum eſt: *Quod procidens in terram ita orauerit, vt ab eo guttæ ſanguinis ſtillarent.* Quid enim indigebat Chriſtus, vt taliter ſupplicaret? Non ille quicquam indigebat, ſed nobis exemplo ſuo, orationis remedia præparabat. Orat miſericordia, & non orat miſeria. Orat charitas, & non humiliatur iniquitas. Proſtratus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus. Orat innocentia, & non orat nequitia. Orat qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: & non ſe proſternit, multis peccatis obnoxius. Orat iudex, & deſiderat parcere: & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere. Orat iudicaturus, & orare diſſimulat iudicandus. Non ergo B pigeat, ſi infirmitas non prohibet, vt ſe vnuſquiſque in terram proſtratus humiliet. Ad Eccleſiam fratres, quaſi ad fontem viuum & ad ſpiritualem fluuium conuenire debemus, vt accipiamus aquam illam viuam, de qua Dominus dixit: *Qui ſitit, veniat & bibat: qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et iterum: *Qui biberit aquam, quam ego dabo, non ſitiet vnquam: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ad iſtum ergo fontem fœliciter currit, quicumq; ad Eccleſiam fœliciter venit. Sed ſicut de fonte terreno & corporali fluuio, non poteſt aliquis bibere, ſi ſe noluerit inclinare: ita & de viuo fonte Chriſto, & ſancti Spiritus fluuio, nemo aquã viuam haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit, propter illud quod ſcriptum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem* C *dat gratiam.* Et illud ſimiliter admoneo, fratres chariſſimi, quoties Diaconus clamauerit, vt vos ad benedictionem inclinare debeatis, & corpora & capita fideliter inclinetis: quia benedictio nobis licet per hominem, non tamen ab homine datur: nec attendatis, ſi fortè negligens eſt qui exhibet: ſed Dominum reſpicite, qui tranſmittit. Benedictio enim quæ vobis datur, ros & pluuia cœleſtis eſſe cognoſcitur. Sic enim & Moſes ait: *Expectetur ſicut pluuia eloquium meum, & ſicut ros verba mea.* Et optimè noſtis fratres, quia pluuia ſi montem nimis erectum inuenerit, citò in vallem decurrit. Et ideo, qui ſe ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes, quaſi valles faciunt, ipſi pluuiam diuinæ benedictionis accipiunt, & impletur in eis illud quod ſcriptum eſt: D *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Quid eſt, Omnis vallis implebitur, niſi, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur? Quid eſt, Mons & collis humiliabitur: niſi, Qui ſe exaltauerit, deprimetur? Ipſi tamen in oratione genua flectere, vel capita ſua benedictioni diſſimulant inclinare, qui ſtantes in Eccleſia, magis eligunt verboſare quàm pſallere. Vnde rogo vos fratres, admonitiones, imò preces noſtras, libenter (ſicut conſueuiſtis) accipite: & venientes ad Eccleſiam, hoc ſolum quod in Eccleſia expedit fieri agite: id eſt, aut orate, aut pſallite: vt orando, peccatorum veniam accipere, & pſallendo, ad ſpiritualem poſſitis lætitiam peruenire. Qui in Eccleſia ineptis & incongruis fabulis occupatur, quaſi venenum & gladium reliquis hominibus ingerere vel præbere cognoſcitur, dum verbũ Dei nec ipſe audit, E nec alios audire permittit. Qui enim talis eſt, & pro ſua & pro aliorum deſtructione, in die iudicij redditurus eſt rationem. Sicut enim fideliter pſallentes, & humiliter ſupplicantes, & pro ſe & pro alijs, quibus exẽplum vitæ præbuerint, accepturi ſunt gloriam: ita illi qui è contrario, non ædificationis, ſed deſtructionis exempla præbuerint, & pro ſe & pro alijs paſſuri ſunt pœnam. Qui pſallere diſſimulat, vel taceat, & ſilentium præbeat, vt ſi ſe non ædificat, vel alios exemplo malo non deſtruat: quia timendum eſt illud, quod Dominus in Euangelio dicit: *Omne verbum ocioſum, quodcumque loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Rogo vos fratres ſi extra Eccleſiam occupari ocioſis ſermonibus malum eſt, putatis in Eccleſia verboſare quale peccatum eſt?

Margin notes: Matth. 26. Luc. 18. 1. Tim. 6. — Oratio ſit cũ inclinatione, aut genu flexione. — 4. Reg. 4. — Luc. 22. — Io. 7. Ioan. 4. — Iſa. 40. Luc. 3. — Matth. 12.

Digitized by Google

Diabolnseoim (fratres chariſſimi) tunc nos maximè impugnare cõſueuit, quãdo nos contra ſe ſpiritualibus armis præparatos eſſe cognouerit. Et quia nos non poteſt corporaliter de Eccleſiæ conuentu repellere, in ipſa Eccleſia infructuoſis nos ſtudet ſermonibus occupase, vt nobis per inanes & vacuas, aut forè etiam mordaces collocutiones, ac ſordidas cogitationes, Diuinæ lectionis fructum, vel orationis remedium poſſit auferiet vt corpore tantum videamur in Eccleſia ſtare, & corde vel cogitatione longè à conſpectu diuinæ maieſtatis abſcedere. Et ideò quantum poſſumus, cum Dei adiutorio contra illius inſidias repugnemus: ſecundum illud quod ait beatus Apoſtolus Petrus: *Aduerſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Et illud quod ſcriptum eſt: *Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Quapropter (fratres chariſſimi) rogo vos, vt contra iſtas dutiſſimas captiuitates animæ, auxiliante Domino, quantum poſſumus, repugnemus: & ocioſas fabulas, quas etiam extra Eccleſiam noxias eſſe nouimus, præcipuè intra Eccleſiam quaſi venena diaboli fugiamus. Et quotieſcumque Diaconus clamauerit, & aut in oratiooe genua flectere, aut benedictioni iochoase capita debeatis, obedienter & fideliter cum vera humilitate faciatis: vt orando, pectora veſtra à malis omnibus liberari, & benedictionem accipiendo bonis omnibus mereantur impleri. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Fructus orationis, & lectionis.

1. Petr. 5.

Iacob. 4.

Item Homilsa XXXV.

† Item ſermo euſdem.

SI diligenter attẽditis (fratres dilectiſſimi, vel venerabiles filij) euidenter agnoſcitis, quod oullus hominum ſibi ſoli viuit, & nullus ſibi ſoli moritur. Quod etiam Paulus Apoſtolus ſimilibus verbis confirmat, dicens: *Quia nemo ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.* Omnis enim bomo quantiſcumque exemplnm ſanctæ conuerſationis præbuerit, cum tantis & pro tantis ad præmia æterna perueniet. Et contra, qui exemplum malæ vitæ & peruerſæ actionis oſtenderit quantiſcumque ſuis malis moribus ad ioiqua opera prouocauerit, cùm tantis & pro tantis perpetua ſupplicia ſuſtinebit. Nos verò non ſolùm exemplum malè viuendi cæteris noo præbeamus, ſed etiam ſancta & ſalubri admonitione ad humilitatem & charitatem vel obedientiam iugiter prouocemus. Non ſimus de illis, qui iraſcentibus vel furentibus quibuſcumque fratribus aut ſororibus, malis conſilijs ſoleot pabulum ſuperbiæ miniſtrare dicentes: quod noo debeant tanto tempore abiecta ſe humilitate deijcere. Non ſimus de talibus, qui per amariſſimas linguas, oon ſolùm nolunt vulnerata curare, ſed etiam quæ ſana ſunt, vulnerase contenduot: qui murmurando, detrahendo, per inobedientiam vel iracundiam ooo Chriſto ſeruire, ſed conſueuerunt diabolo militase. Aſtutus enim & crudelis hoſtis diabolus, calliditate veteris artificij ac multiformis ingenij, animas quas ſemel perſuaſione nequiſſima, deſides ac tepidas vel negligentes effecerit, etiam in aliorum ſubuerſione eas ſibi ſeruire compellit, de quibus ſcriptum eſt: *Vtinam calidus eſſes aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Tales enim animas ad inobedientiam vel ſuperbiam præparatas, diabolus omni lumine veritatis & charitatis excæcat, & quaſi venator robuſtiſſimus, & auceps calliđiſſimus, velut indices ſibi ad capiendas (ſi poteſt) etiam ſanctas animas, aptat ac præparat. Quomodo aucupes facere ſolent, qui columbas quas prius cœperint, excæcant & ſuidas faciunt: vt dum ad illas reliquæ columbæ conuenerint, præparatis retibus capiantur: ita etiam hoſtis antiquus de tepidis clericis & oegligentibus Monachis, vel deſidioſis virginibus exercere conſueuit: vt cùm in eis oculos patientiæ clauſerit, ignémque compunctionis vel flammam veræ charitatis extinxerit, & de ſolo habitu religionis perſuaſerit, gloriari (ſicut iam dixi) ad aliorum perditionem, velut indices èos in exemplum proponit ac præparas: Vt dum illos ſimplices, quique & minus ſoliciti imitantur, diuerſis laqueis vel retibus capiantur. Iſti tales non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro alijs, quos per exemplum malæ conuerſationis de bono humilitatis & obedientiæ reuocauerint, rationem ſunt in die iudicij reddituri. Antiquus enim hoſtis, qui bonis ſemper inuidere conſueuit, primum ſeruos vel ancillas Dei, qnos tepidos ac negligentes eſſe cognouerit, perſnadet ocioſis fabulis occupari, murmurando vel detrabendo ad contumaciam prouocare, & ad audiendam lectionem tardiſſimos reddere, vt cùm in eorum cordibus velut callum, & (vt ita dixerim) ſcoriam teporis induxerit, ad quælibet opera mala ſibi eos faciat præparatos, & omnibus vitijs vel negligentijs infœliciter ſeruire compellat, ſecundnm illud quod veritas dixit: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et à quo quis ſuperatur, eius & ſeruus efficitur.* Sicut etiam ſanctæ & ſpirituales animæ feruore charitatis accenſæ, Spiritu ſancto aguntur, & ad omne opus bonum iugiter præparantur, ſecundum illud quod Apoſtolus ait: *Quotquot in ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei:* ita è contrario, negligentes ac tepidi ab illo cootrario ſpirito poſſidentur, de quo ſcriptum eſt: *Cùm exierit ſpiritus immundus ab homine, vadit per loca arida quærens requiem, & non inuenit: poſtea reuertens inuenit domum ſuam vacuam & ſcopis mundatam, & adducit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe: & erunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Hæc enim ſine dubio patiuntur clerici, Monachi, virgines, ſuperbi, inobedientes, tepidi. Cùm enim in primordijs conuerſationis ſuæ relicta ſæculi conuerſatione, ad malitiam ſanctæ inſtitutionis animo ferueoti confugerint, per gratiam Dei euacuantur omnibus malis. Poſtea verò dum per negligentiam ac deſidiam non apponunt ſtudium, vt cum Dei adiutorio repleantur ſpiritualibus bonis: vitia quæ diſceſſerant inuenieotes eos vacuos, cum multiplici † remeantes, compellunt eos redire ad vomitum ſuum. Sicut canis quaodo reuertitur ad vomitum ſuum, odibilis fit: ita & peccator, quando reuertitur ad peccatum ſuum. De talibus terribiliter clamat Apoſtolus Petrus: *Si enim fugientes coinquinationes mundi, his rurſum impliciti ſuperantur, facta ſunt eorum poſteriora peiora prioribus. Melius* (ioquit) *fuerat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt cognitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſanctum mandatum. Contigit enim illis, illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Hoc illis euenit, qui poſt abſtinentiam ad gulam, poſt vigilias ad ſomnolentiam, poſt humilitatem ad ſuperbiam, poſt obedieotiam ad contumaciam, poſt patientiam ad iracundiam, velut canis ad vomitum, & velut ſues reuertuntur ad luxuriæ volutabrum. Et ideo qui ſe talem eſſe cognoſcit, dum corrigendi tempus eſt, cum rugitu & gemitu ad vulnus ſuperbiæ, humilitatis medicamentum conteodat apponere: contra murmurationis vel iracundiæ veoenum, adiectum obedientiæ feſtinet accipere. Et antequam anima illius multis peccatis obnoxia de bac luce diſcedat, remedium ſibi in die neceſſitatis acquirat, & lampadi ſuæ per ſuperbiam extinctæ, humilitatis & charitatis oleum, dum colligendi & emendi tempus eſt, præparare contendat: vt inter ſanctas virgines, accenſa virginitatis lampade, in vaſculo animæ ſuæ oleo charitatis exubere: quia penitus virginitas in corpore nihil prodeſt, ſi charitas vel humilitas à corde diſceſſerit. Et hæc quidem obſeruant animæ ſanctæ, & quæ illis ſimiles eſſe volunt, facere ooo deſiſtunt. Aliæ verò quæ non ſpiritualiter, ſed carnaliter viuuot, noo humilitari, ſed ſuperbiæ infœlicia colla ſubmittuot: nec velut apes mella ſpiritualia colligũt, ſed quaſi veſpæ crudelia veoena diffundunt. Quando ſenioribus inobedientes exiſtunt, quãdo flammis iracundiæ ſuccenduotur, quando odium in corde recooduot, quando murmura-

Apoc. 3. Diabolus aucupes imitatur.

Ioan. 8.

Rom. 8. Luc. 11.

† forte addendum, comitatu.

2. Petr. 2.

Humilitas neceſſaria.

murmurationibus ſuis & ſe & alias vento ſuperbiæ de portu obediētiæ excuſſas, & de tranquillitate patientiæ pertutbatas, faciunt naufragare. Et quæ in primordijs conuerſationis ſuæ, relictis ſæculi fluctibus, ad quietem Monaſterij confugerunt: nunc nimio furore ſuperbiæ, in ipſo portu procellis iracundiç naufragare probantur. Iſtis talibus meliores ſunt illi, qui ſæculo ſeruire videtur: quia multo melior eſt humilis cōiugalitas quàm ſuperba virginitas. Et plus laudabiles ſunt, qui ſe in medio pelago (Deo auxiliante) cuſtodiunt, quàm illi qui in portu nimia negligentia vel ſecuritate merguntur: Fœlices ergo ſunt illæ animæ, quæ ita cor ſuum diuerſis virtutum aromatibus, Christo donante, replere contendunt, vt ex ore illarum, nunquā niſi charitas & humilitas, nunquam niſi caſtitas, vel manſuetudo atque obedientia proferatur: vnde & ſibi æterna præmia, & alijs præbeant ſanctæ conuerſationis exempla. [*Religioſus habitus.*] [B] Sicut è contrario, infœlices ſunt & miſeræ & omni lachrymarum fonte lugendæ, quæ ita malis motibus corrumpuntur, vt ex illarum ore vel cogitatione, non Chriſti medicamenta, ſed diaboli venena procedant: quæ cùm foris religioſo habitu quaſi pellibus ouium contegantur, velut lupi rapaces intrinſecus eſſe noſcuntur, & ſerpentum vel viperarum more tamdio fictam humilitatem habitu corporis demōſtrare videntur, quamdiu nulla caſtigatione corripiuntur. At vbi vel leuis admonitio affuerit tunc falſa humilitate remota apparebit celata ſuperbia: & tunc in veritate cognoſcitur, quia aliud proferebatur in ore, aliud abſcondebatur in corde. Falſa humilitas fingebatur in corpore, & ſuperbiæ virus tegebatur in mente. Hæc ergo omnia timentes potius quàm de vobis ſiniſtrum aliquid ſentientes, [C] cum omni humilitate & paterna ſolicitudine charitati veſtræ ſuggeſſimus. Et ideo ante oculos veſtros tepidorum negligentias proferre voluimus, vt de bonis quæ in vobis munere diuino collata ſunt, ſpiritualiter gaudentes, Deo gratias referatis: & pro me, ac meis ſimilibus, qui adhuc multis negligentijs premimur, iugiter Dei miſericordiam ſupplicetis: vt cùm ante tribunal Chriſti, vobis pro perſeuerantia bonorum operum corona tribuetur: nobis per interceſſionem veſtram, vel peccatorum indulgentia concedatur. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Homilia XXXVI.

Sanctus ac venerabilis Pater veſter, dum ſe (vt cum venia ſui dixerim) propè indiſcreta humilitate ſubmittit, mihi non paruam verecundiam facit. [D] Nsm pro admirabili charitate iniungere, imò extorquere contendit, vt ad ſanctitatem veſtram exhortatorium debeam proferre ſermonem: ſed ego conſiderans & meum meritum & propoſitum veſtrum, ſimul attendens & ſanctimoniam veſtram & conſcientiam meam, quid eligam neſcio. Si enim tacuero, ſanctæ charitati inobediens apparebo. Si verò aliquid loqui præſumpſero, notam temeritatis incurro. Sed rogo vos fratres, quid ergo verbis ſuggeram, cùm vos omnia operibus impleſſe congaudeam? Qua fronte ſanis præſumat prædicare ægrotus? [E] Quomodo ſanctos admonere poterit, multis negligentijs obligatus? Quomodo vigilantes excitare poterit ſomnolētus? Qua conſcientia caſtigabit ieiunantes, aſſidua ciborum abundantia crapulatus? Vnde eſurientibus iuſtitiæ, panem verum poterit miniſtrare mendicus? De quibus rebus admonere potero, fratres? Dicturus ſum, vt debeatis mundum contemnere, quem tota animi virtute cum ſuis voluptatibus reſpuiſtis. Dicturus ſum, vt impedimenta mundi debeatis abijcere: quos video omnes cupiditates eius ardentiſſima deuotione contemnere. Conſilium vobis daturus ſum, vt debeatis largas eleemoſynas dare: quos noui pro Chriſti amore, omnem mundi ſubſtantiam reſpuiſſe: quos video non ſolùm quæ ſua ſunt, ſed etiam ſeipſos Domino obtuliſſe. [A] Fortè prædicare vobis potero, vt vicinis & proximis humiles ſitis, quos ipſos ſub iugo Chriſti, non ſolùm fideliter, ſed etiam fœliciter inclinatos ſciam. Fortè charitatem vobis commendare potero, cùm vos videam non tantùm amicos, ſed etiam inimicos diligere. Aut admonendi eſtis ad obedientiam qui nunquam veſtram voluntatem, ſed Dei & ſeniorum implere contenditis iuſſionem. Aut de cauendo iracundiæ morbo vos admonere potero, quos fundamentum patientiæ tenere congaudeo. Nunquid dicere audeo, vt ocioſis fabulis non occupetur ſanctitas veſtra, quos lectioni & orationi inſiſtere, & in lege Dei die noctúque meditari cognoſco? Hoc ergo ſolùm reſtat, fratres chariſſimi, vt quia vos in ſancto Monaſterio, velut in portu quietis & pauſationis, quaſi in parte aliqua paradiſi Dominus colligere & collocare dignatus eſt, [B] aſſiduis ſtudeatis orationibus obtinere, vt nos qui ſæculi huius fluctibus indeſinenter affligimur, & cum grandi periculo per huius mundi pelagus, multis tempeſtatibus fatigamur: deuictis omnibus vitiorum fluctibus orationum veſtrarum ſuffragio, ad portum beatæ vitæ (Chriſto duce) peruenire poſſimus. Vbi cùm ante æternum iudicem vobis corona gloriæ dabitur, vobis vel peccatorum venia concedatur. Tamen, ne vſquequaqe ſancto patri veſtro inobediens appaream, cum grandi humilitate & patientia præſumo ſuggerere: vt in opere ſancto, quod (Deo auxiliante) fideliter exercetis, vſque ad finem, fœlicem perſeuerantiam teneatis. *Quia non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* [*Matth. 24.*] Et ideo oportet, vt ſanctis moribus cōpoſiti, multis etiam [C] virtutum pennis præditi, quaſi ſpiritales columbæ, & bonorum operum margaritis ornati, dicere cum Propheta poſſitis: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* [*Pſal. 54.*] Quam rem tunc animæ ſanctæ implere poſſunt, ſi humilitatem & obedientiam ſtabili firmitate cuſtodiant: quia quibuſlibet reliquis bonis operibus quis fuerit præditus: ſi iſtas duas virtutum alas, id eſt, humilitatem vel obediētiam non habuerit, in altum euolare non poterit. Omnis ergo anima ſancta, quæ circumuolantes miluos & diabolicos accipitres, id eſt, ſpiritales nequitias fugere vel vitare deſiderat, iſtas duas quas ſuprà diximus, virtutum alas, in ſe, Deo donante, cuſtodiat. [*Alæ ſpirituales duæ.*] Quia oec virginitas, nec vigiliæ, nec ieiunia, nec ipſa oratio vel lectio, ſeruis Dei prodeſſe poterit, ſi in eis obedientia perfecta, & humilitas vera oon fuerit. [D] Nemini tamen videatur incongruum, quod humilitatem & obedientiam ſpecialiter commendaui, & charitatem his, quæ eſt omniū mater virtutum, non adiunxi. Non ita eſt (fratres chariſſimi) cum obedientia & humilitas, fructus charitatis eſſe probentur. Quomodo ſine ipſa eſſe poſſunt, quæ niſi ex illa naſci omnino non poſſunt? Nunquam enim vera humilitas & vera obedientia ſine charitate, aut fuerunt, aut eſſe poteruot aliquando: quia ſicut ignis ſine calore vel ſplendore omnimodo non eſt: ita charitas ſine humilitate vel obedientia eſſe non poteſt. Veram ergo charitatem & perfectam humilitatem vel obedientiam retinentes, nihil quaſi de noſtris meritis præſumamus. Nemo ſe de ſua induſtria extollat, ſed de gratia diuina confidat. [*Charitas eſt anima virtutum.*] [E] Nemo ſibi virginitatem, lectionem, orationem, vigilias vel ieiunia, ſine charitate val obedientia prodeſſe credat. Quia quomodo caro ſine anima viuere non poteſt: ſic reliquæ virtutes ſine charitate figuram habere poſſunt, veritatem habere non poſſunt. Talia enim ſunt, ſine charitate ieiunia, qualis ſine oleo lucerna: fumigare poteſt, fœtorem vel putorem reddere poteſt, lucem verò habere non poteſt. Sed (ſicut iam dixi) non opus eſt, vt nos præſumamus verbis diutius admonere, quod vos rebus ipſis & operibus, nouimus (Domino propitiante) perficere. Quod enim cogitare & dicere & facere debeatis, per aſſiduam lectionem † cognoſcetis, inſinuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

[*† al. Deo inſinuante cognoſcetis, qui viuit & reg. p. ſ. ſ. Amen.*]

DE LETANIA.

HOMILIA XXXVII.

ECce fratres dilectiſſimi, dies ſancti ac ſpirituales adueniunt, animæ noſtræ medicinales. Et ideo quicumque vult ſanare peccatorum ſuorum vulnera, non deſpiciat medicamenta ſalubria. Ipſe enim in his diebus non requirit medicum, qui ſe non ſentit ægrotum. Et quis eſt (fratres dilectiſſimi) qui ſic ſe in arena mundi iſtius gaudeat repugnare, vt nullum poſſit diaboli vulnus excipere? Quis enim contra millia dæmonum die noctuque ita ſtare potuit ſemper armatus, vt nunquam fuerit diaboli calliditate percuſſus? Quis enim vel cogitare, non dicam: verum nec numerare præualeat dolos & inſidias hoſtis antiqui, B de quo ſcriptum eſt: *Cui nomina mille, & mille nocendi artes.* Et ideo fratres chariſſimi, quomodo ipſe ex omni parte nos ſemper vulnerare conatus, ita vnuſquiſque noſtrum cum Dei adiutorio, contra illius inſidias totis viribus præparetur. Et quia nõ ſolùm per dura, ſed etiam per blanda contendit elidere, & vulnera ab ipſo inflicta, non ſolùm amara, ſed (quod peius eſt) etiam dulcia frequenter excipimus, medicamenta ſpiritualia parata ſemper habere debemus. Audiamus ergo conſilium beati Apoſtoli, & contra diaboli inſidias armis nos ſpiritualibus muniamus: *Sumite* (inquit) *ſcutum fidei, loricam iuſtitiæ & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Ephes. 6. Quid enim mali à diabolo ſuſtinere poterit, qui ſe talibus armis inſtruxerit? Conſurgit ille cum infidelitate, tu reſiſte illi cum fide. C Ille pugnat cum ſuperbia; tu cum humilitate. Ille exhibet luxuriam, tu retine caſtitatem. Apprehendit ille nequitiam, tu iuſtitiam tene. Ille ingerit iracundiam, tu ſectare patientiam. Ille immittit auaritiam, tu exerce miſericordiam. Ille gulam, tu abſtinentiam. Similiter & in cæteris rebus ſemper contraria aduerſus nequitias diaboli ſtudeamus arma proponere, & nunquam nos poterunt illius machinaměta decipere. Vt ergo hæc poſſimus (Deo auxiliante) cõplere & hoſtě calidiſſimum (opitulante gratia Diuina) reuincere, ieiuniorum, vigiliarum, orationum armis nobis debemus iugiter prouidere. Quæ licet nobis omni tempore neceſſaria eſſe probentur, præcipuè in iſtis tribus diebus, quos regulariter in toto mũdo celebrat Eccleſia, nullus ſe à ſancto conuentu ſubducat: nullus Eccleſiam quaſi D cœleſtis medici ſcholam occupatus terrenis actibus, derelinquat: nullus caſtra ſpiritualia deſerat. *Tres letaniarum dies, vniuerſa celebrat Eccleſia.* Sciẽtes enim (fratres chariſſimi) quia qui terreno regi militat, ſic ſe de acie pugnaturus timore compellente ſubtraxerit, non ſolùm gloriam vel pręmia parata non accipiet, ſed etiam præſentis vitæ periculum non euadet. Qualis ergo eſt ille qui terreni regis exercitum deſerit, ſine dubio talis iudicandus eſt & ille qui in iſtis tribus diebus Chriſti Eccleſiam derelinquit. Quicumque ergo ſine aliqua infirmitate, aut certa occupatione, in iſtis diebus Dei populum deſeruerit, in illo cœleſti regno non præmium, ſed opprobrium, non gloriam ſed ignominiam recepturum ſe eſſe nouerit. Et quidẽ talis quaſi fugitiuus & deſertor caſtrorum cœleſtium, æternam confuſionem & dignum meritis ſuis ſuppliciũ ſuſtinebit. E Sed abſit (fratres chariſſimi) vt de vobis talia ſuſpicemur: vnde timẽs hoc, potius quàm de vobis ſiniſtrum aliquid credens, præſumo ſuggerere: Magis enim de veſtra deuotione confidens credo, velut apes prudẽtiſſimas ad aluearium Chriſti fideliter feſtinare, vt dulcedinẽ ſpiritualis mellis ex diuinis lectionibus poſſitis accipere, & cum Propheta dicere: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel & fauum ori meo.* Pſal. 118. Et quia per totum annum (fratres chariſſimi) nobis peccatorum vulnera ſubrepunt, in iſtis tribus diebus fideliter ad Eccleſiã curramus, & contrito corde vel humiliato corpore, Dei miſericordiam deprecemur. vt omnium peccatorũ noſtrorum, vulnera, iſto triduano compunctionis medicamento ad ſanitatem pristinam reuocemus. A Nemo ergo ſibi ex induſtria aliquas occupationes ſtudeat prouidere, nemo ſe otioſis fabulis occupare, ne inde ſibi vulnera faciat, vnde ſibi parare medicamenta potuerat. Nemo in iſtis tribus diebus aut ſanguinem tollat, aut potionem accipiat: niſi fortè hoc infirmitas nimium periculoſa cõpellat. Conuiuiola nobis etiã quadrageſimali ordine præparemus, *Conuiuiolorum ordo Quadrageſimalis.* & magis legendo, pſallendo, vel orando, animabus noſtris ſpirituales epulas quàm corporales delicias requiramus, vt ad integrum Deo vacantes, & miſericordiam illius ſuppliciter exorantes, & a cunctis infirmitatibus ſanari, & à peccatis omnibus erui, & de iam frequenti inundatione aquarũ mereamur per Dei miſericordiam liberari. Pro certo enim credere debemus (fratres chariſſimi) quia ſi peccata noſtra ceſſarent, ſtatim flagella nobis debita diuina miſericordia remoueret. Sic enim ipſe B per Prophetam promittere dignatus eſt, dicens: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Zach. 1. Et iterum: *Cum conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit.* Ezech. 18. Conuertamur ergo ad meliora, dum in noſtra ſunt poteſtate remedia, & pium ac miſericordem Dominũ, quem peccando irritauimus, bonis operibus ad miſericordiam prouocemus: vt ipſe ſecundum ſuam conſuetudinem, & aduerſa repellere, & proſpera nobis dignetur pro ſua pietate concedere. Iterum atque iterum rogo, vt qui ad Eccleſiæ aluearium (ſicut iam dixi) quaſi ad dulciſſimi Chriſti fauum plena deuotione concurrunt, velut apes prudentiſſimæ, de diuerſis diuinarum ſcripturarum floribus intrare cellulas præparent, vbi ſancta & cœleſtia mella ſuſcipiant. Qui verò & tardè veniunt, & citò diſcedunt, nec contenti ſunt ſpe- C ctare, donec diuina myſteria cõpleantur, non ſunt inter Chriſti examina reputandi: quia non bonis moribus ſpiritualia mella conficiunt, ſed per ſuperbiam & contemptum & ſe impediunt & alios exemplo malæ conuerſationis euertunt. Et ideo fratres chariſſimi, quicumque Dominum in veritate diligunt, & ad Eccleſiam citò veniunt, & tardè diſcedunt, perſeuerent in opere bono, & otioſas vel ſeculares fabulas velut venenum mortiferum reſpuentes, magis pſallere & orare conẽtur: & contemnentes amaritudinem mundi, in Eccleſia requirant, vnde accipiant dulcedinem Chriſti. Qui vero negligentes ſunt, & ad Eccleſiam, non ſolùm tarde veniunt, ſed etiam priuſquam diuina myſteria compleantur, abſcedunt, & in ipſa Eccleſia otioſis fabulis vacantes, nec ipſi pſallunt, nec alios pſallere vel orare permittunt: D qui tales ſunt, citò ſe corrigant: ne ſibi in eo loco præparent mortem, vbi inuenire poterant vitam. Ego quod meum eſt admoneo, qui deſpicit præconem, timeat iudicem. Dura quidem ſunt medici ferramenta, ſed ſanos faciunt. Dulcia videntur mundi huius oblectamenta, ſed malè decipiunt. Audite ergo me fratres rogantem, audite paterna pietate admonentem: vt vobis Deus & in hoc ſæculo ſanitatem corporũ, vbertatem fructuum, & peccatorum indulgentiam tribuat: & in futuro, ad æterna præmia fœliciter peruenire concedat. Sic ergo diuina pietas moderetur actus noſtros, & animas noſtras gubernare dignetur, vt cum tempus retributionis aduenerit, & ego qui vos cum charitate admoneo, obtinere merear veniam, & charitas veſtra pro benigna obedien- E tia perueniat ad coronam, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE DVODECIM REMISSIONIBVS peccatorum.

HOMILIA XXXVIII.

PRIMA remiſſio eſt peccatorum, qua baptizamur in aqua, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt videre regnũ Dei.* Ioan. 3. Secunda remiſſio eſt charitatis affectus, vt eſt illud: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Luc. 7. Tertia remiſſio eſt eleemoſy-

narum

Eccl. 3. *3. Reg.* *Pſalm. 31.* *1. Cor. 5.* *Io. 5.* *Iaco. 5.* *Matth. 5.* *Iaco. 5.* *Luc. 6.* *Luc. 23.* *† forte promittere.*

narum fructus, ſecundum hoc: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* A Quarta remiſſio, profuſio lachrymarum, Domino dicente: *Quia fleuit in conſpectu meo, & ambulauit coram me triſtis, non inducam malum in diebus eius.* Quinta remiſſio, eſt criminum confeſſio, Pſalmiſta atteſtante: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Sexta remiſſio eſt afflictio cordis & corporis, Apoſtolo conſolante: *Dedi huiuſmodi hominem ſatanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Septima remiſſio eſt emendatio, morũ, hoc eſt abrenuntiatio vitiorum, Euangeliſta teſtante: *Iam ſanus factus es, noli vltra peccare: ne quid tibi deterius contingat.* Octaua remiſſio eſt, interceſſio ſanctorum, vt eſt illud: *Si quis infirmatur, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo. Et multum valet apud Dominum, oratio iuſti aſſidua.* Nona remiſſio eſt, miſericordia B fidei meritum, ſecundum hoc, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Decima remiſſio, & ſalus aliorum Iacobo Apoſtolo affirmante. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & cooperiet multitudinem peccatorum.* Vndecima remiſſio eſt, indulgentia & noſtra remiſſio, veritate † permittente: *Dimitte & dimittetur vobis.* Duodecima remiſſio eſt, paſſio martyrij, ſpe vnica ſalutis & indulgentiæ, & latroni cruento, reſpondente Domino, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*

De die iudicii. Homilia XXXIX.

Admonitio 19. Fælicitarij Arelaten. Epiſcopi in Codice Quintiliano.

Matt. 25.

AVDIVIMVS fratres, cùm Euangelium legeretur, terribilem vocem, & metuendam pariter, & deſiderandam Domini noſtri ſententiam. Terribilis eſt, pro eo quod dicit. *Diſcedite à me maledicti,* deſiderabilis, pro eo quod dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quis enim audita hac voce non contremiſcat ſimul & gaudeat? Quia Chriſtus ſeruis ſuis promittit regnum, & peccatoribus ignẽ minatur æternum. Rogo vos fratres chariſſimi, vt lectionem iſtam attento corde audiatis, & memoriter retineatis. Qui enim iſtam lectionem diligenti mente attendit: etiam ſi reliquas Scripturas minimè intelligat, iſta ſola lectio ſufficere poteſt ad omne opus bonum faciendum: & ad omne opus malum fugiendum. Attendite fratres, quod Dominus illis qui ad dexteram futuri ſunt promiſit dicere: *Venite benedicti, quia eſuriui & dediſtis mihi manducare.* Illis verò qui ad ſiniſtram erunt, dicturus eſt: *Diſcedite à me maledicti, quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, & reliqua.* Non dixit: Diſcedite à me, quia furtum aut homicidium feciſtis, & alia mala: ſed ait, quia de ſubſtantia veſtra pauperibus non dediſtis. Sicut illos qui ad dexteram futuri ſunt, ſola miſericordia liberabit: ita eos qui ad ſiniſtram ſunt, ſola auaritia condemnabit. Non ideo audituri ſunt: Venite benedicti quia non peccaſtis, nec illis dicturus eſt: Diſcedite à me maledicti quia peccaſtis: ſed quia peccata veſtra eleemoſynis redimere noluiſtis. Nullus ſine peccato eſſe poteſt, ſed peccata ſua omnis homo (Deo auxiliante) eleemoſynis redimere poteſt. Dominus enim ait: *Qui eſurientem non pauerit, & nudum non veſtierit, mittetur in ignem æternum.* Et ſi cum diabolo condemnatur, qui pauperi non dederit, vbi damnandus, eſt qui tulerit alienum? Si in inferno damnatur, qui peregrinum non ſuſceperit in domo ſua, vbi damnandus eſt, qui foras expellit? Si in ignem mittitur, qui nudum non veſtituit: vbi damnandus eſt, qui veſtitum expoliauit? Tenete vos fratres, ad eleemoſynam vel miſericordiam, quia eleemoſyna non patitur operarium ſuum ire in tenebras. Sicut enim ait Daniel Propheta: *Conſilium meum Rex, peccata tua eleemoſynis redime: & ſi neglexeris, ſine cauſa ad cælum pulſabis.* O anima, quæ intra carneos & fragiles parietes habitas, vigila,

Eleemoſynis peccata redimuntur. *In raptores.* *Dan. 4.* *Matt. 24.*

ora, pulſa, & quære. Vigila petendo, ora quærendo, A pulſa erogando. Vigilanti tibi & petenti dicit Dominus: ecce adſum: & ſi tranſieris per ignem, tecum ſum, & flamma te non comburet. Quem orando ſi quæſieris, inuenies. Dum pulſaueris erogando, Chriſtus tibi aperit ianuas ſuas, vt poſſeſſor Paradiſi introëas. Et ſi adhuc hoc putas de fine mundi reſtare, vel tuum conſidera finem. Paulatim enim ſubtrahuntur omnia bona quæ erant & accedunt mala quæ non erant. Scriptum eſt enim: *Nudus exiui de vtero matris meæ, & nudus ibo ſub terram.* Ideò fac eleemoſynam, dum precium in manibus habes. Dona tibi de tuo, quia labile eſt quod tenes & ſemper extraneum. Attende precium tuum, reſpice Dominum tuum. Conſidera quale precium pro te dedit: ſanguinem ſuum pro te fudit: charum te habuit, quem tam charè redemit. Fuge exemplum diuitis, cuius canes B Lazarus ſuis vulneribus pauit, & non viuit diues. Quos vtiq; carnis natura ſimiles, diſſimiles fecerunt diuitiæ, tamen mortui ſunt pares, & apud inferos mutatæ ſunt vices. Tunc ait diues: *Pater Abraham, miſerere mei.* Dixit Abraham: *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: hic verò conſolatur, tu autem cruciaris.* O homo, audis iuſtam comparationem ſententiæ, quia refrigerium non habet, qui pauperi non dedit. Fratres mei, in manu Dei formati, audite vocem Domini implete deſiderium eius, vt accipiatis hæreditatem in regno Patris veſtri. Ex ſeruo enim factus es amicus. Contemne, quod damnatus es: reſpice, quod renatus es. Fac tibi artificem contra terrenum patrimonium, Deus offert cœlum. Tunc dicet tibi, Pater & Dominus & amicus, cùm C feciſti cœleſte commercium. *Amen dico tibi, quod feciſtis ex his minimis, mihi feciſtis.* Quod ego accipio, nunc reddo centies tantum, immò millies centuplum, & in futurum vitam æternam: ſicut per Ioannem promiſi, mille annorum cõuiuium, & ad dexteram Patris regnum. Ideo rogo vos fratres, vt vnuſquiſque quantum valet, peregrino porrigat cum bono animo. Audi Dominum in Euangelio dicentem, de vidua quæ duos nummos obtulit: maius omnibus miſit: quia reliqui diuites erant: & ex eo quod illis abundauit, dederũt: illa verò totum quod habuit, obtulit: & ideò meruit, quod eam Dominus proprio ore collaudaret. Ideo vnuſquiſque faciat quod præualet: excepto victu rationabili & veſtitu, quicquid ſuperfuerit, lætus & hilaris pauperi tribuat. Quare lætus? D quia parum dat, & accipit multum. Porrigit nummum, & comparat regnum. Tribuit paruam pecuniam, & accipiet vitam æternam: dat temporalia, vt mereatur æterna. Porrigit caduca, & recipit ſine fine manſura. Et ſi tibi dixerit homo fidelis: Da mihi vnum æreum nummum, & reddam tibi ſolidos aureos centum? nunquid cũ gaudio dabis vnum, vt accipias centum? quanto magis quia tibi dicit Dominus, *qui pauperi tribuit, Deo fœnerat*? Da ergo Deo in terra, vt accipias in vita æterna: vt cùm veneris in conſpectu Agelorum ante tribunal æterni iudicis, ſecura & libera conſcientia dicere poſſis: Da Domine, quia dedi, fac miſericordiã, quia feci. Ego impleui quod iuſſiſti, tu redde quod promiſiſti. Et ibi audire merearis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidere regnum, quod vobis paratum* E *eſt ab origine mundi,* præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Iob. 1. *Io. 2.* *Luc. 16.* *Matth. 25.* *Luc. 21.* *Hilariter tribuendum.* *Prou. 19.* *Math. 25.*

De eleemoſynis, Homilia LX.

Admonitio 20. Fælicitarij Arelaten. Epiſcopi in Cod. Quenteliano.

Tob. 4.

TOBIAS ait: *Omnibus diebus vitæ tuæ Dominum habe in mente, & noli ambulare in viam iniquitatis. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ne à te auertatur facies Dei. Quomodo habueris, ſic fac. Licet exiguũ, ex hoc ipſe communica, & ne timueris. Cùm facis eleemoſynã, præmiũ bonũ reponis tibi in die neceſſitatis;*

quia eleemoſyna à morte liberat, & operarium ſuum non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt omnibus, qui faciunt eam coram ſummo Deo. Salomon ait: *Qui miſeretur pauperi, Deo fœnerat, & nunquam indigebit, qui autem auertit oculum ſuum à paupere, in penuria viuet. Eleemoſyna & fide peccata purgantur. Sicut enim aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Item Tobias: *Fili, cum habueris, benefac tecum & Deo dignas oblationes offer, memorare quod mors non tardat, conclude eleemoſynam in ſinu pauperum & hæc te liberabit ab omni malo.* Item Pſalmus; *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Item: *Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia eius manet in æternum.* Dominus per Prophetam ait: *Miſericordiam magis volo, quàm ſacrificium.* Item in Euangelio: *Theſaurizate vobis theſaurum in cælum. Ubi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Item: *Qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, merces eius non peribit.* Item: *Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod foris eſt. Veruntamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Paulus Apoſtolus ait: *veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat. Qui parce ſeminat, parcè & metet. Qui ſeminat in benedictione & de benedictione metet.* Ioannes Euangeliſta ait: *Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum deſiderantem, & clauſerit viſcera ſua, quomodo charitas Dei manet in eo?* Item: *Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos aut diuites ne forte inuitent te, & fiet tibi retributio, ſed voca mendicos, & beatus eris, quoniam non habent vnde retribuent tibi, reſtituetur tibi in retributione iuſtorum.* Paulus Apoſtolus ait: *Eleemoſyna etiam ſi parua fuerit, ipſa voluntas ſufficit ſi prompta fuerit: ſecundum quod habuerit, acceptum erit Domino.*

Prou. 19.
Prou. 15. 28.
Hæc ſunt Eccleſiaſtici 14. 11 & 12. non apud Tobiã.
Pſalm. 40.
Oſe. 6.
Matth. 9.
1. Io. 3.
2. Cor. 8.

DE DECIMIS, HOMILIA XLI.

Admonitio at. Fælicitarij Arelaten. Epiſcopi in Cod. Queſteliano.

DOMINVS dicit in Euangelio: *Omnem decimationem veſtram diſtribuite.* Ipſe per Prophetam loquitur: *Inferte omnem decimam in horreum meum vt ſit cibus in domo mea, & probate me in his dicit Dominus.* Paulus Apoſtolus dixit de filijs Leui: *Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundum legem, id eſt à fratribus ſuis. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Salomon dixit: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Ieſus filius Sirach dixit: *In omni dato, hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.* da Altiſſimo ſecundum datum, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi. Auguſtinus dixit: Decimæ etenim 1 tributa ſunt egentium animarum. Quod ſi decimam dederis non ſolùm abundantiam frugum recipies, ſed etiam ſanitatem corporum conſequeris. Non eget Dominus Deus, non præmium poſtulat, ſed honorem; Deus enim noſter, qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis, ſine dubio profuturam. Vnde per Prophetam dixit: *Primitias areæ tuæ & torcularis non tardabis offerre mihi. Si tardius dederis, peccatum eſt, quanto magis eſt, nõ dediſſe?* De negotio, de artificio, de qualicunque operatione viuis, redde decimas. Cùm enim decimas dãdo, & terrena & cœleſtia poſſis munera promereri, quare per auaritiã duplici benedictione defraudatis? Hæc enim eſt Domini iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare ſacerdoti. Benefacere Deus ſemper paratus eſt, ſed hominum malitia prohibetur. Decimæ etenim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuaſit. Et quanti pauperes in locis vbi ipſe habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint: tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni iudicis apparebit: quia rem à Domino pauperibus delegatam, ſuis vſibus reſeruauit. Qui ergo ſibi aut præmium comparare, aut peccatorum deſiderat indulgẽtiam promereri, redditis decimis etiam & de nouem partibus ſtudeat eleemoſynam dare: ita vt de nouem partibus, quicquid excepto rationabili victu & veſtitu ſuperfuerit, non in luxuriam, nec in lucrum ſæculare reſeruetur, ſed in theſauris cœleſtibus per eleemoſynam reponatur. Quicquid enim nobis Deus dederit plus quam opus eſt,* in nobis ſpecialiter dedit: ſed per nos alijs erogandum tranſmiſit. Hæc enim, fratres, ſecundum conſuetudinem veſtram libenter audire, & Chriſto auxiliante, implere contendite.

P.ou. 15.
Auguſtinus.
1 tributa ſunt in redemptionem animarum.
Exod. 22.
De artificio, negotio, & qual cunque operatione. Decimæ ſunt perſoluendæ.
** forte, non nobis.*

HOMILIA XLII.

FRATRES chariſſimi, ad memoriam reuocemus, quæ per ſacras paginas in veſtris cordibus audiuntur. Illud tamen ſcire & intelligere debemus, quod ante aduentum Domini ſaluatoris, diabolus regnabat in mundo: & omnes populi, peccatores & iuſti exeuntes de corpore, in infernum deſcendebant, propter originalia peccata quæ de Adam traximus: pro eo quod primus homo Adam, in Paradiſo tranſgreſſus eſt mandatum Dei. Sed quia vidit Deus, quod totus mundus perierat, miſertus humani generis, miſit filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Deſcendere dignatus eſt filius Dei de ſede Patris, hoc eſt Verbum in vterum ſanctæ Mariæ ſemper virginis. In tanta humilitate venit, vt per humilitatem vinceret Diabolum, mortis auctorem, & liberaret humanum genus per crucem paſſionis ſuæ. In cœlo cum Patre fulgebat, in terra pannis inuolutus in præſepio iacebat. Ille in Ægypto fugatus, ille in corpore circunciſus, ille à Ioanne baptizatus ille quadraginta diebus & noctibus ieiunauit, deinde venit ad paſſionem. Ille pro nobis opprobria ſuſtinuit, ille irriſiones, ille ſputa, ille flagella, ille alapas ille ſpineam coronam: ille in cruce ſuſpenſus, ille aceto potatus, ille lancea transforatus, & inclinato capite tradidit ſpiritũ, & emanauit de latere eius ſanguis & aqua. Quid per ſanguiné, niſi redẽptio noſtra? Quid per aquã, niſi baptiſmi ſacramentum ſignificatur? Vnde Ioannes Apoſtolus dixit: *Tres ſunt qui teſtimonium dant, ſanguis & aqua & ſpiritus.* Per ſanguinem, redemptio peccatorum. Per aquam, baptiſmi ſacramentum. Per ſpiritum, ſanctificatio noſtra. Videte fratres, quàm charos nos Dominus habuit, non auro, non argento, neque ſpeciebus, ſed de ſuo ſancto ſanguine nos redemit. Peccatores, vt cum carne deſcendent in infernum: iuſti, vt cum carne percipiant regnum. Quia iuſtum iudicium Dei erit, vt illa caro quæ hic peccauit; & pœnitentiam non egit, ipſa cum anima in igne crucietur. Similiter & illa caro, quæ hic propter Chriſtum cruciatur, ipſa & anima, cũ Chriſto & cum omnibus ſanctis in Paradiſo lætetur. Et ſegregabit Dominus ad iudicium iuſtos, ad dexteram: peccatores ad ſiniſtram, & dicturus eſt peccatoribus: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius.* O quam terribilem & metuendam vocem! Poſtquàm audita iſta vox fuerit, nullum remedium pœnitentiæ ſuccurret. Semper iſtam vocem pertimeſcite fratres, ſemper iſtam vocem ante oculos veſtros ponite: vnde Dominus in Euangelio dicit: *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbatho.* Ac ſi apertè dicat: Videte ne tunc 1 quæratis peccata fugere, quando iam non licet ambulare. Et alibi ipſa veritas dicit: *Zizaniorum faſciculos alligate ad comburendum.* Zizania, homines peccatores erunt. Peccatores homines habet incẽdere infernus. Peccatores homines erunt ligna inferni. Alligate faſciculos ad comburendum, hoc eſt homicidas cum homicidis: adulteros cum adulteris, rapaces cum rapacibus, & qui hic ſimiles fuerunt in culpa, ibi ſimiliter alligati erunt in tormẽtis: & quanto maiora commiſerunt tormẽta, tanto feruentius ſeuiet in illos ignis æternus. Nemo ſe circunueniat fratres: omnis homo, qui poſt baptiſmum mortalia crimina commiſerit, hoc eſt homicidium, adulterium,

Io. 5.
Caro cũ anima premiabitur.
Matth. 25.
Matth. 24.
1. Tunc incipiatis.

Digitized by Google

rium, furtum, falſum Teſtimonium, vel reliqua crimina perpetrauerit, vnde per legem mundanam mori poterat, ſi pœnitentiam non egerit, eleemoſynam iuſtam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam, ſed cum diabolo deſcendet in tormenta. A Proinde Beatus Iſidorus dicit: Nunquam Deus delinquentibus parcet, quoniam peccatores ideò flagello temporali non caſtigat, vt in iudicium æternum puniendos relinquat: ac proinde eſt quod Dominus delinquentibus non parcet. Et Beatus Auguſtinus dicit: Nulla peccata dimittit Deus inulta: hoc eſt, inuindicata. Aut certè nos vindicamus per pœnitentiam, aut certè vindicabit illa Deus per ſeueritatem iudicij, qua dicturus erit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Et illa, certiſſimè credite fratres quod omnis homo quamuis peccator, quamuis criminoſus ſit, quantalibet mala perpetrauerit, B ſi pœnitentiam egerit & eleemoſynam iuſtam fecerit, nunquam deſcendet in infernum, ſed ab Angelis eleuabitur in cœlum. Vnde Dominus dicit: a *Non iudicatur homo bis in idipſum.* Apoſtolus dicit: *Quod ſi nos iudicamus, à Domino non iudicamur:* hoc eſt, ille qui in præſenti vita ſemetipſum per pœnitentiam iudicat, ad iudicium iterum non reiudicatur: quia hic in præſenti vita terminatur. Fratres chariſſimi, ſemper finem noſtrum attendere debemus: & quicquid contra Dei præcepta geſſimus, per fletum & lamenta reparemus. Vnde Dominus Adam poſt peccata 1. vocauit, dicens, *Adam vbi es?* Hic omnipotens Deus ſignum dat, vt nos omnes poſt peccatum ad pœnitentiam reuocet: & vnde eſt expulſus Pater per peccatum, reuocentur filij C per pœnitentiam. Et Beatus Gregorius dicit: Quod ſi perfectam pœnitentiam agimus, non ſolum noſtras culpas dimittit Deus, ſed poſt culpas præmia æterna promittit. Et beatus Auguſtinus ait: Fratres chariſſimi, quicquid contra Dei præcepta geſſimus: hoc per pœnitentiam & lamenta reparemus: quia non requiret Deus quales antea fuimus, ſed quales circa finem mundi adſtare debuerimus.

Iſidorus. Auguſtinus. Matth. 25. a Nahum 1. 9 legitur ſecundũ LXX. οὐκ ἐκδι-κήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. Non vindicabit bis in idipsũ. 1 renouauit. Gen. 3. Gregorius. Auguſtinus.

DE POENITENTIA AGENDA. HOMILIA XLIII.

Sequens ſiue Homelia, ſiue Sermo, Admonitio aut aliud tale quidpiam hunc habet Titulum in Cod. Quernel. D

Exhortatio Auguſtini ad pœnitentiam.

QVi egerit veram pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento quo erat conſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit: poſt reconciliationem cùm defunctus fuerit ad Dominum vadit, ad requiem vadit, & regno Dei non priuabitur, & à conſortio Diaboli ſeparabitur. Agens pœnitentiam dum ſanus eſt, & cùm reconciliatus fuerit, & bene vixerit, ſecurus eſt. Et quid eſt poſt pœnitentiam bene viuere? Dico vobis: Abſtinete, ſi vultis, ab ebrietate & à concupiſcentia, à furto, à maliloquio ab immoderato riſu, à verbo otioſo: vnde reddituri ſunt homines rationem in die iudicij. Vis autem frater ab inferno liberari: & quid incertum eſt, euadere? E Age pœnitentiam, dum ſanus es. Si enim egeris veram pœnitentiam, & inuenerit te nouiſſimus dies, aut repentina mors, ſecurus es, Concurre omnino ad ſacerdotem, vt reconcilieris. Si ſic agis, ſecurus es: eo quod 1 accepiſti pœnitentiam eodem tempore quando peccare potuiſti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam, quando peccare iam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. O pœnitentia quæ peccata (miſerante Deo) remittis, & Paradiſo reſeruas. O pœnitentia, quid de te nobis referam? Omnia aduerſa tu mitigas: omnia contrita, tu ſanas. O pœnitentia, rutilior auro, ſplendidior ſole, quam peccatum non vincit, nec defectio ſuperat, nec deſperatio delet. Pœnitentia reſpuit auaritiam, horreſcit furorem, fugit luxuriam, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit mala, excludit vitia, ſuperioribus ſupplex eſt, inferioribus ſubiecta eſt. A In corde eius contritio eſt: in ore, confeſſio in opere, tota humilitas: Hæc eſt perfecta & fructuoſa pœnitentia. Sic pœnitenti præſtò eſt Deus, eſurienti nutritor eſt, ſitienti potator. O pœnitentia, miſericordiæ mater & magiſtra virtutum, magna opera tua! lapſos ſubleuas, recreas deſperatos, per te nobis Chriſtus regnum cœlorum appropinquatum deſignat, dicens. Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum, Amen.

Quid faciendum vt ab inferno liberemur. 1. egiſti pœni. Perfecta pœnitentia.

EIVSDEM S. P. N. AVGVSTINI de Pœnitentia. HOMILIA XLIIII.

Reperitur & apud Ambroſium.

ADMONEO, fratres, in conſpectu Dei, &c. Si autem agit pœnitentiam ex toto corde, ſed ſi agit veram pœnitentiam vbi Deus vidit ſicut cor Dauid, quando increpatus à Propheta grauiter & poſt comminationes terribiles Dei, exclamauit dicens: *Peccaui,* & mox 1. audiuit, *Dominus abſtulit peccatum tuum.* Quantum valent tres ſyllabæ? Tres enim ſyllabæ ſunt: Peccaui: ſed in iſtis tribus ſyllabis flamma ſacrificij cordis eius ad cœlum aſcendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligaméto quo erat conſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit: poſt reconciliationé cum defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, & à Diaboli populo ſeparabitur. C Qui autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id eſt exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed nec præſumo, quia bene hinc exit: non præſumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene viuens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam dum ſanus eſt & reconciliatus, & poſtea bene vixerit, ſecurus eſt. Sed dicis quid eſt, ſi bene vixerit? vel hoc nos inſtrue ſacerdos bone, vt hoc ſciamus. Illud neſcire te dicis, qui accepta pœnitentia ad horam tranſijt, neſcire te dicis, facinora ſua ſi relaxentur in die iudicij. Hinc nullam ſecuritatem nobis das. Quid eſt bene viuere poſt pœnitentiam, doce nos. D Dico vobis, abſtinere ab ebrioſitate, à concupiſcentia, à furto, à malo eloquio, ab ipſo immoderato riſu, à verbo otioſo, vnde reddituri ſunt homines rationem in die iudicij. Ecce quàm leuia dixi, & omnia illa grauia & peſtifera. Ecce aliud dico; non ſolùm poſt pœnitentiam ab iſtis vitijs homo ſeruare ſe debet, ſed & ante pœnitentiam, dum ſanus eſt: quia neſcit, ſi poſſit ipſam pœnitentiam accipere & confiteri Deo & ſacerdoti peccata ſua. Ecce quare dixi, & ante pœnitentiam melius. Agens verò pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus exierit, ſi ſecurus hinc exeat ego non ſum ſecurus. Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare nõ poſſum. Quod dico, attẽdite: ego illud planius expono, ne aliquis me male intelligat. Nunquid dico dãnabitur? non: ſed, liberabitur? non dico. Et quid mihi dicis ſancte E Epiſcope? Quid tibi dicam, neſcio. Dixi, non præſumo, non promitto, prorſus neſcio de Dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari? vis quod incertum eſt euadere? age pœnitentiam, dum ſanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum ſanus es, & inuenerit te nouiſſimus dies, a curr ito vt reconcilieris. Si ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus? Vis dicam tibi? Quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Ecce dixi, quare ſecurus es. Si autem tunc agere vis ipſam pœnitentiam, quando peccare iam non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa. Sed vnde ſcis (inquit) ſi fortè Deus mihi miſereatur, & dimittat mihi peccata mea. Verùm dicis frater, verum dicis. Vnde ſcio, & ideò tibi do pœnitentiam, quia neſcio. At ille inquit: Ergo dimitte cauſam meam Deo: quid tu me verbis affligis, & iudici me Deo dimittis? Illius iudicio te cõmitto, cuius iudicio me cõmẽdo.

1. Audiuit Dominus, & abſtulit peccatum eius. De verbis otioſis reddẽda erit ratio. Pœnitentia agenda eſt dum vivimus. a Occurrito

Nam ſi ſcitem nihil tihi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt, ant ignoſcetur tihi, aut non ribi ignoſeetur. Quid horum tibi futurum ſit, neſcio: ſed do conſilium, dimitte incertum, & tene certum. Et cùm viuis, age pœnitentiam veram: vt cùm veneris in iudicium Dei, non ah eo confundaris, ſed ah eo in regnum ipſius indicaris, Amen.

SERMO SANCTI AVGVSTINI.

HOMILIA XLV.

FREQVENTER diximus, quod Chriſtiani perſecutionem patiuntur. Mundus iſte in maligno poſitus eſt. Aduerſarius noſter diabolus regnat in mundum, & nos putamus quòd non patiamur perſecutionem. Quæ enim res non perſequitur Chriſtianum? Miramur, ſi nos perſequuntur alij, ſi Chriſto ſeruire voluerimus, qui eſt omnium vita: & parentes noſtri nos perſequuntur. Quicunque diſſimilis eſt noſtri, perſequitur nos & odio nos habet: & miramur ſi alij nos perſequuntur, cùm ipſum corpus noſtrum nos perſequatur? Si comedero paululû, & corpuſculum robuſtû fuerit, ſanitas corporis mei perſequitur animam. Quacunque me vertero, perſecutio mihi eſt. Si videro mulierem, oculus meus me perſequitur: cupit interficere animam meam. Si videro diuitias, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones: quæcunque videro & deſiderauero, hoc perſequitur animam meam. Non putemus effuſionem ſanguinis tãtùm eſſe martyrium: ſemper enim martyrium eſt. Si adoleſcentem libido carnis perſequitur: vult occidere, & effundere ſanguinem animæ. Sed quando periclitatur anima tua, & in grandi periculo eſt conſtituta: tunc oportet ieiunijs & orationibus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum animum firmiter ſtare, & non conſentire morti. Si ergo ſunt martyria in pacis tempore, ſunt & negationes. Nemo ergo dicat, non eſſe martyrium: & martyrium eſt, & negatio eſt. Ego hodie, qui videor eſſe monachus, ſi rupero propoſitum meum, Chriſtum negaui. Et ſi in pace Chriſtum nego, in perſecutione quid facerem? Si dum non torqueor, nec exuror, denego: ſi torquerer & exurerer, quid facerem? Quæ enim plaga eſt, quæ debeat ab amore Chriſti ſeparare? Quod enim dicitur tibi hoc eſt: Incendio ardebas, in eculeo pendebas, propter me torquébaris: & dicis, non potui ſuſtinere tormenta? Quomodo ſuſtinuit Petrus? Quomodo Paulus? Quomodo martyres cæteri ſuſtinuerunt? Habuerunt corpora ſicut tu habes. ô monache, qui ieiunium fugis, putas te ignem fugere? qui ebrietati conſentis, credis te euadere aëreum ſerpentem? Hoc ergo vobis dico, fratres: quoniam ſunt omni tempore martyria, ſunt & præuaricationes. Denique & Apoſtolus quid loquitur de viduis, quæ ſecundos duxerunt maritos? Quid dicit? *Habentes damnationes, quia primam fidem irritam fecerunt.* Viduæ quid dicit? ô vidua, antequam mihi promitteres quòd eſſes vidua, in tua erat poteſtate vt nuberes: ex quo tempore confeſſa es, quòd mihi permaneres, ex eo tempore mea eſſe cœpiſti: ſi volueris ſecundum maritum ducere, me contempſiſti. Sic & tu monache, antequam mihi promitteres, in tua erat voluntate facere quod velles: vox tua ligauit te mihi. Nunquid te compuli? nunquid ex neceſſitate feciſti? nonne liber eras? in tua fuit poteſtate promittere. Promiſiſti, & meus eſſe cœpiſti: meum, nolo dimittas, non tibi licet dimittere quia mecum habes cauſam. Promittere, tuum fuit: dimittere, non eſt tuum. Si dimiſeris, non te habeo in illo gradu, in quo te prius habui. Primùm liber eras, de familia tua, non eras de familia mea: non eras ante oculos meos, non eras de miniſtris meis, tamen eras de familia mea, non eras mecum, ſed tamen creatura mea eras. Ex quo militare cœpiſti, ſi receſſeris, non te habeo de familia, ſed certè fugitiuum & præuaricatorem. Non enim inuenies, vbi me poſſis fugere. Ideò hoc totum dico, quia in noſtra eſt poteſtate Deo promittere: non eſt in noſtra poteſtate dimittere. Promiſiſti, præmium habebis: negaſti, pœnam habebis: vtrumque propter confuſionem eſt. Dicimus iterum, atque iterum dicimus: Ecce ante oculos tuos via mortis, & via vitæ: elige quod volueris. Hoc totum dico (fratres chariſſimi) ne quis de vobis putet, ſe habere liberam poteſtatem diſcedere & perdeſcendere cum diabolo in infernum. Ergo ego, qui ſum monachus, qui deſij eſſe ſecularis, & factus ſum monachus: aut monachus ſaluor, aut aliter non ſaluor. Ipſe ſanctus Paulus quotidie clamabat, in voce Spiritus ſancti: *Fratres, nolite errare: Deus non irridetur: quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu & metet vitam æternam.* Et iterum: *An neſcitis fratres, quia cui vos exhibuiſtis ſeruos ad obediendum, ſerui eius eſtis ei, cui obedyſtis, ſiue peccati in mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.* Ergo ſuggerit diabolus, & caro noſtra adhuc de obligamentis ſeculi, vt peccemus, & diſcedamus. Cogitemus ergo dies antiquos, & annos æternos ante oculos noſtros ponamus: & in pœnitentia inuocemus ſaluatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, & ploremus dicentes: Domine Deus, qui non vis mortem peccatorum, ſed magis vt conuertantur & viuant, reſpice Domine ſecundum miſericordiam tuam, ſuper nos: & rumpantur ſunes inimicorum noſtrorum, vt non pereamus. Reſpice Domine, de ſede ſancta tua, & de conſiſtorio maieſtatis tuæ: & tenebras cordis noſtri, radio tuæ lucis expelle. Protege nos Domine, ſcuto veritatis ac fidei tuæ, vt Diaboli iacula ignita non penetrent: vt quicquid illud eſt, quod iniquitas noſtra de te petere non ſapit, id tu Domine pro virtute tua tribue, quo animas noſtras ſaluet à morte. Hæc clamemus, & de Dei miſericordia non deſperemus: quia deſperatio, certa mors eſt. Si ergo monachus peccaſti, ergo miſer monachus es, tamen monachus es. Nullatenus nobis licet mutare propoſitum, ſed in pœnitentiæ locum reuerti. Nam in monaſterio quicquid ſunt ſeruorum Dei, quicquid fecerint, ſi non propter vſus neceſſarios, ſed ornatus cauſa vel decoris alicuius, extra iuſſionem ſenioris, corripiantur, quia & in hoc vitium animos ægrotare cernimus, qui indumentis aut calciamentis, non vſus, ſed decoris cauſa, volunt hominibus parere. Deus autem hæc manifeſtiſſimè declarauit: *Omnis enim* (inquit) *arbor de fructu ſuo agnoſcitur.* Et: *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, intrabunt in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.*

Io. 5. — Semper martyrium pręſto eſt. — 1. Tim. 6. — Eccl. 15. — 1 Soſimeba. — 2. Beatus. Gal. 6. — Rom. 6. — Pſalm. 76. — Eccl. 18. — Matth. 7.

DOCTRINA ABBATIS MACARII
de his qui in cœnobijs ſunt.

HOMILIA XLVI.

IN primis quidem ſi cœperit homo ſemetipſum agnoſcere, cur creatus ſit, & quæſierit factorem ſuum Deum, tunc incipiet pœnitere ſuper his quæ commiſit in tempore negligentiæ ſuæ. Et ſe demum benignus Deus dat illi triſtitiam pro peccatis, & poſt hæc iterum pro ſua benignitate donat illi afflictionem corporis, ieiunia & vigilias & orationum inſtantiam, & contemptum mundi, vt libens illatas iniurias ſufferat, & in odium habeat omne refrigerium corporale, & diligat planctum magis quàm riſum. Poſt hæc, tribuit illi deſiderium planctus & fletus, atque humilitatem cordis, vt trabem oculi ſui conſideret, non alterius feſtucam nitatur eruere: & dicat ſemper: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Et vt diei exitus ſui memor ſit, & quomodo in conſpectu Dei occurſurus ſit, ſed & iudicia & pœnas deſcribat in conſpectu mentis ſuæ, nec non etiam

Pſalm. 50.

meritos

meritos honores qui dantur ſanctis. Si autem viderit, quia hæc illi ſuauia ſunt, tentat eum ſi abrenunciat voluntatibus ſuis, & reſiſtit aduerſus impugnationes huius mundi Principia, qui vinxerat eum prius eſca variæ delectationis quæ molliter facit cor, vt rurſus propemodum vincere queat. Sed & laſſitudinem corporis & deſiderij longinquitatem dicentibus illi cogitationibus ſuis, quanto temporis ſpatio hunc laborem ſufferre poteris? Et quia ardui laboris ſit, vt mercatur quis habitatorem Deum habere, præſertim tu qui multa peccaſti: & quanta tibi poſſunt à Deo remitti peccata? Si autem cognouerit, quia cor illius firmum eſt in timore Dei, & non dimiſit locum ſuum, ſed fortiter reſiſtit cogitationibus, tunc veniunt illi ſub occaſione iuſtitiæ cogitationes, dicentes: Peccaſti quidem, ſed pœnitentiam egiſti, iam ſanctus es, & faciunt illum recordari quorundam hominum peccata qui non egerunt pœnitentiam ſuperſeminantes illi in corde vanam gloriam. Non ſolùm verò hoc, ſed etiam faciunt quoſdam homines laudare eum ſubdolè, & prouocare ad opera quæ ferre non poteſt, immittentes illi cogitationes in animam non veſcendi & non bibendi, nec non & vigiliarum, & multa alia quæ dicere longum eſt. Et facilitatem ei ad hæc perficienda tribuunt, ſi quomodo eum ad hæc alliciant, præcauente Scriptura & dicente; *Ne declinaueris ad dexteram nec ad ſiniſtram, ſed rectum iter ingredere.* Si autem benignus Deus perſpexerit, quia nulli horum acquieuit cor ipſius, dicente Dauid & de huiuſcemodi tentationibus ſignificante. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Et hoc perſpiciendum cur in nocte dixerit & non in die; videlicet quia circumuentiones inimici nox ſunt, *Sicut beatus Paulus dicit, non eſſe nos filios tenebrarum, ſed lucis, quia filius Dei dies eſt, Diabolus verò nocti aſſimulatur.* Si verò hæc omnia bella ſupergreſſa fuerit anima, tunc incipiunt ſe illi immittere a aduerſæ cogitationes, fornicationes, deſiderium, & nefandum ſtuprum puerorum. In his igitur omnibus infirmatur anima & cor tabeſcit, vt impoſſibilem ſibi credat eſſe cuſtodiam caſtitatis, ſubiungentes illi (vt dixi) temporis prolixitatem, virtutem laboris. Et quia grande ſit onus ipſarum & importabile, ſubiungẽtes illi infirmitatem corporis & fragilitatem naturæ. Si autem ad has impugnationes non laſſauerit, tunc benignus & miſericors Deus immittit illi virtutem ſanctam, & confirmat cor ipſius, & dat illi lætitiam & refrigerium & poſſibilitatem, vt fortior inimicis inueniatur, vt illorum aduerſus eum impugnatio non præualeat, timentes eam quæ inhabitat in eo virtutem. Sicut ſanctus Apoſtolus dicit, contendite, & accipietis virtutem. Hæc quippe eſt virtus de qua beatus Petrus ait: *Hæreditatem incorruptam, & immarceſſibilem, conſeruatam in cœlis, quæ in virtute Dei cuſtodimini per fidem.* Tunc benignus & clemens Deus, ſi viderit quia cor ipſius corroboratum eſt ſuper inimicos ſuos, paulatim ſubtrahit virtutem quæ illi opitulabatur, & concedit inimicis impugnare eum varijs concupiſcentijs carnis, nec non vanæ gloriæ cupiditatis, & ſuperbiæ, & cæterarum quæ ad perditionem pertrahunt, vt propemodum, aſſimiletur naui quæ ſine gubernaculo in ſcopulis huc illucque offendit.

A B C D E

Deut. 5. & 7.
Pſal. 16.
1. Theſſ. 5.
a Aduerſaria
1. Pet. 1.

Cum autem cor illius emarcuerit in his, vt ita dicam, & defecerit ad ſingula tentamenta inimici, tunc Deus amator hominum, curam habens creaturæ ſuæ, immittit illi ſanctam virtutem, & confirmat eum, ſubijciens cor & animam & corpus ipſius, & omnia viſcera eius ſub iugo Paracleti, ipſo Domino dicente: *Tollite iugum meum ſuper vos: & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et ſic demum benignus ille Deus incipit adaperire oculos cordis ipſius, vt intelligat quoniam ipſe eſt qui confirmat eum: & tunc verè incipiet homo verè noſſe honorem dare Deo, cum omni humilitate & gratiarum actione, ſicut Dauid dicit: *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus: &* manſuetudo efficitur cordium.

Cùm igitur in his omnibus fuerit probatus, tunc incipiet illi Spiritus ſanctus reuelare cœleſtia: hoc eſt, quæ ſanctis iure meritóque debentur, & his qui ſperant ſuper miſericordia eius. Et tunc reputat homo ſecundum illud Apoſtolicum dicens: *Quia non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et illud Dauid: *Quid enim mihi reſtat in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* hoc eſt: ô Domine quanta mihi parauer as in cœlo, & ego quid à te quærebam in vita mortali? Et ſic reuelata illi ſunt tormenta, quæ paſſuri ſunt peccatores, & multa alia quæ me tacente, vir ſanctus intelligit. Poſt hæc verò omnia, incipiet paracletus inire pactum cum puritate cordis ipſius, & animæ firmitate, & ſanctitate corporis, & cum ſpiritu humilitatis facit eum ſupergredi omnem creaturam, & vt non loquatur os eius opera hominum & vt recta oculis ſuis videat, & ori ſuam cuſtodiam ponat, & iter rectum faciat greſſibus ſuis, & vt iuſtitiam habeat manuum ſuarum, hoc eſt operum & orationis inſtantiam, nec non afflictionem corporis, & vigiliarum frequentiam. Et hæc diſponit cum eo in menſuram & diſcretionem, & non in turbulentiam, ſed in quiete. Si verò mens ipſius diſpoſitionem Spiritus ſancti contempſerit, tunc virtus quæ in eo collata fuerat diſcedit, & ſic eadem pugnæ efficiuntur in corde eius, & conturbationes, & conturbant eum paſſiones corporis per momenta ſingula expurgatione inimici. Si autem conuerſum fuerit cor eius, & obtinuerit præcepta Spiritus ſancti protectio Domini fiet ſuper eum, & tunc homo agnoſcit: quia indeſinenter adhærere Deo bonum eſt, & quoniam in ipſo eſt vita eius, dicente Dauid: *Clamaui ad te, & ſanaſti me.* Et iterum: *Quia apud te eſt fons vitæ.* Igitur ſecundum meum conſilium, niſi homo grandem poſſederit humilitatem, quæ omnium virtutum culmen eſt, & cuſtodiam poſuerit ori ſuo & cordi timorem Dei, & in eo, quòd ſe probat extollere, cæteris non ſe præferat, tanquam aliquid doni fecerit, & iniurias ſibi illatas ſufferat, & percutienti ſe maxillam aliam præbeat, & vt ad omne opus bonum velociter erumpat, & vt animam ſuam in manu portet, quaſi quotidie moriturus, & vt vana ducat omnia quæ ſub hoc ſole cernuntur, & dicat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Et: *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum:* non poteris præcepta ſeruare Spiritus ſancti.

Matth. 11.
Pſalm. 50.
Rom. 8.
Pſalm. 72.
Pſalm. 35.
Philip. 1.
Gal. 6.

D. ANDREAE HIEROSOLYMITANI ARCHIEPISCOPI, IN S. MARIÆ DEIPARÆ SALVTATIONEM, SERMO.

SIXTVS SENENSIS LIB. IIII. BIBLIOTH.

ANDREAS *Hieroſolymitanus Epiſcopus ſcripſit Græco ſermone in Annunciationem Deiparæ Virginis, ac ſalutationem ex Luc. 1. luculentiſſimam orationem: quæ incipit, Adeſt hodie gaudium. Interprete Marco Hoppero. Caniſius initio Catechiſmi putat illum floruiſſe ſub Iuſtino 2. Imp. 550.*

ADEST hodie gaudium omnium priſtinam nobis noxam diluens: Adeſt (A) qui eſt vbique, vt gaudio omnia impleat. Quomodo verò adeſt? Nullis certè ſtipatus ſatrapis: non Angelorum ſecum ducens exercitum: non ſuam iactans expeditionem, ſed quietè ac ſubmiſſè id agens, quò tenebrarum principem lateat: quò prudenter illaqueato ſerpente, captóque Aſſyrio illo dracone, qui ſeruituti ſuæ humanam libertatem omnem ſubiecit, ſpolia auferret. *Luc. 11.* Quoniam immenſa eius erga nos miſericordia, tantum condemnari opus, hominem dico, non ſuſtinuit, propter quem cœlos condidit, terram firmauit, aëra expandit, maria dilatauit, ac omnem denique obrutui noſtro fabricam obiectam effecit. Propterea Deus ſuper terram, Deus ex cœlo, Deus inter homines, Deus in vtero virginis geſtatus, quem totum vniuerſum non caperet. Hinc humana natura gaudij præludia percipit ac diuini initium conſortij capit. (B) Hinc à ſuo purgata peccato, cum immenſarum diuitiarum ſponſo nuptias celebrat.

Hinc prior noſtra effigies nouam figuram conſequitur, ac ſenio quaſi confectus mundus, peccatorum ſenectam exuit: *Eſa. 45.* At cœlum lætetur deſuper, rorentque nubes iuſtitiam: ſtillent montes dulcedinem, & colles lætitiam, quoniam miſertus eſt Deus populi ſui. Hodie enim, quod ante omnia ſæcula abſconditum fuit, myſterium reuelatur, & in Chriſto tanquam capite omnia repetuntur. Hodie ſumma vniuerſi opifex potentia cœptum apud ſe tamdudum de rerum creatione conſilium ad finem perducit: quò quod de nobis iam ab initio omnis mali princeps inſtituit conſilium irritum faceret. Ob id ſanè repudiant Angeli, congratulantur ſibi homines, ad quod vniuerſus reſtitutus orbis concurrit. (C) Quæ mens, aut quæ hæc concipiat lingua? Non equidem vllus ſermo eloqui, vel auditus percipere poſſit.

Feſtum Annunciationis. Meritò ergo præſens hoc feſtum magna nobis ſolennitate & lætitia hodie peragitur, quod pleniſſimam coinquinationis noſtræ expiationem concelebrat, quædam quaſi exiſtens vniuerſæ quidem creaturæ læta feſtiuitas, humano verò generi reſtitutio. Hæ igitur gaudij hodiernæ annunciationes, hæc Dei reconciliationis indicia, exoptatiſſimæque ſalutis læta vaticinia, vndenam & à quo, vel ad quem pertingunt? Ex cœlo, à Deo & ad Virginem viro deſponſatam. *Luc. 1.* Quæ verò virgo? aut quiſnam vir ille? quæve hiſce nomina ſunt? Illi quidem Mariæ, huic vero Ioſepho: Ambo de ſtirpe Dauid. Quo rerum harum miniſtro & vnde venerat? Archangelo Gabrieli ex altiſſimis in huius ſtupendæ rei miniſterium demiſſo. (D) Decebat enim miniſtrum altiſſimi, ex altiſſimis ſuper terram deorſum volantem, inauditum illud atque ſui admiratione res admirandas cunctas longè ſuperans myſterium ſecum adferre. Quodnam illud? Domini ad nos deſcenſionem, illius incredibilis diſpenſationis manifeſtationem: diuini conſilij atque decreti ab æterno abſconditi promulgationem confirmationémque. Vbi autem & quando cuiuſque gratia contigit iſta fieri? *Luc. 1.* In Nazaret ciuitate Galilææ: menſe vi. à Ioanne concepto: vt venturum in vtero exiſtentem prædicaret. (A) Nam Gabriel è ſublimi per æthera ad terreſtria loca demiſſus, Nazaret conſtitit, & ad virginem accedens inſcrutabilis illius diſpenſationis indicium ei placidè pro ſuo officio fecit. Hoc illud eſt diuinæ cum humano genere reconciliationis myſterium. Huius hodie feſtum celebramus, Dei, inquam, cum hominibus coniunctionem, adoptionis noſtræ dignitatem: imaginis noſtræ reformationem: in melius emendationem, in cœlos exaltationem atque aſcenſionem. Quapropter magno hodie cuncta gaudio, ac vniuerſi cœleſtium poteſtatum ordines ſpirituales, ob Dei nobiſcum reconciliationem nobis quoque placantur. Iucundiſſima enim ipſis eſt noſtra ad Deum reuerſio, & ad ſtatum meliorem ingreſſus *Luc. 15.* atque reditus. Quoniam valde ſunt noſtri cauſſa ſoliciti atque benigni: ad eorum quippe miniſterium miſſi qui ſalutem ſortientur. *Hebr. 1.* Lætentur itaque cuncta hodie, (B) vniuerſa exultet natura: Cœlum enim apertum eſt: Terra regem vniuerſi clanculum excipit: Nazaret Eden hortum æmulata ipſius Eden cõditorem ſinu ſuo complectitur. Miſerationum pater humanam deformitatem vnico ſuo atque vnigenito ſibi Filio deſpondit; cuius *Nazareth paradiſi æmulata eſt.* Gabriel myſterij miniſter fit ac virgini acclamat: *Aue*, quò gaudium quod auia perdiderat, filia Adam ex Dauide orta, per ſe recuperaret. Hodie pater omnis gloriæ humani generis calamitatem miſertus, corruptam in *Luc. 1.* Adamo naturam propitijs oculis intuitus eſt. Hodie miſericordiæ largitor, viſcerum ſuorum optimorum abyſſum nobis reuelat, ac naturam noſtram miſericordia ſua inſtar marium perfundit, quæ multa aqua teguntur. Decebat quippe eum, à quo & per quem & in quo facta ſunt omnia, veteris noſtræ noxæ condemnationem miſericordia ſua commutare, propriâque ſua (C) gloria glorioſam reddere corruptam in Adamo naturam, nec non veritate contundere fallax illud fallacis patris concilium, cuius opus fuit prima tranſgreſſio, protoplaſti, inquam, delictum.

Hinc nimirum magnus ille Rex Dauid in Pſalmis ſuis cecinit iam antea. *Miſericordia & veritas occurrere ſibi mutuo: Iuſtitia & pax ſe mutuo exoſculatæ ſunt*? *Pſalm. 84.* Quid ob aliud hæc dicens? quàm filij ſecundum patris beneplacitum, miſericordiam breui ſuper nos venturam, qua miſertus noſtri miſericordiæ largitor, nobis eſt ſimilis factus, abſque omni tamen peccato quò tranſgreſſionem noſtram ipſe tolleret, ac lapſos nos à caſu erigeret, confractúmque vas de nouo iam ab omni immune contritione fingeret. Veritatem autem dixit eius, quæ non eſſet iuxta phantaſiam inter homines factam apparitio- *Veram carnem aſſumpſit Verbum.* (D) nem. Non enim ſimulatam (quod videri alicui poterat) carnem à nobis aſſumpſit, ſed in ipſa rei veritate ſingulari ſimul erga genus humanum ſtudio, & ſecundum homines ex hominum ſubſtantia ſibi aſciuit, qui eſt altiſſimus, ac totam noſtram in ſemetipſo naturam ſanctificauit: nec diſpenſationem eam ſub ſpecie quadam fixit. Hanc ille carnis, inquam, veritatem cognouit, illæſa eius Deitate manente, ſtupendæ prorſus alterationis.

Quoniam igitur miſericordia & veritas, vt habent

Prophetarum

Propbetatum oracula, mutuò ſibi occurrere, meritò ſanè iuſtitia & pax mutuò quoque ſe exoſculatæ ſunt. A Iuſtitia quidem, quæ eſt aduerſus eum, qui primos parentes decepit, prolata ſeotentia. Quando? & à quonam? Hodie, & à patre altiſſimo: Iuxta quam, qui natura ſua benignus eſt, iuſtiſſimè decreuit, vt filius eius proprius vnigenitus in noſtræ ſimili comparens forma aduerſarium illum coodemoaret.

Pacem verò dico, quam deſuper ſubitò Aogelorum chorus, in ipſa ſtatim Irenachæ filij ſecundum carnem natiuitate voanimiter concelebrauit dicens: *Gloria in altiſſimis Deo, ac in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Luc. 2. Gloria, qua per Chriſtum genus humanum eſt glorioſum factum, ſupra cœlorum orbes euectum, ac omnem ſupra principatum, & poteſtatem virtutémque elatum, vt habet magnus ille Apoſtolus. Ephes. 1. Pacem autem quam ipſemet, interponendo ſe, nobis reſtituit, B coniunctis cum terreſtribus arctè cœleſtibus, ac nouam redeundi in cœlos ſemitam terrigenis gratuitò donauit. Bonam autem voluntatem, qua ipſimet beneplacuit Patri, filium ſuum dilectum ad condemnatos nos mittere, vt probatam & acceptam Patri per ipſum ſalutem, quaſi coofentiens patri, in nobis expleret.

Hoc illud eſt cuius hodie feſtum celebtamus, hoc Gabriel quoque demaodatum ſibi officium exequitur, ac medius inter Deum & homines totius reconciliationis pignora, rem equidem lætiſſimam, Virgini primus annunciet. Nam miſerationum Pater, noſtri miſertus generis tranſgreſſionis noxa iam deperditi, manuum ſuarum operum recordatus eſt. Nec noſtrum penitus interitum videre ſuſtinens, primum quidem legem in C tabulas lapideas ſcriptam per Moſis manus tradidit. Poſtquam verò nihil ſcripta lex proficeret, viros diuino ſpiritu præditos miſit (Videntes & Prophetas appello) qui Dei vias omnes rectas docerent. Verùm cum illi, ad quos miſſi hi erant, obſtructis ſenſibus ſuis, nihil minus quàm aotea proprios affectus ſequerentur, nec ſic Filium patri æqualem. tamen nos fictionem ſuam plaſtes ille deſpexit, ſed ex benigniſſimo miniſſimóque ſinu ſuo ſuum eiuſdem ſecum maieſtatis, potentiæ & bonitatis filium ad indignos nos miſit. ad quos fines ſæculorum pertinxere: ſatius fore exiſtimans, hoſtium ſuorum ſalutem perficere, quàm tale ac tantum creatioois ſuæ ſpecimen, ac perfectionis velut exemplar deſpicere.

Vni ergo ex præcipuis Angelorum, quem huius mini- D ſterio myſterij præſeciſſet, talia vt puto, veræ maieſtatis ſuæ outu mandauit: heus inquieos, vade Gabriel Nazareth in ciuitatem Galileæ, in qua puella Virgo habitat, deſponſata viro, cui nomen eſt Ioſeph, Virgini autem nomen eſt Mariæ. Vade inquit, Nazareth. Cur nā? Quo gratioſiſſimum virginitatis decus, veluti roſam ſuaueolentem ex loco ſpinoſo ſibi omnipotens eligeret: tum etiam ob prophetiam. *Quoniam Nazaræus vocabitur.*

Quiſnam quem Nathanael poſtea Dei filium & regē Iſrael prædicat. Cæterum conſueuit Gabriel circa Dei miniſtrando verſari myſteria, quemadmodum ex Daniele id cognouimus. Abi igitur Nazareth io ciuitatem Galileæ, quò cum citò perueneris, illud primum virgini nuncia, gaudij inquam, Euangelium, quod iam antea E Eua amiſerat. Nec animam eius metu aliqoo perturbes, nam gaudij, non mœroris hoc indicium eſt: voluptatis, non triſtitiæ ſalutatio eſt. Quodnam vel fuit, vel contingat vnquam humano generi maius illo gaudium? dum diuinam naturam participat, & arcta cum Deo coniunctione vnum cum eo fit, ſecundum vnitatis adeóque eſſentiæ rationem. Quid verò dignum magis admiratione, quàm Dei videre deſcenſum ad vterū vſque mulieris pertingentem ô rem incredibilem! Deus intet membra mulieris, *cuius cœlum thronus eſt, & terra ſcabellum pedum eius.* Isa. 66. Deus in vtero, qui patri ſuo coæuus cœlos inhabitat! Ecquid aliud præter exiſtimationem magis, quam Deum ſub hominis ſpecie apparere, vt tamen de propria deitate nihil ei decedat; Tu etiam A vniuerſam videre naturam humanam eum plaſte ſuo coniunctam, vt totus diuinus reddatur homo, qui primus ſub peccatum cecidit? Quid igitur Gabriel? Auditis his & cognito hoc mandato, diuina quidem voce ſibi denunciato, viribus autem eius longè ſuperiore exiſtente, inter metum & gaudium conſtitutus fuit. Nec enim fiduciam inde manifeſtam habens, nec tutum ſatis contradicere exiſtimans, diuinæ obſecutus voci ad virginem ſe demiſit. Cúmque Nazareth iam perueniſſet, ad domum conſtitit: meditabundo nimirum ſimilis factus, ac ſecum quaſi hæſitans varijs proculdubio cogitationibus diſtrahebatur: talia puto, apud ſe animo voluens: Vndeoam Dei exequi coofilium aggrediar? velocíne curſu ad thalamum contendam? Gabrielis cogitationes.

At animum virginis ſic terrebo: Tardius ergo accedam? B Verùm ceu animo furandi ingreſſus puellæ iudicabor. Pulſabóoe igitur fores? ſed quomodo? nec enim illud conſuetum Angelis eſt: nec quod corpore vacat, agere quicquam eorum poteſt, quæ vel apprehendunt vel apprehenduntur. Portámne priùs aperiā? ſed & clauſa ea ingredi poſſum. Nomine eam vocabo? ſed territabo iuuenculam. Hoc ergo faciam: admittentis me conſilium, impetum moderabor. Intentio quippe eius eſt humaoum ſeruare genus. Quod ſanè conſilium, & ſi præter expectationem omnium quodammodo ſit, miſericordiæ tamen plenum eſt, recooeiliationis ſymbolum. Quomodo autem ad Virginem accedam? aut quam aduentus mei cauſam primam dicam? ſuum gaudij Euangelij, aut Domini mei inhabitationem, ac C Spiritus inuaſionem? vel altiſſimi obumbrationem? ſic etenim Virginem exhilarabo, Indicabo ei ſtatim rem illam admirandam, accedam propius & ſalutabo eam, acclamaodo ſubmiſſè, *Aue*, Commodus mihi liberioris ſermonis ingreſſus fuerit ſalutatio: Ipſum inquam, Aue. *Aue*, ceu pignus quoddam inſtituendi cum ea colloquij permittatur mihi. Nam vnica hæc vox, Salue, nullum apud puellam metus locum relinquet ac mentem eius prius demulcebit. Ab ipſo igitur gaudio exordium ſumam, lætitiæ ſigna ſtatim ei annuncians. Decet enim lætis ita præconijs reginam ſalutari. Hic etiam modus gaudium efficit: occaſio præterea commoda eſt. Hoc quoque mandatum animæ voluptatem inducit: Salutis hoc conſilium eſt, & immenſi gaudij prooemium.

D Hæc apud ſe animo voluens Archangelus, ad domum acceſſit: Ac ad thalamum, in quo Virgo erat, cum perueniſſet, aperto clam oſtio ad eam ingreſſus eſt, & manſueta admodum voce Virginem compellauit diceos: *Aue gratioſa Dominus tecum*: Qui ante te, hodie vnà tecum eſt, & ex te paolò poſt naſcetur. Illud quidem ab æterno, hoc verò ad tempus. Papæ, immenſam illam humanitatem! Papæ, illam booitatem! Non fuit contētus gaudij ſigna prodidiſſe, niſi letitiæ quoque auctorē in vtero Virginis deprædicaſſet.

Hoc enim quod ait: *Dominus tecum*, ipſum adeſſe regem clarè ſignificat: totum inquam, cum in ipſa eſſe in corpus coactum, vt etiam nihil de propria eius gloria eſſerit. *Aue gratioſa, Dominus tecum*. Salue lætitiæ organum E per quod delicti noſtri coodemoatio expiata eſt, ac veri gaudij plena facta compenſatio eſt. Dominus tecum. Salue verè benedicta. Salue illuminata: Salue magnificum diuinæ gloriæ templum: Salue conſecratum regis palatium. Salue thalame, in quo Chriſto humanitas deſpōſata eſt; Salue electa Deo aotequam nata fueris: Salue diuina cum hominibus reconciliatio: Salue theſaure vitæ immarceſſibilis: Salue cœlum, ſolis gloriæ cœleſte taberoaculum: Salue Dei ager ampliſſime, quem nullus alius locus, niſi tu ſola, comprehendere poteſt: Salue ſancta virginalis tellus, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus eſt, qui veterem ſaluti reſtitueret. Salue ſanctum Dei fermentum, quo tota generis humani maſſa conſperſa eſt, & ex vnico Chriſti corpore

ceu panis factus, in vnum coiit iocredibilis concretio.

Aue gratioſa, Dominus tecum, qui dicebat, fiat lux, fiat firmamentum, ac reliqua deinceps magnificæ creationis eius opera: *Geneſ. 1.* Salua ſis immenſi gaudij genitrix: Salua ſis noua gloriæ arca, in qua Dei Spiritus delapſus quieuit: arca in qua nouæ ſanctificatio gloriæ. Qui ſuapte natura ſanctus, in vtero virginali, ceu naturæ officina, *Virginis Mariæ encomia.* quoad incarnationem mirabiliter ſeipſum cooclusit non quidem vt quod eſſet, immutaret, (mutari quippe non poteſt,) ſed vt quod oon erat, aſſumeret, humanitatis enim ſtudioſus eſt. Salue vrna aurea, quæ cum fers, qui dulce manna reddit, ac mel à petra ingrato Iſraëli elicuit: Salue Seraphica myſtici anthracis fibula: Salue contemplatiuæ cognitionis intellectuale ſpeculum, per quod celebres ſpiritus Prophetæ incredibilem Dei ad nos deſcenſionem myſticè adumbrauerunt: Salue dioptra perſpectiua, per quam qui in triſti peccatorum vmbra ſedebant, recipientes deſuper cum gloria venientem ortum iuſtitiæ ſolem, mirabiliter illuſtrati ſunt: Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium ornamentum, necnon inueſtigabilium Dei oraculorũ præconium veriſſimum.

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Ac verè quidem beoedicta, nam benedixit te ſibiipſi Deus in tabernaculum. Quoniam paterna gloria ſuperabundantem hominem Chriſtum Ieſum eundem quoque Deum, perfectiſſimum iis naturis ex quibus & in quibus conſtitit, ineffabili quodam modo in vtero tuo geſſiſti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cœleſtem theſaurum, in quo alij omnes ſapientiæ & cognitionis *Col. 2.* theſauri ſunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu benedicta, cuius venter aceruus quidam areæ, quoniam fructum benedictionis, ſpicam immortalitatis, Chriſtum inquam, ſine ſeminantis ac coloni opera perfectiſſimè produxiſti, meſſem copioſam infinita millia congratulaotium ſibi de ſalutis ooſtræ operario adduxiſti.

Tu verè benedicta, quæ ſola præ matribus omnibus digna es habita mater conditoris tui: Ac ita quidem, vt quæ matribus contingunt igootares, quippe quod ex te per partum prodiit, virginitatem tuam haud corrupit, nam qui formauit, idem quoque communicauit caſtitatis ſignacula. Reuera benedicta tu, quæ ſola ſine viro coocepiſti & in vtero eum geſſiſti, qui cœlos expandit, ac virginitatis tuæ terram cœleſtem reddidit. *Benedicta, tu in mulieribus.* Quæ ſola benedictionem *Geneſ. 12.* es ſortita, quam Deus gentibus per Abrahamum promiſerat.

Verè tu benedicta, vt quæ benedicti pueri Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri mater es nuocupata. Propter quam *Matth. 21.* gentes acclamant: Benedictus qui venit in nomine Domini, & benedictum nomen gloriæ eius ſempiternum. Et implebitur gloria eius vniuerſa terra, fiat. Benedicta tu inter fœminas quam beatam omoes geoerationes prædicant, reges glorificant, quam potentatus adorant, cuius in conſpectu ditiſſimi ex populo dona litant, quam & à tergo ſequentes & præeuntes virgines in regis templum comitantur. Benedicta tu in mulieribus, quam Eſaias Propheticis oculis conſpicatus prophetiſſam & virgioem nuncupauit: Laterem inſuper & locum viſionémque & libri caput, idque ſigillo conſignatum manifeſtè appellauit. Verè benedicta tu, quam Ezechiel Propheta verum ſolis ortum proclamauit, nec portam occluſam à ſolo Deo recluſam ac rurſus concluſam. Sola tu verè benedicta es, quam montem magnum vir ille deſiderabilis Daniel vidit: Ac montem obumbraotem Abacuc ille admirabilis: Montem præterea Dei, & mootem pinguem: montem quoque iucundum, montem inquam, quem Deo inhabitare placuit, quo propater tuus, & rex diuino afflatus ſpiritu *Zach. 4.* cecinit. *Benedicta tu inter mulieres*, quam Zacharias vir diuiniſſimus aureum ceu candelabrum ſeptem vidit lichnis ornatum, nimiruum ſeptem illis ſaocti Spiritus donis clarum & lucidum. Verè tu benedicta, ſenſu intellectúqoe prædita, vioidi ſalutis noſtræ ligni paradiſus, quæ ipſum horti Eden coloouum, Chriſtum inquam, Dominum intra te habes, figuris in te adumbratum: qui ineffabili quadam potentia fluminis inſtar viuiparum vterum tuum egreſſus, quatuor velut ioitiis per Euangelium ſuum orbis faciem irrigauit.

Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. *Geneſ. 2.* Fructus, quo de comedens Adam protoplaſtus, euomuit veterem illam deuoratiooem, qua deceptionis eſcam ſumpſerat. Fructus vnde ceu ex fonte defluit amarulentæ ligni deguſtationis quædam condulcoratio, humanam purgans naturam: qui fontes fluminum inſtar erranti in deſerto Iſraëli è petra elicuit, *Exod. 15.* & aquas amaras in mara dulces reddidit: panem inſuper pluit, nouum alimenti genus & inaratum. Benedictus fructus, qui ſteriles & amaras aquas per Eliſæum *4. Reg. 2.* potabiles & fœcundas ſalis inſperſione effecit. Benedictus fructus ille qui ex incorrupto virginalis vteri ſurculo veluti perfectus mirabiliter matureſcens botrus enatus eſt. Benedictus fructus, ex quo fontes ſcaturiunt aquæ in vitam ſalientis æternam. Fructus, ex quo vitalis ille panis corpus inquam, dominicum producitur, & immortalitatis calix, ſalutaris potio *Phil. 2.* exhibetur.

Benedictus fructus, quem ſanctum omnis lingua celebrat, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, in triplicitate ſacroſanctæ quæ in trinitate eſt, Deitatis: Vnum & idem quod ad eſſentiam confitentes, proprietate verò entum quæ peculiariter ſibi quiſque habet, in perſonas ſegregaotes. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Hæc autem inquit, turbata eſt ſuper oratione eius, & cogitabat apud ſe dicens: qualis eſſet illa ſalutatio.* *Luc. 1.* Turbata eſt, inquit. Num ex incredulitate aliqua mente fuit perculſa? abſit vt id dicamus, ſed pietate magis & reuerentia, propter inſuetum alloquium: magni proculdubio faciens vaticinium hoc quod ibi apparuiſſet. Nec quemadmodum Zacharias antea in interiore templi parte incredulus extitit, vnde à genitalibus ad formandæ vocis organa pœna ei tranſlata, cũ fandi impotentia ſterilitatem commutauit, ſed velut omoi vacans reprehenſione, & à qualicunque cum viro concubitu, vel etiam conſuetudine libera, cœleſtiũ rerum diligenti contemplatione aſſueſacta, animóqoe intenta, hanc mentis ſuæ perturbationem ex ſalutatione ſibi incuſſam ſenſit. Conueniebat quippe eam meticuloſiorem (quod in muliere haud improbatur) exiſtentem, ſubitò quidem animo hærere, ad ſe autem, ratione progreſſa, reuerſam, perpendentem ea quæ dicerentur, non leuiter, quod videri alicui poſſet, nec obiter aures loquenti præbere. *In muliere metus probatur.*

Quare diſertè valde Euangeliſta adiecit dicens: *Hæc autem cogitabat*: Ratiocinatrice nimirum puræ mentis facultate probans & examinans id quod cogitaret, ne quod diceretur ſibi temerè atriperet. *Qualis nam illa dicens eſſet ſalutatio.* *B. Virgo erudita.* Veriſimile enim eſt ipſam, & de clara ſtirpe natam, & Dauidis filiam, haud ignaram diuinorum quæ in ſcripturis habentur oraculorum fuiſſe: vt cogitationes ſuas ſtatim conuerterit ad primæ parentis lapſum, in animo ſecum ſuo voluens deceptionis primæ caſum, ac reliqua huius generis à veteribus ſanctis hominum memoriæ relicta. Non ergo immeritò Euangeliſta meditabundam illam fuiſſe ſcripſit.

Cæterum quo & ingeoium quod ei eſſet, declararet: necnoo cognitionis certitudinem firmitatémque poſuit etiam tanquam certum. Nondum enim honeſti iudicio ad rationis conſiderationiſve metam probato, haud cooueniebat ceu ratam ſalutationem eam habere. Niſi quia animi illam perturbationem ſupprimere ſtudebat, verbum nullum fecerit, ſola autem quadam diſpoſitione aliquantulum meditabunda, mentis commotionem quandam

quadam ſignificauit, motum decore pro ſermone vſa. *Virginis cogitate.* *Qualis nam illa eſſet ſalutatio,* Quaſi diceret: Num ſola ego inter mulieres nouum naturæ modum inducam? Méne ſolam poſſibile eſt fœtum in vtero geſtare cum nullo congreſſam viro? Qualisnam hæc ſit ſalutatio? Quis illa aut vnde ingreſſus, qui nuncium hoc mihi apportauit? Hominémne cum qui mihi loquitur putabo? ſed corpore ceu vacans apparet: Angelum ergo eum cenſebo? Verum hominis inſtar loquitur. Quid, quod video, ſit ignoro, & ad ea quæ mihi dicuntur hæſito. Quid igitur Gabriel? Quamprimum puellæ terrorem cognouiſſet, nihil prorſus huiuſmodi cogitans, voce ſtatim ad eam emiſſa, inquit: *Ne time Maria, nacta es enim gratiam apud Deum.*

Prius itaque metum eius ademit, poſtea ſic ad fiduciam eam excitauit. Ne timeas inquiens, nacta ea enim gratiam apud Deum, quam Eua perdiderat. Eo quod dicit, gratiam, ſoluit omnem ſententiæ ambiguitatem, & id quod antea videbatur ambiguum. Quod enim ſubiecit: *Inueniſti gratiam apud Deum*, commodè omnem excuſſit virgini metum: *Ne timeas Maria.* Non fraudulentus hic modus eſt: haud fallendi animo ad te venio: non impoſtor ſerpens rurſus tibi loquitur, non terrenus tibi nuncius adſum. Ex altiſſimis veni lætum tibi adportans nuncium: nec qualecunque lætum nuncium, ſed plenum gaudij lætum nuncium. *Ne timeas Maria.* Non fraudis hæc ſalutatio eſt, non triſtitiæ ſignificatio. *Dominus tecum*, qui vnus omnis gaudij largitor, & vniuerſi mundi conſeruator eſt. Tecum eſt, qui à ſinu patris auelli non poteſt: In tuo autem conceptus vtero eſt. Gratioſam te appellaui, vt myſterij quod in te eſt gaudium ſignificarem: Gratioſam te dixi, quod omnem in ventre tuo gaudium receptum ſit: & quòd ſtola tua verè ſit gratioſa diuinorum donorum ſplendore. *Dominus tecum*, acclamaui tibi, quò potentiam eius, qui in te eſt, manifeſtarem. Dominus enim & Deus, princeps pacis ipſe eſt, & futuri ſæculi Pater, & tuus, nempe virginis filius, ac in vniuerſum omnium ſaluator. *Dominus tecum.* Gaudium & veritas tecum. Dominus quidem legis, gratiæ autem pater, ac veritatis fons. *Ne timeas Maria, Dominus tecum.* Omnis fati dominator: Pa-

Iſa. 9. tris luminum filius ab æterno ex ipſo genitus: temporali verò natiuitate ex carne tua progreſſus: Qui totus supernè in ſinu patris eſt, infernè autem totus tecum in vtero tuo eſt, ille ipſe tecum & intra te eſt: præueniendo namque te inſiluit, ac tuum superingreſſus corpus eſt: In te adeò locum inuenit, qui loco ſecundum propriam naturam comprehendi nullo poteſt.

Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum. Gratiam, quam non accepit Sara: quam non ſenſit Rebecca: quam nec Rachel cognouit. Inueniſti gratiam qua non digna eſt habita nobilis illa Anna, nec Phenenna, hinc è regione poſita: Quoniam hæ quidem matres ex ſterilibus factæ ſunt, amittentes vnà cum virginitate orbitatem: Tu autem vt etiam mater ſis, virginitate tamen frueris quoque illæſa. Quapropter *ne metuas, inueniſti enim gratiam apud Deum.* Gratiam qualem non nactus eſt quiſquam ab æterno ſicut tu. Quæ etenim talis ſit gratia Dei, quæ ſummum fauorem mereatur? Nacta es itaque gratiam apud Deum. *Et ecce concipies in vtero, & paries filium, ac vocabis nomen eius Ieſum.* Papæ, rem admiratione dignam!

Primo quęſtionis ei dubium ſoluit: Poſtea mente quæ contineret, ſermone ſic aperuit: vide quoque quāta breui peragat, pellit timorem, gratiam indicat, interpretatur conceptum, partum vaticinatur, nomen quo proles nata ſit appellanda ſubiicit. Non verò finem hic verborum facit, ſed vt magnitudo quoque potentiæ declararetur infantis, ſubiecit ſtatim: *Is erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ipſius, regnabitque ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Vides qualiter virgini ademerit metum? Vides quantopere animum eius fiducia confirmet? Nam filium vocans altiſſimi & patrem

A pueri Dauidem nominans, erexit omnino mentem eius ſubitò, quemadmodum quæ ſequuntur, declarant. Vide quoque virginis quantus intellectus ſit. Vt enim audiuit hæc, & eminentiſſimæ diuinæ voluntatis potentiæ cognouit conſtantiam, dixit ad Angelum: *Quomodo erit mihi iſtud, quandoquidem virum non cognoſco?* Rem mihi nouam (inquit) polliceris: Quæ ipſam ſuperant naturam mihi nuncias: Nuptias ego nullas expertus ſum, deſponſata enim ac nupta cum viro nondum fui, ſponſum futurum ego ſolum, at virum Ioſephum nondum cognoſco.

Contubernalis eſt tantum, μνήστωρ, non etiam idem cum deſponſa ingreditur cubile. Vterus meus genitali ſemine vacat, nec cultus eſt. *Quomodo erit iſtud, quan-*

B *doquidem virum non cognoſco.* Num enim inquit, me ſolam natura matrem ſine nuptiis declarabit? An ſola ego præter naturam naturæ incognitam generationem producam? Non ſunt peractæ nobis nuptiæ: virum non experta ſum, non enim cognoui Ioſephum: Tutor meus non maritus mihi cognitus eſt. Quomodo ergo *Virginis tutor Ioſephus.* iſtud mihi erit? Reſpondit illicò Gabriel, & interrogationis huius craſſitatem ſublimitate contradictionis extenuauit, dicens: Quid ô beatiſſima hæc dicis? Cur talia fundis verba? Cœlitus ego adueni nouum tibi conceptionis modum nuncians: non terrenus tibi loquor. Dominum eſſe tecum dixi, & tu quomodo hoc mihi continget, ambigis? Hunc ego anteuertiſſe aduentum meum: & tuum ſubiiſſe vterum tibi nuncio, & tu de

C viro mihi diſſeris, ac terreno quodam partu, dicíſque: *Quomodo iſtud mihi erit?* Quomodo erit tibi? cogita quo- *Num. 17.* modo virga floruit: quomodo aquam petra ædiderit, vndénam ipſa fuit grauida? Quomodo rubi ignis arbu- *Exod. 3.* ſta peruaſerit, vt tamen non cremaret eum: Si hiſce fidem habes, nec mihi diffidere debes. Qui enim tam hæc quam illa fecit, vnus & idem eſt, nempe qui in vtero nunc tuo geſtatur. Nouo itaque & præternaturali modo eius quo tu grauida es, pueri mater eris. Non ſi- *Luc. 5.* cut Elizabeth, nec veluti Anna quę te peperit: Illæ enim *Anna mater virginis Mariæ.* virili perfuſæ ſemine matres factæ ſunt. Tu verò abſque viri opera filium paries ſine ſemine tibi conceſſum. Et ſi modum quo id fieri poſſit, ambigis, hunc quoque tibi apertè dicam: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Non enim ex viri voluntate,

D nec ex voluntate carnis, qui naſcetur, proueniet. Nunquam carnis interueniet voluptas matris Dei partui: Naturæ quippe terminos ſuperat. Et ſi naturali prorſus ratione deſtitutus eſt, eximiam igitur & naturali præſtantiorem ortus ſui rationem habet. Nulla igitur paſſio vlla circa partum deorſum: quoniam nec circa generationem ſurſum ſubſecuta eſt. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Vide qualiter Trinitatis manifeſtetur myſterium: Spiritum enim ſanctum dicēs non alium quàm paracletum inquit. Per virtutem verò altiſſimi, apertè filium innuit. Nam voce hac, altiſſimi, Patris inſeritur perſona: hoc autem, obumbrabit tibi, illud dicere mihi videtur: quòd vt puto Abacuc antea (propheticis oculis intuitus) montem obumbrantem

E virgini nuncupauit: Tantum non ſpiritus potentiam ſubiungens, quæ obumbrarit eam: vmbraculum, ineffabile, per ſe efficax in ipſa, pro incarnationis ratione, ſecundum quam inuiolabiliter corporis templum in libero à paſſionibus virginis vtero, omni expurgata materiali moleſtia & affectione, quemadmodum, ex his quæ ſequuntur, patet. Ait enim: *Quapropter & quod naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* Nam qui ex ſancto Spiritu per ſanctum Patrem inſcrutabiliter, dum ante ſæcula eſſet, formatus eſt infans, meritò ſanctus erit, & filius altiſſimi vocabitur, veluti altiſſimi prolatus ſermo coæuus. Oſtenſum igitur clarè eſt virgini quidnam & vnde, qualéve quod in ipſa conceptum & ex ipſa proditurum eſſet. Filius quippe Dei naſcetur.

Quò verò manifeſtius etiamnum certiúſque ei ſermo,

nis huius vim declararet, Elizabethæ quoque conceptionem introducit. Ac ſi dicat: Quoniam qui matricem præter omnem ſpem prolificam in ſenectute reddere poteſt, omnium virginem quoque grauidam præter rationem exhibebit palam. Vnde quoque infert: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

His ergo auditis, maximè verò ſpiritus inhabitantis lumine mente illuſtrata, nec non animi mox quadam delectatione ob nuncium illud affecta tota eſt quieta reddita: Et quemadmodum Scriptura Dauidem commemorat, gratioſa anima in pulchritudine oculorum apparuit: Delectata quippe rem ob admirandam fuit, ac ſalutationem illam libenter agnouit. Fuit etenim gaudij ineffabilis plenum id quod ei dicebatur. Valde & adeo planè perſuaſit Gabriel Virgini, vt reciperet libenter admirabile illud nuncium, eo quod inoniceret: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quid ergo inquit Euangeliſta? *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Vides intellectum, vides amictus honeſti excellentiam? Poſteaquam enim cognouiſſet, edocta de conceptu, prolis generationem: quiſnam & cuius futurus eſſet filius quove eſſet nomine appellandus, & cui throno ſucceſſurus, quibúſve regnaturus ſit, ac denique regno eum, qui naſciturus eſſet, non ſure, protinus lætitiæ nunciam vocem protulit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Illud nimirum palam dicens: Ecce prompta me expono, nec quod probibeat id quicquam eſt. Parata eſt anima mea, & venter meus opportunus: nam intactus etiamnum eſt, ſoli ſuo cuſtoditus conditori. *Ecce ancilla Domini.* Ad obediendum facilis, ad ſeruiendum parata, ad ſuſcipiendum prompta: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Poſtquam enim omnia (inquit) quomodo qualiterve ſint, opportunè annunciaſti, vniuerſum illud perficiendum, gaudio & ſuprema gloria repletum eſt.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Euge admirabilem diſpenſationem! Euge illius gratiæ! Vah liberæ illius & voluntatis & præſentiæ! Verè ſpiritus ſanctus cohabitauit virgini, & virtus altiſſimi obumbrauit ei, ſecundum præfinitum Dei conſilium & præcognitionem. Ac diſceſſit ab illa Angelus inquit. Quum commiſſum ſibi executus eſſet ſedulò miniſterium, diſceſſit ab ea Angelus. Verum Dominus non receſſit ab ea. Ille enim comprehenſibilis eſt, licet corpore vacet: hic verò comprehendi non poteſt, quantumuis in corpore & virginei vteri loco ſit concluſus. Ille præterea venientem prænunciauit ob ſalutem hominum ex virgine natum, hic verò noſtra aſſumpta ſubſtantia in ſemetipſum transformauit, reſtituens naturæ ſecundam imaginem ac primam dignitatem, quam ob primorum parentum inobedientiam amiſerat. Quæ ſanè rurſus inducta conſedit in cœleſtibus ſupra omnem principatum, poteſtatem & virtutem, nec non ſupra omne nominatum tam in præſenti quàm futuro ſæculo. Ei ſit gloria & imperium, & honor, & adoratio cum infinito Patre & ſacroſancto viuificantéque Spiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen

PANTALEONTIS MAGNAE DEI ECCLESIÆ DIACONI DE LVMINIBVS SANCTIS (ID EST, DE DOMINO CHRISTO ET SANCTO Ioanne eius præcurſore) Sermo.

QVÆ feſti huius eſt gratia, nihil puto ſermonis eam ſplendore indigere. Omni quippe orationis elegantia quæ in præſentiarum tractamus, pulchriora ſunt, nec ſermo vllus tam venuſtus, atque noſtra hæc per ſe eſt panegyris. Quid etenim poſſit præſenti noſtra ſolennitate eſſe ſplendidius: ad quam & cœleſtia ad celebrandum regna conueniunt: Ad quæ regis deſuper animus quoque acceſſit: In qua & terricolarum rex, abſcondito diademate cum populo conuerſatur: Immo qui Dominus eſt vniuerſi, Chriſtus ad captiuum ducendum Satanam delapſus, tecta per humanam ſpeciem diuinitatis ſuæ maieſtate, cum populo Iudaico cohabitat, & baptiſmi ſe viui ſubmittit, quum ipſe ſit baptizantis baptiſma: Et fit, ſicut foris apparet hominum vnus. Regum eſt ſecutus conſuetudinem, qui dum prædæ inſidiantur, depoſita regia maieſtate, militari ſe habitu amiciunt. Sic vniuerſi quoque rex Chriſtus ad venandum Satanam accedens, & ad conflictum feram incitans, abſcondita quæ à congreſſu beſtiam deterreret, diuinitate ſua (haud enim ſi quidem cognouiſſet, acceſſiſſet) infirmam oſtendit humanitatis naturam, quam quaſi cum imbecillo & captu facili congreſſura, in laqueum incideret. Sed hoc diſſimulandi ſtudium haud Ioannem latuit, Spiritus ei gratia abſconditam in carne diuinitatem monſtrante. Vide igitur qualiter ad eum exclamet: *Mihi inquit, opus eſt, vt abs te baptizer, & tu venis ad me?* *Matth. 3.* Etſi inquit, hos lateas, mihi tamen factus es cognitus, noui tuam ô Domine diſſimulationem: cognoſco qui intra te abſconditus eſt, quoniam tuam cognoui maieſtatem, dum in vtero adhuc matris geſtarer. Magnum mihi foret ſoluere corrigiam calciamentorum tuorum, & tu mandas vt dexteram meam capiti tuo admoueam? Tui ego veni aduentus præco, non carnis tuæ, quæ ſine labe & macula eſt, ſanctificator. Non ego ex iis ſum qui tuam ignorant eminentiam: nam ex materno vtero qua parente eſſes naſciturus, conſpicatus exclamaui: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* *Luc. 1.* Agnus tu acceſſiſti, qui tollas noxam mundi. Et ego vnà cum mũdo tuum expectans donum, opus habeo vt abs te baptizer, tu vero ad me venis: Ad lutum aurum? ad lichnum ſol? ad ſcintillam fax? Fons ad ſitientem? ad natum ex ſemine, qui ex Virgine natus eſt? Satis eſt mihi tuum me vocari præcurſorem, ob quod ſanè ipſum adoro miniſterium. Quid igitur ad lauandum ſe quoque compellit iuſtitiæ Sol? Quid ergo Dominus Chriſtus?

Chriſtus quare baptizatur. Matth. 3.

Omitte nunc inquit, ſic enim decet nos, vt compleamus omnem iuſtitiam. Omitte nunc, manſuetudinis mihi nunc, non glorificationis tempus eſt, humano viuendi more, non imperiali poteſtate. Adueni enim propter vos ô Ioannes natus ex vtero humano, lacte nutritus, pro corporis lege auctus, ſtatutorum obſeruantiam executus ſum. Nulla mihi humanæ conditionis prætermiſſa ciuilitas eſt: Quare nunc quoque ceu homo baptiſma ſuſcipio.

Perage ea mecum omnia, quæ corporis naturæ conueniunt: Ne diſcat, per quæ dicat Diabolus abſconditam meam diuinitatem, ne myſterium metuens congreſſum meum fugiat, atque auerſam à ſe ſtragem lucretur. Omitte nunc, videbis meam paulò poſt ô Ioannes, gloriam: Videbis me dæmoniacæ phalangis victorem. Videbis ſatanæ à me regnum expoliatum: Videbis me ab Angelica cœleſti turba laudibus celebrari: Videbis me terreſtris orbis iudicem præſidentem: Videbis me ab omnibus colligentibus: Videbis omne genu cœ-

nu cœleſtium, terreſtrium & infernorum ad adorandum me flecti. Omitte nunc, ſic enim nos decet, vt compleamus omnem iuſtitiam. Hæc Chriſto & Ioanne inter ſe colloquentibus, Iudæorum audientium aſtitit turba, qui attoniti de facto hoc admirabili dubitabant: ſtupore videbatur dignum. Qui enim Phariſæos baptizabat, ab hoc rogat baptizari: Qui Sadducæis erat formidabilis, ad illius nunc aſpectum aſſurgit, flectens genua: Ieiunio clarus, ab eo qui non ieiunauit, benedictionem quærit. Qui veſte ex pilis contexta erat tectus, ab eo qui eiuſmodi nihil ſecum adfert, purgationem ſupplex petit: qui apum in deſerto laboribus & herbarum radicibus ac locuſtis à puero nutritus, huius nunc tanquam ſanctiorem conſtitutionem formidat. Quod ergo excellentiæ inter illos diſcrimen eſt? Quale de illo Deus fert ſuffragium? Interea dum omnes ſic ſtupore ſunt correpti, è cœlis ebuccinantis auditur vox. Inquirite, inquit, apud ſe quiſque baptizari, virtutem, diſcite potentiam eius, qui apud vos eſſentiam quæſiuit. Cognoſcite quantum ſit inter Ioannem & hunc diſcrimen. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt.* Hinc quoque Ioannes non in templo baptizat, nec in domo aliqua, quemadmodum aliorum vnuſquiſque conſueuit: ſed apud deſertum, & dio expoſitum flumen, quo audientes omnes ex cœleſti illa per aërem audita voce præſentem hunc diſcerent. Magnum videlicet magnæ illius panægyris choragum, Dominum dominantium, & regem regum, ac humanitatis omnis fontem. Iugum enim tuum ſuaue eſt, ô Rex humaniſſime, & onus tuum leue: Vt deceat quoque hæc ad nos Domini verba exclamare: *Tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt: diſcite à me, quoniam mitis ſum.* Nec conſtitutionum onere nos grauat, non iugo opprimimur: non metu torquemur. Verum timuimus quidem, at liberi nunc à metu, non veluti ſontes & damnati ſeruitutis iugum toleramus: ſed voluptati magis quàm oneri nobis eſt. Sis igitur nobis multiplicatos ſeruatus in annos: diuturnitatis longitudini tu ſuperaddas: Fias ſenex: Tu populum quem ſortitus es, dirigas. Dicat ad te quoque Deus: regnum eorum qui ex te naſcentur, propagando, augebo te vehementer nimis, & ponam te in gentes, & reges ex te prodibunt. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui ſit omnis gloria, honor & veneratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Luc. 1. — *Matth. 3. Luc. 3. Marc. 1.*

THEOFRIDI ABBATIS SERMO, DE SANCTORVM RELIQVIIS.

LAVDEMVS Dominum, mirabilem in ſanctis ſuis, ſed mirabiliorem in eorundem reliquiis, quia licet ſit magnus in magnis, glorioſus tamen mirabilia operatur in minimis. Non ſatis eſt illi, quod ſanctorum animas in æternæ fœlicitatis glorificat regione, niſi & eorum reliquias glorificet in hac peregrinatione. Neque ſufficit, quod immortalitatis illis donat delicias, niſi & totius mundi conferat diuitias. Oppida enim & caſtella, vicos & vrbes, quæ omnia iam magni tenuere principes, exiguus ſanctorum puluis poſſidet, locuples rerum copia illorum reliquiis ſubiacet. Animæ in cœleſti iubilant palatio, reliquiæ eorum exaltantur in ſubdito ſibi ſæculo. Non poterunt vnquam tam profundè in terræ recondi viſceribus, quin ſuper terram per miraculorum effectus effulgeant ipſo ſole lucidius. Has ſingulis prouinciarum & ciuitatum populis dedit in ſolatium, vt dum importunis vrgentur incurſibus hoſtium viſibilium & inuiſibilium, per harum defenſentur meritum. Rex enim quilibet vrbis alicuius defenſurus mœnia, quanto audaciora & plura hoſtium comperit eſſe agmina, tanto fortiora & numeroſiora in munitionibus militum opponit pectora. Sic & Deus noſter videns hoſtium multitudinem per totum volitare aërem, & pugnam aduerſus adoptionis ſuæ filios ſtruere multiplicem, humanæ miſeriæ miſericorditer conſulit: & multiplicatis ſuper arenam patrociniis, ciuitatem ſuam, id eſt Eccleſiam cuſtodit & protegit. Vnicuique locorum, ſicut & huic noſtro, abunde magnas ſanctorum reliquias accommodat; quatenus dum ab indigenis digne ac familiarius honorantur, iidem indigenæ earum perpetua defenſione firmentur. Vbicunque vero terrarum aliquid eſt earum, morem habent lucernarum, lucernæ vbicunque locorum ſint, abſcondi non poſſunt, ſed luminis ſui ſplendorem longè latéque ſpargunt. Nemo námque accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Accenſæ lucernæ ſanctorum ſunt reliquiæ; licet & lucernam ipſum ſanctum ſanctorum non à credentibus abſconſum, nec ſub modio, id eſt ſub legis menſura incluſum, intra vnius Iudeæ gentis terminos cohibitum, ſancti doctores doceãt intelligere. Hæ inquam, lucernæ ab illa ſalutis æternæ lucerna accenſæ non in abſcondito, neque ſub modio locantur, id eſt, non in aliquo indecenti vel ignoto loco ſine honore locantur. Occultari nuſquàm permittuntur, ſed ſupra candelabrum, quod eſt Chriſtus & Eccleſia, propatulo ponuntur, vt fidei & diuinæ agnitionis lumen videant, qui ingrediuntur. Vt lumen inquam, videant, dum ſanctorum reliquias miraculis coruſcare conſiderant, quàm mirabilis & quantæ ſit pietatis Deus, intelligant. Si vero ſanctorum reliquiæ occultarentur, & virtutum ſignis non illuſtrarentur, quid durum & lapideum cor hominis ad deſideranda cœleſtia excitaret? quid à vitiis ad virtutes reuocaret? Quæ homo ſperaret præmia, ſi eos, quos in vita ſua iuſtiſſimos eſſe nouit, non videret eſſe in memoria; & qui vix ad cultum & amorem Dei nunc proficit, vix torporem à ſe infidelitatis nunc excutit, dum electorum Dei reliquias miraculorum gratia illuſtrari aſpicit? Sacræ profecto fidei conſtructio per miracula creuit, & eiſdem deficientibus in quibuſdam gentibus decreuit. Niſi enim ſancti prædicatores miraculis coruſcarent, fruſtra verbum vitæ prædicarent. Et licet ſigna non ſint fidelibus, ſed infidelibus, fides tamen fidelium per ſigna ſolidatur, quæ aut à ſanctis audierunt facta patribus aut per eorum reliquias in ſuis vident fieri obtutibus. Verè mundi lucernæ ſanctorum reliquiæ claritatis ſuæ ſplẽdorem longius ſpargunt, eáſque vt præfati ſumus, illorum merita, quorum ſunt, nuſquam negligenter latere ſinunt. O mira diuinæ pietatis miſeratio, ô ineffabilis circa ſanctorum reliquias dignatio. Deus ſanctus ſanctorum eſt, & ſanctorum congregatio Dei habitatio eſt. Non parui ſed maximi apud eum precij ſunt reliquiæ illorum, quas exaltat ſuper omnem mundi ornatum. Námque earum excellentiæ omnis lapis precioſus non comparatur, ſed quicquid in rebus voluentibus precioſum eſt, in earum comparatione viliſſimum iudicatur. Terrarum ſunt munimenta & æternæ retributionis, diuinæque magnitudinis documenta. Nam euidentibus patet indiciis, quanta ſit Dei magnificentia, cum ſanctorum reliquiæ tanta polleant gloria. Si enim humana diuinis, ſi parua licet comparare magnis, quicunque alicuius temporalis Domini ſeruos cernit, in eis quantæ

Benignitas Dei quanta ſit in ſanctos. — *Reliquiæ ſanctorum quid præſtent hominibus.* — *Reliquiæ ſanctorum vt ſint lucernarum inſtar.* — *Luc. 11.* — *Luc. 8. & 11.* — *Fides vti miraculis creuerit.* — *1. Cor. 14.* — *Reliquiæ ſanctorum quanti ſint precij.*

dignitatis ſit, idem Dominus perpendit. Si potentes & diuites ſunt ſerui, ditior & multo amplioris potentiæ eſſe creditur, cuius ſubiacent ditioni. Sic & perpéditur quanta ſit diuina magnitudo & maieſtas, cum & eius gratuito dono ſanctorum reliquiis tanta conceſſa cernitur eſſe claritas & poteſtas. Ad arida enim eorum oſſa, vt patris luculentiſſimi dictis vtamur Gregorij ægri veniunt & ſanantur: periuri veniunt, & à dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt & liberantur: leproſi veniunt, & mundātur: deferuntur mortui & ſuſcitantur. Nam vt ex vno quid omnibus ſit aduertendum perpendamus, per Eliſæi propbetæ oſſa reuixit mortuus, benedictus Deus in omnibus. Oſſa Eliſæi vitam dederunt mortuo, mortuum de mortis ſoluebant periculo. Poſt mortem ergo carnis ſancti Dei melius viuunt, quorum hic oſſa in tot miraculis viuunt. De his mirificis ſanctorum oſſibus dicit Propheta veridicus. Et oſſa veſtra vt herba germinabunt. Oſſa ſanctorum licet mortali conditione areſcant, virtutum tamen viriditate vt herba germinant, quanquam idem in generali reſurrectione perfectius implendum eſſe, diuinæ ſcripturæ expoſitores aſtruunt. In diſpoſitiſſima ſane Dei tanta quaſi patris familias domo vaſa in honore eſſe ac fuiſſe electi creduntur, ideo & eorum reliquiæ in vaſis aureis atque argenteis & gemmatis, ac in omnibus quæ precioſa ſunt, reconduntur. Et ſicut ſanctum altare non ſanctificatur ab auro, ſed ſanctificat, ſic & quodlibet vas, quod ſanctatum reliquiarum in ſe continet theſaurum, non dat ſed accipit gratiam ſanitatum: & tactum, quaſi etiam illud, quod interius latet, tangatur, fugat multa genera infirmitatum. Inimica inuiſibilium phalanx ante eas ſtare non poterit, confuſam & deuictam ſe ingemit, & qui ſedem ſuam in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis ſe poſiturum, ſeque altiſſimo ſimilem futurum gloriabatur, à diſſoluto ſanctorum puluere ſuperatur igneiſque cathenis religatur. Puluis iſte licet diſſolutus ſit & exiguus, huius tamen aëris dominatur poteſtatibus, honoratur dignè à cunctis mortalibus puſillis & maioribus, quia vt calor inſeparabiliter inſitus eſt in natura ignis, ſic ſanctitas eſt ſita in illis. Si enim ſanctitatis amitterent donum, amitterent pariter etiam ſanctorũ. Ex accedenti dono habent ſanctitatem, ſed non amittunt eandem, quia ex immortalitate non fit tranſitus ad mortalitatem. O quam magnificata ſunt opera Domini, nimis profundę factæ ſunt cogitationes Dei noſtri. Reliquiæ ſanctorum ſunt, vt precioſa aromata, & poma odorifera, quæ ſi quis manu tractauerit, manus eius ab eiſdem odorem ſuſcipit, vt lilia inquam, & precioſa aromata redolent, nares mortalium miri odoris ſuauitate complent. Diſtantia quippe grandi diuiſit Deus lucem à tenebris, id eſt pios ab impiis, & minus perfectorum oſſa à ſanctorum reliquiis.

Gregorius. — *4 Reg. 13.* — *Sanctorum poſt mortem melius viuunt.* — *Iſa. 66.* — *Rom. 9.* — *Reliquiæ ſanctorum cur precioſis conduntur vaſis aut receptaculis.* — *Eſai. 14.* — *Pſalm. 90.* — *Reliquiæ ſanctorũ vt ſint velut aromata.* — *Geneſ. 1.*

SERMO EIVSDEM DE VENERAtione ſanctorum.

CHriſtiana religio vocabulum propterea trahit à Chriſto, vt Chriſtianus ſemper habeat in memoria, quomodo tantæ dignitatis cuſtodiatur gloria, ne diſſonum videatur in opere, quod lingua ſonat in nomine. Sed virtus ſanctæ charitatis, quæ fidei cultum olim in Patribus decorauit, nunc ſeneſcente mundo & accreſcente peccato, in filiis decreſcit, & in tantum in ſingulis dilabitur, vt vix in paucis eius veſtigium recognoſcatur. Huius etenim periculi diſcrimina clementiſſimi redemptoris noſtri præuidens gratia ſanctæ ſcripturæ theſauros oſtẽdit ſanctorum exempla propoſuit: vt & pietas in operatione ſemper fulgeat, & doctrinæ remedium nunquam in lingua torpeſcat. Quia ergo, fratres, habemus exempla ſanctorum, quaſi certiſſimæ curationis antidotum, ſanctæ charitatis virtus in nobis redintegretur, vt in ſanctis ſuis Deus per nos dignè laudetur. Igitur in ſanctis ſuis laudemus Dominum, qui eſt gloria & virtus ſanctorum, vt per eius miſericordiã, ad eorum peruenire valeamus conſortium. In memoria iuſtorum iuſtitiæ auctorem: in meritis ſanctorum ſanctitatis magnificemus largitorem: digna enim memoria iuſtorum erit cum laudibus, in quibus delectetur Deus illorum & Dominus: vt per eorum interceſſionẽ, noſtris miſereatur exceſſibus. Exemplo fidelis Moyſi ſunt inter nos & Deum mediatores poſiti, vt qui per noſtra deſpicimur merita cum Phariſæo, per illorum iuſtificationem iuſtificemur cum Publicano. Credimus eos apud Deum multa poſſe, cuius dilectioni nihil in hoc mundo præpoſuere. Non ſuam, ſed cœleſtis voluntatem Patris in omnibus adimplentes, Ieſu merito & dici & eſſe meruerunt fratres & ſorores, cuius propinquitatis lineam nulla degenerauit ſuperbia, ſed in generationes & generationes nobilitauit humilitas ſancta In cõſpectu Dei fratres, ſemper ſancti talem exhibebant cordis meditationem, vt tranſeuntem filium Dauid figerent ad ſpiritualem mentis illuminationem. Non defecit in eis virtutum ſanctitas, quorum in ore non eſt diminuta veritas: quorum labia cœleſtis purgauit calculus, quorum eloquia ſui ardoris flamma, ſanctus animauit ſpiritus. In operibus manuum ſuarum non comprehenſi ſunt vt peccatores, qui minimis Domini omnem exhibuerunt humanitatem, vt fideles. Cum beato Iob oculus cæco & pes claudo, in mortuorum ſepultura non inferiores inuenti ſunt Tobia. Oratio eorum nubes penetrauit, quæ per ieiunium & eleemoſynam in cœlum volauit, & impleuit phialas viginti quatuor ſeniorum, vt ſit ſuauitatis odoramentum ante maieſtatis Dei thronum. Carnis corruptionem labor vitæ grauauit, libertatem animæ actionum puritas expiauit. Vixerunt pietatis amici per pietatis opera ſpectaculum facti Deo & hominibus. Hæc operationis grana in actiuæ vitæ ſparſerunt area, vt horreum implerent contemplatiuæ in ſupernæ pacis viſione: theſaurum fidei, quem habuerunt in vaſis fictilibus, non effuderunt negociis ſecularibus, ſed vbi nullum latet detrimentum, in cœleſtis poſuerunt regis gazophylacium: quia dum ſpiritus tegmina carnis exuit, liber & expeditus ad cœlos volauit. Eccleſia, quæ in tranſcurſu dubij cernitur orbis, filios enutriuit probatos, in operibus bonis, quos manens ſuper aſtra ſuſcepit ſponſa cœleſtis. Exeuntea de Ægypto, id eſt de peccatorum tenebris, per columnam nubis venerunt in terram repromiſſionis, quæ eſt patria, ad quam ſuſpirabãt quotidie, quum adhuc eſſent in huius peregrinationis captiuitate. Ibi eſt habitatio, quam fidelium deſiderat intentio, qui Deum portant in mente; quamdiu tenentur in carnis carcere. O quàm fœlix ciuitas, vbi nulla regnat captiuitas, ad quam qui virtutum paſſibus confugerit, iam vltra captiuus eſſe deſiit. Huius ſtructura ſunt lapides viui, quos pax & concordia compaginauit reprobato lapide, qui factus eſt in caput anguli. Quam nullius aduerſitatis procella poteſt concutere, cuius fundamentum impoſitum eſt ſtabili petræ: lumine non eget lucernæ, cuius claritas eſt illæ lapis angularis, qui petra fundamenti Agnus qui tollit peccata mundi. Ipſe eſt etiam ſponſus, qui regnat in hoc tabernaculo Deus cum hominibus, ante cuius ſedem perſonant canticum ſpiritus & animæ iuſtorum. Laus eorũ & exultatio ipſe eſt, qui coronat eos in gaudio, per quem bene currentes in huius mundi ſtadio, digno in cœlis remunerãtur brauio. Non eſt vltra quod concupiſcant, vbi Deum facie ad faciem conſiderant, qui eos perduxit ad palmam victoriæ, quo præceſſit ipſe rex gloriæ, dignitas fœlicitatis eorum humani ſenſus excedit modum, qui reuera in cor hominis non aſcendit, quæ Deus illis præparauit. Decernat igitur pietas fidelium, quid venerationis potiſſimum corporibus debeatur ſanctorum, quorum ſpiritus inæſtimabili gloria honorantur apud Deum. Tanto itaque deuotius eorum laudem celebremus in terris, quanto maioris meriti eos credimus eſſe in cœlis. Quid apud Deum eorum

Chriſtiani vnde & cur dicantur. — *Sanctitas vt cum ſeneſcente mundo decreſcat.* — *Pſalm. 150.* — *Prou. 10.* — *Sancti vt ſint mediatores inter nos & Deum.* — *Luc. 18.* — *Matth. 12.* — *Luc. 18.* — *Eſai. 6.* — *Pſalm. 9.* — *Iob. 20.* — *Tob. 12.* — *Eccleſ. 15.* — *Apoc. 5.* — *1. Cor. 4.* — *Pſalm. 117.* — *Apoc. 21. & 22.* — *Ioann. 1.* — *Apoc. 21.* — *Eſai. 64.* — *1. Cor. 2.*

Digitized by Google

eorum poſſint animæ, artus exanimatorum corporum oſtendunt quotidie. *Reliquiarum quanta ſit efficacia & virtus.* A Si quid fortè natura negat, vel improuiſus caſus in humanis debilitat, ad eorum ſepulchra clementia diuina reſtaurat. Cæcitatem illuminat, greſſus conſolidant, linguas reparant, aures reſerant, dæmonibus imperant, carceres aperiunt, vincula reſoluunt, eliſos erigunt, iniuſtos corrigunt, iuſtos diligunt. Hæc operantur per corpora ſpiritus, qui iam diuinis aſſiſtunt obtutibus. Quid mirum, ſi poſſunt talia in immortalitatis gloria conſtituti, qui ſimilia potuerunt ſub mortalitatis velamine poſiti. Legimus & credimus fratres, *Pſalm. 67.* multa, quæ mirabilis in ſanctis per ſanctos operatus eſt Deus in hac vita. Taceamus carnem & oſſa, dicamus minora, quæ ſunt carne inferiora. Exemplum damus de paucis, vt fides dubitantium ſolidetur in multis. Vmbra curabat Petri, quotquot in plateis ponebantur ægroti. *Act. 5.* Pauli ſemicinctia expulerunt ab obſeſſis corporibus dæmonia: B Iacobi ſudarium vinctum ſoluit Philetum. *Act. 19.* Has virtutes curationum operabantur corporum ſpecies, vt intelligat fides credentium, quale ſanctorum ſit meritum, & quid potuit eorum præſentia vbi in tanta virtute refulſit abſentia. Non ſolum hæc de Apoſtolis credimus, verumetiam de ſanctis omnibus plurima ſuppeterent exempla, ſi faſtidium non generaret oratio prolixa. Quid mirum, ſi tanti fuerunt meriti ſpirituales ſanctæ matris Eccleſiæ filij, cum etiam carnalis ſynagogæ ſoboles per ſimiles polleret virtutes. In Ægypto *In Exodo.* Moyſi virga ſigna fecit & prodigia, & ſub baptiſmi ſpecie rubrum diuiſit mare. *Exod. 45.* Heliæ pallium Eliſæo duplicauit ſpiritum, & curſum Iordanis diuiſit eadem veſtis. *4. Reg. 2.* Hæc ſub lege & gratia fecit Deus per ſanctos in carne miracula, vt intelligamus & fideliter teneamus, quid apud ipſum eorũ poſſit ſpiritus. Quicquid fratres de reliquiis ſanctorum poſſidemus, ſiue in veſte, ſiue in puluere, vel in oſſibus, diligenter & cautè cuſtodiamus: A & quod valemus, potiſſimum ſeruitute illorum exhibeamus venerationi. Digni ſunt apud homines honore, qui quotidie interpellant pro hominum ſalute. Memor humanæ fragilitatis, hoc gratiæ nobis clementia Saluatoris contulit, vt quod peccatores per noſtra non poſſumus merita, per ſanctorum impetremus patrocinia. Iam ſecuri de ſua ſolliciti ſunt pro noſtra ſalute: & vnde nec eorum perficietur gaudium, quandiu noſtræ peregrinationis cernunt exilium: nec erit illis perfecta beatitudo, donec totius Eccleſiæ intrauerit plenitudo. Ad illorum chariſſimi, conſortium, quia nos habitare in vnum, pulchrum erit atque iucundum, *Pſalm. 132.* quanto illorum nobis prodeſſe credimus orationem, tanto deuotius illorum meritis exhibeamus venerationem. Offeramus illis laudis ſacrificium, vt pro nobis fumus incenſorum aſcendat de oratione ſanctorum, qui per manum angeli *Apoc. 8.* B diuino præſentatur conſpectui. veſtigia ſequamur eorũ, quibus ipſi ſequuti ſunt Dominum. Gradiamur per ſemitam iuſtitiæ, vt perueniamus ad manſionem cœleſtis patriæ. Inſpiciamus perfectam eorum vitam, & quæ minus eſt compoſita, emendemus noſtram, vt noſtri ſint adiutores in precibus, quorum ſumus imitatores in actibus. Relinquamus cum Apoſtolis omnia, vt libere ſequamur Domini veſtigia. Martyribus aſſociemur in paſſione, vt eiſdem participemur in conſolatione. Ne fur domum noſtram perfodiat, confeſſorum vigilias mens noſtra cuſtodiat. *Luc. 12.* Ornemus lampades noſtras cum virginibus, vt intremus ad nuptias, quando venerit ſponſus, *Matth. 25.* & vbi nos non perterreat illud duriſſimum, Neſcio vos, quod erit impiorum confuſio: ſed lætificet cor noſtrum iuſtorum benedictio, per eum, qui eſt vita & reſurrectio, Deus Deorum, & Dominus Dominorum, per ſæcula ſæculorum, Amen.

FF

SANCTI ZENONIS VERONENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, DOCTORIS EXIMII SERMONES.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI AVGVSTINI Valerij Cardinalis Veronæ iuſſu editi.

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO NOSTRO DOMINO SIXTO V. PONTIFICI MAXIMO,

Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronæ.

CVM menſe Aprili ſuperiore, Beatiſsime Pater, de more inſtitutóque veterum Romanorũ Pontificum primo ſui Pontificatus anno Sanctitas veſtra cereos Agnos Dei conſecraret, quorum veluti diuina clementia inſtrumentorum mirifica virtus in incendiis, eluuionibus, ac tempeſtatibus ſæpenumero mortalibus ſpectata eſt, ac ſacrum Cardinalium collegium pro ſua in hunc ordinem beneuolentia, & charitatẽ tradui ſpatio conuiuio exciperet, memini ſancti Zenonis Veronæ Epiſcopi, & martyris à ſanctitate veſtra mentionem factam poſtremo cõuiuij die, quo ſum ipſe vocatus: conuertens enim poſt ſacram lectionem, & poſt grauiſsimos in menſa ſermones habitos in me oculos: Cras, inquit, celebrabitur feſtus dies ſancti Zenonis Epiſcopi & martyris, qui inter procellas perſecutionum Veronenſem Eccleſiam mira conſtantia gubernauit, & Galieni tempore martyrio coronatus eſt: atque hanc commemorationem ſermonum, qui ab eodem ſanctiſsimo Epiſcopo ſcripti ſunt, mentio ſubſecuta eſt. Cum verba Vicarij Chriſti in animo infixa eſſent meo, commemorationem S. Zenonis, cui poſt multos annos in hac administratione, quamuis indignus ſucceſsi, tacitam, vehementémque cohortationem putauiſſem, cumque ideo Veronam permiſſu Beatitudinis Veſtræ rediſſem alacrior, & ardentior multo quam vnquam antea, ad munera paſtoralia obeunda, in ſynodo diœceſana primum clerum vniuerſum ſum hortatus, vt Patronum huius ciuitatis exemplar rectè Chriſtiani gregis gubernandi, ac magiſtrum optimum & religioſius veneraretur, & ſtudioſius moribus, atque vita imitaretur: deinde quod ſermones Sancti Zenonis, qui typis impreſsi antè annos complures editi fuerant, eſſent valde mendoſi, nec iam vlla ferè amplius eorum extarent volumina, ne clerus Veronenſis cæterique viri docti, & pij vtili lectione antiquiſsimi, & ſanctiſsimi ſcriptoris priuarentur, decreui vt iterum multo accuratius imprimerentur. Acceſsit ardor quorundam presbyterorum Veron. quibus nec ingenium in illuſtranda Eccleſia Veronenſi deeſt, nec ſtudium. Itaque mecum à multis viris doctis recogniti, emendati, & expurgati, meo iuſſu typis commiſsi ſunt. Celebris quidem eſt, Sanctiſsime pater, multis præclariſque naturæ muneribus Verona, cœli temperie, collium Atheſiſque interfluentis amœnitate, magnitudine, antiquitate vrbis, ingeniorúmque præſtantia. Floret artis operibus ad ornatum, & defenſionem arcubus, pontibus, amphitheatro, ſacriſque templis, verum multo florentior eſt, atque munitior numero ſanctorum atque reliquiis, Epiſcoporum præſertim, qui eam ſapientiſsimè, ſanctiſsiméque rexerunt: quorũ primus Euprepius à S. Petro Apoſtolorum principe, Chriſtique Vicario Veronam miſſus quinque, & triginta ſucceſſores habuit ſanctos Epiſcopos: quorum memoria tum in libro de ſanctis Epiſcopis Veron. tum in aliquot templis, tum in aula Epiſcopi loco illuſtri pictis imaginibus, ac nominibus ſubſcriptis diligenter conſeruatur: tum etiam in diuinis officiis ex ſynodorum diœceſanarum decretis, & veteri inſtituto religioſiſsimè colitur. Eorumdem tutela vrbs hæc refert acceptum hoc maximum beneficium, quod per tot ſeculorum curſus, inter tot hæreſum fluctus fidem catholicam integerrimam conſtantiſsimè retinuerit: ac proinde iſti ſanctæ ſedi Apoſtolicæ Romanæ ſuæ, omniúmque fidelium Chriſtianorum matri, vnde norma rectè credendi, rectéque viuendi petenda eſt, ſumma cum veneratione paruerit. Inter hos Epiſcopos Beatus Zeno martyr ordine octauus eſt: qui vix dum migrarat in cœlum, cum eum ciuitas Veron. ſibi patronum aſciuit, & vt talem perpetuo coluit, quod eius patrocinium ſæpiſsime in ſuis calamitatibus experta eſt. Et piorum hominum ſententia æquum fuerat, vt cum Sixti II. Papæ temporibus vixerit, & ſcripſerit Zeno, eius ſcripta penè mortua altero Sixto V. Eccleſiam vniuerſam moderante feliciter reuiuiſcerent: & quem auctorem, atque hortatorem tacitum ſuæ editionis habuerant, eundem patronum diſertum, & vindicem haberent. Denique vt opuſcula Veron. Eccleſiæ Epiſcopi Zenonis Veronæ Epiſcopus illuſtrare, ita Cardinalis ad Romanum Põtificem quem Sacerdotem magnum, Principem Epiſcoporum, hæredem Apoſtolorum, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum (vt Sancti Bernardi verbis vtamur) ſacrum Cardinalium collegiũ, & vniuerſa Chriſtiana reſpublica agnoſcit, & veneratur, & Auguſtinus Cardinalis Veronæ ad Sixtum V. quem ſumma veneratione proſequitur, & à quo multis honoribus, & magnis beneficijs eſt affectus, ea mittere debuit. Non dubito, quin paſtoralem hunc laborem meum, quamuis minimum, æſtiuis caloribus ſuſceptum probatura ſit Sanctitas veſtra: & ex Epiſcopi martyriſque ſcriptis magnam ſit captura voluptatem. Interim Deus auctor bonorum omnium, & largitor beatitudinem veſtram ſanctiſsime Pater donis ſuis magis in dies, vt facis locupletet: & Collegio noſtro vniuerſæque Eccleſiæ incolumem diutiſsime ſeruet, vt iuſtitia, pax, iſtius Sanctæ Sedis auctoritas, omnes virtutes in dies magis, ac magis vigeant atque floreſcant.

PIO

PIO ET CANDIDO LECTORI,

Raphaël Bagata Archipreſbyt. Eccl. S S. Apoſtolorum, & Baptiſta Perettus Rector Eccleſiæ S. Teuteriæ S.

SANCTVS Zeno Veronæ Epiſcopus, & Patronus difficillimis temporibus in magnis tempeſtatibus admirabili conſtantia Veronenſem rexit Eccleſiam, ac Galieni Imperatoris tempore martyrio coronatus eſt. Floruit non ſolum vitæ ſanctitate, & paſtorali vigilantia, ſed doctrina, & dicendi laude: quod eius ſermones ſumma grauitate, & Apoſtolico quodam illius ſeculi ſpiritu conſcripti abunde teſtantur. Eſt idem Sanctus Zeno inter vetuſtiſſimos Eccleſiæ ſcriptores connumerandus, cum doctiſſimo viro Origeni,& glorioſiſſimo martyri Cypriano æqualis fuerit. Is Veronæ pater patriæ nominatus eſt, & Doctor inſignis, quo Doctoris nomine in Eccleſia etiam Mediolanenſi decoratur. In Græcia etiam Chriſti Euangelium prædicauit. Extant apud nos huius Sancti Zenonis ſermones in vetuſto ex membranis manuſcripto codice. Idem à Guarino literis Græcis, & Latinis erudito, in antiquiſſimo volumine Epiſcopatus fuerunt reperti, & à bibliopola quodam anno M. D. VIII. rudibus, & mendoſis admodum typis Venetiis fuerunt editi, S. Zenonis nomine, vt de eorum authore nullo modo ſit dubitandum. Nunc verò politioribus formis exactè recogniti, emendati, & expurgati Auguſtini Valerij Veronæ item Epiſcopi, & S. R. E. Cardinalis Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi iuſſu pro ſolerti eius, vigili, & ſolita paſtorali cura impreſſi ſunt, & diſtributi iuxta eruditum illum ordinem quem vir eximiæ doctrinæ, & iudicij F. Fœlix Cardinalis de Montealto, nunc S. D. N. Sixtus V. in ſua operum S. Ambroſij editione ſecutus eſt: primus enim locus iis ſermonibus attributus eſt, qui veteris teſtamenti locos explanant: proximus illis, qui noui: poſtremo loco ij, qui de virtutibus, & vitiis tractant, collati ſunt. Neque vero reprehendat quiſpiam martyris nomen huic editioni additum, quo rudior illa caret: oportuit enim ſancto ſermonum authori tribuere martyrij gloriam, quam illi (vt omittamus vetuſtiſſima B. Gregorij Papæ, Vener. Bedæ, Vſuardi & aliorum teſtimonia) recentiſſimum martyrologium iuſſu Gregorij XIII. Pont. Max. editum attribuit. Obiiciet fortaſſe aliquis hos ſermones alterius Zenonis eſſe martyre poſterioris, Veronæ item Epiſcopi, cuius mentio fit à S. Ambroſio epiſtola prima ad Syagrium: At ille locus primum nihil habet, vnde probetur ille Zeno horum author eſſe ſermonum. Deinde non ita probat eum eſſe Veronæ Epiſcopum, vt conuincat: cum enim S. Ambroſius aggreſſus fuiſſet prædicare (vt legimus in vita S. Euſebij Bononiæ Epiſcopi lib. 1. de Epiſcopis Bononienſibus) ſacratam Deo virginitatem, Bononienſes eius prædicatione permoti eodem Euſebio authore virgines ipſi ſuas paſſim Mediolanum velandas mittebant: cuius rei etiam idem S. Ambroſius meminit lib. 1. de virginibus: vbi etiam teſtatur virgines vel ab ipſa Mauritania Mediolanum, vt velarentur, & ſacrarentur, veniſſe: eadem ratione credendum eſt, virginem illam Indiciam nomine, de qua ibi fit mentio, Mediolani à S. Ambroſio eidem Zenoni viro ſanctæ memoriæ probandam, & benedicendam traditam fuiſſe: id enim facilè ex eadem epiſtola colligitur: Soror enim ipſa S. Ambroſij, cum eſſet Mediolani, teſtatur Indiciam Romæ domi ſuæ Ambroſio abſente habitaſſe: Quædam vero Paterna nomine S. Ambroſij (ille ipſam appellat) filio nunquam ab Indicia diſceſſerat: Indicia autem Veronæ, quo cum ſorore ſua noua nupta profecta fuerat, apud eam, pariete tamen interiecto, paruo videtur tempore habitaſſe: vnde apparet Indiciam alibi, quam Veronæ ſacrata virginali benedictione inſignitam fuiſſe, præſertim cum poſt tot annos à benedictione (vt inquit S. Ambroſius) nota corruptionis inureretur. Accedit præterea Eccleſiæ Veronenſis perpetua traditio, quam certis rationibus firmam ex canonum præſcripto tueri debemus, quæ præter Zenonem Epiſcopum, & Martyrem, qua de re in libello de Sanctis Veronenſibus Epiſcopis vberius tractatum eſt, nullum alium Zenonem agnouit Epiſcopum: quam quidem traditionem teſtatur etiam Epiſcoporum Veronenſium ſeries in aula Epiſcopali depicta: in qua vnus tantum Zeno VIII. Epiſcopus cernitur. Dicet alius ab authore horum ſermonum confutatos eſſe errores Arij, qui viuo Zenone martyre non erat. Reſpondemus, cum Epiphanius ſcribat patrem Arrij fuiſſe Origenem, & S. Thomas fontem eiuſdem extitiſſe, errores qui ab Arrio diſſeminati ſunt, fuiſſe antequam Arrius naſceretur: vt errores Lutheri antequam peſtiferam illam hæreſim Lutherus diſſeminaſſet, conuicti fuerunt. Quod ſi is contendat errores illos Origeni falſo tributos, vt Pamphilus martyr, & alij alibi nobiles ſcriptores putauerunt, non conuincit cauſam non fuiſſe, vt S. Zenoni neceſſe non fuerit illam peſtem, quod Filius non ſit coæternus Patri, refellere. Quod obiicitur ſermonem de continentia non eſſe S. Zenonis martyris, cum in eo legatur author abfuiſſe à S. Pauli doctrina diuulgata annis quadringentis, & eo amplius: & totus penè orbis tunc fuiſſe Chriſtianus. Dicimus textum, ſicut multis in locis eſt mendoſus, ita vt ſæpe fit in numeris ibi eſſe deprauatum. Iam verò cum diſſeminatum per omnes prouincias eſſet Euangelium à multis receptum, eo in loco author ponit, vt ſit totum pro parte. Antiquiſſimi authoris eſt indicium cum ſæpe ad Iudæos ſermones habuerit: catechumenos ad immergendum ſe in ſactum fontem inuitauerit: reprehenderit Græcos tunc ad fidem Chriſti conuerſos, quod vana ſua ſapientia etiam in Eccleſiam Dei vana quædam de Deo introducerent, vt ſerm. 1. de pſalm. 130. Idem oſtenditur, cum in ſerm. de ſpirituali ædificatione domus Dei author demonſtrat tunc non fuiſſe iam templa Chriſtianis conſtructa, ſed nouum populum, & minimum numero extitiſſe. Ad Neophytos porrò ſerm. 4. cum de iis mentionem facit, qui vniuerſam rem familiarem pauperibus erogarent, quippe Dei templum eſſent, cum templum idololatriæ anteà extitiſſent. Idipſum præterea licet perſpicere ad Neophytos ſerm. 5. cum eos hortatur author, vt idololatriam fugiant, & ne captent amplius auguria. Quid? nonne id clarè patet ex ſerm. 1. de Paſcha, & ſerm. de patientia? quorum altero interpretatur autumnum ſui temporis martyres ſignificare, patientiam in altero coronam martyrum appellat quotidianam? B. Tecla. S. Pauli Apoſtoli diſcipula, & prima illius ſexus martyr in ſermone de timore, in exemplum timoris Domini adducitur. Quoſdam meminit in ſermone de reſurrectione in idololatria ſuo tempore obiiſſe: & Chriſtianos quoſdam arguit corporum reſurrectionem non credentes. Ab eo præterea deſcripta eſt S. Archadij martyris vita, ſuo tempore, vt Petrus Epiſcopus Equilinus teſtatur, martyrio in Mauritania coronati. His profecto, & huiuſmodi aliis quamplurimis antiquiſſimus horum ſermonum author demonſtratur. Quod autem tres, ſiue quatuor ſermones in his reperiantur, quos S. Zenoni aliqui putant aſcribi non poſſe, nempè qui inſcribitur, de præcepto, attende tibi: Sermo de Euangelio ſecundum Lucam de duplici tentationum ſpecie: Sermo de liuore, & inuidia, & ſermo

de ieiunio: qui inter S. Baſilij homelias Græcè ſcripti reperiuntur: Quamuis argumenta non deſint, quibus probare liceret eos quoque ſermones ad S. Zenonem noſtrum pertinere, cum etiam plurimos ſummo ſtudio, & grauiſſimis laboribus in Græcia multo antè S. Baſilium prædicando ad fidem Chriſti conuerteret, tamen ea in re contentioſi eſſe nolumus. Ad id verò, quod author bibliothecæ ſanctæ ſcribit, nempe ſeptem ſermones in pſal. quos enumerauit, eſſe deſcriptos ex S. Hilarij commentariis, dicimus illum quoad numerum erraſſe: ſermones enim in pſalm. 79. & in pſalm. 100. in commentariis S. Hilarij non reperiuntur. Quoad reliquos quinque, cum duo ſermones de pſalm. 130. in his ſermonibus legantur, ſecundus vero ſit certis quibuſdam vocabulis, & iiſdem fere ſententiis ſimilis priori, qui quidem prior in commentariis S. Hilarij non reperitur, cum etiam ſecundum ſcilicet dicimus à S. Zenone more ſuo fuiſſe aliqua ratione repetitum: & propterea ad illum pertinere: ſed in commentariis S. Hilarij ab aliquo fuiſſe inſertum, quemadmodum videmus inter opera Hieronymi, Auguſtini, & aliquorum ſanctorum patrum conciones, & libellos non ignobilium authorum irrepſiſſe. An vero reliqui quatuor eadem ratione fuerint in iiſdem cōmentariis inſerti, necne, aliorum ſit iudicium. Nos verò, qui in eodem vetuſto codice manuſcripto hos etiam ſermones ſimul cum quatuor, quos vt iam diximus, apud S. Baſilium Græcè deſcriptos reperimus, defraudare S. Zenonem debita ſuæ laudis poſſeſſione non ſumus auſi. Neque lectorem debuimus tam vtili & iocunda lectione priuare. De ſtylo quod obiicitur, vario dicendi modo ſermones conſcriptos: ſi quis rectè eos perpenderit, pauciſſimis exceptis eiuſdem ſtyli comperiet: inſunt enim eadem ſæpe vocabula, eadem verborum diſpoſitio, & contexio. Neque tutum eſt ſemper ex ſtyli varietate in paucis maximè de authore fieri iudicium: non enim quilibet author ſcripta ſua eadem dicendi phraſi ſemper contexuit: hoc namque & Auguſtino, & Hieronymo & aliis ſanctis patribus, quin imo & S. Paulo Apoſt. contigiſſe, vt tomo 2. vitarum ſanctorum in præfatione ad lectorem ait Aloyſius Lipomanus huius Eccleſiæ Veron. Epiſcopus quandoque reperimus, vt pro locorum, temporum, & perſonarum qualitate modo altius, modo demiſſius loquantur. Imperfecti ſermones, quos S. Zenonem diuerſis temporibus ſcripſiſſe probabile eſt, ab aliquo eius diſcipulo fideliter collecti ſunt: cum præſertim quædam in eis ſint, quæ eadem fere ſunt, quod author minime feciſſet: neque quiſpiam alius, qui eos ex diuerſis authoribus colligere voluiſſet. Ex his igitur licet cognoſcere, quanta iniuria Doctor eximius S. Zeno eodem bibliothecæ loco honore ſuo defraudatus fuerit ſcriptis ſuis luculentiſſimis ſpoliatus: cui opinioni, & iudicio in hac re non ſatis oculato refragatur Blondus Flauius de illuſtrata Italia regione noua: Petrus Epiſcopus Equilinus in vita S. Zenonis, & Ioannes Stœffler Iuſtingenſis Mathematicus in Calendario Romano: qui prius ſuperiori ſeculo, quàm typis fuiſſent excuſi, ſermones, S. Zenoni attribuunt. Noſtra vero ætate præter F. Leandrum Albertum Bononienſem Ord. Præd. in deſcriptione Italiæ, & Onuphrium Panuinium in chronico manu ſcripto, vanam illius trutinam, & iudicium refellit idem Aloyſius Lipomanus & Laurentius Surius Carthuſianus viri iudicio, pietate & varia, & recondita eruditione inſignes, & ſacrarum hiſtoriarum in primis ſcientiſſimi: qui non modo oratione, ſed etiam vſu ipſo S. Zenonis eſſe docuerunt: quorum alter in ſuam catenam commentatorum in Geneſim ſententias ex hiſce ſermonibus quaſi floſculos decerptos nomine Zenonis intexuit: vterque verò inter ſanctorum vitas prudentia ſumma, laboréque incredibili collectas ſermones integros B. Zenonis nomine inſignitos inſeruerunt. His grauiſſimis authoribus accedit vita S. Zenonis, quæ iam multis ſeculis fuit conſcripta, in qua membra aliquot horum ſermonum, de quibus eſt diſputatio, leguntur. Monemus autem prætermiſſum eſſe S. Gaudentij Epiſcopi Brixienſis ſermonem, qui excuſis ſermonibus S. Zenonis fuerat additus, quod in vetuſto codice manu ſcripto non reperitur. Hæc de S. Zenonis ſermonibus: vt piiſſimi, & benigniſſimi paſtoris, ac patris noſtri mandato, qua debuimus obſeruantia pareremus. Fruere igitur, candide lector, his ſermonibus Martyris Epiſcopi: qui magno Dei munere nobis relicti ſunt: quos cum attentè legeris. ſenties te ad virtutis, & pietatis ſtudium mirabiliter excitari, & hominem in quo Chriſtus loquebatur, planè agnoſces. Veronæ M. D. LXXXXVI. Cæterum his pro aſſertione ſermonum S. Zenonis prudenter & erudite adductis non obſtantibus magnis coniecturis exiſtimat Baronius in not. ad Rom. Martyr. 12. Aprilis nonnullos ex ſubiectis ſermonibus non eſſe poſſe S. Zenonis Veronenſis Epiſcopi, qui ſub Galieno martyr occubuit, eos præſertim in quibus Arriana hæreſis confutatur. Tu ipſum conſule nam multas rationes & optimas coniecturas ad id probandum ſe habere profitetur.

EPITOME VITÆ S. ZENONIS VERONENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS,

Ad formam Breuiarij Romani reformati ex antiquis deſumpta lectionibus.

Ex libro de S S. Epiſcopis Veronenſibus.

ZENO Veronæ Epiſcopus, in quo iam tum ab infantia certa apparebant ſanctitatis indicia, dum iuuenis in ſecretiore parte vrbis, continuis ieiuniis corpus ſuum caſtigaret, & aſſiduis orationibus vacaret, magna animi demiſſione à Deo petebat, vt prædicandi verbi Dei oſtium ſibi in populos aperiret. Vir fuit præſtanti ingenio, acri iudicio, & in rebus gerendis admodum vehemens. Eloquentia autem ita excelluit, vt Epiſcopus quàmplurimos ad veram Chriſti pietatem conuerterit, atque inflammarit. Tam mite habuit ingenium, tanta in eius ſermone inerat ſuauitas, vt omnes qui illum adibant, diuinum quiddam in eo ſuſpicerent, & quodam modo in homine Deum venerarentur. Edidit inter cætera hoc miraculum: cum egreſſus oratorio, in Atheſi piſcaretur, hominem qui dæmonis impulſu vnà cum plauſtro cui inſidebat, bobúſque iunctis, in fluuium præcipitauerat, & ſemiuiuus aquarum vi iam fermè erat ſuffocatus, ſigno ſanctiſſimæ crucis facto, confeſtim fugato dæmone, extraxit, & à morte eripuit. Galieni Imperatoris vnicam filiam à dæmone dirumodis vexatam mirabiliter vir Dei liberauit: placuit enim Domino ſeruũ ſuum multis & inſignibus virtutibus ornare, hac in primis poteſtate expellendorum dæmonum. Coronam auream, quam capite geſtabat Galienus, & ipſi dono dederat, illico comminutam in pauperes diſtribuit. Narratur etiam inter eius miracula: cum Epiſcopum accerſerent Galieni ſatellites, & ab eo piſcante humaniter fuiſſent excepti, illis tres, quos ceperat, lectiſſimos piſces donaſſet: ſed cum illi numero contempto, iis quartum dolo ſurreptum adiecissent, ac domum reuerſi omnes ſimul in feruentem aquam coniecissent, tribus à ſancto viro acceptis ſuo tempore coctis, quartum illum ſubreptitium tandiu viuum in aqua feruenti ludibundum nataſſe, quoad illi miraculo attoniti vnanimes ad virum ſanctum redierunt, ſeque furti reos confeſſi, ab eo vt ſibi ignoſceret, impetrarunt. Cùm autem vir ſanctus falſorum deorum ſimulachra Veronæ confringeret, conceſſa ſibi prius Romæ ab Imperatore Galieno eius rei facultate, quàmplurimis iniquiſſimo animo id ferentibus, & religionem, cui aſſueti erant, nefariè violari vociferantibus, vt planũ omnibus faceret diuina virtute illa ſe agere, cadauer hominis, quod tunc ſecundo fluuio ferebatur, ad ſe vocauit, & magna cum omnium admiratione, ac ſtupore ei animam reſtituit. Quo miraculo vniuerſa penè ciuitas ſanctam Chriſti fidem recepit, eiecto omni qui vſque in illum diem populum contaminauerat, ſimulacrorum cultu. Quo factum eſt, vt pater etiam patriæ ſit nominatus. Rebus, quæ ad veram pietatem pertinent, Veronæ rectè conſtitutis, elegantiſſimos, qui extant, ſcripſit ſermones in vetus, & nouum teſtamentum: in quibus mirabilis pietas, & magna viri Sancti eruditio conſpicitur. Poſtremo obiit pridie idus Aprilis, & vt teſtatũ reliquit ſanctiſſimus Pontifex Gregorius, & Ioannes Diaconus, vir in ſacris literis admodum verſatus, Ioannis VII. ſummi Pontificis teſtimonio approbatus, ac etiam venerabilis doctor Beda, Vſuardus monachus, cuius in Eccleſia non minima eſt auctoritas, & complures prætereà, qui martyrologia, & hiſtorias conſcripſerunt, martyrio coronatus eſt.

De Tranſlatione eiuſdem.

Poſt obitum ſanctiſſimi viri Zenonis, eius corpus primo eo in loco, vbi viuens ipſe ad ripam Atheſis oratorium conſtruxerat ſepultum fuit, de quo Sanctus Gregorius Pontifex in Dialogis. Hinc deinde in baſilicam, quæ eius nomini Pipini Caroli Magni filij, Rothaldique Epiſcopi Veronæ ſumptibus extructa fuerat, eſt tranſlatum: vbi adhuc ob multa quæ edita ſunt miracula pia populi veneratione colitur. Sanctum autem beati Zenonis corpus Rothaldus & Pipinus Rex vnà cum ſacerdotibus ſanctitate inſignibus transferre tentarunt: ſed nemo eorum oſſa ſancta attingere eſt auſus, quod diuinum quiddam ex loco, vbi prius ſacrum corpus erat conditum, timorem, atque etiam horrorem incuteret, & eos, qui aderant, propemodum exanimaret. Verum cum omnino eſſe transferendum Sancti viri iudicarent, per 40. dies ab vniuerſo Clero, & populo ter in hebdomada ad reuerendum corpus ſolennes habitæ ſunt ſupplicationes. Tranſlatum autem eſt opera, & præſentia ſancti viri eremitæ Benigni nomine: qui cùm in ſummo monte prope Benacum cum diſcipulo, cuius nomen erat Charius, ſolitariam vitam degeret, ab Epiſcopo, & Rege ad beatiſſimi viri corpus tranſferendum diuino monitu Veronam euocatus fuerat. In ea tranſlatione Pipinus a Rothaldo Epiſcopo impetrare minime potuit, vt aliqua beati corporis particula ipſi donaretur: membra potius ille integra circumſepſit, & Pontificali annulo obſignauit. Quare cum id, quod maxime optaret, conſequi Rex non potuiſſet, cinerum, ac veſtimentorum particula contentus fuit, quam magna cum veneratione ſibi traditam accepit. Tranſlatum verò fuit corpus duodecimo Calendas Iunij.

Vide S. Gregorij Papæ Dialogorum, lib. 3. cap. 19.

IN VETVSTO CODICE MANVSCRIPTO MONASTERII S. ZENONIS, VERONÆ HÆC LEGVNTVR.

In Cœnobio Arimini Cæleſtinorum in libro antiquiſſimo de laudibus Veronæ.

OCtauus paſtor, confeſſor Zeno, Martyr inclytus: qui prædicationibus ſuis Veronam perduxit ad fidei baptiſmũ: & à malo ſpiritu Galieni Cæſaris filiam ſanauit. Boues cum homine mergente ex Atheſi flumine reduxit: ſiquidem multos ab hoſte peſtifero liberauit. Mortuum è fluuio exemptum ſuſcitauit. Per crebra ieiunia idola multa deſtruxit. Non queo tanta huius Sancti opera narrare, quæ veniendo è Syria vſque in Italiam, mirabilia per ipſum omnipotens Deus oſtendit. O fælix Verona, & inclyta: &c.

SANCTI ZENONIS VERONENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, SERMONES.

De Geneſi Sermo I.

NIsi quis hoſtem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis ſuis poterit vti ſecurus: ſunt enim multi, qui aſſerere conantur chaos in principio fuiſſe, id eſt informem indigeſtámque latentis naturæ cõgeriem, aceruo quodam magnitudinis ſuæ pèr ſe in ſe manentem: poſtea vero Deum hanc diremiſſe, ex eáque conſtituiſſe mundum pariter, & ornaſſe. Igitur ſi, vt volunt, Deus materiam, qua vſus eſt, non fecit, ſed æterna ſit, vt ipſe eſt, duo ſunt ergo principia, & quidem repugnantia: ac per hoc neceſſariò requirendum nobis erit, quid ſit fortius de duobus: illud, quod ſenſibile eſt, an quod caret ſenſu. Verum quis dubitet illud fortius eſſe quod ſentit, quod ſapit, quod cogitat, quod mouet, quod mouetur, quod mira prouidentia chaos ipſum, vt chaos non eſſet, effecit. quod eius membra diſcreuit, ratione diſpoſuit, coloribus decorauit, determinauit menſura, officiiſque competentibus ſeruire præcepit? Vnde non eſt principium, quod ſeneſcit: quod opus factũ eſt alienum: quod nõ eſt in ſua poſitum poteſtate: quod à ſua ſubſtantia tollitur: quod mutatur: quod alieno mouetur pulſu: quod quid ſit, quid fuerit, quid futurum ſit, non poteſt aliquando ſentire. Solus Deus eſt itaque principium, qui ex ſeipſo dedit ſibi ipſe principium. Solus ante omnia, & poſt omnia, quoniam in eius manu incluſa ſunt omnia, ex ſe eſt quod eſt. Solus ſui conſcius, quantus, & qualis eſt. Solus perfectus: quia non poteſt illi aliquid nec addi, nec minui. Solus omnipotens: quia ex nihilo vniuerſa conſtituit, virtute regit, maieſtate cuſtodit. Solus indemutabilis, ac ſemper æqualis: quia in ſe non admittit ætatem. Solus ſempiternus: quia immortalis eſt Dominus. Hic eſt Deus noſter, qui ſe digeſſit in Deum. Hic pater, qui ſuo manente integro ſtatu, totum ſe reciprocauit in filium, ne quid ſibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus ſancti plenitudine vna originali coæternitate renitens. Quemadmodum (ſi dicere dignum eſt, duo maria, quæ in ſemet recumbunt freto æſtus alternos in vnum conferente connexa, quæ licet ſui proprietate, locis, vocabuliſque diſcreta ſint: tamen trini profundi vaporis vna virtus, vna ſubſtantia, vna eſt fluẽdi natura: nec poteſt incõprehenſibilis, communiſque vndæ diuidi magnitudo, & tamen vtrunque commeãdo largiflua, vtriſque propria, nulli priuata: etenim dãnum patientur vbertatis, & gratiæ, ſi adimatur, quod vno eodémque æſtu alterum ex altero decoratur.

De Geneſi Sermo II.

NIhil eſt, fratres dilectiſſimi, ante omnia homini timenti Deum tam neceſſarium atque conueniẽs, quàm vt ſeipſum nouerit: etenim genus inſaniæ eſt eum rationẽ ſecreti naturæ diſquirere, qui vitæ ſuæ nõ poſſit reddere: non enim vllo pacto poteſt humanis opinionibus ſubſtantia naturæ comprehẽdi, quam nemo nouit, niſi ipſe ſolus, qui fecit. Itaque, quod ſpecialiter ad noſtras pertinet partes, videamus quid ſit, quod Deus ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtrã. Et, fecit inquit, Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei. Et alio loco dicat. Ego ſum qui ſum, & non demutor. Cũ hoe ita ſit, homo quemadmodum Dei imaginẽ portat? cuius vultus paſſibilis, omni conuerſioni ſubiectus, momẽtis om-A nibus demutatur labore, ętate, languore, ira, gaudio, triſtitudine, totque induat vultus, quot animi fuerint motus: nulluſq; prorſus dies, quo iugiter ſibi ſimilis eſſe videatur? Cum hæc aliter non ſint: ergo ne Dei imaginem non habemus? Habemus plane: & quidem manifeſtam ex eo ipſo, quod non eſt nobis portantibus nota. Incõprehenſibilis enim Dei imago inuiſibilis ſit neceſſe eſt Denique oculis non eſt ſubiecta carnalibus. Nam neq; cum ingreditur corpus noſtrum, neque cum de corpore egreditur, à quoquam deprehendi poteſt: tantumq, poteſtatis habet, vt, cum ſui domicilij ſepto teneatur, tamẽ quicquid voluerit, omnibus momentis illuſtret. Nõ ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere: ſed cœleſtis hominis ſpiritalem: quam in ſe credentibus Dominus ætherea natiuitate reuocatis plenitudinis ſuæ pio de fonte largitur, per Dominum noſtrũ B Ieſum Chriſtum.

De Geneſi Sermo III.

CArnalis mentis homines fratres dilectiſſimi ſcandalũ patiuntur non ſtudio noſcendæ, ſed fruſtrandæ veritatis, quoties Deus Dei filius, qui patris maxima eſt gloria, æqualis patri à catholieis prædicatur. Denique inde eſt, quod legis fundamenta tẽnentes verſuta diſputatione, prætermiſſo Deo de Deo exeunte, ad cõmunia humanitatis nomina, quæ poſſunt argumentis attingi patris, & filij feſtinãt: nec intelligunt, quia in exordio carminis ſacri Deus Deo ſua ſibi & diuinitate, & nomine cõparatus omnes humani ſenſus opinationes excludit: quippe cum dicit, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Nõ inquit, fac ad tuam, ſed ait, faciamus ad noſtram: ne quã filius hominem induturus pati videretur iniuriã. Videtis C ne fratres dilectiſſimi, quia nullus exerte hic alteri iubet: in opere nullus ocioſus eſt? ô ſancta æqualitas, ac ſibi ſoli digniſſima indiuiduæ deitatis. Vnus homo ad duorum imaginem, & ſimilitudinẽ fingitur nec tamen in eo quid cuius ſit, inuenitur. Si igitur in opere extraneo paritas ſacra diſtingui nõ poteſt, Deus in alio ſe inferior eſſe quẽadmodum poteſt? quicquid enim vni ex duobus indiſcrete in omnibus ſibimet ſimulãtibus detraxeris, cui detraxeris, neſcio. At ille, cui iubetur, eſt inquis, inferior. quid? quod inde nõ approbatur eſſe inferior: quia vnde proceſſit, paterni cordis eſt exultor: nõ enim minus eſt facere magna, quam dicere: quamuis & quod dictũ eſt à patre, vel dici poteſt, quia verbum eſt filius, ſine filio nõ eſt: & quod factũ eſt à filio, vel fieri poteſt, ſine dignatione paterna non eſt: quia filius ſine patre non eſt, ipſo dicente. Si non facio facta patris, nolite mihi credere: ſed ſi mihi credere non velitis, factis credire: & cognoſcite, D quoniam in me eſt pater, & ego in illo. Conſtat ergo æqualem eſſe, quod inuicem ſe capit cum Spiritu ſancto.

De Geneſi Sermo IIII.

In quo paucis additis quibuſdam mutatis continentur ea quæ in ſecundo.

NIhil eſt fratres dilectiſſimi ante omnia homini nato tam neceſſariũ atq, conueniẽs, quã vt ſeipſum nouerit: etenim genus inſaniæ eſt eũ rationem ſecreti naturæ diſquirere, qui vitæ ſuæ nõ poſſit reddere: nõ enim elemẽta pulchrius, aut verius verbis humanis aſſeri poſſunt, quã à Deo facta ſunt, vel videntur. Itaq; quod ad nos pertinet, videamus, quid ſit, quod Deus ait: Faciamus hominẽ ad imaginẽ, & ſimilitudinem

tudinem noſtram. Et, fecit, inquit, Deus hominē ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: & alio loco dicat, Ego A ſum qui ſum: & non demutor. Cum hoc ita ſit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? cuius vultus omni conuerſioni ſubiectus momentis omnibus immutatur labore, ætate, languore, gaudio triſtitudine: nunc macie deformis, nunc enormi pinguedine, vſque adeò incertus, vt idem in duobus per orbem totum non poſſit inueniri terrarum. Igitur in Deum cum hæc non incidant, Dei imaginem non habemus? Abſit fratres. Habemus planè, & quidem manifeſtam ex eo ipſo, quod non eſt portantibus nota: Incomprehenſibilis enim Dei imago inuiſibilis ſit neceſſe eſt. Denique oculis non eſt ſubiecta mortalibus: nam neque cum ingreditur corpus, neque cum de corpore egreditur, à quoquam conſpicari poteſt: tantúmque poteſtatis habet, vt cum B ſui domicilij ſepto teneatur, tamen quicquid voluerit, omnibus momentis illuſtret. Non ergo carnale hoc indumentum imaginem Dei debemus accipere, ſed cœleſtis hominis ſpiritalem: quam nobis plenitudinis ſuæ pio de fonte largitur. Quam rationem Paulus euidenter prodidit dicens: Quemadmodum portauimus imaginem eius, qui de limo eſt, portemus & eius imaginem, qui de cœlo eſt: quam qui ſanctè portauerint, ſicut Apoſtoli, omnéſque iuſti, non tantum imaginem, ſed ipſum Deum quoque portabunt: ſicut & ſcriptum eſt: Vos eſtis templum Dei: & ſpiritus Dei habitat in vobis.

De Abraham Sermo I.

C

ABRAHAM fratres dilectiſſimi quale diuinæ pietatis munus acceperit vetuſtæ legis geſta teſtantur. Sarra vxor eius non inferior, vitæ longæ tranſactis curſibus, qualem filium ediderit, partus effuſione percepit. Sed quia vtriſque ætas ademerat ſpem ſobolis, pignus ſuccidaneum meruerūt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus: extorſit credulitas, quod natura denegauerat. Abraham patriarcha noſter exploratus à Deo in ſenectute ſuſcepit vnicum filium, nihil tamen ſolicitum patri, cuius ætas in annis vergentibus in occaſus ſui terminum verſabatur, & educationis tempus anguſtum, & ſenectuti exitus iam vicinus. Ecce prima deuotio, libenter excipere, quod ſerò datur: & in triſtiſſima ſenectute ſuſcepta ſolicitudinis D mole gaudere: nam & riſit Sarra munus iuuentutis ſubiens in ſenecta: vnde nomen accepit infans: qui poſt hæc Abraham ſacratam Deo approbat mentem. Vnicus ille filius ſoliciti ſenis, adhuc paruulus, cui pietas, & miſeratio maior debetur, poſtulatur ad victimam: cui ſi per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas naſceretur, aut humanus exitus contingeret, vix in eius caſibus pater viuere potuiſſet, ſi annis teneris moreretur. Hic igitur infans è cuius vita paternus affectus, & maternus pendebat, ad explorationem fidei ſuæ diuina voce poſtulatur ad victimam. Volo, dixit Deus, mihi fieri ſacrificium Abraham tuis manibus in monte de filio tuo: hæc mihi victima placet: hoc me ſanguine deplacabis: iſte meis ſacris debetur, vnde immolari iam iubeo. Non E contriſtat frontem deuotiſſimus Abraham: nec dolor patri lacbrymas perſuaſit: ſed exultat, & gaudet. Nec timuit, ne parricidium ei imputaretur: ſed magis, vt deuotioni pareret, lætabatur hoc iuſſiſſe Deum. De filio hoſtia parabatur feſtina. Denique implere ſacrificium ne mora faciat peccatum, neceſſarijs ſacramentis protinus præparatur. Aſcenditur in montem. Omni myſterio, ſacrificióque diſpoſito, ductus filius gaudens, gaudente patre, patris dextera feriendus. Qui antequam veniret in montem, cum de patre quæreret, vbi eſſet victima, quam diſponeret, & immolaret, ſecurus de fide generis ſui pater filio, de quo nō dubitabat, patefecit, quia ſe Dominus poſtulaſſet: & quid ipſe Domino promiſiſſet, oſtendit. Lætatus eſt puer patre fideli, ipſe quoque fidelior: nec recuſabat mortem, quam Deus qui vitam dederat imperabat. Lætatur pater filio quoque gau- A dente: & cum gaudio vnici pignoris alligat manus: quas ille vinciendas libentius offert. Pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret: ſecurus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid hæreret in mortem. O fratres ſecura deuotio! O pater ſpiritum captans: corpus vero, mortémque contemnens! O, qui ſeruum Domini ita ſe eſſe meminerat, vt patrem ſe eſſe neſciret. Quid eſt pater: Ecce ſub oculis iacet filius vinculis aſtrictus. Vbi ſunt lachrymæ? vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit? In tantis filij caſibus lætatur, & gaudet: & ſe Dominum promeruiſſe triumphat. Accepit iam præmia, quæ meretur, diuina etenim explorationis tentamina porriguntur: exerit quidē ferrum, & armata dextera ſubleuat manum: ſed vox eius, B qui victimam poſtulauerat, contradicit. Reſpice retro, dixit Deus, & antequam reſpicias, parce. Ecce & meritum principale diuinam indulgentiam meruiſſe ſub caſibus: nam retro reſpiciens Abraham inuenit victimam, quam innocens immolaret. Eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat. A filio ad agnum trāſtulit dexteram ſemper lætatus, & gaudens. Nec mutatus eſt vultus eius, cum eſſet victima commutata. Cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium: vbi enim fides fuit, non erat dolor In illo ſacrificio ſolus Deus doluit: quia aliam victimam procurauit: nam Abraham cum filio ſic probatus à Deo eſt, vt non poſtulans miſericordiam meretur. Videamus fratres dilectiſſimi legis arcana: & intellectum altius proferamus. C Abraham ſub lege non erat ſed legem ſolus impleuit. Et qui nullo iure legis tenebatur, omne ius diuinum præcipuè cuſtodiuit: cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur. Aries hærebat in eruo implicitus ſpinis, capite obligatus. Hic eſt, qui pro Iſaac immolatus eſt Deo. Hunc obtulit Abraham: hunc iuſſus eſt immolare.

De Abraham Sermo II.

NON enim præcepta virginitas prouocatur, ſed nec continentia relicta repellitur. Ad cuius fidem cariſſimi auctorem habemus ſanctum videlicet Abraham: qui filium quidem D Iſaac habuit. Simplex quidem vocabulum: ſed multiplex pronunciatio. Hic namque cariſſimi deſperatus parentibus, ſed Deo promittente ſuſceptus in tranſactæ ætatis, & generantis genitalis flore conſumitur: non tam ex parentibus quàm diuina præceptione meruit procreari: atque ex intimis vitæ cubiculis Sarræ vterum filius aperto primo vocabulo, cui iam auiæ reuerentiam ſenectus verecunda detulerat. Sub hac igitur cariſſimi ſperationis natiuitate, & admiratione progenitus in primis infantiæ rudimentis iubenti, ac depoſcenti Deo innocens martyr offertur immaculata hoſtia: nec victima imparatus: qui teſtis diuini timoris ad fidem à Domino poſcitur à parente perducitur: ſed hoſtia non ſanguinis, ſed ſalutis. Ad hanc igitur gloriam tardi partus vbertas, E & fœcunditas deſperata profertur. Vxor Abrahæ fœtus neſcia cum viſceribus frigente ſenio, nec ſperare ſobolem poſſet, nec portare confideret matris ſuſcepit officia, quæ vxoria munera neſciebat. Atq; eo tempore partus profertur, quo calor genitalia iam relinquebat. Mira prorſus cariſſimi, & ſperanda ſeculis poſt futuris diuinæ ordinationis propago formata ad principium, ætas peracta reuocatur: accingitur de ſterilitate fœcunditas, vt impleretur: quod ſcriptum eſt per Prophetam, Exulta ſterilis, quæ non pariebas, Erumpe, & clama, quæ non parturis, quoniam multi filij deſertæ. Ecce enim cariſſimi in Sarra attractis ætate neruis, & deficiente ſanguinis ſucco, areſcentibus venis dura cum viſceribus cutis, deformis, ac luridus pallor iam pene vultus perdit humanos: nec vllus in membris voluptati motus: nihil in ſubſtantia reſederat corporis: ſed nihil tamen in vtero ne-

gabatur infanti: & cuius ætas auiam teſtaretur, matrem partus ornauit, cum ſub incerto affectionis vocabulo pietas nutaret: & cum filium proferret vterus, nepotem ſenectus optaret. Ita denique diſſenſione temporis, & naturæ contra opinionem nato angelus Iſaac nomen impoſuit: vt firmaret lætitia, quod ætatis imbecillitas deſperauit. Nouus ſanè parentum circa filium creſcit affectus: qui ex promiſſione certior, ex tarditate dulcior, ex deſperatione felicior putabatur. Vnicus numero, & in amoris ſoliditate iam primus totum maternæ pietatis occupauerat pectus: Feſtinata educatione nutritus, Deo victimam, parentibus pium parricidium præbiturus. Ecce cariſſimi, vt ait Apoſtolus, contra ſpem natum Abraham ad aram filium immolaturus Domino auctore perducit: nec deeſt ad miniſterium gladius: vt pariter, & ſacerdos. Conſimilis filij quoque eſt ex diuina voluntate ſecuritas: qui cum hoſtiam prouidet, cuius loco electus fuerat, requirebat, ſed traduntur teneræ adhuc vinculis manus: & ne quid minus ab hoſtia videretur, pedem ligatura deſtringit: ne incitata victima diſpliceret. Ceſſet itaq; hic cariſſimi impietatis abominanda ſuſpicio. Abraham Dominum filio: ſacerdotem prætulit patri: nec pium ſe credidit, niſi probaſſet fidelem. Deniq; cariſſimi intrepidus ad miniſterium immolationis armatur, firmatur ad ictum vulneris ſecurus animus: ſed ſecurior manus, elatus in immolandum gladius libratur: nec puerum mors vicina cõtriſtat: ne trepidatio fidem prodat infirmam. Sub hac denique immolantis immolandique conſtantia abſolui meruit, dum humanum ex ſe deponit timorem: & quantum ad fidem pertinet, pater promiſſa compleuit: Dominus parricidium probata voluntate prohibuit. Ad huius ergo perſonam Chriſti refertur verecunda natiuitas: ſed virginalis vteri aula ſecretior, diuini ſermonis arte formata in ſe tabeſcentis corporis vulua portauit. Sed in cœleſti prole, non ſemine progenitum certiſſimum Dominum impia Iudæorum exarſere conſilia: quem iacentem, tanquam obnoxium, & pro ipſorum tantummodo cæcitate mœrẽtem, vt Iſaac non periturum ad aram, ita ad crucem Chriſtum ſublimandum nefarij perduxerunt, ſed quia neſcit æternitas mori, aut Dominus poſt ſepulchrum, & ad Iudæos remanſit ſola damnatæ voluntatis inuidia, quia Dominum nec agnoſcere voluerunt: & ſola crediderunt cogitatione puniri, cum nefarium fuerit etiã tardius adorari. Ad cuius immanis auſi ſæuitiam metuenda elementorum forma mutatur: & Dei iniuriam prius, prodit natura, quam intelligat populus Iudæorum. Ab auctore itaque cœpit furoris horror. Accingitur turba feralis: & ad inuiſibilem ſuſpenſum gladiorum mucro connectitur. Nec inde, vt dixi, ſceleris crudelitas fructum ſortita eſt: quia ſicut in Iſaac aliud offertur, & aliud immolatur, ita & in paſſione Chriſti, quod per Adam deliquerat, per Chriſtum liberatur.

De Abraham Sermo III.

ABRAHAM, vt pater eſſet multarum gẽtium, hic iuſtitiam non didicit, ſed genuit. Non illum acceſſus infecerat vrbium, cuius conuerſatio lex fuit. Audit imperatũ ſibi à Deo exilium, vt cognationem ſuam ſimul dimiſiſſet, & terram. Et tunc Abraham reſpiciens oculis vidit tres: cucurrit, adorat, proſtratus in faciem offert hoſtiam. Refrigerate vos, inquit, ſub iſta arbore magna, ſimilaginem conſpargit: vitulum laniat. Poſt hæc promittitur ei de legitimo matrimonio filius de fide, non de ætate. Concipit Sarra: portat ſine labore vteri ſarcinam quæ iam ambulare non poterat, tunc diſcit mater eſſe, cum deſinit. Marcidæ mammæ lactis vbertatem oſtendunt: & de ieiuna ætate puer robuſtior ſaginatur. Nihil difficile eſt fidei: quæ tantum habet, quantum credit. Igitur Iſaac vnicus filius, ſpes populorum, & gentium origo tot rerum cari genitoris amplexibus inhærebat. Strinxerat in ſe patris pietatem, quod vnicus; quod ſero, quod promiſſus, quod **A** ſola vnica ſpes totius præteritæ ſterilitatis damna ſarciret. Inuenta eſt cauſa, vbi Abrahæ fides tentatione fortior militaret. Cariſſimi membra, quæ oſculis præmere conſueuerant, armatus gladio iubetur occidere. Quid faceret pietas? Præceptum differri non poteſt, præſtiterat mater cum ſterilis eſſes, ad gladium naſcitur puer. Talem caſum nemo doluit, niſi que genuerat mater. Nemo plangit viuas exequias: & innocentis hominis obſequium nemo ante fletibus rigat: ne pater dubitaſſe videretur, ſi fleſſet. Deuotus ſic ſtricto vultu puerum ducit ad aram, reprimit gladium medium, pectus fidei militabat, non palleſcit vultus: non contremuit manus. Quærit puer, vbi ſit victima: * quæ, mox ita ne percuteret, tenera ætas oſtendit, quod nec pater ferire poſſet: quia nec Dominus humanum ſanguinem poſtularet. *al. quem.* **B** Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat quod leuauit. Dei fuit, quod pepercit. Nec qui feriebatur timuit: nec qui feriebat, expauit. Sacrificium Domini nõ dimittitur, ſed mutatur. Melius ſeruauit filium, dum non pepercit: Sola enim fides deambulat inter gladios tuta, inter eſurientes feras amica, in ignibus frigida, ſola fides prætextẽda, id eſt operibus ornata, qualis fuit Abrahæ. Hac nos, qui per fidem filij Abrahæ facti ſumus, in ipſius gremium peruenire credamus.

Sermo de ſomnio Iacob.

VERE fratres cariſſimi cor eius non dormit, qui huius ſomnium ſecretáque cognoſcit: **C** propheta etenim ſemper figuris variantibus loquitur: ſed res vna in omnibus inuenitur. Igitur Iacob habet imaginem Chriſti: ſed & lapis ipſe, quem ad caput ſuum poſuiſſe cognoſcitur: quoniam caput viri Chriſtus: quia aliquoties lapis eſt nuncupatus. Scala autem duo teſtamenta ſignificat; quæ & euangelicis intexta præceptis credentes homines; voluntatemque Dei facientes quaſi per quoſdam obſeruantiæ gradus in cœlum leuare conſueuerunt. Hanc in Apocalypſi Ioannes bis acutum gladium cum vno capulo nuncupauit: quem ex ore Domini prodire deſcribit. Gladius enim Spiritus ſanctus eſt vnum capulum habens, id eſt vnam ſubſtantiam, virtutem, deitatem, maieſtatem, voluntatẽmque patris, & filij: conteſtans duas acies: id eſt, **D** duo teſtamenta gerens: quorum regalibus monitis & creduli deuotique ſeruantur: & increduli deſertoréſq; puniuntur. Hanc Iſaias in modum forcipis vidit: quibus ad conflanda labia inquinata ab vno de Seraphim ex ara Dei ſublatum carbonem vaticinando perhibuit: Etenim labia inquinata duos populos Iudæorum, gentiúmque debemus accipere: qui cum eſſent anterioris vitæ facinoribus inquinati; vnus Chriſtum blaſphemando, atq; perſequendo, alius Deos aſſerendo, atque abominanda figmenta colendo, tactu carbonis in vnum populum per confeſſionem nominis Chriſti noſcuntur eſſe conflati. Etenim conflatio & puritatem deſignat, & vnitatem. Carbo enim verbum Dei eſt: ara lex: forceps duo teſtamenta: quæ credentes tenent, non credentes incidunt. **E** Sed & Dauid hunc calamum nuncupauit dicens, Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Calamus fiſſus eſt, fratres: duóſque vertices gerit in vnius acuminis tenuitate digeſtos, vnam literam vtróq; conficiens: cui ſi vnum adimas, alterius inanis eſt vſus. Vnde recte teſtamenta ſunt duo; quæ ſimiliter duobus capitibus vnam literam fingunt, id eſt, ſacræ legis duobus edictis vnum Chriſtum Dei filium ſpiritali temperamento conſcribunt. Quæ ſine ſe vtilia eſſe non poſſunt: quia veteri ſicut nouum præſtat fidem, ita nouo vetus perhibet teſtimonium: ſicut ſcriptum eſt, Semel locutus eſt Dominus: & hæc duo audiuimus. Sed & Dominus ipſe in euangelio hanc exprimit rationem, dicens ad Petrum, mitte hamum in mare: & piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inueniens duos denarios, da

pro

Digitized by Google

pro me, & te. Piſcem primum à mortuis aſcendentem Chriſtum debemus accipere: cuius ex ore duo denarij, id eſt duo teſtamenta prolata ſunt: quæ ſaluti cum Domini gloria, & Petri felicitate, vtpote ſuper quem ædificauit Eccleſiam, duobus populis profecerunt. Mare autem mundum ſignificaſſe non dubium eſt. Hamum vero prædicationē: quia ſicut hamus miſſus in mare mortem piſcis oſtendit, ita euangelica prædicatio miſſa per mundum, mortem Domini, aduentúmque teſtatur: ſicut ad Corinthios ſcriptum eſt, Annunciabitis mortem Domini, donec veniat. Aperies os piſcis, hoc eſt ſacramentum: vel, quæ in prouerbijs locutus ſum, non intelligentibus explanabis. Denique hoc alibi manifeſtius ad omnes diſcipulos ait, Ite ergo, & docete omnes gentes, intingētes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque præcepi vobis. Dabis autem pro me, & pro te, hoc eſt meam prædicabis crucem, ſed & tu crucis tuæ ſimiliter dignitate gaudebis. Igitur hæc ſcala cuius eſſet materiæ, in qua Dominus incumbebat, ex Dauid dicto cognoſcimus: qui ait, Virga tua, & baculus tuus ipſa me cōſolata ſunt. Virga, & baculus duo ſunt vtique teſtamenta: quæ ideò materiæ ligni ſunt comparata, ſiue quod in eius vſu, & perpetuo, & totius maneat teſtatoris voluntas inſcripta: ſeu quod quaſi ex tranſuerſo in vnam fidem concurrentia crucifigi habuiſſe Dei filium nunciabat: quem confirmat in ſcala rectiſſime poſitum: quia hiſtoria totius ſcripturæ & propter ipſum, & auctorem per ipſum impleta eſt. Denique ſic ad diſcipulos ait, Omnis ſcriba doctus de regno cælorum ſimilis eſt patrifamilias proferēti de theſauris ſuis noua & vetera. Scriba fratres, eſt prædicator: paterfamilias Chriſtus: theſauri eius indeminutæ deitatis paterna ſubſtantia, paternáque voluntas: noua & vetera duo teſtamēta: quæ videtis rectè eadem ſine ambiguitate à Domino hic quoque duorum denariorum eſſe figura veſtita, hac videlicet ratione, quia in theſauris ſuis duos denarios intelligi voluit nouitate, & vetuſtate duo teſtamenta. Hos duos denarios à Samaritano ſtabulario pro eo, qui à latronibus aggreſſurā paſſus fuerat, Dominus datos eſſe commemorat, quæ parabola ſublata dubitatione ſcalæ ſacramentum ſpiritaliter intuentibus patefecit: homo enim aggreſſuram paſſus Adam eſſe cognoſcitur: latrones diabolus: Eua concupiſcentia: Samaritanus Dominus, cui Iudæi dicebant, Hic Samaritanus eſt, & dæmonium habet: ſtabularius doctor eſt legis, qui acceptis duobus denarijs, id eſt, duorum teſtamentorum ſalutaribus monitis aggreſſuram hominem paſſum latrocinio diaboli, angelorumq; eius, & huius mundi, in ſtabulo, id eſt in Eccleſia, quo pecora diuina ſuccedunt, venerabili ſacramento ſuſceptū quotidianis prædicationum medicaminibus curat. Quod autem ait, Angelos aſcendentes, & deſcendentes, aliqui putant aſcendentes eſſe angelos lucis, deſcendentes vero angelos tenebrarum. Sed hoc ſatis abſurdum eſſe, & inconueniens fratres cariſſimi aduerto: quia neque refugæ deſcendunt: qui poſt peccatum in cælum nunquā recepti noſcuntur: neque lucis aſcendunt: quia nunquā in terris, ſed ſemper in cælo manſerunt. Vnde angelos puto rectè homines appellatos: quibus Dominus ſanctum per Spiritum dicit, Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini. Sed & de Ioanne Baptiſta ſic dictum eſſe meminimus. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam. Ergo manifeſtum eſt, prophetiæ more angelos homines iuſtos, & iniuſtos generaliter dictos. Sed aſcendentes, & deſcendentes, qui ſint, in exēplis agnoſcimus. Deſcendentes ſunt: qui ſeculo renunciantes rurſus reuertuntur ad ſeculum: de quibus Dominus ait, Nemo retro attendens, & ſupponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei. Et iterum, Mementote vxoris Lot. Sed & Apoſtolus ſic, quemadmodum reuertimini rurſus ad ea, quæ infirma, & egena ſunt elementa. Aſcendentes vero ſunt iuſti: qui probis moribus per

A gradus diuinorum obſeruantiæ præceptorum quotidie ſpiritalis itineris gloria feruntur in cœlum: Quos Apoſtolus Paulus exhortatur, & monſtrat dicens, Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite: vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Poſſumus & ſic fratres intelligere, hoc de miniſtris, & de angelis dictum quos Domino, cum eſſet in terris, feciſſe inuenimus officium, ipſo dicente, Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis, ſicut & factum eſt, Euangeliſta dicente, Tunc reliquit eum diabolus & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Vnde dubium non eſt, vnum eſſe iter aërei culminis angelis lucis, & hominibus iuſtis. Hæc igitur omnia combinata vnius fructus rediguntur in ſummam: quoniam vniuerſa quamuis gemina eſſe noſcantur, tamen vna radice funduntur. Te-

B ſtamenta ſunt duo, ſed teſtator eſt vnus. Et ſcribens canna diuiſa eſt, ſed vnus calamus. Et forfex in duos producitur cultros, ſed eorum vnus eſt morſus. Et gladius duas acies gerit, ſed ſunt vnius corporis latera. Et denarij ſunt duo, ſed vna moneta ſignati. Et ſcala duos ſcapos habet, & gradus plurimos, ſed eius aſcenſus eſt vnus. Gradus autem eius, fratres dilectiſſimi, ſi vultis ſcire, quid vocētur, audite. Conuerſio, audientia, intellectus, credulitas, timor, ſapientia, ſobrietas, manſuetudo, temperantia, caſtitas, pietas, charitas, fides, veritas, humilitas, gratia, honeſtas, verecundia, patientia, perſeuerantia, conſummatio. Scaporum nomina duo teſtamenta. Scala autem proprio nomine crux vocatur: quia per ipſam Dominus Ieſus Chriſtus * myſteria vniuerſa conficiens, al. miniſteria.

C & concludens, patri & Adam reportauit, & iter ad cœlum omnibus ſe ſequentibus patefecit.

Sermo de Iuda.

IVDAS tres liberos habuit, Her, Onan, Sela. Hic mulierem, cuius nomen eſt Thamar, accepit vxorem maiori filio ſuo. Qui filius cum malignè Domini ante faciem verſaretur, ſcriptura teſte, à Deo perhibetur occiſus. Secundo imperat, vt intret ad fratris vxorem, ac ſemen excitet fratris: qui ingreſſus ſemen ſuum fudit in terram. Quod cum Deo malignum quoque videretur, pari eum morte damnauit. Coniunctionem autem tertij filij apud nurum per

D ætatem excuſat. deterretur, ne etiam ipſe ſimiliter moreretur: præcepitque mulieri, vt in domo patris ſui vidua permanens nuptias maturas expectet. Cum res ſic ſe haberet, eius vxor moritur. Qui conſolatus cum ad oues tondendas pergeret ſuas, atque hoc Thamari nunciaretur, quæ Sela viderat maturum, ei nec tamen nupſerat, veſtem viduitatis exponit: æſtiualia induit ſemet decore componit: locóque conſtituit, Iudas quà fuerat tranſiturus. At ille viſam muliérem fornicariam putat: quæ pudoris integritatem, faciem velando monſtrabat. Interpellat eam, poſcit ingreſſum, miſſurum ſe promittit hædum. At illa promiſſi expetit pignus, magis illo contenta, quàm præmio. Accepitque ab eo eius monile anulum, virgam. Cúmque negotio confecto, conceptu

E ſignata, quem veræ fornicariæ habent peroſum, ac ſemper vitant, viduitatis veſtem rurſus accepit. Interea ſecundum condictum hædus mittitur, fornicaria quæritur: nulláque ibidem vnquam fuiſſe ab incolis renunciatur. Ad Thamaris noſtræ cum proceſſu temporis procedit & venter. Mirum profecto videre myſterium, quæ celauerat faciem, non celat ventrem. defertur fornicationis rea ſine labore accuſatoris vidua prægnans. Iraſcitur ſocer, eam produci iubet: atque incendio concremari. At illa conſtanter adeſt: ſibi quæ non impudicitiæ, ſed futuri ſcilicet iudicij negotium procurauerat: dicitque ei ſe debere conceptum, cuius monile, anulum teneret, & virgam. Quare cognita Iudas non tantum ab ea ſe refrænauit: ſed inſuper eam & iuſtificauit. Iudas quantum intelligi datur, ex parte prophetarum, ex parte

patriarcharum, patrúmque typus erat: qui ob iuſtitiam Dei omnes bomines filios computabant. Igitur Her A primitiuus filius eſt populus, id eſt ἠμιάθεοι omnes potentiſſimi, & reges: qui ferocitate virtutis, ac libidinis rabie digladiantes omnem orbem corruperant terrarum: inſuper decernentes ſibimet ipſis pro domibus templa, erigentes aras nomini ſuo: qui quæ eſſent habitura ſepulchra, neſcirent: cœlum promittentes ſibi, pro quorum actibus, ſi poſſet, ipſa quoque erubeſceret terra: poſtremo deos eſſe aduerſus Deum aſſerentes: qui ſanæ mentis hominibus ne hominum quidem vocabulo digni iudicarentur. Pro quibus cauſis à Deo non tantum ſunt diſperditi, ſed etiam perpetuo pœnali ſupplicio deſtinati. Onam autem ſecundus frater Iudaïcus eſt populus: cui præcipitur, vt ſemen excitet fratris, non vtique illud, quod à Deo damnatum iure videbatur, ſed B vt reliquas nationes, quas idololatriæ, de qua diximus, diſſeminatæ venena confecerant, ad Dei cultum bonæ vitæ exemplis, ſacræque legis religioſis exhortationibus excitaret. At ille ſemen ſuum fudit in terram. Semen ſignificat non creaturæ, ſed cordis. Etenim ſemen cordis verbum eſt Dei, Κατὰ Lucam Domino ſic dicente. Eſt autem hæc parabola. Semen eſt verbum Dei. Qui autem iuxta viam ſunt: hi ſunt, qui audiunt verbum. & venit diabolus, & tollit de corde verbum illorum, ne credentes ſalui fiant. Terra vero bominem, idolúmque ſignificat: quia & bominem Deus de terra finxit, & homo idolum de terra compoſuit. Semen ergo ſuum fudit in terram, hoc eſt, Dei mandata neglexit, & idolis profudit: propter quod à Deo ſimiliter etiam ipſe præſentem C ſententiam damnationis excepit: quia ſicut eſt deteſtabilis, qui cum ſit homo, Deum ſe fingit, ita deteſtabilior, qui Deum colit, quem ipſe diſpoſuit. Sela autem prædictorum tertius frater minor ex gentibus venientis nouelli populi imaginem depingebat: Thamar Eccleſiæ: quæ ei rectè nupta non eſt: quia Chriſto veniente baptiſmatis ſpiritali vnda in gremio renatus Eccleſiæ filius eius futurus fuerat, non maritus. Iudas amittit vxorem, id eſt ſynagogæ fides moritur. Quod autem inquit, conſolatus eſt, vtique intelligitur ſpe Chriſti venientis: qui non tantum prophetis ſynagogæ lapſu deſolatis ſolatium præbuit, ſed etiam nos omnes in aliqua conſtitutos anguſtia recreare conſueuit. Ad oues ſuas tondendas pergit, id eſt ab hominibus iuſtis bonorum operum D fructus expoſcit. Quo audito, Thamar cum eſſet in domo patris ſui, id eſt in templis, infamibúſque ſpectaculorum omnium locis: pater enim omnium corrupte viuentium diabolus deſignatur, Domino Iudæos ſic increpante: Vos de diabolo patre eſtis, & concupiſcentias patris veſtri facere vultis: veſtem viduitatis depoſuit, id eſt ſordidæ religionis ſordidos ritus abiecit. Æſtiualia induit. Æſtiua veſtis fratres, & munda eſt, & exacta: cum qua facile & opus fieri poſſit, & tolerari ardor æſtatis, id eſt tentationis: quam eſſe vtique credulitatem non poteſt dubitari: quia hanc, qui habuerit, neceſſe eſt, vt expeditè viuat, & mundè. Igitur ne cognoſcatur, faciem velamine obſcurat neceſſario, quia aſſertor pudoris eius nondum venerat Chriſtus. Non cognoſ- E citur à ſocero: ad Iudæos enim, non ad gentes prophetæ fuerant deſtinati. Fornicariam putat: rectè, quia deorum populo ſeruiebat. Cum ea conuenire cupit: quia prophetiæ magis gentes, quam Iudæi fuerant credituri, Domino dicente, Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedunt vos in regno Dei. Hædum ei promittit, id eſt, quæ ſit peccatori peccati merces, oſtendit. Quam accipere deuitauit: quia inter agnos venturo tempore, non inter hædos deputatur, qui pignus Trinitatis acceperit. Denique expetiſſe, atque accepiſſe deſcribitur monile, anulum, virgam: quibus iſta ſignificatio coaptatur. Monile fratres dilectiſſimi lex eſt: quæ ſalutaribus monitis, diuerſis virtutibus, diuerſóque chariſmate omnium credentium non collo, ſed corda decorare conſueuit. Virga per lignum ſacramentum paſſionis Domini annunciabat: ſicut euidens declarat ex- A emplum: quod pſalmorum in libro ſic habetur; Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in cōſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. Impingaſti in oleo caput meū: & poculum tuum inebriās quàm præclarum. Vtique fratres calix ſanguinem, menſa corpus, oleum donum Spiritus ſancti ſignificat: virga cum baculo crucem, in qua Deus pro homine pendere dignatus eſt: vt in Deum hominem, quem induerat, cōmutaret. Anulus quoque ſignaculum fidei eſt: quod eſt Chriſtus, cuius illuſtratione maieſtatis impreſſi, atque ſignati, qua ſincerè vtuentes in cuſtodiam noſtræ ſalutis per Spiritum ſanctum imaginem referimus, quam tenemus. Quod cum ea conuenit, communionis ſanctæ ſignificat ſacramentum. Thamar concepit in vtero: Ec- B cleſia corde concepit. Illa ſemine: hæc verbo. Hædus ei mittitur, tentationis videlicet ſignum: etenim iuſtitiam, qui ſequitur, neceſſe eſt, vt probetur. Denique fornicaria requiſita non eſt inuenta: quia renatus per aquam, & Spiritum ſanctum deſinit eſſe, quod fuerat: & incipit eſſe, quod non erat. Sequitur, quod viduitatis veſtem rurſus accepit, non vtique vt, quæ fecerat, faceret, ſed vt defleret ſe feciſſe, quod fecerat: aliter etenim quis ſaluus eſſe non poterit, quamuis ſit iuſtus, niſi ἐξομολόγησιν faciens & præſentia ſua peccata extinguat, & futura repellat. Thamar arguitur, quod de fornicatione conceperit. Et Eccleſia quaſi legis adultera Iudæorum eſt à ſenioribus accuſata, quod ſabbatum ruperit: quod eorum traditiones abiecerit. Thamar protulit monile, anu- C lum, virgam: ſéque liberauit ſacramento numeri ab imminenti ſupplicio. Eccleſia ipſa veritate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non tantum diaboli præſentes ignes extinguit, ſed etiam futuri diei iudicij incēdia ſuperabit. Illa iuſtificata diſceſſit: hæc glorificata veri numeri incrementis, ac fidei cum Chriſto in æterna ſecula permanebit per Dominum, & conſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum: qui eſt benedictus cum Patre & Spiritu ſancto ante ſecula, & in ſeculis, & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

De Exodo Sermo I.

SACRAM legem qui ſpiritaliter accipit, fratres, D iſte eſt qui eius fructu lactatur: Iudæi etenim cum carnaliter ſentiunt, in gregibúſque pecuinis agnum bifaria natura commiſſum, qui inueniri non poteſt, quærunt, ſic agnum verum Chriſtum, quem inuenerant, perdiderunt: non enim intellexere, quia ex hædis humana deſignabatur caro ſuis onuſta peccatis: ex ouibus ſpiritus maieſtatis: quæ vtráque in Chriſto concreta agnum legitimum præſtiterunt. Hic eſt agnus, fratres, de quo † lætari Paſcha eſt Domini. Apoſtolus *al. litare.* quoque Paulus Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Cur autem dignatus fuerit immolari, Ioannes Baptiſta ante prædicauit his verbis, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic itaque dictus eſt primitiuus quia paternæ antiquitatis ſolus eſt conſcius. Hic maturus, quia poſt ipſum eſt nullus. Hic ſempiternus, quia oc- E ciſus eſt, & inuentus eſt viuus. Hic immaculatus à peccato, quia ſolus eſt mundus. Hic ſalutaris, quia per ipſum vincimus mortem. Hic maſculus, quia Dei eſt virtus. Hic, inquam, agnus perfectus, quia in ipſo magnus ille ſacerdos pio myſterio ſua victima incluſus hodie Deum reddidit hominem, quem litauit

De Exodo Sermo II.

TEMPVS non ſinit, fratres, imagini reddere veritatem. Veruntamen Iudæe quid monumentis tui criminis gratularis? In Ægypto ſeruiſti diu non ſorte peregrini, ſed merito. Ereptus es inde: non tua euaſiſti virtute. Columna nubis te perduxit per diem vt oſtenderet cæcum: Ignis columna per noctem, vt admoneret

moneret arſurum. Angelus præuius tua caſtra promouit vt etiam præſenti. Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulaſti, vt patereris in terra naufragium. Ad hoc ſanè in eremo aquam de petra bibiſti: manna de cœlo guſtaſti, vt cum eſſes ad egeſtatem poſtmodum deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.

De Exodo Sermo III.

MIra, fratres cariſſimi, hiſtoriæ ſacræ ſic eſt prælecta narratio. Cum Iſraëlis populus in ortu captiuitatis iugo depreſſus, à rege Pharaone duris conditionibus in Ægypto necaretur; miſeratione Dei, duce Moyſe, iuſſus eſt proficiſci. Huic non circulus ſolis per diem, ſed columna nubis: non candida luna, ſed ignis columna per noctem iter pandebat ignotum: qui vt inter duo elementa peruenit, ibidem præſentariæ exitum mortis expauit: hinc enim perſequentium Ægyptiorum infeſtis mucronib. premebatur: inde maris magno clauſus obice premebatur. Etenim illi nullæ inerant naues, nulla transfretandi præſidia, cum ſubito diuina prouidentia ſcinditur mare: aquæ dextera, læuáque gelido ſtupore frænatæ vitreos dirigũtur in muros præſtolantes tranſitum Dei populi, vt perſequentibus mare ſint. Inducitur in viam Iſraël ingratus: in qua nec gladios poſſit timere, nec fluctus. Mira res: medio puluerulentus exultat in profundo: quia circa ſe videret feliciter triumphum ſuum perire naufragio. Hæc Iudæus prædicat fratres: & tamen Deo demens adhuc vſque non credit: qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE EXODO SERMO IIII.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis, continentur ea, quæ in ſecundo.

TEmpvs non finit imagini reddere veritatem. Veruntamen, Iudæe, deſignatione tui criminis gratularis? In Ægypto ſeruiſti diu non neceſſitate, ſed merito. Ereptus es inde, non tua euaſiſti virtute. Columna nubis te deduxit per diem: vt oſtenderet cæcum: Ignis columna per noctem: D vt ſignificaret arſurũ. Angelus tua caſtra præcedit: necubi crimen excuſes. Per mare ambulas: veloces pedes tuos ad effundendum ſanguinem dextra læuáque in ſe refugiens vnda teſtatur. Denique eremo exciperis: quò te nunc perueniſſe cognoſcis. Vbi ſanè ad hoc aquam de petra bibiſti: manna de cœlo guſtaſti, vt ſcires miſer, quid fueras perditurus.

De Exodo Sermo V.

SIcvt lectio diuina teſtatur, in Ægypto à Pharaone, populóque eius Iſraël Dei populus captiuatus ingenti iugo accertimè premebatur. Hunc Deus præcipit proficiſci duce Moyſe videlicet & Aarõ, E iter demõſtrante nubis columna per diem, eadem ignis quoque per noctem. Finditur mare: & dextera, læuáque in abruptum digeſtis agetibus ſtupens vnda ſolidatur. Dei populus nauigat plantis. Mira res. Iter eius barbaris vehementer vrgentibus nec eques poteſt ſequi, nec nauis. Maria cum mulieribus tympanum quatit. Hymnus canitur. Dei populus liberatur: reſolutiſque vndis via cum perſecutore deletur. Quantum ſpiritaliter intelligi datur, Ægyptus mundus eſt iſte. Pharao cum populo ſuo diabolus, & ſpiritus omnis iniquitatis. Iſraël populus Chriſtianus: qui proficiſci iubetur, vt ad futura contendat. Moyſes, & Aaron per id, quod erant, ſacerdotium: per ſuum numerum, demonſtrabant duorum teſtamentorum ſacramentum. Columna viam demonſtrans Chriſtus eſt Dominus. Quod duplicem nubis, & ignis imaginem gerit, iudicia duo deſignat, vnum A aquæ, quod geſtum eſt, ignis alterum, quod futurum. Mare fontem ſacrum debemus accipere? in quo quibus aquis Dei ſerui liberantur, iiſdem, qui non fugiunt, ſed portant peccata, delentur. Maria quæ cum mulieribus tympanum quatit, typus Eccleſiæ fuit: quæ cum omnibus Eccleſiis, quas peperit, hymnum canens, & pectoris verum tympanum quatiens populum Chriſtianum ducit non in eremum, ſed ad cœlum.

DE EXODO SERMO VI.

De Iudæis.

IVdæi, vnde ſe beatos putant, infelices inde eſſe noſcuntur: etenim commodius puto B miſero in ſtatu ſuo manenti, quàm beato in vltimas miſerias deuoluto: nam prædicat patres ſuos Ægyptium populum fugiendo deleſſe: Deum ſuis præfuiſſe maioribus: eorúmque iter præceſſiſſe, non intelligentes, quia exinde eos à facie ſua remotos poſt ſuum dorſum cum poſt futuris abiecerat: Erythræum quoque in geminas ripas medium ſciſſum mare, ductiſque dextera, læuáque aggeribus, in aciem ſtipatis vndarum ſaluo liquore, arefactam profundi in ſemet contra ſe obnixam, ſtupidam pependiſſe naturam: viam inter fluctus miſcuiſſe terrenam: quæ vtique non cœleſtis populi meritum, ſed terreni per orbem totum diſperſionis futuræ denunciabat exitium. Ideo eos in eremum inde perduxit: vulneráque deteſtabilis mentis curanda C lacte cum melle prouidendo commonuit: Nam infirmis, ac languidis mannæ teneritudinem irrorauit: Non enim erant idonei, aut digni, qui cœleſtis panis perpetua ſoliditate fruerentur, Petra illis ſcaturiuit in fontem: vt biberent detritis lacunis, vt merebantur, cœnulentum poſtmodum laticem, Domino dicente; Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt ſibi lacus detritos, qui nõ poſſunt aquam portare. Poſtremo infelices quid ſperant de imagine, cuius noſſe non ſunt meriti veritatem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

DE EXODO SERMO VII.

De Iudæis.

PHarisævs quemadmodum legitimum Paſcha poſſit celebrare, non video: cuius eminens, famoſúmque illud templum miſerabili vaſtatione campis æquatum ſuo puluere iacet ſepultum. Sacerdotalis cathedra peſtilentiæ cultorum ſuorum ſacrilegio iure deleta eſt. Exinanitum cornu Iam non ſpirat vnguenta. Dies feſtos in luctum, & cantica eius in lamentationem conuerſa prophetæ teſtantur. Tauros, arietes, hircos, & agnos à Domino ſæpe reprobatos acceperũt. Quid vltra? Non poteſt, fratres, vllum celebrare myſterium, cuius ſacrificium diuina ſententia aduertitis eſſe damnatum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: qui eſt benedictus cum Patre, & Spiritu ſancto in omnia ſæcula ſæculorum.

DE EXODO SERMO VIII.

In quo paucis additis de Iudæis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in præcedenti, & in primo.

IVdævs legitimum gerere ſe paſcha contendit: cui nihil aliud de veteri ſacramento, quàm inanibus intexta ſuſpirijs fabula remanſit. Denique regium illud templum campis æquatum iacet. Altaria Dei eius ſubuerſa manu cum ſuis ſibi ſacrificijs ſparſa in puluerem vanuerunt. Sacerdotalis cathedra peſtilentiæ

ſtro nomine deleta eſt. Agnus ſalutaris, qui deſignatur ex ouibus, & ex hædis, inter pecora non poteſt inueni- A ri. Dies feſti eius, & cantica ſecundum Dei vocem in planctum, & luctum profecerunt. Superba illa ciuitas ſeruit. Sanè ouium greges infinitos interficit: quos in amaritudine aſſumit. Quis non intelligat, fratres, illud paſcha non eſſe, ſed bramoſum latronis cruenti conuiuium?

DE EXODO SERMO IX.

De Iudæis.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in præcedenti, & in primo.

PHARISSÆS agere ſe legitimum paſcha con- B tendunt: qui cum templo ſummo, vt putabatur, ſummum ſacerdotium perdiderunt: regalis vnguenti cornu priuati ſunt. Circumciſio teſtimonium mentis impuræ iam, iámque illis imminere ſupplicium denotati vulneris inflictu minatur. Omne genus pecudum ſuo ſibi ſacrificio reprobatur. Ieiunia eorum, dies feſti, omniſque ſolennitas abominatio eſt apud Deum. Cum hæc ita ſint, à quibus, quomodo, vnde paſcha celebratur? Adde, quòd agnum legitimum ſuo vitio, quem inuenerant, perdiderunt: quem ſcriptura deſignabat ex ouibus, & hædis. Ex hædis vnque, propter peccatricis indumentum carnis: Ex ouibus, propter ſpiritum maieſtatis. Qui primitiuus eſt dictus, quia præter patrem, cui etiam coæternus eſt diuinitate cum Spi- C ritu ſancto, ante ipſum nullus eſt primus. Maturus, quia æternus eſt. Perfectus, quia Dei virtus, Deique ſapientia eſt. Immaculatus, quia peccatum non habet ſolus. Salutaris, quia mortem mutauit in vitam: propter nos qui eſt occiſus, & viuit: ſepultus, & reſurrexit: homo æſtimatus eſt, & inuentus eſt Deus glorioſus in ſæcula ſæculorum.

DE EXODO SERMO X.

De Iudæis.

SI Iudæi vacuatæ imaginis recordatione gloriantur quanto magis Chriſtianus: in quo non eſt D figura, ſed veritas? Quem ex rebus ipſis agnoſcite pariter, & probate. Iudæi maiores ſuos Pharaonis, exercitúſque eius graui ſeruitutis iugo depreſſos de Ægypto prædicant liberatos. A diaboli rabie, idolorúmque turba violenta non tantum noſtri maiores, ſed omnis Chriſtiana progenies de vero Ægypto, id eſt de iſto mũdo ſemper momentis omnibus liberatur. Illis ducatum Moyſes præbuit: dux noſter Chriſtus eſt Dominus. Illis columna nubis, atque ignis viam demonſtrauit: nobis teſtamenti veteris, ac noui clariſſima oracula viam, & verum Chriſtum Dominum prodiderunt: qui ait, Ego ſum via, & veritas. Illorum profugus populus per mare rubrum dextera, læuáque vndarum ſtupentibus rupibus pede ſicco tranſiuit: at noſtrum mare, quos voluntarios E ſuſcipit, feliciter naufragos facit: intermenſque vniuerſa peccata genitali vnda ſubmergit: vt cœleſtes effecti terram deſiderare non norint. Denique illi poſt mare ad eremum peruenerunt: nos poſt baptiſmum ad paradiſum peruenimus. Illis irrorata eſt eſurientibus manna: non autem eſurire non poſſimus ſempiternam: qui cœleſtis panis nobiſcum portamus annonam. Illis ſitiẽtibus petra fluxit in poculum: ad Chriſti fontem qui biberit, in æternum ſitire non nouit. Illis in deſerto ſuauitas lactis, & mellis exhibita eſt: nobis verò, quod plus eſt melle dulcior, ac lacte candidior, æternæ vitæ beatitudo Dei tribuetur in regno.

DE EXODO SERMO XI.

De Iudæis.

QVID tumet Phariſæus inanis, quem momẽti prætenta delectat vmbra? Exultat, quod in Ægypto creuerit: ſi in originali decreuit ſolo. Quod captiuitatis ſit nexibus exolutus: ſed eſt nunc vſque barbarici furoris moribus alligatus. Deus illi ducatum præbuit: idem à ſua eum facie poſtmodum abiecit. Conſecutus eſt regnum: vt poſt regiam dignitatem maiore dedecore Imperio Romano ſeruiret. Sanè vultis ſcire quantæ ſit ſanctitatis? Quem mare ſuſtinuit adunatum, nõ poteſt terra baiulare diſperſum.

DE EXODO SERMO XII.

De Iudæis.

QVANDIV Iudææ bruti cordis nec dum diſcutis tenebras, ſacræque legis oracula iam in Chriſto completa nec probando cognoſcis? Veruntamen pro tuo ſenſu ſi vis paſcha legitimum celebrare, agnus requirendus eſt tibi, ſicut præceptum eſt, ex agnis, & hædis diſcordi natura commiſſus: quem in gregibus pecuinis ipſi tui non inuenere maiores. Atque vtinam tu inuenias: dignus es enim immolatione tali, qui ſalutem tuam in incerti pecoris ſitam viſceribus opinaris. Sanè quòd paſſim multos occidis, edacitatis eſt tuæ. Quod diuerſis in locis, vanitatis. C Quod cum amaritudine comedis, infelicitatis. Taceo, quod commemoratio eſt ingrati, non remedium, ſacrificium, quod ipſe reprobat fieri, qui præcepit. Hoc ſolum dico. Imple vel in cæteris legem, ſicut ſcriptum eſt: Præcinge lumbos tuos. Indue pedibus calciamenta. Arripe baculum manu. In eremum proficiſcere, ſi tuos vis imitari maiores.

DE EXODO SERMO XIII.

De Iudæis.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in ſeptimo.

IVDÆOS legitimum paſcha celebrare non D poſſe paucis accipe Chriſtiane. Salomonis templum hoſtili vaſtatione ſubuerſum cum ruina ſua iaceat ſepultum, vbi ſacrificant? Sacerdotes iam non habent, qui eorum pro ſalute ſacrificent. Tauros, hircos, arietes, & agnos abhorret Dominus: vnde ſacrificant? Deum dereliquerunt: altaria eius euerterunt: cui ſacrificant? Sanè hoc ſolùm proprium retinent, quod, vt vilem libidinem magis augeant, viliotibus ſe lauacris omni momento baptizant Deo ſemper ingrati.

DE EXODO SERMO XIIII.

De Iudæis ſuperiori ferè ſimilis.

E IVDÆOS non tantum legitimum paſcha celebrare non poſſe, ſed religionis diuinæ prorſus nihil retinere paucis accipite. Salomonis templum, de quo præſumebant, excidit. Altaria Dei ipſi euerterunt. Lex & prophetæ vſque ad Ioannem. Sacerdotibus eorum luctus indicitur. Immolatio aufertur. Ceſſat vnguentum. Circumciſio vacuatur. Sabbatum denotatur. Neomeniæ, & dies feſti odio habentur. Potiuntur eorum Romani regno. Nihil, vt arbitror, reſtitit illis proprium, niſi quod agno ſalutari neglecto, ingrati viles agnos cum amaritudine, homines amari manducant.

DE

Digitized by Google

DE EXODO SERMO XV.
De Iudæis.

IVDÆOS legitimum paſcha celebrare noo poſſe periti legis Dco ipſo loquente cognoſcite: à quo appellatur ſynagoga ſpelunca latronum: ſacerdotalis cathedra peſtilentiæ: ſacrificium canina mactatio: ieiunia odium: populus progenies viperarum. Poſt hæc quid præſumant, æſtimare non poſſum, homines, qui ſalutem ſuam in pecorum morte conſtituunt, cum Deus, poſteaquam de Ægypto egreſſi ſint, vbi imaginarium paſcha geſſerunt, dicat, Plenus ſum holocauſtomatis arietum, & pinguamine agnorum: quis enim hæc exquiſiuit de manibus veſtris? Vtique fratres, incunctanter eis ademit paſcha, qui B id, per quod ab eis paſcha geritur, reprobauit. At imaginem colunt. Nec ipſam quidem: quia falſò colit imagioem, qui eius non diligit veritatem. Sanè hoc ſolum competenter gerunt innocentes: quod agnos paſſim, quaſi lupi rapaces, occidunt.

De præcepto, Attende tibi.

SERMONIS vſum Deus nobis, qui nos creauit, indulſit pro eo, vt cordis occulta conſilia inuicem nobis verbi miniſterio panderemus, & pro communis in alterutrum affectione naturæ vnuſquiſque noſtrum proximo ſuo, velut ex arcanis quibuſdã domicilijs ſecreta depromeret. Si enim C nuda tantummodo, atque intecta anima viueremus, ex ipſis tantum mentis motibus, atque intentionibus cogitationum ad alterutrum noſceremur. Verum quoniam vigor animæ velamine carnis operitur, ad indicanda, atque in publicam faciem proferenda ea, quæ in profundo cordis cogitationibus, vel ſenſibus commouent, verbis, & nominibus, ac vocabulis indigemus. Cum igitur motus hic mentis nactus fuerit vocis ſignificantiam, tunc, velut vehiculo quodam ſermonis, aëris iter euectus ad audientem à loquente traosfertur. Et ſiquidem inuenerit tranquillam quietámque audientiam, ſicut in portu fidiſſimo, in auribus auditorum ſermo reconditur. Si verò, velut fluctus quidam, & ſaxoſa vada, auditorum tumultus, & murmur docentibus refragetur, in medio D aëris ſpatio ſermo tranſfretans oaufragabit. Quamobrẽ præbere tranquillitatem per ſilentium verbo: fortaſſis enim aliquid potent vtilitatis afferre ſermo veritatis, ſi tamen oon auditoris ignauia, dum minus intentus eſt animus, facile dilabatur. Talis namq; natura ipſa verbi ſpiritu compaginante formata eſt, vt velox breuiſq; ſit, & tranſcurſu concito multa deſignet in paucis: vt per ipſam ſui breuitatẽ tenacius à memoria reſeruetur, hæc namque eſt emendati natura ſermonis, vt neque obſcuritate, quæ dicuntur, offuſcet, neque abundans ineptijs vim rerũ, quæ indicantur, faciat euaneſcere. Talis enimuero etiam hic eſt, qui nuoc oobis ex Moyſi voluminibus recitatus eſt ſermo: ſi tamen meminiſtis vos, quibus verbi diuini attentior cura eſt: niſi fortè pro breuitate ſui, paulo tardiores quouſque transfugit, auditus E eſt. Eſt autem ſermo hic, ATTANDA TIBI, ne forte fiat in te ſermo abſconſus in corde tuo iniquitas. Faciles ſumus ad cogitationũ delicta nos homines: propter quod, & qui finxit ſingillatim corda noſtra ſciens, quod noo parum delictorum in his motibus admittitur, qui fuerint ex propoſito mentis voluntatiſque concepti, ante omnia oobis puritatem, & munditiam cordis iniungit ac præcipit: in qua enim procliuius vergimus ad peccatum, hanc nobis partem maiore cautela, diligentiáque communit: ſicut enim infirmiora quæque corporum membra peritior, ac bene prouidus medicus ante, quam ipſe morbus immineat, ſtudio præcurrentiæ, & diligẽtia cuiuſdam procurationis anteuenit, ita & communis omnium prouiſor, & animarum medicus Deus hoc, quod maximè in oobis ad culpam lubricum prouidebat, circundare tutioribus ſeptis ſtudet, & circum- A uallare cautioribus munimentis: nam hi actus, qui miniſterio corporis adimplentur, opus habent & tempore, & opportunitate, & labore, & adiutorijs, cæteriſque huiuſcemodi inſtrumentis: mentis verò motus, & cogitationis lapſus abſq; tempore conſummantur: ſine labore complentur, omne tempus habent opportunum. Intuere namque mihi ambitioſum quempiam & ingenti ſupercilio honeſtatis elatum imaginem quandam ſobrietatis habitu exteriore geſtantem, in medijs quoque virorum laudabilium, & ſapientium reſidentem. Hic ſubito cogitatione mentis percutit, & euolat ad loca peccati: maligna deſideria mente concipit: colloquia quoq; intra ſe inhoneſta finxit, & turpia: & totus in occulta B mentis ſuæ officina vniuerſam ſibimet libidinis imaginẽ deformauit, geſtúſq; deſcripſit. Hic ignotũ quidem omnibus peccatũ, & ſine vllo teſte cõmiſit: ſed arguetur, ac reuelabitur ſine dubio per aduentũ eius, qui reſerat occulta tenebrarũ, & manifeſtat conſilia cordiũ. Obſerua ergo, ne furtè fiat in corde tuo verbũ occultũ iniquitas: qui enim aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, iã mœchatus eſt eam in corde ſuo. Propter quod corporis quidẽ actus poſſunt nonnullis obſtaculis interuenientibus impediri: vbi autẽ mente delinquitur, quã facile eſt prouocto * cogitationibus euagari, tam pernix adhærebit noxa delicti. Vbi ergo velox occaſio peccati, ibi etiã celerius prouidetur cura remedij, & ideo proteſtatur dicẽs, *al. cogitationes.* Ne forte fiat in corde tuo verbũ occultũ iniquitas. Sed C ad ipſum iam potius verbi textum recurramus. ATTENDE, inquit, TIBI. Singula quæque animaliũ à conditore omnium Deo ad defenſionẽ ac tutelam ſui occaſiones quaſdam proprias acceperũt: quibus ſaluti ſuæ, cum neceſſe fuerit, auxiliũ ferãt, & inuenias, ſi diligenter attendas, plurima quoq; nullo docẽre aduerſum eos, qui perniciem moliuntur, vel obniti vehementius, vel declinare callidius: & rurſum naturali quodam impulſu ad ea, quæ expediunt, ferri, atque cõpelli. Propterea ergo nobis etiam eruditionis cauſa magnificum iſtud mãdatum præcepit Deus: vt quod illis adeſt per oaturam, id nobis ope verbi, ac rationis addatur: & quod in mutis animalibus abſque imperio efficitur, hoc nobis per præcepti diligentiã conquiratur: vt maiore prouidentia cõſer- D uemur ea, quæ nobis diuinitus indulta ſentimus, fugientes quidem peccatũ, ſicut multa animalia ſponte ſua fugiũt noxios, & mortiferos cibos, ſectemur verò iuſtitiã, ſicut illa fœcundos, & vtiles paſtus nullo cogente ſectãtur. ATTENDE ergo TIBI, vt poſſis diſcernere ab vtilibus noxia. Sed quoniam dupliciter eſt attendere, aliud quidem corporeis oculis intueri corporea, aliud vero intellectualis animæ virtutibus incorporea, & ſpiritalia conſpicari, in hoc loco ſi quidem de oculis carnalibus dictũ eſſe ſentiamus, continuo verbi ſententia arguetur abſurda: quomodo enim quis ſemetipſum toruio corporali oculo attendere poterit, vel cõprehendere? quia primo neque ſemetipſum oculus conſiderare, & intueri poteſt: neq; vicina ſibi imminẽtia conſpicari ſupercilia: ſed ne- E que ad verticem capitis diriget aciem ſuam, aut aliquo pacto propria terga cõſpiciet: nec aliquid omnino proprio videbit ex vultu, non latentia viſcerum, non occulta venarum. Quod ſi ita eſt, impium videbitur dicere, impoſſibilia eſſe Spiritus ſancti mandata. Supereſt ergo vt ad mentis intuitum præcepti vigor, atque intelligentia traosferatur. ATTENDA ergo TIBI, id eſt, vndique teipſum circunſpice: peruigiles gere ad cuſtodiam tui oculos animæ. In medio laqueorum ingrederis. Occultæ tibi ab inimico tenduntur inſidiæ. Doli, machinæ, pedicæ vbique defoſſæ. Circunſpice igitur omnia: & cauta intentione conſidera, vt effugias, ſicut damula ex laqueis: & ſicut auis ex retibus: nam damula nõ incurrit in laqueum pro eo, quod dicitur viſum acutiſſimum gerere. Vnde & nominis ſui etymologia ſeruatur in Græcis. Auis verò auxilio vſa pennarum, cum

Digitized by Google

voluerit effugere dolos retis, altiora aëris itinera ſecat.
Vide ergo tu, ne fortè deterior mutis animalibus ad cau-
ſelam tuæ ſalutis exiſtas: ne forte laqueis irretitus vena-
tio, & captura diaboli fias, captus ab eo ſecundum illius
voluntatē. ATTENDE ergo TIBI, id eſt neq; tuis, neque
his, quæ circa te ſunt, ſed tibi ſoli attēde. Aliud enim ſu-
mus nos ipſi, aliud, quæ noſtra ſunt: aliud, quæ circa nos
ſunt: nos namq; ſumus anima, & mens, ſecūdum quam
ad imaginem eius, qui nos creauit, facti ſumus. Noſtra
verò ſunt corpus & corporalis ſenſus. Circa nos autem
ſunt mundana ſubſtātia, viuendi artes, & cætera vſus in-
ſtrumenta mortaliū. Quid igitur præcepit ſermo? Ne at-
tendas, inquit, carni: neq; ea, quæ carnis bona videntur,
ſtudio impenſiore ſecteris, id eſt ſanitatē corporis, deco-
rem, cultū vultus, voluptatē carnis, atq; delitias, neq; vi-
tæ longioris vota ſuſpites: nō diuitias ſeculi: non ambi-
tionis gloriā: nō potentiam caducæ fragilitatis mireris:
& nihil omnino, quod ad præſentis vitæ miniſteriū per-
tinet, magnum æſtimes ad petendū: ne dum in hac ſoli-
citudinis tuæ intentione captaris, illa, quæ verè magna
ſunt, & in quibus vera vita eſt, negligas. Sed ATTENDE
TIBI, id eſt animæ tuæ: hanc excole: huic omnibus curis,
omnibúſq; ſtudijs conſule ita, vt omnem maculam, quæ
in eam fortè nequitiæ vitijs obrepſit, abluas, & expurges
intentione meliorū. Exornes verò eam, & excolas omni-
bus virtutis, pietatiſq; monilibus, quoniā quidem opus
tuū mortale eſt: anima verò immortalis. Et duplex quæ-
dam eſt vita noſtra: vna quidem carnis familiaris, & citò
cum ea deficiens: alia verò animæ cognata, nec vllo fine,
aut circunſcriptione claudenda. ATTENDE ergo TIBI,
ne mortalibus, ac caducis, velut perpetuis incubes & æ-
ternis: ne verò rurſum quæ æterna ſunt, tanquam caduca
& tranſeuntia negligas, atque contemnas. Contemne
potius, & deſpice carnem tuam: pertranſit enim. Adhi-
be diligentiam, & ſtudium animæ: immortalis eſt enim.
Intuere igitur, & attende cum omni cautela tibi ipſi: vt
ſcias diſtribuere vnicuiq; parti, quæ cōuenit: carni qui-
dem victū, & veſtitum, animæ verò doctrinam pietatis,
conuerſationem ſeueram, & grauem, exercitiū virtutis,
emendationémq; vitiorum. Non pinguedini corporis
deſeruire, neq; circa carnis lætitiam curſitare: quoniam
quidem concupiſcit caro aduerſus ſpiritum: ſpiritus au-
tem aduerſus carnem: & hæc ſibi inuicem aduerſantur.
Vide, ne fortè tu in huius belli congreſſione manus ac-
commodans carni, & auxilia ei quamplurima ſubmini-
ſtrans potentiam eius aduerſus ſpiritū erigas, & meliorē
tui partem deteriori facias eſſe ſubiectā: Sicut enim ſta-
teræ momentum ſi in vnam partem depreſſeris, leuiorē
ſine dubio alteram facies, ita in hoc animæ, & corporis
iugo, cum in vnam partē propenſior extiteris, clara erit
alterius & manifeſta diminutio. quis enim dubitat cum
corpus luxuria fluitat, carnibúſq; diſtenditur, ignauū &
obtuſum effici mentis vigorē. Si verò anima florentiori-
bus virtutis exercitijs imbuatur, & meditatione meliorū
ad culmen propriæ magnitudinis erigatur; fatiſcentem
corporis ſtatum commoda in infirmitate marceſcere. Et
hoc indicans beatus Apoſtolus Paulus dicebat: Nam &
ſi is qui foris eſt, homo noſter corrumpitur, ſed qui intus
eſt renouatur de die in diem. Hoc ergo idem præcep-
tum & infirmioribus vtile eſt, & robuſtioribus commo-
dum: nam & infirmitatibus medici ægris præcipere ſo-
lent, vt attendant ſibi, & nihil omnino contēnant, quod
ad medelam poſſit adhiberi. Similiter ergo & medicus
animarum noſtrarum ſermo Dei animæ ex peccatorum
acerbitate languenti magnificè breuiſſimi huius præce-
pti ſuccurrit adiutorio dicens, ATTENDE TIBI, id eſt,
vt ſi quando fortè deliqueris, ſecundum magnitudinem
delicti etiam remedij, & emendationis cura penſetur.
Grande alicui peccatum, & graue commiſſum eſt: gran-
di ſine dubio confeſſione indiget, pœnitentiæ multis &
amaris lachrymis intentis, pernoctatis vigilijs, iugibus
continuatiſque ieiunijs. Leuius eſt delictum, par cōmiſſi
ſit & ſimilis pœnitentia. Tantum ATTENDE TIBI, vt in-

telligas, & agnoſcas & ſanitatem animæ, & languorem:
multi enim dum ſibi non attendunt, ægritudines graues
A & inſanabiles pati ſeneſciūt: & nec hoc quidem ſentiūt,
quod ægrotant. Propter quod magna eſt præcepti huius
vtilitas: per quod ægris cura ſuggeritur, ſanitatis, & per-
fectionis demonſtratur integritas. Vnuſquiſque autem
noſtrum in diſcipulatum nos verbi Dei mancipauimus,
vnius alicuius operis miniſterium gerit eorū, qui in euā-
gelijs præcepta ſunt. In magna autem domo, in hac Ec-
cleſia dico, non ſunt tantummodo vaſa diuerſa, aurea, &
argentea, vel lignea, & fictilia: ſed & artificia quampluri-
ma & diuerſa. Habet namq; domus Dei, quæ eſt Eccleſia
Dei viui venatores, vel captores, habet viatores, archite-
ctonas, ſtructores, agricolas, paſtores, athletas, milites:
quibus omnibus cōmodè ſatis aptabitur breuiſſimi hu-
ius mādati vigor vt vnicuiq; & operis diligentiā tribuat,
B & propoſiti ac mentis deſideria, atq; incitamenta com-
moueat. Venator es, & ad capturam à Domino deſtina-
tus, qui dixit, Ecce ego mittam multos venatores: & ca-
pient eos ſupra omnem montem. ATTENDE ergo TIBI
diligenter, necubi te venatio Domini effugiat, quomi-
nus verbo veritatis capias, & offeras Domino ad ſalutē
eos, qui erroribus decepti nequitiæ, feri, ac palabundi
per aſpera quæque peccatorum, & deuia peruagantur.
Viator es talis, qualis ille, qui orat ad Dominum, Dirige
greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia
mea, ATTENDE TIBI, ne fortè erres à via: ne declines
in dexteram, neque in ſiniſtram: ſed via recta, via regali
incede. Architectus es, ATTENDE TIBI: vt fundamē-
tum fidei, qui eſt Chriſtus Ieſus, cum omni diligentia ia-
cias, & cautela. Structor es: vide, quomodo ædifices ne
C ligna & fœnum: ne ſtipulam vel paleas, ſed argentum &
aurum, & lapides extruas precioſos. Paſtor es: ATTEN-
DE TIBI, ne quid te prætereat eorum, quæ ad paſtoris
ſtudium ac diligentiam pertinent. Si autem, quæ ſint iſta
perquiris, auſculta. Quod errauit conuerte & reuoca:
quod attritum eſt colliga: quod ęgrum ſana. Agricola es:
ATTENDE TIBI, vt diligenter circunfodias infructuoſā
ficū, & adhibeas ſtercoris qualos, & totum facias, quic-
quid ad fructuoſum ſpectat euentum. Miles es: ATTEN-
DE TIBI, vt non militans Deo implices te negotijs ſecu-
laribus, vt placeas ei, qui te probauit: ſed conlabora euā-
gelio, vt milites in illis bonam militiam dimicans aduer-
ſus ſpiritus nequitiæ, aduerſum principatus, & poteſta-
tes, & aduerſum mundi huius rectores tenebrarum: tum
D deinde etiam aduerſum vitia carnis. Aſſume ſcutū fidei,
& omnia arma ſpiritus, quibus indutus poſſis reſiſtere
aduerſus ignita diaboli iacula. Athleta es: ATTENDE TI-
BI, ne quid aduerſum leges athleticas geras: quia nemo
coronatur, niſi legitimè certauerit. Imitare Paulū, qui ſic
currit, vt cōprehēdat: & ſic luctatur non quaſi aëra ver-
berans, ſed macerat corpus ſuū, & ſeruituti ſubijcit: ne
fortè alijs prædicans ipſe reprobus efficiatur. Vigila er-
go & tu, & indeſinenter oculum ad conſiderandas ad-
uerſarij aſtutias geras. Si curris, ſic curre, vt comprehen-
das: & ea quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea te, quæ ante
ſunt, extēdas. Si colluctaris: aduerſum inuiſibiles aduer-
ſarios pugna. Talem te eſſe vult huius præcepti ſentētia,
nihil remiſſum, nihil ſomno, & ignauia præpeditum, ſed
E ſolicitè, & vigilanter cuncta circunſpectantem, pruden-
tem te vult eſſe in conſilijs, in actibus ſtrenuum. ATTEN-
DE ergo TIBI. Deficiet me tempus enarrantem de ſin-
gulis quibuſque, quæ in opus euangelij procurāda edo-
cemur huius præcepti virtute. ATTENDE TIBI, vt vigi-
les ad omnia: vt nihil te in conſilijs prætereat, obſerua-
re præſentia: futura proſpicere: quæ in manibus ſunt
commodè diſpenſare: quæ ſperantur, fideliter expecta-
re, ne fortè præſentibus iactanter te & inaniter debere
perfrui putes, ſicut nonnulli leues, & inſtabiles iuue-
nes vana cogitatione mentis inflati, ſi quando forte per
ſilentium temporis, & nocturnam quietem falſis imagi-
nibus per cogitationem mente conceptis deſcribunt
ſibimetipſis excelſas dignitates, præclara coniugia,

libertorum felicitatem, prolixam ſenectutem, obſequia ſubiectorum, clientum famulatus: & cum in re nihil ſit, A vano cogitationis tumore ſupra omnes homines efferuntur. Ingentes domos intra momentum extruunt, eáſque ſubitis, & ſola mente conceptis facultatibus replent. Immenſa terrarum ſpatia, & agros vberes occupant: & tanta poſſeſſionum iura defendunt, quanta nutu vagæ mentis incluſerint. Sed & fructum earum extructis latius horreis vanitatis recondunt. Addunt nihilominus greges, armenta, ſeruitia, magiſtratus: regna etiam ipſa, & imperij faſtigia ſumma præſumunt: gerunt bella, mouent claſſica: trophæa ſtatuunt: ducunt triumphos, & per totius regni curas inani ſolicitudine debacchantur, ita vt in manibus tenere omnia, & nuſquam comparentibus, tanquam præſentibus ſe perfrui arbitrantur. Proprius eſt languor totius otioſæ & deſidis animæ videre ſomnia vigilantem. Quam diſſolutionem B mentis & inflammationem cogitationum reſecans, & reſtinguens ſermo diuinus ſaluberrimi præcepti huius auctoritate ſuccurrit dicens, ATTENDE TIBI, id eſt ne ea, quæ nuſquam ſunt, cogites: ſed, vt præſentia, & quæ palam ſunt, diligenter expedias. Arbitror autem etiam illud vitium reſecare volēs legiſlator mandati huius adiutorium prætulit: quoniam facile eſt vnicuique noſtrû curioſius aliena perquirere, quàm propria, & domeſtica procurare. Ne ergo hoc accidat. Deſine, inquit, mala aliena diſcutere: deſine aliorû actibus tua perſtrepere & côcelebrare conuiuia: deſine poculis tuis aliena probra miſcere, & inter epulas, ac fercula tua alterius vitæ innocentiam lacerare. Noli ergo attendere alienis languoribus, ſed ATTENDE TIBI ipſi. Ad perſcrutationem tui C conuerte oculos animæ tuæ: quia multi ſecûdum verbû Domini feſtucam in oculo fratris ſui vident, trabem verò, quæ in oculis eorum eſt, non conſiderant. Tu ergo nûquam ceſſes temetipſum perſcrutari, ſi vita tua ſecundû formam dirigitur mandatorû: ſi conuerſatio tua omni culpa vacat. ATTENDE ergo, & circunſpice teipſum: non eorû, qui extra te ſunt culpas & peccata dinumeres: nec ſolicite diſquiras, ſicubi maculæ aliquid in proximo tuo reperias, ſecundum Phariſæum illû tumidum, & iactantem, qui ſtabat ſeipſum iuſtificans, & exprobrans, ac deſpiciens Publicanû: ſed teipſum diſcutere non ceſſes: ne quid in cogitatione deliqueris, ne quid ſis prolapſus in lingua, dum incauta loquacitate præuenit & præcurrit ſermo conſilium: ne quid etiam in actibus tuis, & D manuum opere commiſeris, quod vel auaritiæ, vel iræ, vel libidini miniſtratum ſit. Si hæc intra temetipſum diſcutias ſemper, & inquiras, multa inuenies, quæ intra te debeas emendare, & pro quibus debeas pœnitudinem gerere, & tanquam homo, ſi quid tale repereris, dic ſicut Publicanus ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori. ATTENDE ergo TIBI ipſi. Hic tibi ſermo etiam ſi in rebus proſperis degas, & omnis tibi vita ſecunda felicitate ſuccedat, vtilis ſemper, & neceſſarius apparebit, tanquâ bonus, & fidelis conſiliarius commonitiones vitæ ſuggerens melioris. Si vero & aduerſis, & triſtibus vrgearis, & hæc tibi in tempore neceſſitatis commonitio ſuggeratur, maximû illico remediû, & ſolatium dabit: vt neq; in proſperis arrogantius extollaris, neq; in aduerſis E mollius, & remiſſius reſoluaris. Diuitijs flores, & polles, & illuſtriû proauorum conſulatibus intumeſcis, patriæ, parentûmq; nobilitate te iactas, pulchritudine corporis erigeris, & decore, honoribus extolleris, & aſſeclarû fulciris officijs, tum maximè ATTENDE TIBI ipſi: & meméto, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis: & quia poteſt & ad te dici, Stulte hac nocte auferent abs te animam tuam: & quæ præparaſti, cuius erunt? Intuere eos, qui ante te ſimilis potentię dignitatibus effulſerunt. Vbi ſunt? Quid agunt? Vbi faſces eorû? Vbi magiſtratus? Vbi diuerſarum infulæ dignitatum? Vbi deniq; eloquentiſſimi rhetores, & vehementiſſimi oratores? Vbi hi, qui crebros conuentus orationum ſuarum fauoribus celebrabant? Vbi popularis? Vbi largitio muneralis? Vbi exquiſita equorum præparata certamina? Vbi denique A ſatrapæ? Vbi reges? Vbi tyranni? Nonne omnia puluis, & cinis eſt? Nonne omnia antiquæ fabulæ, ſuperfluáq; narratio eſt? Nonne perexiguis oſſibus anguſtæ vaſculo vrnæ concluſis omnis eorum memoria continetur? Denique intuere, & inſpice eorum ſepulcra, ſi potueris diſcernere, quis ibi ſeruus: quíſve ſit dominus: quis pauper: quíſve ſit diues. Diſcerne ibi, ſi potes, plebeium à rege: virum fortem ab imbecilli: decorum ab informi. Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occaſio: ſed ſemper memor eris tui, ſi præcepti memor attenderis tibi. Qui ſi ignobilis et obſcuro loco natus: pauper ex pauperibus procreatus, nô domo gaudens, non patria, inualidus viribus, quotidiano quoque indigens ſumptu, viuens ſub potentiû χόλασι cum tremore, ac timore ſubiectus, cunctiſq, humilitate paupertatis B expoſitus, ſicut ait ille; Pauper non ſuffert minas; nô in his temetipſum deſpicias, & deſperes: neq;, quia nihil tibi in præſenti vita magnificum præſto eſt, omnem tibi abſcindas, & amputes ſpem bonorum, ſed reuoca animos tuos ad ea, quæ iam tibi bona indulgentia diuina conceſſit: & ad ea nihilominus erige mētem tuam, quæ futura in poſterum repromiſit. Conſidera ergo primo omnium, quod homo es in terris: & ipſis Dei manibus formatus. Nonne ſufficeret hoc ſolum rectè & integrè ſapienti ad magnum, ſummúmque ſolatium, quod ipſis Dei manibus, qui omnia reliqua præcepti ſolius fecit auctoritate ſubſiſtere, homo factus es, & formatus? tum deinde quod cum ad imaginem, & ſimilitudinem creatoris ſis, potes ad Angelorum dignitatem, culménq; remeare? C Animam namq; accepiſti intellectualem, & rationabilem: per quā Deum poſſis agnoſcere, & naturam rerû conſpicabilis rationis intelligentia contemplari, & ſapientiæ dulciſſimis fructibus tibi perfrui præſto eſt. Omne tibi cedit animantium genus: quod per conuexa montiû, vel prærupta rupiû, aut opaca ſyluarû, omne vel quod aquis tegitur, vel præpetibus pennis in aëra ſuſpēditur, omne inquā, quod huius mûdi eſt, ſeruitio & ſubiectioni tuæ liberalitas munifici côditoris indulſit. Nône tu tibi ſenſu rationabili ſuggerēre diuerſitates artium reperiſti? Nône tu vrbes condere, omnéq; earû reliquû vſum pernéceſſariû viuentibus inueniſti? Nône tibi per ſationem, quæ in te eſt, mare peruium fit? terra, flumina, fontéſque tuis vel vſibus, vel voluptatibus famulantur? D Nonne aër hic, & cœlum ipſum, atque omnes ſtellarum chori vitæ mortalium miniſterio curſus ſuos atq; ordines ſeruant? Quid ergo deficis animo, & deeſſe tibi aliquid putas? Si non tibi equus producitur phaleris exornatus, & ſpumanti ore mandit argentea frena: ſed ſolis tibi producitur veloci, rapidóque curſu ardentes tibi faces caloris ſimul, ac luminis portas. Non habes aureos, & argenteos diſcos: ſed habes lunæ diſcum puriſſimo & blandiſſimo ſplendore radiantem. Non aſcendis currum, nec rotarû lapſibus veheris: ſed habes pedum tuorum vehiculû tecum natû. Quid ergo beatos cenſes eos, qui aurû quidem poſſident, alienis autem pedibus indigent ad neceſſarios commeatus? Non recubas eburneis lectis: ſed adiacent tibi fœcundæ ceſpitis viridantes, & E herbidi thori florum varietate melius, quàm fucatis coloribus Tyrij muricis picti; in quibus dulces, & ſalubres ſomni nullis curarum morſibus effugantur. Non te côtegunt aurata laquearia: ſed cœlum te contegit ineffabili ſtellatum fulgore depictum. Hæc quidem quantum ad cômunis vtilitatis pertinet vitā. Accipe vero maiora. Propter te Deus in hominibus: Spiritus ſancti diſtributio: mortis ablatio: reſurrectionis ſpes. Propter te diuina præcepta hominibus delata: quæ te perfectam doceant vitam, & iter tuum ad Deum per mādatorum tramitem dirigent. Tibi panduntur regna cœlorum: tibi coronæ iuſtitiæ præparantur, ſi tamen labores, & ærumnas pro iuſtitia ferre non refugis. Et ſi attendis tibi, horum plura inuenies & maiora: nec deficies animo ad ærumnarum præſentium tolerantiam, dum ad futura præcepti

huius eruditione ſuſtolletis. Sed ne in illa quidem parte te incommonitum prætéribo. Si quando te, id eſt mentem tuam iracundia exaſperat, & ſtimulis immorantis ægritudinis intumeſcis, cum rabidus dentium ſtridor, genarum pallor, tremor labiorum, cum totus denique ferinos agis motus, ſi attendas tibi, id eſt recorderis præcepti, iracundiam quidem, velut equum indomitum, & ferocem diuini ſermonis ictum verberibus continuo coërcebis: linguam verò protinus ab inſolentia refrænabis: & manus nequaquam ad vltionem irritantis extendes. Siquando verò obſcœnæ concupiſcentiæ illecebroſis animam ſuggeſtionibus vexant, & præcipitem eam in luxum libidinis rapiunt, ſi attendas tibi, & recorderis huius præcepti, inuenies quia præſens iſta dulcedo libidinis ad finem amariſſimum vergit: & iſte qui núc carni noſtræ incubat luxus, generabit ex ſe peruigilem suppliciorũ vermẽ, perpetuæ vltionis conſcientiam fodientem, ſed & calor iſte deſiderij carnalis, feruórq; libidinis temporalis æternũ gehennæ ignem, & vltricũ flãmarũ perpetua promulgabit incendia. His cogitationibus mente cõceptis, libido quidem penitus effugata diſcedet: admiranda verò quædã quies, & tranquillitas animæ reparabitur, velut ſi inuerecundarũ proteruarúmq; tumultus, ac ſtrepitus famularũ per aduentũ, & præſentiam grauis, ac ſeueræ dominæ comprimatur. ATTENDE igitur TIBI: & intellige, quod animæ tuæ pars quidem melior rationabilis eſt: pars verò irrationabilis & paſſibilis illi quidem parti meliori naturaliter præſto eſt. Imperare huic, illi verò ineſt famulari, & obedire rationi. ATTENDE ergo TIBI, ne fortè patiaris victam, & deditiam tradi irrationabilibus paſſionibus rationabilẽ mentem, neq; indulgeas aduerſum virtutũ rationis vitia inſoleſcere, & ſummam regni in ſua iura, ditionémq; conuertere. Si ergo horum ſingula quæq; diligenti examinatione conſideres, ſatis ſuperq; ſufficient itineris vitæ tuæ rectum tibi tramitem demonſtrare: qui te abſq; errore vllo vſq; ad ipſa cœli regna perducat. Denique ſi attendas tibi, non requires vt ex vniuerſæ creaturæ contemplatione conditorem eius agnoſcas, ſed in temetipſo, velut quodam paruo ac minori mũdo deprehendes magnificam creatoris tui ſapientiam. Incorporeũ namque, & incomprehenſibilem intelligis Deum ex ipſa anima, quæ in te immortalis eſt: quoniam quidem neque tua mens principaliter in loco aliquo continetur: ſed tantũ ex cõſortio corporis inuenitur in loco. Inuiſibilem eſſe D Deum credis animæ tuæ ſubſtantia cõtemplata: quia ne ipſam quidẽ potes carnalibus oculis intueri: neq; enim color ei vllus, aut habitus eſt, vel forma ei aliqua corporeæ deſcriptionis exprimitur, ſed ex virtutibus tantũ, atque operationibus innoteſcit. Et ideo neque in Deo requiras oculorum viſum: ſed ſola mente, ac fide ad eum conuerſus intellectualem ſenſum; atq; intelligentiam concipe. Admirare quoq; opificis ſapientiam; quomodo animæ tuæ virtutem conſortio corporis modulatus eſt ita, vt per omnes eius partes infuſa duceretur, & quãplurimũ inter ſe membra diſtantia ad vnam conſonantiã concordiámq; conſtringeret. Intuere ergo, & attende, quæ ſit iſta virtus animæ, quæ ab ea traditur corpori, membriſque diffunditur. quidve rurſum ſit, quia carnis ad E animam redit ac redundat affectus, atq; compaſſio, vel quomodo vitam quidem ſuſcipit corpus ab anima: recipit verò anima dolores, mœroréſq; de corpore. Require, quæ ſint eius receptacula memoriæ: qui eruditionum literarúmq; theſauri, quomodo non obliterẽtur ea, quæ prima didicimus additamentis nouorum, argumentiſque recentium: ſed manet vniuſcuiuſque diſciplinæ inconfuſa diſtinctio; velut æreis quibúſdam tabulis cordis & libris mentis inciſa. Quomodo anima, cum ad carnis vitia declinauit, & labitur, propriæ virtutis perdit decorem: & quomodo rurſum dedecore abiecto nequitiæ, & virtutis inſtitutionibus expurgata ad creatoris imaginem ac ſimilitudinem reformatur. Attende, ſi videtur, per hanc animæ conſiderationem, quid etiam ratio in ſe naturæ corporeæ gerat: & admirare, quàm dignum rationabili A animæ admirandus opifex conſtruxit hoſpitium. Rectum inter omnes animantes finxit ſolum corpus humanum, vt ex ipſo habitu videas & cognoſcas, quia ſuperuorum tibi eſt cœleſtiúmque cognatio. Omnia namque quadrupedia prona, & ventri obedientia ficta ſunt: homini verò erectus ad cœlum intuitus datus eſt: vt non ventrem ſpectet, neque infrà ventrem poſitis vitijs vacet, ſed omnem habeat impetum, vel conatũ ſuperioris vitæ curſum. Nam idcirco etiam caput in ſummo culmine totius humanæ fabricæ ſitum eſt: & in ipſo, quod præclarius eſt, in homine ſenſus iſti corporei inſtituti ſũt, id eſt viſus, auditus, guſtus, & odoratus: qui omnes vicini, & penè ſibi mutuò cohærentes, breuibus tamen diréptis ſpatijs in nullo ſuis vſibus inuicem, officiiſque præpediũt, vel obſiſtunt. Oculi quidem excelſioris B ſpeculæ ſortiti ſunt locum: vt parua ſuperciliorũ prominẽtia ſuperaddita in directũ tenderetur obtutus, & vniuerſorum conſideratio facilior eis & moderatior fieret. Aures verò inæqualibus quibúſdam anfractibus adapertæ icti aëris ſonum diſtincta modulatione ſuſcipiunt, opus etiam hoc miræ; & inæſtimabilis ſapientiæ Dei, vt vocem quidẽ extrinſecus nullo vetante ſuſcipiant, quintmo, & dũ per inflexos anfractus ducitur magis ſonora reddatur: nihil tamẽ aliud extrinſecus incidere inflexionum ipſa obiectacula patiantur, quod impedire poſſit auditum. Iam verò ſi linguæ intuearis naturam, quomodo quidẽ mollis eſt, & motus perfacilis ita, vt ad omnem verbi vſum quamlibet varijs, & diuerſis motibus abſq; vllius rigoris difficultate deſeruiat, ſed & dentium C motus ſimul & vocis organo miniſterium præbens, dum linguæ ipſi validiſſima exhibet circumuallationis obſtacula, ſimul & cibis miniſtret moliẽdo per alios, per alios incidendo. Et ita per hæc omnia cogitationem tuam trahens, competenter conſiderans illud quoq;, quod aëris ſpiritum pulmone reuocamus, calorem corde ſeruamus & digeſtionum membra perpendens ſanguinis per venas meatus, ex his omnibus inueſtigabilẽ Dei ſapientiam cernens, tu quoq; cum propheta ſtupens, & admirans exclama: Admirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. ATTENDE ergo TIBI, vt poſſis attendere Deo.

Sermo de Iob.

D SACRÆ hiſtoriæ fratres dilectiſſimi, ad hoc nobis eſt tradita legenda narratio, vt maiorũ, & ſi fieri poteſt, ſaltem aliqua ex parte mores imitemur, ſi non poſſumus imitari virtutes: tanta enim probitate vixerunt, vt pars felicitatis ſit noſſe quid fecerint. Igitur Iob vir fuit iuſtus, & verax, ab vniuerſis concupiſcentijs huius mundi ſecretus, conuerſatione limpidus, mente limpidior, vſque adeo circunſpectus, atque irreprehenſibilis, vt Dei ſit teſtimonio collaudatus. Vnde non immerito beatus beata vita fruebatur. Namq; erat illi ſplendidiſſima domus, diues cenſus, diues quoque numerus liberorum, & (quod eſt parentibus gratum) vtriuſque ſexus, & inuicem ſe amantium: quorũ pro numero Deo diurnas hoſtias offerebat. E Tanto autem puritatis, ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare diabolus, niſi à Deo iuſſus. Iam hic conſiderate fratres, quemadmodum ſæuierit incitatus, qui ferri non poteſt blandus. Igitur famigerabile committitur prælium. Illinc diabolus horrendum totis intonans armis, miniſtriſque inſuper ſuis in auxilium concitatis, terribili increpans tuba, prædonum corda face furiali ſuccenſa; impetibus crebris paſſim totas hominis Dei facultates inuadit: ſubito rapina, igne, ferróque, vniuerſa vno momento diſperdit. Hinc Iob alta fidei radice robuſtus tot nuncijs lugubribus tunditur, nec mouetur: ſed tantum benedicit Deum, facultatéſque ſuas contemnendo cuſtodit. At vbi diabolus aggreſſuris tantis nihil ſe profeciſſe cognoſcit, omnem impietatis ſuæ rabiem in filios eius effundit; nam cum ſolito more

vnanimes

vnanimes vna epularentur in domo, ſubito concuſſis toto nixu quatuor angulis eius, in confuſam molem parietibus, tectíſque labentibus illam ſanctiſſimam fratrũ cohortem ſepelit ante, quam iugulet. Taléq; commentus impietatis excidium, vt in illa vnius funeris turba paternos dolor non ſufficeret orbitati, cum neſcit, quem primum plangat, quem priorem inueniat, cui primum iuſta crudi funeris ſoluat. Quo nuncio accepto Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua, non vt Dei inuidiam faceret, ſed vt expeditius cum hoſte pugnaret. Contempſit denique in perditis facultatibus diuité: diſſimulauit in amiſſis liberis patrem in pœna ſui corporis iuſtum. Namque ſummo capitis à vertice vſque ad imos vngues pedum plaga inimici percuſſus, populoſis vlceribus non * diſtinctum eſt, ſed totus vnum vulnus * ei factus. Veruntamen in his omnibus nihil aduerſus Deum improbe loquitur. Non vxori illicita ſuadenti ſuccumbit. Non amicis inſultantibus cedit, ſed victor crudelitatis, & impietatis in ſterquilinio fœtido ſcaturiente vermibus ſedet, quaſi nihil paſſus, ſed ſolo Dei timore contentus. O felix vir: qui mira patientia Deum promeruit: diabolum vicit: ſanitatem recepit: facultates, liberóſq; ſuos nõ perdidit, ſed mutauit. Iob, quantum intelligi datur fratres cariſſimi, Chriſti imaginem præferebat. Denique comparatio inducat veritatem. Iob iuſtus dictus à Deo eſt. Ipſe iuſtitia: de cuius fonte omnes, qui beati ſunt, guſtãt: ecce enim de ipſo dictum eſt. Orietur vobis ſol iuſtitiæ. Iob verax eſt appellatus. At eſt vera veritas Dominus, qui ait in euangelio, Ego ſum via & veritas. Iob diues fuit. Et quid diuitius Domino? cuius ſunt omnes diuites ſerui: cuius eſt orbis totus, omníſque natura, beatiſſimo Dauid dicente, Domini eſt terra & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Iob diabolus ter tentauit. Similiter Euangeliſta perhibente, & Dominum ter eſt tentare conatus. Iob facultates quas habuit, amiſit. Et Dominus cœleſtia ſua bona amore noſtro neglexit, pauperémque ſe fecit, vt nos diuites faceret. Iob filios furens diabolus interemit. Et Domini filios Prophetas inſanus populus Phariſæus occidit. Iob vlceribus maculatus eſt. Et Dominus ſumendo carnem totius humani generis peccatorum eſt ſordibus obſoletatus. Iob vxor ſua hortatur, vt peccet. Et Dominum, vt corruptelam ſeniorum ſequatur, Synagoga compellit. Iob amici ſui inſultaſſe perhibentur. Et Domino ſui ſacerdotes, ſui inſultauere cultores. Iob in ſterquilinio pleno vermibus ſedet. Dominus quoque in vero ſterquilinio, id eſt, in huius mundi cœno verſatus eſt inter ebulientes diuerſis ſceleribus ac libidinibus homines: qui veri ſunt vermes. Iob & ſanitatem recepit, & facultatem. At Dominus reſurgeos non ſanitatem tantum, ſed immortalitatem in ſe credentibus præſtitit, dominiúmque totius naturæ recuperauit, ſicut eſt ipſe teſtatus dicens, Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Iob vicarios filios genuit. Dominus quoque poſt Prophetas filios ſanctos Apoſtolos procreauit. Iob beatus quieuit in pace. Dominus autem manet benedictus in æternum ante ſecula, & à ſeculis, & in cuncta ſæcula ſæculorum.

al. diſtinctum. al. eſt.

SERMO DE PSALMO XLIX.

De triplici genere ſacrificiorum.

IN omni negotio fratres dilectiſſimi, niſi quis ante perſonam noſcat, & rationem, eius non poteſt noſſe veritatem: hæc enim res & fecit, & facit, vt Iudęus, & Iudęo deterior Chriſtianus Dei filiũ Deum eſſe nõ credant: quos vellem adeſſe pauliſper, auréimq; præſenti commodare lectioni, vt edicerent nobis, quinam ſit Deus iſte, qui dicit, Audi populus meus, & loquar, Iſraël, & teſtificabor tibi: quoniam Deus Deus tuus ego ſum. Et infrà, Meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis: & redde altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Si pater loquitur, fratres, quis eſt iſte, cui tantum defert? Quis eſt, quem altiſſimum dicis, cum ipſe ſit ſolus, à quo alius altior non ſit? Sin vero omni honorificentia deferentis patri verba ſunt filij, debetis agnoſcere, quantis catenis vincta tenebrarum mens laboret incredulorum. Immola inquit, Deo ſacrificium laudis. Primo omnium, ſacrificiorum tria eſſe genera nouelle diſce Chriſtiane, ne quo ſeducaris errore. Vnum eſt enim deteſtabile: alterum reprobum: tertium mundum. Deteſtabile eſt gentium: reprobum Iudæorum: populi Chriſtiani mundum. Igitur gentium ſacrificium quam execrabile eſt, tam inane eſt: colunt enim vani vana figmenta in quaſlibet formas, vultus, ſexus, ætates, auri, argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata. Quæ eſt ergo iſta dementia? ſacrificium neſcientibus procurare, lumen cæcis inferre, thura non ſpirantibus concremare, allegare preces ſurdis: ab his cuſtodiam petere, quos fur non timet inuolare. Quibus rectè Deus iraſcitur, dicens, Nolite ambulare poſt Deos alienos, vt ſeruiatis eis: & ne adoraueritis eos: ne quando irritens me in operibus manuum veſtrarum, & diſperdam vos. Quæ autem ſint illa opera manus humanæ, Spiritus ſanctus in Pſalmo nunageſimo quinto declarat dicens, Omnes dij gentium dæmonia. Dominus autem cœlos fecit. Et in Deuteronomio, ſacrificauerunt dæmonijs, & non Deo. Ac ne quis ſacrilegium exiſtimaret ſibi impune eſſe ceſſurũ, ſcriptura iterũ ibidem dicit, Sacrificans dijs eradicabitur, niſi Domino ſoli. Hæc gentes, niſi cunctentur, manet diuina ſententia: quæ nec Deum nec ſacrificiũ etiam ipſæ cognoſcunt ſe habere legitimum. Nunc Iudæorum quoq; ſacrificia à Deo repudiata cognoſcite: qui dicit ad eos in Iſaiæ libro, Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorũ? plenus ſum holocauſtomatis arietum, & pinguamine agnorũ, ſanguinem taurorũ & hircorum nolo: quis enim exquiſiuit iſta de manibus veſtris? Per alium adæque Prophetam Spiritus ſanctus clamat, & dicit, Præcingite vos, & plãgite ſacerdotes, lugete omnes qui deſeruitis altari: quoniam ablata eſt de domo Domini veſtri hoſtia & immolatio. Multa ſunt, quæ dici poſsũt, ſed ſatis otioſum eſt in his demorari: quæ in toto iam nõ ſũt. Vnũ ſanè neceſſario proferemus exemplũ, quod & Iudæi odioſum, & Chriſtiani ſacrificiũ approbet Deo gratũ. Apud Malachiam Prophetam. Non eſt mihi volũtas circa vos, dicit Dominus: & ſacrificiũ acceptũ nõ habeo ex manibus veſtris: quoniam a ſolis ortu vſq; in occaſum clarificatum nomen meum apud gentes: & in omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, & ſacrificium mundum: quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus. Immola Deo ſacrificium laudis. Immola inquit, Deo, & non dæmonijs ſacrificiũ laudis, non vituperationis: & redde altiſſimo vota tua. Honorem totum refundit in patrem, ex quo omnia. Et inuoca me in tribulatione tua, & eripiam te dicendo, oſtendit, quoniam per ſe omnia proſecutus eſt. Et magnificabis me. Quod dictum fratres non ſic debetis accipere, vt operis ſui laudẽ ſibimet ſoli deberi teſtatus ſit, qui in Euangelio dicit, Si non facio facta patris mei, nolite mihi credere: ſed ſi mihi credere non vultis, factis credite: & cognoſcite, quoniam in me eſt pater, & ego in illo. Dictum ſignificatione vnica maieſtatis, & affectu indiuiduo pietatis: quia laus filij eſt patris, & laus patris amborum. Nunc ſacrificij noſtri proprietatem nos conuenit noſſe: quæ facile ex aduerſo cognoſcitur: nam ſi dijs corporalibus ſacrificium conuenit corporale, vtique & ſpiritali Deo ſacrificium eſt neceſſarium ſpiritale: quod non ex ſacculo, ſed ex corde profertur: quod non bramoſis pecudibus, ſed ſuauiſſimis moribus comparatur: quod non cruentis manibus, ſed ſenſibus mundis offertur: quod non iugulatur, vt pereat, ſed, ſicut Iſaac,

ſimmolatur, vt viuat, Apoſtolo hortante nos Paulo, cu-
ius iſta ſunt verba. Exhibete corpora veſtra hoſtiam vi-
uentem, ſanctam, placentem Deo: hoc enim placitum
eſt Domino, vbi ſeipſum candidus animus immolauerit
Domino: cætera, autem nihil proderunt, ſi colentis pu-
ra mens non ſit, in Eccleſiaſtico Salomone clamãte, Do-
na iniquorum non probat altiſſimus. Hic quærite Chri-
ſtiani ſacrificium veſtrum, an eſſe poſſit acceptum, qui
vicinarum poſſeſſionũ omnes glebulas, lapillos, & ſur-
culos noſtis: in prædijs autem veſtris fumantia vndique
ſola fana non noſtis. Quæ ſi vera dicenda ſunt, diſſimu-
lando ſubtiliter cuſtoditis. Probatio longè non eſt. Ius
templorum ne quis vobis eripiat, quotidie litigatis. Nõ
hi ſolũ, qui tales ſunt, diſplicent Deo, ſed & illi, qui per
ſepulchra diſcurrunt: qui fœtentibus prãdijs cadaueribus
ſacrificant mortuorum: qui amore luxuriandi, atque bi-
bendi infamibus locis lagenis, & calicibus ſubito ſibi
martyres pepererunt: qui dies obſeruant: qui Ægyptia
corde candidis faciunt: qui auguria captant, ſalutémque
pecudum violenter ſciſſis in ventribus quærunt: qui cõ-
iugale exaſperant iugũ, affectúq; calcato ſubdititijs per-
ſonis, vt obumbrẽt furta turpiſſimæ vtilitatis, rem fami-
liarem tuendam committũt non amore fidei, ſed libidi-
nis: qui publicanas mulieres cum vi ſubijciũt ſibi, vilio-
res ſe eſſe, quàm illæ ſunt, produnt: qui iracundia tumẽt:
qui litibus fremunt: qui calumnias pariũt: qui pauperes,
qui viduas, qui pupillos expoliant: qui profanis tabulis
neglecta Dei lecta alios non bene auncantes diuina ſa-
cramenta contaminant. Iam videat vnuſquiſque, quem-
admodum ſacrificium aut ſumat, aut offerat: ſicut enim
indigne offerre ſacrilegium eſt, ita indignè manducare
mortiferum in Leuitico ſcriptura dicente; Omnis mun-
dus manducabit carnem: anima autem, quæcunq; man-
ducauerit de carne ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini,
& immunditia eius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de
populo ſuo. Hæc fratres ſicut cauẽda ſunt nobis, ita quæ
bona, quæ pura, quæ ſimplicia, quæ pia, quæ ſancta ſunt,
ſicut facitis, amplectenda: vt videntes homines opera
veſtra bona magnificẽt patrem veſtrum qui eſt in cœlis.
Itaq; dulciſſimi flores mei talia ſacrificia procurate, quæ
ſanctus Spiritus libenter offerat, Pater probet, Filius, qui
magiſter eſt noſter, probata glorietur per eundem, qui
eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

SERMO DE PSALMO LXXIX.

Comparatio vineæ.

PROPHETA, quod pro veteri vinea, quæ à
Domino in Ægypto fuerat inſtituta, poſtula-
bat ad tempus nouellæ profeciſſe, inſcriptio
ipſa tituli pſalmi lecti declarat: ſic enim ſe ha-
bet. In finem pro his, qui immutabuntur. Iudaïcus ete-
nim populus, qui prior vinea Domini dictus eſt, floruit
quidem, ſed infœliciter flore diſcuſſo nullos potuit fru-
ctus afferre. Denique pro fructibus ſpinas generauit,
pro vua labruſcam. Cuius abhorrens infelicitatem Do-
minus rei aliam ſibi, id eſt populi noſtri ſua pro volunta-
te plantauit: in quam omnis fructus propheticus decu-
currit. Hic mihi ruſtico veſtro beatiſſimi ignoſcite agri-
cultores, ſi quid veſtræ ſolertiæ vineæ in ratione reddẽ-
da ignauia noſtra detraxerit. Igitur, vt optime ſæpe re-
colitis, menſura ſeruata amputatur in ſurculum, palmes
in ſcrobem dimittitur, vt animatus ibidem genitalis hu-
mor manente ſemper ſecum ſubſtantia nutriatur, auxi-
liare illi neceſſario iungitur lignum: cuius tutela defen-
ſus ſeſe ſuſtollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam,
ad iugúmque peruenerit, eius omnes crines luxurioſi
tunduntur: pura materia tabulatis infertur, nodis ad-
ſtringitur, ne à ligno, quo portatur, vel cuius adminicu-
lo vel ducatu in vberes fructus longius inuitata produ-
citur, vi aliqua ſeparetur. Tum ſolenniter plorans cle-
menter imbre ſuo rorat: conceptáque muſti felicibus
lachrymis fluenta denuntiat. Statim oculis apertis folia
radiata procedunt: quibus ſubiecti, ac ſe commendan-
A tes ſequaces fructus arrident: quos ſolis ardores, pluuiç,
ventique exercendo prouehunt, ad maturitatémq; per-
ducunt. At vbi vindemiæ venerit tempus, decore diſſi-
pato paſſim vua detrahitur: in torculárique operario-
rum pedibus ſubiecta calcatur: prælo premitur: dua-
búſque tabulis vehementer vrgetur, donec omnis dul-
cedo medullitus exigatur. Sicque pretioſum fluentum
à ſuis calcatoribus & bibitur, & patriſfamilias cellis vina-
rijs infertur: vt melius vetereſcendo reddatur. Quãtum
ſpiritaliter mediocritas noſtra conijcere poteſt, compu-
tatus ad menſuram palmes competens intelligitur, legi-
timo examinis numero examinatus. Scrobem fontem
ſacrum debemus accipere: qui vero ſacramẽto homines
ſuſcipit mortuos, & inſpiratos aqua cœleſti mox efficit
B viuos. Lignum auxiliare, quo tenditur, vel portatur, cru-
cis eſt dominicæ ſignum: ſine quo viuere, immortalita-
témque apprehendere in toto non poteſt Chriſtianus.
Quod tabulatis infertur, cœleſtis viæ vitæque altitudo
monſtratur. Ligaturis aſtringitur: cum renuncians ſecu-
lo ſponſione facta ſpiritaliter ſacris interrogationibus
obligatur. Luxurioſi crines falce * tunduntur, id eſt om- *al. tondentur.*
nia omnino peccata baptiſmate, Spiritúſq; ſancti vigore
amputãtur. Plorat feliciter vitis purgata materia: de ho-
mine loto felicius manãt doctrinæ cœleſtis diuina flu-
ta. Ruptis oculis, id eſt ſpiritaliter patefactis, præceden-
tibus folijs fructus ſequela ſeſe cõmendat, ſimiliter Chri-
ſtianus monitis diuinis præeuntibus obſecũdando, in
quibus æternæ fructus eſt vitæ, & defenditur pariter, &
nutritur. Ad iugũ peruenit, cum prærogata omni facul-
C tate pauperibus, crucẽ ſuã portans, conſummata omni
iuſtitia expeditior ſequitur Chriſtũ. Vi tempeſtatis, ſolis,
atq; imbris ad maturitatem cogitur. Et iuſtus tentationi-
bus crebris magnis, ac varijs perducitur ad coronam. At
vbi vindemiæ venerit tempus, id eſt perſecutionis dies,
paſſim vuæ diripiũtur, id eſt inconſiderate ſanctis omni-
bus violentia infertur manus: Ad torcular cõportantur,
id eſt ad ſupplicij locũ deducũtur. Ab operarijs ibidem
conculcantur, hoc eſt ſumma cũ contumelia à perſecu-
toribus illuſi iugulãtur. Succus earũ in vltimo præli põ-
dere, duabúſq; tabulis exiccatur: Similiter iudicij die à
Chriſto ſecũdũ tabulas legis confeſſorũ ſanguinis vindi-
cta vſq; ad vltimum quadrantem exigitur. Calcatores de
eodem muſto bibunt: Et perſecutores ſæpe credentes
D in Chriſtum Calicem pretioſum, quem paulo ante cal-
cando fuderant, guſtant, aliqui etiam bibunt. Muſtum
patriſfamilias cellæ reconditur, vt pretioſius transfreta-
tione reddatur: Et martyr dominicæ habitationis in re-
condita aſſumitur: vt ibidem ex homine in Angelum
transfuſus æternæ vitæ beatitudine glorietur.

Sermo de Pſalmo C.

NEGLIGENTES legis ſacræ cultores ſæpe ma-
gno implicantur errore, cum aut dicta non
pro locis intelligunt, aut dictorum minime
rationes inquirunt. Igitur in præſenti pſalmo
Propheta cum dicat, Miſericordiam, & iudicium, can-
E tabo tibi Domine, quomodo Dominus in Euangelio
dicit: Qui credit in me, non iudicabitur: qui autem non
credit, iam iudicatus eſt. Hoc dicendo eximit iudicio fi-
deles: non admiſit ad iudicium infideles. At ſi vtræque
partes iudicio vacant, quomodo vnicuique merces pro
ſuo actu reddetur? ſine cauſa etenim laborare videbitur
iuſtus, niſi recipiat ſecundum facta ſua, quæ geſſit iniu-
ſtus. Non ergo ſic accipiendum eſt, quemadmodum ab
imprudentibus æſtimatur. Cæterum Domini dictum
quo ſit pondere, quáve ratione prolatum, explanat pro-
prietas ipſa verborum: Qui credit inquit, in me, non
iudicabitur. Rectè: Quid enim neceſſe eſt iudicare cre-
dentem? iudicium enim ex ambiguis rebus exiſtit: ad-
empta ambiguitate iudicij non deſideratur examen.
Ex

Digitized by Google

Ex quo nec infideles neceſſe eſt iudicare: quia iam ſua
ſunt incredulitate damnati: ex hac enim vita quis ſecum A
aut coronam portat, aut pœnam. Quam rationem Da-
uid in pſalmo primo his verbis expreſſit: Non reſurgunt
inquit, impij in iudicio: neque peccatores in conſilio
iuſtorum. Gradatim promeritis, quaſi cum quibuſdam
elogiis pauciſſimis verbis totius humani generis iudiciũ
deſignauit: etenim quantum intereſt inter impium, &
peccatorem, tantum intereſt inter peccatorem, & iuſtũ.
Denique etiam ipſe impiis iudicium, quia iam ſua im-
pietate præiudicati ſunt, non derelinquit, neque pecca-
tores, qui iudicandi ſunt, iuſtorum, qui non iudicabun-
tur, dignos eſſe conſilio exiſtimauit. Nunc ſcire debe-
mus, quoniam iuſti vitæ perpetuæ, impij æterno ſunt
deſtinati ſupplicio: nulláque eos cognitio expectat vl-
terius. Quinam ſint iſti, quibus eſt iudicium præpara- B
rum, & à quo ſcire debemus, niſi ab ipſo Domino, qui
ſuum dictum proſequitur dicens, Hoc eſt autem iudi-
cium, quia lux venit in hunc mundum: & dilexerunt
homines tenebras magis, quàm lucem. Ambiguos vti-
que Chriſtianos deſignauit, ac lubricos: qui inter pios,
impióſque ſint medij, nullam partem tenentes ad ple-
num, cum vtrámque tenere non deſinunt. Fideles non
ſunt, quia habent aliquid infidelitatis inſertum. Infide-
les non ſunt, quia habent imaginem fidei, profeſſione
Deo, factis ſeculo ſeruientes. Volunt noſſe legem: no-
lunt eius præcepta ſeruare. Signum ſalutare veneran-
tur, & tamen à miniſteriis dæmonum non recedunt.
Multos námque Dei metus in Eccleſia continet: ſed ta-
men eos mundana voluptas ad ſe trahit. Impij non ma-
nent: quia his Dei nomen in honore eſt. Pij non ſunt, C
quia patrem venerandum prauis moribus lædunt. O-
rant, quia timent: peccant, quia volunt. Vnde non eſt
abſolutus reatus; vbi de amotis comparatione duarum
contrariarum ſibimet partium iudicium flagitatur, Am-
biguitas enim niſi fuerit diſcuſſa, iure non poteſt mereri
ſententiam. Et qui ſunt iſti, quos ambiguitas iudicio
reſeruauit? Vtique illi, ſicut Apoſtolus quoque ait, qui
cognitum Deum non quaſi Dominum honorauerunt:
neque ei gratias egerunt, ſed vanis perſuaſionibus cogi-
tationes eorum abductæ ſunt: & tenebris opertum cor
eorum, vt diligerent magis tenebras, quàm lucem, crea-
turam potius, quàm creatorem. Itaque tria cõuenit eſſe
iudicia. Vnum iuſtorum, qui non tantum, vt dictum eſt,
non iudicabuntur, Apoſtolo dicente, An neſcitis, quia D
ſancti de hoc mundo iudicabunt? Alterum impiorũ, qui
non ſunt iudicandi, qui iam iudicati ſunt, ſed peribunt,
ſcriptura dicẽte, Iter impiorum peribit. Tertium pecca-
torum, quorum obliquæ, ancipitiſque vitæ ſunt neceſſa-
rio diſcutienda ſecreta, Apoſtolo vtrúmque proſequen-
te: nam qui ſine lege inquit, peccauerint, ſine lege peri-
bunt. At qui in lege peccauerunt, per legem iudicabun-
tur. Videtis ne fratres multum intereſſe inter damnatũ,
& iudicandum? Quam iudicij formam etiã ipſa huma-
nitas, quamuis iniuſta ſit, ſeruat: nemo námque paterfa-
milias honeſta fidelitatis ſuæ lucra offerentem ſibi ſuũ
ſeruum iudicat, ſed honorat, vt filium. Alterum verò,
quem venena contetentem in adulterio, in homicidio,
in falſo maleficio deprehẽderit, carnifici deſtinat ſtatim
non audiendum, ſed competentibus pœnis excrucian- E
dum. Tertium quoque, quem aduerterit fraudulentum,
coloratis ratiociniis ſua furta excuſantem, reſeruat exa-
mini vt ponderatis damnis, rebúſque ſeruatis, ſententia
in eum, prout debitor extiterit, iure poſſit expromi. Ita
erit, vt iuſtis corona, peccatoribus, aut excuſatis, aut e-
mendatis indulgẽtia, impiis autem æterna pœna tribua-
tur, Per Dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus
cum Spiritu ſancto in æterna ſæcula ſæculorum.

Sermo de Pſalmo CXXVI.

NISI Dominus ædificauerit domum in vanum la-
borauerunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cu-
ſtodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt
eam. In vanum eſt vobis diluculo ſurgere. Volũt plures
ſanctũ Salomonem ædificationi ciuitatis, & templi ſtu-
dentem in eo ipſo molitionis ſuæ tempore euerſionem
ciuitatis, ac templi, quod condiderit, prophetaſſe: quia
& titulus ante latus auctorem eum huius pſalmi eſſe de-
monſtrat: magnis enim viribus, & totis regni ſui opibus
magnificum aliquid & Deo dignum efficere tentabat:
nam centum quinquaginta millia virorum, ſicut ſcriptũ
eſt, in diuerſos ædificationis vſus, ac miniſteria occupa-
bantur. Et quanquam ſtatuta à ſe conſuetudine perfectis
omnibus maxima cuſtodia ciuitatis, & templis ſolicitu-
do eſſet adhibenda, tamen cum non ignoraret inanẽ tan-
ti laboris operationẽ futuram, & ciuitatem à Babylonus
ob peccata populi diruendam, dixiſſe, Niſi Dominus æ-
dificauerit ſibi domum, in vanum laborauerunt ædificã-
tes eam. Putant autem prophetiam hãc conſummatã eo
tempore fuiſſe, quo poſt captiuitatem populi Dario re-
ge reditum impartiente, ædificata ruſſum per Zoroba-
bel, & Ioſue filium Ioſedec ciuitas fuit: quorum inopẽ
ſenſum illa ipſa poſſet cõſummatio ædificationis argue-
re: nam per Aggæum prophetam ita hos eoſdem reſtau-
ratos eſſe Hieruſalẽ Dominus eſt locutus, Adhuc ſemel
ego cõmoueo cœlum, & terram, & mare, & aridam: &
ſubuertam ſedes regum. Pſalmi ergo virtus non in tẽpo-
re tantum Salomonis, ſed etiã in Aggæi intelligenda eſt
cõuenire: ædificationis enim vtriuſque labor vanus eſt:
ædificata námque à Zorobabel ciuitas ſolum hodie ea ſe
conflagrationis cinerem, & deformium ruinarũ præbet
fœditatem. Et has ſedes regum, quas ſe ædificatores re-
gni æterni gloria reſtaurare arbitrantur, vaſtatio iterata
ſubuertit, ſede adhuc etiam cæterorũ ſubuertẽda regno-
rum. Benè autẽ inania humani operis propheta eſſe ope-
ra prophetauit. Scit inutiles eſſe humanarum cuſtodiarũ
vigilias, ſcit incaſſum eſſe conſurgentium matutinas ſo-
licitudines. Ciuitas & à ſe inſtituta, & ab aliis reſtituta iã
nulla eſt, nõ proficit ædificatio vel prima, vel conſequẽs.
Et rectè ipſe ille euertẽdæ ciuitatis propheta eſt, qui au-
ctor fuerat extruẽdæ. A Deo ergo domus eſt ædificanda
quæ maneat: quia niſi, quæ à Domino ædificata ſit, non
manebit. A Deo ciuitas eſt cuſtodienda, ne pereat: quia
niſi à Deo cuſtodita ſit ciuitas, diruetur. Et primum, quę
domus Dei ſit, intelligamus: vt per id cognoſci poſſit,
quatenus ab eo ædificanda manſura ſit. Domus eſt habi-
tantis habitatio: ſermo enim diuinus ſecundum intelli-
gentiæ noſtræ conſuetudinem, naturámque ſe temperat
communibus rerum vocabulis ad ſignificationẽ doctri-
næ ſuæ, & inſtitutionis aptatis: nobis enim non ſibi elo-
quitur: atq; ideo noſtris vtitur in loquendo. Conuentus
quidem Eccleſiarum, ſiue templi, quus ad ſecretã ſacra-
mentorum religionem ædificiorum ſepta concludunt,
conſuetudo noſtra vel domum Dei ſolita eſt nũcupare,
vel templum. Scriptura quoque vel prophetica vel apo-
ſtolica ad demonſtrationem locorum his eſt vſa nomi-
nibus, verũ non hanc, quæ à nobis ita nuncupata eſt, do-
mum Dei eſſe ea ipſius dictis docemur: ait enim, cœlum
mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.
Quam domũ mihi ædificabitis, aut quis locus requietio-
nis meæ? Nõne hæc omnia fecit manus mea? Non con-
cluditur ergo ædificiorũ domibus infinitus Deus: nõ lo-
cis in aliquo continetur virtus immenſa, quæ omnia eſt
operata, Apoſtolo ipſo ita teſtante; Deus, qui fecit mũ-
dum, & omnia, quæ in eo: Et cum ſit cœli, & terræ Do-
minus, non in manufactis templis inhabitat. Nulla er-
go Dei requies eſt, & nulla habitatio. Et fortè nequa-
quam crederetur eſſe, qui nuſquam eſt? audiamus ergo
ipſum de requie ſua, & habitatione reſtatum: ait enim,
vſque in ſęculum ſęculi hic habitabo, quoniam elegi eã.
Elegit autẽ Sion. Sed nunquid eam, de qua præſens pro-
phetæ huius querela eſt? niſi Dominus ædificauerit do-
mum, in vanũ laborauerunt, qui ædificant eam. Sion, in
qua templũ fuerat euerſa eſt. Et vbi ſedes Domini æter-
na? vbi requies ſempiterna? quod habitabile ei templũ?

Nempe illud, de quo dictum eſt, Vos eſtis templū Dei: & Spiritus Dei habitat in vobis. Hæc domus, & hoc A Dei templum eſt doctrinis, & virtutibus Dei plenum & ſanctitate cordis diuini capax incolatus: de quo idem hic propheta ita teſtatus eſt, Sanctum templum tuū mirabile in æquitate. Sanctitas, æquitas, continentia hominis Dei templum eſt. Domus ergo ædificāda per Dominum eſt: humanis enim operibus ſtructa non permanet: non doctrinis ſeculi inſtituta conſiſtit: nec inani labore ſolicitudinis noſtræ cuſtodietur. Extruenda aliter eſt: cuſtodienda aliter eſt. Non ſuper fluxam & dilabātem arenam initianda, ſed fundamentum ſuper Prophetas & Apoſtolos locandum eſt: lapidibus viuis augenda eſt: angulari lapide continenda eſt & mutuæ connexionis augmentis in virum conſummatum, & in menſuram Christi corporis extruenda eſt: ſpecie quoque, ac deco- B re gratiarum ſpiritualium adornanda eſt. Hæc ita à Deo, id eſt doctrinis eius ædificanda, nō concidet. Huius domus ædificationem nunc Iſraël captiuus poſt plenitudinem gentiū conſequetur, Hæc domus in domos plures diuerſis fidelium ædificationibus in vnumquoque noſtrum adornatum, & amplitudinem beatæ illius ciuitatis creſcet: cuius ciuitatis iam diu Dominus vigil cuſtos eſt, cum Abraham peregrinum tuetur, cum immolandū Iſaac reſeruat, cum Iacob ſeruientē dicat, cum Ægypto Ioſeph venditum præficit, cum Moyſen aduerſus Pharaonem confirmat, cum ducem bellis Ioſue † deligit, cū

† al. dirigit.

Dauid de omnibus periculis liberat, cum Salomonem dono ſapientiæ munerat, cum Prophetis adeſt, cū Eliam rapit, cum Eliſæum eligit, cum Danielem paſcit, cum in C camino pueros irrorat, cum tribus quartus aſſiſtit, cum gignendo ſe ex virgine Ioſeph per Angelū inſtruit. Mariam confirmat, Ioannem præmittit, Apoſtolos eligit, patrem precatur, dicens, Pater ſancte ſerua eos: cum eſſem cum eis cuſtodiebam eos in nomine tuo: cū deniq; ipſe ille poſt paſſionem æternæ in nos cuſtodiæ ſuæ vigilias pollicetur dicens. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Hæc ciuitatis illius beatæ, atque ſanctæ æterna cuſtodia eſt: quæ ex multis in vnum conuenientibus, & in vnoquoq; noſtrum Deo ciuitas eſt. Eſt enim hæc ſancti corporis, & fidelis animæ ei placita poſſeſſio. Quod autem per Dominum ædificanda ſit, ipſe in Euangeliis teſtatur dicens, Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſraël, D donec veniat filius hominis. Et huius quidem temporis, & ædificationis beatus Apoſtolus meminit dicens: Cū autem intrauerit plenitudo gentium, tum quod reliquū eſt, Iſraël ſaluabitur. Hæ igitur ciuitates, id eſt ſancti cuiuſque corporis, atque animæ Deo placitus incolatus, & cœtus hunc vnum habent perfectæ huius ædificationis artificem. Ædificanda ergo per Dominum hæc ciuitas eſt: vt in augmentum conſummationis ſuæ creſcat: non enim iam ædificatio cœpta perfecta eſt, ſed per ædificationem perfectionis conſummatio comparatur. Cæterū in ædificandis his domibus corporum, & animarū ciuitatibus humanæ artes vacant: inanes enim ſunt philoſophorum vigiliæ, & ocioſæ ſolicitudines, & *fruſtratū in inueſtigandis naturæ ſecretis, & perſcrutandis mundi

* al. fruſtrātium

laboribus ſtudium: ſed lapſuram cito domum operatio E talis ædificat. Inanis quoque erit matutina eorum reſurrectio: quæ quāquam omnibus, quæ in lucem venerint, ſit conſtituta corporibus tamen ea, quæ non fuerint ædificata per Dominum, nequaquam eam, quæ in Domino ex mortuis reſurgente iam cœpta eſt, matutinæ reſurrectionis gloriam conſequentur. Ac ne aliquam pſalmus opinionem intelligentiæ in ſe terrenæ & corporalis admitteret, perfectionis iſtius tempus, & ædificandorum ſignificationem ipſo dictorum ſuorum ordine docet: nam humanis ædificationibus, & terrenis cuſtodiis, & matutinis eorum ſurrectionibus improbatis, ait, Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Cū dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris. Nullus eſt relictus in his dictis ambigēdi locus: nam prophetiæ veritatē geſta deinceps conſummant: cognitionem vero geſtorum doctrina euangelica, atque apoſtolica ſubminiſtrat. Ciuitas ergo à Deo eſt ædificanda: quæ maneat: quia humana ædificatio infirma ſit, & caduca. Ac ne lapides, cæmenta, ligna ciuitatem hāc eſſe exiſtimaremus, quæ hæc eſſet, & quando eſſet perfecta ciuitas, docet dicēs, Surgite, poſtquam ſederitis. Seſſio quieſcentiū requies eſt: a qua ſurgere iubentur, qui ad perfectam hanc ciuitatem ſunt cōparandi. Et qui tandem ſunt iſti, qui ſurgere, poſtquam ſederint, iubentur? Nempe qui manducant panem doloris. Panem doloris manducat, quiſquis ſe hominem in vitiis natum, ac vincere meminit. Cum enim voluntas noſtra per Dei metum, & ſpem æternorum ad perfecta innocentiæ opera contendat, & è contra naturalis quæ- B dam conſuetudo vitiorum in ipſis illis, ex quibus emergere nititur, demoretur, vitæ dolorem per infirmitatem deſtitutæ voluntatis accipimus, ſecundum dictum Prophetæ: Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem. Cum enim veritatis cognitio voluntatem noſtram ad profectum conſequendæ vtilitatis inſtiget, & naturæ conſuetudo voluntatem ſcientē ſe proficere oportere detineat, profectus ſcientiæ profectus doloris eſt: cum tantum ſe per naturā doleat detineri, quantū ſibi naturā per cognitionē intelligat relinquendam. Hinc ergo dolor vitæ eſt: hinc panis doloris eſt: cuius vitæ, & doloris hic idē Propheta meminit dicens: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſuram. Tendendum eſt autem ſemper, non etiam deſinendum, ne- C que idcirco ad perfectum non contendendum, quia doleamus, quo tenditur, non poſſe contingere: ſed in ipſa contendendi pertinacia dolendum eſt, nos contingere non poſſe, quo tendimus. Doloris huius Dominus meminit dicens: Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur, beatitudinem conſolationis ob luctum, & dolorem non adeptæ conſummationis impertiens. Propheticam autem virtutem ipſe ille diſpoſitus in tempora verborū ordo ſeruauit dicens: Surgite, poſtquam ſederitis. Quorum alterum in præſens eſt, id eſt ſurgite: ne fide tanquā de incertis, & dubiis ambigeretur, cum veluti præſentē efficientiam veritas propheticæ admonitionis afferret, & in nobis fiduciam ſpei non cunctanter inſereret. Tēpus autem huius, quod præſens eſt, mandati diſtulit in futurum in eo, quod ait: Cum ſederitis. In non am- D bigendis ergo mandatis, præſentis temporis eſt veritas: in conſequendis autem, expectandi temporis diſpenſatio reſeruatur. Vt autem nouerint quando ſibi ſurgendum eſſet, cum ſederint, vna temporis ipſius demonſtrata eſt plenitudo: Cum dederit inquit, dilectis ſuis ſomnum. Mortem ſanctorum Deus frequentiſſimè ſomnū nuncupat: vt ad prophetam Dauid: Cum obdormieris, & requieueris cum patribus tuis, tunc excitabo de ſemine tuo, qui mihi erit in filium, & ego ero ei in patrem. Et Dominus de Lazaro: Lazarus dormit. Et Apoſtolus de reſurrectione ait: Quoniam nos, qui viuimus, nō præueniemus eos qui dormiunt. Plenitudine itaque gentium poſt ſomnum mortis recepta: & Iſraël reliquo ſaluo, tunc poſt hanc ſeſſionem atque ſomnum reſurre- E ctionis eſt tempus. Et quia dum temporum plenitudo concluditur, gentium quoque crediturarum ſecundum Apoſtolum conſummabitur plenitudo, idcirco ait: Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hoc ſurgendi ſedentium, quod & dandi dilectis ſuis ſomni tempus eſſe demonſtrans, id eſt omni plenitudine iam recepta. Qui autem ſint dormientes dilecti, & ſeſſori reſurgentes cōtinuo cum quadam ſignificatione rei præſentis oſtendit dicens, Ecce hæreditas Domini, ſancti ſcilicet dormientes, & reſurrecturi ſedentes hæreditas Domini eſt. Non illa carnalis Iacob, neque terrenus Iſraël factus ex diuiſione gentium portio, & funiculus hæreditatis ſecundum Moyſen dicentem; Cum diuiſiſſet excelſus gentes ſecundum numerum Angelorum Dei, & facta eſt portio Domini Iacob funiculus hæreditatis eius Iſraël. Et

quia

qnia iam Iſraël ob impietatem ſuam eſſe non meretur
A hæreditas, quæ hęreditas eſſet, oſtenditur: Ecce hæredi-
tąs filij, merces fructus ventris. Ea ergo in filiis hæredi-
tas Domini eſt, quàm ex mercede fructus ventris acce-
perit: non enim inanis hic fructus eſt, quo cum ex virgi-
nali ventre manens antea Deus naſcitur: nam merces e-
ius hæreditas eſt: & hæreditas filij ſunt. Quotquot, in-
quit, eum receperunt, dedit illis poteſtatẽ filios Dei fie-
ri. Et rurſum, Filioli adhuc puſillum ſum vobiſcum. Hic
ergo hæreditas eſt: & hæc hæreditas merces fructus eſt
ventris. Eſt ergo Dominus fructus ventris: quem ex ſe
vitæ noſtræ fructum pariens virgo progenuit. Et hæc e-
ius merces eſt, qui ex virgine naſcendo fructum ventris
eſſe ſe voluit: vt ei gentes, quas in filios per fidem gene-
raret, hæreditas ſint. Quod autem, quia fructus ventris
B effectus ſit, hanc mercedem hæreditatis acceperit, Pſal-
mus alius teſtatur dicens, Poſtula à me, & dabo tibi gen-
tes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos
terræ. Teſtatur & Apoſtolus: Qui cum in forma Dei eſ-
ſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed
ſe exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem
hominum factus, & habitu repertus, vt homo, humilia-
uit ſe, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem
crucis. Propter quod exaltauit illũ Deus, & donauit illi
nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ie-
ſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infer-
norum: & omnis lingua confiteatur, quoniã Dominus
Ieſus in gloria eſt Dei patris. Hæc ergo merces fructus
ventris eſt: quæ donatur ex nomine: quæ defertur in ho-
nore: quæ præſtatur in gloria. Et hanc habet retributio-
C nem immortalem eius naturã humanæ infirmitatis ſuſ-
cepta natiuitas, vt quia fructus ventris factus eſt, merces
quoq; eius gentium fiat hæreditas: & hæreditas ipſa ſint
filij. Dehinc ſequitur. Sicut ſagittæ in manu potentis,
ita filij excuſſorum. Sagittarum hic vſus eſt, vt emiſſæ ce-
leri volatu ferantur, & ad deſtinata quæque indeflexa li-
nea dirigantur. Eſſe autem ſagittas, quibus Dominus v-
tatur, ita legimus, cum ait, Miſit ſagittas ſuas, & diſſipa-
uit eos. In Iſaia quoque ita ſcriptum eſt, quod etiam de
ipſo dictum eſſe poſſit intelligi. Et poſuit me, tanquam
ſagittam electam, in pharetra ſua abſcõdit me, & ait mi-
hi, Magnũ eſt tibi hoc vocari puerũ meum. Ergo iſtiuſ-
modi Dei ſagittæ, volatu citæ, ictu fideles: quas, quantũ
ſpiritalis ratio demõſtrat, ſignificare doctrinas prophe-
ticas atque Apoſtolicas, in quibus Dei verbũ eſt, opor-
D tet intelligi, vbique miſſas, compungentes, arguẽtes, vo-
lantes: quanquam in plurimis locis meminerimus eſſe &
mortiferas, & lethales ſagittas, de quibus ſcribitur: Sa-
gittas ſuas arſuris operatus eſt. Verum hic non de vltri-
cibus ſagittis dici aliquid, vel intelligi poteſt, quia nunc,
ſicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. Pha-
rao in mari rubro in interitum ob crimen impietatis ex-
cuſſus eſt: Excuſſum quoque Apoſtolicis pedibus pul-
uerem ſcimus ſententia eſſe maledicti. Et quia prophetæ
ipſius, qui excuſſorum, id eſt peccatorum, & maledicto-
rum filij tanquam volentes, & fideles ſagittæ doctrinæ
cœleſtis emiſſi ſunt: vel Apoſtoli, Eccleſiarumq; docto-
res de excuſſis per impietatem ſuam in maledictum gen-
tibus crediderunt, idcirco ait: Tanquam ſagittæ in manu
E potentis, ita filij excuſſorum orbẽ terræ volatu peragen-
tes, infidelia corda doctrinæ telo vulnerantes, & pecca-
torum omnium incentiua ſalutari iaculo pugnantes. At-
que ex his dictum intelligi poſſit, quos Deus excuſſorũ
filiis ad doctrinam ſalutis modo mitteret ſagittarum, ait,
Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis: non
confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Bea-
tus ergo ille eſt, qui ex ipſis deſiderium ſuum potuerit
implere, id eſt vel de ſagittis, vel de filijs excuſſorum, de-
ſiderabilis ſe ſcilicet doctrinæ verbis implere, & de
prædicatis fructibus futurorum bonorum, expectatiſq;
ſatiare. Atque vt hos ex Dei doctrina ædificatores eſſe il-
lius, quam ſuperius memorauit ciuitatis, oſtenderet, id-
circo ait, Ex ipſis nõ confundetur, cum loquetur inimi-
cis ſuis in porta: Quod ex ipſis, ſiue ad beatum virũ per-
A tinet, qui deſiderium ſuum impleuit ex ipſis, vel ipſis fi-
lijs excuſſorum erit proprium: quia ex ipſis non confun-
dentur, cum in porta inimicis ſuis loquentur. Neq; am-
biguum eſt, qui in porta loquentur ædificatæ per prædi-
cationem ſuam à Domino ciuitatis. Meminimus autẽ in
pſalmo dictum: Qui exaltas me de portis mortis, vt an-
nuntiem omnes eius laudes in portis filiæ Sion. Hæ qui-
dẽ plures portæ ſunt, in quibus Propheta à portis mor-
tis exaltatus omnes laudes Dei prædicat. Sed ſcimus eſſe
portam vnam regiam, dominicam, cœleſtem, de qua di-
ctum eſt, Hæc eſt porta Domini, iuſti introibunt in eam.
Et cum non confunduntur hic excuſſorum filij in porta
inimicis ſuis loquẽtes, neceſſe eſt, vt his inimicis ſuis lo-
quentes non confundantur, qui cum iuſtis nõ merebũ-
B tur intrare: exprobantes illis impietatem in Deum, ino-
bedientiam in prædicantes, infidelitatem in æterna pro-
miſſa, odia in innocentes, & in ipſa Eccleſiæ mẽbra ſæ-
uitiam: ipſi confidentes, & nulla fidei ſuæ, ac religionis
ambiguitate trepidantes, ſed hos inimicos ſuos ab eius
aditu, ingreſſúque prohibentes, qui ait: Nemo vadit ad
patrem, niſi per me, id eſt per Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum, qui eſt benedictus in ſęcula ſęculorum, Amẽ.

Sermo de Pſalmo CXXVII.

QVotiẽs de timore Domini in ſcripturis eſt ſer-
mo, animaduertendum eſt, nunquã eum ſoli-
tarium relinqui, tanquam ſufficientẽ nobis ad
conſummationẽ fidei, ſed ſubijci, aut antefer-
C ri, ex quibus timoris Domini ratio, & perfectio intelli-
gatur: vt cognoſcimus ex eo, quod per Salomonem in
prouerbiis dictum eſt: Si enim ſapientiã inuoces: & in-
tellectui des vocem tuam, & exquiras eam, tanquam ar-
gentum, & tãquam theſauros inueſtiges eam, tunc intel-
liges timorem Domini. Videmus enim quantis vſque ad
timorem Domini gradibus perueniendum ſit: ante enim in-
uocanda ſapientia eſt, & omne legendi officium intelle-
ctui eſt deputandum: & exquirenda, ac peruestigãda eſt
ſapientia: & tunc timor Domini intelligendus. Sed quã-
tum ad communem humanæ imbecillitatis trepidatio-
nẽ, metuẽtis eſt id perpeti, quod ſibi nolit accidere. Exi-
ſtit autem, & commouetur in nobis de reatus conſciẽtia,
de iure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis ca-
D ſu, de feræ occurſu, de omnis mali paſſione. Hic ergo ti-
mor nõ docetur, ſed ex naturæ infirmitate occurrit. Ne-
que quid timendum ſit, diſcimus, ſed terrorem ſuũ ipſa
illa nobis iniciunt, quæ timẽtur. At vero de timore Do-
mini ſcriptum eſt: Venite filij, audite me: timorẽ Domi-
ni docebo vos. Diſcendus ergo timor eſt, quia docetur:
non enim in terrore, ſed in ratione doctrinæ eſt. Neque
ex trepidatione naturæ, ſed præceptorum obſeruãtia, &
operibus vitæ innocentis, & cognitione veritatis ineun-
dus eſt, Nam ſi ideirco Deus timẽdus eſt, quia plura ful-
minibus arſerint, tonitru proſtrata ſint, terræ nunc motu
conciderint, nunc hiatu recepta ſint, nullum fidei meri-
tum in timore eſt: qui ex terrore accidentium commo-
uetur. Nobis autem timor Domini omnis in amore eſt,
non in metu. Dilectionis autem noſtræ in eum hoc pro-
E prium officium eſt, parere monitis, ſtatutis obtemperare
pollicitis confidere. Audiamus ergo ſcripturam dicen-
tem: Et nunc Iſraël quid Dominus Deus tuus poſtulat à
te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in
omnibus viis eius, & diligas eum, & cuſtodias præcepta
eius ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, vt bene ſit
tibi? Quibus dictis conuenientia, & congrua propheta
in exordio pſalmi locutus eſt dicens: Beati omnes, qui ti-
ment Dominum, qui ambulant in viis eius, oſtendens
non ex trepidatione noſtra, quia nec timoris eſt auctor
in cæteris neque ex terrore eius, qui terribilis ſit, beatos
eſſe qui timeant, ſed ex eo, quod in viis Dei incedant: ti-
mor enim, vt diximus, non in metu, ſed in obedientia
eſt, & timoris teſtimonium eſt obſequela. Cæterum ſi

Digitized by Google

quis timeat, neq; parcat, erit quidem timens ex trepidatione naturæ, ſed nõ erit beatus ex timoris officiis. A Multæ ſunt autem viæ Domini, cum ipſe tamẽ via ſit. Sed cũ de ſe loquitur, viam ſeipſe nuncupat, & rationem, cur ſe viã nuncupaſſet, oſtendit dicens: Nemo enim poteſt ad patrem venire, niſi per me. Verum cum de prophetis, ac ſcriptis eorum, quibus ad Chriſtum pergitur, ſermo eſt, tunc viæ plures ſunt in vnam viam vndique congruẽtes, quod vtrumque eodem per Hieremiam prophetam loco ſignificatum eſt dicẽtem: State in viis Domini, & interrogate ſemitas Dei æternales, & videte, quæ eſt via bona, & ambulate in ea. Multæ itaque viæ interrogandæ ſunt, & in multis inſiſtendum eſt, vt vnã, quæ bona eſt, inueniamus, per multorum ſcilicet doctrinam vnam viam vitæ æternæ reperturi. Viæ enim in lege, viæ in prophetis, viæ in Euangeliis, viæ in Apoſtolis ſunt: viæ quoque B in diuerſis præceptorũ operibus ſunt, in quibus per Dei timorem ambulãtes, beati ſunt, quibus dicitur: Labores fructuum tuorum manducabis, ſermo ad plures cœptus ad vnum refertur docens nos omnes, qui in Chriſtũ crediderint, vnum eſſe, Apoſtolo ita confirmante: Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Siue enim ad vnũ, ſiue ad plures loquatur in vno, id erit ſignificãtiæ, quod in pluribus. Eſt autem contuendum propheticum hunc ſermonem ab vſu cõmunis opinionis diſcrepare: in hac enim vitæ conuerſatione, qui manducant laborum ſuorum fructus, manducãt ex prouentibus elaborati operis ſumentes. At vero propheta ait: Labores fructuum mãducandos. Non cõſequitur ſenſus humanus dicti huius intelligentiam: ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor. C Deinde labor miniſterium corporis eſt, fructus vero merces laboris. Miniſterium autẽ corporis incorporale eſt, licet corpore fit. Nihil edere, niſi quod corporale eſt, poſſumus. Sed propheta nihil de terrenis, & præſentibus tractat: de beatitudine enim timentium Dominum, & in viis eius ambulantium ei ſermo eſt: qui enim in viis Domini ambulabunt, illi labores fructuum ſuorum manducabunt: non enim hic manducatio corporalis eſt, quia neque id, quod manducandũ eſt, corporale eſt: ſed habemus hic cibum ſpiritualem, animam noſtram in vita alẽtem, bona ſcilicet opera, bonitatis, caſtitatis, miſericordiæ, patiẽtiæ, trãquillitatis: in quibus nobis contra corporum noſtrorum vitia laborandum eſt. Horum laborum fructus in æternitate eſt, ſed labor hic æternorum fructuum ante comedendus eſt: eo quod in D vita hac corporali anima noſtra alẽda eſt per cibum horum laborum, obtinens panem viuum, panem cœleſtẽ, ab eo, qui dixit: Ego ſum panis viuus de cœlo. Quem cũ indigne ſecundum mandatum Apoſtoli, quis acceperit iudicium ſibi acquiret. Hi ſunt ergo labores fructuũ mãducandi, eorum ſcilicet fructuum, qui in cœlis metẽtur. Nunc dum in terra ſumus opera ſumẽda ſunt: hæc enim nunc animum ſaturãt: hæc in cœlum ſuis fructibus proſequuntur. Denique ſequenti verſu vtriuſque huius tẽporis beatitudinem propheta demõſtrat, dicens: Beatus es, & bene tibi erit. Quorum alterũ in præſens obtineas, quod beatus es, quod vero bene tibi erit, repoſitum eſt in futurum, quia interim labor futurorum fructuũ manducetur. Vxor tua, ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui, ſicut nouellæ oliuarum in circuitu mẽ- E ſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur omnis homo, qui timet Dominũ. Multis fortè ſermo iſte in præſens benedictionis gaudio aptus videbitur, vt ex miſericordia Dei pacifica, & vtilis in domo coniunx, ſaluus & dulciſſimus circa cõuiuium cœtus filiorũ. Sed ſi hæc perfecta bona fuiſſent, quæ cum ſint bona, non tamen cœleſtia bona ſunt: tum ſi in his beatitudo timoris Dei cõſtitiſſet, obtinuiſſet vtique princeps fidei; & timoris Dei Abraham, cui vxor diu ſterilis bis abrepta eſt: filius ex promiſſione munus offerri in hoſtiam iuſſus, & ad ſacrificium admotus intulit orbitatis dolorem. Ipſi deinde Iſaac duo filij diſſidentes, & vſque ad odium mortis inimici: Iacob autẽ ignoratæ vxoris inopinatus maritus, & ad nuptias alias falſo coactus, & viuentis funus parricidali fratrum mendacio A plangens caruit timẽtium Dominum benedictionibus. Et apud quos, & à quibus fides eſt, apud eos fidei ſanctificatio non reperietur. Quantos autem peccatores videmus florere domo, cõiuge, liberis? Iam vero benedictionibus Dei priuabitur felix illa, & beata virginitas cauſam ſibi beatitudinis non requirens. Et vbi erit illud Pauli: Vellem autem omnes homines eſſe ſicut me? Et neſcio, quomodo propheta perfectam eam beatitudinem conſtituerit, quæ negata ſanctis eſt, peccatoribus vſitata eſt, non ſperanda virginibus ſit. Ergo quia ſecũdum humanam intelligentiam propriam, & perfectam beatitudinẽ dicti huius ſermo non explicat, erigendæ ſunt ad ſpiritalem doctrinam mentes atque aures. Lex enim omnis ſecundum Apoſtolum ſpiritualis eſt, & ipſe non humilẽ B nec terrenam beatitudinis ſpem ſecutus eſt dicẽs: Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. Cum itaque in ſpiritualibus, & cœleſtibus benedici ſe oſtendat, perfecta illa ſanctorũ beatitudo non in his terrenis, & corporeis eſſe ſperanda eſt, ſed potius intelligendum eſt per corporalium, & terrenorum nuncupationem cœleſtiũ bonorum intelligentiam conſequendam. Nunquid cum Dominus ſecundum Euangelium ſponſus eſt, & ſecundum Ioannem habet ſponſam, de ſpõſis terrenis, & corporalibus ſignificari æſtimandũ eſt? Non vtique, ſed per hanc ſermonis conſuetudinẽ docemur eum eſſe, qui promiſſus ſit gẽtibus, cuique à patre Eccleſiæ hæreditas per adoptionem corporis, quod ex virgine præſumpturus eſſet, deſponſata ſit. Vt autẽ nunc cognoſcamus, quid ſub C vxoris nuncupatione intelligi oporteat, contuendũ eſt, quid & alibi ſub hoc eodẽ vxoris nomine tractetur. Salomon ait: Quia quæſiui ſapientiam ſponſam adducere mihi ipſi. Et quia, qui ſponſam requirit, diuitem quærit, huius ſponſæ ſuæ opes memorat, dicens. Honeſtatẽ glorificat conuictum Dei habens: & omnium Dominus dilexit eam. Et ſi multam cognitionem quis deſiderat, nouit, & quæ à principio ſint, & quæ futura ſint, cõſpicit. Et item: Vxorem virilem quis inueniet? Precioſior eſt autẽ lapidibus multi precij. Et hæc iſtiuſmodi in prouerbiis dicta ſunt: quia prouerbia non hoc, quod verbis ſonant, explicant, ſed dictorum virtutem ex vſu verborum cõmunium nuntiant. Docet autẽ Dominus in Euangeliis, quid prouerbia intelligenda ſint, dicens: Veniet hora, vt D iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palam de patre annuntiem vobis. Ergo ſecundum prouerbiorum rationem vxorem virilem noſſe debemus, eam nempe, quam ſibi Salomon ſponſam optauit aſſumere: de qua rurſus ait: Iudicaui igitur hanc adducere ad conuiuandum mecum, & amator factus ſum pulchritudinis eius. Tanquã vxor aſſumpta ſapientia. Hæc igitur virilis eſt, perficiens omnia, & ſibi ſubdens, & in labore vtilium operum valida, ipſa Deo placita, & per doctrinã eius * dignam, & præteritorum ſcientiam, & futurorum cognitionẽ* perfectam. *al. digna. *al. perfecta. Hæc timentis Deum vxor totis domus ſuæ lateribus diffuſa fœcundæ vitis modo ſe per omnia operum noſtrorum latera extendit. Domus autem nõ ambigitur hoc animæ noſtræ eſſe domicilium: quod ſibi vnuſquiſque per timorem Dei, & vias eius ineundo, & habitatio- E nem ſapientiæ eius mundat. Ex hac igitur filij, qui erunt tanquam nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ noſtræ erunt, non in cõuiuiis. In circuitu futuros ait eſſe menſæ: menſa enim Domini eſt: ex qua cibum ſumimus panis ſcilicet viui, cuius hæc virtus eſt, vt ipſe viuens eos quoque, qui ſe accipiant, viuificet. Sed eſt & menſa lectionũ dominicarum, in qua ſpiritalis doctrinæ cibo alimur: de qua in pſalmo alio ſcriptum eſt: Fiat menſa eorum corã ipſis in laqueum, & in captionem, & in retributionem, & in ſcandalum: in captionem enim illis eſt, & ſcandalũ omnibus intellecta ipſius prophetiæ lectio. Sed qui doctrinam Dei conſectantur, niſi in operum bonorum miniſterio verſentur, menſæ illius cibo non proficient: nã ſicut ex coniuge liberi, ita ex ſapientia bonæ voluntatis

opera

opera procreantur. Hæc igitur tanquam nouellæ oliuarum, menſam noſtrã circuibunt, id eſt doctrinæ noſtræ cognitionem† optimorum quaſi * laborũ fructibus obumbrabunt. Seruauit etiam hanc propheta rationem, vt neophytam oliuam diceret, id eſt nuper plantatam, quia per ſapientiam, tanquam coniugem aſſumptam, cuius filij ſunt opera fidelia, hæc eadem in hac terra noſtri corporis plantatur. Hæc igitur vxor modo vitis abundantis in domus noſtræ lateribus diffuſa: hi filij, id eſt ex tali cõiuge opera procreata, tanquam plantatæ oliuæ in mẽſæ noſtræ circuitu * aſſiſtentes. Et quia hæc timẽtium beatitudo eſt, propheta ſubiicit: Ecce ſic benedicitur omnis homo. Iungitur & timentis merito etiam votũ prophetæ dicentis: Benedicat te Dominus ex Sion, & videas, quæ bona ſunt Hieruſalem. De Hieruſalem, & Sion in ſuperioribus pſalmis frequenter ſumus locuti, ex quibus vel in quibus bonorum omnium cõſummatio ſperanda eſt. Nunc enim quamuis bonis cœleſtibus perfruamur, maiora nobis in Sion & Hieruſalem temporibus reſeruantur: hoc enim ſeculum promiſſorum bonorũ capax non eſt. Væ enim nunc mundo ab ſcandalis: in quo & Zizania diabolus ſuperſerit: in quo regio eſt corruptionis, & locus iniquitatis, & conuallis plorationis: in quo mundi potentes ſunt harum tenebrarum. Sed habemus interim promiſſorum nobis lumen: in quo tanquam per ſpeculum & in ænigmate felicium rerum imaginem cõtuemur, tunc facie ad faciem viſuri non interpoſita obſcuritatis nube aut ſpeculi æmulante ſplendore, ſed vera & conſpicabili beatitudinis noſtræ contemplatione lætabimur operum noſtrorum fructus contuentes, & mercedem vitæ innocentis videntes: nam vt opera ex ſapiẽtia gignuntur, ita ex operibus retributio naſcitur. Eſt ergo ſapientia innocentiæ mater: & rurſum innocẽtia fructus retributionis parit. Hos ergo conſequemur diabolo contrito, aculeo mortis retuſo, & omni principe, ac poteſtate huius ſeculi exempto: cum iam pax nobis ſit hoſte victo, & perempto: quod propheta pſalmi ipſius cõcluſione teſtatur dicens: Benedicat te Dominus ex Siõ: & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum: & videas pacem ſuper Iſraël. Speremus ergo hæc bona Hieruſalem cœleſtis, & Sion montis, & pacis Iſraël: quæ in pace eſt in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Margin: †al. opimorũ. †al. ramorũ. *al. aſſiſtunt.

Sermo de Pſalmo CXXVIII.

SÆPE impugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël. Sæpè impugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricabant peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum, confundantur, & conuertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion. Fiant ſicut fœnum ædificiorum, quod priuſquam euellatur, areſcit. De quo non impleuit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit. Et non dixerunt qui præteribãt, benedictio Domini ſuper vos: benedicamus vos in nomine Domini.

Inſtituimur dictis propheticis ad tolerantiam præſentium paſſionum: & naturæ noſtræ infirmitas aduerſus ſeculi iniurias ſemper impatiens ſuſcipit † ſapiẽtiæ doctrinam ab eo, qui in præſenti pſalmo ait: Sæpè impugnauerunt me à iuuentute mea. Nonencioſa† virtus religioſi viri eſt: neque quietam exigit vitam. Impugnatur iam ab ipſis iuuentutis ſuæ initiis, & impugnatur ſæpè. Nõ nouella itaque, neque rara impugnantium odia ſunt, ſed ea ſæpè etiam ab ipſis initiis ætatis infeſta ſunt. Et idcirco hæc ſunt quæ fidem probant: quæ patientiam teſtantur: quæ inuictæ virtutis coronam merentur. Nouit beatus Apoſtolus Paulus hanc longi prælij coronam dicẽs: Nemo coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Certamẽ tãtum non ſufficit ad coronã. Legitimè certandũ eſt, id eſt omnia paſſionum bella peragenda ſunt. Non ſufficit ſemel, neq; vnius certaminis bello militaſſe. Et audiamus hoc ipſum legitimũ certamen, cum dicit de ſe: In laboribus copioſius, in plagis abundantius, in cuſtodiis eminẽtius, in mortibus frequẽter. A Iudæis quinquies quadraginta vna minus accepi. Ter virgis cæſus ſum: ſemel lapidatus ſum, ter naufragaui: noctẽ & diem in profundo maris feci. Merito iſte tot & tantis præliis perfunctus dicere auſus eſt. De cætero iam ſupereſt mihi corona iuſtitiæ: quia nemo, niſi qui legitimè certauerit, coronatur. Huic etiam vox hæc prophetica competit. Sæpè impugnauerunt me à iuuẽtute mea. Conſidẽtiæ maxima gratulatio eſt tantorum, & tam numeroſorum bellorum recordari. Sed nunc tacito impugnantium nomine impugnatio ſola memoratur. Et cauſa noſcẽda eſt, cur auctores impugnationis ſilẽtur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religioſis viris inferuntur non eoſdem habent auctores, quos habent miniſtros. Executio quidem hominum eſt, ſed diaboli inſtinctus eſt. Et huius nobis intelligentiæ Apoſtolus auctor eſt dicens: Non enim nobis certamẽ eſt aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates mundi, poteſtates harum tenebrarum ſpiritalis nequitię in cœleſtibus. Et rurſum: Secundum principem aeris huius ſpiritus, & ſpiritus qui nunc operatur in filiis inobedientiæ. Operatur ergo hæ ſpiritales nequitiæ in his, qui inobedientes Dei legi ſunt, quos voluntatis ſuæ tanquã operarios eligunt in res ſuas alienæ interceſſionis miniſterio vſuri. Neque ſolum id ex Apoſtoli dictis intelligimus, ſed etiam ex libro Iob docemur: Cum enim diabolus poteſtatem Iob tentandi poſtulaſſet, per direptionẽ ſubſtantiæ eius primum deſeruitur vs homines ad paſtorum cædem, & ad direptionem pecudum excitauit: eoſque in hanc voluntatem latrocinij accendit. Egit ergo, quod volebat per humanæ operationis officium. Iudas quoque in paſſione Domini miniſterium diaboli fuit: & per eum effectum voluntatis eſt propriæ executus, Euãgeliſta reſtante ita: Intrauit, inquit ſatanas in Iudam, qui cognominatur Iſcariotes. In omni igitur, quam perpetimur, iniuria alterius opus, alterius inſtinctus eſt. Et non ſibi efficit quiſquis aliquid per turbulẽtæ voluntatis impetum gerit. Non ergo his iraſcendum eſt, à quibus aliqua perpetimur: ſed quotiens per contumelias ad iracũdiam prouocamur, quotiẽſque per cõuitia ad lites excitamur, quotiẽſq; ad dolorem, & impiam damni querelam per rapinas, & furta compellimur, aut in corporis voluptates alendas adhortationis ſolicitamur inſtinctu, agnoſcendus eſt hoſtis ille, per quem hæc operum ac dictorum incentiua præbentur. Neque iraſcendum eſt hominibus alienæ inſtigationis operatiis: ſed potius in his deteſtandi officij interceſſio fœda miſeranda eſt, quod ſint vaſa diaboli, ſatanæ miniſterium, & latrocinantium tela, & alienæ malitiæ, ac nequitiæ paritores. Ob hãc ergo cognitionem propheta ſine diſtinctione nominis tãtum impugnantium meminit de his, atque illis indiſcretè locutus: quia per homines in ſe id, quod ſpiritualium nequitiarum eſt, gerebatur. Cœpit itaque tãquã ex perſona ſua propheta, ſed quid à nobis dici oporteret, quodam ipſe confeſſionis exemplo antè præloquitur. Talis enim ordo dictorum eſt. Sæpè impugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nũc Iſraël. Antè ergo docetur Iſraël, quid dicere debeat. tum deinde tanquam doctus, & exẽplo prophetice confeſſionis Iſraël ipſe iam loquitur. Sępè impugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non poterant mihi. Talis religioſorum debet eſſe confeſſio. Et hæc vera fidei probatio eſt, vt qui ſæpè à iuuẽtute impugnant, nunquam tamen eorum, quos & ſæpè, & pridem à iuuentute impugnauerint, præpotentes ſint. Aduerſus autem validiores & longum & frequens eſt prælium. Et idcirco inimicæ ſpiritaleſq; virtutes firmos fide, & timore Dei viros & diu & ſæpè pertentant: quia iterari neceſſe eſt, quod & diu geritur, & nunquã obtinetur. Maneamus ergo, vt ſæpè impugnemur, & ſæpe impugnati habeamus hanc gloriam, nec aliquãdo cedamus: & hinc ſit

Margin: †al. patiẽtia. †al. otioſa.

Digitized by Google

impugnationis noſtræ aſſiduitas, quia non ſit impugnátium præpotens fortitudo. Mos autem eſt eorum qui ne- A quaquam longis atque aſſiduis prælijs præualēt, vt victorem exercitum, & firmis agminibus incedentem à tergo adeant, & dorſo, ſicubi iam prætereat, inſidias machinētur. Illic dolos fabricantur: illic omnia inſidiarum artificia exercent. Ita & peccatores tentatos incaſſum fideles viros euntes iam in veritatis via dorſo adeunt: inſidiantur dorſo: dolos concinnant. Et idcirco ait, Supra dorſum meum fabricabant peccatores. Currit Apoſtolus, ea quę retro ſunt, obliuiſcēs, ſéque in ea, quæ anteriora ſunt, extendens. Lex ad fideles ita locuta eſt: Perſequentur te inimici tui: & non comprehendent. Non cōprehendiſſe autem eos docet, cum ait: Fabricabant: Indefiniti enim temporis ſignificatio eſt. Fabricabant enim ſemper, nūquam fabricationis ſuæ effectum conſequentes indefeſſo fidei curſu, cui quotidie ſupra dorſum fabricabantur B bella currentium. Atque hanc pertinacem infeſtantium iniquitatem ſequens verſus abſoluit: Prolongauerunt iniquitatem ipſorum, Iſaiæ prophetia eſt dicentis: Væ, qui trahunt peccata ſua tanquam funem longum: non deſinunt enim peccatis peccata connectere, & tanquam funem longum implexa ea ſemper extendere. Sācto nanque currente, & peccatoribus in dorſum fabricantibus, cum huic ad deſtinatum currendi, illis ſemper fabricandi modus nullus ſit, fit peccatorum prolixa ſeries, & multiplex longitudo. Sed, quid tandem hanc iniquitatum longitudinem maneat, noſcendum eſt. Sequitur enim: Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum. Iuſtus Dominus, patiens ſcilicet in vltionem, diſſimulator ad pœnitentiæ tempus, non inter exordia humanæ iniqui- C tatis promptus ad pœnā, ſed deſinendi à criminibus ſerā licet voluntatem peccatoris expectans. Tunc ceruices concidit, cum ſine aliquo deſinendi modo fabricatur: cum in longum peccata tenduntur: cum iam omne patiētis miſericordiæ tempus excluſum eſt. Exprobrari autem ſemper contumacibus legis meminimus, quod dura ceruice ſint, cum ceruicoſum populum eſſe Moyſes ad Dominum arguit, cum propheta filiabus Sion exprobrat, quod alta ceruice incedant, ceruice ſcilicet iugum dedignante, ac operibus fidei inſolenti, patientia Dei ad producendam peccatorum longitudinē abutente. Submittēda autem eſt ceruix iugo ſuaui, ad quod Dominus inuitat dicēs. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non concidenda D ceruix eſt huic ſe iugo ſubdens. Eſt enim hoc humilitatis & manſuetudinis iugum nō ſemper impugnans, nō dorſi fabricans, nō peccata prolongans, ſed humilitate, & patientia ceruicem ſubditam fouens ſuperba illa, inſolentique ceruice iudicij concidēda decreto. Dehinc ſequitur: confundantur, & reuertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion. Frequenter admonuimus Sion montem eſſe Hieruſalem proximum. Sed cum rex Sion, cum filia Sion, cum portæ Sion à prophetis nuncupantur, primo in ipſo nomine intelligi oportet aliud ſub Siō ſignificatione monſtrari. Sion enim ſpeculationis interpretatio eſt, quod enim nobiſcum ſpeculano, id Hebraicè Siō dicitur. Tum deinde dicti apoſtolici meminiſſe nos cōuenit, ad montem Siō, Hieruſalem cœleſtem acceſſiſſe nos in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum credentes: cuius E in † glorifico corpore, quod in cœleſtem gloriam transformatum eſt, ſpei noſtræ honorem ſpeculamur humilitatis noſtræ corpore in gloriam corporis ſui conformādo. Eccleſiam autem eſſe corpus Chriſti, cuius inuicem membra ſumus, apoſtolus teſtis eſt: quia ipſa Sion, mons Domini, regis filia, ciuitas ſancta viuis lapidibus in fundamento prophetarum, & Apoſtolorum ædificata. Hanc ergo Siō quiſquis odit, odit eum, cuius & corpus eſt, eſt enim ſpeciale aduerſus fideles infidelium omniū odiū. Contundendi ergo erunt, qui Sion oderūt, & retrorſum reuertentur non in cœleſtia currentes, neque ad futura tendentes, ſed ad terrena ſua, & originalia reuertentes, pudorem iniquitatis, & infidelitatis ſuæ iudicij tempore

† al. glorificato.

ſentientes, & in pœnale corporum ſenſum amiſſa reſurrectionis demutatione redeuntes. Hoc ipſum autē pſal- A mi conſequentia docent: Fiant ſicut fœnum ædificiorū, quod priuſquam euellatur, aruit. De quo non implebit manum ſuam, qui metet, & ſinum ſuum, qui manipulos colliget. Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos. Nullum, vt arbitror, ſecundū corporalem intelligentiam ædificiorum fœnum eſt, ſed agri, eiuſdémque fructuoſiſſimi. Ergo nihil hic ſecundum aurium ſenſum tractandum, & opinandum eſt. Sunt autē ſecūdum ſcripturæ auctoritatem ædificia firma quæ fundamentis fidelibus ſupra petram iactis, fluuiis, ventis, inundationibus non mouentur. Sunt & infirma, quæ arenoſo ædificata fundamine, cum tempeſtates ortæ fuerint, efficiunt ingentem ruinam. Sunt & ſationes duæ ſecundum Apoſtolum, ſpiritus, atque carnis. Et qui ſpiri- B talia ſeuerit, ſpiritalia metet: & & qui carnalia ſeuerit, carnalia metet. Ergo qui ſæpe, & pridem impugnant, qui ſuper durſum fabricabant, qui prolongauerunt iniquitates, quorum concidentur ceruices, qui oderunt Sion, hi ſicut fœnum ædificiorum erunt inutiles, & corporeæ huius, præſentiſque vitæ fructum caſſum inanémque referentes, ædificia enim, atque tecta ſecundum Euangelicam comparationē humana ſunt corpora, aut firma, aut infidelitate ruitura. Ab hoc etiam ædificij tecto inſtante perſecutione Dominus vnumquemque deſcendere inhibuit dicens: Et qui ſuper tectum eſt, non deſcēdat tollere de domo aliquid. Certè in perſecutione fugiendū eſt, & quomodo de tecto inhibuit deſcendere, niſi cura corporis derelicta: quia ſuper tectum inſiſtens, id eſt ſu- C per terrenam naturam manens humilia repetere, & deſcendere ad interiora prohibetur? Verum impij ædificiorum fœnum ſunt: inania enim ſeuerunt. Fœnum etiā antequam euellatur, areſcit: de quo nec manum ſuam meſſor impleuit: neque ſinum ſuum manipulos collecturus onerauit: non præteriens fructum gratulatione benedixit: Inanes ſunt: vacui ſunt: inutiles ſunt: inania enim & inutilia † ſequuntur. O infelices labores, & infructuoſa carnis opera ædificiorum fœno comparata, & antè quā euellantur, arida, id eſt ante ipſum inutilis ipſius meſſis tempus emortua. Quia horum ædificiorum fœnum carnalium operū fructus eſſe tractauimus, conſiderādū eſt, quæ differētia ſit in eo, qui implet manū, & qui manipulos ſinu colligit: non enim idem eſt: neque ſcriptura res eaſdem iterare geminis elocutionibus ſolita eſt: plus eſt D enim ſinu colligere, quàm manum replere. Et quidem, qui manum replēt, fructum recipere rectè geſtorum videntur: quia in manibus ſermo diuinus opera ſignificat. In ſinu vero conſcientiæ, & fidei, & perfectæ voluntatis demonſtratur affectus: plus enim meritur conſcientia, quā geſta, hæc enim manū replent, manipulos vero illa colligit. Duos denarios viduæ inopis acceptiores Dominus habet copioſis diuitum nummis, tanto præſtat operibus voluntas: & opera manu implentur, ſed ſinus manipuli ſunt capaces. Ergo hoc ædificij fœnū neque metentis manum, neque manipulos colligētis ſinum repleuit, ſed neque prætereuntes dicent, benedictio Domini ſuper vos. Sed qui ſunt prætereuntes, niſi, qui peregrinātes corporalis vitæ ſeculum tranſeunt, non manentes in E his, quæ nulla ſunt, ſed ad æterna tendentes, neque in his, quæ conſpectui ſubiacent immorantes, ſed ad inuiſibilia pergentes. Vt autem penitus, qui ſint tranſeūtes, intelligamus, audiamus Moyſen loquentem, cum in rubo ignem cōſpexit ſine damno rubi, in quo flagrabat, ardentem; ait enim: trāſibo, & videbo viſionē hāc. Quid eſt iſtud tranſibo? nulla enim locorū interualla diſcreuerant: eodē in loco & loquitur, & videt. Quid ergo trāſit? Tranſit planè corporales, carnaléſque curas, & ſoceri ſui oues paſcēs in cœleſtē cognitionē relictis terrenis operibus excedit. Verū & ipſe pertrāſit, qui in ſuperiore pſalmo ait, vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatū ſicut cedros libani: & tranſij, & ecce non erat. Quem admiratus in ſeculi rebus eſt: quem in corporeis operibus manens excelſum,

† al. ſeruntur.

excelſum,eleuatúmque conſpexit, hunc tranſiens,id eſt peregrinus ſæculo factus, & in cœleſtem, ac ſpiritalem A cognitionem de terrenis,& caducis rebus excedens pro nihilo habuit etiam nõ eſſe duxit, & mortuũ deputauit. Negant ergo ædificiorum fœno prætereũtes Dei benedictionem, fructibus aridis, & caducis ſcientes gratiam diuini muneris denegandam. Sed prophetæ vota dura, atq; aſpera eſſe credentur: totus enim eius ſermo tanquam optátis fuit. cum ait: Fiat ſicut fœnũ ædificiorum. Sed abſit, vt iſtud propheta precatus eſſe credatur, talia autem ſcientia elocutus eſt, cognitionis fuit ſermo iſte, non voti, ſimul vt peccatoribus horror irrueret inanitatem fructuũ ſuorum areſcentium cognituris. Porrò autem votorum ſuorum oſtendit affectum dicens: Benedicamus vos in nomine Domini. Prompta benedictio eſt, ſi hi, qui ferebãt ædificiorũ fœnum,ſerere incipiant, quod meſſoris manum, & colligentis manipulos ſinum B repleat. Aridis ergo operibus emortuos fructus ſuos in fœnum ædificiorum propheta mõſtrauit benedictiones negando,vota autem ſua erga pœnitentium ſalutem pro reditu bonæ operationis oſtẽdit benedictiones rurſum, quas negauit, optando. Seramus ergo vtiliter & labores noſtros implendis manibus, ac ſinibus præparemus, vt benedictionum Dei participes eſſe mereamur in Domino Ieſu Chriſto,qui eſt benedictus in ſæcula.

SERMO PRIMVS DE PSALMO CXXVIII.

INTER multa præclara, quæ ad Romanos Apoſtolus ſcribit,cum de fide gentium,& infidelitate Iudæorũ locutus eſſet,& multa ſuper iudicijs Dei,decretiſq; tractaſſet, ait: O alti- C tudo diuitiarũ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm ſunt inenarrabilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini?aut quis cõſiliarius eius fuit?aut quis ante dedit ei,& retribuetur illi?quia ex ipſo & per ipſum ſunt omnia; ipſi claritas in ſæcula ſæculorũ Amen. Humanæ infirmitatis religioſa confeſſio eſt ex Deo hoc ſolum noſſe, quod eſt Deus eſt. Cæterũ ſecreta illa & profunda imperſpicabilis iudicij decreta mẽs terrena non penetrat: Inueſtigare quidem ea,perſcrutariq; pium eſt: ſed in eo ſcrutabilia ea eſſe voluntatis,alterum imperſpicabilis naturæ eſt,quis enim cauſas, naturáſque cœli huius,& ſuperiorũ,& cæterorum ſciet? quis Angelorũ,& poteſtatum,& dominatuũ,& thronorũ, & principatuũ officia rationéſq; perceperit? Quis Cherubim, D & Seraphim perpetuas voces,æternáſq; intelliget? Quis ſolis,lunæ,& aſtrorum lumina comperta eſſe ſibi gloriabitur? Quis hanc inanis,vt putamus,aëris plenitudinem metietur? Quis vero aut diſpoſitionem orbis terrarum, aut elementorum virtutes, aut temporũ mutationes,aut fluminum curſus, aut maris fines,aut ventorũ flatus, aut naturas animaliũ, aut iras beſtiarũ, aut genera arborum, aut virtutes radicum, & origines animarũ, & incremẽta corporũ,& infantium mores,& ſenum vitam,& labores ſæculi: & ſanctorũ glorioſas calamitates,& inreligioſorum infœlices beatitudines,& legis, & prophetarum,& Euangeliorũ & Apoſtolorum arcana cœleſti libro conſecrata plenæ cogitationis ſciẽtia cõſequetur? His igitur omnibus hærens, ac detẽtus propheta ex interno cordis E ſui ſecreto ſecundum Apoſtoli vocem & ipſe proclamat dicẽs: De profundis clamaui ad te Domine. Pone illum ſecundum Apoſtolum in profundo diuitiarum Dei, & inſcrutabilium & inueſtigabilium demorantem: ſtatue illum de profundo humanarum calamitatũ mœſtè precantẽ ſecundum eam Domini, quæ in anteriori pſalmo eſt,vocem. Veni in profundum maris: & tempeſtas demerſit me. Exiſtima illum nõ labijs,ſed ſecreto,vt iuſſum eſt,cordis orare. Apta aut ignorationi, aut paſſioni, aut orationi vox iſta dicẽtis eſt: De profundis clamaui ad te Domine, dum aut neſcit, aut patitur, aut precatur, aut quia de profundis clamat; & confidenter ait, Domine exaudi vocem meam; Fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ. Sed quærendum eſt, an ipſum ſit exaudi vocem meam: & fiant aures tuæ intendentes in A vocẽ orationis meæ: De profundis enim orat, & primo intelligendum eſt, profundũ eſſe quicquid orat, Deum incorporalem eſſe, neq; ex partibus quibuſdam,atq; officijs mẽbrorum, ex quibus vnum corpus efficitur, conſiſtere: legimus enim in Euãgelio, quoniã Deus ſpiritus eſt,& inuiſibilis ſcilicet,& immẽſa,atq; intra ſe manens, & æterna. Scriptum quoq; eſt,quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet: ex his enim corporis membra conſiſtunt,quibus ſubſtantia Dei nõ eget. Deus autem, qui & vbique,& in omnibus eſt,totus audit, totus videt, totus efficit,totus incedit: Et hoc ex ſcripturis docemur,cum dicitur: Ego ſum Deus appropians, & non de longe. Et rurſum: quoniã in ipſo & viuimus, & mouemur, & ſumus. Virtus ergo Dei, quæ æquabilis, & indiſcreta eſt, officiorum,& membrorum habet nomina,vt virtus qua B videt,oculi ſint: virtus qua audit,auris ſit: virtus qua efficit, manus ſit: virtus qua adeſt, officiorum diuerſitates virtutis huius poteſtate peragẽte. Deus ergo vbiq; eſt,& vbique adeſt,audit,& videt,& efficit. Eſt orãdus a nobis, vt ſecundum precem noſtrã adſit,audiat,videat,efficiat. Naturę ſuę eſt,vt audiat: ſed fidei noſtrę eſt vt precemur audiri. Audit conuiciantes: audit maledicentes: audit etiã intra ſecrẽta cordis loquẽtes. Sed fides officiũ ſuum exequitur,vt Dei auditionem roget: vt,qui per naturam ſuam audit, per orantis precem dignetur audire. Quod ſi quis fortè corporeum Deum, & conformabilem, & membris diuerſum, quia non idem oculus,quod manus eſt,ob id eſſe exiſtimabit,quod dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã, primum C meminiſſe debet, hominum inſtitutiones naturis duabus contineri, animæ ſcilicet, & corporis: quarum alia ſpiritalis,alia terrena eſt,& inferiorem hanc materiam in efficientiã,atq; operationem naturæ illius fuiſſe potioris aptatam. Ergo quiſquis ita volet credere, vt corporalis Deus ſit, quia ad imaginem eius homo factus eſt, cõpoſitum eſſe Deum ſtatuet, ex potiore ſcilicet, inferioréq; natura: quia de talibus homo conſtat. Quidquid autem compoſitum eſt, neceſſe eſt, non fuerit æternum: quia compoſitio debet initio, quo † comparatur,vt maneat. † al. componatur. Sed hæc infidelitatis deliramenta ſunt,dum per cœleſtis naturæ ignorationem intra has opinionis anguſtias vitio ingenij degeneris coarctatur. Deus autem ſemper,& in omnibus manens: vbicumq; idem: & nunquã ipſe non D totus,cum pulcherrimum opus perfecto iam mundo inchoaret, hominẽ ſcilicet ad imaginem ſui faciens, cum ex humili natura, cœleſtiq; compoſuit, anima videlicet, & corpore: Ideo ſcit ſe beatus Apoſtolus Paulus per interiorem & exteriorem hominem diſſidere. Per interiorem quidem hominem delectatur: per exteriorem vero, quod non vult agit, cum interior homo ſpiritus opera deſiderat, exterior voluptates corporis cõcupiſcit: Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus eſt rationabilis, mobilis,mouens,citus, incorporeus,ſubtilis, æternus: quantũ in ſe eſt,ſpeciem naturæ principalis imitatur,dum tranſcurrit, dum circumuolat, & dicto citius nunc vltra Oceanum eſt, nunc in cœlos euolat, nunc in abyſſis eſt, nunc Orientẽ, Occidẽtémq; perluſtrat,dum E nunquã,vt non ſit,aboletur. Natura quidem Dei in his omnibus eſt: neque, vt alibi adſit, decedit aliunde. Sed anima humana ſecundum hæc ad imaginem ſui facta eſt, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur, nihil in ſe habet corporale, nihil graue, nihil caducum. Audiamus adhuc Paulum ita docentem: Expoliantes veterem hominem cum geſtis eius,& induẽtes nouum, qui renouatur in cognitionem ſecundũ imaginem creatoris. Nũquid aliquid corporale induimus,cum in agnitionem renouamur? Nihil vt opinor: induimus autem agnitionem Dei, fidem æternitatis, innocentiæ ſinceritatẽ,bonitatis mores: hæc enim animæ magis ſunt indumenta, quàm corporis: quæ omnia Deo propria ſunt. Hæc in agnitionem noui induimus,vt in omni miniſterio animæ noſtræ ſimus ſecundum imaginem creatoris

bonitatis, & ſnctitatis, & charitatis agoitiooe perfecti. Hæc propter aures Dei, ne corporalis exiſtimaretur, tractata breuibus ſunt. Et quanquā hæc ita ſe, vt dicta ſunt, habent, tamē meminimus eſſe plures ſpiritales virtutes: quibus Angelorum eſt nomeo vel Eccleſijs præſidentes: ſunt enim ſecundum Ioannem Aſiauis Eccleſijs Aogeli: ſunt & Moyſe teſtante ſecūdum numerum Angelorum fines gentium Adæ filij conſtituti. Sunt & Domino docente, puſillorum Angeli quotidie Deum vidētes. Sunt ſecundum Raphael ad Tobiam loquentem Angeli aſſiſtentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Dominum offerentes; Hoc ideo commemoratum ſit, vt ſi fortè hos eſſe oculos, vel aures, manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, habemos Iob non improbabilis intelligentiæ auctoritatē, maxime cum ſcriptum ſit: ſunt enim efficientes ſpiritus in miniſteriū miſſi propter eos, qui hæreditabunt ſalutem, Deo nihil ex his, quę agimus ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogaodum, & promerendum ſpiritalis interceſſionis miniſterio indigente. Dehinc ſequitur: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Non negligēter dicti huius ratio tractanda eſt: oō enim ait; Si peccata obſeruaueris, differt enim iniquitas à peccato. Nūquid Deos peccata non obſeruabit, & criminum memoria non erit? Certè erit, qoia etiam de ocioſo verbo rationem vnuſquiſque præſtabit: & omnis in carcerem miſſus reddet nouiſſimum quadrantem. Differre autem iniquitatem, & peccatum docemur, cum dicitur; Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Rurſum, Iniquitatem meam ego agnoui, & peccatum meum non abſcondi. Quod ipſum Apoſtolus abſolutiſſimè diſtinxit dicens: Qui enim iniquè peccauerunt, iniquè peribunt: qui autē per legem peccauerūt, per legem iudicabuntur. Ergo peccatum iniquitatis iam perijt: cęterum peccatum legis iudicabitur. Peccatum autem iniquitatis eſt, quicquid extra legem delinquitur, vt gentilium crimina ſunt, quæ iam cum ipſa legis ignoratione damnata ſunt. Legis autem peccata iudicanda ſunt, quia videlicet peccata ſunt. Ergo ſi Deus iniquitatū recordetur, quis ſuſtinebit furta, falſa teſtimonia, cædes, ſtupra, periuria? hæc enim crimina ſunt, quę iniquè, id eſt extra legem Dei geruntur. Sed horum planè iam Deus non recordatur, vt in ſequenti verſu propheta demonſtrat dicens: Quia apud te propitiatio eſt: eſt enim vnigenitus filius Dei verbum redemptio noſtra, pax noſtra: in cuius ſanguine reconciliati Deo ſumus. Hic eſt, qui venit tollere peccata mundi, cruci ſuæ chirographū legis affigens edictum damnationis veteris deleuit. Siue igitur ad patrem, ſiue ad filium oratio prophetæ eſſe exiſtimabitur (vnum enim ambo ſunt: & qui videt filium, videt & patrem, quia pater in filio, & filius in patre eſt, ex ſimilitudine glorię alter in altero glorioſus: glorioſus filius, quia dignus conſortio patris, glorioſus pater digni conſortio ſuo filij) rectè ad quem voles propheta dixiſſe credetur: Quoniā apud te propitiatio eſt ſecūdum ſimilitudinem gloriæ, quia in patre filius eſt, & filius ipſe pro peccatis noſtris & propitiatio, & redēptio, & deprecatio eſt iniquitatum noſtrarum, quia ipſe eorū propitiatio eſt. Scit autem propheta ingentis periculi rem eſſe iniquè, id eſt ſioe lege peccare: nam perditio eſt peccatori: peccatori autem in lege iudicium eſt, & idcirco ait; Propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Lex autem ſancta, & ſpiritalis eſt: & in ea verba vitæ ſunt: & legis finis Chriſtus eſt Et hoc ſequenti verſu oſtenditur, ait enim: Suſtinui anima mea in verbū tuum. Corporalia quidē legis officia propheta exequitur, ſcilicet ſacrificiorū, & holocauſtomatum, & neomeniarum, & ſabbatorū: quæ omnia vmbra ſunt futurorum: ſed aoima eius ſuſtinuit in verbum Dei. Propter legem ipſe ſuſtinet, ſcilicet filij Dei aduentum, qui & verbum Dei, & Deus verbum eſt, ſpiritali fide expectat. Qualiter autē expectet, demonſtrat dicens; Sperauit anima mea in Domino à cuſtodia matutina vſque ad noctem. Recordemur euangelicæ comparationis tenorem: & meminerimus qooſdam operarios vineæ omnem diē in labore tranſigerę. A cuſtodia matutina vſque io noctē propheta ſperat: nullum tempus habet vacuum totius diei: indefeſſus operarius eſt, ſed tandē quid erit ſpei? Non omniū vita diem ſuam in ſpe Domini exigit: ſunt enim operarij horæ tertiæ: ſunt ſextæ: ſunt nonæ: ſunt & vndecimæ: & videtur propheta, qui à cuſtodia matutina vſq; in noctem ſperauit, ſpem oobis euāgelicæ mercedis abſcindere. Non abſcindit planè; ait enim: Speret Iſrael io Domioo. Sine præfinitione tēporis ſpei adhortatio eſt. Ille quidē perfectus operarius à cuſtodia matutina vſque in noctem ſperauit: ſed ad ſpem omoe tempus eſt liberū, ſed mercedem non opere ſed miſeri-
B cordia vndecimę horæ operarij cooſequuntur: Ita enim ait; Speret Iſrael io Domino: quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eū redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus ioiquitatibus eorū. Bonus eſt, in quem ſperauit, & ſperādum in eo eſt, quia miſericors eſt, quia copioſa apud eum redēptio eſt, quia redimit ab iniquitatibus ſuis vniuerſos. Hora vndecima eſt, concluſa ſunt diei tempora, curramus omnes: feſtinemus, ne nox adſit: ne hora prætereat. Senes ſumus, ne nox mortis inſiſtat: & ad vndecimam ſaltem vitæ noſtræ horam procedamus. Beatus quidē, qui à mane vſque in noctem laborans paratum denariū, tanquam debitum poſtulat. Sed quia bonus eſt Dominus, quia miſericors eſt, ſperemus in eum, vt vndecimæ licet horæ operarij diurni laboris denarium conſequamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſæcula.

C *SERMO PRIMVS DE PSALMO CXXIX.*

De humilitate.

SAPIENTAS, vt videri volunt Græciæ viri, præter cæteros curioſi ocioſo negotio cor ſuum vltra quàm licitum eſt, argumentis inſolentibus extulerunt. Hi, cum aſcenduot verbis in cœlum, cum Deum perſuadent hoc eſſe, quod volunt, cum aſſimulant ſe noſſe rerum naturæ ſecreta, cum ſtellis nomina, ſoli labores imponunt, cum errores ſuos lunari circulo aſcribunt cum ingenij ſui carmen coli vel maximè cupiunt, ſic ſe, & alios perdiderunt: nam mutato nomine, & cultu, quaſi promota ſit ſomnijs, illas ſcholares calumnias, Dei vſque ad Eccleſiam
D tranſmiſerunt, vt in ipſa quoque, ſi inſanire cuiquam libeat, Deus illi non colendus ſit, ſed quærendus. Quod nunc faciunt infideles: de quibus ſcriptura diuina quid pronunciet, audiamus; cuius iſta ſuot verba: Diminuerunt veritates à filijs hominum. Vana locuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde locuti ſunt mala. Diſperdat Deus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt linguam noſtrā magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt. Hanc ſuperbiā propheta tumidi cordis euitās ſic inquit ad Dominū: Domine non eſt exaltatum cor meum, cum ſcriptū ſciat: Homo videt in facie, Deus in corde nònne iniurioſum, vel ſuperuacaneum putabitur, Deo indicare, quod nouerit? Abſit, indicat ille, ſed no-
E bis: quos cupit, quod facit, ac prædicat, imitari. Ergo inquit, non eſt exaltatum cor meum, docens optimum eſſe ſacrificium Deo cor contribulatum. quapropter fratres efferendum nō eſt proſperis rebus, ſed timore Dei intra manſuetudinis metas verecundiæ freoo cohibendum: vt poſſimus merito metere, ſcriptura quod dicit; Proximus eſt Deus contribulatis corde: & humiles ſpiritu ſaluabit. Sed & Dominus ipſe nos pro promiſſo quid hortatur, accipite. Venite, inquit, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiē animabus veſtris. Deus noſter, fratres, humilis corde eſt: & ineffabilis eius illa ſapientiæ, ac virtutis poteſtas intra hominem ſuſceptū iacet magis admirabilior: quia tantus eſt & talis. Et homo curioſus cor ſuum

ſuum extullit, conatúrque eius comprehendere altitudioem, cuius non ſequitur humilitatẽ? Sequitur ac dicit: Neque elati ſunt oculi mei. Oculorum peior eſt cauſa: quia exaltatio cordis ad paucos pertinet oculorũ elatio ad omoes: de quibus Ioannes diſcipulis quid prædicet, omnibus eſt in viſu. Nolite inquit, diligere mundum, neque ea, quę in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, noo eſt charitas patris in eo: quoniam omoe quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & coocupiſceotia oculorum, & ambitio ſæculi: his enim auctoribus concipitur, his ducibus geritur, his miniſtris impletur, quicquid quotidie concupiſcentia, ambitione, auaritia ardet in ſæculo. Quare vtráq; ſunt vana: quia & cordis exaltatio nullos fructus inueoit, & oculorũ extollentia de alio in aliud elata, quicquid viderit, mobilitate fugaci ſtatim deperdit. Dehinc ſequitur. Neque ambulaui in magnis, B neq; in mirabilibus ſuper me. Magna eloquia Dei ſunt, ipſe mirabilis in excelſis, cum in periculis eſſet, ſi in his propheta non ambulet, quomodo boοum inſuper ſibi opus aſſignat ab illis recedendo, in quibus oportuerat ambulari? Prioribus fratres, poſteriora reſpõdent. de rebus enim loqoitur ſecularib⁹. In magnis, & mirabilibus ſe dicit non ambulaſſe, vtique noo Dei, ſed in illis, quæ magna ab hominibus hic putátur in ſæculo. At cum addidit; Super me, oſteodit ounquam ſe elatum fuiſſe, cum poſſet: nulli enim facilius efferũtur, niſi quos inopinati honoris culmen extullit: Dauid quippe humilis, abiectus, igoobilis ſui iacebat in domo patris, oues ſemper paſcendo, propemodũ peregrinus, innocens cum innocentibus deputatus. Hic placuit Deo, vnctus io regem, C ſpiratus in vatem, nõ inſoleſcit io regno: obumbrat neminem prophetæ terrore: iniurias ſuas non exequitor regia poteſtate: odieotes ſe diligit: inimicis parcit: parricidialibus filijs ignoſcit: perſecutorem ſuum, & quod magis eſt, regem aliquoties à Deo in manus traditũ ſibi mauult ſemper timere, quàm occidere: iouerſo gratus officio, Deo Dei munus retinendo placiturus, rex manſuetus: pater pius: propheta modeſtus: totum patiſ: à toto diſſimular: magnis ac mirabilibus ſæculi non immutatur: mitem humilémque retinet vbique paſtorem. Poſt adiecit; Si non humiliter ſeotiebam: ſed exaltaui animam meam. Videamus, ne fortè propheta ipſe ſe impugnet exaltaodo animam ſuam, qui cor ſuum ſe non exaltaſſe gloriatur. Non ſibi repugnat, ſe oſtendit animę eſſe ſublimitatem ſuperiora viciſſe: quia, qui ſe exalta- D uerit, humiliatur, & qui ſe humiliauerit, exaltatur: animę enim depreſſio cor elatum eſt: cor cobibitum promotio eſt animę: Huius rei teſtes ſunt nobis duo homines propheticum carmen ſuis actibus expooentes Phariſæus, & Publicanus, Dei ſtãtes in templo. Phariſæus inſulsè manus tendit in cœlum, quæ cædis ſæpe, ſæpe miniſtræ fuot rapinarum, oculos impudenter extollit, quorum lenocinio mundus in flore eſt, intonat lingua; caret quæ nunquam veoeno ſerpẽtis, &, quod omni eſt maius inſania, Deo ſe laudat. Publicanus autem non mẽbratim Deum, ſed totus exorat: quia timore totus eſt humilis, ſua peccata cooteſtans, ſecundum Domini dictum à quo procedent vniuerſa genera peccatorum, pectus crebro percutiens, quodammodo cor ſuum mano verecundè ca- E ſtigat, poſtulátque tantum veniam delictorum taciturnitate, non voce. Quorum quis quid ſit conſecutus, accipite. Qui totum ſibi ipſe promiſerat, inanis: qui nihil præſumpſit, iuſtificatos de templo diſceſſit.

SERMO SECVNDVS DE PSALMO CXXX.

In quo pauca addita, quibuſdam mutatis continentur ea quæ in primo.

BREVIS pſalmus eſt, & diſtinctione magis, quàm tractatu explicãdus ad humilitatẽ nos, & manſuetudioem docens. Et quia plurimis alijs locis oõnulla de humilitate tractauimus, ocioſum eſt eadem repetere. Certè meminiſſe debemus

maximum fidei noſtrę opus eſſe humilitatem; cum hanc A pro operis optimi conſcientia propheta cõmemoret dicens: Domine non eſt exaltatum cor meum. Optimum enim ſacrificium Deo cor contribulatum. Non corſecundis rebus efferendũ eſt: ſed Dei metu intra manſuetudinis fines humilitate cohibendum. Neque elati ſunt oculi mei, id eſt non ex alio in aliud elati ſunt oculi mei. Eleuandi autem oculi ſecũdum dictum prophetæ ſunt: Eleuate inquit, oculos veſtros, videte, quis oſtendit hæc omnia. Et Domious in Euangelio ait; Eleuate oculos veſtros, & conſpicite regiones, quia albæ ſunt ad meſſem. Eleuandi ergo ſunt oculi, ſed nõ rurſum in aliud eleuandi, vt ſemel in id, quod elati ſunt, perſeuerent. Dehinc ſequitur. Neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me. Magni periculi res eſt, ſi in modicis ambulamus, & ſi nõ in mirabilibus demoramur. Magna eloquia B Dei ſunt, ipſe mirabilis in excelſis eſt. Et quomodo tanquã booũ opus de ſe propheta profert, quod in magnis, & in mirabilibus non ambulet? Sed cum addidit ſuper me, in his non ambulat, quę hominũ mirabilia, & magna credũtur: Dauid enim propheta, & rex erat, humilis ante, & abiectus, neq; cõuiuio patris ſui dignus, ſed Deo cõplacuit. Vnctus in regem: aſpiratus eſt in prophetam: non inſoleſcit in regno: non odijs commouetur, perſequẽtem ſe amat: ioimicorum mortes honorat: parricidalibus filijs parcit. Imperator contemnitur: pater læditur: propheta vexatur: vltiooẽ, non vt pater ſumit: contumeliam, non vt imperator, exequitur. In his ergo quæ ſuper ſe magna, & mirabilia ſunt, non ambulat. Sed videamus, quę ſequuntur. Si ooo humiliter ſentiebam, ſed C exaltaui animam meã. Quæ prophetæ iſta diuerſitas eſt? Non exaltat cor: exaltat animam. Noo in magnis, & mirabilibus ſuper ſe ambulat, ſed noo humiliter ſentit. Excelſus animo eſt, & corde ſummiſſus: humilis in ſuis, ſed noo humilis in ſenſu eſt. Senſus eius in cœlo eſt: anima eius eſt in excelſis: Corde autem ex quo, ſecoodũ Euangelium, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicatiooes, furta, falſa teſtimooia, blaſphemiæ, humilis eſt, ſuaui illo mãſuetudinis iugo ſubditus eſt. Tenendus ergo humilitatis & altitudinis modus eſt, vt corde humiles, ſenſu vero & animo ſimus excelſi. Dehinc ſequitur; Sicut ablactatus ſuper matrem ſuã, ita retribue in animam meam. Ablactato Iſaac accepimus Abraham feciſſe cœnã, quod ablactatus iam puerili ætate proximum D cibum lactis excederet. Et Apoſtolus omnes rudes fidei, & infantiles adhuc in Dei rebus ſciẽtię lacte potat. Ergo profectus maximus eſt iam lacte ooo indigere: ad fortiorem enim cibum tranſiſſe filium ſuũ Abraham etiam conuiuij lætitia teſtatus eſt. Et Apoſtolus carnalibus & paruulis in Chriſto panem negat dicendo; Lac vobis potum dedi, non eſcam. Propheta itaq; orat, quia non exaltauerit cor ſuum, quia non in magnis, & mirabilibus ſuis ambulauerit, quia non humilia ſenſerit, ſed exaltauerit animam ſuã, vti tanquam ablactatio ſuper matrem ſuam retribuatur animæ eius, ſcilicet perfecti, & cœleſtis, & vinẽtis panis retributione ſit dignus, quia ſuperiora, quę commemorauit, opera iam cibum lactis exceſſerint. Sed neque ſibi tantum hunc viuum cęli panem precatur, ſed vniuerſos ad huius ſpem adhortatur dicẽs: Speret Iſrael E in Domino ex hoc nunc, & vſque in ſæculum ſæculi. Spem noſtrã nullo fine temporum claudit: in immenſum expectationis noſtræ finem tendit. In ſæculũ ſæculi ſperandum eſt per ſpem præſeotis ſæculi ſpem futuri ſæculi conſequendam io Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE ISAIA, SERMO I.

AVDI cœlum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus eſt, Filios genui, & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt. Grandem Iudaicæ geotis offenſam libri iſtius exordia proloquũtur: & iracũdiam diuinę indignationis oſten-

Digitized by Google

dunt, quæ alias perſonas, vt verbum Dei ab ipſis potius audiatur, hortatur: nõ eſt enim parum criminis, vt ſemper apud ipſos diuinus ſit ſermo prolatus, nunc alteris videatur ingeſtus. (A) Vnde reiectio Iudæorum eſt aliarum electio perſonarum, quia cum alteris, vt verbum Dei audire debeant, dicitur, Iſrael ſic reprobus inuenitur. Et dũ clamat propheta; Audi cœlũ, & terra, ſignificat, quod illi audire cõtempſerint. Audi inquit, cœlum, & percipe auribus terra. De cœlo, & terra prophetã fuiſſe teſtatum quaſi de aliqua re eſſe conqueſtum? Vel, cum dicitur; Audi cœlum & terra, tanquã nunquam aut cœlum audierit, aut terra, cum iuſſui Dei & cœlum obſecundet, & terra: quia cœlũ pluuias, & fruges terra nõ denegat? Sed quia hæc prophetia nouiſſimis erat cõplenda tẽporibus ſub Domini Saluatoris aduentũ: qui non eſſet a Iudæorum populis audiendus, quod cum Apoſtoli eſſent, & homines ea gentibus audituri, ideo ait; Audi cœlum & terra. (B) Cœlos autẽ Apoſtolos eſſe claro teſtimonio veritatis affirmat: ſic enim ait. Et videbo cœlos opera digitorum tuorum. Hic vtique non de cœlis iſtis loquitur, quos ſemper viderat, ſed de Apoſtolis, quos videre optabat. Et iterũ: Texit cœlos virtus eius: eo quod Apoſtolos ad mirabilia faciẽda Spiritus ſanctus obũbrauit, & texit. Et denuò: Cœli inquit, enarrãt gloriam Dei. Et hic vtiq; non iam cœlos loqui dixit, quos loquẽtes nullus audiuit, ſed Apoſtolos alleuerat, quorum prædicatione gloria Domini per tota terrarum ſpatia nunciata eſt. Terram homines intelligendos frequens prophetarum aſſertio demonſtrauit. Iubilate inquit, omnis terra. Et alibi; Audi inquit, terra ex ore meo: quo vocabulo gentiles homines ſine dubio comprehendit, in quibus adhuc erant o- (C) pera terrena. Hoc eſt ergo, quod ait; Audi cœlũ & terra: quod Iudæis non audientibus, Chriſtus Dominus eſſet ab Apoſtolis, & gentibus audiendus. Filios inquit, genui, & exaltaui. Hęc Domini vox eſt: quia iam tunc per prophetam Iudæos obiurgabat incredulos, & quæ eſſent futura, priuſquam fierent, admonebat. Proprium eſt enim Dei ſcire tranſacta, & noſſe ventura. Filios inquit, genui, & exaltaui. Infinita Iudæi infidelitate ſua apud Dominũ noſtrum odia meruerunt, quod iam quanta fuit de amore gratia, tanta de eorum offenſione futura vindicta eſt: certum eſt enim in eum filium, poſtea quam deliquit, granditer vindicari, quem pater plurimo dilexit affectu: & quantum pietatẽ dilecto filio amatus pater exhibuit, tantam læſus exigit vltionem: quia cum vicem non red- (D) didit patri dilectus filius, dignam ſententiam percipit abdicatus: cuius enim impietas paterno affectui parem gratiam non refert, quantum ſit criminis dici nõ poteſt, Deum patrem non dilexiſſe, cum peccatũ ſit hominem non amaſſe. Vnde infœlices & miſeri ſunt Iudæi, qui Deum patrem, à quo ſunt geniti, reſpuerũt tanq̃ immemores honoris, tantæ dignitatis ignari: quid enim beatius, quàm ſi homines Deus paterno honore dignetur attendere, & tanta illa ſublimitas humanam mediocritatem aut caram habeat, aut dilectam? Filios inquit, genui. Hoc Dominum de hominibus dixiſſe quàm dulce eſt? talem patrem læſiſſe quàm turpe? Filios genui, & exaltaui. Vtique filios Iſraël Dominus genuit, qui Abraham, vnde naſcerentur, elegit. Hos in Ægypto genuit, vbi in- (E) greſſis paucis hominibus innumerabilis multitudo proceſſit: & ad eremum Dominus perduxit manu forti, & brachio excelſo. Exaltatus eſt Iſraël, quãdo per triduum tenebræ, & caligo totam Ægyptũ circundedit. Exaltatus eſt Iſrael, quãdo tot, & tanta tormenta Ægyptiorũ, ſolus ipſe nihil aut timuit, aut ſẽſit. Quid illud, quod per mare mediũ terrenũ duxit ingreſſum? Quid, quibus de cœlo quotidianum mãna in eremo, & aquæ potus è ſaxo, quæ per lignũ amara dulcis effecta, quã per lignũ crucis amaritudine excluſa gentilitas bibituri eſſemus? Exaltati filij Iſrael, quando ad Iordanem ſecurus ab Horeb acceſſit. Quid quotidiana Dei colloquia? Ipſi autẽ me ſpreuerũt: ad crucem enim perduxerunt, per quam crucem euaſerunt Pharaonem, ſed iterum derelinquitur filia Sion.

DE ISAIA, SERMO II.

De Iudæis.

(A) Sicut Iſaiæ beatiſſimi indicat carmen, Iudaico populo iraſcitur Deus: eúmque, ne forte pœniteat, publica obiurgatione cõfutat. Humana ſentienti nundinari deterius eſt, quàm puniri. Denique filios vocat, vt abdicatio timeatur: exaltatos, vt ruina terrori ſit: Spretores, vt pœnam ſupplicij ſibimet impendere cognoſcant. Quod exemplum fratres fortiter fugite: ſimulque gaudete, quod alienis plagis Dei diſcitis diſciplinam per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum.

DE ISAIA, SERMO III.

De Iudæis, idem ferè cum ſuperiore.

(B) Vehemens commotio eſt, fratres cum is de iniuria ſua queritur, qui ſe poteſt facillimè vindicare. Sed quia apud ſapientes, & honeſtos grauius eſt aliqua nota confundi, quàm mori, Deus Iudaicum populum luxuriæ æſtu exuberante corruptum publica increpatione confutat: cœlum terrámque teſtes citat, vt exaggeret crimen: filios appellat, vt abdicatio, exaltatos, vt ruina timeatur: ſpretores ſui, vt impios monſtret. Infœlix culpa eſt fratres, in qua locũ qualiſcumque non inuenit excuſatio. Deteſtabilis certè filius, quem pater pius, quem pater damnat inuitus.

DE ISAIA, SERMO IIII.

De Iudæis.

(C) Humanus circa impietatẽ Iudaici populi deficit ſermo: qui Dei patientiam ſui obſtinati cordia impatientia ſuperauit: non enim leue crimen eſt, cum de eo ille queritur, qui mox eum poterat & punire. Sed quia mors apud incredulos futurorum putatur pœnæ compendium, ac penè pro infecto habetur, quod non diffamatur, cenſuit eos cœlo & terra teſtibus denotare, vt inexcuſati facinoris competenti iudicio ſubiacerent. Denique res impleta eſt Domini paſſione, cœlum in medio die perdidit diem: terra tremore nimio firmitatem. Hinc æſtimare licet, (D) quid eis ſit reſeruatum, quorum in cauſa funerei luctus pœnæ pertulit natura ſupplicium.

DE ISAIA, SERMO V.

De Iudæis.

Ivdaicvm populum vniuerſum ſalutis ſuæ omiſiſſe præſidium diuini carminis textus oſtendit, in quo cum non ſæueritas apud omnes condamnat fratres venerãdi, ſed pietas: neque enim poteſt de quoquam bene mereri, quem pater patientiſſimus, & elementiſſimus abdicauerit, & quidem non accuſatione, ſed probatione conuictum. Denique iniuriæ ſuæ teſtes citat cœlum terrámque. (E) Terram, in qua vniuerſa geruntur: Cœlum, ſub quo geruntur, filios appellat, vt exaggeret crimen: exaltatos, vt ingratos oſtendat. Bouem illis, aſinúmque præponit, vt grauius poſſint, ſi reſipiſcant, comparatione torqueri, quàm pœna.

DE ISAIA,

SERMO VI.

Qvantvm ſonus lectionis indicat fratres, Iudaicus quidem populus impietatis arguitur, ſed Chriſtianus, ne talis euadat, pariter cõmonetur. Denique; vt iſte plus timeat, ille terretur: ille vapulat, vt iſte proficiat. Cõpendioſum fœlici-

Digitized by Google

ratis genus alterius periculo diſcere, quid debeas deuitare. Vnde fratres in tali re non loquela eſt exhibenda, A
ſed cura. Quam paucis accipite. Iram Dei generaliter comminantis qui vult effugere, debet illi inculpatè ſeruire. Memoratæ vineæ diſputatio fratres dilectiſſimi lõgè latéque diffuſos limites habet: quos peragrare cõpetenti ſermone vrgentiũ ſacramentorũ non ſinit pondus. Veruntamen, ne in toto ſolennitas ceſſet, paucis eius deguſtate ſermonem. Vinea Dei quidem prior ſynagoga fuit, ſyluoſis errantiũ palmitum crinibus vilis: quæ cum per voluptuoſa, ac profana loca laſciua paſſim ſe fronde diffundit, generauit pro fructibus ſpinas, pro vua labruſcam. Cuius rei indignitate commotus Dominus, illa deſerta, aliam ſibi, id eſt Eccleſiã matrem ſua pro voluntate plantauit: quam ſacerdotalibus officijs excolens, piáq; potatione fœcundans fœlici ligno ſuſpenſam vberrimam docuit afferre vindemiam. Inde eſt, quod hodie B
veſtro de numero nouellæ vites ad iugum perductæ ſcaturientis muſti dulci fluento feruentes vinariam Dominicam cellam communi gaudio repleuerunt. Quod vt vobis quoque fide veſtra adoleſcente contingat, præſtabit Deus pater omnipotens, per Dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus cum Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum.

Sermo de martyrio Eſaiæ Prophetæ.

ISAIAS cum Chriſtum prædiceret, vel cum futuræ damnationis elogium Iſraëlitico populo nuntiaſſet, atroci feritate blaſphemantium cõmota barbaries ſectum à capite dua- C
bus eum violẽto ſupplicio quaſi offulis biffidauit: iuſſitque à capite per aures vſque ad ſcapulas ſecari ceruicem, quaſi parum fuerit, ſi immanitate lymphatica martyrem Dei acuto enſe trãsfoderet, aut ipſa lamina inſontis viri per iugerum fidiculæ ſæuientis per coſtas ſtridente ictu ſulcaret, niſi in vnum corpus duas offulas gemini penè cadaueris ſciſſæ carnis ruptura truculentus appeteret, & duas de æqualitate iuncturæ quaſi formulas exſecaret. Sed in tanto cœleſtis paleſtræ miraculo nullus (vt arbitror) ſpectaculos reſultanti, ita videre eum poterit, qui geſta numerare perrẽret. Idcirco ſolicitis viſibus veteris diſciplinæ nouã de paſſionibus celebritatem aduertite: qualiſque illic fuerit martyrij nobilitas: quàm præclara: quàm fortis. Cum in capite, hoc eſt collectę ſenſualitatis D
vmbilico ſerra viam faceret, & ſtridore reciproco ſulcos dentium duceret, labebatur (credo) lamina, dum dentes infigit: & per meſſem capillamenti, craſſumque teguminis velamentum, vel calloſæ glutinum cutis Hebræas capitis literas textum verticis merſit. Mox ſe vt ad cubile cordis concinnamenti niſu ſector ſolicitus defixiſſet, fontis fluenta purpureis laxatis venarum lapſibus, ne venas vermiculatim pollice profanus intenderet, croceus ſe affatim imber infudit: vt tecta gurgite ſanguinis venarum pictura non tremeret, neque miraretur, quale eſſet illud, vnde victus erubeſcere cogeretur. Patuerunt quippe internorum viſcerum caſtidici inuenis laqueata commercia, ſonus buccinæ ferientis, profunda viuacitas, & ſicca ieiunia voluptatum. Sed Belial E
filius Ezechiæ, vir cruentus & prodigus genealogiæ, mathematicus, catabolicorum, fatidicorum, & pythonicorum antiſtes intra loricam ſacri pectoris fidei comitium, prędicationis politicæ literarum curiam requirebat. Et licet iam eſſet membrarum corporis diuiſa poſſeſſio, interna proderet, abdita reuelaret, obſcura porrigeret, & quale eſſet illud, vnde victus erubeſcere cogeretur, vt perſecutor ioſamis hominem Dei dentibus diſcerperet alienis, Propheta tamen egregius, & illuſtris inter reſupinatos ſectores, & pendulos tamdiu immobili inconcuſſi corporis perdurauit ſtatu quamdiu duo eſſe inciperent, qui figuras gentium cum ſuo perſecutore damnarent.

DE DANIELE, SERMO I.

De tribus pueris.

MARTYRII quodammodo pars eſt, fratres, dilectiſſimi martyres non horruiſſe ſupplicium: quantum etenim multiformis crudelitatis lugubris cõtemplatio terrabit à corona tantum generoſa, ac perfecta fides, quique illi fuerit cruciatus, ſua complicat vota. Denique tres pueri in illo ſacro certamine præ oculis Deum ſibi propoſuere, non flammas: præmium futurum, non pœnam. Sicque inter tetros vndantis incendij globos triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipſum quoque ſuppliciũ docuerunt ignes ſanctis hominibus non eſſe fortiores, per Dominum Ieſum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

DE DANIELE, SERMO II.

De tribus pueris.

TRIVM puerorum martyrium qui credit interitus, poteſt etiã ipſe adipiſci martyrium: tanta enim vis certaminis fuit, vt eã ipſe quoq; ignis horruerit: nam à barbaro rege nimia crudelitate tribus pueris conſulente fornacis vltra, quam ſolet, ſeptenario pabulo ignis armatus eſt. Credo diuina prouidentia ſacramẽto Trinitatis ſpiritalẽ quoq; numerum conuenire. Denique nec irrorati camini eis baptiſmatis defuit gratia. O admirabile incendium. O verè ſpectaculum Deo dignũ. Qui audiunt, timent: qui incenderant, ardent: qui incenſi ſunt, ſanctificati & incolumes de camino procedunt per Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum.

DE DANIELE, SERMO III.

De tribus pueris.

INGENS ſuppliciũ aliquotiens ingentior proſequitur gloria, maximè diuinis in rebus: in quibus fœlices obnixa deuotione ſuã religionem cuſtodiunt potius, quàm ſalutem. Igitur cum audio tres pueros incenſos, prius vehemẽter horreſco, mox deinde corũ particeps optauerim fieri, cũ cognoſco inter flammas roſculentos hymnũ Deo cecinisse ſecuros: tanta eſt enim fidei virtus tantáq; poteſtas, vt cultoribus ſuis etiã ipſa elemẽta contra ſuam naturam famulari compellat. Vnde fratres, atrociſſimæ rei non vos terreat contemplatio: non enim vlla eſt metuenda iam pœna, cum incenſorum ſuperſtes inſultet ignibus vita.

DE DANIELE, SERMO IIII.

De tribus pueris.

MIRVM fratres chariſſimi, ac delectabile certamẽ Deo hiſtoria ſacra prodidit nobis ignis, ac fidei: etenim duo diſcordantia deuotione Dominica in vnam concordiam conuenere: námque tribus in pueris fides puniri non timuit: immiſſis camino ignis exæſtuans detulit, vt eos vnius virtutis eſſe perſenſit. Denique arſit incendium incendentibus, non incenſis. O admirabilis ratio. O inæſtimabilis gloria Dei. Sacramento Trinitatis tàm potentis elementa ſubacta natura eſt. Qui putabantur incendio extingui, emicant beatiores incenſi.

DE DANIELE, SERMO V.

De tribus pueris.

CREDVLO percipe corde rem mirã Chriſtiane, omníque virtutum exemplo famigerabilem. Hebræi vere tres pueri, ſenum cõſtantia maiores, iuuenum virtute fortiores, ſibi pares Trinitatis ſacramẽto præmuniti, vnitatis vna fide ſolidi, æqualitate pares, paſſionis victoria glorioſi. Hos barbarus rex, quod eius ſtatuam adorare contempſerint, incendi

præcepit. Qui vbi iactati ſunt in fornacem ignis ardentis, hos deuorè cupidus ignis excepit, lambunt roſidos flammæ blandientes. Mirares, opacitas intus: incendium foris eſt, intus hymnus canitur: foris vlulatus auditur. O magna potentia Dei. Incenſores incendio concremati ſunt: &, qui incenſi ſunt, incendio ſuo ſuperſtites triumphantes de camino procedunt, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

DE DANIELE, SERMO VI.

De tribus pueris.

EXVLTA Chriſtiane, & Deum fortiter time, diaboli ſi vis incendia non timere. Ecce pueri ſacramento muniti tres numero ſed vna virtute anhelantibus flammis, camino rugiente non læduntur, incenſi hymnum canunt: barbarum regem fidei tenacitate confundunt. Vindicantur de incenſoribus ſuis, Deum vident: mors tranſit in vitam: metus in gloriam. Sic quis non optet ardere?

DE DANIELE, SERMO VII.

De tribus pueris.

TRES Hebræi venerabiles, numeri ſacramento muniti, ætate teneri, ſed fidei ſoliditate robuſti, ſupplicio ſuffragante glorioſi, amore diuinæ religionis regis adorare imaginem contempſerunt, vtpotè qui ipſum cōtempſerunt regem qui ira ſufflatus ſolio ſepties amplius caminum iuſſit incendi: ac ne quid immanitati ſæuiētis deeſſe videretur, pice, & ſtupa armatum citatur incendium: æſtuantibus globis rubeſcit quoque ipſum alienis ignibus cœlum. Illo præcipitantur inſontes: ibidémque, propter quem præcipitantur, inueniunt. Denique excipiuntur non flamma, ſed rore Dei dignitate, non pœna. O fœlix ſupplicium, quod incolumitate ſuperante immortalitas proſequitur, & corona.

DE DANIELE, SERMO VIII.

De tribus pueris.

EVIGILA Chriſtiane, omniq; ſecularis ſomni torpore diſcuſſo, apertis auribus cordis à pueris diſce virtutē. Sed vide, ne æſtimes falſum, quod eis ceſſit incendium. Veritatem ratio proteſtatur. Qui nunc in ſe credentes baptizat Spiritu ſancto, & igni; ipſe tunc quoque numero ſuæ affuit Trinitatis. Denique rem ſacramento geſtam eſſe cognoſce. In caminum miſſi vt ſubmerſi ſunt flammis, ſtatim inuiſibili rore incendia temperantur: mors refugiens mutat officium: incenſores cremantur: incenſis hymnum canentibus flamma blanditur: Deus à creatura benedicitur vniuerſa. In tribus vna mens, vna virtus, vnus triumphus exultat. Melioratur vita ſupplicio. Rex non inuiderat pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.

DE DANIELE, SERMO IX.

De Suſanna.

QVOTIESCVMQVE in hoc peruerſo ſæculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur inſidiæ, & diuerſis calumniarum generibus factioſę emerſerint cauſę, quid homo peſtilens excogitet, vel quid diabolus machinetur, non metuat iuſtus: quia cum illo eſt Deus. Inde Suſanna illuſtris Hebræa veræ decus pudicitiæ docuit fœminas ſuæ caſtitatis exemplo. Stabat Suſanna in iudicio perditorum falſorum teſtium oppreſſa mendacijs, conſcientię tamen bonis contēta ſecretis, non tam rea ſuſceptura ſententiam quàm dicata Deo pro caſtitate fortiter moritura: & quam iudicantium ſententia praua deiecerat, illuſtris conſcientiæ integritas erigebat. Sufficit ergo pudicitiæ conſcientia: teſtis eſt Deus. Non reſpexit caſtitas, quid falſi dicerent teſtes, aut qualiter iudices circumuenti damnarent: non denique qualiter diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta ſubuertere. Ibat ad ſupplicium non adulterum corpus, in quo extrema libido ſenilis exarſerat, ſed quod infamauerat diabolus, & quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæſus. Tunc in puero ſancto Daniele Spiritus ſanctus ingreſſus ait, cum illa ad ſupplicium duceretur: Reuertimini ad iudicium: falſum enim iſti conteſtati ſunt de ea. Stupet populus, quod a ſupplicio ad iudicium repetendū reuocaretur addicta. Falſos teſtes pauor inuadit, tremuit diabolus, quod ipſius commenta nudentur. Gaudent Angeli, quod oppreſſa veritas tandem defendatur in terris; Triumphat maritus, quod caſtam inuenerit coniugem. Lætatur familia omnis, quòd in ea nihil inueniat fama quod feriat. Cruciatur diabolus, quod nulla ex parte ſuam perfecerit voluntatem: nec adulterium enim, quod factum diffamabat, exercuit: nec homicidium, quod procurabat inuenit.

Sermo de Iona.

HVMANÆ deuotionis religioſa confeſſio eſt, de Deo hoc noſſe, quod licitum eſt: ſicut enim in ſimplici corde ſcrutanda ſunt teſtimonia eius, ita curioſitate non ſunt inquirenda ſecreta. Quis enim cauſas, naturáſque cœli huius, & ſuperiorum ſciat? Quis corpoream aeris huius, vt quidam putant, inanitatem ſe diſſerere poſſe mentiatur? Quis terram aqua portari an aquam terræ gremio contineri ſe noſſe præſumat? Quis ſpiritus aerios: quis figuras ventorum: quis inter marinos æſtus fluminum augmenta: quia denique opificium Domini; Deique conſilium ſe deprehendiſſe gloriabitur? cum Apoſtolus dicat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inenarrabilia ſunt iudicia eius, & quam inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? Non enim in horum inquiſitione exæſtuans propheta dicit, De profundis clamaui ad te Domine: clamat namque de profundis, id eſt de imis præcordijs: clamat de profundis, ſed quibus leptus erat mœſtus, ac triſtis, calamitatibus humanis: & clamat non voce, ſed corde: non clamore, ſed fide, quam ſcit Deum libenter audire. Hoc igitur è profundo clamans ſimiliter Petrus impetrauit à Domino, vt profundi maris lubricos ſinus, inſubditáque humanis greſſibus liquidi æquoris terga, quibus viator trepidus abſorbebatur, & perambularet pariter, & euaderet. Clamat de profundis & Paulus obrutus calamitatibus beatis, cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in ciuitatibus patitur: cùm à Iudæis virgis ter cæſus naufragio trino diluitur: cum inſani populi furibūda tempeſtate lapideis imbribus fœliciter grandinatur: cum in profundo maris die demoratus, ac nocte ad Deum clamās incolumis inde reſpuitur. Ionas adæque propheta ad Niniuitas miſſus à Deo eſt, eorum vt imminere ciuitati interitum nunciaret: ingentibus enim peccatorum ſarcinis premebantur. At ille alio deflexus itinere nauem Tarſos petiturus aſcendit; cum ſubitò compugnantium ventorum flatu violento laceſſitum fremit mare: ſollicitique gurgitis præruptorum montium cauis voluminibus repugnantium littorum ſpumantia ora contundens minatur per momenta naufragium: procellæ crebreſcentes inſaniunt: horrendum ſibilant funes: gemunt cedentibus velis antennæ: retunſa vndiq; iter non inuenit prora. Trepidant nautæ: feſtinant incaſſum iactura vaſorum nauem leuare ponderibus, quę prophetæ pōdere premebatur. Tum Ionas, quē ſolum * expetebat bona illa tempeſtas, forte ductus

naufragus

Digitized by Google

naufragus redditur, imò à ligneo ad nauigium vitale transfertur: qui, vt eſt dimiſſus in altum, ſeuinæque voraginis eſt receptus hoſpitio, vigilat in ceto, qui ſtertebat in naui. Mira res! poſt naufragium, poſt natatile ſepulchrum incolumis tertio poſt die Niniuitas illuſtrat, terribilibus oraculis ſalutē ciuitati credulæ præſtaturus. Quantum datur intelligi, fratres, nauis typus eſt ſynagogæ, eius proretam ſacerdotale corpus accipimus: nautas Scribas, & Phariſæos: ruſticam vaſorum repudiationem Prophetarum, omniúmq; Sanctorum, quos ſynagoga pulſos Iudæi in damna ſalutis ſuæ indignis cædibus mactauerunt. Venti ſæuientes diuerſi ſunt reges: qui Iudæam lugubri clangore tubarum, armorúmque fragore terribili inſtātibus vndique præliorum procellis miſerabiliter per totum orbem diſperſēre terrarum. Ionas in naui dormiens ſacramenti Dominici imaginem præferebat: etenim ſignificabat nauis materia crucem: ſomnus verò paſſionem. Mare autem mundus eſt iſte tumidus, fluctus eius Iudæorum populos, & gentes accipimus, quia aduerſus Deum inaniter fremuerunt, ſors Ionam præcipitandum prodidit: prophetia paſſurum Dominum prædicauit, vtróſque volentes illum conditione, Dominum pietate. Cetum eſſe non dubitaris infernū; ſicut enim Ionas tribus diebus, & tribus noctibus fuit in ventre ceti, euomitúſque Niniuæ ſe intulit ciuitati, ita Dominus poſtridie ab inferno reſurgens ſe ciuitati Ieruſalem intulit antequàm cœlo. At verò Niniue imaginem portat Eccleſiæ: in qua gentium iam inde noſter populus notabatur: quæ non incaſſum à Deo magna ciuitas dicta eſt, erat enim futurum, vt omnium nationum in Chriſto credentibus populis totus orbis Deo vna ciuitas redderetur. Denique comparationem ſalutaria geſta confirmant, quæ & in nobis manent. Vt eſt fratres, Niniuitis nunciatus interitus, credunt, & timent, & quantò ſciunt Dominum non eſſe mendacem, tantò propenſius eius de pietate præſumunt: ſtatímque actus veteris vitæ damnantes pro ſalute redimenda non ſolito more ad ſtupida ſimulachra concurrunt, non aris fœtentibus funeſtos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexpectata morte rapti iecoris ſpirantis conſulunt fibras, nec per varios auium volatus coniecturis inanibus ſtatū plumeę ſalutis inquirunt, ſed à ſuo corde remedium ſalutare depoſcunt, ſpiritúmque ſuum tota humilitate contribulatum ambitioſè ſacrificant. Sicque legitimè celebrata pœnitentia Deum ſibi propitium reddiderunt. Quod & nos fecimus, & facere plerúmque debemus, vt & præſentis temporis tentationes, & futuri iudicij euadere mereamur per Chriſtum Dominum noſtrum.

SERMO DE EVANGELIO ſecundum Lucam.

De duplici tentationum ſpecie.

DVPLEX eſt tentationum ſpecies: aut enim tribulatio cor vexat humanū: & ſicut aurum in camino per patientiam probatur vnuſquiſque, & agnoſcitur: aut interdum etiam ipſa vitæ proſperitas ad tentationē cedit hominibus: ſimilis namque eiuſdémque ignauiæ eſt in aduerſis humilem ac miſerabilē fieri, in proſperis inſolenter efferri. Exemplum ſanè, quod nō debemus animo deijci in aduerſis, aduerſis habemus magnificum. Iob inclinare in triſtibus penitus neſcientem: qui omnem diaboli violentiam, velut torrentis cuiuſdam aduerſum ſe turbidi euenientem immobili corde, & inconcuſſa mentis viuacitate ſuſcipiēs, tantò clarior ex tentationibus factus eſt, quantò difficiliora, & periculoſiora ei ſunt ab inimico intentata certamina. Exempla verò eorum, qui per ſecundos vitæ ſucceſſus, proſperitatéſque tentātur, multa quidem habemus & alia: non minus tamen & eius, qui nunc de Euangelio recitatus eſt, diuitis: qui alias quidem fecunditas premebat diuitias, alias vana ſpe iocunditer præſumebat, dum benignitas Dei auiditatis eius intemperātiam non ſtatim ab initio nec cōtinuo, vt pullulare cœperat, punit, quinimo, & reconditas diuitias nouis nihilominus, & aduentitijs diuitijs cumulat, ſi forte eum aliquando nimietate ipſa ſatiatum ad ſenſum, & intelligentiam humanitatis adduceret, † animámque eius per abundantiæ nimietatem ſuaderet aliquid de indigentibus cogitare. Sed videamus, quid de eo dicit ſermo diuinus. Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat apud ſemetipſum, Quid faciam? Deſtruam horrea mea: & maiora ædificabo. Dicis fortaſſe. Cur ager hominis boni nihil operaturi vberes attulit? Vt magis, magiſque Dei patientia noſceretur, dum ad huiuſcemodi homines beneficia ſuæ benignitatis extēdit: pluit enim ſuper iuſtos & iniuſtos: & ſolem ſuum oriri iubet ſuper bonos & malos. Verum talis iſta benignitas Dei ſicut per nimiam patientiam facultatem conuerſionis & emendationis indulget, ita maiora, & grauiora ſupplicia coaceruat, & conuertat ingratis. Largitus ergo eſt Deus imbres vberes agris hominis auari: ſolem præſtitit ad nutriendas ſegetes, multiplicādáſque fruges, vt aceruos diuitis augeret in omnibus moderata temperies. Igitur, quæ à Deo præbentur etiam ingratis, iſta ſunt: Terræ fœcunditas, aeris temperies, fructuum lætitia, boum ſubſidia, & omnia quibus anni prouentus ſecundis ſucceſſibus adimplentur. Quæ vero ab homine procedunt, qualia quæſo, ſunt, videamus: Anguſtus animus, & parum putans omne quod naſcitur, cuius abundantię deeſſe aliquid computans: tum deinde inhumanum propoſitum impartiendi cuiquam cauſam nullam idoneam putat. Vides beneficijs diuinis diues quàm ingratus exiſtit. Communis hominum naturæ nō meminit: æquum non putat ſaltem ex ſuperfluis ſuis aliquid egentibus impertiri, mandati immemor: Nuſquam non ceſſes benefacere indigenti. Scriptum non legit, nec recordatur præceptū eſſe, vt fides & miſericordia non deſerant ſe, &c. Confrange eſurienti panem tuum, & quæcumque vel à prophetis, vel à cęteris doctoribus hodie prædicantur, diues non audit, nec videt, nec intelligit: ſed horrea quidem diruit, & maiora reædificat, vt fructibus largioribus repleat: auari tamē diuitis cor & propoſitum non repleuit: ſemper enim ſtudet cumulare noua veteribus, & augmentis præſentium ſuperare præterita: & dum cumulis ſemper creſcentibus † ſolitos cupit vincere numeros aceruorum, ad iſtos inextricabiles cogitationum exitus deuolutus eſt, vt nec veteribus cederet, nec ſufficeret nouellis. Propterea ergo cauſa quidem cogitationis eius, ſolicitudo inutilis, & inanis. Quid inquit, faciam? Quis non talem miſeretur? Quis non infœlicitatem eius doleat? anguſtiatur ex abundantia: conſtringitur, & coarctatur ea opulentia, infœlix in præſentibus bonis, infœlicior in futuris. Et, vt video, ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores. Terra ei non fructuum copiam, ſed curarum moleſtiam † geminauit, ita vt curis ac mœroribus ſtimulatus egentibus, & eſurientibus ſimiles perferat cruciatus. Denique & egeni vox iſta eſt: Quid faciam? vnde cibus? vnde veſtitus? eadē conqueritur & diues; Quid faciam? vbi recondam? iiſdem cruciatibus pro ſolicitudine facultatum, quibus pauper pro egeſtate torquetur. Vides diuitem nec opimis copijs poſſe lætari: ſed mētem eius abſumit, ac ſoluit affluentia, dum nullo intellectu humanitatis ſentire poteſt, id ſibi abundare, quod alijs deeſt: non enim apoſtolicis commotionibus accommodat aurem ſuam, vt diſcat ab eo abundantiæ ſuæ rationem, cum dicit; Vt veſtra abundantia fiat, id eſt proficiat ad aliorum inopiam. Et quidem mihi videtur talis hæc paſſio animæ ſimilis eſſe his, qui tantum gulæ indulgent, vt diſrumpi magis nimio cibo eligant, quàm aliqui indulgere reliquias. Sed recordare ô homo, quis eſt, qui largitus eſt tibi teipſum? Quis ſis in memoriam reuoca. Seruus eſt Dei: & diſpenſatio tibi commiſſa eſt † do-

† al. animum

† al. ſolutos

† al. geminauit,

† al. dominium

meſtieæ facultatis. Recordare ergo, quis eſt, qui tibi iniunxit officium diſpenſandi ſuper familiam ſuam. Quid eſt, quod multis prælatus es? Non eſt vtique ſine cauſa; quod tibi à bono, & iuſto Deo officium tribuitur largiendi, alijs oeceſſitas imponitur indigendi. Diſpenſatorem te igitur conſeruorum tuorum ex † domeſticis facultatibus te eſſe cognoſce. Nec æſtimes, quod omnia ventri, & delitijs tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commiſſa tibi magis, quàm conceſſa cognoſce. Paruo tempore aliquantulum ſuper his lætaris, & abuti eis voluptuoſius delectaris: Cum vero hæc pariter cum vita oostra defluxeriot, rationem diſpenſationis noſtræ euocamur Domino reddituri. Hic mihi te pauliſper indulge, quiſquis es, qui diuitiarum diſpenſationem io hoc mundo ſortitus es: & te in illo terribili Dei iudicio tribunali adſtantem paululum quid vacans, ſi tamen vacare potes à diuitiarum ſolicitudinibus intuere. Cum interrogari cœperis, commiſſas tibi opes cum quibus egentibus diuiſiſti? quibus neceſſitatem patientibus ſubueniſti? quos de carceribus, de vinculis, de gladio profuſa pecunia liberaſti? quibus pupillis pater, cui viduæ vir caſtis prouiſionibus extitiſti? pecunia mea fructus mei quid apud te operis, quid vtilitatis habuerunt? Tu ad hæc ſine dubio reſpondebis. Omnia ſimul repoſita, ac recondita clauſtris validiſſimis, & ſignaculis tutiſſimis communiui, nulli quicquam tribui: quinimò & ad cuſtodienda ea vigilias addidi: meas curas impendi: ſolicitudioes tribui. Sed ſtulto conſiliario vſus es temetipſo: deliberans enim ais; Quid faciam? Conſequens vtique erat te de talibus deliberantem dicere; Aperiam horrea mea, & replebo eſurientes animas pauperum. Patefaciam, quæ recondita ſunt: & inuitabo indigentes ac releuabo afflictos. Imitabor beatum Ioſeph: & humanitatis voce proclamabo; Si quis indiget panibus veniat ad me, vt gratiam, quam Dominus indulgenti liberalitate largitus eſt, communem cum omnibus faciam. Velut ex communibus ergo fontibus hauriat vnuſquiſque, quod ſufficit. Sed tu nihil tale non ſolum proloqueris, verum nec cogitas quidem: quinimò communia omnibus hominibus diuina inuadis beneficia: tuā verò ipſius animam malignis conſilijs crucias, & affligis.

† al. dominicis

SERMO DE EVANGELIO ſecundum Ioannem.

De Lazaro ſuſcitato.

GRANDI fratres ſtupore, grandique miraculo per ambiguas curas hinc inde in concauo vertiginis ſinu pronis fluctibus torqueor. Lazarus mortuus eſt. Deo hic familiaris, teſte Euangelio apud Ioannem, cum quadragenariæ voluntatis geſtu carnis detrimenta penſaſſet: nam ſub occaſu iam propero, quod terrenis artubus debebatur, hoc eſt ipſi humo magis, quàm homini, vt nobis ipſis iuxta librum Geneſis optimus luti liquor in cauſa eſt, longè alibi Chriſto ceoſore, dum Iudææ finibus ſalutaria frænaretur, ſepultus eſt, & humatus: hoc eſt, vt inciperet eſſe, quod fuerat, lutum ſcilicet, dum deſinit eſſe, quod erat, forma vel fabula. Hic quippe per graues tenebrarum globos, & nigri horroris vmbracola, hoc eſt per quatuor dierum circulos, ſuccidua incrementi, & decrementi viciſſitudine renaſcentes, octo (vt ita dixerim) cum cærulis noctibus dies pendulo mandibularum rictu, eliſis in ore dētibus, vetito ore ſic iacuit. Verè quia de terrena labe confectus, putris gleba marceſceret: & neruorum traduces cum corporis qualitate miſerabili tabo infœlix ſepultura damnaret. Contractis igitur membris inter ieiunas, & numerabiles coſtas pellis tetra diſtenditur: & humoris riuus, qui de gurgite viſcerū relaxatur, fœtenti iam ſcorina per ſolum cadaueris teter, & cæruleus labebatur. Heu quando non poterat cadauer quatuor diebus, & quatuor noctibus per totum oris, fellis, & phlegmatis flumina ſentinarum, corruptis artubus fœtentia
A pulmonis ſpiramenta conflare? cum ipſa etiam roſa pudoris, & venuſtatis fragranti folio in ſuo ſibimet, parato balſamo (vt ita dixerim) pretioſior contra ſi fuerit de roſario falce pollicis vellicata, marcenti morte triſtis albeſcat, ita vt colore floris careat, & odore? Aqua ipſa, ſi de flumine rapta ſit, in quo viuit, perit, natura dum deſinit eſſe, quod vixit. Mox ergo, quia elementi ſui dum rapitur, ſubſtātia caret, vbicumq; iacuerit, limum liquor abducit: mox & fœtore ſordeſcit. Nemo ergo mirari debeat, ſi hominis quem ſpiritus ſapiētiæ ſale conditum redolenti aura ſeruauerat, & ex cœli ſuauitate anima viuacitate nectarea, & balſami generoſitate melliflua rexerat, ne fieret diuortio recedentis ſpiritus lutea moles, & pigra globoſitas, caduca linea defunctorū repugnantibus fabricæ qualitatibus corpus omne ad fœtoris ma-
B culam ſui de putredine relaxetur. Inde eſt, quod per diſtantiam rerum in vnam glomerationem compacta omnis membrorum natura torpeſcit. Recedente igitur anima, quæ corporis floriatium recolebat, tota materies liuenti gena in putredinem relaxatur: & pro voce cadaueris nigri fellis teter mortui fœtor hauritur. Terra igitur, humore, frigore, & calore compoſita corporis fabrica, quæ quatuor partes ſemper ſibimet repugnantes corpus criminum in procella ſubuertunt (calor frigus non amat: & frigus calore torquetur: contraria contrarijs mancipārur: terra nimio humore vitiatur: & humor de terra ſordeſcit) his quadriformibus elementis in vnum quadripartita mole conſtantibus, diſſociato per diuortium mortis auriga, qui quatuor iſtis partibus loca
C dederat, ne quiſquam mobilitatem ſui vehementius tolleret; & dominante flagro diuiſis in vnum concordanti iunctura finibus agitabat, hæ (inquam) quatuor partes, recedente anima, in globum corporis viduati, excuſſo ſocietatis auctore, miſcentur. Sed quia iſtum iuuenem (Lazarum loquor) Dominus in ſæculo dilexerat, præſcius futurorum Apoſtolis ſuis dormiſſe Lazarum dixit, quem promiſit, ſi ad illam ciuitatē accederet, protinus excitandum. Hunc ergo Lazarum, cui liuenti errante connixu per cærulas venas membra tabuerant, quem loculatum in ſpecu inciſæ rupis, immani obiectus ex pondere lapis pereoni valua grauis libra detruſerat, reſurgere poſſe, ſi iſta crederent, ſacratiſſima vera Dei pietas intonabat. Mox ſorores conſtipatæ turba, eiulatu, æſtu, ieiunijs, lachrymarum vbertatibus ebriatæ. Dei
D genibus ſtratu totius corporis miſerandæ iactantur: & Hebræas voces fractis in vnum ſingultibus mixtas ſaluatoris in laudibus expiabant. Quantus illic, rogo vos, populi feſtinatus? Quæ ſpectantium turba? Qualis tanti miraculi potuit eſſe concentus, vbi eſſent plangentes puellæ, mortuus frater, & Chriſtus hominem promitteret excitandum? Conuenerunt (credo) ad hoc ſpectaculum ſeruandæ memoriæ ſempiternum milites, Iudæi, Gentiles, Proſelyti, clariſſimi ſenatores, nobiles iudices, ſerui, & omnis penè ciuitas certatim occurrit, vt viderent, an reſurgere poſſit Lazarus, cuius fœtor iam lōgius de ſepulchro populos feriebat. Quo viſo, tota ciuitas mirabatur. Qualis illic eras Chriſte Ieſu? quàm croceus, quàm decorus, fonte purior, niue candidior, ſole can-
E dentior, & luna ſepties clarior? Heu me, quid interrogo, quem tunc videre non merui? Nunc tamen, quis, quantuſve ſis pietate, cognoui. Ecce inter hæc Ieſus Chriſtus Saluator humani generis fleuiſſe narratur. Flebat Deus mortalium lachrymis excitatus: & cum Lazarum poteſtate ſua fretus mortis de vinculo reuocaret, prællabat pietatis officium ſolatio lachrymarum. Flebat Deus, non quod ante ſe mortuum perijſſe cognoſceret, ſed quod ſororum fletus temperaret. Flebat Deus, quod eos, quibus omnia donauerat, & in poteſtatem redegerat, paradiſo etiam, floribus, lilijs ſine vllo labore præpoſuerat, diabolus docendo peccatum, de omnibus penè fecit extorres. Flebat Deus, quod eos, quos fecerat innocentes, diabolus per malitiam ſuam fecit inueniri nocentes.

Harum

Digitized by Google

Harum ad lacbrymas, & ſparſam crinis miſerandi cæſatiem ſaluator pietate commotus fletus fletibus recontrahat. Et quia ipſe ſororum fletibus mouebatur, lachrymis filij ſui Saluatoris noſtri inter ipſos cœlos pater flectebatur. Mox ergo Ieſus Chriſtus ad ſepulchrũ Lazari acceſſit. Statim iuſſione eius reuoluũtur ſaxa: ſecretariũ pateſcit horroris. Curioſi affatim in ſpecum gementium populorum oculi mittebantur. Viſus eſt Lazarus tecta facie, manibus, pedibúſque conſtrictus: & ad documenta virtutum ipſe, qui fuerat mortuus, & adhuc manibus, & pedibus vinctus, vt Chriſtus iuſſerat, reſoluebatur. Quæ, rogo vos fratres, illic voces? Quæ preſſura videntium? Quam curioſa mirantium lumina? Qualis in ceruicibus præuenięntium multitudo pendebat? Qui fletus? quæ gaudia? quale murmur? quàm nouum, & cœleſte miraculum? Mors vincitur: bomo redditur: infernorum catenæ franguntur: & poſt quatriduum Lazari lingua mouetur: manus officio præparantur: oculi ſuis in orbibus currunt: veſtigia greſſibus explicantur: auribus renouatur auditus: actes dirigitur in parentes: cognatio rediuiuis obtutibus muneratur: frigida poſcitur: non reſpuitur panis: domus petitur: Chriſti miracula referuntur.

SERMO DE EPISTOLÆ BEATI PAVLI ad Corinthios prima.

De eo quod ſcriptum eſt, cum tradiderit regnum Deo & patri.

SCRIPTVRA diuina, cum de Dei loquitur filio, non ſibi repugnat, ſed inter Deum, hominémque, quem ſumpſit, neceſſaria moderatione diſtinguit: ſi enim Deum purum iugiter prædicaret, paſſionis, reſurrectioniſque vacaret locus, & nihil Chriſtus mundo præſtiterat: ſi hominem ſolum, ſicut quidam putant, ab vtero virginis eum ſumpſiſſe principium, quę ſpes futuræ beatitudinis credenti, cum ſcriptum ſit; Maledictus bomo, qui ſpem habet in homine. Ergo vbi purum Deum ſignificat, ſic dicit in Geneſi, Et fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei: Et in Pſalmis, Deus autem, rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ: Et alio loco, Parata ſedes tua Deus ex tunc, & à ſæculis tu es. Vbi hominem mixtum, ſic proſequitur; Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, ſanctus, & ſaluans, mitis, ſedens ſuper aſinum nouellum. Et iterum: Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Et iterũ Magi: Vbi eſt, inquiunt, qui natus eſt rex Iudęorum? Hic eſt fratres, qui venturus denunciatus eſt per prophetas: qui ſecundum carnem natus in tempore eſt: qui eſt excelſus in excelſis, humilis in terris, ſæculorum genitor, filius virginis, immortalis ſibi, homini moriturus: mortem geſtat, vt mortem deuincat: inferos penetrat, vt mortuos viuos inde reducat. Vnigenitus prodiendo de patre ante originem rerum: primogenitus à mortuis; vt ait Apoſtolus, poſt multorũ obitus populorũ. Hic eſt, cui data eſt poteſtas in cœlo, & in terra, nomini eius noua à Deo ſub ipſo dicẽte, Ego te clarificaui in terra: opus perfeci, quod dediſti mihi, vt facerẽ: Et nunc tu clarifica me apud teipſum, claritate quã habui apud te prius, quàm mũdus fieret. qui reſurgẽs ait; Omnia mihi tradita ſũt à patre meo. Hic, qui pur᾽ de cęlo deſcendit, carnatus aſcendit in cœlũ. Hic, inquam, de quo Paulus ait, Qui accipit regnũ, regnat, & tradet Deo, & patri, & cætera. Quid hic ſcandalum pateris, Chriſtiane, ex tuàque natura opinatis prouiſionis piæ diuina myſteria? Si minus ſentis de filio, quia regnum traditur patri maior patris iniuria eſt, ſi eſt aliquando ſine regno. Accedit, quod oramus quotidie, vt adueniat regnum patris, ſperamus & filij. Vacat ergo præſentis temporis regimen vtroque ceſſante: actúmque eſt de mundo, mundíque tota ſubſtantia, ſi vel vno momento diuinitatis ceſſat imperium. At ſi, vt ratio ipſa proclamat, ceſ-
A ſare nullo pacto poteſt varietas iſta regni, à legis conditore hominis à Deo aſſumpto, iuſtiſque eius eſt deputata rebus diſpoſitis, non Deo, non ſempiterno rectori, maximè cùm in Euangelio ſic dicatur; Dabit illi Dominus Deus thronum Dauid patris ſui: & regnabit ſuper domum Iacob in ſæcula: & regni eius non erit finis. Salomon in Sapientia ſimiliter dicit, cum de eius loquitur ſeruis; Et ſi coram hominibus tormenta paſſi fuerunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt: & in paucis vexati in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit illos: quaſi holocauſtomata accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis: & regnabit Dominus
B illorum in perpetuum. Quid hoc eſt? ſi in perpetuum regnat, Paulus errauit, ſi traditurus eſt regnum, iſti mentiuntur. Abſit. Nullus hic error: diuerſitas nulla eſt: Paulus enim de hominis aſſumpti temporali locutus eſt regno: in quo venturus, & iudicaturus eſt viuos, & mortuos, ſicut lectio vniuerſa teſtatur: quæ prædicat Chriſtum oportere regnare cum ſanctis ſuis, donec vocatis omni principatu, & poteſtate, & virtute, & dominatione ponantur omnes inimici eius ſub pedibus eius, inimicáque deſtruatur mors. Hi autem ad principalem vim retulerunt, in cuius perpetuitate cõmanens in æternum, à patre filius regnum nec accipit aliquando, nec poſuit: ſemper enim cum ipſo regnauit Κατὰ Ioannem ipſo dicente, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Aper-
C tius autem hoc Paulus expreſſit dicens: Hoc enim ſcire debetis, quoniam omnis fornicarius, aut impudicus, aut fraudator, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Dei, & Chriſti, oſtendens vnum eſſe regnum patris, & filij. Rectè igitur patri tradet regnum, qui dixit in monitis, regnum non ſtare diuiſum. Vnde non ſic ſentiendum eſt, fratrés, vt pater accepturus ſit, quod non babuerit, aut filius tradendo, quod non habeat, perditurus: cum & pater, quod accepturus eſt, habear, & filius non careat [illegible]od daturus. Totum pater: totum poſſidet filius, vnius eſt, quod amborũ eſt, quod vnus poſſidet, ſingulorum eſt, Domino ipſo dicente; Omnia, quæcumque habet pater, mea ſunt. Et iterum, Pater, omnia mea tua ſunt: & tua omnia mea: quia pater in filio, & filius manet in patre: cui affectu, non con-
D ditione, charitate, nõ neceſſitate decorè ſubijcitur: per quem pater ſemper honoratur. Denique inquit, Ego, & pater vnum ſumus. Vnde non diminutiua, ſed religioſa, vt dixi, ſubiectione eſt filius patri ſubiectus: cum quo originalis, perpetuíque regni vna poſſeſſio: coæternitatis, omnipotentiæque vna ſubſtantia: vna æqualitas: vna virtus maieſtatis auguſtæ: † vnito in lumine vna dignitas retinetur: ſi quid enim filio detraxeris, ad patris, cuius habet totum, iniuria pertinebit: nec eſt in illo aliquid, quod ſit inferius: quia ſicut pater nec plus poteſt habere, nec minus: alter enim in alterius plenitudine infuſus eſt: vt ſit omnia in omnibus Deus benedictus pater in filio, filius in patre cum ſpiritu ſancto, Amen.

† al. vnico.

E DE ÆTERNÆ FILII DEI GENERATIONE.

SERMO PRIMVS.

PRINCIPIVM, fratres dilectiſſimi, Dominus noſter † incunctanter eſt Chriſtus: quem ante omnia ſæcula pater in profundo ſuæ ſacræ mentis arcano inſuſpicabili, ac ſoli ſibi nota conſciẽtia, filij nõ ſine affectu, ſed ſine reuelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa, incomprehenſibiliſque ſapientia ſapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo naſcitur Deus: de ingenito vnigenitus: de ſolo ſolus: de toto totus: de vero verus: de perfecto perfectus. Totum patris babens, nihil derogãs patri. Procedit in natiuitatem, qui erat ante, quàm naſceretur, in patre æqualis omnibus: quia pater in ipſum

† al. incunctanter.

alium ſe genuit ex ſe, ex innaſcibili ſcilicet ſua illa ſubſtantia, in qua beatus manens in ſempiteruum omnibus, quæ habet, habentem filium patia prucreauit: qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſæculorum.

DE ÆTERNA FILII DEI GENERATIONE,

SERMO II.

SICVT ſacta ſcriptura teſtatur, etat aute omnia manés vnus & idem æternaliter ex ſemetipſo in ſemetipſum Deus, ſecreti ſui ſolus conſcius: cuius ex ore vt rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodiuit vnigenitus filius, cordis eius nobilis inquilinus: exinde viſibilis effectus, quia bumanum genus viſitaturus erat, alias æqualis in omnibus patri: quicquid enim pater præcepit, vt fieret, filius vtpotè Dei virtus, Deiq; ſapientia omnia illa upere mirifico eius dicto compleuit. Hunc curioſi upiuatiunibus vanis viulare cuuantur, nec intelligunt miſeri, quoniam curioſitas reum efficit non peritum.

DE ÆTERNA FILII DEI GENERATIONE,

SARMU III.

Ja quo paucis additu, quibuſdam mutatis continentur ea quæ in primo.

† *al. incunctanter.*

PRINCIPIVM frattes, Dominus noſter † incuntanter eſt Chriſtus: quem ante umnia ſæcula pater adhuc vtrumq; in ſemetipſo Deus beatæ perpetuitatis indiſcreta ſpiritus pleuitudine neſcio qua ſua conſcientia velatum, filij nou ſine affectu, ſed ſine diſcriminc amplectebatur, ſed excogitatatum vt ordiné inſtrueret rerum, ineffabilis illa virtus, incomprehenſibiliſq; ſapientia è regioue cordis eructat verbum: omnipotentia ſe propagat. De Deo naſcitur Deus, totum patris habens, nihil derogans patri, alter retinet in altero: cuiuſuis gloria commuuis eſt honor: quia quod eſt filij, patris eſt, quod patris, amborum. Lætatur pater in alio ſe, quem genuit ex ſe. Quomodo autem generatus ſit, qui proceſſit, dementis eſt opinari: namque temperat ſe propter rerum naturam filius, ne æternæ maieſtatis Dominú non poſſit mundi iſtius mediocritas ſuſtinere. Cum imperat pater orbem fieri, opus cum dicto cópletur á filio. Quomodo autem, quantus, aut qualis fieri debeat, nemo pręcipit: interrogat nemo: neque enim ſine patris eſſe poſſit iniuria, ſi hac neceſſitate opus eſſet illi, qui in ſinu patris commanens voluntatis eius perfectionem nó didicerat, ſed habebat. Igitur orbe perfecto, poſtremus digito Dei, manúque è limo terræ fingitur homo, conſtruitur mobile, totúmque ſe neſciens ſimulacrum: &, vt imago ſit Dei, inſpiratur à Deo in animam viuentem. Concepit ſpiritum Adam, quem neſcit, intrantem non videt, exeuntem nó poteſt prohibere, & æſtimat quiſquam Dei ſe poſſe ſcire ſecretum, qui ſui corporis neſcit arcanum? Quare, fratres, propter quod facti, & nati ſumus, timeamus, amemus, & honorificemus, quem inuenimus, Deum. Sanè quærant illum, qui eum non habent ſecum.

Sermo de Aduentu Chriſti in mundum.

CHRISTVS mundum latéter intrauit, ne ſibi ſapiens diabolus videretur. Qui cóſilio hominé deceperat, conſilio vincitur: vt quomodo homo in paradiſo non cognouerat diabolú, ſic & diabulus in ſæculo non facile cognoſceret Chriſtum.

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO PRIMVS.

LICET ſectæ ſint plures, quæ iniuriam Chriſti fabulari nitantur, tamen tres ſunt quodammodo principales: è quibus duæ eius, quem cupiant deprauatum, ſimulant ſe eſſe cultrices. Vna deniq; aſſerit Ieſum Chriſtum ab vtero virginis Mariæ ſúpſiſſe principiú, Deúmque (A) exinde ob iuſtitiam factum eſſe, non natum. Alia modeſtius, ſed murdacius nucens dicit, quidem Dei filium Deum, ſed non ex parte nobilitatis perpetuitate progenitum: fuiſſéque tempus, quádo non fuit. Tertia Iudæa eſt verè cæca: quæ cum in lege (vt dicere ſoler) ſua legat vbique duas patris, & filij deſignari perſonas, tamen nunc vſque contendit Deum filium non babere. Quibus umnibus exépla, vel ratio, quam proſequuturi ſumus argumentationis tutius vno ictu umnes neruus abſcinder. Quaprupter duas eſſe natiuitates Domini noſtri Ieſu Chriſti neceſſariò ſcire debet populus Chriſtianus, ne quem patiatur errorem: vnam, qua natus eſt, alterá, qua renatus, ſed ſicut eſt ſpiritalis prima ſine matre, ita ſine patre ſecúda carnalis. Hæc miranda: inenar(B)rabilis illa prupheta dicente; Natiuitaté eius quis enarrabit? Cur autem ſit inenarrabilis, patre loquéte noſcamus. Duminus ipſe nus educet; Eructauit cor meú verbum bonum, &c. Et apud Salomonem bactenus dicés, Ego ex ore altiſſimi prudiui ante omné creaturam. Cum bæc ita ſint, humanitas te verſuta cognoſce, vel ſerò: & intemperati linguæ ſilentij frænos impone. Dementiæ genus eſt, inuiſibilis incomprehenſibiliſq; velle opinari ſecretú, eiuſq; interna diſcutere, cuius extraria nequeat ſuſpicari: quia Deus hoc eſt, quod eſt: quud veru homo definiendú putauerit, non eſt, nam & Ioánes Apoſtolus in Euágeliu quid prædicet, fratres, accipite: In principio inquit, erat verbú: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbú, hoc erat in principio apud Deum. Admira(C)bilis gratia, fratres dilectiſſimi, conſpicuæ veritatis, quæ dum ſecerni puteſt, tamé ſibimet externa eſſe nó poteſt: ſi enim verbú in Deo eſt, & Deus eſt verbum, & hoc eſt, in quo eſt, quod ille eſt, qui ineſt, duplex perſona, duplex vocabulum: ſed originalis perpetuitatis, ac deitatis eſt vna ſubſtátia, Domino ipſo dicente; Ego, & pater vnum ſumus: quod non vtiq; ſic ait, vt in vnum duos redigédo confunderet, ſed vt duorú vnam diuinitatis, poteſtatiſq; eſſe omnipotétiá nos doceret. Sequitur, ac dicit: Omnia per ipſum facta ſunt: ac ſine ipſo factum eſt nihil. Videamus nunc, optime Chriſtiane, quemadmodum inter patrem, filiúmq; tempus inſulciat: ſi enim tempori, non ſibi debent, quod eſt alter alteri obnoxius, proculdubio, vt tu vis, maior eſt natura, quàm Deus. At cum naturam ex nihilo fecerit Chriſtus, ſit auté ex natura tempus, ine(D)ptum ſatis eſt, opus ſuo præponere artifici: ac per hoc ſolum intereſt, quod ſoli ſe ſciunt. Deniq; apud Iſaiá ad filium ſic dicit Domine Deus ſabaoth: Fatigata eſt Ægyptus, & mercatus Æthiopum, ex Saba viri excelſi ad te tranſibút: & tui erunt ſerui: & ſequétur te alligati compedibus: & adorabunt te: & te precabuntur: quoniam in te Deus eſt: & nó eſt Deus alius pręter te. Sed & Baruch eundem ſpiritu loquitur dicens: Hic eſt Deus noſter: & non deputabitur Deus alienus abſq; ipſo: qui adinuenit viam prudétiæ: & reuelauit eá Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi. Poſt hęc in terris viſus eſt; & cú hominibus conuerſatus eſt. Qua in ſpecie, Spiritu ſancto loquente, noſcamus: Et homo eſt, inquit: & quis cognoſcit eum? Si ita eſt, quomodo ergo poſſet agnoſci, prodidit Iſaias (E) his verbis: Audite itaq; domus Dauid: Nó puſillum vobis certamé cum hominibus: quoniá Deus præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus vobis ſignú. Ecce virgo in vtero accipiet: & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel manducabit priùs, quàm cognoſcat puer bonum, aut malum. Quod ſignú ex prodromi quoq; eius deſignatione dilucidauit alio loco his verbis; Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui pręparabit viam tuam. Quis eſt iſte Angelus, fratres, niſi Ioánes Baptiſta: cuius eſt præparatio? Vox clamáns in deſerto: Parate viá Domini: rectas facite ſemitas Dei noſtri. Nunc videamus, quæ conſequuntur. Per idem tempus duæ cognatæ cóceipiunt, vna contra ſpem, altera verbo. Hæc miratur ſe habere, quod neſcit: lætatur illa, quia ſcit. Eliſabeth ſterilis fœcunditate tumet fœliciter

ventet,

Digitized by Google

venter, Mariæ maieſtate. Illa præconem portat: hæc iudicem. A Exultate fœminæ, promotionémque veſtri ſexus agnoſcite. Culpa deleta veteri ecce per vos iungitur cœlo: annus enim peperit Angelū: & virgo Deum. Hic eſt Deus noſter, qui dignitate interim ſepoſita, non tamen poteſtate amore hominis ſui, cuius formam fuerat ſubiturus, & creaturam, vt Angelus, homo, puer, ſponſus, gigas, crucifixus, ſepultus, primogenitus à mortuis diceretur. Hic eſt, inquā, qui in omnibus omnia eſt: quoniam per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Nec vos moueat, fratres, ſecularis, ac vere puerilis inconſideratorum hominum diſputatio, ideo iuſtum patiuntur errorem, quia Chriſtum non ex Deo conſiderant hominem factum, ſed ex homine. Cæterum ſi ſpiritaliter ſaperent, in ipſo, quod infirmiſſimum putant, hoc potiſſimum prædicarent. Etenim verè perfectus Deus non eſſet, ſi eſſet aliquid, B quod eſſe volens, eſſe non poſſet. Denique vultis ſcire compendio veritatem? Factus eſt, quod non erat: nec tamen deſijt eſſe, ante quod fuerat.

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO II.

INSVSPICABILIS ſecreti, reuerendæque maieſtatis vera cognitio eſt Deum non noſſe, niſi Deum: nihilq; ex eo amplius requirendū, quàm vt quis eius nouerit volūtatem, ſine qua ei nec legitimè ſeruire poterit, nec placere. Cæterum prouidentis Dei de Deo argumētationibus vanis opinari velle diſpoſitū, non colentis eſt, ſed dementis: maximè ſi Deus, vt contentioſi putant, diſpoſitioni ſubiaceat: C remotis enim paulisper nominibus patris, & filij, non potes noſſe, vter patiatur iniuriam, niſi quod ambo patiuntur: quia amborum vnum nomen eſt Deus. Igitur duas natiuitates eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti rudis aut negligens diſce Chriſtiane, ne quo decipiaris errore. Vnam, quam tibi non licet quærere: alteram, quam legitimè, ſi poſſis, permitteris edocere. Prima itaq; natiuitas Domini noſtri in patris, & filij tantum conſcientia manet: nec quicquam habet interiectum, neque cōſcium, qui ex paterni oris affectu proceſſit vno conſenſu. Secunda vero carnalis, ſicut eſt frequentibus oraculis prodita, ita inuenimus eſſe completam: Etenim Deus Dei filius, tempore

† al. æterna. conſtituto diſſimulata interim maieſtate ab † æthereа ſede profectus in prædeſtinatæ virginis templo ſibimet D caſtra metatur, quibus latenter infunditur, in hominem gigniturus, ibidemque ſaluo, quod erat, meditatur eſſe, quod non erat. Mixtus itaque humanæ carni ſe fingit infantem. Mariæ ſuperbus emicat venter nō munere coniugali, ſed fide: verbo, non ſemine, decem menſium faſtidia neſcit: vtpotè quæ in ſe creatorē mundi concipit, parturit non dolore, ſed gaudio. Mira res exultans exponit infantē totius naturæ antiquitate maiorē. Interea rudis non gemit fœta, mundum, non vt aſſolet, infans fuſus ingrediens ſponte vitę tẽptantis præuijs lachrymis auſpicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhauſta toris pallens iacuit reſoluta viſceribus, non filius matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus: neque enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immūdum, qui E humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſæ, nulla puerum maternorum viſcerum proſecuta ſunt damna. Nulla adhibita rudi fœtæ ſueto more fomenta, neque enim fratres his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat filium animarum omnium Saluatorem. O magnum Sacramentum. Maria virgo incorrupta concepit: poſt conceptum virgo peperit: poſt partum virgo permanſit. Ita Chriſtus in hominū ſe fecit naſci, quemadmodum homo non poteſt naſci. Totum deniq; ſua luce reſplendens corpus ſine vmbra geſtabat: humilis carne, ſed excelſus omnipotētiæ maieſtate. Qui ſane ideo carnem eſt dignatus induere, vt nemo ſe poſſit per carnem, cum iudicij dies venerit, excuſare.

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO III.

SECVNDVM quod Deus ſuos promiſerat per prophetas, filium ſuum ſaluatorem generi humano ſe eſſe miſſurum commodum tempore maturo, diuinitatis interim dignitate depoſita, nō tamē poteſtate, cęlo egreſſus metatura prædicta ſacrario templi virginalis hoſpes pudicicus illabitur: ibidémq;, qualis velit eſſe, diſponit, imò, quod iam olim diſpoſuerat complendum, latenter aſſumit: namq; requieſcit libens florētiſſimo in domicilio caſtitatis & in viſceribus ſacræ virginis comparat ſibi corpus ſuo iudicio naſciturus. In hominē coaptatus in tegumēto carnis includitur Deus: humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præſtat temporibus æternitatem. Mira res, concipit Maria de B ipſo, quem parit, tumet vterus maieſtate, nō ſemine: capitque virgo, quem mundus, mundiq; non capit magnitudo. Interea promouent ſuum membra factorem: & opus ſui figura veſtit artificem. Parturit Maria non dolore ſed gaudio. naſcitur ſine patre filius, non totus matris: ſibi debens, quod cōceptus eſt, donans matri, quod natus, quæ principaliter ſtupet talem ſibi filium prouenisse, qui ex ſe natus non crederetur, niſi quia ſicut fuit virgo incorrupta poſt cōceptum, permaneret talis quoque poſt partum. O noua ratio. Amore imaginis ſuæ coactus in infantem, vagit Deus: patiturque ſe pannis alligari: qui totius mūdi debita venerat ſoluturus. In ſtabuli præſepe deponitur populorum paſtorem, pabulúmque ſe eſſe conteſtans. Subijcit ſe gradibus ætatis, cuius æter- C nitas in ſe nō admittit ætatē. Totum contra cōſcientiam ſuam, vt homo infirmus patitur: vt homini mortis lege conſumpto immortalitas tribuatur. Hæc eſt enim poteſtas Dei, vt ſaluo, quod eſt, poſſit eſſe, quod non eſt. Hic eſt Deus noſter æterni Dei coæternus filius. Hic & homo, & Deus: quia inter patrem, hominéſque aſtitit medius probans infirmitatibus carnem, & virtutibus maieſtatem. Hic ſol noſter: ſolus verus: qui clariſſimos ignes mundi germanos aſtrorum, candentiúmque polorum claritatis ſuæ de plenitudine accendit. Hic, qui ſemel occidit, & ortus eſt rurſum, nunquam repetiturus occaſum. Hic, inquā quem duodecim radiorum, id eſt Apoſtolorum duodecim corona circundat: quem per ambitum totius orbis non muta quatuor animalia, ſed ſalutiferis prædicationibus quatuor circumferunt Euangelia. D Cuius quam vim habeat amictus, & currus, his verbis propheta teſtatur: Deus ſicut ignis veniet: & ſicut procella currus eius retribuere in ira vindictam.

SERMO DE CIRCVNCISIONE.

DILIGENTISSIME, fratres chariſſimi, circunciſione, cuius non tantum in præſenti lectione, ſed & aliquot in locis fecit Paulus beatiſſimus mentionem, ratio videtur eſſe reddenda: vt & Chriſtianus veritatem, & Iudæus ſuum cognoſcat errorem. Solet enim magnis cum vociferationibus ſæpe iactare hanc eſſe gentis ſuæ nobilitatē, hanc cœleſtis ſacramenti virtutem, hanc æternæ vitæ legitimā genitricem, hanc perpetuam futuri regni conſortem: ſine qua nemo E poſſit omnino ad Dei notitiam peruenire. Vnde primo omnium definiēdum puto, quid ſit circuncisio, vt tunc demum, qualis ſit iure poſſit agnoſci. Circunciſio eſt, fratres, in damnum rotundi vulneris ferro circulata cicatrix. Quam ſi Iudæus æſtimat gloriam, vt de cęteris taceam, maior eſt eius, qui in honorē deæ ſuæ anus turpis, atque amatricis non paruam curem eiuſdē membri, ſed ipſum membrum radicitus abſciſſum myſterijs turpioribus immolauit: illa videlicet ratione, quia Iudæus poſt ſacramētum per hanc partem peccare poteſt, ille autem deinceps per hanc partem peccare iam nō poteſt. Conſequens eſt, vt profiteatur vtrum hanc carnalem, an ſpiritalem eſſe defendat. Si ſpiritalē, cur de carne gloriatur? Si carnalem, animæ prodeſſe non poterit: quia caro, &

virgine naſcitur, curat: Signum ſalutis accipite, corruptelam integritas, partum eſt ſecuta virginitas. Adam ſi- A militer dominica circunciditur cruce: & quia per mulierem, quæ ſola lignum lethale contigerat, exceperat vterque ſexus interitum, è diuerſo per virum ligno ſuſpēſum viuificatum eſt omne genus humanum. Ac ne non ex integro principium ſuo ſtatui redditum videretur, prior vir conſumatur in cruce, atque eo feliciter ſoporato ſimiliter de eius latere ictu lanceæ non coſta diuellitur, ſed per aquam, & ſanguinem, quod eſt baptiſmum, atque martyrium, ſpiritale corpus ſpiritalis fœminæ effunditur: vt legitimè Adam per Chriſtum Heua per Eccleſiam renouaretur. Hoc nos, fratres, ſacramento tam viri, quàm fœminæ circuncidimur, hoc ſpiritus ſancti non ſignaculo, ſed ſigno cenſemur. Hac circunciſione non aliquid perdimus, ſed creſcere nos augmentis cœleſtibus inuenimus. Non ſanguinem ſterili ſolennitate B dimittimus, ſed pudoris ſanguinem retinemus, quem ambitioſè plerumque effundimus, cum in perſecutione pro nomine Domini diabolum moriendo vaſtamus. Poſtremo abſcindimus, quod habuiſſe non deberemus, quod ab inimico hominibus ſuperadditum recognoſcimus, Domino ſic dicente, Simile eſt regnum cœlorum homini qui ſeminauit in ſuo agro bonum ſemen: dormientibus autem hominibus, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in triticum. Quæ neceſſario radicitus circunciſione diuellimus: vt diri ſeminis contagione purgati integri in vbertate paterni ſeminis maneamus. Hæc, inquam, non die, non nocte, non hora, non ſexu, non ætate, non conditione, non loco, non genere ad tribuendam homini ſalutem depellitur, ſed glorioſa C ſemper in omnibus inuenitur. Denique prior circunciſio deſecat carnem: ſecunda animi deſecat vitia: illa ferro, hæc ſpiritu: illa portionem, hæc hominem totum: illa maſculum ſolum, hæc vtrúmque ſexum: illa præputium paruæ cutis, hæc præputium totius concupiſcentię ſecularis. Illa octauo adſeruit diei, huic deſeruiunt tempora, dies, horæ, vniuerſáque momenta, illa ante octauum, vel poſt octauum diem nec ipſi morienti puero ſubuenit, hæc à cunis ipſis infantiæ vſque ad ſupremos exitus cuiuſuis ætatis vtrique generi ſalutare munus impertit, illa ſanguine gaudet, hæc gratia: illa imagine, hęc veritate, illa damno, hæc lucro, illa agit captiua ſub lege hæc omnibus præſtat in Chriſto bonæ fidei libertatem. Igitur vos, qui circunciſi eſtis circunciſione non manu D facta in ſpoliationem carnis, ſed circunciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, elaborate, ne veſtra integritas mutiletur: ne ingruentium peccatorum rurſum ſicut Adæ, & Heuæ ſpiritale præputium male repetita nuditas condemnetur: ne nouus homo quicquam Iudæi videatur habere, aut gentis. Ambo enim illi carnales ſunt: ambo ſine fructu. Vnde dubium non eſt, neque præputium aliquid eſſe, neque circunciſionem: ſed ſolum obſeruationem voluntatis Dei eſſe fideliter viuentibus neceſſariam.

Sermo de Fide.

CHRISTIANÆ fidelitatis felicitas maxima eſt fidei noſſe naturam: quæ talis, ac tanta eſt, vt vnicuique homini non ab alio, ſed eius ex E voluntate, præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio naſcatur. Cæterum ſi, vt quidam putant, docentis pēdet ex ore, proculdubio eodem aut ceſſante, aut aliter docēte conſumitur. Huc accedit, quòd niſi inſinuationē legis omni deuotione ſuccincta præcedens amplectatur fides, quæ tam ſibi, quàm illi credēdo præſtet effectum, inſinuatio inanis erit: quia incredulo credentis fructum præſtare non poterit. Denique Abraham placuit Deo credulitate ſine lege: & Iudaicus populus diſplicuit Deo incredulitate cum lege. Vnde dubium non eſt legem non poſſe ſine fide: fidem poſſe ſine lege, alioquin iſta innumerabilis ſimplicitate ſua felicior turba adhuc mortis imperio ſubiaceret, ſi legis periti tãtum iuſtificari metuiſſent. At cū ſcriptum ſit, Litera occidit: ſpiritus autem viuificat, quia nō ſub lege, ſed ſub gratia ſumus, quæ nos diligere Deum, ac ſoli illi ſeruire in ſacramēto ſemel creditæ vnicæ Trinitatis non argumento, non neceſſitate, ſed voluntate compellit, manifeſtiſſimum puto, nimis acuto eſſe ſimplicem melioré: quia ſimplex omnibus Dei verbis ſimpliciter credit: aſtutus autem nimia ſapientia infatuatus inquiſitionibus vanis ſemetipſum confundit. Sed dicet aliquis, ſi ita eſt nulli ergo lex prodeſt. Abſit. Prodeſt, & quidem plurimum: nam per ipſam Dei voluntas populis intimatur: per ipſam diſciplina cœleſtis colligitur, ac tenetur: per ipſam, inquam, genus omne peccati, ne quis imprudens intereat, diffamatur, ſemper monere nō deſinit, ignorantia ne quis reatū excuſet: nunc ſeuera, nunc blanda præmium demonſtrat, & gladium vnicuiq́, quod elegerit, tributura: vt iure poſſit implere, quod gerit. Qui ad ſe veniunt profeſſionem credulitatis ab eis ſolā ideo, quia eorum fidem videre non poteſt, exigit: quam ſi abeſſe ex motibus deprehenderit, confeſtim, vt perfidum, punit irata, quem docuit: nullámque aliam ob cauſam promulgatam ſe eſſe teſtatur, niſi vt fides de infidelibus vindicetur. Denique tolle peccatum: ceſſat legis imperium. Lex enim, ſicut ſcriptum eſt, iuſto poſita non eſt, ſed peccatori: quia iuſtus ex fide viuit: infidelis iniuſtè. Errat igitur quiſquis diſputationem legis æſtimat fidem: duo in vnum diuerſa confundit: diſputatio enim ſicut excolit legem, ita ſi verſuta ſit, eradicat fidem: quia fides profecto non eſt, vbi quæritur fides. Deinde quia lex cōmunis eſt: fides vero priuata: quia lex ſemper manat ex libro genitali: fides autem tenaciter inhæret ſuo ſoli propoſito, Lex ab alio tranſit in alium: fides interit, ſi à ſuo ſtatu aliquando vel aliquo declinauerit. Lex hominis conſcientiam alloqui tantum poteſt, videre autē non poteſt: Fides conſcientiam medullitus mundat, ne quid reatui, vel intrinſecus debeat: qui enim ſuam conſcientiam non timet, is eſt, qui Deum non timet. Adde, quod lex partibus & diſcitur, & docetur. Adde, quod tota nec intelligitur, nec † tenetur. Adde, quod à quolibet pro ingenij qualitate argumentis aſſeritur. Adde, quod ab omnibus appetitur, & à nullo † cōpletur. Adde, quod index Dei voluntatis eſt, non Dei originis, aut naturæ. Sequitur, vt ſcire debeamus, vtrum tractatum fidei, an fidem tractatus debeamus aſſerere. Si tractatum fidei dixerimus, vehementer errabimus: ſubiici enim ſe loquacitatis artificio fidei natura nō patitur: à qua nihil aliud laboratur, niſi vt ſuis ſibi tantum virtutibus approbetur: nō enim poteſt eſſe perfectum, quod aliunde expectat ſibi aliquid neceſſarium. Si vero fidem tractatus dicere cœperimus, erit profecto nec noſtra, nec ſua, ſed nec eius, cuius eſſe dicetur: quia tractatus fidem cum aſtruit, ex eo ipſo eam, quo aſtruit, deſtruit: nec vlli dabit, quod non habet: ſed potius, vt non habeat, adhuc ipſe diſquirit. Video præterea, ſicut aſſertorum indicant nomina, quæ ſi auferas, nulla fortaſſis eſt pugna, multos fuiſſe tractatus, multas fides, & quidem nouellas, & litis labore, ac fauore nutritas: quas, quia vera vix poteſt inueniri, credo, ne populi penuria laborarent, venales eſſe propoſitas. Veruntamen ex his omnibus eligendū quid ſit, non poteſt noſci, aut comprehendi: quia non erit nec proprium, nec firmum, quod habet ſtatū ſemper incertum: quippe cum vnius electio ſit alterius reprobatio: vel ſi omnes omnino amplectendæ ſint, vt tot quis habeat fides, quot non habet verba, multò magis nihil habebit, quia tractatus, qui eas genuit, vel quotidie generat, adhuc poteſt generare: è diuerſo prouocatus rurſus eas pro ingeniorum, argumentorúmq́; viribus retractando, ac refellendo conſumit. Sin verò, ſicut neceſſe eſt, vna eſt illa nobilis, & antiqua, quæ nō dicam tractatu, ſed ipſius natiuitate porrò maior eſt legis: quæ Deū Deo credendo promeruit, quæque credere non didicit, ſed præſumpſit, edicat mihi pernicioſa iſta adinuentio tractatus ſui, quo proficit pugna? Ne fides, inquit, in-

† al. docetur.

† al. completur.

tereat cum male aut creditur, aut docetur. Quod malum eſt iſta ratio, mox videbimus. Nũc ſcire cupio, fides A ex doctrina conſtet, an ex credulitate, an ex vtroque. Si ex doctrina conſtat: non habent ergo fidem, qui literas neſciunt, ſed nec ipſi, qui ſciunt: quia legis ſcientiam, obſeruantiamque ad perfectionem, perducere nullis rationibus poſſunt. Si vero ex credulitate, non ei opus eſt vlla interpretatio: quia ſicut ſemel creditur, ita, ſemel ex eo ipſo, quod creditum eſt, conſummata fides vltra nec minuitur, nec augetur. Sin vero ex vtroque, patriarcharum ſemenſa fides eſt: ac per hoc illis conſtitutionis noſtræ videlicet decernendi ſunt libri, vt poſſint eſſe perfecti. O quàm miſera eſt fides, quam verba concinnant. O quàm debilis, cuius quotidie diſſipantur variis argumẽtationibus membra. O quàm indefenſa, quæ regum, iudicum, diuitum, aliquotiens etiam, quod peius eſt, & gẽ- B tium deſiderat per momẽta patrocinia. O quàm turpis, ac lubrica, de qua ludit aliena ſententia. O quã adultera, quæ non agnoſcit, quo auctore ſit nata. O quàm ridiculoſa, quæ duobus cõfligentibus Chriſtianis, ab altero eorum ſi non tranſducitur, perfida, cum tranſducta fuerit, fides vocatur. O quàm non vera, ſi factionibus pollet. O quàm publicana, cuius fabulantur etiam profani ſecreta. O quã præſumpta, quæ mauult magis nouellæ traditioni ſuæ credi, quàm antiquitati, quàm Deo Domino dicẽti; Reiicitis mandatum Dei, vt traditiones veſtras ſtatuatis. Sed non eò dico, vt ingratum faciam doctrinæ beneficium, ſed vt ſciat vnuſquiſque, aliud eſſe fidem, aliud eſſe tractatum: nec fidem per tractatum poſſe vel dari, vel noſci, vel deſtrui. Dari non poteſt: quia ſi verbis dari poteſt, poterit & verbis auferri. Noſci adæquè non poteſt: C quia fieri poteſt, vt quis aliud geſtet in labiis, aliud in penetralibus cordis. Similiter ne deſtrui quidem: quia ſi vera fides eſt, aliud eſſe non poteſt, quàm quod eſt. Igitur cum poſſibilitatis humanæ non ſit, fidei videre ſecreta, nuſquam, fratres, tua curioſitas, nuſquam tua proficit pugna: quia quem putas vel de tuis ipſis ſtudioſis fideliſſimum, hic infidelis: & quem putaueris infidelem, hic fidelis eſt. Fortè in eo ſe quis æſtimat fideliorem, ſi loquatur argutè, cũ magis verus ſit ille fidelis, qui ſacra in prædicatione non vltra quàm licitum eſt, aciem ſuæ retenderit mentis: eò enim res deducta eſt, vt fides noſtra per Dei requiratur iniuriam. Quod futurum Salomon enũtiauit: & cauendum quid ſit, his verbis edocuit: Melior, D qui deficit ſenſu in timore, quàm qui abundat aſtutia, & tranſgreditur legem. Et iterum, Noli eſſe ſapiens multum: & noli argumentari plus, quàm oporteat. Similiter Paulus, Noli altum ſapere, ſed time. Cum hæc ita ſint, cur legem lege diſtringis? Cur ſub imagine fidei fidem deponis? Cur ipſum fontem diuinitatis philoſophicis argumentis exhaurire conaris? Si peritiam legis oſtẽdere cupis, lectionum nubila diſſerena. Doce eam ſibi nõ eſſe contrariam, doce omnia quæ canit, eſſe credẽda. Cęterum ſi eius partem probes, reprobes partem, quomodo per hanc fidem quæris, quam etiam ipſam infidelitatis ream conſtituis, cum vniuerſa non credis. Sin vero fidem ſpiritus calles, aliquam demonſtra virtutem, impera montibus, vt transferant ſeſe, in admirationem tui E tactu blandiente leonum rabies euaneſcat. Sub greſſibus tuis maris vnda pingueſcens marmoreo ſtupore ſolidetur. Ceryna cymba inter æſtuantis pelagi ſolicitos ſinus fidẽ tuam fideliter portet. Solis curſus ac lunæ ab occidui carceris receptaculo orationis frœno refrœna. Anhelantis camini ignis exæſtuans, victa natura, ſentiat per te tecum & ipſe refrigerium. Mortuorũ in poſtliminiũ vitæ animas reductas inſpira. Diſcute laborãtibus morbos. Cura languores, in tentationibus gaude, & in tormentis pro nomine Domini. Si obuenerint dura, fidem tanquam granum ſinapis te habere demonſtra. Sin vero, quod magis eſt, ſub ſono legis, ac fidei ſecularis amore iactantiæ accenſus naſcentis Dei de Deo, Spiritusq; ſancti inæſtimabilem incomprehenſibilémque diuinitatis perpetuitatem, iure ipſo, quo ex ſeſe eſt, argumentis te cogere, examinare, metiri, ac diſcernere poſſe præſumis: hic tibi ego reſpondere non audeo: quippe cũ ſit tutius imperitum videri, quàm eſſe ſacrilegum: & tamẽ habeo, qui pro me tibi obſiſtat: nam lex, per quam me forte minus peritum peccare compellis, ipſa te magnopere retũdens; ac redarguens confutabit, Salomone dicente, Altiora te ne quæſieris: & fortiora te nõ ſcrutatus ſis. Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & plurimis operibus illorum non eris curioſus: multos enim ſeduxit ſuſpicio illorum. Similiter Paulus curioſo reſcribit dicẽs, O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inexquiſita ſunt iudicia illius, & quã ininueſtigabiles viæ illius. Quis enim cognouit cogitationem Dei? Et tu eius naturam quæris? Sed & alio loco hoc, quod agitur, euidenter expreſſit, cum ad Timotheum loquitur inſtruendum his verbis; Hortatus ſum, inquit, vt denũtiares quibuſdam, ne peruerſa doctrina vterentur: neque attenderent fabulis, & genealogiis, quæ ſine fine ſunt: quæ magis quæſtiones præſtãt, quàm veram rationem Dei: quæ eſt in fide. Definitio autẽ iuſſionis eſt charitas ex corde puro, & conſcientia bona, ex fide ſimplici. Igitur ſi Dei ſeruus es, ſtultas & ineruditas quæſtiones euita, ſciens, quia lites generant. Seruum autem Dei non oportet litigare: quia lis & charitatis eſt hoſtis, & fidei: quas ſi quis amiſerit, nec diuina ille profecto, nec humana cognoſcit. Hæc ſi religioſus es, ſerua: ſi vere timoratus, cuſtodi: de eo, quod modum humani ſenſus excedit, diſputare deuita. Negat quodammodo Deũ, quiſquis rationibus humanis Deum metiri conatur: defenſiu enim non niſi imbecilli præſtatur, nec poteſt eũ reuereri, qui ingenij ſui putat eſſe, quod ille fuerit æſtimatus. Cæterum illa eſt fidei generoſitas vera, vt Deo fideliter ſeruiat: in ſolo ipſo fiduciam gerat: à fidelitate, & fiducia fidelem ſe vocari cognoſcat: inculpatis motibus viuat: conſcientia cum bona, non loquacitate, quæ mater profecto peccati eſt, noſſe præſumat: trinitatiſque vnam potentiæ plenitudinem, quæ vna mente, vna credulitate concipitur, non violet, ſed honoret.

Sermo de ſpe, fide, & charitate.

TRIBVS in rebus Chriſtiani culminis fundamenta conſiſtunt, id eſt in ſpe, in fide, & in charitate: quæ ita inuicẽ ſibi videntur eſſe cõnexa, vt ſint alij alia neceſſaria: ſpes enim niſi præcedat, cui laborat fides? Fides ſi non ſit, quomodo ſpes ipſa naſcetur? quibus ſi deneges charitatem, vtræque inutiles erunt: quia neque fides ſine charitate, neque ſpes poterit operari ſine fide. Itaque Chriſtianus tribus in rebus, ſi cupit eſſe perfectus, debet eſſe conſtructus: ſi quid enim ei ex his defuerit, perfectionem ſui operis non habebit. Vnde primo omnium ſpes nobis proponenda eſt futurorũ, ſine qua nec præſentia quidem ipſa ſtare poſſe perſpicimus. Adeo tolle ſpẽ, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt. Tolle ſpẽ, & interempta ſunt omnia. Quid facit ad literatorẽ puer ſi literatum non ſperat fructum? Quid ratem profundo gurgiti nauta committit, ſi ei nunquam lucrum, nunquã portus deſideratus occurrit? Quid miles, non dicã horridæ hyemis, aut torridæ æſtatis iniurias, ſed ſeipſum cõtemnit, ſi gloriæ ſpem futuræ non gerit? Quid agricola ſemina ſpargit, ſi ſudoris ſui præmium non colligit meſſem? Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? Sed ſpes ex fidę eſt: quæ quamuis in futuro ſit poſita, fidei tamen eſt iure ſubiecta: vbi enim fides non eſt, nec ſpes eſt: fides enim ſpei ſubſtantia eſt: & ſpes fidei gloria: quoniam præmium, quod ſpes habet, fidei meretur: quæ quidem pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit. Amplectenda eſt igitur, fratres, tenaciter nobis, & omni genere cuſtodienda virtutum: in hanc fortiter incumbẽdum: ipſa eſt enim vitæ noſtræ immobile fundamentum: inuictum aduerſus diaboli impetus propugnaculum

culum pariter ac telum: animæ noſtræ impenetrabilis lorica: legis compendioſa ac vera ſcientia: dæmonum terror: martyrum virtus: Eccleſiæ pulchritudo, vel murus: Dei miniſtra, Chriſti amica, Spiritus ſancti côuiua. Huic & præſentia ſubiacent, & futura iſta, quia contemnit illa, quia ſua eſſe præſumit. Nec ſpes timet, ne non veniat: quia ea ſemper ſecum ſuis in virtutibus portat. Huc eſt, quod Abraham côtra ſpem in ſpem credidit Deo, vt fieret pater multarum gentium. Côtra ſpé autem eſt, quod impoſſibile eſt, ac non videtur eſſe poſſibile: ſed poſſibile hac ſpe fit, cum Dei dicto indubitâter, ac fortiter creditur: dicit enim Dominus, omnia poſſibilia credenti. Vnde Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: qui ideo iuſtus, quia fidelis: iuſtus enim ex fide viuit: ideo fidelis, quia credidit Deo: Qui niſi credidiſſet, neque iuſtus, neque pater gentium eſſe potuiſſet. Quapropter manifeſtum eſt, ſpei ac fidei vnam, inſeparabilémque eſſe naturam: quia in homine ex his quæcúque defecerit, ambæ moriuntur. Fides itaque donum Dei, vel maximè res propria noſtra eſt, Domino ipſo dicente, Fides tua te ſaluum fecit. Igitur ſi noſtra eſt, ſeruemus vt noſtram: vt iure ſperemus aliena: nemo enim cenſum debitori committit: nec deſertorem præmiis triumphalibus honorabit: maximè cum ſcriptum ſit, qui habet, dabitur illi, & abundabit: qui autem non habet, etiam id, quod habet auferetur ab eo. Per hanc fratres à Deo Henoch meruit cum corpore contra legem naturę transferri. Per hanc euadens Noë non inuenit, cum quo diluuium fuiſſe conferret. Per hanc Abrahã ad Dei peruenit amicitiam. Per hanc Iſaac præter cæteros enituit. Per hanc Iacob Deo colluctari præualuit. Per hanc Ioſeph Ægyptum ſuæ ditioni ſubiecit. Hæc Moyſi in mari rubro terram vitream fecit. Hæc vt curſus ſoliti contempta menſura Ieſu Naue deſiderio pateretur, ſoli lunæque ſuos frænos induxit. Hæc de armato Golia Dauid inermi triumphos attulit. Hæc in Iob inter crebra & ingentia mala non deſperauit. Hæc in Tobiæ cæcitate medica fuit. Hæc in Daniele ora leonibus alligauit. Hæc in Iona cetum in cymbam conuertit. Hæc in Machabæicæ germanitatis caercitu ſola vicit. Hæc in tribus pueris ignes amœnos effecit. Hæc mare pedibus ambulari poſſe in Petro præſumpſit. Per hanc Apoſtoli multos in nitidam cutem lepræ deformis contagioſis, ſcabioſiſque graſſantium vlcerum ſpoliauere verticibus. Per hanc, inquam, cæcos videre: ſurdos audire: mutos loqui: claudos currere: paralyticos reformari: de obſeſſis dæmones fugere: mortuóſque ſæpe ipſos à ſepulchris cum ſuis ſibi exequiis reuerti iuſſerunt: vt omnes mirarentur fieri lachrymas gaudij, quæ nunc fuerant orbitatis. Sed longũ eſt, fratres, ire per ſingula, maximè quia charitas ſua ingerit fortiora: quæ eſt ita rebus vniuerſis prædita, vt ſit omnium iure ipſo regina. Triumphet licet, quibus vult virtutibus, fides ac ſpes multa, & magna proponat, tamen ſine hac vtræque non proderunt, fides primo omnium ſi ſeipſam nõ amet, ſpes ſi non ametur. Adde, quod fides ſibi ſoli prodeſt: charitas omnibus. Adde, quod fides non gratis pugnat: charitas autem etiã ingratis conferre conſueuit. Adde, quod fides non tranſit in alium: charitas, parum eſt dicere, tranſit in alium, quæ tranſit in populum. Adde, quod fides paucorum eſt, charitas omnium. Adde, quod ſpes ac fides tempus habent: charitas autem finé non habet, momentis omnibus creſcit: quãtóque ab ea diligentibus inuicem traditur, tanto inuicẽ plus debetur. Non quenquam pro perſona diligit, adulari quia neſcit. Non pro honore, quia ambitioſa nõ eſt. Non pro ſexu, quoniam illi vnus eſt ambo. Non pro tẽpore, quia varia nõ eſt. Non æmulatur, quia inuidia quid ſit, ignorat. Non inflatur quia humilitaté colit. Non malum cogitat, quia ſimplex eſt. Non iraſcitur, quia etiã iniurias libenter amplectitur. Non fallit, quia fidé ipſa cuſtodit. Non vlla re indiget, quia ei præter quod eſt, nihil eſt neceſſarium. Hæc tuta, vrbes ac populos compoſita pace conſeruat. Hæc circa regum latera ſecuros gladios

facit. Hæc bella premit: lites tollit: iura euacuat: fora cõ-
A peſcit: odia eradicat: iras extinguit. Hæc mare penetrare vrbem circuit: cõmercia nationibus neceſſaria subminiſtrat. Potentiã fratres, cito eius edicam. Quicquid locis natura negauerit, charitas reddit. Hæc côiugalis affectus duos homines ſacramento venerabili vnam cogit in carnem. Hæc humanitati præſtat eſſe, quod naſcitur. Huius eſt munus quod cara vxor: quod generoſi liberi: quod veri ſunt patres. Huius eſt munus quod alij, vt nos, aut pluſquã nos, proximi vel amici ſunt nobis. Huius eſt munus, quod diligimus ſeruos vt filios: ac nos illi colunt libenter vt dominos. Huius eſt munus, vt, non dicam notos aut amicos, ſed ſæpe etiam eos, quos nunquam vidimus, diligamus. Huius eſt munus, quod antiquorum aut virtutes ex libris, aut ex virtutibus libros agnoſcimus.
B Sed quid ego diutius demorer in humanis, quaſi ſola iſto affectu ſint prædita. Nónne videmus omne animantium genus congregatione, concordia teſtari charitatem? atque ita omnis motus quaſi vno ſéſu magiſtra dilectione conuerti: vt quiuis intelligat, hoc fieri non poſſe ſine naturalis amicitiæ diſciplina? Quid autem pro ſe in neceſſitatibus gerant, omnibus nota pecorũ quotidiana propemodum tam iocundi certaminis exempla declarant: quia aliquis eorũ cum fortè de numero audacis lupi rabie totatus in præſens periculũ cœperit infeſtationibus tyrannicis duci, omnes repentè concelerant: laboranti ſubueniunt: penè armis ipſis inimici certatim ſe crebro ſubiiciunt: ingenti fragore confundunt: erectiſque mucronibus ſordidis, velut teſtudine quadam reſiſtunt: vincúntque facilius charitate, quod ſigillatim nuda vix poſ-
C ſunt ſuperare virtute. Elementa quoque ipſa fratres, ſatis diuerſa, ſatiſque repugnantia olim deprehendiſſet interitus, niſi ea inuicem mutuis æqualibuſque temperantia dotata muneribus, perennis connubij fideli propagine benigna charitas illigaſſet. Nihil eſt prorſus, quod ſine hac gratum, ſine hac pacificum, ſine hac fidele, ſine hac ſecurũ, ſine hac glorioſum, ſine hac Deo iunctum, ſine hac poſſit eſſe perfectũ. Denique cum Dominus interrogaretur, quod eſſet ſummum legis ſacræ præceptũ, ſic ait dicẽs; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Et ſecundũ ſimile huic; diliges proximum tuum, tanquam teipſum: In his duobus mandatis pendet omnis lex, & prophetæ. Vnde manifeſtum eſt, dilectionem virtutum omnium
D diuinarum eſſe ſubſtantiam, naturalemque magiſtram: quoniam ex lege diſcitur: ſed in mentibus naſcitur: lex enim pendet ex charitate, non charitas pendet ex lege, ſacra ſcriptura dicente, Iuſto lex poſita non eſt, ſed peccatori. Peccator autẽ ille eſt, qui charitaté nõ habet Dei: ac per hoc operanti iram rectè ſubiacet legi. Atqui fortè aliquis dicat, lex ſpernenda eſt, quia iuſto neceſſaria non eſt, peccatori vero moleſta eſt. Abſit fratres, immo potius veneranda eſt, quia veritatis ſpeculum, quia rigida quædam dilectionis eſt forma: quicquid enim à iuſto didicit, id facere iniuſtũ quoque compellit: bifariè inclyta, vnũ glorificando, alium corrigendo. Cõſtat ergo omne Chriſtianitatis magis in charitate, quàm in ſpe, vel fide eſſe depoſitum: ſicut euidens teſtatur exemplum. Iudas Iſcariotes traditor Domini & ſpem, & fidem perdidit:
E quia charitas in ipſo non manſit: nã & hæreſes, & ſchiſmata ſic diſſeminãtur, cum inflata fides, ac ſpes dilectionis à fundamento velluntur. Quid autem ſine charitate ſint non tantum iſtæ, ſed & aliæ quoque virtutes, indice Paulo cognoſcite. Et ſi habuero inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio, charitas enim fratres, omnia diligit: omnia credit: omnia ſperat: omnia ſuſtinet, charitas nunquã excidit. Igitur non immerito Dominus Deus proximi dilectionem commendat: quoniam ſolam præſumit ſeruare poſſe, quod præcipit. Primum eſt itaque dilectionis officium, Deo refundere, quod nati ſumus:

ſolique debere, quòd viuimus: nihilque prorſus cordis
noſtri in penetralibus retinere, quod alieno iure ſerue-
mus. At cum ab eodem huius deuotionis inuitatione in-
habitari, ſeu nos in ipſo habitare cœperimus, ſicut Ioan-
nes dicit, Deus charitas eſt, qui manet in charitate, in
Deo manet, & Deus in illo manet, tunc demum, fratres,
charitatem per ſemetipſum ei condignè reddemus, quia
facta commutatione, quod eius eſt, fit pro partibus no-
ſtris, ſequens eſt, vt etiam proximos eo affectu, quo nos
ipſos diligimus, diligamus: maximè cum cognationis i-
pſa hoc exigant iura, clamat enim propheta, Deus vnus
creauit vos. Nónne pater vnus eſt omniú veſtrú? Quiſ-
quis igitur nobilitatis ſuæ conſcientiam retinet, diligit
fratrem: nec aliquid audire expectat ex lege, ne admoni-
tione pietati aliquid derogetur: tantúmque ſe in ipſo a-
mat, vt oderit ſe ſine ipſo. Accedit ad cumulú, quod id-
eo Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam
fecit, vt contemplatione imaginis pateremur reuerentiá
veritatis, in ea quæ res conditione dimiſſa eſt, vt ſi quid
mali, vel boni cuiquá fecerimus, Deo feciſſe videamur,
propter quod non immerito Ioannes peculiaris arcano-
rum Domini conſultor conſtáter edicit: Si quis dixerit,
quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, médax eſt:
qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum,
quem non videt, nó poteſt diligere. Decertemus igitur,
fratres, inter nos mutui amoris æmulatione glorioſa: i-
maginémq; Dei digniſſimè venerádo, declaremus quid
ipſi veritati debeamus, ſcientes, quoniam ſi quis imaginé
læſerit, in exitium ſuæ animæ incitat veritatem. Nec eſt
dicto longè probatio: ſi inclyti cuiuſquá regis, hominis
tamen vultus quiuis vlla violauerit ratione: nónne cóti-
nuo velut ſacrilegij commiſſi capitales pœnas luit? quá-
to magis in Dei cauſa fortius præcauendum eſt, quę ſo-
lum veretur, quicquid in virtutibus naturę à regibus ipſis
quoque meruitur? Sed neceſſario vnicuiq; ſinceri amo-
ris eſt noſcenda proprietas, ne ſub ſono nominis cómit-
tatur regula veritatis: eſt enim & alius amor ſanè ſaluti
noſtræ cótrarius: cui rectè hominis forma tribuitur, quia
temporalis, ac fragilis eſſe cognoſcitur. Ideo lineamento
puerili depingitur, quia eius laſciua lubricitas nec annis
ſenilibus temperatur. Ideo nudus, quia voluntas eius eſt
turpitudo. Ideo pennatus, quia in quæcunq; conceperit,
velociter ruit, ideo telis, facibuſque conſtructus, quia il-
licitis ardoribus ſemper iunctus eſt gladius. Ideo autem
cæcus, quia cum exarſerit, non ætatem conſiderat, non
formam, non ſexum, nó gradum, non ſacroſanctú illum
ſaltem ſanæ pietatis affectú. Hic faſcibus ſuis Heuæ pe-
ctus incendit. Hic Adam ſuis telis occidit. Hic Suſanná
conatus eſt duorum ſeniorum aut prodigioſis ignibus
ſubiicere, aut parricidali gladio iugulare. Hic Ioſeph
mulieri flagitat eſſe violentum: quem etiá, dum denudat
eſſe non inuenit impudicum. Hic ſynagogam expugna-
uit, cum ſua illi arma concedit. Hic vbique turbulentus:
vbique fertur inſanus. Promittit, dat, tollit, nunc triſtis,
nunc hilaris, nunc humilis, nunc elatus, nunc ebrius, núc
ieiunus, nunc accuſator, nunc reus. Iocatur, ludit, pallet,
tabet, ſuſpirat, celat, obſequitur, aut tentat, aut decipit,
peiuſque bláditur, quàm furit. Occaſionem vllam pror-
ſus noſcendi non prætérit. Vultis ſcire, quod malum ſit?
in ipſo fructu ſuo etiam ipſe ſe odit, venenis eius quoti-
die totus exæſtuat mundus: peſtiferiſque voluptatibus
ita corrupta ſunt omnia, vt quicquid in eo geritur, non
debere diligi à nobis ſacris vocibus dum iubetur rectè
ſapientibus execrabilis eſſe videatur, Ioanne dicente;
Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.
Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in il-
lo: quoniam omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia
eſt carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſe-
culi: quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia mundi:
per hanc enim diabolus cum diuerſè hominum mentes
capit ac decipit, ſic cupido vocitari à luxurioſis ſibi
cultoribus cœpit. Nunc ergo videamus vnde vera
charitas veniat: vbinam conſiſtat: cui vel maximè de-
beatur. Vtrique illi, qui hominem fecit: qui ei munus
A perpetuæ charitatis ſimilitudinem ſuam tradidit: qui
orbem terræ donauit: qui omnia elementa mundi cum
animantibus ſuis eius poteſtati ſubiecit: qui ei annos,
tempora, menſes, noctes, ac dies, clariſſimoſque duos
regalium orbiú currus numerifero ſemper viciſſitudinis
delectamento ſeruire præcepit: qui eum ſupradicti a-
moris malè dulcibus venenis occiſum, infernæque ſedi
ſubmerſum, maieſtatis ſuæ ſacramento viuificatum in-
ſuper regni cœleſtis participatione ditauit. O charitas,
quam pia, & quàm opulenta, ô quàm potens, nihil ha-
bet, qui te non habet. Tu Deum in hominem demuta-
re valuiſti. Tu eum breuiatum pauliſper ab maieſtatis
ſuæ immenſitate, peregrinati feciſti. Tu virginali car-
ceri nouem menſibus religaſti. Tu Heuam in Mariam
B redintegraſti, Tu Adam in Chriſto renouaſti. Tu ſa-
cram crucem in ſalutem perdito iam mundo prouidi-
ſti. Tu mortem Deum mori docendo vacuaſti. Tuum
eſt, quod cum occiditur ab hominibus Deus omnipo-
tentis Dei filius, nullus iraſcitur de duobus. Tu popu-
li cœleſtis animam tenes, cum ornas pacem: fidem
cuſtodis: amplecteris innocentiam: veritatem colis:
patientiam diligis: ſpem repræſentas. Tu diuerſos ho-
mines moribus, ætatibus, ditione, ex vna natura vnum
ſpiritum, vnum efficis corpus. Tu martyres glorioſos
à confeſſione Chriſtiani nominis nullis tormentis, nul-
la nouitate mortis, nullis præmiis, nullis amicitiis, nullis
affectibus omni ſanè terrore pietatis mordacitate peio-
ribus ſeparari permittis. Tu, vt nudum veſtias, nuda
eſſe contenta es. Tibi fames ſaginatio eſt. Si panem
C tuum inops eſuriens manducauerit, tuus cenſus eſt, to-
tum in miſericordiam habere, quod habes. Tu ſola ro-
gari non noſti. Tu oppreſſos vel cum diſpendio tui in-
cunctanter eripis in qualiber anguſtia conſtitutos. Tu
cæcorum oculus. Tu pes claudorum. Tu ſcutum fi-
deliſſimum viduarum. Tu melior pupillorum, plus
quam vterque parens. Tibi oculos nunquam ſiccos eſſe
aut miſericordia permittit, aut gaudium. Tu tuos ita di-
ligis inimicos, vt inter eos, caróſque tibi quid diſtet, ne-
mo diſcernat. Tu, inquam, cœleſtia humanis, humana
cœleſtibus iungis arcana. Tu diuina cuſtodis. Tu in pa-
tre imperas. Tu in filio obtemperas. Tu in Spiritu ſan-
cto exultas. Tu cum in tribus vna ſis, nullo pacto diuide-
ris: nulla humanæ curioſitatis calumnia commoueris. A
D paterno fonte in filio tota refunderis: & tamen tota vbi
refunderis, nec recedis. Rectè Deus diceris: quia trini-
tatis potentiam ſola conuertis.

Sermo pro fidei veritate.

NOn hodie mihi ad vos ſermo eſt, fratres chariſ-
ſimi, de humanis geſtis, aut meritis. Nec Da-
niel inducitur inter frementium leonú rabi-
dos rictus intrepidus, cœleſti prandio ſatur:
nec Ionas inter æſtuáres procellas, ſolicitique maris flu-
ctus inſanos tutior piſcis aluo, quá alueo nauis: nec tres
pueri, quo ardere putabantur, incendio de ſuis incenſo-
ribus vindicati, ſed de Domino noſtro, quem (proh ne-
fas) venerantur externi (ſi tamen dicendum eſt) ſui car-
E punt. Sanè nullis argumentis armatus, quibus illi liben-
ter vtuntur, qui aduerſus veritatem falſa componunt,
ſed cœleſtibus teſtimoniis, multis, manifeſtis, ac puris, vt
docti probent: minus inſtructi ſeſe confirment: rudes
diſcant, ipſique qui blaſphemare nituntur, ſalutis ſuæ
bono vel ſero, ſi poteſt fieri, reſipiſcant.

De Paſcha Sermo I.

SEcvlorvm hæres, & paterno curſu procur-
rés, atq; reuertés ſoléni meta rotatus in ſe pro-
ferés ſibi de fine principiú, natalitia in fine de
occaſu dies ſépiternus eluxit: quo diſcuſſa có-
uoluta hyemis triſtitudine, nouo vero ſauoio blandiéte
diuerſis

diuerſis floribus, genere, colore pariter, & odore vna natiuitate diffuſis, germinantia vndique dulce prata reſpirát. A Exultat æſtas noua: ſed diues in flumen varias moles ſpicam feliciter contundens palma, quā conſequitur congruè muſtulētus autumnus, vt neceſſario gratiæ panis vini quoque iocunditas iungeretur. Quis non hæc cœleſtibus myſteriis coaptata cognoſcat? hyems námq; pigra, ſordida, & triſtis ad eos pertinet, qui idololatriæ deſeruiētes, mundanis voluptatibus compediti, libidini vacantes, & gutturi lōgè moliti, id eſt æternæ morti ſunt à Deo, quod opus tenebratum dilexerunt, deſtinati. Ver ſacrum fontē debemus accipere: cuius diuite ex alueo ſauorio nō vento, ſed Spiritu ſancto generante, odorem diuinum beata ſpirantes fide, diuerſa chariſmate, ſed vna natiuitate Eccleſiæ flores clariſſimi, ac dulces noſtri funduntur infantes. B Æſtas autē fidelis eſt populus, Angelus, & mundus: qui ſponſionis ſuæ palmam fortiter retinēs, peccatorum paleis limpidatus, ſemet pretio ſum frumētum diuinis horreis inferre deſiderans, licet ſuo vberet fonte, tamē æſtuat ſemper iuſtæ operationis ardore. Autumnus quoque martyrij locus eſt: in quo non vitis, ſed foſſoris ſanguis effunditur: vt vita beata pretioſæ mortis vindemia comparetur. Dies verò ad ſacramentum pertinet reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui in omnibus omnia eſt: qui verè æternus eſt, ac ſine nocte dies: cui duodecim horæ in Apoſtolis, duodecim menſes ſeruiunt in prophetis, quem Euangeliorū ſalutaria quatuor prædicant tempora. Cui nō anniuerſarij, ſed quotidiani fructus reſpondeant, hymnum canentes Deo credentibus populis: qui omni immortalitatis ſemine propagantur in ſecula. In huius diei luce gradientes exultemus fide: iocundemur bona conuerſatione: vt perpetuam vitam adipiſci mereamur. Per Dominum Ieſum Chriſtū.

De Paſcha Sermo II.

INSTABILI curſu, multiformi gratia redimitur, temporū ſolēni veſtigio dies ſalutaris aduenit, idem ſui ſucceſſor: idémq; deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus, anni parens, annique progenies antecedit, ſequiturque tēpora & ſecula infinita, parit ſibi de fine principium: & tamen à cunis genitalibus nō recedit, profecto ſacramēti dominici imaginem portat: nam occaſu paſſionē, reſurrectionēq; C ortu rediuiuo concelebrat, per quem nobis munus futuræ beatitudinis pollicetur: hoc quoque noſtris competentibus præſtaturus, quos nunc inuitat felix occaſus: vt ſacri Oceani lacteo profundo demerſi, inde nouello, nouellique cum die reſurgentes nobiſcum poſſint ad immortalitatis gloriam peruenire.

De Paſcha Sermo III.

† al. curſu.

MORTE ſua viuens, ſepulchri nido vegetatus, innumerabiles temporū metas perēni †cutru, vna eadémque orbita luſtrās dies magnus aduenit: menſes in tempora, tēpora in annos, annos in ſecula pandens, ſine pauſa creſcit in ſenium: & tamen à cunis genitalibus non recedit: profectò ſacramēti dominici imaginem portat: nam occaſu paſſionē, reſurrectionémque ortu rediuiuo concelebrat: per quem nobis quoque reſurrectionem futuræ beatitudinis pollicetur.

De Paſcha Sermo IIII.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in ſecundo, quod etiam in quinque ſequentibus factum eſt.

SEMPITERNI curtus auriga teretis metæ ſua replicans complicando gyro ſolenni veſtigia, dies ſalutaris aduenit. idem ſibi ſucceſſor; idémque deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus

anni parens, annique progenies, antecedit quæ ſequitur A tempora: & vt ſecula colligenda diſſeminet, parit ſibi de fine principium. Hic eſt, quo ſimiliter, vetuntamē ſemel amore hominis ſui eius artifex Deus, & Dominus noſter occidit: & exortus eſt rurſum, nunquam ſanè repetiturus occaſum. Hic, inquam, quo ferales diruptæ ſunt tenebræ: quo mors ſubacta eſt: quo homines, quos ſuſceperant mortuos, refundere inferi coacti ſunt viuos. Quē vt ſemper, & vbique aucti fide, numero, charitate noſtris cum fratribus celebremus, præſtabit Deus pater omnipotens.

De Paſcha Sermo V.

NEC ocioſo curſu, reciprocis ambagibus operis B mundani penſa perpetuans genitalis ſemper nouellus occaſu a ſe io ſemet ſua per veſtigia reuolutus dies ſalutaris aduenit; officiis ſacramenti domini omnibus omni genere munerum largus: námque piis mercedem ſacerdotibus præſtat: conſequētibus miniſtris promotionis augmentum: immortalitatia fidelibus fructum: pœnitentibus curam: catechumenis lucis viam, competentibus remiſſam omnium peccatorum. Sicque cunctos in vnam Chriſti corporis gratiam congregatos ad cœleſtia regna perducit per Dominum, & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum: qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

De Paſcha Sermo VI.

C PERPETIS anni pernicem curſum in biſſenę mutationis augmentum vna, eadémque, nec ipſa, ſed ipſa orbita circūducens, dies magnus aduenit, ſuo ſibi ſēper nouellus occaſu, quod præterit, ſequitur: quod futurum eſt, antecedit. In omnibus nouus eſt: & tamē in omnibus vetus eſt, punctis omnibus commutatur, non natura, ſed numero, ſit filius horarum, qui pater eſt omnium ſeculorū. Hic eſt, dies, fratres, quo à Domino noſtro cūctus redemptus eſt orbis: quo æthereo ſemine nouellus, id eſt noſter viuificatus eſt populus. Hic inquam, qui nobis reſurrectionis monſtrat exemplum: cuius ſanè conditione nos beatiores ſumus: quia ille occidit, ſemper vt viuat, fidelis autem poſt ſecundæ natiuitatis occaſum reſurgens horrore nunquā intercipitur tenebrarum.

D

De Paſcha Sermo VII.

SPECIOSO circulo ſacer inflexus dies in mundani operis penſa quadriga temporum fertur, duodenis mēſium perpeti curru mutationibus diues, nulla ſtatione contentus: quia immortalitas eius eſt curſus. Verum currat, an recurrat, ambiguum eſt: cuius præteritum reſtat, vt redeat. Mira prorſus ratio innumerabilium ſeculorum diuerſa menſura conterendo innouat ſpatia: & tamē eius ſemper orbita eſt vna: qui nos admonet, fratres, paſſionis, reſurrectioniſque dominicæ vnanimes, atque concordes ſalutaria celebrare myſteria, per Dominum, & conſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum.

E

De Paſcha Sermo VIII.

STABILIS curſor, multiformi gratia redimitus per temporum ambages pernicibus plantis ſua recalcans, officin ſolenni veſtigia dies ſalutaris aduenit. Idem ſibi ſucceſſor, idémq; deceſſor, longæua ſemper ætate nouellus, anni parens, annique progenies, antecedit quæ ſequitur tempora, & ſecula infinita diſſeminat, parit ſibi de fine principium: hoc noſtris quoque hodie competentibus præſtaturus: quos iā nunc felix inuitat occaſus, vt ſacri Oceani lacteo profundo demerſi ſurgentes inde nouello nouelli cum die, ſua luce radiantes nobiſcum poſſint immortalitatia per aerium tramitem curſu ſeruato ad repromiſſionis tempus, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.

De Paſcha Sermo IX.

Pro baptizandis.

MAgnificvs, fratres dilectiſſimi, ſeculorum patet adeſt dies, omni genere fructuum fœtibus pollens, diuite ſinu, momentis quibus velis, quatuor tẽporum munera expungens. Denique competentibus noſtris finitur hyems, hodie peccatorum oleo confecto lætabuntur. Hodie eos etiam ver arridens diuerſos in flores diuerſo chariſmate redituturum eſt, cum ſalubri vnda perfuſi limpidæ æſtatis meſſe gaudentes panem nouum cœperint manducare: quos autumnale quoque non morabitur muſtum: quo repleti inebriatique feliciter Spiritus ſancti calore feruebunt: qui vt nunquam refrigeſcant, omnibus nobis præſtabit Deus pater omnipotens.

Inuitatio ad fontem I.

EIa fratres, quos beatæ ſitis exoptatus ardor incendit, quos nectarei fluenti dulce murmur inuitat, lacteum genitalis fontis ad laticem conuolate: & incunctanter ac fortiter bibite, dum licet ſuperfluentis amnis vndæ ſubiecti toto impetu, totáque deuotione veſtra vaſa replete, vt ſemper vobis aqua ſufficiat: hoc ante omnia ſciẽtes, quia hanc nec effundere licet, nec rurſus haurire.

Inuitatio ad fontem II.

PRoperate, properate benè loturi, fratres. Aqua viua Spiritu ſancto, & igne dulciſſimo temperata, blando murmure iam vos inuitat. Iam balneator præcinctus expectat, quod vnctui, quod terſui opus eſt, præbiturus, ſed & denariũ aureum triplicis numiſmatis vnione ſignatũ. Gaudete itaque, in fontem quidem nudi demergitis, ſed ætherea veſte veſtiti, mox candidati inde ſurgetis, quam qui nõ polluerit, regna cœleſtia poſſidebit, per Dominum Ieſum Chriſtum.

Inuitatio ad fontem III.

EXvltate, fratres, in Chriſto, omnique deſiderio conuolantes cœleſtia dona percipite. Iam vos ſempiterni fontis calor ſalutaris inuitat. Iã mater noſtra adoptat, vt pariat: ſed non ea lege, qua vos matres veſtræ pepererũt: quæ & ipſe partus dolore gementes, & vos plorantes, ſordidos pannis ſordidis alligatos, huic mundo dedititios intulerũt, ſed læta gaudentes, cœleſtis, libera peccatis omnibus abſolutos, non fœtidis cunis, ſed ſuaue redolentibus, ſacri altatis feliciter enutrita cancellis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Inuitatio ad fontem IIII.

IAm iámq; dicto citius ad æthereas portas, fratres intrate, æterniq; gurgitis alueo genitali cõdentes vilem pro perſonis operari ne æſtimetis hic gratiam; iudicio veſtro naſcimini, ſcientes, E quoniam qui plus crediderit, nobiliorẽ ſeipſe præſtabit. Conſtanter igitur, ac fideliter hominẽ iſtum veſtrum veterem fæteroſis cũ pannis abiicite, nouelli omnes, omnes cãdidati, omnes Spiritus ſancti munere mox diuites proceſſuri.

Inuitatio ad fontem V.

QVid ſtatis genere, ætate, ſexu, cõditione diuerſi, mox vnum futuri? fontanũ ſemper virginis matris dulce ad vterum conuolate: ibidémque vos veſtra nobilitate fide, ſcientes, quoniam quantum quis crediderit, & operatus fuerit, tãtum beatitudinis & habebit. O admirabilis, & verè diuina ſacro-

A ſancta dignatio: in qua quæ parturit, non gemit: qui renaſcitur, plorare non nouit. Hæc renouatio: hæc reſurrectio: hæc vita æterna: hæc eſt mater omnium, quæ nos adunatos ex omni gente, & natione collectos vnũ poſtmodum efficit corpus.

Inuitatio ad fontem VI.

In qua perpaucis additis, quibuſdam mutatis continetur ea, quæ in prima.

EIa fratres, quos beatæ ſitis exoptatus ardor incendit, cupiditate ac velocitate ceruina lacteum genitalis fontis ad laticem conuolate. Fortiter bibite, vt ſemper vobis aqua ſufficiat: B hoc principaliter ſcientes, quia hanc nec effundere licitum eſt, nec rurſus haurite.

Inuitatio ad fontem VII.

EXvltate fratres, quos ſua parturit fides: qui mundi huius fugientes inſidias reatum, vulnera, ac mortem paternæ imploraſtis auxiliũ maieſtatis: omnique non pedum velocitate, ſed mentis pij fontis ad gurgitem conuolate. Vos conſtanter immergite, ſaluo ſalutis ſtatu, veteris hominis veſtri felici morte victuri.

Inuitatio ad fontem VIII.

C EIa quid ſtatis, fratres, veſtram quos per fidem genitalis vnda concepit, per ſacramenta iam parturit, ad deſiderata quantocyus feſtinate. Solemnis hymnus ecce iam canitur, ecce mox infantum dulcis vagitus auditur, ecce parientis vno de ventre clariſſima turba procedit. Noua res, vt iure ſpiritali vnuſquiſque naſcatur, vltro currite ad matrem: quæ tunc non laborat, ſi quos pariter numerare nõ poſſit, intrate ergo: intrate felices omnes ſimul ſubito futuri lactentes.

Ad neophytos poſt baptiſma, Sermo I.

POſt deuotiſſima cõpleta expiationis ſacræ caſta ieiunia, poſt clariſſimę noctis ſuo ſole dulces vigilias, poſt lactei fontis lauacro vitali D in ſpem immortalitatis animas pullulantes, ex quo qui eratis ætate diuerſi, diuerſi natione ſubito germani, fratres, ſubitò vnigeniti emerſiſtis infantes: hortor vos natiuitatis tantæ feſta læto celebrare conuiuio: ſed nõ illo, in quo diuerſis epulis nutrimentorum lenocinio, ſaporis de ſumma certantibus obtutum pectus ſæpe crudis, atq, acidis vomitibus ingurgitetur: in quo muſti veſtri dulcedo ſecularis, vini pridiani exhalante fœtore corrumpitur, ſed cœleſti prandio, honeſto, puro, ſalubri, atque perpetuo: quod vt ſaturi ſemper, ac felices eſſe poſſitis, eſurienter accipite. Paterfamilias panẽ, vinũque pretioſum vobis ex vſibus ſuis ſua de mẽſa largitur. Tres pueri vnanimes legumina inferũt primi: quibus vt ſcitus ſit ſapor, ſalem ſapientiæ aſpergunt: oleũ Chriſtus infundit: Moyſes primitiuã feſtinus maturámque procurauit agninam: Abrahã pinguem, conditámq; fideliter vitulinam. Iſaac innocẽter oleũ portat, & ligna. Iacob patiẽter varia exhibet pecora. Ioſeph præmotus ad menſurã prærogat cunctis annonam. Sanè ſi quis aliquid deſiderauerit, qui recondidit Noë omnia illi arcarius non negabit. Petrus piſcator recentes marinos affatim piſces apponit cum ſarda admirabili. Tobias peregrinus fluuialis piſcis interanea diligenter accurat, & aſſat. Ioannes camelarius deuotè præcurrens de ſylua mel attulit, & locuſtas. Ne alter alterum manducantem denotet, inuitator admonet Paulus. Dauid regius paſtor omnibus momentis lac argenteum ſubminiſtrat, & caſeum. Zachæus ſine mora quadruplicata expungit apophoreta.

Deus

Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, ſicut prior, qui hoc prandio paſtus es ante nos, dicit: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo. Hæc, fratres, ſi quis libenter crediderit, largiores adhuc eſcas inueniet: quibus ſi diligens fuerit, ſemper & ſe, & alios bonis omnibus ſatiabit. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad Neophytos poſt Baptiſma, Sermo II.

RECTE ſanctiſſimus Dauid ait, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: quia beatus non eſſe non poteſt fratres, in prima natiuitate perſiſtens: quem æſtuantium delictorum fex inceoſa omnibus momentis exurit: qui pædorem ſui ſecum carceris portat: qui carnificem ſentit ante, quam videat: qui nomen iudicis pertimeſcit: qui ſicunde ſuſurrus ingruerit, ſe quæri, ſe æſtimat inueniri: cui ſecuritatis profectus eſt nullus, etiam ſi contingat ei accuſatore carere, teſte conſcio: cum ſeipſo carere non poſſit: quia violentior omni tortore conſcientia nunquam ſuum deſerit peccatorem. In hoc reatu, fratres, vſque nunc fuiſtis: ſed fortiter examinati eſtis: ſed, vt indulgentiam perciperetis, pro vobis bene vigilaſtis, optimè eſtis auditi. Nouum iudicij genus: in quo reus ſi excuſauerit crimen, damnatur: abſoluitur, ſi fatetur. O magna poteſtas, magna petitia, magna pietas iudicis noſtri: à quo volueſi generis peccatores, vt poſſint beatè viuere, puniri feſtinant, deſcendit quippe gladius pius in viſcera peccatoris, & vno eodẽque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem: creat nouum: & ſacri gurgitis elemento ſepelit. Et, cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in profũdum homines ſuſceperit viuos, euomat mortuos, aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros homines factos: ex hominibus in angelos tranſituros, ſi prouectus ætatis eorum infantiam non mutauerit.

Ad neophytos poſt baptiſma, Sermo III.

EXVLTEMVS, fratres in Chriſto: triumphatorique perpetuo hymnis, citharis, tympanis, canticis gratiam referamus: qui nobis promiſſa perpetuans pia ſanctione (vt aiunt) claues verè aureas miſit: & quidem non illas, quæ maligno beneficio crimina excipiunt; quæ corpori parcunt, animam liberare non poſſunt: quæ peccata, cum diſſimulando prætereunt, non adimunt, ſed includunt: quæ reum, qualem inuenerint, talem quoque dimittunt: quæ in pari cauſa ipſi præſtatori nihil prodeſſe poſſunt. At verò noſtræ aceruatim abſoluunt, quicquid inuenerint: nec aliquid ſubſeciui eſſe patiuntur: ſed pectorum aperiunt cuncta penetralia: diligenter vniuerſa crimina expellunt: ac rurſus diligenter occludunt, ne quid illo vel friuolum, inde quod excluditur, reuertatur. Mira ratio: mira beatitudo. Saluo reo punitur reatus in eo, integróque ſtatu moritur in homine: propter quod homo fuerat moriturus. Inde eſt, quod noſtra non habet neceſſaria tormenta confeſſio: quòd ſine ſudore tortoris facinora ſua ſponte reus vt fiat innocens, confitetur. Pretioſa indulgentia eſt, fratres, quæ & veniam præſtat, & medicinam. Cæterum, qui parcit venefico, homicidæ, adultero, inceſtatori, ſacrilego, niſi eius curauerit mentem, non video, quid illi præſtiterit. O liberatoris noſtri profunda prouidentia. O præſtantia ſingularis. O dulcis ſententia. O damnatio neceſſaria. Homo iugulatur, vt viuat, percuſſor, percuſſoriſque non cernitur gladius: percuſſique non hiat vulnus: non defluit ſanguis, non decolor color eſt. Ipſe eſt: & tamen ipſe non eſt. Vetus quidem videtur domicilium, ſed nouus eſt inquilinus, mutatione morum natiuitatis ſuæ nobilitatem incredulis varijs virtutibus monſtrans. Cuius ſanctionem veſtræ ætatis omni curriculo manente in ſua ſemper infantia, cuſtodire: ac fortiter præcauete, ne primi hominis quondam veſtri vnquam memoriam recolatis.

Ad neophytos poſt baptiſma, Sermo IIII.

SALVETE hodie nati fratres in Chriſto: acceptæque indulgentiæ regale beneficium diligenter, fortiter, ac fideliter cuſtodite: etenim veſter contractus omnis ablatus eſt, ſecuri gaudete, nihil ſeculo iam debetis. Ecce nullum põdus: ſtridor nullus eſt mundanarum veſtris in ceruicibus catenarum. Vinculis nullis impeditæ ſunt manus: nullis pedes onerati compedibus. Non vos vllus terror exagitat: non vllæ ſordes offuſcant, qui conſcium timebatis, conſcientiam non timetis: vetus enim homo veſter feliciter condemnatus eſt, vt abſolueretur: ſacri gurgitis vnda ſepultus, vt ſepulchri nido viuificatus reſurrectionis iura guſtaret. O magna prouidentia Dei noſtri. O bonæ matris charitas pura, diuerſo genere, ſexu, ætate, conditione ſuſcipiens necat odio criminum, vt nouerca: pia ſeruat vt mater: necatóſque non ante viuificat, quàm omne virus vetuſtatis extinguat. Ne quid adulterum pariat, ac ne quem plus amare videatur, aut minus, vnam natiuitatem, vnum lac, vnum ſtipendium, vnam Spiritus ſancti præſtat omnibus dignitatem. Quã ſpecioſum eſt, fratres, quamque ſalutare, quem paulo ante ridiculo habueris, admirari: cuius execratus ſis corruptelam, optes imitari virtutem, quem cupidum ſemper horrueris, ſtupeas paſſim in pauperes, & egenos ſua bona vniuerſa fundẽtem, poſtremo quem noueris idololatriæ fanum, gaudeas Dei templum. Itaque beatus eſt ſemper, qui meminit, quòd renatus ſit: beatior, qui non meminerit fuiſſe ante, quàm renatus ſit: beatiſſimus, qui infantiam ſuam prouectu temporis non mutauerit.

Ad neophytos poſt baptiſma, Sermo V.

AETHERAE genres exultate, nouella pignora in Chriſto, florentiſſimique hodierni ſpiritalis ortus veſtri candorem ne quo pacto maculetis, perpeti diligentia cuſtodite quia neſcit iterare, quod præſtat. Ecce pueri, adoleſcentes, iuuenes, ſenes vtriuſque ſexus, qui eratis rei, eratis & immũdi mundana natiuitate, contra omni reatu iam liberi, mundi eſtis infantes: &, quod eſt admirabile, & gratum, ſubito vno momento facti ætatibus diuerſis æquæui, ſed curioſitatem veſtram benè noui veteris vitæ vſurpatione: quod quidem vobis vlterius non licebit. Fortaſſis requiratis & à nobis, qua genitura, quóve ſigno tam diuerſos, tam plures, tam diſpares vna vno partu veſtra vos peperit mater. Sicut paruulis morem geram: ſacríque horoſcopi pandam tota breuitate ſecreta. Igitur, fratres, geneſis talis eſt veſtra. Primus vos, qui in ſe credentem reprobat nullum, non Aries, ſed Agnus excepit: qui veſtram nuditatem velleris ſui niueo candore veſtiuit: qui ſuum lac beatum vagitu hiantibus veſtris labris indulgenter infudit. Idem non tumidus ceruice, non toruus fronte, non minax cornu Taurus, ſed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet Vitulus, vt nulla vllo in opere captantes auguria, eius ſine malitia ſuccedentes iugo, terrámque veſtræ carnis domando fœcundantes, lætam diuinorum ſeminum meſſem cœleſtibus horreis inſeratis. Et admonet proſequentibus Geminis, id eſt duobus ſalutare canentibus teſtamentis, vt principaliter idololatriam, impudicitiam, auaritiámque fugiatis, quæ eſt incurabilis Cancer. Leo autem noſter, ſicut Geneſis proteſtatur, leonis eſt catulus: cuius iſta pia ſacramenta celebramus, qui ad hoc recubans obdormiuit, vt vinceret mortem: ad hoc euigilauit, vt beatæ reſurrectionis ſuę in nos munus immortalitatis conferret. Quem competenter ſequitur Virgo prænuncians Libram, vt noſce-

remus Dei per filium, qui incarnatus proceſſit ex virgine, æquitatem, iuſtitiámque terris illatam: quam qui cõſtanter renuerit, ac fideliter miniſtrauerit, non dicam Scorpionem, ſed ſicut Dominus ait in Euangelio, omnes omnino ſerpentes illæſa planta calcabit. Sed nec ipſum quoque diabolum, qui verè eſt acerrimus Sagittarius, formidabit vnquam, varijs, atque igneis ſagittis armatus, totius humani generis omni momento corda diſtringens propter quod ſic Paulus Apoſtolus ait, Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis vos conſtare aduerſus nequitias diaboli, accepto ſcuto fidei, per quod poteritis omnes ſagittas illius mali, quæ ſunt igne plenæ, extinguere. Is enim infelicibus nonnunquam immittit Capricornum vultu deformem, & per cornu exilioris labra liuentia ſpumantibus venis ebulliens, palpitante ruina captiui tota miſerabiliter per membra deſæuit. alios amentes, alios furioſos, alios homicidas, alios adulteros, alius ſacrilegos, alios auaritia efficit cæcos, lõgum eſt ire per ſingula, varias, atque innumerabiles nocendi artes habet, ſed has omnes ſalutari profluens amne non magnopere noſter Aquarius delere conſueuit, quem neceſſario vno ſequuntur duo Piſces in ſigno, id eſt duo ea Iudæis, & Gentibus populi, baptiſmatis aqua viuentes, in vnum populum Chriſti vno ſigno ſignati.

Ad neophytos poſt baptiſma, Sermo VI.

EXVLTEMVS, fratres in Chriſto, tantique prouentus reditu ditati Deo patri omnipotenti laudes, & gratias referamus: qui zizania, lolium, lappas, tribulos in læta frumenta mutauit: quæ diligenti cultu purgata, molariſque lapidis pio pondere feliciter fracta, ordinabiliter creta, omni furfure abiecto, mirifico ſplendore in farinam candidam micuerunt: quæ nullo adulterata fermento eſt, cõſperſa, ac ſubacta diligenter, ſal inditum eſt illi, læuigata eſt oleo germinali, officijs competentibus temperata, in panes azimos reddita. Hi, quos videtis, egregia coctura ſuaue redolentes, qui excocti ſunt non furno, ſed fonte: non humano, ſed igni diuino: non illos aura corrupit: non fumus amarus infecit: non frigus eliſit: quod plus eſt, ſine fermento leuati ſunt. Certè cacabacij non ſunt: non veruſti: non vſti: non crudi: non mucidi, lacteus illis color eſt: lacteus ſapor eſt. Sed fortaſſis, quod nonnulli forma videntur minores, ſi ſecus aliquid de piſtore ſentiatur, mea nihil intereſt, fratres: quia & ſi pauper ſum, tamen frontem meam tueor, & fidem meam noui, certè ſi quid ſciunt, dicant operarij, qui mecum ſunt. Lucro gaudeo: ſed ſine furti conſcientia, ſanè cõfiteor. Denique & vos retinetis pondus antiquum: habetis hædinam: exagium facite, quemadmodum vultis: ſingulos ponderate: inuenietis* nullam habere minus. Tripondes ſunt homines, numiſmatis ſacri vna libra ſignati, qui menſæ deſeruiunt.

al. nullum.

Ad neophytos poſt baptiſma, Sermo VII.

In quo paucis additis, quibuſdam mutatis continentur ea, quæ in tertio.

EXVLTATE, fratres in Chriſto, acceptáque indulgentia regale beneficium diligenter, fortiter, ac fideliter cuſtodite: etenim omnis actus veſter contractus ablatus eſt, ſecuri gaudete, nihil ſeculo iam debetis. Imago quidem reatus nunc vſque fuiſtis, ſed fortiter examinati eſtis: &, vt indulgentiam perciperetis, pro vobis benè vigilaſtis, optimè eſtis auditi. Nouum iudicij genus eſt: in quo reus, ſi excuſauerit crimen, dãnatur: abſoluitur, ſi fatetur. Magna ratio, magna poteſtas, magna pietas iudicis noſtri: à quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſint beatè viuere, puniri feſtinant. Mira ratio: mirum profecto myſterium. Saluo reo, punitur reatus in reo, integróque ſtatu moritur in homine propter quod homo fuerat moriturus. Inde eſt, quod noſtra
A non habet neceſſaria tormenta confeſſio: quæ ſine truculenti ſudore tortoris facinora ſua ſponte reus, vt fiat innocens, confitetur. Pretioſa res eſt, fratres, quæ & honorem præſtat, & præmium. O liberatoris noſtri profunda prouidentia. O præſtantia ſingularis. O dulcis ſententia. O damnatio neceſſaria. In ſemetipſo homo iugulatur, vt viuat, percuſſor non videtur: percuſſoris non cernitur gladius: percuſſi non hiat vulnus: non defluit ſanguis capitantis: non palpitat corpus: non decolor color eſt. Ipſe eſt: & tamen non eſt ipſe. Vetus quidem videtur domicilium: ſed nouus inquilinus exultat mutatione morum, natiuitatis ſuæ nobilitatem incredulis varus virtutibus probaturus.

B *Sermo de ſpirituali ædificatione domus Dei.*

VELLEM, fratres dilectiſſimi, triumphali quodammodo vti ſermone, nouíque operis arcem ſacram laudibus geminare. Sed quamuis ſit optimum laudare, quæ Dei ſunt, tamen præcipuum non eſt, quod cum gentibus, vel Iudæis poteſt eſſe commune: nam & illis ſi liceat, vel ſi velint, fortaſſis cultius ſynagogas ædificent: cultius erigant capitolia, ſed in his omnibus operibus vero iudicio structores magis poſſunt placere, quam ſacerdotes. Quid? quod aut nullum, aut parvum eſt per omnem Eccleſiam Dei orationis loci membrum, quod poſſit quauis ruina in ſe mergentibus idololatriæ ædibus nunc vſque
C aliquatenus comparari? nam & Salomonis accepimus templum luculento opere fuiſſe conſtructum: atque ita elaboratum, vt neſciret inſpector, in eo quid potiſſimũ miraretur, magnitudinem, opus ornatum, anne materiam: ita enim in vnum decorem vniuerſa conuenerant, vt legitima domus Dei caduca illa ambitio putaretur. Quòd ſi ita eſſet, inter memorata impar cultu ſemper Eccleſia inueniretur, ſed hæc ſecularia ſine legitimo, ac deuoto cultore nec ſufficientia, nec neceſſaria honori ſuo proteſtatur Deus hactenus dicens; Cœlum mihi thronus: & terra ſuppedaneum pedum meorum, quam mihi ædificabitis domum: aut quis locus ad requiem mihi? Omnia enim iſta fecit manus mea. In Euangelio quoque ſic dicit, Ieruſalem, Ieruſalem, quæ interficis prophetas, & lapidas miſſos ad te, quotiens volui colli-
D gere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce remittetur vobis domus veſtra deſerta: Et iterum non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem, qui non diſſoluatur. Reprobat ergo tam immenſum, tam inſigne, tam opulens templum: quia in eo verum non erat templum: etenim hominum conciliabulum eſt cõtextio iſta parietum: fidelis autem populus Dei templũ Apoſtolo dicente; Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis, & verum eſt: nam ſicut idolis inſenſatis ſimilia templa conueniunt, ita viuenti Deo viua templa ſunt neceſſaria: in his enim ſolis ſacerdotum Dei ſtructura & propria eſt, & perennis: qua & Iudæos & Gentes, vel cæteros antecedimus. Incomparabilis autem gloria, ac verè Deo digna cum vno conſenſu, vna fi-
E de, alter alterum cõmendans, deuotione conſimili conuertuntur ad Deum & ſacerdos, & templum. Exultate igitur fratres: ædificationémq; veſtram æde iſta de nouella cognoſcite, cuius quoque capacitatem felici numero feciſtis anguſtam: ex eo enim ipſo, quod nos non capit locus eiuſde intelligitur, quia fides veſtra capit Deum. Igitur ne quis operationem à me fortè diſquirat, paucis inſinuabo. In totius fabricæ fundamentis, non ſicut in Iudææ templo plurimi, ſed magnus, præclarus, pretioſus, ac ſpecioſus vnus eſt lapis: qui quadræ turris totam ſolus ſuſtinet molem: cui non innumerabilis variè famulatur acies validiſſima columnarum: quia illi ſeptem ſolæ ſufficiunt, non æneum inhæret mare: quia illi perennis fontis viuum ineſt mare: non quod naufra-

goa

gos faciat, ſed quod naufragos ad vitam ſuauem perducat. Non aurum, non argentum: quia in ſuis martyribus computat totum. Non feneſtrarum lumen implorat: quia ſol æternus in eo manet: Inæſtimabilia vnius plenitudinis tria illi ſunt membra. Vnum ſecretarium: & patentes ſemper duodecim portæ: quas ab hoſtili defendit impulſu in modum Tau literæ prominens lignum. O res verè miranda: quotidie ædificatur, & quotidie dedicatur, floribus perpetuis, ac diuerſis gemmis, lapidibus, margaritis per momenta diſtinguitur. Et quia opus eſt viuum, tectum non habet, niſi cœlum. Dicam præterea, quæ quotidie merces: quæ impendatur annona. Omnibus peræquè vnus panis cum ligno datur: aqua cum vino: ſal, ignis, & oleum: tunica rudis: & vnus denarius: quem qui libens acceperit, acceptúmque non ſpreuerit, ſed in labore vſque ad vltimum perdurauerit, turri completa, inæſtimabiles diuitias in ea commanens poſſidebit. Memorandum quoque neceſſario eſt etiam illud, à quo quid agatur in templo. Sacerdos vocat: oſtium credulitas aperit: ſimplicitas introducit: intellectus inuitat: veritas perſuadet: timor excubat: diſciplina coërcet: continentia ſe refrænat. Stat in anguſto fides: in ſecreto pudicitia: in primo innocentia: æquitas in medio: in fine patientia. Pax colligit: charitas ligat: ſolicitudo cuſtodit: iuſtitia diſtribuit: pietas miniſtrat: puritas ſupplicat: ſpiritus poſtulat: ſpes promittit: ſapientia domus domna prærogat munera. Exultate ſeniores: vos eſtis lapidibus adamantinis meliores. Exultate pueri, ſacræ turris dulces, ac ſine pretio margaritæ. Felicia exultate coniugia: meliores ornatui gemmas ſculpitis, quàm vos eſtis. Exultate viduæ: quadratura veſtræ virtutis angularis lapidis coniugio cohæretis. Exultate virgines: omnem iſtam celebritatem honore veſtri floris ornatis. Exultate diuites prærogationibus crebris, & iuſtis veri diuites facti: promotioni etenim cœleſtis veſtrę dignitatis debetur diuini operis perennis iſta laudatio. Exultate pauperes ſpiritu: per vos, & in vobis Dei maior eſt domus: nam & omnibus æquales eſtis, & prædaturas omnes veſtri corporis ambitu ſuperatis. Denique ſancti diuites pauci ſunt: vos plures eſtis. Hæc ſunt, dilectiſſimi fratres, chariſmata veſtra: hæ virtutes: quibus Ieruſalem ſpiritalis inſtruitur: quibus ſacræ orationis iſte locus nouus, & populus quotidie Chriſti Dei, & Domini noſtri prouidentia comparatur. Hic labor noſter illuſtris: hæc gloria omnium ſacerdotum, hoc myſterium Deo, hoc opus carum, hoc opus viuum carnaliter geritur: ſed ſpiritaliter promouetur. Præſtabit autem Deus pater omnipotens, vt quomodo iſto in terreſtri domicilio ei gratias agimus, ita in cœleſtibus regnis vberiores ſanctis cum omnibus referamus.

Sermo de Patientia.

ET ſi beata diuerſis vita virtutibus quæritur, cuius cupidinem flagrās humanitas per momenta ſuſpirat, tamen omnes vno, eodémq; conſenſu quaſi quendam patientiæ deferuntur in portum: ſine qua nec audiri, nec concipi, nec diſci quicquam poterit, nec doceri: nam profectò ſola eſt, ad quam prorſus res omnis aſpectet: dubium quippe cum non ſit, ſpem, fidem, iuſtitiam, humilitatem, caſtitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes, omnéſque virtutes, ipſa quoque elementa eius conſtare non poſſe ſine eruditione, vel freno: eſt enim matura ſemper, humilis, cauta, prudens, prouida, omni neceſſitate contenta, quauis turbationum tempeſtate tranquilla, ſerenitatem ſuam nebulis turbulentare non nouit.
al. alteratio. Pœnitentiam neſcit. † alteratio quid ſit, ignorat: omnes aut deuitat, aut portat iniurias. Incertum eſt, vtrum impaſſibilis iudicetur, cum aliquid paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inuenitur. Poſtremo impoſſibile eſt, fratres, eius ęſtimare virtutem, cuius vinci victoria eſt. Non illam loco vis vlla detorquet: non labor, non fames, non nuditas, non perſecutio, non metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipſa grauiora, non poteſtas, non
A ambitio, non felicitas, ſemper immobilis manet, alta quadam, ac diuina temperantia robuſtè librata vniuerſas promotiones animorum placida moderatione compeſcens: & vt omnia non magnopere deuincat, ſe primo vincit. Non virtutes poſſunt eſſe virtutes, non perennes elementorum ſtatus, non tempora cognata connexione in ſolennes reditus commearēt, niſi rerum diſciplinam, conuerſionémque quaſi quædam ſolicita mater patientia cuſtodiret. Sol denique quamuis mira celeritate alternas mundi metas illuſtret, tamen nunquam dilectam, verecundámque anteuertit auroram: qui, quod maius eſt, duodenis non dicam ſpatijs, ſed momentis horarum, æquabiliter ſe partiri non poſſet, ſi impatientia ſuos curſus vrgeret. Luna quoque, quæ quibuſdam videtur errare curriculo menſtruali, ſolennes
B ſuæ ignes ætatis, quod nunquam prærogat importunè, nec derogat, quid aliud intelligi datur, quàm ſui opificis moderatione deſeruiens peritiſſima inſignis patientiæ diſciplina? Sed & mare ventis laceſſitum, cum iraſcitur, quamuis reciproca viciſſitudine, nunc pulſantibus cœlum, nunc requirentibus terram æſtuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum ſæuientium cumulis, toto corpore inſaniat, tamen extremorum pallido ex recurſu voluminum, quaſi ius terræ cognoſcens, ac violare deuitans mira patientia in ſe frangitur, iiſdémque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. Hæc germinantibus pratis, meſſibus flauis, vitibus curuis, ſemipallidis oliuis felicitatem præſtat, & gratiam, cum vniuſcuiuſque temporis fœtus partu crudo in alte-
C rius contumeliam impatientia non ſinit præcipitare. Quid auium diuerſarum decora commercia, littoreáq;? Quid arduis volatibus aëriæ grues? Quid piſcium diſſimilium cum ſuis ſibi ductoribus gradatæ ætatis innumerabiles cunei? Nonne cum inuitationi temporum parent, ſolenniſque remigis ſpecioſo diſcurſu vel aquas ſulcant, vel aëra diſtingunt, & patienter veniunt, & patienter excedunt? Solus homo præceps, ſolus impatiēs prauis quotidie mobilitatibus gaudet varietatibus ſtudet: miſerum ſe putat, ſi ipſe ſit, nec intelligit rem dementiæ eſſe conſimilem in ſtatu ſuo non manere: impatientia enim quid eſt, niſi mens lubrica, permotionibus crebris, & rapidis ſe ſemper expugnans? animus infidelis: etiam ſibi actus improuidus, inſtabilis, cæcus, incau-
D tus, inconſtans: totus concitans in ruinam: res ſine ſubſtantia: negotium ſine perſona? omnia citò tentat: omnia momento diſturbat: mater criminum: curioſitatis magiſtra? acumen temeritatis: auctor deteſtabilium pariter, ac magiſtra malorum, hominis namque ſalutem ab incunabulis mūdi mors, vt iugularet, ac iugulet, ab ipſa prorupit. Denique Adam in arce cum eſſet adhuc paradiſi conſtitutus, beatiſſimúſque beati orbis imperio potiretur, tandiu felix, tandiu inexterminabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti continuit; at vbi ſiniſtro conſenſu inuidi ex lubricitate ſerpentis eſt impatientiam mutuatus, ſacræque arboris pomum malè dulce delibauit, lachrymas reperit, dolores, & gemitus, ſpinas, & tribulos ſibimet comparauit: vltimóque ſudore turbatus
E poſteris hæreditatem indigeſtæ mortis, quæ homicidiū mox peperit, dereliquit. Denique nec mora eſt, impatienter fraterni inuidus muneris in fratris Cain anhelat exitium: & Deo ſpectante negotium parricida eſt, nec eius ſaltem coërcentis voce comprimitur, ſed eo magis ac magis inſtat, donec effuſione ſanguinis conceptum piaculum duplicetur. Miratur orbis vacuus ſe duobus anguſtum, mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad imaginem, & ſimilitudinem Dei poſſe iugulari, & hoc à fratre. Erubeſcit rudis terra pio ſanguine impiata. Solus Cain exultat infelix, quod teſte caret, putat ſe caruiſſe facinore, quem Deus vidit, quem conſcientia redarguit, quem fratris ſanguis accuſat. Quid impatientiū Sodomorum? vbi illicite viri opprimebantur à viris, prodigioſæ libidinis ignes ignis diuinitus incendit: in-

reſtinſque facinoris fœdus, quo infeliciores ſubactis in-
fami haſta perſequentes, hoſpitum terga depopulaban- A
tur, è cœlo imber ſuſus à Domino, flammis, & ſulphu-
re armatus pœnali procella deleuit. Iudæi contemnibus
tument: altaria diuina cum venerantur, euertunt, varia
cæde prophetas elidunt. Moyſen amore nimio lapidare
conantur: aduerſus Dominum ſemper ingrati varijs mo-
litionibus pugnaot, multiſque dijs, ac regibus ſeruire
geſtiunt, qui vni Deo per impatientiam ſeruire minime
potuerunt. Sed impatientiæ hactenus exempla prolata
ſint: oeque enim eſt ſtudioſè, vt arbitrot, memorandum,
quod optaueris compeſcendum, maximè cum eius oa-
tura ſit talis, vt nunquam moretur in proprijs, ſed in pu-
blicum tota diffuſa ſit: diffamationibus vigeat: huc, at-
que illuc æſtuans variè cæca prorumpat, victa ſit autem,
ſi diſſimulatio celebritatem eius obſcuret. Nunc ad pa- B
tientiæ reuertamur virtutem: quæ maioribus noſtris il-
luſtri virtute perénem gloriam peperit, & ſalutem. Abel
ideò martyr, quia iuſtus: ideò iuſtus, quia patiens: à quo
pati martyres didicerunt, patiendo libenter, quod noo
merentur. Noë cataclyſmum, quo omnis caro funditus
deleretur, denuntiante Deo imminere per momenta &
credit, & timet: arcámque, cum ſuis vt ſaluus foret quā
iuſſus eſt facere, non præcipiti feſtinatione compingit:
nec tantum munus quaſi præſumptor, aut demens rapit,
ſed patienter ædificat, patienter exornat, patienter varijs
animantibus replet, quando ingredi iubeatur, quando
ianuam claudere, patienter expectat, dignus euadere,
qui in tanto orbis metu non feſtinauit euadere. Nunc
mihi Abrahæ memorāda eſt mira illa tentatio, quæ eum C
aut ſacrilegum fecerat, ſi contemneret Deum, aut cru-
delem, ſi occideret filium, niſi quadam ſingulari, ac verè
diuioa patieotia inter religiooem, pietatémque nego-
tium temperaret, in ſpe non denegans Deo, quod con-
tra ſpem acceperat à Deo. Igitur Iſaac ſibi dulciſſimum
filium: Deo victimam dulciorem eootemnit, vt ſeruet:
deſtioat iugulare, ne iugulet, ſecurus illo ſe non poſſe
diſplicere facinore, quod Deo gerebatur auctore. O
oouum ſpectaculum, ac vere Deo dignum: in quo de-
finire difficile eſt, vtrum ſit patientior ſacerdos; an victi-
ma. Non percuſſoris, oon percutieodi claudicat color,
noo membra tremore vibrantur, non demiſſi, non torui
ſuot oculi. Nemo rogat: nemo trepidat: nemo ſe excu-
ſat: nemo turbatur, ne verè ſit parricidium. Ille exerit D
gladium, ille ceruicem vno voto, vna deuotione: ne
quid profanum ſit, diligenter, ac patienter geritur, quod
ab altero celebratur. Ille lignum, quo muratur, ſibi
præportat: ille aram ſtruit. Sub tanto, non dicam, huma-
nitatis, ſed potius ipſius naturæ metu læti ſunt. Soli ce-
dit affectus pietati: pietas religioni: fauet vtriſque reli-
gio. Medius ſtupet gladius nullo impedimeoto ſuſpen-
ſus mactatione terribili gloriam ſe præſtitiſſe, oō crimē.
Quid hoc eſt? Ecce immanitas in fidem, & ſcelus tran-
ſit io ſacrameotum parricida incineotus redit: &, qui
immolatus eſt, viuit. Ambo ſibi gloria: ambo claritatis
exemplum: ambo Dei cultus admirabile ſæculis teſti-
monium. Felix orbis fuerat, fratres, ſi omnes ſic fieceot
parricidæ. Iacob per patientiam, & benedictionem lu- E
cratus eſt fratrem, dat iracundiæ locum ſecurus, vt re-
deat domum, patri commeodat, ſenſim, mitiſque diſce-
dit: vt probet ſe & meruiſſe & non ambiſſe, quod me-
ruit. Ac oe quis hanc patientiam timiditatis nomine ob-
ſcuret, in ducendis quoque vxoribus talis eſt conditio.
Libens excipit: prolixa tempora obſeruat: omnia ſoce-
ri libens tolerat imperata: qui ſi eſſet impatiens, aſtu cir-
cūſcriptus pro Rachel poſtmodum tempore oūquam
reparato ſeruiret. Similiter Ioſeph patiens inuenitur, è
paſcuo cum à fratribus rapitur: patiens, cum in puteum
dimittitur, patiens, dura cum haſta diſtrahitur, patiens in
carcere, in regoo patientior, patientiſſimus, deſideratos
cum fratres agnoſceret: & vbi iactantia ſe non poteſt
continere, poſitus in honore continuit. Cœleſtis profe-
cto eſt iſta patientia: quam à ſuo ſtatu non ærumna, non
felicitas, non affectus potuit commonere. Aduerſus Iob
diabolus, qui non fertur blandus, æſtimare licet, quid
moliri potuerit incitatus, maximè cum à Deo acceperit
facultatem, vt atrocitatis inueteratæ in examen iuſti,
quibus poſſit armis, quibus poſſit viribus, niteretur. Igi-
tur nouum, ac penè incredibile committitur prælium,
vltra morem diabolus pugnat, ſed Iob diſſimulādo plus
pugoat. Ille eius magnum, atque opulentiſſimnm ceo-
ſum vno momento diſperdit: cohortémque florentiſſi-
mam dulcium liberorum atrociſſimo impulſu, tectis
parietum cum ruina confuſis, nimia crudelitate feſtinus
ſepelit ante quam iuguler. Ipſum poſtremo, quem diui-
tijs expoliauerat magnis, magnis veſtit vlceribus: quibus
inſuper vermes immittit edaces, vt in tormenta morien-
tis cum homine aduentitium vulnus inquilino vulnere
finiretur. At Iob cunctis viribus aduerſæ partis expecta-
tione placida profligatis, in ſemet fortior omnis omni-
bus, quæcunque deleuerat bellum, recuperatis in me-
lius, felicitatis priſtinæ ſtatum diſſimulando non perdi-
dit, ſed mutauit. Hic ego patientiam Domini memora-
re non audeo, ne quam Deus inter homines deputatur
patiatur iniuriam: idonea laus enim non eſt, cui princi-
patum adimit peræquatio. At cum omnes omnino me-
morati, omnéſque felices eius dono ſint tales, cootu-
melia eſt laudare Dominnm, cuius condignè laudare
non queas ſeruum. Sed ô quàm vellem te, ſi poſſim, re-
rum omnium regina patientia magis moribus concele-
brare: ſcio enim quia libentius in tuis moribus, tuis fun-
damentis, tuiſque conſilijs, quàm in alienis, nudiſq; ſer-
monibus conquieſcis, neque tantam in multiplicandis
virtutibus laudem ponis, quantam io finiendis. Tu vir-
ginitati præſtas, oe flos eius vllo morbo, vllo tempore
defloreſcat. Tu variatum ſemper intempeſtatum cre-
bris turbinibus cooſtituta fidiſſimus miſerandæ viduita-
tis es portus. Tu ſanctiſſimo cooiugali iugo rudi ceruī-
ce ſubeuntis intuſum laboris, vel amoris æqualem reti-
naculis blandis, quaſi quidam peritus auriga componis.
Tu amicitiam idem velle, atque idem nolle docuiſti.
Tu ſeruituti vnica ac fortiſſima conſolatio ſæpe liberta-
tem paris. Tu paupertati præſtas, vt habeat totum ſui
conteota, cum ſuſtinet totum. Tu prophetas prouexiſti.
Chriſto tu Apoſtolos glutinaſti. Tu quotidiana marty-
rum & mater es, & corooa. Tu murus fidei, fructus ſpei,
amica charitatis. Tu ſpecialiter omoem populum, diui-
náſque virtutes quaſi crines effuſos in vnius verticis no-
dum, honorem, decorémque conducis, Felix æternúm-
que felix eſt, qui ſemper te habuerit in ſe.

Sermo de Pudicitia.

PVDICITIAM qui colit, quantæ nobilitatis
ſit, facillimè cognoſcit: eſt enim tantæ virtu-
tis, vt ſit hoootabilis etiam hoſtibus ſuis. Hæc
totius humaoi generis fundamenta coofir-
mat: hæc nominum proprietates vniuerſis affectibus
præſtat: hæc parentum, cooiugum, liberorúmq; ſacra
iura cuſtodit: hæc in vtróque ſexu conſpicua, in omni
ætate miranda, in quauis conditione non dubia, ſoli ſi-
bi deuota, ſemper beoè cooſcia, prorſus nulli rei ſubie-
cta, vnum tantummodo metuens, oe ſit amplius, quàm
vocatur. Deoique in ſolicitudine, quæ à metuentibus
vocatur occaſio, ſe taoquam arbitrum timet: omnéque
ſecretum plus, quàm publicum reueretur. Peſtiferas o-
dit blandinas carnis inimicæ: & quicquid ingeſſerit mū-
dus voluptatis, aut muneris, totum reſpuit, præſumens
totum ſe habere, ſi pura ſit. Neminem fœde deſiderat:
nec vlli ſimiliter ſe deſiderabilem præſtat. In ſuo ſtatu
omni loco, omni tempore manet, plus honeſtati conſu-
lens, quàm veritati. Vultis ſcire quantæ felicitatis ſit? Si
te amet, qui habet, diligit: & qui non habet, diligit. Si
ergo exultat gloria eius ſæpe in gentibus (quamuis illic
fructuoſa, vel vera eſſe non poſſit, quia ſub impudico
prædone verſatur) quanto magis debet eſſe glorioſior
in po-

Digitized by Google

in populo Chriſtiano, qui eius ſanctificatori inuiolabili deſeruit Deo: nam ſi Eccleſia ideò Chriſti ſponſa eſt, A quia pudica: ideò iugo thalami cœleſtis honorata, quia etiam poſt nuptias manet poſtmodum virgo perpetua, nos, qui naſcimur de tanto coniugio, omnifariè adniti debemus, quemadmodum proſapiei noſtræ nobilitatem non relatione tantum, ſed etiam fide ſimilitudinis approbemus. Vnde tamen præ me fero, fratres dilectiſſimi, quod iſta, & non ambigua in vobis retinet aſſertio: Deum enim patrem vos & habere, & poſſidere monſtratis, cum pudicitiam, in qua Deus habitat, non dicam, diligitis, ſed luculentis moribus adornatis. Magna igitur gloria eſt ornare, per quod orneris: ſeruare, per quod & ipſe ſerueris. Poſtremo æquiparatur laus veſtra laudi pudicitiæ: illa enim vobis exhibet ſanctitatem: vos ei amorem. Per hanc attingitis Chriſtum: immò illa per B vos vobiſcum complectitur Chriſtum. Per hanc à Deo Patre, quod petitis, impetratis: immò illa per vos impetrat, pro qua ſolicitè laboratis, ne, dum aliquid poſtulat, erubeſcat. Beata, cum alludit in pueris: beatior, cum adoleſcentibus lapſus feliciter timet: beatiſſima, cum in iuuenibus carnalia extinguere laborat incendia. Sanè in ſenibus vt eſt honoranda, ita miranda non eſt: quia licet ſit victrix, tamen triumphi ſui palmã ſenectutis cum vigore partitur: ceſſat enim concupiſcentiæ pugna, vbi ſubcrebreſcentibus morbis ipſa neceſſitate etiam impudicorum pudica ſunt membra. Age nunc eius æmulæ rabiem breuiter etiam ex comparatione * nominum publicemus: vt quid appetendum, quidve fugiendum ſit, facillimè poſſit cognoſci. Sub velamine Chriſti nomi- C nis, fratres, ſe aſſerere conatur Antichriſtus ſimiliter pudicum, vt fallat, pudicitię nominis ſonum poſt ſe trahit: ſed quos fructus habeat eius auctor oſtendit. Diſcurrit quippe veſana per populos: hominúmque lubricas mẽtes libidinum flagrantibus ſtimulis præcipitat in furorem, non ſexui parcens, non ætati, non pietati, non ſibi: quia pudorem alienum qui appetit primo ſuum perdit. Purè non noa illi, diéſque ſuccedit: ſemper enim cœnoſi gurgitis ſui procella ſubmergitur, dum ſemper exæſtuans libidinis turpitudo aut veritate, aut imagine perpetratur, præmia aut tradit, aut accipit: corrumpit, aut corrumpitur: inijcit amorem, paulo poſt odium de amore factura. Seminat illicitos hæredes: criménque noſcens nominibus pietatis excuſat, proprios aut negat, aut denudat affectus. Nihil prorſus exiſtimat turpe nec D pati, nec facere, dummodo in affectu conata ſuccedant, veruntamen in ipſo fructu ſuo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere conſueuit, ſemper infelix eſt. Denique poſt negotium perpetratum odit & ſeipſam cum illo, quem vicerit. Hæc ſæpe indixit quietis gentibus bellum, hæc alliquotiens robuſta regna ſubuertit, hæc aut ſub turpibus, aut ſub crudelibus factis ſubiugatos thalamos triumphauit alienos, hæc viros ardore veſano fœmineo ſtipendio ipſis fœminis ſic incognito inopinatè diſpungens ſuam docuit expugnare naturam. Hæc libidinis mercedem vel maximè parentum, filiorum, maritorum, vxorúmque in mortibus poſuit. Hæc nomina pietatis nonnunquam concubitu prodigioſo deleuit, pudicos quidem perſequens, ſed impudicos tantum cõ- E gruenter occidens. Hæc inquam, per momenta & parit omne, quod malum eſt, & peperit omne, quod peius: nam in idolis dea eſt: in cultoribus verò eorum miniſtra. Venerãdam ſe procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuſcúnque ſecretis. Laſciua, non linguis, non oculis, non auribus parcens, iocatur, ſperat, ambit, obſequitur, zelatur, inſanit, armatur precibus, armatur & ira, ſimiliter nonnunquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. Libidinum commutatione varia gaudet ſemper, & pœnitet, ad ſarietatem nunquam lubrica vtilitate perueniens. Deſiderat facere, quod timeat publicari, totum prorſus tentat, vbi ſibi vendicet totum. Nouum prodigij genus eſt, odit pudicitiam: & tamen

al. non minus

hoc cupit videri, quod illa eſt. Interea miris excolit artibus ſeſe, faciémque ſuam in ſe, quam non habet, quærit. Pingit ſe in ſeipſam: & lenocinante vario magiſtri medicaminis fuco vultum ſuum vultibus veſtit alienis, hoc futura, non quod natura præſtitit, ſed quod ei ad examen ſpeculi arbitrium temporale dictauerit, nunc emendat, nunc delet, quas amauerat ſpecies: nunc ſubijcit alias: nunc parturit nouas. Manibus ſuis ſacta hydra formarum procax ſemper incedit: quia erubeſcere alienis ſub coloribus neſcit: non domeſticis, non affinibus, non maritis nota, non ſibi: quia non poteſt eſſe notum, nec verum, quod eſt ſemper incertum. Præterea nunquam diligit Deum, quem ſcit operibus ſuis eſſe contrarium. Diaboli eſt ſanè mancipium eius: enim poſſidet regnum: nam deos ipſa genuit, ipſa intulit mũdo, per quos, aut in quibus diabolus colitur: quorum in actibus origo monſtratur. Ipſa Iouem innumerabilibus varijs, magniſque criminibus maximum fecit. Ipſa Herculem nouerca deterior facibus libidinum turpiter vicit: quem terribilis turba monſtrorum ſuperare non potuit. Ipſa Venerem membris omnibus denudatam, connexis manibus ſe tergere conantem, immò animi ſui vitium & corporis demonſtrantem poſt multa adulteria ſpectaculo totius mundi quoque proſtituit. Non opus eſt ire per ſingula, quamuis & hæc non fuerint dictu digna, tamen ad exprimendam vim impudicitiæ viſa ſunt neceſſaria: vt ſciat vnuſquiſque ad idololatriam pertinere luxuriam. Ipſa, inquam, mortuorum ſepulchra conuertit in templa, tumulos in altaria, cadauera in ſimulacra, parentalia in ſacrificia, mores in ſacra. Sic ſic genus humanum à Dei cultura rapuit, dum blanda feſtiuitate facinoroſa facinoroſorum & colenda crimina, & imitanda perſuadet. Adeò vitis contra Dei legem, Deique iuſtitiam euagandi extra legitimum thorum peregrinæ luxuriæ inſpirat infeliciter quaſi liberam facultatem, ac ſic eorum quoque fœminas à pudore diuellit: quæ deſertæ ardore, ſeu dolore compulſæ, ſi talia gerunt, putant ſe aut imitari, aut vindicari. Propter quod in præceptis Dominus ait; Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa adulterij, facit eam mœchari. Quid hic reſpondere poſſint lubrici mariti, non video: qui humanarum legum iniqua impunitate decepti, iuſtitiam veram nec ex ſua ipſa voluntate noſcentes, quod pati nolunt, libenter efficiunt: qui profanæ libidinis deteſtabili furto diſtracti turpibus iam non contenti latibulis aliquotiens (proh nefas) ſub ipſis obtutibus matronarum veſana congreſſione deſudant, non aduertẽtes miſeri, quoniam in tali negotio iudice Deo, quod non licet vxoribus, non licet maritis: ſicut præſcribens tabulis Paulus Apoſtolus dicit, Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vxor. Si igitur, quoniam vna ſunt caro, vnum diuini operis ſacramentum, quoniam fœmina de viro ſuo facta eſt, altérque alteri tenetur obnoxius, ac per hoc iure legis quoque linea vna tanguntur, dubium non eſt, horrendi ſupplicij perennibus abſumptũ iri tormentis eum, qui præuaricatus fuerit è duobus. Sed nec illis impunè ſuccedit, qui ſine vxoribus amore peccandi liberius inceſtas, atque inhoneſtas ſibimet redimunt libidinum merces, non aduertentes eſſe infelia, & impudicum, quicquid legitimum fuerit extra coniugium: Chriſtiano enim fratres, vltra licere non puto, quam vt ſit aut continens, aut maritus. Venio nunc ad exempla, quæ ſunt negotio vel maximè neceſſaria: quia plus eſt, quod geritur, quàm quod dicitur: vt & impudicitiæ malum, & bonum pudicitiæ vno eodémque ſuggeſtu facillimè poſſit agnoſci. Ioſeph Hebræus adoleſcens, clarus genere, clarior pulchritudine, morum quoque clariſſimus probitate, fuit inter filios Iacob ætate minor, ſed ſpiritu maior; hic inuidæ germanitatis impulſu in Ægyptum eſt delatus, atque diſtractus à fratribus: quem domini ſui vxor prius amare cœperat, quàm oderant fratres; nam cum medullitus mulier ardoris

Digitized by Google

inſani conflagraret incendio, in ſuadelam ſacrilegam ar-
gumentis vehementer armata captat ſolitudinem: ſecre-
A tum captat & locum, in quali etiam non irritata adoleſ-
centia inuitis fœminis ſæpe violenta eſſe conſueuit. At
vbi in deſtinata prorumpens neque blandimenta, neque
promiſſa ſibimet prodeſſe cognoſcit, conſerta manu in-
uerſa vice adorta eſt in ſuum fomitem adoleſcentis ignē
totis viribus deriuari. At ille in repugnatione veſtem ſi-
bi violenter extortam relinquens, ex impudicitiæ fouea
nudus aufugit: ſed pudicitiæ ſplendore veſtitus poſt ca-
lumnioſam damnationem & liberatus à Deo eſt, & ho-
noratus. Denique rex iure ſecundus factus eſt regni:
qui inſignis rea erat iam ante pudoris. Suſannam quo-
que columen matronatus inaffectatæ formæ pulchritu
ſuæ pulchritudinis ornamentum, inſigne pudicitiæ te-
ſtimonium è ſenioribus duo, ſed vno incenſi prodigio
ſecus quam decuerat, deperire cœperant: quam cum
B aduerterent muro caſtitatis, quæ certè vera eſt, & æterna
formoſitas, in paradiſi ſolitudine circumſeptam, vbi
Heuam ab auctore operis ſui meminerant eſſe deceptā,
hac re ipſa nacto conſilio, capere dolo aggrediuntur: ac,
niſi culpæ ſuccumbat, veluti adulteræ deprehenſæ ma-
gnum minitantur exitium. At illa non Heuæ ancipiti
quidem metu contemplatione præcluſa, cuius aut pu-
dor eſſet iugulandus, aut anima, conſcientiæ ſuæ con-
ſcium ſolum conteſtans Deum, honeſtam potius elegit
mortem, quàm vitam turpem, melius credens homini-
bus ſe ream præbere debere, quàm Deo. Interea inſtant
illi ex amatoribus accuſatores effecti, crimenque ſuum
in ſimplicitatem circumuentæ transfuſum artificioſè dum
exaggerant, exinde iam priores ſeipſi condemnant. Ve-
C rum (proh nefas) creditur ætati: creditur auctoritati,
exultant adulteri, damnatur integritas. Iam, iámque Su-
ſanna ad ſupplicium immerens trahebatur: iam totus
populus in eius ſanguine tumeſcebat: iam ſui quoque
familiares nouæ rei atrocitate perculſi miſerabiliter in-
gemiſcentes, dimiſſis capitibus omne ſtudium defen-
ſionis abiecerant: Iam etiam ipſa pudoris compendio
mortis oderat moras, omnibus diſplicens, ſed ſoli ſuæ
conſcientiæ placens, cum ſubito, quauis veloritia qui fal-
litur nunquam, confeſtim adeſt in Daniele puero Deus.
Omnem repente malitiæ ſcenam diripuit, profectitium
crimen properè recluditur: ſcelus ſuos redit in aucto-
res: purgatúrque per innocentiam pudor. Sicque Su-
ſannam, quam impudicitia mentiente in publicum tra-
D xerant, probatam, & vindicatam ad mariti thalamum
cum ingenti triumpho victrix pudicitia reportauit. Sed
ô quantum es miranda pudicitia, quæ aliter laudari te
non vis, quàm vt cuſtodiaris, ſolo bonæ conſcientiæ or-
namento contenta. Tu in virginibus felix: in viduis for-
tis: in coniugijs fidelis: in ſacerdotibus pura: in marty-
ribus glorioſa: in Angelis clara: in omnibus verò regi-
na. Tu nunquam carni, nunquam vlli ſubiaces legi. De
voluntate naſceris, ſed bono puritatis voluntatem ip-
ſam paris: quia voluntas fit voluptas poſtmodum tua,
cum per eam quotidie tricenos, ſexagenos, centenóſ-
que colligis fructus. Tu in pauperibus diues, in diuiti-
bus ditior, æqualis in omnibus conſummatis. Tu es ho-
nor corporum, tu theſaurus animarum. Tu fundamen-
E tum, culmen, ac fructus omnium coæquarum. Tu tui
propoſiti inſolubilis nodus æternus. Per te legitima ie-
iunia celebrantur: per te allegatæ priuſquam fundan-
tur, acceptantur preces. Tu es ſacrificium Deo carum,
tu legitimum Dei templum: ſacrarium pudoris. Te
corruptio intrare non nouit. Per te ſeculum vincitur:
concupiſcentia omnis eliditur: diabolus ſubiugatur:
Antichriſtus non timetur: Spiritus ſanctus inducitur:
glorificatur Chriſtus: Deus pater omnipotens propi-
tiatur. Poſtremo ille felix in futurum regnabit, qui te-
cum illo peruenerit.

Sermo de continentia.

SI cui fortè aſperum videtur, ac durum, quod
A fiducialiter loquimur, fratres, rem penè con-
tra naturam, iam iamque deſinat permoueri,
intelligens Chriſtianæ virtutis hanc eſſe ma-
ximam gloriam ipſam calcare naturam. Sed quia virtus
voluptates ſemper offuſcat, nihílque vnicuique, niſi
quod amauerit, rectum eſt, maximè quod vno deſiderio
omnes excolunt populi, dubium non eſt, quia aut hoſtis
publicus, aut certè iudicatur inſanus, quiſquis nuptias
diſſuaſerit. At ego non pertimeſcam, ſermonis publici
quæ de me fabuletur inuidia: non enim nuptias condē-
no, ſed nuptijs meliora præpono: & quidem etiam Apo-
ſtolo hortante ſic Paulo: Dico autem innuptis, & viduis,
B bonum eſt illis, ſi ſic perſeuerauerint ſicut ego, ſi autem
non fuerint continentes, nubant: melius eſt enim nube-
re, quàm vri; alio autem loco ait: Hoc dico ſecundum
veniam, non ſecundum iuſſum: volo autem omnes vos
eſſe ſicut & me: ac per hoc ideò nubere melius, quia vri
deterius. Omnia quidem licent, ſed nō omnia expediūt.
Iam te hic Chriſtiane cognoſce: elige, quid velis, reme-
dium, an ſanitatem. Deniq; ſi videtur, conferamus, quæ
ſit inter virginē, nuptáque diſcretio. Nupta cogitat, quē-
admodum placeat marito: virgo, quèmadmodum Deo.
Hæc extraneis ornamentis ornatur: longè illa ornatior,
aliūde quia neſcit ornari. Hæc varijs vnguentis, & odo-
ribus fragrat: illa vnici floris ſui quouis prato iocundior
in cœlum ipſum honore læto reſpirat. Hæc liberis gau-
det: at illa liberorum non timet orbitatem. Hæc eorun-
C dem blanditijs vernantibus paſcitur, & incrementis a-
doleſcentibus quotidie delectatur: at illa ægra faſtidio
nouem menſium non baiulat pondus ſub incerto partu
parientis, naſcentíſque de ſalute non gemit: nulliúſque
momentis omnibus variæ ſolicitudinis cura torquetur.
Sed dicet aliquis, Etiam Maria virgo & nupſit, & pepe-
rit. Sit aliqua talis: & cedo. Cæterùm illa fuit virgo poſt
connubium: virgo poſt conceptum: virgo poſt filium.
Denique ſi eſſet aliquid virginitati melius, Dei filius hoc
magis potuerat ſuæ matri præſtare, cui præſtiterit, vt di-
uinæ virginitatis honore polleret. Itaque in ſtatu, quo
nata es, permanens virgo gloriare: ſanctiq; pudoris flo-
rem nulli legi ſubiecta fidei theſaurum cuſtodi, eſto ſan-
cta & corpore, & ſpiritu, amore Chriſti ignem carnis ex-
D tingue, vt de reſurrectionis gloria, quam hic iam tibi vē-
dicas, taceam: in qua vt Dominus ait, Neque nubunt,
neque nubentur, ſed ſicut Angeli erunt. Magnum con-
ſequere beneficium, ſi Deo viuas puris moribus, libe-
ra, & hominis non ſis ancilla. At tu vidua ſecundas cur
deſideras nuptias, cum temperare videas Apoſtolum
primas? cuius iſta ſunt verba: Tempus coarctatum eſt:
ſupereſt, vt, qui habent vxores: ſic ſint, quaſi non ha-
bentes: præterit enim figura huius mundi. At cum ante
annos ferme ducentos, vel eò amplius Apoſtolicum
hoc operetur edictum, quo & viuaciores fuere homi-
nes, & rariſſimi Chriſtiani, cur ego Chriſtiano orbe
ipſo penè iam toto, hominúmque viuacitate mundi ſe-
neſcente detrita, obtundam verbis palpantibus aciem
E veritatis, ac non plenè denuntiem, obſeruantiæ qua per-
fectione Dei cultus debeat cuſtodiri? apud Salomo-
nem maximè cum ſcriptum ſit, Et ſi multiplicentur filij,
non oblecteris in illis, ſi non eſt timor Domini cum il-
lis, non confideas animæ illorum: melior eſt enim vnus
timens Deum, quàm mille filij impij. Cum hæc ita
ſint, age vidua, quæ ſicut innocens virgo, nubere ſæpè
feſtinas, interroganti reſponde, bonum ne amiſeris
maritum, an malum? Si malum: & deſideras nubere,
digna es, quam peior affligat. Si bonū, fidei ſerua ſigna-
culum, pari non meretur iniuriam ipſe, cui perhibes te-
ſtimonium. Vbi eſt ille, qui inuicem deſiderantibus vo-
bis tardior cæteris videbatur primus matrimonij dies?
Vbi pretioſæ virginitatis feſta vtriſque dulcis occaſio?
Vbi

Vbi amor, qui in æquo, vnitóque coniugio è duobus altero ſuperante non moritur? Tu ne non illa es, quæ mariti corpus expoſitum lauaſti lachrymis: oſculis deterſiſti: crinium damno velaſti: ſciſſis genis: liuore fœdatis vberibus, ſordido plus puluere tecta, quàm veſte? Tu inquam, non es, quæ nunc cœlum ipſum vlulatibus rumpens poſt talem maritum puncto temporis viuere te nõ poſſe clamabas? Nunc eluſis dolore gemitibus, ſæpè mortua ſpiritu, labentibus membris ad terram incertas reddebas exequias: cui magis lachrymas commodarent mortuóne, an morienti? Poſt hæc, ſi liber nubere, omnia illa mentita es. Quid hoc eſt? Ecce rurſus ad lenocinia redis: colorem de pixide mutuaris paulo ante damnatum. Ecce indulgenter excolis crinem: odorato puluere luctus puluerem mutas; in ſtibio fletus includis: ornamento ligas, quod ſuſpendio voueras collum: ab ſpeculo oracula inquiris, quàm commodè poſcis circũſcribere pictorem. Quicquid feceris, virgo iam non eris: vnum tamen ſcio, quia nihil diſtat à prodigio; quiſquis alterius cauſa & formam mutat, & mores. Sed dicis, ardor me teneræ compellit ætatis. Credo. Ecce nupſiſti, vt de fragilitate humanitatis: caſibus vt de cæteris taceam: ecce maritum tuũ poſtridie aliqua neceſſitas rapit, quæ à te longè diſtractum decennio, vel eo amplius, vt aſſolet fieri, detineat relegatum, quid facies? obſeruabíſne redeũtem, an ardori quæres aliunde remediũ? ſi obſeruantiam pollicere: ſine dubio fallis, cuius impatientiæ profeſſio iam tenetur. Si es autem ſumptura remedium, dubium non eſt, hoc eſſe ſolum, vt flammas tuas maritalis gladij contemplatione compeſcas. Mihi crede, non habet concupiſcentia locum, vbi patientia dominatur: vbi viuitur ſobriè: vbi mors timetur. Itaq; hanc obſeruãtiã: hunc timorem, quod eſt verius, atque iuſtius, trãsfer ad Deum: & quale velit illud ſit, repentè extinguetur incendiũ. Sed ſic ego in rebus demoror prope ſanis, quaſi quæ verè exectãda ſint: iam correcta ſint crimina. Pudet me dicere in populo graui, anus ſæpe videri nouas nuptas: quarum penè plures ſint nuptiæ, quàm natales: quæ non rogantur, vt nubant, ſed, vt dormiant inuitantur, propriores ſepulchro, quàm thalamo: quæ ipſæ cum perierit, deteſtabili exemplo adoleſcentulas quoq; perire compellunt. Quis has diligat filius? quis maritus confundentes ſanguinis iura, delentes merita maritorum, adulantes viuis, mortuis ſuſpirantes, nunc odientes veteres, nunc nouos filios ſimiliter, & maritos. At è diuerſo ipſæ æſtiment, quid ſit, quòd in tam ſolennibus votis ſæpè contingit, vt nec filios habeant; nec maritos. Talis eſt etiam cauſa maritorum: ad quos aliquid loqui ſuperfluum eſt, quia ſi vxor & maritus in carne ſunt vna, dubium non eſt: quia quod alter audit, amborum eſt. Quid agam, quo me vertam, neſcio: non enim video, quid in exhortationibus diuini, ac veri cultus gentibus prædicẽ: felicitatem ne virginitatis? at habent ſuas virgines: & ſi non felices, habent tamen. Sin verò ad viduitatis ſudorem glorioſum, palmámq; prouocauero, nobis fortaſſis inſultẽt, quia noſtræ ſacræ virgines viduæq; magno pro immortalitatis præmio, ſuæ autem gratis laborent. Verùm hoc eſt ſolum, nos in quo vincimus, quia pro ſua ſanctitate Chriſtianæ plus nubunt, adde, quod Gẽtibus: quod ſine dolore magno, vel gemitu nõ poteſt dici: quæ enim vox, quæ increpatio has condignè poſſit arguere? quæ dedecus ſuum ſacrilegio dotantes membra Chriſti dæmoniorum ſeruis addicunt: Dei templum profanis patefaciũt: ſacraria vſq; ipſa denudant: ſacra confundũt, amiſſa luce lætantes in tenebris, habentes fana non domos, dignè iugulantur, quæ Chriſti ingratæ beneficijs ſponte ad mortem, de qua euaſerant, reuertũtur. Cũ igitur ſemper inſidietur ſe non quærentibus diabolus, æſtimate quid faciat inuitatus: cui omnes nocendi aditus reſerati præſtant ſine pugna, ſine vllo labore victoriam: nõ enim conabitur in ditionem redigere ſuã, quæ eſſe eius ambiuit ancilla. In domo deniq; quæ geruntur, ſed & ipſis in fanis Chriſtiana fidelis ſine te eſſe non poterunt; quia vxor infelix es, ſi neſcis, quid agatur in domo: infe-
A licior certè, ſi ſcieris. Proponamus itaq; vt ſæpè contingit, in vnum ſibimet conuenire diuerſæ religionis diem, quo tibi Eccleſia, illi adeunda ſint templa, quo genere vnuſquiſq; ſuum ſacrificium procurabitis? quo ſumptu? quibus vaſis? quibúſve miniſtris? At ſi diſcretè fiũt iſta, nihil prodeſt: ex vno enim proficiſcendo, & in vnum remeando, ſi non confuſione, vel errore fiũt vna. Quid quod illius ſacrificium publicum eſt, tuum ſecretum, illius à quouis libertè tractari poteſt: tuum etiam à Chriſtianis ipſis minimè conſecrari ſine ſacrilegio videri nõ poteſt. Poſtremò deteſtabilis eſt viuendi conditio, vbi non licet facere vxori, quod marito placet: vbi proponis, quia nihil te gerere ſinit, niſi quæ diſpoſuerit: prior ipſe compleuerit: quod ſi factum non fuerit, factúmve diſplicuerit, tũ tota mugiet litibus domus: blaſ-
B phemabitur Deus, arreptóq; forſitan ipſo ſacrificio tuo tuum pectus obtundet: tuam faciem deformabit præſtans aliquando & beneficium, cum te iubet ad Eccleſiam non venire. Sed multo peius eſt, ſi places marito; neque enim ſine ſacrilegio poſſis placere ſacrilego. Vt rem compendio tranſigam, vtique à templo regrediens neceſſario enarrabit tibi ſciſcitanti, ſibi de vtriuſque ſalute, vel vnanimitate deorum quæ fuere reſponſa, ſi terribilia, conſternata metu forſitan ipſo ceſſante, illicita eis vota donabis: quod maritis etiam ſub fidelibus multæ fecere peiores Heuæ non diſcipulæ, ſed magiſtræ: illa enim decepta, hæ ſua ſponte ſe diabolo dediderunt. Sin verò pacifica, & ſalutaria, profectò lætaberis, eíque tanto pro nuntio morigera coniunx pacem ſi non iugeris,
C nec negabis. Quid agis miſera? quid veſana lætaris? non eſt pax iſta, ſed bellum: non oſculum, ſed venenum, proh nefas: adhuc fumantia buſto complecteris membra: ſudorémque ſordidarum vaporis ararum carne tua detergis: iocaris: blanditis: obſequeris: & ſi quod fortè acceptum, relatúmve fuerit à fanatico ſolenne myſteriũ, ipſa ſuſcipis: ipſa reponis: ipſa cuſtodis, vna cibum præterea capis: reliquias poculi propinati lambendo labris exhauris: futurique hauſtus quaſi quaſdam primitias auſpicaris: totum prorſus iniquitatis ſpiritum libens concipis per maritum: infelix iam plus in te eſt, quàm in templo remanſit. At ſi te ſerues, atque contineas, æſtimabit non amore diuini cultus, ſed alterius alicuius deſiderio in ſuam hoc contumeliam procurari: caſtitatis,
D obſeruantiæque virtutem deuocabit in crimen. Quid enim ille mali non ſuſpicetur: non efficiar dijs crudelibus, dijs adulteris ſeruiens? Itaq; deinceps fuge virgo, fuge vidua nuptias tales. Excuſatio prorſus nulla competit tibi, ſi continens eſſe non poteris, ſaltem noli tdas nuptias fœnerari: ne in illo reſurrectionis die inter plurimos maritos non poſſis, cuius fueris vxor, agnoſcere. Noli eſſe ſacrilega: noli eſſe proditrix legis. Profano cur nubas, cum poſſis nubere Chriſtiano?

Sermo de Iuſtitia.

E FORTASSIS de circumſtantibus doctis quiſpiam in cachinnos erumpat, quod homo imperitiſſimus, & elinguis aliquid audeam de iuſtitia diſputare, de cuius proprietate excellentes ingenio, & doctrina viri nihil certi libris ingentibus prodiderunt. Sed ego non curem, de me quemadmodum quis iocetur: non enim in Eccleſia Dei fucatus quæritur ſermo, & non veritas pura: à qua longè omnes illi non immeritò aberrauerunt, qui iuſtitiam Dei manere in eloquentiæ viribus æſtimabant. Denique cum eam comprehendere non poſſent, neque enim poterant ſine magiſterio diuinæ ſapientiæ, cuius notitiam non habebant, duas aſſeruere iuſtitias, vnam ciuilem, alteram naturalem: quarum fecit aperriſſimè eum ad Romanos loqueretur Apoſtolus mentionem, dicens; Nam iuſtitiam Dei ignorantes, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitię Dei non obedierunt.

Sed cum de futuro nihil opinantes præſentis tantum vitæ commoda inſpiciunt, falſamque aduerſus veram pro vera defendunt, ſic vtrámque medijs è manibus oculis patentibus perdiderunt: Dei, cum ſtultam putant, quod elaboret diſpendio ſuæ, non dicam facultatis, ſed etiam ſi opus ſit, & ſalutis, alij magis prodeſſe, quàm ſibi: ſuam, quia quamuis ſit ſapientiæ nomine falſo veſtita, tamen ſuis commodis conſulendo, quod ſine alienis incommodis omnino non poteſt procurari, à quouis verè ſtultiſſimo negari non poſſit iniuſta. Cæterum ſi ſcire potuiſſent veram iuſtitiam, cuius eſt immortalitas merces, propterea ſimulatæ ſtultitiæ velamine adopertam, vtres magna, magnis virtutibus, magnísque laboribus quæreretur, incunctanter optarent ſtulti iudicare ſe iuſti, quàm ſapientes iniuſti: maximè cum iam ſit eorum fraus omnis in medio: non enim rem valuerunt transferre, ſed nomina, iuſtitiam ſtultitiæ, iniuſtitiam ſapientiæ vocabulis infamâtes: quæ ſi ad ſua corrigas, propriíſque ſedibus reddas, inuenies iniuſtitiæ magis ſtultitiam, iuſtitiæ ſapientiam conuenire, quod etiam ſacræ legis teſtimonijs probare non deſinam: cuius iſta ſunt verba: Nam quia ſapientiam Dei non cognouit ſeculum per ſapientiam, Deus optimum exiſtimauit per ſtultitiã prædicationis ſaluos facere credentes. Et iterum manifeſtius: Si quis inter vos videtur ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit prudens: nam huius mundi ſapientia ſtultitia eſt apud Deum. Ob quam cauſam idem Deus per prophetam hactenus proteſtatur: Non glorietur ſapiens in ſua ſapientia: neq; glorietur fortis in fortitudine ſua: neq; diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatũr, intelligere, & ſcire, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam ſuper terram. O quàm pauciſſimis verbis omne hoc mundi, enixè quod geritur negotium, perorauit: his enim tribus rebus, quæ fundamenta ſunt omnium vitiorum, violentis quaſi quibuſdam tempeſtatibus naufragatum momẽtis vniuerſis interitionem cogitur omne genus humanum: namq; ſapientia denſis æſtuans argumentis ſuaſorio, ac delectabili luculentæ orationis compta mendacio, armata vocis tuba, & gladio linguæ omnes actus ad ſe trahit: congregat turbas: concionatur: lites ſic diſcernit, vt ſeminet: prauos, ac lubricos colligit mores: legibus ſuis ſuas leges impugnat: ius iure diſtinguit. Quis non videat nunquam recti aliquid illam facere, vel feciſſe, quod fecerit? Vultis ſcire, quàm iuſta ſit? miſeram ſe putat, niſi euerterit veritatem. Cæterum fortitudo, quæ hominibus eſt cum feritate communis, omne ius in viribus habet, quod facere præualuerit, æſtimât rectum: adeò quod ſine vlla reuerentia diuinæ atque humanæ religionis delet abruptè igni, ferróque cum ſua ſibi tota ſubſtantia incolas, ciuitates, & rura, nihil omnino metuens amicæ mortis fiducia. Denique quod ſapientia legibus per induſtriam colligit, vno impetu aliquotiens clauſis oculis illa tertiò diues eſt auaritia: vtræque cuius exaggerare opulentiam velocitate mira contendunt: cui totus militat mundus: ætas cui vniuerſa deſeruit. Proh nefas: quæ iſtæ ſunt tenebræ? ineſt omnibus: & ab omnibus quaſi non ſit, arguitur. Accuſatur, & tamen colitur: iugulat, & amatur. Inuincibile profectò calamitatis eſt genus, cui ſubiugata ſapientia ſeruiet virtus. Videtis ne iam manifeſtè ſapientiã huius mundi, non eſſe iuſtitiam? & quidem nec veram ſapientiam: quia fieri non poteſt, vt verus ſapiens nõ ſit, & iuſtus: iuſtus adæq; verus nõ ſit, & ſapiẽs: quia iuſtus eſſe non poteſt ſtultus: neq; ſapiens iniuſtus ipſa ratione docente: qui enim ſtultus eſt, quid ſit bonum, ac malum, neſcit, nec poteſt ſcire, quid reprobet, quid teneat, & ideo ſemper peccat: quod eſt iuſtitiæ contrarium, iuſtus autem ab omni peccato ſe abſtinet: quod propterea facit, quia praui boníque notitiam gerit: quod eſt vtique ſapientis. Vnde fit, vt nũquam iuſtus poſſit eſſe, qui ſtultus eſt: neq; ſapiens, qui fuerit iniuſtus. Cæterùm ſiue iniuſto, ſiue ſapienti ſi alterum defuerit ex duobus, quod illi putauerunt, nec ſapiens profectò erit ille, nec iuſtus. Satis, vt opinor, præſtigiæ mundanæ patuerunt: in quibus cum petitius agant vniuerſi homines, quàm dici poteſt, ſuperfluum eſt demorari. Vnde nunc ad veram iuſtitiam veniamus, omnium fontem, matrémque virtutum: quæ præter cæteras tota ſe ad alienas vtilitates colligit, atque explicat, ſciens, quid Deo principaliter debeatur, nihil ſibi ipſa concilians, nihil proprium derelinquens, niſi quod fideliter ſine vlla iactantia eius fungitur voluntate. Eſt autem in publicum tota prominens, atq; diffuſa: ſic tamen, vt ſentiri ſe magis cupiat, quàm videri: planè cauta, ne quam declinet in partem: ne in aliquo ſe ipſa reprehendat: ne opere cœpto vnquam deficiat. Hæc captiuorum iuga redemptionibus frangit: incarceratis medendo plus carcerem nouit blanda peruigil cura: ægritudinem cum ægro partitur: abiecta cadauera intecta inhumatáq; eſſe non patitur: In pauperes miſeróſq; ſua neceſſitate neglecta pietatis largitur: furtim ſemina ſpargit: nec rogari ſe permittit, nec vicaria laudis remunerati mercede, hoc damnum graue: hoc æſtimat crimen: nã nihil relinquendo ſibi, beata cupiditate antecedit auaritiam: homines enim illa poſſidet: iſta Deum. Adhuc accipite, ad propriam ſedem palmámq; propoſitam quãto amore, qua deuotione feſtinet. Si quis eam prouocat in iudicium, vt eius auferat tunicam, libens illi palliũ quoque concedit, maledicitur, & benedicit: cæditur, & gratias agit: iugulatur, & non repugnat: pro percuſſoribus ſuis Deum inſuper exorat. Vna illi ſola principalis ſolicitudo, ac maxima eſt cautio, ne quid mundo debeat: ne quid horum dignè patiatur. Hanc, qui diuinas literas aut non legerunt, aut lectas irritas putauerunt, beneficio abiecti impolitiq; ſermonis, tamen dicentis, Niſi credideritis, neq; intelligetis, ſtultam putãt, irridéntq; quaſi vanam, quod cum poſſit bonis frui mundi, ac negligat, ſponte ſe faciat infelicem, non credentes, quia Dei præcepta cuſtodiens, huiuſmodi officijs ſeculares obterens voluptates, cum fuerit victor, carniſq; nexibus liber, repromiſſæ immortalitatis inæſtimabili beatitudine perfruetur. Sed quid ad nos, quid illi dicant? Inſignis vir ſicut ait pſalmiſta noſter. Nouit Deus cogitationes ſapiẽtium, quia ſunt ſtultæ. Noſtram nobis ſtultitiam derelinquant: habeant ſecum ſapientiam ſuam, cuius quidem ſectatores penè omnes conſpicor Chriſtianos, qui perfectam putant eſſe iuſtitiam, propria tueri, aliena non quærere, ſapientiæ veræ negligentes imperium, quod verbis huiuſmodi continetur: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia tua: & da pauperibus: & tolle crucem tuam, & veni ſequere me. De hoc, neſcio, quid poſſit quiſpiam promouere: vnum tamen ſcio, quia nullus eſt noſtrum, qui non momentis omnibus elaboret, vt plus habeat, quam habebat: quod cum nititur, auaritiæ vtiq; partes agit: quæ eſt inimica iuſtitiæ. Adeo inde eſt, quòd frumento paucorum horrea plena: eſt inanis plurimorum venter. Inde populis deteriora menſuris pretia, quàm inopia. Inde fraus, periurium, rapinæ, lites, ac bella, quotidie mugitibus alienis quæritur lucrum: & præſcriptio induſtria vocitatur: & appetitio rei alienæ ſub prætextu propriæ defenſionis, ac diligentiæ calidiſſimis argumentis vrgetur: vt quis indefenſus, aut innocens, quod habet, legibus perdat: quod eſt omni violentia deterius: quia illud, quod vi eripitur, nonnunquam repeti poteſt: quod legum circumſcriptionibus, non poteſt. Glorietur qui volet, iſta iuſtitia: veruntamen ſciat, quia miſero eſt miſerior, qui miſerijs ditatur alienis. Quiſquã ne iuſtum putet, qui vtilitatem rei familiaris pietati præponit? qui hominibus fame laborantibus, ac nuditate, paſcit tineas, curculiones, ac vermes? qui, quod habet, infelici tenacitate non alijs tantũ, ſed etiam ſibi ipſi ſubducit? Sed inquies, iuſtũ eſt, vt mea ſeruem: aliena non quæram. Hoc etiam Gentes dicere conſuerũt. Cæterum apud Deum quàm ſit iniuſtum, mox videbimus. Nunc primò omnium, optime Chriſtiane, ſcire cupio, quæ ſint tua, cum ſint timentibus Deum vniuerſa communia? ſicut

Digitized by Google

ſicut ſcriptum eſt, Turba autem eorum, qui credide-
rant, animo, ac mente vna agebant: nec fuit inter illos
diſcrimen vllum: nec quicquam ſuum ex bonis puta-
bant, quæ eis erant: ſed erant illis omnia communia, ſi-
cut dies, ſol, nox, pluuia, naſcendi atque moriendi con-
ditio: quæ humano generi ſine perſonarum aliqua ex-
ceptione æquabiliter iuſtitia eſt diuina largita. Cùm hæc
ita ſint, proculdubio non eſt à tyranno diſſimilis, qui ſo-
lus habet, quod poteſt prodeſſe commodis plurimo-
rum. Quid? quòd paupere quotidie moriẽte oppreſſio-
ne, fame, frigore, iniuria amicum tibi excolis aurum: cu-
ſtodis argentum: veſtem pretioſam: ornamentáque ſu-
perba, & ſuperuacanea pro ſacroſancto habes, ſicut ido-
lum: te per momenta componis diues in publico, ditior
in ſecreto? nec intelligis, quia homini inopia morienti
tantis opibus, qui eum poſſit ſubuenire, non ſubuenit,
ipſe eum videtur occidere? O quantarum neces anima-
rum in phaleris pendent ornatæ matronæ: ornamen-
tum cuius vnum ſi ſoluas in pretium, diſtribuáſque ne-
ceſſitatibus ſingulorum, ex eorum reſpiratione cognoſ-
ces, quantorum malo ille conſtat ornatus. Filios in-
quit, habeo, quos nudare non debeo, iſta eſt infideli-
tatis excuſatio: quam Spiritus ſanctus per prophetam
retundit hactenus dicens; Adoleſcentior fui, & ſenui:
& nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius
quærens panem: Et iterum; Diuites eguerunt, & eſu-
rierunt, requirentes autem Dominum non minuentur
omnibus bonis: quod probare exemplo perfacile eſt.
Meminimus in Regnorum proditum libris, famis tem-
pore, quo totus paſſim populus moriebatur, Eliæ alimẽ-
ta poſcenti memorabilem viduam vltimam victus ſui, fi-
liorúmque ſubſtantiam non partitam, ſed totam de-
diſſe: maluiſſéque ſecum liberis ſuis émori, quàm iuſti-
tiã præterire: pro quo tam illuſtri facinore cibos à Deo
immortales accepit: quos edacitas delibare nequiret:
ſua enim deminutione creſcebant, integer horum de-
nique vaſis ſemper in plenis manebat ſtatus: quantúm-
que eis impenſæ diuturnæ neceſſitas dempſerat, tan-
tum rediuiua fœcunditas reponebat. Quapropter ſi
pater bonus, ſi prouidus, ſi vtilis eſſe deſideras, ſicut
ille Abraham, Deum plus debes amare, quam filios, vt
habere merearis integros, incolumes, ac beatos. Stulta
autem res eſt, illis te velle vitæ ſubſtantiam prouidere,
quibus nec natiuitatem dederis, nec animas inſpiraue-
ris, nec ſalutem præſtare poſſis. Vnde vel ſero ſacrile-
gam vocem comprime humanæ fragilitatis memor: qui
in hoc ipſo, quod loquimur, quid poſſit contingere,
ignoras: excuſationíſque vanæ depone fallaciam, ingra-
tis auaritiam peccato condis, ſolius Dei poteſtas eſt fu-
turorum commodis prouidere.

Sermo de timore.

TIMORIS quidem, fratres dilectiſſimi, voca-
bulum eſt vnum; ſed accedente ratione ti-
mor diſcernitur à timore: fiunt enim duo:
vnus Dei, alter, qui naturæ ſit: naturæ in ho-
mine naſcitur: Dei autem & dicitur & docetur: quia nõ
in trepidatione, ſed in doctrinæ ratione conſiſtit: ſicut
ſcriptum eſt; Venite filij, audite me: timorem Dei do-
cebo vos. Naturalis ergo non diſcitur, ſed impulſu no-
bis noſtræ infirmitatis occurrit: quia non artis eſt timere
quod metuas: metuis autem, quod tibi nolis accidere.
Exiſtit quippe diuerſis ex modis, cum aut exæſtuat ali-
quo reatu conſcientia: aut cum hoſtilis imminens ma-
nus gladio ſalutem premit: aut cum viãtis itineri erectus
in morſum ardentibus ſquammis, incenſus, tumidus ſe-
ſe anguis opponit: aut dorſa fugientis affectans cædem
vicino fremitu ferina rabies onerare tentauerit: vel cum
amiſſis gubernaculis inter compugnantes fluctus, ac fla-
tus gemens parturit carina naufragium. Inter hæc om-
nia deterior eſt conſcientiæ timor: quia, quæ diximus,
& alia his ſimilia cum paſſibilitate ſui tranſeunt: timor
conſcientiæ non deletur. Nunc videamus; intelligen-
dum quemadmodum nobis ſit, propheta quod ait; Beati
A omnes, qui timent Dominum. Si omnes, qui timent
Dominum, beati ſunt, non beatus eſt nullus: quia nulla
gens eſt, nulla ſunt pecora, animantium denique nulla
natura, quæ nõ timeat Deum. Cum grauamur rumpen-
tibus ſonis, concuſſis vndique cardinibus, cum præter
morem terrifico ſtagore intonans concrepat cœlum,
cum inter cæcas, pinguibus conductas nubibus tene-
bras crebræ micantes cursus ignibus flammæ intercepti
diei lumen incunctanter aſſimulant, cum ardent plura
fulminibus; cum terra vel tremit, vel hiatu ſe recipit in
ſe, nullus hic beatitudinis locus eſt, vbi non deuotio-
nis, ſed neceſſitatis eſt, quod timetur. Itaque audia-
mus ſcripturam, quid dicat: cuius iſta ſunt monita. Et
nunc Iſraël quid Dominus Deus tuus poſtulat à te, niſi
B vt timeas Dominum Deum tuum: & ambules in om-
nibus vijs eius: & diligas eum: & cuſtodias præcepta
eius ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & benè ſit
tibi? Videtíſne hunc timorem nobis neceſſarium: qui
in Dei amore cõſiſtit: qui voluntate ſua ſe parit: diuinæ
legis agnitione conſtruit decorem: ad omnia genera
virtutum intrepidus pergit, præceptis omnibus fideli-
ter obtemperat: inchoatus innocenter viuit: iuſtitiam
percolit: ſine fine ſtudet timere, ne quid præter Deum,
quem diligit, timeat. Denique huius ſuffragio Daniel
populis terribilem inermis draconem necat: leonibus
obiectus in periculo prandet, qui ſolet extra periculum
ieiunare. Et Ionas timens Dominum ſpontaneum non
timet adire naufragium: ceto inhiante miſerabilius ſe-
C pelitur, quàm præcipitatur, & tamen litus, quo tende-
bat, inuenit ante, quàm videas. felix magis ſepulchro,
quàm naui. In oratione mons tremit: monti non Apo-
ſtolis trepidatio eſt. Petrus æſtu marino fertur non nau-
fragus, ſed viator, timet profundum intercipere non ti-
mentem: nec tamen in toto diſſimulat, ne per mare pe-
dibus ſe ambulaſſe non credat. Aduerſus Teclam ac-
cuſator acerrimus linguæ exerit gladium: cum ſuis ſibi
miniſtris publicæ leges inſaniunt: ſtimulis acuitur feri-
tas in ferocitatem, & tamen hominibus mitior inueni-
tur, ne quid ſcenæ tam diræ humanitatis deeſſe videa-
tur, immittuntur etiam marina monſtra, lacinijs omni-
bus ſpoliatur puella: veſtitur incendio. Inter tot inſtru-
menta mortis ſpectatore metuente ſecura calcat genera
vniuerſa terrorum: incolumis, quaſi orbe ſubacto, de
D illo feralis caueæ iam non miſerabilis, ſed mirabilis fu-
nereo ambitu excedit, victi ſeculi triumphum reportãs,
quam tot ſupplicijs omnes crediderant perituram. O
neceſſarius timor: qui nihil aliud agit, niſi vt beatos ef-
ficiat: qui timet arte, non caſu: voluntate, non neceſſi-
tate: religione, non culpa: qui Deum metuit, non natu-
ram. Vultis ſcire, cuius proprietatis ſit? omnes timores,
quoſcúnque inuaſerint, incremento conficiunt: hic
ſolus ad hoc creſcit, vt immortalem, quem poſſederit,
faciat.

Sermo de Ieiunio.

CANITE tuba in initio menſis, in die inſignis
E ſolemnitatis veſtræ propheta præcipiebat po-
pulo Iſraël. Nobis quoque ſuper omnẽ buc-
cinæ ſonum, & ſuper omnem tubæ clango-
rem aduentum ieiunij, & medicinalis animæ dies ad-
eſſe per propheticas, & euangelicas ſcripturas Spiritus
ſanctus increpuit, per alium quidem prophetam: Vo-
cate ieiunium: prædicate curationem: per alium verò
ieiunij regulam, modúmque definiens: & illud quidem
ieiunium Iudaïcum abijciens, de quo dicit; Non ad iu-
dicia, neque ad lites ieiunetis, in his enim ieiuniorũ die-
bus quã plurimi vacant, vt magis videantur idcirco cor-
pori ſubtrahere cibum, vt noxijs calumniarum dapibus
animam ſaginent: & ob hoc ſolum eſuriunt à cibis,
vt litibus ſatientur, hanc ergo abijciens ieiuniorum

Digitized by Google

formam Dominus per prophetam denunciat; Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, cum humiliat homo animam ſuam: ſed ſolue omne vinculum iniquitatis: confringe eſurienti panem tuum ex animo: nudum, & ſine tecto introduc in domum tuã: & tunc ſubito orietur, ſicut mane lumen tuũ: & ſanitas tua, ſicut meridies, quod nihilominus Dominus quoq; in Euangelijs perfectius, & diuinius reformans, ſicut & cætera quoque mandata, repetit, & dicit: Vos autem, cum ieiunatis, nolite effici triſtes, ſicut hypocritæ faciunt, exterminãtes facies ſuas: ſed tu, cum ieiunas, vnge caput tuũ: & laua faciem tuam. Tali ergo affectu ſuſcipiamus ieiunij gratiam, ſicut Dominus docet: & non triſtes, & mœſto vultu, tanquam horreſcentes neceſſitatem dierum: ſed læti, & hilares, & cum exultatione rem gerere debemus, quæ nobis cauſa victoriæ, & ſalutis exiſtit. Et quis eſt, qui triſtis coronetur? quis mœſtus & demerſo vultu triũphet? præſto eſt enim per ieiunia carnẽ vincere: & de eius vitiis poſt victoriam triũphare. Quis vnquam triſtis eſt, quod ſanus efficitur? aut quomodo non probroſum eſt, maiorem de ciborum caſtigatione recipere mœrorem, quàm gaudium de animæ ſanitate? qualis illa mens eſt, quàm plus contriſtat interitus libidinis, quàm lætificat vita virtutũ? quæ dolet ſubtrahi aliquid de ventris ſtercore? (in hunc enim theſaurum omnes illæ ciborum copiæ reconduntur) & addi quantuluncũnque cœleſtibus continentiæ theſauris, quos tinea non conſumit: & vbi fures non effodiunt, & furantur, læti itaq; & exultantes accedamus ad medicum noſtrum Deum, medicamentũ ieiunij ſuſcipientes: quo per totum annum noxios humores peccatorum collectos depellere, atque exſiccare poſſimus: ſicut enim ſæpe videmus in pueris auſterioribus medicamentis, vel poculis collectas intrinſecus extingui beſtiolas, ita in interioribus animæ noſtræ viuificata peccata ieiunium extinguit & enecat: ſimul quoque euertit ac ſubruit illam legem, quæ eſt in membris meis, repugnãtẽ legi mentis meæ, & captiuum me ducere cupit in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Habet ſanè etiam ſacramenti plurimum modus ipſe, quo ad ieiunandum inſtituimur, & formamur: Tu enim, inquit, cum ieiunas, vnge caput tuum, & laua faciem tuam: per quod admonet nos, vt vnguentum regale, & vnguentum ſacerdotale, vel hi, qui nondum conſecuti ſunt, catechumeni deſiderent, ac requirant: vel hi, qui iam conſequi meruerunt, virtutem ex recordatione ſuſcipiant: qui enim vncti ſunt, oleo lætitiæ vncti eſſe dicuntur: vbi omnis triſtitia fugata eſt, & dolor abſceſſit, & gemitus, vel certè ita quis vngit caput ſuum. Si caput viri Chriſtus eſt, quis vngere caput ſuum iubetur, ſine dubio Chriſtum vngere iubetur. Quis eſt, qui vnxit Chriſtum? Euangelium nos docet beatam illam mulierem, quæ alabaſtrum vnguenti diffudit ſuper caput Ieſu, & perunxit eum: cum etiam dicit, quia repleta eſt odore domus tota. Quidnam verò ex diſcipulis, & præcipuè proditor Iudas dicebat; Ad quid perditio hæc vnguenti? potuit enim venundari, & dari pauperibus. Ieſus verò, qui ſciebat, quid ſacramenti factum mulieris contineret; Nolite moleſti eſſe, ait, mulieri: opus enim bonum operata eſt in me. Quod eſſet opus bonum deſignat dicens, quia ad ſepeliendum me fecit. Oſtenditur ergo per hoc, quia vngere Chriſtum, ſepulturam eius eſt præparare. Sepulturam verò præparat Ieſu, qui ſecundum Apoſtolum mortificat membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, auaritiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & cætera: & qui iam non ſecundum carnẽ ambulat, qui actibus Spiritus ſancti carnis facta mortificat: &, vt planius dicã, cui mũdus crucifixus eſt, & ipſe mũdo: immo qui Chriſto concrucifixus eſt: & non ſolum concrucifixus eſt, ſed & cõſepultus eſt ei. Hic ergo eſt qui vngit caput ſuum, ieiunãs a vitiis, & in operibus bonis Chriſti odor bonus efficitur. Sed & lauare faciẽ etiam iubetur, qui ieiunat: quam faciem, niſi illam, qua Deus videri dicitur. Beati enim mũdo corde, quia ipſi Deum videbũt. Illa facies, ſi habuerit aliquam maculam, aut rugam, intueri non poteſt Deum, in illis oculis ſi hæſerit feſtuca peccati, Deum videre iam non poſſunt. De illa ergo facie, ideſt, de animi ſenſibus, & cordis arcano omnes vitiorum ſordes expurgare debemus, vt ſecundum Apoſtolum illuminata hac facie, & reuelata, & ſecundum hanc imaginem transformati gloriam Domini ſpeculari poſſimus. Nolite ergo, inquit, exterminare faciem veſtram, ſicut hypocritæ faciunt. Exterminatur hæc facies, de qua ſuperius diximus, cum religioſus habitus extrinſecus ſimulatur, & venenata intrinſecus nequitiæ amaritudo contegitur. Denique hypocrita ille dicitur, qui in theatro perſona vultui ſuperimpoſita, cum alius ſit, alius eſſe ſimulatur, verbi cauſa: interdum regis perſona vtitur, cum ſit ipſe plebeius, aut etiam domini, cum fortè ipſe ſit ſeruus. Ita ergo in hac vita quàm plurimi hominum, tanquam in theatro ſimulatis perſonis vtuntur, & fictis: & cum ſint intrinſecus aliud, aliud ſe eſſe hominibus oſtendunt. Tu ergo, inquit, noli exterminare faciem tuam, qualis es, talis appare, noli te triſtẽ, & grauem ſimulare, intrinſecus verò flamma totius intemperantiæ, & rapacitatis agitari: aut oſtendere tanquã ſi abſtineas à cibis, & rapias alienas domos, vt ſemel & pro abſtinentia collanderis, & pro rapacitatibus condẽneris. Duo ergo Dominus ſimul præcepit, neq; oſtentationis cauſa, & laudandi ſtudio ieiunium celebrari: neq; ſimulare religionẽ vultu, & habitu, & mente, atq; operibus agere ſubuerſionẽ: ſed abſtinere quidem à corporalibus cibis: bonum enim, & vtilitas eſt humiliare carnẽ, reſtrænare libidinem, cohibere laſciuiam, luxuriam reſecare: multo verò clarius eſt inquietos, & inconditos motus animæ continere: nam & anima luxuriat, cum iniquè aliquid concipit: cum vltra menſuram erigitur & ſuperbit: cum inuidiæ ſtimulis agitatur: cum ſua negligens, quæ cœleſtia ſunt; terrena & caduca, quæ à ſe aliena ſunt, quærit: quibus ſingulis modum, ac terminos ieiuniorum ſobrietas ſtatuit competenter recipi. Sed fortaſſis videmur vobis nouellum aliquod obſeruationis genus inueniſſe ieiunium. Perantiquum eſt vnus iſtud, & ex paterna hæreditate deſcẽdens: ſupra auos, ac proauos originem tendit. A lege me fortaſſis arbitramini primã eius originẽ prolaturũ, vbi præcipitur, in die propitiationis ſeptimo menſe decima die menſis ieiunium celebrari. Sequimini me per hiſtoriarum gradus: & ego oſtendã vobis omniũ, qui in hoc mundo nati ſunt, antiquiora incunabula eſſe ieiunij: vt canities eius, & antiquitas intima indubitatũ fidei mereatur aſſenſum. Prima ieiunij lex non in hoc mundo, ſed ante mundum in paradiſo data eſt. Hoc primum mandatum primus à Deo homo factus accepit, vt de ligno ſcilicet ſciendi bonum, & malum non manducaret, non manducare autem ieiunare eſt: & legem continentiæ cuſtodire. Deniq; ſi ieiunaſſet Heua illud ieiunium, nunquam nos indiguiſſemus iſto ieiunio: quia nec ſani indigent medico: ſed hi, qui malè habent. Malè habemus, & ægrotamus per eſum peccati: curemur, & ſanemur per ieiunium pœnitentiæ, per cibum offenſus eſt Deus: per ieiuniũ mitigetur. Sed ipſa ſententia qualis ſit, non conſideramus. Maledicta, inquit, terra in operibus tuis: ſpinas, & tribulos proferet tibi. Nunquid deliciari nos patitur iſta ſententia? manducando in hoc, quod ſumus, ventum eſt: quid mala noſtra velut gloriam ducimus? quid pœnam delicias facimus? quid condemnationem ducimus voluptatem? Expulſi ſumus de paradiſo, quia non ieiunauimus: ieiunemus nunc, vt ad paradiſum reuertamur. Sed & ipſa omnis paradiſi vita ieiunium eſt, nuſquam ibi carnes decoquuntur: nuſquam vini liquor premitur: nec alia, quibus voluptati corporis deſeruitur, ſed eſt ibi cum angelis vita communis: cum cœleſtibus virtutibus ſors æqualis, ille denique ipſe ſcientiæ cibus, qui quoquomodo ibi nominatur, ieiunijs alitur, & per abſtinentiam miniſtratur. Vide ieiunando Elias quo aſcenderit. Vide Heua quò deſcenderit manducando. Sed

&

& vtriuſque operis auctores, & conſiliarios intuere, ibi
ad mãducandum auctor, & conſiliarius ſerpens eſt, im- A
mò diabolus in ſerpente: hic, vt ieiunans aſcendat ad cę-
lum, auctor eſt & monitor Deus. Vtamur ergo & nos
hac via, qua rediri ad paradiſum poteſt: & ſuſpecta no-
bis ſit illa via, quæ expulit hominem de paradiſo. Hanc
teneamus, cuius aditum patefactum Domini noſtri Ieſu
Chriſti ſponſione agnouimus, dicentis ad latronem;
cum & ipſe ſimul penderet in ligno; Quia hodie mecum
eris in paradiſo: neque enim quis cognoſcere poſſet, ni-
ſi ipſe aditum credentibus patefeciſſet. Illuc præceſſit
Lazarus, qui totius vitæ ſuæ iuge, continuatúmque ie-
iunium ſolis micarum ſolatijs, quæ proijciebantur ex
menſa diuitis, ſolabatur. Illuc nos quoque per ieiunia,
& miſericordias contendamus intrare, vt mereamur
poſt longa ieiunia percipere de ligno vitæ, quæ eſt ſapiẽ- B
tia Dei, & vnigenitus filius eius Dominus noſter Ieſus
Chriſtus: cui gloria, & poteſtas cum Spiritu ſancto in
æterna ſecula ſeculorum.

Sermo de Spiritu, & Corpore.

SI quis ſtudio vel noſcendæ, vel impugnandæ
ſacræ legis naturæ natiuitatis Moyſi librum
lectitando ſæpius replicauit, fortaſſis, vt ſunt
ingenia, quotidie quæ videmus verſutis con-
tentionibus læta, de Apoſtoli dicto calumnioſam no-
bis inferat quęſtionem: qui ait: Primus homo è limo ter-
ræ: ſecundus è cælo, dubium quoque non ſit, vnum ho-
minem tantum e limo terræ à Deo finctum, eique eius C
ex latere mulierem coniugale ſolamen excuſſam: à qui-
bus omne genus manauit humanum, cœleſtem verò ibi-
dem nec memoratum, nec factum poſſe doceri, nec na-
tum. Huc accedit etiam ipſa præpoſtera memoratio:
quoniam res eſt diſconueniens, & abſurda, vt ſecundus
ſit immortalis: & qui mortalis eſt primus: cum immor-
talitas in ſe ordinem temporis non recipiat, mortalitas
capiat: vel ſi cœleſtis eſt primus, quod opus erat, vt fieret
quoque terrenus? Simile dictum Euangelicum illud cõ-
ſentanea poteſt argumentatione pulſari: ſcriptum eſt
enim; Nemo aſcendit in cœlum, niſi, qui de cœlo deſcẽ-
dit, filius hominis, qui erat in cœlo quomodo filius ho-
minis, vel cuius hominis naſci poſſet in cœlo, vt de cœ-
lo deſcenderet, cum humanitas à cœlo & poſſeſſio lon- D
gè dimota ſit, & natura? Age excita ſenſum lector, inue-
nies veritatem. Qui erat in cœlo, de cœlo deſcendit: qui
deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit in cœlum filius homi-
nis, qui erat in cœlo, filius hominis, vocabulo, non natu-
ra: non enim bis carnem induit Dominus: ſed ſic opor-
tuit prædicari, quia primo ante, quam eſſet, quam ſe fieri
voluiſſet, tam figura, quam oraculis frequentibus publi-
catur. Igitur Dei filius ad ineffabilem originem pertinet
hominis ad ſacramentum, cuius ſacramenti arcanũ eui-
denti ratione, quaſi quadam claui aperire conabor: vt
prouidentiam Dei, & vim conſociationis carnis, & ani-
mæ, & hominis ſummum bonum vbinam ſit conſtitu-
tum, quiuis facillimè poſſit agnoſcere. Poſtcàquã Deus,
fratres, hunc mundum, quaſi quandam futuri humani E
generis domum, multipliciter aptatum, diſtinctúmque
elementi opibus, animantibus, alimonijs, vtilitatibúſ-
que diuerſis, magnis, & plurimis, habitatori vlla ne que-
rela ſubeſſet, ſolertia mira perfecit, tunc ad imaginem, &
ſimilitudinem ſuam fecit ſibi ipſe ſimulacrum ſenſibile,
atq; intelligens: ſumpto quippe limo terræ hominem fi-
gurauit, eique animam, qua ſpiramus, infudit: cui ab hu-
mo homo nomen impoſuit: credo, ſicut res ipſa docet,
vt contemplatione opificis, ac materiæ ſemper ſuum &
vereretur, & veneraretur artificem. Poſt hæc ſubiecit ei
omnia bona mundi, & quia erat iam ſapientia conditus,
ſenſibus ſtipatus eligendi mortẽ, vitamve, præcepti eru-
ditione commonitus, eum propriæ voluntati commiſit.
At liuidus ille criminator, qui, quod ſenſim ſerpat, ſer-
pentis nomen accepit, deteſtabili acceſſus inuidia eum,
quia per ſe non valebat, aliena forma blanditus per mu-
lierem tranſgreſſionem præcepti Dei perſuadendo mi-
ſerabiliter iugulauit, & exinde hæreditaria conditione
confectum vniformiter interibat omne genus humanũ,
nec fuit vllus, vlliúſque ſolatij locus: nam hominem vi-
uum, vt adhuc vſq; conſumebat labor, gemitus, impie-
tas, dolor, ægritudo, miſeria: mortui quippe corpus, fi-
gurámque illam florentiſſimam edax in æternum terra
delebat: animam quoque feralibus tenebris relegatam
perpetui carceris pœna perpetua implacabilis affligе-
bat infernus. Non ſuperni, non inferi parcebant ſimu-
lacro Dei: etenim mortis imperium ſibimet vendica-
uerat totum. Hæc cum diu ſic haberentur, ſolertiſſi-
mus ille artifex rerum filius Dei, cuius ſapientia non ha-
bet finem, nec fortitudo menſuram, amore imaginis ſuæ
de cœlo deſcendit: vteri virginalis illuſtrat hoſpitium:
ibidémque in homine includit Deum, vtitur & figura,
& conditione mortali. Iuſtitiam docet immortalitatis
eſſe comparatricem: factis præcepta cõſummat, poſtre-
mo ſuſcepit mortem, vt ea deuicta reſurgẽs homini per
hominem, quem gerebat, & ſpem vincendæ mortis af-
ferret, & eum ad præmia immortalitatis admitteret. Sic
factum eſt, vt quomodo per vnius damnationem in om-
nes homines damnatio, ſic per vnius iuſtificationem in
omnes homines iuſtificatio æternæ decurreret vitæ. Vi-
detis ne iam manifeſtè in homine ſuſcipiendo fuiſſe
prouidentiam, in paſſione ſacramentum, in reſurrectio-
ne ſummum bonum. Hic nunc primum omnium ſcire
debemus, hominis fabricam ex duobus diuerſis ac re-
pugnantibus comparatam, diſcordíque concordia eſſe
connexam, animámque lineamentis corporis circonſe-
ptam, vnde duæ quoque vitæ à Deo attributæ ſunt no-
bis: vna, qua neſcientes communi cum pecudibus lege
fundimur à natura: & quia eſt corporalis, ac per hoc etiã
breuis: alia vero animi, quam nos nobis ipſi, Deo mo-
uente, & adiuuante, hac in vita per fidem ſacri fontis vi-
uo de gurgite comparamus, nobilis, & æterna: quia
animus, qui vicerit mundum agnoſcendo, ac ſeruan-
do religionem veram, verámque iuſtitiam, immortali-
tatis neceſſe eſt pro laboris ſui munere immortali bea-
titudine perfruatur. Inde eſt, quod intra hominem
clandeſtinum fremit momentis omnibus bellum, cum
vnaquæque pars nititur alteram ſubiugare, Apoſtolo
ſic dicente, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &
ſpiritus aduerſus carnem, hæc duo inuicem aduerſan-
tur ſibi. Hinc caro tota delicijs fluens, varijs temporum
redimita muneribus opes multimodas, ac profundas
promittit, oſtentat, obijcit, donat, ſpeciem proponit
ſuam: faciémque, in quas illi libuerit figuras ſpeculo
cõciliante ſemper incertã quotidie peregrinis coloribus
mutat: gulę labore culta, lauacro nitida, vnguẽtis oblita,
veſtitu varia, monilibus tota diſtincta, conuiuiorũ cele-
britate iocũda, vino madida, gẽmis, ſeu floribus redimi-
ta, oculorũ, iocorúmq; feſtiuitate laſciua, auaritia cæca,
libidine percita, delicatè tumẽtis, ac reflabilis thori plu-
meo ſepulchro ſuperba: iactat ſe ludibunda per nemo-
ra, fontes, prata, Baias, ciuitates, ac rura: vniuerſis volu-
ptatibus ſepta in cupidinẽ ſui vtrúmq; ſexũ, omnes ani-
mas, omnes ætates iſto carmine inuitans; Exiguũ, & cum
tædio eſt tẽpus vitæ noſtræ: & nõ eſt refrigerium in fine
hominis: & non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis:
quia ex nihil nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam,
qui non fuerimus: & non eſt reuerſio finis noſtri: quo-
niam conſignatus eſt, & nemo reuertitur, & infra: Ve-
nite ergo, fruamur bonis, quæ ſunt: & vtamur creatura,
tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo, & vnguẽ-
tis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis,
coronemus nos roſis ante, quam marceſcant, nullum
pratum ſit, quod non tranſeat luxuria noſtra, vbique re-
linquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, &
hæc ſors. Illinc ſpiritus, quaſi quidam dux peritiſſimus
horum omnium prædicit fugam, in armis expeditiſſi-
me ſtandum, vigilandum diligenter, vndique caſtra

muniēda, defenſanda regalia fortiter ac tenaciter ſigna: æſtus, frigus, famen, ſitim, vniuerſaque diſcrimina æquanimiter perferenda: mundum abdicatione calcandum, mortémq; ipſam, perennis cui beatitudo ſuccedat, præmium victoriæ magis eſſe, quàm mortem, luculenta oratione per Ioannem hactenus concionatur; Nolite diligere mundnm, neque ea, quæ in mundo ſunt, ſi qnis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo: quoniam omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ noo eſt à patre, ſed ex concupiſcentia ſeculi: & mundus tráſibit, & concupiſcentia eius, qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. Sed dicit aliquis, ſi ita eſt, cur in ſe ipſe potiſſimum ſuperatur? primò quia genus humanum magis voluptati, quàm virtuti conſentit: deinde quia delicias plus diligit, quàm laborem. Huc accedit, quia bona carnis inueoit, non requiritimauultq; potiri vel paruis præſentibus bonis, quàm bonis ingentibus tardis. At verò ſpiritus bona noo tantum ſunt inuiſibilia, tarda, & abſcondita, ſed etiā nimis in ardua conſtituta, vt ad ea, niſi cum ſumma difficultate, laboribus, ac periculis magnis non poſſit ab aliquo perueniri. Adde, quòd illa in ſolo genitali verſatur: ille peregrinus eſt, illa ſine contemplatiooe meritorum quibuſlibet paſſim ſua munera inſulcit, maximè indignis, vt ad ſe colligat turbas: ille ounquam remuneratur quemquam, oiſi primò quis victor mortis iura prætereat, quæ res efficit, vt ſiue metu, ſiue incredulitate præpooantur præſentia futuris, mala bonis, fragilia ſolidis, falſa veris, terrena cœleſtibus, temporalia ſempiternis. O cæca mens hominum quid præſentium carnalium rerum fugaci illuderis blandimento? quid deteriori meliorem ſubiacere compellis? ſcriptum quippe cum noueris, Omnis caro fœnum, & gloria eius ſicut flos fœni: cuius ſi curam geris, * pecuinam te eſſe cognoſcis. An eius virtntem diligis? frangit, ac ſubigit illam quiuis dolor. An pulchritudinem eius? & commutabilis res eſt: & quæ febri, vel qualibet facillimè deleatur iniuria. Ecce procuratores, vel gubernatores eius oculi aliqno ictu extincti ſubſiduot, nonoe cadauer eſt vnum? Ecce tabidus pulmo pinguibus ſputamentis exeſus deteſtabili omnia macie geſtatoris ſui oſſa denudat. Nonne horrebit etiam ſibi quodammodo illa excatoata vmbra tractabilis? Longum eſt ire per ſingula. Ecce peremptorius aliquis morbus totam machinam lecto proſternit, ecce tempeſtas vndiq; mortis incumbit: nonne ſtatim illa, quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum? poſtremò iacentes reliquias mors vendicat ſibi, inſuper ei pœnas gehennæ paritura. Tunc carnalis minus ille finitur, exaoguique oihil iam ſuffragantia tota illa ornamenta medentur, oiſi quòd à falſè plangentibus adhuc vioenti rapiuntur. Vnde, fratres, ſicut veri Chriſtiani, quaſi hoſpites, & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſiderijs, qoæ militant aduerſus animam: nec veſtrum frangat affectum, quod eius ſecretum, figurámq; neſcitis: quam ſi propterea contemnitis, quia noo videris, Deom quoq;, qui eſt inuiſibilis, cootemnere ſimiliter poteritis: qui enim noo diligit eius ſimilitudinem ſequitur, vt oderit veritatem. Inde eſt, quòd ſtulti præponunt corpus animæ, idolum Deo. Sed oos, qui Adam abiecimus, Chriſtum induimus, qui, quæ vis, quis exitus, quæ merces carnis ſit, quæve animæ, Deo magiſtro didicimus, qui non ignoramus victoria carnis ambas extingui, animæ victoria vtramq; ſeruari, meliora ſequamur, ſaltem vel eo ſtudio, quo ſequimur mala. Nulla vlli compeot excuſatio, maximè cum res noſtræ commiſſa ſit voluntati, propheta dicente, Ante hominem bonum, & nequam: mors, & vita: quod elegerit, hoc dabitur ei. Vnde duhium non eſt, voluntatem noſtram, cui ſe iunxerit parti, præbere iuſtitiam: eiúſq; in reſurrectione aut præmio perfrui perenni, aut conſimili pœna puniri.

al. pecudem.

De auaritia, Sermo I.

A NEc ſingulare, nec friuolum crimen eſt, fratres vel maximè Chriſtianum, cupiditatis compedibus alligari, profundæque noctis feralibus tenebris obcæcatum miſerabiliter ad ima deferri, ſed quia inextinguibilis peſtis incendio totus mundus exarſit, auaritia, vt putatur, crimen eſſe deſijt: quia neminem, qui ſe poſſit arguere, derelinquit: omoes enim paſſim furore inſatiabili turpes præcipitantur in quæſtus: nec quiſquam prorſus inueniri poteſt, qui ei ſaltem vel vno momento iuſtitiæ frænos imponat, inquieta ſemper exæſtuat: ſæuit: pugnat: rapit: congregat: ti: ſeruat: ſui tenax: appetetens alieni: non ſuo, non alieno, non ipſo orbe contenta totum poſſidet: & de inopia queritur ſemper. Deniq; ad ſua nunquam peruenit vota, **B** quantum fuerit auctior, fit tanto miſerior: expers ocij: expers ſatietatis, per fas, atque nefas artibus, multis modis, ac verſutijs armata baccbatur, ſalutis ſuæ, alienæque contemptrix: ſolum metuens, ne deſit vlli, quod radat. Inde eſt, quod vniuerſæ nationes mutuis cadunt per momenta vulneribus: concuſſæ gemunt vrbes: deleta rura reſpirare non poſſunt: maria plus prædonibus ſæua ſunt, qoàm natura, obſeratæ gladijs viæ humano cruore pinguefcunt, teſtameota hæredes incognitos ex ſeſe recitari miraotur, amica ſub fallacia manus inooxias animas ſecurè conficit ebibita veoeni tempeſtas ſepelitur ooua odij rabie ante, quàm naſcatur, matris iam oon in vtero, ſed ſepulchro incognitum pecus, quod legitimam nec mortem potuit ſentire, nec vitam. **C** Rectè igitur Apoſtolus ait, Radix omoium malorum eſt auaritia: hac enim matre, eadémque magiſtra vniuerſa, quæ diximus, ſed & alia multa, immò omnia vndique ſine pauſa, quæ ſcaturiunt, mala naſcuntur, atque concelebrantur: quæ coodemnate ſalſo humanitas geſtit: Cameleum enim glutieos culicem liquat: reijcit ſtillas crimioum, & auaritiæ, vnde criminum fluenta funduntur, ebibit fontem. Huic oon iura, non leges, non honor vllus obſiſtit: quia quicquid aut emitur, aut diſtrahitur, liberum ooo eſt: oon nobilitas quia per hanc credit: hanc excolit: per hanc hoc ſibi nomen inuenit: noo ſanctitas, non munitio: quia nihil eſt tam ſanctum, qood noo violari, nihil tam munitum, quod oon expugnari pecunia poſſit: oon oeceſſitudo ſanguinis, non amicitia: quia **D** ooo ſuo merito, ſed auri, argenti, facultatúmque beneficio quis aut amatur, aut odio eſt. Denique hæc eſt cauſa, quod fratrum pia nomina plerúmq; magis gladijs amica videmus eſſe, quàm ſibi quod pareotes opulenti abolita ſui oominis ſanctitate, filios ſuos noo ſioe vtriuſq; dedecore patiuntur errare ſtipi triuiali ſubiectos: quod liberi parentum vitam ſua damna iudicātes, iniecta violenter manu ipſi naturæ, iouaſis hæreditatibus ante tempus parentes ſuos compellunt viuere miſeriæ, facultatibus mori. Prohnefas. Quid tibi tua tollis infelix? Quid extraneo facias, qui in te auarus es? O deteſtabili deteſtabilius malum, inuicem dum expoliant, perſequuntur, fallunt, hoſtes probant, prædooes laudant, latrones excuſant: oec ſui voquam venit in mentem, non eſſe **E** humanæ poteſtatis craſtinum diem, ac ne ipſum, quo res agitur: quia quod voluitur ſemper, in momento quid afferat, dubium eſt, ſed oculis patentibus cæci dilatant horrea: terras anguſtant, iungunt ſaltibus ſaltus: & ſi orbem totum poſſideant, fines oderunt: illicitum putaot habere viciuum: conſtruunt prædia: ſepulcbra defodiunt: timent omen, qui ooo timent mortem, ſi ſic interempti, plerúmq; iacent canibus, alitibus, feriſque donati, vbiq; diſperſi, vtrobique deperditi, ſemeſis oſſibus etiam ſuis carnibus nudi. Conſpicire rem auaro condignam, ille amplum, qui habuit cenſum, exiguum oon habet tumulum, quos propheta egregius hactenus increpat dicens, Quid profuit nobis ſuperbia? aut quid diuitiarum ambitio contulit nobis? tranſierunt iſta omnia tanquam vmbra, ſed & Dominus ipſe dicit;

Quid

Quid prodeſt vnicuique lucrari mundum, & animæ ſuæ pati detrimentum? I nunc inſatiabilis homo: & indeteſtabilis congeſtionis lucra letifera etiam ipſa elementa nouis artibus coge, licet radient tibi pretioſorum lapidum diſcoloribus formis referta penetralia, gemat terra ſub pondere argenti, auro ardens tota domus pugnet ſua flamma cum ſole, honorúmque exinanitue à te gradus non inueniat, quod tibi præſtet, meminiſſe tamen debes, quia mors non timet nec diuitias, nec honores. O cæca mens hominum, quàm variè vnum tamen contendit in mortem pauper, cum opes infeliciter quærit, quas feliciter non habet: Diues cum diuitias putat ſe non habere, quas habet, in vno nititur auaritia: bacchatur in alio: in vtróque creſcit: in vtróque non deſinit. Veruntamen eos vno momento exigua humus & peræquat, & ſatiat, quod cum tota ambitione ſua non poteſt aurum. Hinc vnus pecuniam ſuam tanquam hominum proponit, vt facultates ad ſe attrahat alienas: quam peregrinantem ferali ſupputatione nutrire non deſinit, vt ſummá quærat, non quam commodatio dedit, ſed quam ei pepererint armati numero dies, menſes, & digiti. At plerúmque cum ſua ſibi induſtria fœnerator etiam ipſe nudatur ei cum caſu aliquo fraus, inopia, fuga, mors extorſerint debitorem: auaritiæ enim naturale eſt, vt auariorem faciat: plerumque plus tulit auaro, quàm præſtat, ac ſic ſæpe contingit, vt merito perdat etiam ſua, qui deſiderat aliena, illic alius vias viatoribus cludit: arcet ab herbis: arcet à ſyluis: arcet ab aquis. Et quidem copioſis vacantibus plurimis negat hominibus, quod auibus, ſerpentibus, feris non poteſt denegare, mera profectò veſania eſt, beneficiis inuidere naturæ. Alius inde rerum omnium captat annonam: aucupatur diſtrahendi tempus, minor in menſura, maior in pretio: negat ſe habere, quod diſtrahat, vt rogetur, vt iuguler, atque vtinam incorrupta ſpecies venderetur, ingemiſcit præterea, ſi annus eſt ſterilis, multò magis, ſi fertilis fuerit: illic, quia parum diſtrahit: hic, quia non ſolus. Vultis ſcire, quantis ſit tenebris obuolutus? iraſcitur Deo, ſi non ſemper fiat publicis luctibus diues. Benè benè, cum quis quærit aurum, inuenit gladium. Inter hæc nemo conſiderat conditionem fragilitatis humanæ: nemo hoſtem: nemo fiſcum: nemo latronem: nemo domeſticum, qui cognitione ſecreti eſt omnium peior: nemo imminentes diei iudicij flammas, per quas omnes nudi tranſituri ſumus. Solum colitur, de quo dictum eſt, Idola gentium argentum, & aurum: pro quo quis aut iugulatur, aut iugulat. Vellem ſcire tamen, tanta eius rabies quid voluptatis habeat: ſuo cultori quid præſtet? Febrem non extinguit: morbos non diſcutit: vulneribus non medetur: dolores non tollit: mortem non repellit: niſi quod ſanet occidit, nec manducatur aliquando certè, nec bibitur: nec in inferno cum ſuo prædone deſcendet, ſolum quod oculos infelices, inanémque conſcientiam ad hoc in maligni fulgoris cupidinem diram ſpe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occiſus. Sed nos nó ad auaros, ſed de auaris ſermonem fecimus fratres, alioquin ſolis diuinis exemplis oportuerat perorare, eſſet ſi quis hic talis, ſed quia in vobis fides, & pietas, quæ eſt idonea expultrix auaritiæ, manet, atque gloriatur, digni eſtis vniuerſi aurum, argentúmque non tam habere, quàm eſſe: nam vos eſtis aurum viuum Dei: Chriſti vos argentum: vos Spiritus ſancti diuitiæ: vos, ſi terrena metalla contépſeritis, longè his vitæ veſtræ theſaurus: vobis auro conſtructa ætheria illa ciuitas deſtinata eſt, nulla intrare volentibus mora patent duodecim portæ: habitacula præparata ſunt infinita, nemo ſit de manſione ſolicitus, certè gloriæ noſtræ inſignis res erit, ſi Dei ciuitatem felicitate noſtri numeri fecerimus anguſtam. Itaque eſtote ſecuri, nihil in illa deeſt vnquam: nihil ab ſuo ſtatu aut tollitur, aut declinat, omnia bona, atque perpetua exuberát paſſim. certè quod primum eſt, nemo eget: nemo inuidet: nemo furatur, nemo rapit: nemo proſcribit: nemo iugulat: moritur nemo: omnes felices: omnes vnanimes:

A omnes immortales: omnes ſunt ſemper æquales, quod vnius eſt, omnium eſt: quod omnium: ſingulorum. Vultis ſcire, quæ illic beatitudo verſetur? nemo ſuam veſté, nemo ſuas margaritas abſcondit: nemo lapides pretioſos: nemo aurum: nemo argentum: & tamen nullus timet furtum.

De auaritia Sermo II.

AVARITIA quàm facilè arguitur ab omnibus, vtinam poſſit tam facilè non amari: eſt enim artifex, ac dulce malum, & hominibus vniuerſis ſemper infeſtum. Denique non habentibus diuitias habendi iniicit cupiditatem: habentibus adimit ſatietatem, ita omnes in rabiem vna tempeſtate præcipitat, vt vbi nam ſit maior, ignores. Eſt autem

B ſimilis igni arida pabula depaſcenti: quæ niſi finiant, nó finitur. Hanc mediocres fraudibus excolunt: diuites in potentia: iudices gratia: diſerti mercenaria ac duplici lingua: reges ſuperbia: negotiatores aſtutia: inani pauperes voto: cultores Dei odio ſimulato: totæ autem gétes, vniuerſæque nationes gladio, per orbem totum veſana bacchatur nouis, ac variis artibus feruens: nunquá quieta, non die, non nocte, non bello, non pace: nunquam ſatur: lucrorum enormitate miſerior. nouum calamitatis eſt genus, quod tantummodo creſcit: ſeneſcere ignorat. Non illam parentum pietas frangit: nó dulcedo liberorum: non coniugalis affectus: non cara germanitas: non ius amicitiæ: non tener pupillus, non dura viduitas: non miſeranda paupertas: non Dei cótemplatio: ecce enim his omnibus, prout poteſt, variis artibus

C aut adulatur, aut nocet, ſi quid habuerint, tantum vt tollat. Cui autem parcat, quæ & mori momentis omnibus, etiam friuolo, ac turpi lucro feſtinat? Quid igitur miſer homo auri, argentique metallo incenſus vana cupiditate, vana cura torqueris? Quid talentorum magnas ſtruis congeries? Quid hic remanſura peruigil ſolicitudine caſſa, nec tibi ipſi inde aliquid concedendo illibata cuſtodis? Inſuper de inopia quereris, qui, quod habes, neſcis; quicquid feceris, nihil horum tecum ad inferna portabis: quod enim naturæ eſt, de loco ad locum transferri poteſt: ei autem ſubtrahi non poteſt. Denique aurum, argentumque, penitus quod eruitur, magnopere terræ viſceribus iterum celandum terræ mandatur: etenim res eſt, quam habere falſum eſt gaudium: certiſſimum peri-

D culum publicare. Sed non opus eſt ire per ſingula, cum vno exemplo noſcantur vniuerſa eius mala, propheta dicente; Idola gentium argentum, & aurum. Vnde apparet eum, qui diligit aurum, & argentum, non tantum deos colere, ſed eorum mores, & actus imitari, cuius rei facilis probatio eſt illa, cum interim † quàm noſtra ſunt, videmus. Aurum, argentúmque Chriſtianæ, ſi vera dicenda ſunt, execraris in ſimulacris ſolis, in penetralibus tuis: nam & illic aureis, argenteiſque innumerabilibus veluti templis rerum moneta percuſſis ineſſe ſimiliter regum vultus, ſignáque cognoſcis: nihilque aliud diſtat, niſi quod in tua domo minuta ſunt, in templo maiora: quæ ſi erogaueris, pecunia eſt: ſi ſeruaueris, ſimulacra. Ancilla Chriſti falſum idolum reſpuis: mihi crede, in te colis, cuius ornatum, cuius imaginem non deponis, ad

E Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta, vbique delicata, ſub mollibus fortis. Denique ipſo cultus rigore in oratione non flecteris: non manus tendis: tumidum monilibus pectus proſternere dedignaris, ſanè ceruicem curuas nó religione, ſed pondere, quádo ἐξομολόγησιν facies, quæ plus pro ornatu es, quàm pro ſalute ſolicita? Quid auté à Deo impetrare te poſſe credis, quæ eum per id, per quod iraſcitur, deprecaris? Aperi tandem oculos cordis, inuenies te inſultare potius, quàm rogare. Poſtremò, fratres, non poteſt timere maritum, quæ nó timet Chriſtú. Inde eſt, quod coniuges nuptiali ſanctiſſimo repugnantes iugo pro ſe quiſque nitentes, amore videlicet nimio hæreditatem captat alter alterius: quòd parentes filios, ſi,

† al. quæ.

lij parentes oderũt: quòd amicitia magis io facie alludit, quàm in cordibus commotatur: quod omne genus humanum ſuo interitu, ſuiſque calamitatibos delectatur, viliorem habens animã, quàm pecuniam. Inde eſt, quòd iuſtitia, honeſtas, pietas, fides, veritas perit: quòd Deos ipſe momentis omnibus patitur cõtumeliam, cuius præcepta contemnuntur: cui cultus, cui amor mundi præponitur: quoduis etenim piaculom, ſcelus, dedecus, nefas libenter admittit, cuius præcordia implacabilis cupiditas peſtifera flamma repleuerit. Sed hæc non ad vos, fratres, quorum largiras prouinciis omnibus nota eſt, quorum pia ſemina totius quodammodo orbis per mẽbra iactantur, à vobis multi redempti: multi edictis feralibus liberati: multi conditionibus exuti gratias agunt, veſtræ domus peregrinis omnibus patent, ſub vobis viuus, mortuúſque diu nũquam viſus eſt nudus. Iam pauperes noſtri alimenta rogare non norunt. Iam viduæ, atque inopes teſtamenta conficinnt. Plura ad laudem huius beatitudinis veſtræ poſſem dicere, niſi eſſetis mei, vnum tamen præ gaudio tacere non poſſum: fœnerando paoperibus omoes copias auaritiæ ſubactas veſtrum ſine innidia transfertis in cenſum. Quid enim eſſe poteſt ditius homioe, cuius profitetur Deus ſe eſſe debitorem? qui eſt benedictus in ſæcula ſæculotum.

De auaritia Sermo III.

REcte, fratres, ſicut audiſtis, Deus odit auaritiam: eſt enim libido profuoda: cupiditas cæca, tempeſtas inſana: rapacitas ſine fine: ſolicitudo ſine requie: ad ſua nunquam perne- C niens vota: quia ſatiati non nooit: fidem frangit: charitatem negligit: iuſtitiam negar: oon cognoſcit affectus: iura diuioa contemnit: humana verſutis argumentis excludit, orbem totum, ſi poſſit, vt rapiat. Vultis ſcite quale calamitatis ſit geous? ſanè plus in eum, qui eam dilexerit, ſæuit: quam qui vicerit, habebit vitam æternam.

Sermo de liuore & inuidia.

BOnus eſt Deos: & indignis largitur quæ bona ſunt, malus eſt diabolus: & malitiam, quam ſemel ipſe concepit, hanc etiam homines docet. Sicut proprium eſt boni Dei liberalitas, & largitio: ita proprium eſt diaboli liuor, & io- D uidia. Et ideo obſeruemus, fratres, vitij huius incurſum, ne fortè participes operum diaboli efficiamor, & pati cum eo ſententia condemnemur: ſi enim ſi quis elatus eſt & ſuperbus, in iudicium incidet, & laqueum diaboli, quantò magis inuidus pœnam diaboli & ſententiam noo euadet? Nihil igitur hnmaoæ inuidiæ malo peroicioſius accidere poteſt, quod malum lædit parum quidẽ etiam eos, in quos intenditur: grauius verò & pernicioſius eos prius, à quibus procedit, affligit: ſicut enim ærugo ferrum, ita inuidia illam ipſam animam, in qua eſt, interimit, & conſumit: & ſicut aiuor viperas dilacerato & exeſo illo ipſo materno vtero, qoo conceptæ ſunt, naſci, ita & inuidiæ natura illam ipſam ante omnes, qua cõcepta eſt, vel ex qua generatur, animam cõſumit, & perdit: triſtitia námque, & mœror quidam de proſperitati- E bus proximorum eſt inuidiæ vitinm: & ideo nunquam deeſſe poteſt iooido mœroris occaſio. Si ager proximi opimis fructibus lætus ſit: ſi abundet ſucceſſibus facultarum: ſi lætetur animo, & proſperitatibus gaudeat, hęc omoia, velut pabulum quoddam ſunt, & nutrimentum languoris inuidiæ, oec differt à oudo homine, eo quod poteſt telis vodique iocurſantibus transfodi. Si virum fortem videat & robuſtum: vnum iſtud eſt vulnus inuidi, decorũ alium vidit, & forma præcipuum: aliud iſtud iouidi telum eſt. Virtute animi clarus eſt quis, & prudẽtia cæteros emioens, ſermonis quoque prolatione, ac virtute magnificus: ſecat hoc quoque maximè inuidum & interna mente diſcruciat. Alius augeſcentibus diuitus ſuis conſultè vtitur, & cenſum ſibi à Deo datum com- A munem cum indigentibus facit, miſericordia clarus efficitur, & in omnium laude humanitatis beneficiis celebratur: omnia hæc cor inuidi fodiuot, & eò ſæuior eſt vis doloris, quò eum ne proferre quidem, aut publicare poteſt: ſed eſt quidem ſemper in gemitibus, & mœrore, ac mente confuſus, & totus malo vitij craſſantis aſſumptos, nec interrogatus tamen poteſt indicare languorem: erubeſcit enim enuntiare in publicum, quia tabeſcit inuidia, quia amici bonis, & ſucceſſibos proximi ipſe conſumitur, qoia fratris bona ſua mala ſunt, hæc enim dicturus eſt ſine dubio, ſi velit, quæ vera ſunt, dicere. Verum quooiam erubeſcit horum aliquid confiteri, recondit, & celat intrinſecus morbum ipſa eius interna viſcera conſumentem. Neque ergo medicum lan- B gooris ſui aſſumere, neque remedij aliquid inuenire poteſt, cum præcipuè omnes ſcripturæ repletæ ſint verbi Dei medicamentorum, quibus poſſint iſta curari: ſed inde quidem remedium nõ requirit. Vnum aotem ſolum ſibi remediom putat, ſi fortè ei, cui inuidet, infauſtum aliquid accidat: ſi aliquid lapſus occurrat. Hoc tantummodo ad languoris ſui remedium ducit, ſi eum, qui paulò aote clarus, ac beatus habebatur, infelicem videat, & deiectũ, tunc iam & amicus efficitur: tunc & fletus ſuos ſociat: tunc & lachrymas mutuatur, cum eum, cui inuidebat, fleotem viderit, & lugentem: & gaudere quidẽ cum gaudente non pertulit: nuoc vero gaudio flet cum flente: nõ enim humanitatis gratia tanquam communis caſus mortalium miſeratur, nec abſtergit animo prioris vitij maculam, ſed vt grauiore lapſu ſenſum doloris in- C fligat. Si fortè accidat filij orbitas, tunc amplius in defuncti laudibus commoratur: & mille præconiis magnificat puerũ, vt vultu decorus, & acer ingenio, vt ad omnia aptus, & commodus: & laudat ipſe defunctum, cuius viueotis laudem oe ab alio quidem prolatam ferebat audire, ſed in hoc ipſo cum laodat, ſi videat etiam alios vel ſimilia, vel etiam præſtanoiora ſentire, cootinuò conuerſus morbum demonſtrabit iouidiæ. Miratur, & laudat diuitias: ſed poſt ruinam decorem vultus, & corporis robur io languoris macie, & tabe ægritudinis prædicat: & in omnibus inimicum ſe præſentium ſeruat, amicum verò percuntium. Quid igitur hoc morbo tetrius? quid humanæ vitæ pernicioſius? quid tam naturæ inimicum? quid tam Deo ipſi aduerſum? Nec mirum: nam & D ipſum malitiæ principem diabolum aduerſum humaoũ genus nihil aliud, quàm inuidiæ morbus accendit: per hanc námque ſtimulatus etiam Deo auſus eſt repugnare: etenim aduerſus Deum indignãs pro his donis, quæ homini conceſſerat, quoniam in ipſum Deum nihil poterat, homini, quem diligebat, perniciem, mortémq; molitus eſt. Eadem nihilominus etiam Cain perpetrauit primus diaboli diſcipulus, ab ipſo & inuidiæ vitium, & homicidij opus edoctus, ſocia ſibi, & cognata crimina: quę etiam ſanctus Apoſtolus velut à ſe inuicem indiſſociata ſimul, paritérque commemorat, dicens; Pleni inuidia, homicidiiſque. Quid ergo eſt, quod in hac parte egit diabolus? Vidit honorem, qoi à Deo datus eſt homini: & cootinuo incenſus inuidia eſt, vt ioterimeret eum, qui fuerat honoratus à Deo: ſine dubio vt ad eum reduoda- E ret iniotia, qui præſtiterat gratiam. Verùm quia ipſe aduerſus Deum pugoare oon poterat, aduerſus fratrẽ pugnare hominem docuit, fugiamus ergo, fratres, vitij huios cauſam: quæ prima aduerſari Deo docuit: quæ parricidij extitit mater: quæ oaturæ iura confudit: quæ ignorantiam conſanguinitatis inuexit: quid enim cootriſtatis, ô homo, cum oihil mali perpeſſus ſis? quid impugnas eum, qui tibi videtur in bonis degere, cum te in oullo defraudaoerit? quid ſi aliquid etiam tibi profuit? oihil aliud agere videris: quàm tuiſmetipſis bonis, & vtilitatibus iouidere. Talis erat & Saul: qui beneficia Dauid ad occaſiooẽ perſecutionis eios, & impugnationis accepit, primo quidem per ſpiritalem illam citharam diuinitùs modulatam, & plectro ſancti Spiritus pulſam ab incurſione

ſione dæmonis liberatus eſt. Verùm qui hæc beneficij memor rependit? pro ſalutifero plectro haſtam mortiferam retorquet in Dauid, tum deinde belli diſcrimine ſimul, & opprobrio liberatus proſtrato Golia, cui nullus prouocanti audebat occurrere, quoniam pro hoc mulierum exultantium chori in hymnis triumphalibus ad eum, qui fortiter fecerat, collatæ ſalutis gratiam referebant, dicētes, Percuſſit Dauid in decem millibus & Saul in millibus, pro hac ſola re, quæ ex ipſa veritate proceſſerat, ad inſidias, & interitum eius, qui ſalutem patriæ contulerat: incitatur: & cum eum profugum, atque extorrem finibus patriis feciſſet, ac ſedibus, nec ſic quidem ceſſauit inuidia: ſed & armatos mittit poſt ipſum: & aliquando mille, aliquando tribus millibus eum bellatoribus inſectatur: ſed & ſi ad deſerta cōfugit, & ſi apud ἀλλοφύλους latitat, ne ibi quidē parcit: ſemper inſidiatores mittit poſt ipſum: ſemper dolis & factionibus circūuenit eum, cuius beneficiis intra conſcientiam ſuam ſe nouit obnoxiū. Si ergo interrogetur, quæ belli cauſa eſt, quid aliud reſpondebit, niſi beneficia viri cauſam ſibi eſſe odiorum? qui etiā eo ipſo tempore, cum ab eo quæreretur ad mortem, nocte ab eo dormiens deprehenſus, & abſque vlla dubitatione expoſitus ad interitū, ac traditus in manus inimici reſeruatur tamen, & indulgetur, & ad pœnitentiam remittitur. Et eſt teſtimonio nox illa, in qua commaculare iuſtus manus ſuas in ſanguine proditi, & expoſiti ſibi perſecutoris abſtinuit, nec tamen his tantis, ac talibus beneficiis meris inuidi flectitur: ſed rurſum mouet arma: rurſum perſecutiones excitat nequiores. Sed nihilominus in manus traditur: & rurſum in ſpelunca deprehenſus oportunus fit neci: in quo & pietas quidem, & miſericordia Dauid magis clareſcit: & Saul malitia, vel crudelitas manifeſtiùs declaratur. Nihil ergo his inimicitiis difficiliùs: quæ ex inuidiæ amariſſimo fonte deſcendunt: quoniam quidem his, qui ex aliis occaſionibus inimici ſunt, ſi alter ſubtrè aggrediatur alterū beneficiis vincere, continuò ferocitas mitigatur: In inuidum autem ſi beneficia conferantur, multo amplius inflammatur: & quantò plura fuerit conſecutus, tantò maioribus incendiis conflagrabit: magis enim iraſcitur, & dolet, quod ab eo boni aliquid conſequitur, quē nolit quicquam boni vel habere, vel poſſe præſtare. Quam feram beluam, quos venenatos ſerpentes mores iſti non ſuperant? Canes beneficij memores videas: leones, cæteræque feræ miteſcunt, & vincuntur ad gratiam. Soli inuidi beneficiis grauius inflammantur. Quid etiam fortiſſimum illum, & nobiliſſimum virum Ioſeph ſeruum fecit? nónne inuidia fratrum? in quo etiam admiratione digna eſt vanitas ipſa commenti: pertimeſcentes enim exitum ſomniorum, fratrē ſubiiciunt ſeruituti: quo ſcilicet ſeruus effectus non poſſit à liberis adorari. Sed ſiquidem vera ſunt ſomnia, quid proderit argumenti genus? ſi impleri neceſſe eſt, quod prædictum eſt, ſuperflua eſt obſiſtentis intentio. Si vero fallitur adoleſcens in ſomniis, fruſtra inuidetis erranti, non inuidia, ſed miſeratione dignus eſt, qui illuditur. Sed multo aliter, quàm opinabantur, callida eorum commenta diuinæ prouidentiæ diſpenſatio temperauit: per ea námque ipſa prædictorum finis ſtruitur, & impletur, per quæ putabatur arceri: certum eſt enim, quia niſi venundatus fuiſſet, Ioſeph vtique in Ægyptum non veniſſet, nec pudicitiæ tenax dominæ laſciuientis inſidias incidiſſet, non fuiſſet retruſus in carcerē, nec moſtris Pharaonis familiarior extitiſſet, nec ſomniorum regis interpres fuiſſet adſcitus. Ex quo etiam ſummam poteſtatem regēdæ Ægypti, moderandæque ſortitus eſt: & pro frumentaria diſpenſatione à fratribus ſuis ob hoc ipſum illuc properantibus adoratus eſt. Verum tranſeamus ad ſpeciem illius inuidiæ, quæ omne piaculi genus humanæ conditionis excedit. Iudæorum odium aduerſum Saluatorem non ex inuidia deſcendit? & quæ erat inuidiæ cauſa? mirabilia ſignorum. cuiuſmodi vero erant mirabilia? Salus animæ, & corporum ſanitas. Paſcebantur eſurientes: qui paſcebat, impugnabatur: vita mortuis reddebatur: & is,
A qui vitam tribuebat, inſidias vitæ per inuidiam ſuſtinebat: dæmones fugabantur: & imperanti dæmonibus doli ab hominibus tendebantur, leproſi mundabātur: claudi ambulabant: ſurdi audiebant: cæci videbant: & qui huiuſmodi gratiam largiebatur: ab hominibus fugabatur, flagris ſeruilibus affligebant eum, qui mortalibus venerat reſtituere libertatem: & iudicabant homines iudicem mūdi. Ad vltimum verò eò vſque piaculi furor prorupit, vt auctorem vitæ morte mulctarent. Sic omnia mala ex radice naſcuntur inuidiæ: & hoc vno tanquā validiſſimo mucrone vſus ab initio mundi vſque ad conſummationem eius diabolus omnes penè animas trucidauit, ac perdidit. Denique nihil omittit, qui pro eo, quod ipſe inuidiæ paſſione deiectus eſt, etiam nos lapſu ſimilis vitij delere ſtudeat. Idcirco ſapientiſſimus Salo-
B mon cum homine inuido nec cœnandum quidem ſuadet, vel ad conuiuium veniendum, per hoc oſtendens, quòd totius vitæ noſtræ tempore a conſortio hominum, qui in huiuſcemodi vitiis irretiti ſunt, alieni prorſus, & ſegregati eſſe debeamus: ſicut enim aridam quàmq; fragilémque materiam ſtudiū nobis eſt procul ab igne ſtatuere, ita oportet, quantum fieri poteſt, ab omnibus inuidorum non ſolum amicitiis, verum etiam fabulis, & colloquiis ſegregari, & velut à malignis, & venenatis iaculis occultari: non enim poſſibile eſt aliter incurrere in inuidiam, niſi notitiæ, & familiaritatis obtētu: quoniam quidem ſecundum Salomonis ſermonem inuidia viro ab amico ſuo eſt, verè enim ita ſe res habet: non enim Ægyptio inuidet Scytha: aut Britanno Indus æmulatur,
C ſed vnuſquiſque gentis ſuæ hominibus, & contribulibus inuidet: & non ignotis quibuſque, ſed vicinis & proximis, ac familiaribus ſuis, immo verò his, qui vel artificij eiuſdem, vel officij, vel operis exiſtunt. † Amat etiam proximas ætates morbus inuidiæ: nonnunquam & in propinquo ſanguinis, atque inter ipſa ſæpe fraternæ germanitatis iura graſſatur, & prorſus ſicut rubigo propria † ferramenti corruptio eſt, & ita amicitiarum propria corruptela peſtis inuidiæ eſt. Sed & illud in cauſa huius lāguoris vel admirari iam quis poterit, vel laudare, quod quāto ampliùs creuerit, tantū ſit pernicioſior ei, cui creſcit: ſicut enim omne iaculum, quod vehementius fuerit intortum, ſi fortè in aliquod ſolidum, & durum corpus illiſerit, in eum continuò, qui iecerat repercuſſum iacu-
D lum retorquetur, ac reſilit, ita etiam inuidentis motus, & animorum telum, cum nihil nocuerit eum, cui intenditur, vulnus tamen intendentis efficitur: nemo námque triſtitia ſua vnquam imminuere bona proximi potuit, æmulans tamen ſeipſum tabo cōficit inuidiæ. Et ego quidem arbitror venenatis, & mortiferis ſerpentibus morbi huius eſſe venena grauiora: nam ab illis aiunt, cum prius morſus corpori defixerint, per vulnus dentium venena diffundi: inuidiæ autem virus interdum etiam ſolo aſpectu infunditur oculorum, nonnunquam etiam ſolo concipitur auditu: continuò námque, vt viderit quis, vel audierit ea, quæ non vult de his, quibus inuidet, ſtatim dilabitur, ſtatim corruit, ſtatim tabeſcit: & quamuis decori vultus, quamuis ſolidi ac ſani ſit corporis, repente velut ictus venenati ſerpentis morſibus conſumitur,
E & tabeſcit venenis noxij rheumatis per oculos vſque ad cordis arcana penetrantibus, ac viſcerum interiora vaſtantibus, ſed ego omitto tali aſſertione vti, vulgatis eorum videbitur ſermo: illud tamen dicam, quoniam aduerſarij humani generis dæmones, cum viderint propoſitum hominis ſuis ſtudiis aptum, ad omne facinus voluntatis ſuæ velut organo abutuntur. Ecquid non perhorreſcis miniſter effici dæmonum? ſed recipis in te malum, per quod inimicus exiſtas his, qui te non læſerunt? Inimicus quoque Dei es: apud quem omnis bonitas abſque inuidiæ macula eſt. Fugiamus quin immo malum, quod magiſterio ſerpentis edoctum eſt: quod à dæmonibus adinuentum eſt: quod inimicus homo bonis Dei ſeminibus ſuperſeuit. Fugiamus inuidiam

† al. armat.

† al. frumēti.

obicem pietatis, obſtaculum regni cœlorum, viam gehennæ, pignus, & primitias quaſdam pœnæ perpetuæ. Sed ipſo quoque interdum vultus non minus inuidi declarantur: abſtruſior námque his oculus, obſcuriores genæ: demiſſum, & triſte ſupercilium: animáque ipſa paſſione deiecta, & penitus incuruata nuſquam veritatis iudicium in negotiis ſeruat. Nullum virtutis opus apud illos habetur in laude: non ſermo vllus honeſtus eis videtur, aut gratus, nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: ſed ſicut vultures iocunda quæque, & amœna loca tranſeunt: & ſuauiſſimis odoribus reſpirantia tranſuolant prata: ad fœtida verò quæque cadauera, & loca tetris repleta nidoribus conuolant. Et ſicut muſcæ omiſſo ſano corpore, ſicubi vulnus eſt, concitæ, præcipitéſque conueniunt, ita & inuidi, ſi quid ab aliquo in hac vita benè geſtum eſt, ſi quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum eſt, nihil prorſus vident, nihil retractant. Sicubi autem quid aut culpabiliter geſtum, aut incauto ſermone prolatum, vt accidere hominibus ſolet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant, & notitiam viri non ex bonis geſtis, dictiſque, ſed ex minus probabilibus fieri volunt, quo malo quid nequius? quid tetrius? quid pernicioſius dicam: Omittere, & reticere ea, quæ laude digna ſunt, rimari verò, ſicubi quid inueniat, quo opus virtutis ex accidentis culpæ occaſionibus criminetur? Denique iſti tales magnanimum quemque virum proteruum vocant: conſtantem verò, & patientem ſine ſenſu doloris appellant: ſobrium acerbum dicunt: iuſtum crudelem: prudentem callidum vocant: liberum arrogantem criminantur: liberalem vero luxurioſum dicũt: parcum auarum nominant: & omnes prorſus virtutum ſpecies decolorare contrariis, & à malitia aſſumptis appellationibus geſtiunt: ita vt ſæpe etiam inuidos, quibus ipſi inuident, nominent. Quem igitur in accuſatione, & in obtrectatione vitiorum ſermonis terminum dabimus? ſed hoc ex parte remedium eſt: nam oſtendere ægro magnitudinem morbi, & per hoc concitare eius ſollicitudinem, ne langoris vim negligat, pars videbitur medicinæ. Verum ſi in hoc eum reliqueris gradu, nec remediorum oſtenderis viam, nihil aliud eſt, quàm ſalutem prodidiſſe languentis. Quid ergo eſt quomodo vel vitandus eſt morbus, ne patiamur, vel ſi patiamur, fugiendus? Primo, vt mihi videtur, ſtatuere debemus apud animos noſtros, nihil magnificum, neque expetẽdum quicquam eſſe in rebus viſibilibus, non opulentiã magni pendere, neque florentis gloriæ tumorem mirari non robur, & valetudinem corporis: nihil enim eorum, quæ temporalia ſunt, prætereunt, opinandum eſt bonum: neque omnino horũ aliquid, quæ videmus: quoniam quæ videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. Ideo ergo eum, qui affluit diuitiis, dignum non putemus inuidia: neque is, qui ſublimitate præcellit, æmulatione dignus habendus eſt pro magnitudine poteſtatis craſtino nuſquam futuræ: ſed neque corporis virtus, & magnificum robur ad inuidiam veniat vnius febriculæ caloribus reſoluendum: niſi fortè quis velut virtutis organis his vtatur ad vtiles atq; optimos actus: is enim, qui indulta ſibi corporis fortitudine abutitur ad impia, ac proterua miniſteria, nihil aliud eſt, quam ſi quis acceptum ad hoſtem repellendum gladium in ſuum vertat exitium. Quod ſi quis conceſſas ſibi à Deo facultates in miniſteriis indigentium, & pauperum ſuſtentatione diſpenſat, iſte non inuidia dignus eſt, ſed amore: qui deliciis, & voluptatibus ſuis neceſſitatem pauperum prætulit: & communem ſuum victũ cum fratribus fecit. Tum deinde eminet quis per prudentiam: & accepta gratia verbi Dei ſcripturæ ſenſum aperit, & obſcuritates diuini, & prophetici ſermonis exponit, quis vnquam talibus aduerſetur? quis diuini muneris beneficia tetralis inuidiæ labe contaminet? maximè ſi ea, quæ dicuntur, per ſancti ſpiritus donum, & gratiam depromantur? & ob hoc etiam auditorum fauor, & collaudatio proſequatur? Sic habe te, quaſi tuũ A ſit iſtud bonum: & tibi per fratrem à Deo doctrinæ deſtinatum ſit donum, ſi tamen libenter promptéque ſuſcipias. Tum deinde venam quidem fontis largius profluentem nullus obturat: nec à ſolis ſplendore vllius prohibetur obtutus: & nemo inuidet alij ſolem videnti, nec ſupra cæteros, ſed cum cæteris habere eis ſufficit participium lucis: & tu verbo ſpiritali in Eccleſia profluenti, & per gratiam ſancti ſpiritus pietatis dogmata proloquenti non cum lætitia admoues, & adiungis auditum: & ſtrueris, ac proficis, ſed mordet te, & ſtimulat audiẽtium fauor: & optares, vt nemo proficeret tantum, vt nemo laudaret. Et quæ erit huius rei excuſatio apud cordium noſtrorum iudicem Deum? Si ergo, vt diximus, abundat quis in facultatibus; vtitur autem eis tam com- B modè, quam ſermo diuinus edocuit, communem ſibi cenſum cum indigentibus ponens, non inuidia tali iſte, ſed charitate dignus eſt, & amore. Si vero è contrario agat; id eſt, vt facultatibus, quas honeſtè diſpenſare debuerat, abuti per luxuriam, ac turpitudinem properet, nec ſic quidẽ omnino inuidia, ſed miſericordia dignus eſt: quoniam quidem nec laude aliquid dignũ, ſed probris, & vituperationibus gerit. Similiter & is, qui abundat in verbo, ſi quidem per gratiam Spiritus loquitur, ſi vitæ ſuæ merito commendat, & probat, vera eſſe, quæ prædicat, ſi non refragantur doctrinæ verbis geſta doctoris, ſi denique Spiritus ſancti voluntati miniſtram tãtummodo exhibet linguam, inuidere talibus, & aduerſari nihil aliud eſt, quàm dicere, nolle Dei mandata hominibus innoteſcere: nolle homines de morte ad ſalu- C tem, vitámque reuocari. Si vero is, qui loquitur, non ſecundum Deum loquitur, nec per gratiam Domini docet, ſed verba profert humani tantummodo ingenij arte compoſita, nihil in ipſis diuini Spiritus, nihil, quod cor fodiat, conſcientiam pulſet, lachrymam moueat; ſi denique vita, moréſque doctoris prolatis refragantur eloquiis, ſi aliena ſunt ab actibus, & moribus ſuis ea, quæ alios docet, nequaquam (quæſo) erga tales excitetur inuidia; reclamat enim his continuo Apoſtolicus ſermo, & in os eorum ad faciem retorquetur dicẽs, Qui doces alium, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium committis, quinimmo miſeratione, vt diximus, & luctu digni ſunt iſti. D Tu verò audi commonentem te Dauid per Spiritum ſanctum, & dicentem; Noli æmulari inter malignantes neque æmulatus fueris facientes iniquitatem: quoniam ſicut fœnum citò areſcunt, & ſicut olera herbarum citò decident. Decet ergo ſeruum Dei neque viris bonis inuidere, & ſuper falſis, ac ſimulatis dolere: æmulationem potius ad imitanda bona, quàm inuidiam capere. Si vidiſti ſobrium, ſi prudentem, ſi ſapientem, ſi conſtantem in certaminibus pietatis, ſi quidem & tu talis es, dilige & illum, quaſi alterum te. Si vero aliquid tibi deeſt, imitare eum, cuius vitam laudabilem vides. Hoc autem ſtudij modo & apud temetipſum proficies, & apud eos, qui te vident, laudabilis eris: hæc enim eſt natura virtutis, vt per arbitrij libertatem à quocunque E volente, & laborante facilè poſſit acquiri: in nobis nanque poteſtas huius ſtudij ſita eſt: nam diuitias, pulchritudinem corporis, robur, & cætera huiuſmodi, quæ putantur eſſe corporea bona, non eſt in noſtra poteſtate, vt habere poſſimus; ſed maius bonum, quod verè bonum eſt, id eſt virtus animi merito ab omnibus, qui rectè iudicant, cunctis bonis corporeis præferendum eſt. Cur quod ſummum, & verè bonum eſt, & in noſtra poſitum poteſtate, negligimus imitari? pro his vero bonis, quæ falſa ſunt, nec bona iure dicuntur, tam intentis ſtudiis agimur, vt pro his pernicioſiſſime cladi ſuccumbamus inuidiæ. Sed ne illud quidem commotionem noſtri ſermonis euadat, non vides, quantum malum in vita hominum obtineat ſimulatio: & hæc de inuidiæ ſtirpe procedit: nam bilinguem eſſe hominem & duplici mente

non

non aliunde, quàm de inuidia naſcitur? in profundo námque cordis odium tegit: in labiorum vero ſuperficie coloratam dulcedinem profert, ſecundum obrectos marinis fluctibus ſcopulos, qui exiguæ aquæ reſperſione cooperti ignorantibus & incautis improuiſa naufragia moliuntur. Si ergo etiam mors nobis inde velut ex malignis fontibus influit, id eſt, cum decidimus à bono cum alieni efficimur à Deo, cum ſanctitatis ordinem, pacémque confundimus, cum totius honeſtæ vitæ iura violamus fugiamus eam, & acquieſcamus magis ſuadenti Apoſtolo, & dicenti; Nolite effici inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes: ſed magis benigni, miſericordes, donantes vobis ipſis delicta, ſicut & Deus donauit vobis in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cum quo eſt Deo patri cum Spiritu ſancto gloria in ſæcula ſæculorum.

Sermo de S. Arcadio martyre.

DVm beati Arcadij martyris geſta annalibus triumphanda mandamus, in agone immortalis laudis Chriſtianus ſemper ardor animatur. Erit geminum de religioſitate commercium, cum ad cœleſte præmium populus accẽditur, & de martyris meritis non ſiletur. Sed quis illuſtris martyrij palmiferam trophæis coronam competenti valeat ſermone diſſerere, dum in vno corpore tot martyria videantur eſſe, quot membra? Armauerat diabolus ſatellites ſuos in Domini populum veterani odij aſſertor antiquus, & totam familiam Domini impaſtæ feritatis graſſatione turbabat. Indixerat in homine Deo bellum, & infauſtæ ſuperſtitionis buſto in nefas conſcium toto mundo refecerat rogum. Scatebat per tecta culminum publicum ſcelus: nec fuerat locus, in quo non erat pro religione ſacrilegium. Cogebatur Chriſti populus vanis ſuperſtitionibus intereſſe, atque in cultum nefandi ritus nunc aut libamina inceſtè profundere, aut ornatas ſertis victimas trahere, aut grauia nidoribus thura ſuccendere, aut inter fumidos ignes pallẽti atuina funeſto ſanguine prolitare, vt illiciti adminiſtratione miniſterij Chriſti panis mentibus poſſit expelli. Sed dum bellum duri certaminis geritur, & familia Domini cœlo ſpectante probatur. Arcadius beatiſſimus martyr huius inopinati ſacrilegij horrore percuſſus paululum diſtulit pugnam iam debitus ad coronam: nam poſtquam turbari vrbem funeſta conuentione cognouit, ac ſingulos quoſque ad funeſtum illud ſpectaculum trahi, contemptis vniuerſis facultatibus ſuis, amputatis radicibus ſeculi, deliteſcens ſeceſſionis ſe commendauit vmbraculo, vtrúmq; Chriſtiano explicans voto, vt & non longius videretur à prælio, & ſecedendo Euangelicæ iuſſionis animaretur exẽplo. Ecce in eius hoſpitium velut in hoſtilem prædam graſſantium ſatellitum præceps irruit manus: feſtinat Dei famulum poſſe deprehẽdi: quem beati propinquus martyris, qui in eius fortè degebat habitaculo, abſentem eſſe aſſiduis vocibus inclamabat. Hinc verò profitentem ad nefandam cuſtodiam noxiæ mentis mancipes rapuerunt: quem oblatum ſibi iubet crudeliſſimus rector acri obſeruatione detineri. Ad futuræ gloriæ teſtimonium tale beatus Arcadius debiti martyrij quodam modo ſequeſtrauerat pignus, in quo nec Chriſtum relinqueret, nec propinquum. Statim beatus martyr ſe latere non paſſus eſt, ſe vltro offerens iudici moram ſuam voluntariè præiudiciis excuſauit. Cui cum prouinciæ rector priſtinæ eius fugæ veniam ſub pactione promitteret, ſi ſe vel ſero nefandis ſuperſtitionibus miſcuiſſet, talibus in eum ſanctiſſimus martyr vocibus exiluit. Quid, inquit, vaniſſimè omnium iudicum? putas ne aut de lucis iſtius incongruis vſuris, aut de properæ mortis ſubitis damnis familiam Dei poſſe terreri, cum ſciamus apoſtolica fide eſſe perſcriptum, Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum? Excogita, quibus potes ſuppliciis tormẽta grauiora: maioribus te furoris ſtimulis accendam: quamuis cruciatus exerce molem, non ideo non potes A ſuperare. Statim iudex viperei veneni felle commotus iubet non vſitata animaduerſione pœnarum, nec vſuali in reos lege carnifices in martyris membra ſæuire. Ceſſauerunt vngulæ: inutiles ictus niſi ſunt plumbatarum: ſtetit contemptus eculeus: crebri fuſtium imbres maioris pœnæ cõtemplatione neglecti ſunt: excogitatur nouum ſtupendúmque ſupplicium, quo ſe in homine vincere crederet Deum. Incidantur, ait, ab articulis manus, à cruribus pedes: viuum ſe cadauer inſpiciat. Cui beatus Arcadius ait: O inſane hominum, fraudauit te furor tuus: adhuc erat in victima Domini, quod poſſis offerre. Amputandam linguam mandare neſciſti, quæ in colluctatione martyrij prior ſolet Domino confiteri. Ductus eſt tandem beatus Arcadius ad exoptatum iuſtis B orationibus locum: & intuens cœlum ſtetit Deo ſpectãte ſecurus. Parauerat extenſa futuris ictibus colla: nudauerat gladiis venientibus iugulum: putauerat ſe feralem iudicis amentiam citæ mortis ſorte ſatiare, dum ſubito manus iubetur extendere, ac ſuper ceſpitem nudus proiectus in faciem, pedum extrema nudare. Ecce inter ipſa ſupplicia vacare non ſinitur, ſed orationis inſtar per carnificis tormẽta meditatur. Erexerat ſecurem percuſſor inſanus, & ſignans oculis vulneribus lineam, feralis ictus aſſidua contemplatione vibrabat. Hæſerant confeſſionis ſuæ glutino intrepidæ martyris manus: nec ſalientes digiti futuræ mortis exitio palpitabant. Tanta fuit in martyris deuotione conſtantia, vt omni corpore paratus veniret ad gloriam. Mox itaque vt deuotũ corpus carnifex vidit, ſtatim cadentis ſecuris ictus neruorũ C connexa diſſoluit, & cunctas compage diſcuſſa iuncturas corporis rupit. Exilierunt exſectæ manus, & venarũ in ſe paululum ſtupore ruſus in ſe riuus ſanguinis ruens. Dehinc poplitibus, ſuriſque porrectis, à germana coniunctione naturæ gladio ſæui latronis plantarum limes inciditur: & obſequio pedum corpus martyris viduatur. Numerent martyria, qui poſſunt numerare ſupplicia: & in vno corpore quantum diabolus publicatus eſt furere, tantum agnoſcatur Dominus triumphaſſe. Sed durat inter hæc martyris ſpiritus, morarum numeroſitate ſeruatus perſtat viuus, parte ſui corporis iam ſepultus. O dignus glorioſi exitus finis. Aſcenſurus altitudinem cœli, corporis ſui impedimenta præmittit, & † exequiis funeris ipſe præcedit. Cui hæc comparanda confeſſio? D Machabæorum eſt iungenda numero: Eleazari eſt adæquanda propoſito, comparãda conſilio. Arcadius beatiſſimus martyr adhuc demoratur in ſęculo, & iam martyr recitatur in cœlo.

† al. exequias.

Sermo de Reſurrectione.

QVISQVIS reſurrectionem negat, vitã ſuammet ipſe condemnat: cur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quem videas ſacrilega incredulitate Dei potentiæ derogare? Sed hoc amore criminum faciunt, vt putent impunita fore, quæ clanculo gerunt: ſi iudicij diei appropinquare iam curſus aduerterent, proculdubio & præſentia odiſſent, & futura crediddiſſent, paritérque metuiſſent: E nemo eſt enim tam vel ab iſtius mundi ſapientiæ guſtu ieiunus, qui audeat dicere animas cum corporibus interire, cœleſtia cum terrenis abſumi: præſertim cum eorumdem ille ſapientiſſimus dicat, hanc eſſe mortem, cũ corpore animus tanquam carcere clauſus tenetur: illam eſſe veram vitam, cum idem animus cuſtodia carceris liberatus ad eum locum, vnde venerit, reuertatur. Si ergo hoc ille ſenſit, qui nõ nouerat Chriſtum, cur dubitet Chriſtianus, qui reſurrectionem futuram & vidit, & ſperat, & repoſitam ſibi præſumit de Chriſto? Igitur primũ omnium probandum puto, animas noſtras ſuorum corporum exuuiis, nec cum labe carnalis huiuſce domicilij iſta prima morte diſſolui: ſed pro qualitate factorum quaſdam locis pœnalibus relegari, quaſdam placidis ſe-

Digitized by Google

dibus reſoneri: vt tunc demum credi poſſit reſurgere, A quod omnibus palam ſit non penitus interire. Gentes, quæ iſta non credunt, tamen cum libamine infauſto ad ſepulchra concurrunt, & à mortuis, quos in quiete tacitæ noctis agnouerint, expeti à ſe aliquoties alimenta contendunt: ac ſic fidem rei, quam reprobant faciunt. Philoſophi de anima varia dixerunt: ſed tamen hanc eſſe immortalem, Epicuri, Dicæarchi, Democritique vanitatem argumentatione manifeſta conuincunt. Poëtæ autem melius, qui duplicem viam apud inferos ponunt: impiorum vnam, quæ ducit in Tartarum: piorum alteram, quæ ducit ad Elyſium, eò fortius addentes, quòd defunctorum ibidem non tam formæ, quam facta noſcantur, ac neceſſario recipiant, ſecundum quod mundanæ adminiſtrationis ſuis in actibus portant, rectè dicentes; Quiſque ſuos patimur manes. Nos verò, fratres B quos non ingenioſa ſuſpicio, ſed Deus magiſter inſtruxit propter nos in ſemetipſo probando, quod docuit, viuere animas mortuorum non tam dicere, quàm oculatis rebus ſufficimus approbare. Denique vagi, atque immundi ſpiritus ſub prætextu animarum vtriuſq; ſexus humani doloſa blanditiarum captione, ſeu violentia viuentium domos corporales infringunt: & latibulum ſibi pernicioſum eorum in captiuitatibus quærunt. At vbi ventum fuerit ad diuini certaminis campum, cœperintque ſacri nominis telo pulſari, tunc vexatum cernati miſeteris: diſcoloratur enim per momenta color: figura ſua tollitur à natura: in obliquos horroris inſani vertuntur orbes oculorum: acies dentium ſpumoſis horrida globis inter labra liuentia ſtridit: intorta omnia paſſim membra tremore vibrantur: gemit: flet: denuntiatum C pauet iudicij diem: pellique ſe plangit: cõfitetur aggreſſuræ tempus, & locum: nomen proprium fingit: diſceſſiunque vel qui ſit, ſignis euidentibus docet: vt plerúmque aliquos noſcamus eſſe nominatos, quos in idololatria commorantes nuper, vel maxime vi aliqua obiiſſe meminerimus. At cum diuina adiuratione in eculeo ſpiritali torquentur, nolentes, & inuiti diſcedere cõpelluntur. Hic nunc mihi reſponde, qui hominis poſt mortem nihil ſupereſſe contendis, quo argumento dæmones nitantur, ſi non viuant animæ mortuorum? At dicis hoc dæmones fingunt. O probatio melior, quòd etiam fallaces teſtimonium perhibent veritati: accipe & alia exempla, & quidem certiora. Primo in libro verborum Samuel egregius ille ſacerdos mortis iam lege di- D ſpunctus, Sauli regi deſideranti ſine ambiguitate non tãtum ſuam præſentiam exhibet, ſed etiam ad conſulta reſpondit, liberiúſque canit mortuus, quàm canere conſueuerat viuus, vnde libet exclamare. Profectus potius eſt iſte, quàm mortuus. In Euangelio quoque Petrus, filiique Zebedæi cum Domino aſtare fulgentes Moyſen, Eliámque, quos propter tunc impedimentum carnis videre non poſſent libertate ſpiritus vident: Ex inde intelligentes in theſauro naturæ depoſitum incolume requieſcere quod in hoc mundo ad tempus perſpicitur interire. Similiter in inferno diues ille tenaciſſimus, quem chaos immenſum à pauperis felicitate diſcernit ardoribus ſuis, implorando refrigerium Lazarum verum diuitem ſero cognoſcit: cupitque mortuus vel vno digito illis contingi manibus, quibus ſtipem denegarat viuus. E Odit iã ſine cauſa, ante quod amauerat: probat felicius eſſe, quod oderat. Gemit inſtanti pœnæ aliquid de facultatibus notis mederi non poſſe, pro vno puncto requiei incunctanter tota ſcilicet paratus offerre: ſuperſtitibus fratribus ſalutem cupit eſſe conſultum Abraham patrem deprecatur obnixè, vt aliquis nuntius pergat, qui eos tãti negotij certos efficiat: cui ille reſpondit, Habent Moyſen, & prophetas: quibus ſi non credunt, neque illi, qui hinc miſſus fuerit, credituri ſunt, euidenter oſtendens, non in oculis eſſe carnalibus verum, ſed in fide credentium conſtitutum. nam & Dominus iſta exempla confirmans vni ex latronibus in ſe credenti, qui cum eodem patibulo dextra, læuáque pendebant, ait; Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Itaque ſi homo mor- A tuus in æternum perit, ergo mentitus eſt Dominus, qui ei deinceps nihil futuro paradiſum repromiſit, ſed & homo ipſe, quem Dominus aſſumpſerat, perit, ſi Ieſus non reſurrexit. At ſi reſurrexit, humano generi formam dedit, quoniam ad hoc Deus pro homine mortis iura guſtauit, vt homo per Deum ius immortalitatis reciperet, quod amiſit. Propter quod Paulus beatiſſimus ait: Nolumus autem ignorare vos, fratres, de dormientibus, ne contriſtemini, ſicut cæteri, qui ſpem non habent: ſi enim credimus, quia Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ſic & Deus eos, qui dormierunt in Ieſum, adducet cum eo. Nam & Deus per Ezechielem prophetam loquitur, dicens: Ecce ego aperio monumenta veſtra: & educã vos de monumentis veſtris, & inducam vos in terram Iſraël dabo ſpiritum meũ in vos, & viuetis. Cum hæc ita ſint, B reſurrectionem futuram cur Chriſtiane non credis? Cur de huiuſmodi labe in meliora migrantes tam pertinaciter plangis? Proh nefas. Hinc mater ſciſſa veſte, laniatis crinibus, laniatis & genis totum crebris ictibus liuida pectus gẽtili vanitate circa amiſſi cadauer bacchatur inſana: nec Machabeæ matris memoriam recolit, quæ ſpe ſuccincta futurorum Antiocho ſæuienti libenter ſemel ſeptem filios, non dicam extulit, ſed ipſa potius feliciter ſuis hortamentis occidit, religioſè confidens Deo filios ſe genuiſſe, non mundo. Hinc vxor amiſſi mariti deſolationem ſe ferre non poſſe teſtatur: frigidúmque latus male dilatato quæritur lecto: inuidioſis vocibus Deo concinnat inuidiam: ſolennia ipſa diuina, quibus à ſacerdotibus Dei quieſcentes commendari conſuerunt, C profanis aliquotiens vlulatibus rumpit: terráque illuuie ſuum totum deformanſcultum cadauer amplectitur cõclamatum: frigentia tepefacit crebris oſculis labra: totũ corpus imbribus relauat lachrymarum, crinium ſuorum damno coopertẽs: miſerandis affatibus in vberiores fletus incendit etiam eos, quos cauſa non tangit, tanto ambitioſior in dolore, quanto ditior, ſanè poſt momentum miſera, atque vtinam ſemel nimio dolore nuptura. Hic hic quemadmodum ſe quis poſſit excuſare, non video: non deeſt enim, qui dicere poſſit: Si eſt reſurrectio, quare plangis? ſi amore mariti facis, cur poſtmodum nubis? Execrabilis res eſt, fratres, nec coniugio ſeruare charitatem, nec Deo fidem. Hæc etiam viros reprehenſio manet. Chriſtianus ergo in toto dubitare non debet in ſta- D tum priſtinum mortuos excitari: taleſque legitima die ante conſpectum Dei ex illo naturæ ſecreto produci, quales fuerint pro ſua quique qualitate ſuſcepti, Apoſtolo dicente: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque corporis ſui merita ſecundum ea, quæ geſſit, ſiue bona, ſiue mala: etenim, fratres, facilius eſt reformare, quod fuerit, quàm inſtituere quod ante non fuit, quod ſi non fuit, & eſt, multo magis poterit eſſe, quod fuit, quippe cum illius potentiſſimi artificis rerum omnium conditoris ipſe ſit vſus, impoſſibilium poſſibilitatem aſſerere: ex eóque quod non eſt, facere, quod eſt; naturam: creare extra naturam: nihil prorſus habere difficile: ſolúmque ei hoc deeſſe, quod nolit eſſe: hæc eſt enim proprietas Dei id operari, quod non poteſt credi. Igitur non homines E tantum, ſed penè omnia ſuis mortibus viuunt. Vnde pauca de multis attingam, vt omnium probationem haud dubiè in paucis expediam. Stellæ præcipites labuntur è cœlo: & à tergo longo flammarum albeſcentium tractu funereæ faces ſolennitate in occaſus ſuos, quaſi quibuſdam deducuntur exequiis: quas ſi per plagas, vnde refixæ ſunt, quæras, rediuiui luminis lege ſuis ſedibus reſurrexiſſe agnoſcas. Sol quotidie naſcitur: eadémque die, qua naſcitur, moritur: nec tamen inſtantis finis fortè terretur, ſuos vt repigret curſus; vt horas, ac momenta producat: vt ſaltem paulò diutius diei ſui demoretur in vita, ſed fidelis ſemper, ſemper intrepidus ad ſepulchrum noctis cognatæ contendit, ſciens in ipſo ſe habere, quod viuit, denique adimitur ei ortus, ſi ei aufertur

tur occaſus. Luna quoque, quæ verè rationis humanæ omnia in ſe lineamenta depingit nata ſanguineæ teneritudinis, dubio cornu primò quaſi de cunis apparet: paulatimq; creſcendo iam puella, iam virgo pro quotidianæ ætatis incremēto progrediens, laſciui curſus ambagibus carpit penſa mūdana. At vbi matura aureo igne flagrantis luciflui aurigæ, par laboribus fratris anguſtis circulis argenteum compleuerit globum, paulatim deuergit in ſenium, donec vltima ſenectute conſumpta ſua morte reuiuiſcens, menſtrualis ignis ſolenni germine accenſo ſumat rurſus de fine principium. Similiter Phœnix auis illa precioſa reſurrectionis euidenter nos edocet iura: quæ nobilitatem generis ſui non à parentibus accipit: non liberis tradit: ipſa eſt ſibi vterq; ſexus: ipſa omnis affectus: ipſa genus: ipſa finis: ipſa principium: non ex coitu naſcitur, nec officio alieno nutritur, nō inuita, non imprudens moritur, ſed cum maturum leti tempus aduenerit, à ſemetipſa inuitatis factis ignibus libentiſſimè concrematur. ſepulchrum nidus eſt, illi fauillæ nutrices: cinis propagandi corporis ſemen: mors natalibus dies. Denique poſt momentum feſto exultat in tumulo, non vmbra, ſed veritas: non imago, ſed Phœnix: nō alia, ſed quamuis melior alia, tamen prior ipſa. Erubeſce Chriſtiana conſcientia vel tot, ac tantis ex rebus quemadmodum rurſum, eadémque eſſes melior futura, cognoſce. Præterea granum vniuſcuiuſq; frumēti conditum terræ interit: & tamen in eo id, quod intus eſt, reuiuiſcit: nec mortē medullitus capit, ſed ſinū ſibi genitale in germen expirans vetuſti corporis ſuperficie deleta, imò in melioris naturæ iura tranſmiſſa, fœlix caput omnibus virentibus redimitum, quaſi ab inferis emenſum in ſuperna ſuſtollit, perennitatis gloriā fructu populoſo tentutum. Hoc hactenus Paulo firmante: Stulte tu, quod ſeminas, non viuificatur niſi mortuum fuerit: Et ſubiecit dicens: Sic & reſurrectio mortuorum: ſeminatur in interitum, reſurgit in perpetuitatem: ſeminatur in infirmitatem, reſurgit in gloriam: ſeminatur in infirmitatem, reſurgit in virtutem: ſeminatur corpus animale, reſurgit ſpiritale. Satis, vt opinor, reſurrectionis veritas omnibus claret, ſed neceſſariò diſcernendum eſt, quæ ſit in ea iniuſtorum, iuſtorúmq; diſcretio, ne generalitas nominis in comparatione malorum attrahat gloriā Chriſtianæ fœlicitatis. Duplex itaq; forma ſurgendi eſt: prima Sanctorum, in qua illud beatitudinis regnū primæ tubæ regali teſſera conuocati capient cum ingenti triumpho æterno rege ſub Chriſto: ſecunda verò, quæ impios cum peccatoribus, vniuerſiſq; incredulis gētibus perenni deſtinat pœnæ, in pſalmis Spiritu ſancto dicente: Ideo non reſurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in conſilio iuſtorum, quoniam ſcit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit. Conſequens eſt, vt ſcire nos par ſit, in quo habitu regnaturus ſit homo iſte noſter, qui tendit ad cœlum: ne fortè cum carne depereat vana ſpe, ſi captus fuerit caduca, atq; carnali: de qua Apoſtolus dicit: Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. At è diuerſo videor mihi audire proclamātem: Si hæc eſt conditio carnis, quid eſt ergo, quod credimus in Eccleſia remiſſionē peccatorū, ac reſurrectionem carnis? facile, fratres, pugna iſta concordat, ſtatúſque futuri qualitas aperitur, fides ſi illibata teneatur. Vnde rem paucis expediam. Omnis caro, quandiu flagitioſis illecebris huius mundi, ac tenebris feralibus agitatur profectò pecuina eſt, ac miſero, fragili, deteſtabilique verſatur in iure. At cū mera fide credentis ſalutari fuerit necata baptiſmate, noua paterni ſacro reſurgit fontis ex gurgite, iam pura, iam libera, iam à conuerſatione mundi huius extranea, iam morte ſuperior, iam cœleſtia aſpirans, iam nō dicam ſæculi ludibria, ſed vt ſit honoratior, ſeipſam contēnens, iam veritatem, non imaginē quærens, iam ſpiritalia, non ſua deſiderans: de qua Paulus ait: Non omnis caro eadem eſt caro: alia eſt hominis, alia iumenti, alia caro volucrum, alia piſcium. Et corpora ſunt cœleſtia, ſunt & terreſtria. Itaque immortalitatis ſemine, de quo etiam

A poëta ſapientiſſimus præſagiuit dicens: Igneus eſt illis vigor, & cœleſtis origo ſeminibus: ſcilicet Spiritus ſancti conceptione inſita ſit ante fœcunda: vt cum diſſolutionis eius, ac legitimæ reparationis tempus aduenerit, ſuo ſemini reſpōdens iure poſſit mereri, quod credimus. Nec res in ambiguo eſt: quemadmodum etenim ille princeps iniquitatis ſuo ſemine per inuidiā protoplaſtos ex Angelis in homines deriuauit, ita Dominus omnes in ſe credentes ſancti Spiritus ſemine à mortuis rurſus glorioſos in Angelos excitabit. Ad hoc vnū euidens adhuc proponamus exemplum, quamuis non poſſit veriſimile tantam vim habere, quam veritas. Oleaſter ſua infœlix & amarus eſt in natura, ſed cū fuerit peritiſſimi agricolæ artificis manu neceſſaria prouiſione truncatus, nobilitate alieni ſeminis grauidatur, nutritúrq; ab eo ipſo, quod

B nutrit, donec hoſpitis germinis adoptiua pinguedine aſſumptus, imò pinguedo ipſe factus, totúſq; in acceptum tranſlatus, in honore nouæ frondis promotione ramis reſurgētibus ornatus, iam nō oleaſter ſit, ſed oliua: cum & oleaſter ſit, & tamen oleaſtrum ſe non eſſe quodammodo etiam ipſe miretur. Igitur ſi homo poteſt facere, vt arbor, quod non fuit, ſaluo quod fuit, quanto magis Deus hominem poterit excitare, antequam peccaſſet in paradiſo, in id quod fuit? Quam rationem ſeminū etiam beatiſſimus Paulus ſubtiliter prodidit dicens: Qui ſeminat ſecundum carnem, de carne ſua metet interitum: qui autem ſeminat in ſpiritu, metet vitam æternam. At vero Dominus euidenter hoc edocens ſic ad diſcipulos ait: Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit

C bonum ſemen in agro ſuo: dormientibus autem hominibus venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in triticum. At fortaſſe adhuc quiſpiam dicat; Si caro perit vnde cognoſcitur ille, qui reſurgit? Caro fratres quaſi quoddam eſt ſpeculum intuentis plenitudine grauidatum: quod non tam imaginē ſuam, quam eius, cuius eſt in viſibus gerit; Deniq; tot efficit vultus, quot ille intrinſecus triſtes, ſeu hilares ſuos fecerit motus: hanc rationem docente nos Paulo: Videmus inquit, autem modo per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facies ad faciem erit. Vnde dubium non eſt in corporibus noſtris, dum mortis lege ſeminatur, non ſubſtantiam, non imaginem, ſed illud tantum, quod inutile eſt, diſcuti, quod iteritur, demutari, ſicut ſcriptū eſt: Oportet enim corruptiuum

D hoc induere incorruptionē, & mortale hoc induere immortalitatem: aliter enim immortalitatis ſtola illa non ſumitur, niſi primo illud carnale ſpoliū blandum animæ venenum, ſecundum Dei ſententiam, vnde ſumptum eſt refundatur: dicit enim Deus ad Adam: Maledicta terra erit in omnibus operibus tuis in triſtitiæ gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos eijciet tibi: & edes pabulum agri: In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram. Sed & Dominus ex perſona hominis, quem aſſumpſerat, ait: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Quod dictum non tam timentis, quàm exultantis, ac docentis eſt. Vtique: non enim quicquam timere poterat, qui mortuos excitabat: qui poteſtatem habuit ponēdi eam, & iterum reſumendi eam: ſed vt doceret, quoniam cum viuit in hoc mun-

E do, ſemper in tribulatione, ſemper iuſtus in pœna eſt. Cum autem mors, quę putatur metuenda, guſtatur, tunc ei in æternum manentis gloriæ beatis in ſedibus nullas deinceps ærumnas mundi ſenſura repromiſſa fœlicitas exhibetur; Dauid ſancto dicente: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus beneſecit mihi: quia liberauit animam meam à morte: oculos meos à lachrymis: pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum. Hæc nos fœlicitas manet: hoc munus expectat. Sic ergo viuamus, vt bonis operibus decorati, nos quoque patri placere mereamur, Domino iuuante nos Chriſto: qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

BERENGOSII ABBATIS, AD D. MAXIMVM, EXTRA MVROS TREVIRORVM, VETVSTI ET PER QVAM ERVDITI, OPVSCVLA, MVLTA pietate, variáque piæ admodum hiſtoriæ cognitione referta.

De laude & inuentione S. Crucis, lib. tres.

De myſterio ligni Dominici, & de luce viſibili & inuiſibili, per quam antiqui Patres olim meruerunt illuſtrari, lib. vnus.

Sermones duo in Natali Martyrum, de Pſalm. 58. Deus repuliſti nos, &c.

Sermo de vno Confeſſore, de eo, quod per legem ſimile in ſacrificium offerri iubetur, vbi de ea dicitur; In ſartagine oleo conſperſa frigetur; offeret eam calidam, in odorem ſuauiſſimum Domino, ſacerdos qui patri iure ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari.

Sermo de vno Confeſſore & Pontifice, de eo, quod lex præcipit; Ignis in altari ardebit ſemper, quem nutriet ſacerdos, & ſubijciens manè ligna per ſingulos dies, & impoſito holacauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum; &c.

Sermo in Dedicatione Eccleſiæ, déque reliquiarum veneratione.

BERENGOSII ABBATIS, DE LAVDE ET INVENTIONE SANCTÆ CRVCIS.

LIBER PRIMVS.

De eo, quod Dominus ante ſe primo prophetiam & legem præmiſit, ac deinde natus & paſſus arborem crucis aſcendit.

CAPVT I.

CVM antiqua diuinitas humano generi tempus præuideret opportunum, vt filios qui erant diſperſi, congregaret in vnum, ad redimendum hominem, vnum, ad redimendum hominem, quem propriæ voluntatis arbitrium à Deo diuiſit, in vineam Eccleſiæ, primò & ſecundò ſeruos, tertiò filium miſit. Qui ad oſtendendum ſe verum eſſe regem, ante ſe quaſi ſeruos, ac ſeruos, prophetiam præmiſit & legem, quando ad præparandam hominis cœleſtis patriæ viam, primò ad Abraham, ſecundò ad Moyſen, tertiò venit ad Mariam. Ex qua videlicet, ne vel homo ex paſſionibus, vel Deus lateret ex virtutibus, verum ſe Deum & hominem humanis præſentauit obtutibus, vt nullis rerum præpedientibus obſtaculis, & homo probaretur ex anguſtis, & Deus ex miraculis. Per hoc namque quod pro noſtra ſalute paſſurus, arborem crucis aſcendit, procul dubio purum ſe hominem oſtendit, per hoc autem, quod mortem ſuam reſurrectionis gloria calcauit, verum ſe Deum eſſe monſtrauit. Sed & hoc diuinitati illius non minus debet adtitulari, quod ipſa paſſionis ſuæ dies ad horam videbatur obtenebrari, in qua pro redimenda generis humani ſubſtantia paſſus eſt cruce, clauis & lancea. Hæc quippe ſacroſancta ſalutis humanæ ſunt ſtigmata, quibus nobis verus Iſaac cœleſtis medicinæ oleum deferebat ac ſtigmata, quando ſicut aries inter vepres, peccatorum crucis cornibus hærens; ſanare dignatus eſt omne caput languidum, & omne cor mœrens. Hæc ſunt illa ſtigmata, quibus in ara crucis ſummus Sacerdos ſacerdotum genus humanum in vno homine voluit liberare per totum, quando ſacrificio ſingulari & gratia communi in vno conſuluit omnibus, & in omnibus vni. Hæc etiam illa ſtigmata, quibus Dei filius inæſtimabile nobis paternæ dilectionis oſtendit ſignum, quando peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt antiquus hoſtis in ſeipſo eò acrioris atro eius inuidiæ tormento cruciaretur, quò eodem ligno, quo vicerat vinceretur.

Salutis humanæ ſtigmata.

A *Qualiter lignum crucis ab Helena regina inuentum, vel à Iudæis prius fuiſſet abſconditum, & de propoſitione trium errorum, ſecundum triplex eiuſdem ligni myſterium.*

CAPVT II.

VNDE ſicut illa paſſionis Dominicæ dies vniuerſo mundo quondam erat optabilis, ita & iſta dies ſacratiſſima non minus nobis debet eſſe venerabilis, quomodo ſicut in illa die Saluator noſter opus noſtræ redemptionis impleuit, ita & in hac die lignum Dominicum nobis maB nifeſtare decreuit. Et ideo dies iſta eò feſtiuius à nobis debet celebrari, quò in in ea lignum idem Dominicum debuit Chriſto reuelante nudari, maximè cum de hac die nihil aliud ſcriptura loquatur diuina, niſi quod hodie crux Domini inuenta eſt ab Helena regina. Sicut enim in catalogo Sanctorum, præſentis diei Kalendarium teſtatur, inuentio ſanctæ Crucis dies iſta vocatur, quoniam hodierna die eadem crux probatur inuenta, in qua generis humani ſubſtantia Chriſti fuit paſſione redempta. Sed quoniam multis adhuc videtur incognitum, quare à Iudæis lignum illud Dominicum tam diu fuiſſet abſconditum, ideo nunc cauſas cauſis, & res opponentes rebus, pro modulo noſtro pauca de C pluribus inde dicemus. Scitis etenim, quia ſicut perfidia inimica eſt fidei, & vitium virtuti, ſic Iudaïca impietas Chriſtianæ ſemper eſt æmula ſaluti: quia ſicut in ligno crucis humanæ ſalutis impugnauit authorem, ita Chriſtianæ religionis adhuc execratur honorem. Vnde mirum non eſt, quod ijdem Iudæi pallio inuidiæ induti, diuinæ pietati & humanę inuidere ſaluti, dum per eandem inuidiam qua ipſum authorem lucis in paſſione peremerunt, poſt paſſionem eius lignum crucis abſconderunt, vt clarius ſole & manifeſtius luce ſalus nobis in authore vitæ & ſalutis deeſſet in cruce. Ipſi enim illi fuerunt, de quibus ſcriptum eſt, partes vulpium erunt, dum pro ſummo Rege vulpem Cæſarem eligentes, erga Deum nec

Cur Iudæi Dominicam crucem tandiu occultarunt.

Pſalm. 62.

Digitized by Google

nec facies voluerunt mutare nec mentes. Vnde pro perfidia illorum plenius oſtendenda, pro quibus in fide Christi nondum conturbatæ ſunt gentes & inclinata ſunt regna, per campos ſcripturarum, exempli gratia, eò latius iam noſter diſcurſurus eſt ſermo, quò ea, quæ proponenda ſunt, melius oſtendantur exemplo quàm verbo. Vt enim inuidia Iudæorum iuſta poſſit ratione ſopiri, ex antiquis his patribus tres proponendi ſunt viri, ne verba veritatis à nobis videantur neglecta eſſe, quibus dictum eſt; In ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Sciendum eſt autem, quod ſicut ijdem viri ſunt tres, Ioſeph ſcilicet, Iſaac & Moyſes, ita per antiquæ diuinitatis archiſterium, triplex nobis debēt apportare myſterium.

Pſal. 47.

De comparatione, quam Ioſeph habet ad lignum, vel fratres eius ad ſynagogam Iudæorum.

CAPVT III.

VERVM licet Ioſeph iunior eſſet ex tribus, ipſe tamen in hac propoſitione nobis erit primus, vt in ſcala Eccleſiæ, quaſi de gradu in gradum aſcendendo paulatim, de vno ad alterum valeamus peruenire ſummatim. Sed in hac propoſitione nulli noſtrū debet eſſe tædium, ſi cum eodem Ioſeph fratres eius ac Iudęos deducamus in mediū, quoniam Iudæi erga Dominū eadem inuidia fuerunt pleni, quā erga Ioſeph fratres eius habuerant deni. Iudæi enim erga Dominum eandem inuidiæ cauſam ſemper habebant, quam erga Ioſeph fratres eius habere ſolebāt, dum pro ſingulari gratia illius in camino inuidiæ ita videbatur coqui, vt non poſſent quicquam pacificè loqui. Et Iudæi quidē eandem inuidiam erga Dominū habentes, in mortem ipſius acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, ne prophetia illa videretur mendoſa. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa. Vnde licet nulla ſocietas ſit luci ad tenebras, vel ad tenebras luci, ijdem tamen fratres ac Iudæi Dominicæ comparandi ſunt cruci, maximè cùm per antiphraſim eandem ſocietatem habeāt ad crucem quam tenebræ habere videntur ad lucem. Sicut enim in fratribus Ioſeph fraterna cœpit deficere dilectio, dum in traditione illius receſſerunt in Dothaim quod interpretatur defectio, ita Iudæi magnæ defectionis à Deo diuiſi ſunt ſorte, dum vſque ad mortem, mortem autem crucis, pro ipſius cogitauerunt morte. Sed ſciendum eſt, quod inter illos duodecim fratres, duo tantum antiquos imitati ſunt patres, quoniam Ioſeph & frater eius Beniamin, cum cæteris fratribus ire noluerunt in Dothaim, quia cum non Liæ ſed Rachelis eſſent filij, participes fraterni non debebant eſſe conſilij. Alij autem fratres, quod nati fuerant ex ancillis aut Lia, quaſi pro traditione fraterna foris diſperſi erant in via, quomodo in ſagena Eccleſiæ, inter bonos & malos piſces ſic ordo diſtinctus, vt & mali mittantur foras, & boni remaneant intus. Vnde quomodo ijdem fratres ac Iudæi piſcium illorum figuram habuerunt, de quibus ſcriptum eſt, malos autem foras miſerunt, mirum non eſt, quod qualis erga Ioſeph fratrum ſuorū erat inuidia, talis erga Chriſtum Iudæorum videbatur eſſe perfidia. Sciendum eſt autem, quod ſicut ex merito bonæ actionis Ioſeph typū meruit habere Saluatoris, ita non ex operibus carnis, ſed ex operibus lucis myſterium in eo præfiguratum eſt crucis. Sicut enim Ioſeph aliquandiu incluſus fuit in ciſterna, ita crux Dominica diu incluſa erat in terra, quoadúſque gratia cooperante ſuperna, & crux à terra, & Ioſeph leuaretur à ciſterna. Et ſicut Ioſeph à fratribus ſuis venditus eſt Iſmaëlitis, ſic principibus ſacerdotum Chriſtus venditus eſt ab Iſmaelitis, quoniā ſicut Ioſeph in exilium traditus eſt conſilio Iudæ Patriarchæ, ſic in mortem crucis traditus eſt Chriſtus conſilio Iudæ Iſcarioth hæreſiarchæ. Proinde multiformi maliciæ fratrum illorum non incongruè comparatur malicia Iudæorum, quoniam vnum idémque myſterium Chriſti tam illi

Inuidia Iudæorum erga Chriſtum.

Pſal. 108.

Ioſeph crucis figura.

B

C

D

E

A blaſphemauere quàm iſti. Sicut enim illi ſecundum antiquæ diuinitatis iudicium conſcriptum Ioſeph fratrem ſuum tenebroſæ falſitatis, vendiderunt in Ægyptum, ita & iſti ad imitandum eiuſdem maliciæ ſignum, in tenebroſiſſimo quodam loco Dominicum occultauerant lignum. Et ſicut Ioſeph nequitia fratrum ſuorum olim in carcerem eſt truſus, ſic malicia Iudæorum & crux in occulto, & Chriſtus in ſepulchro iacebat incluſus, vt humanum genus in hoc duplici myſterio, ita diuinæ dilectionis priuaretur ſigno, vt nec vita ſibi de Chriſto, nec ſalus proueniret à ligno.

Quemadmodum Ioſeph liberatus eſt à carcere, vel Chriſtus à morte, ſic lignum crucis liberatum eſt a recluſione.

B CAPVT IIII.

IGITVR quemadmodum ſatis euidenti ratione relatum eſt, qualiter in ſepulturæ Dominicæ typum, lignum crucis diu videbatur occultatum, ita nunc vobis in reſurrectionis Dominicæ referendum eſt ſignum, qualiter ad eundem modum ſacratiſſimæ crucis eleuatum eſt lignum. Quia enim Dominici corporis ſepultura inueniendæ crucis poterat eſſe figura, dignum eſt, vt ſicut carceri Ioſeph & ſepulturæ Domini, eiuſdem crucis comparauimus abſconſionem; ita nunc apertioni carceris & reſurrectioni Saluatoris, eiuſdem crucis attitulemus inuentionem. Sicut enim extractio Ioſeph à ciſterna Dominicam ſignificat reſurrectionem: ſic extractio crucis à terra, eandem poteſt habere ſignificationem: quia ſicut Ioſeph pro ſalute fratrum ſuorum extractus eſt à ciſterna, ita crux Dominica pro ſalute populorum hodie trahebatur è terra. Et ſicut ad vnam eandémque reſpicit ſortem, quod vel Ioſeph carcerem, vel Chriſtus euaſerat mortem, ſic virtutem vtriuſque cruci Dominicæ iuſtam poſſumus rationem cōferre, quæ ad eandem figuram hodie ſoluta eſt ergaſtulo terræ. Præterea verò & hoc non eſt ſilendum à nobis, ſed ſpiritaliter potius diſcutiendum eſt vobis, quod crux Dominica ad eundem modum hodie liberata eſt ab incluſione veterna, quo de carcere Pharaonis olim liberatus eſt Ioſeph & pincerna. Vnde gratias Deo, quod ſicut Ioſeph & Chriſtus ſpiritaliter vnam habuerant ſortem, dum & Ioſeph miſſus eſt in carcerem, & Chriſtus in mortem: ita Chriſtianus populus Iudæis hodie nulla ratione volebat parcere, quoadúſque lignum Dominicum antiquæ recluſionis educeretur à carcere, ſub eadem videlicet ſpiritalis intelligentiæ ſorte, qua Ioſeph eductus eſt à carcere, & Chriſtus à morte.

Reſurrectio Domini, crucis inuentionem præfigurat.

C

D

Quemadmodum Ioſeph à Pharaone torque aurea, annulóque induebatur & ſtola, ſic lignum crucis gemmis & auro decoratum eſt ab Helena regina.

CAPVT V.

E ERGO ſicut ſufficienter eſt dictum, qualiter Ioſeph in carcere, vel Chriſtus in morte pro nobis factus eſt maledictum, ita quid cum Ioſeph poſt eductionem carceris à Pharaone ſit factum, à nobis remanere non debet intactum. Sed quia ſequens ſententia ita videtur cohærere cum priori, vt cauſa ſilendi nequaquam imponendum ſit ſilentium ori, dignum eſt vt pro confirmandis fidelium animabus de his, quæ ſequuntur, aliqua dicamus. Sicut enim Ioſeph à præfati carceris ergaſtulo ſolutus, torque aurea, ſed & annulo ac ſtola figuraliter erat indutus, ita Chriſtus à morte pro humana reſurgendo ſalute, indutus eſt fortitudine & præcinxit ſe virtute. Adhuc etiam quaſi ſententia hæc non ſufficiat ſola, dicendū eſt nobis,

Stola byſſina, torques aurea, & annulus, quid ſignificēt.

quod torque aurea, ſed & annulo ſignificetur, ac ſtola. Sicut enim in ſtola byſſina & torque aurea duplex latet intelligentia, dum per byſſum caro virginea, & per torquem cœleſtis ſignificatur ſapientia, ſic in annulo fidei ſummi ſacerdotis pręfiguratur negotiū, qui per Petrum; Vos, inquit, eſtis genus electum, regale ſacerdotium. Vnde ſciendum eſt, quod ſicut Ioſeph à Pharaone annulo & ſtola, & torque aurea ornatus eſt figuraliter, ſic Helena beatiſſima lignum crucis exornauit hiſtorialiter, quando de regalis munificentiæ theſauro eandem crucis gemmis decorauit & auro. Adhuc etiam ſicut Ioſeph typum nobis prætendit, quando diuerſis muneribus ornatus, currum iocunditatis aſcendit, ſic Helena ſacratiſſima hodie nobis cornu ſalutis erexit, dum pro noſtra ſalute crucem Dominicam de imis ad ſumma prouexit. Præterea vero ſicut Ioſeph curru ſublimatus regali, voce preconaria meruit vbique prædicari, ſic in eodem facto duplicis gratiæ myſterium nobis reliquerat grande, dum ad eandem figuram lignum crucis à plebe, & Chriſtus prædicatur à Ioanne.

Quemadmodum Joſeph frumentum venditurus Ægypti, horrea regis aperuit, ſic Helena regina lignum crucis in horreo Eccleſiæ nobis aperire promeruit.

CAPVT VI.

Frumenti Ægyptiaci communicatio crucis geſſit figuram.

RELATO igitur, quid Ioſeph rex Ægyptiacus fecerit, referendum eſt etiam, quid ipſe Ioſeph cum Ægyptijs cauſa humanitatis egerit, ne cui veſtrum videatur indignum, ſi factum illius Dominicum referatur ad lignum. Sicut enim carcer, quo fuit incluſus, vel currus, quo erat ſublimatus, Dominæ cruci conuenienter eſt comparatus, ſic Ægyptiaci frumenti diuiſio veneranda eidem cruci ſimili eſt ratione comparanda. Sciendum eſt quippe, quod ſicut Ioſeph frumentum venditurus Ægyptijs, horrea charitatis aperuit, ſic Helena ſacratiſſima lignū, in quo granum frumenti mortuum fuit, hodie nobis aperire promeruit, ne cum Manaſſe, qui interpretatur obliuio, amplius daretur in obliuionē, ſed cum Ioſeph, qui auctus dicitur, in Chriſtianam potius augeretur religionem. Vnde quia per antiqui perfidiam hoſtis, panis fidei & charitatis iam penè defecit in ſitarcijs noſtris, neceſſe eſt, vt ad verum Ioſeph pro paterno pane cum prodigo illo filio recurramus fide reo qui reuerſus ad patrem; Quanti (inquit) mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Niſi enim ad promerendum æternitatis regnum de zizanijs vitiorum faciamus nobis faſciculos ad comburendum, nequaquam illo boni operis manipulo perueniemus ad Deum, de quo ſcriptum eſt; Triticum autem congregate in horreum meum. Proinde ſicut ex præcepto Ioſeph quinta pars frugum Ægyptiarum data eſt regi, ita quinque ſenſus noſtri deferendi ſunt in obſequium Dei, vt pro quinta parte, quæ debebatur regibus, quinque ſenſuum noſtrorum cuſtodiā diuinis ſemper mancipemur legibus. Niſi enim ad exemplum legalis ſacramenti primogenitum hominis redimamus quinque ſiclis argenti, nihil nobis quinque vulnerum Chriſti profecere vibices, quibus in ara crucis quinque ſenſuum noſtrorum voluit ſanare cicatrices. Vnde ne idem ſenſus noſtri cum Ægyptijs à fide & charitate videantur ieiuni, verum Ioſeph implorare debemus oratione communi, quatenus ipſe, qui pro humana ſalute quondam volebat eſurire in Ægypto tribulationis iſtius, vnicuique noſtrum horrea charitatis dignetur aperire, granum videlicet verbi cœleſtis interiori offerens menti, qui per mortem crucis ſeipſum comparare voluit grano frumenti.

1. Reg. 9.

Luca 15.

Senſus noſtri Chriſti cultui mancipandi.

Quemadmodum Joſeph in ſacco fratris iunioris abſcondit ſcyphum, ſic Judæi lignum Dominicum.

CAPVT VII.

IGITVR ſicut medulla tritici, quæ ſub Ægyptiacæ ſeruitutis palea diutiſſime latuit, grani cœleſtis ventilatione iam nobis apertiſſime patuit, ita ſcyphus ille Ioſeph nequaquam debet à veſtra charitate recondi, quem in ſacco fratris ſui iunioris olim iuſſit abſcondi. Dignum quippe eſt, vt ſicut ex horreis Ioſeph cœleſtis grani prius fuit enucleata medulla, ita de ſcypho eius ſpiritalis ſacramenti iam vobis propinetur ampulla, vt in obſeruatione tanti myſterij participes ſitis gratiæ Dei, quam in abſconſione ligni Dominici quondam perdidere Iudæi. Per hoc enim, quod Iudæi tā profundè quaſi in ore terræ lignum crucis abſconderunt, factum Ioſeph imitari noluerunt, qui poſtquàm ad inquiſita fratrum ſuorum quæq; conuenientia reſpondit, tandem in ore ſacci iunioris ſcyphum argenteum abſcōdit. Sicut per ſcyphum ſplendor verbi cœleſtis, & per ſaccum litera exprimitur legis, ita per os ſacci iunioris anima ſignatur hominis, ſi tamen per amplius & perfectius eidem adhæret ſcientiæ, de qua ſcriptum eſt; Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Vnde quoniam Ioſeph in ſummitate cordis ſui, quaſi in ore ſacci, illam ſemper incluſit ſcientiam, de qua ſcriptum eſt; Os iuſti meditabitur ſapientiam, ideo cor eius nunquam receſſit à lege ipſius. Sed quoniam à perfidia Iudaïcæ impietatis longè remotus erat ſcyphus idem veritatis, ideo theſaurum illum deſiderabilem ſeruare non poterant in intimo mentis, de quo ſcriptum eſt; Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Vnde mirum non eſt, quod licet ab vna progenie fuerint Ioſeph & Hebræi, in hoc tamen facto aliam intentionem habuit Ioſeph, & aliam Iudæi, dum pro diuerſa qualitate meritorum, diuerſa etiam fuit volūtas ſingulorum. Sicut enim Ioſeph ad caſtigandam fraternæ impietatis audaciam, in recluſione ſcyphi illius contumeliam mutauit in gratiam; ita Iudæi è contrario ad obſcurandam Chriſtianæ religionis memoriam, in abſconſione crucis, contumeliam nobis potius optauerunt quàm gloriam. In qua videlicet re nimis malicioſè fecerunt, dum ad contumeliam noſtram tanto tempore theſaurum diuinitatis abſconderunt, cum ſatius eis eſſet cum Ioſeph ſcyphum veritate inueniſſe, quàm pro inuidia Chriſtianorum, tam diu lignum crucis abſcondiſſe. Et cum iuxta præceptum legis ad obtegendum fimum Iudaïcæ ſordis, cum eodem Ioſeph paxillum compunctionis portare deberent ſub baltheo cordis, è contrario fidei, ſpei & charitatis amiſere paxillum, dum per inuidiæ ſtimulum Dominicæ Crucis texere vexillum. Sed hoc mirum non eſt, quod ſub baltheo cordis paxillum non habuere compunctionis, qui in intimo habuere mentis ſcyphum perdidere dilectionis, quia curru ſuperbiæ ſuæ in carcerem diabolicæ captiuitatis præcipitati, ab horreo Eccleſiæ, & ſcypho ſapientiæ fuere ſeparati. Vnde ne nos eodem modo ab antiquo Pharaone videamur incarcerati, curru humilitatis & patientiæ cum Ioſeph debemus eleuari, vt in horreo Eccleſiæ non ſolum ſpiritalis tritici menſura cibari, ſed etiam ſcypho cœleſtis eloquij mereamur cum Chriſto inebriante potari. Sicque ſpiritali Sacramento, quaſi opere diſtinguentes anaglipho, quid eodem carcere & curru, quidve frumento ſignificetur aut ſcypho dignum eſt, vt inuentionem ſanctæ Crucis hodie non debeamus præterire ſilentio, quam carceris apertio, & currus aſcenſio, quàmve frumenti diuiſio, & ſcyphi teſtatur inuentio.

Scyphus Ioſeph ſaccus, & os ſacci quid ſignificent.

Pſalm. 36.

Malitia Iudæorum in occultanda cruce.

Currus humilitatis & patientiæ.

Anaglypho. ἀπὸ τοῦ ἀναγλύφειν. id eſt, ſculpere.

Sicuti

Sicuti ad exemplum Iſaac oculi Iudæorum caligauerunt, quando pro inuidia Chriſtianorum lignum crucis abſconderunt, ita lignum crucis idem populus inuitus aperuit, quo Iſaac filium ſuum neſciens benedixit.

CAPVT VIII.

ECCE quia ſermo noſter aliquantulum eſt dilatatus cum Iaphet, dum pro prædicãdo myſterio crucis, aliquãdiu immorati ſumus cum Ioſeph, reſtat vt iam ex vtraq; lege abſq; pretio cõmutantes vinũ & lac, de horreis Ioſeph ad puteos tranſeamus Iſaac. Sed priuſquam de eiſdem puteis aliquid dicamus, nil obſtat ſi de caligine oculorum eius pauca præmittamus, præcipuè, cum ſecundum comparationem boni & mali, cæcitas illius cæcitati Iudæorum dignè poſſit æquari. Non eſt autem ſine re, quod hanc cæcitatem filius incurrit Abrahæ, quamuis cæcitas illa, quæ contigit in Iſrael, non fuiſſet ex Abraham & Sara, ſed ex Agar & Iſmael. Si enim Sara referatur ad Agar, altera alteri libertate diſpar & conditione fit par, quia non ignotum eſt vobis, quæ vel illa fuiſſet aut illa, cum vna eſſet libera, & alia ancilla. Vnde quoniam libertate vnius donauit nos Deus, ideo ſeruitute alterius deprimi non debemus, vt cum Iſaac tam perfectam cõſequamur libertatem, vt exẽplo illius nequaquam Iudæorum imitemur cæcitatem. Si enim ipſe aliquantulum exterioribus oculis caligauit, dum in ſeipſo cæcitatem Iudæorum ſpiritaliter præſignauit, multo magis idem Iudaicus populus lumen veritatis interius amiſit; dum in abſcõſione ligni Dominici, ſeipſum ab Eccleſiæ vnitate diuiſit. Sed gratias Deo, quod ſicut oculi Iudæorũ quaſi cum Iſaac olim caligauerunt, dum pro iniuria Chriſtianorum eundem theſaurum diuinitatis occultauerunt, ſic idem populus in inuẽtione ſanctæ Crucis eandẽ benedictionem nobis inuitus influxit, quia præfatus Iſaac quondam filium ſuum neſciens benedixit. Sicut enim Iſaac filio ſuo benedictionem neſciens porrexit, & tamen quid ei futurum eſſet, longè ante proſpexit, ſic Iudaicus ille populus exemplum ſequens eiuſdem Iſraëlitæ, lignum crucis, quod reuelare noluit ſponte, reuelauit inuitè.

Cæcitas Iſaac.

Iudæi dum crucem abſcondunt, excæcantur.

Vt Allophyli puteos Iſaac obruerunt, ſic Iudæi lignum crucis abſconderunt. Et quemadmodum lignum idem inuentum eſt ab Helena regina, ſic ab Iſaac in eiſdem puteis pura inuenta eſt aqua.

CAPVT IX.

QVONIAM, vt ſicut præmittimus, ad puteos illos tranſire debeamus, de quibus lympidioris aquæ pocula vobis propinare valeamus. Nihil enim obſtat, ſi puteos, quos Iſaac apud alienam olim foderat gentem, in honore ſanctæ Crucis hodie reuocemus ad mentem, ne myſterium illud humani ſilentij tetro ſuffocemur fumo, qualiter Allophyli inſidiantes eoſdem puteos repleuerunt humo. Quid igitur per Allophylos niſi Iudæi; quid vero per puteos, niſi profunditas ſignatur ſcripturarũ Dei? Iudæi etenim Allophylis non incongruè comparantur, qui in abſconſione ligni Dominici humanæ ſaluti diu inſidiantur, non attendentes videlicet elogium illud prouerbij antiqui, in quo dictum eſt; In inſidijs ſuis capiẽtur iniqui. Vnde mirum non eſt, quod ſicut Allophyli aquam viuam obruerũt, dum puteos, quos Iſaac foderat, humo repleuerunt, ſic Iudæi in abſconſione ligni Dominici aquam illam obruere ſuperuã, de qua ſcriptum eſt; Qui biberit aquam quam ego do ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Sed gratias Deo, quod ſicut Iſaac ad extinguendam ſitim, credentium inuenire meruit puteos aquarum viuentium, ſic Iudas Hebræus, licet huic operi ſe clamitaret indignum, hodierna die Dominicum inuenerat lignum. Præterea vero, ſicut Allophyli puteos ſcri-

Allophyli & putei quid ſignificent.

Iudæi cur crucem tamdiu celarint.

A pturarum, terra maliciæ ſuæ ad hoc conabãtur obruere, ne ſpiritalis intelligentiæ de eis vera poſſet aqua profluere, ita Iudæi lignũ ſanctæ Crucis diu volebant humo ſuffocare, ne myſterij ſalutaris inde nobis poſſet vnda manare. Vnde neceſſe eſt nobis, vt ſicut Iſaac de puteis patrum ſuorum ad hoc ſolebat eijcere terram vt gratiæ ſalutaris aquam poſſet inuenire ſupernam, ita & nos pro inquirenda ſpiritalis intelligentiæ vnda, tamdiu cogitationum noſtrarum debeamus penetrare profunda, quoadúſque de puteo cordis noſtri totius malitiæ terra ſublata, per myſterium crucis veræ innocentiæ pura nobis reſplendeat, aqua.

Quomodo puteus ille, cui nomen eſt Viuentis & videntis, conuenire poſſit puteo diuini ſanguinis, & myſterio crucis.

B

CAPVT X.

ERGO ſicut ad emundandam carnalis immunditiæ cloacam, in puteis Iſaac ſpiritalem inuenimus aquam; ita nunc nobis ad irrigationem proficit mentis, ſi cum eodẽ Iſaac adhuc properemus ad puteum, cui nomẽ eſt viuentis & videntis. Licet enim illic putei ſint plures, & hic vnus, per omnes tamen vnius ſacramenti nobis offertur munus, quoniam in omnibus vna figura verſatur, dũ in ſingulis quibuſque ſacra ſcriptura ſignatur. Quis autem eſt viuens, niſi Deus, de quo ſcriptum eſt; Viuit Dominus, & benedictus Deus meus? Sed quis ſit vidẽs, ipſe nobis inſinuauit ex ſe, qui ad Nathanael; cum eſſes (inquit) ſub ficu, vidi te. Hic eſt puteus ille viuẽs, de quo dixit Apoſtolus;
C Viuit verò in me Chriſtus, vt exemplo illius vnuſquiſq; noſtrum ex eodẽ puteo hauriat & viuat, de quo ſcriptum eſt; Si quis ſitit, veniat & bibat. Vnuſquiſque enim fidelium ex puteo illius æternaliter habet, qui omnib⁹ viuit, & omnia videt, cũ præfato ſcilicet Iſaac in illo moriens, & in illo viuens, quia & viuens vocatur & videns. Sicut enim Iſaac, ſecundum altiorem intelligentiam mentis, deambulauit per viam, quæ ducit ad puteum, cui nomen eſt viuẽtis & videntis, ſic verus Iſaac per myſteriũ crucis, puteum vitæ aperire dignatus eſt mundo, in quo diuinæ ſcientiæ aquam poſſet haurire de profundo. Sed ſicut per puteum, vt dictum eſt, profunditas ſacræ lectionis figuratur, ita per viam, quæ ducit ad puteum, humilitas Dominicæ paſſionis ſignatur, per quam nobis ſacræ ſcri-
D pturæ fluẽta patuere ſpiritalia, quæ ante paſſionem Domini, legali latuere ſub palea. Vnde vt & nos ad exemplum Iſaac de puteo illo inebrientur altiſſimi, de quo ſcriptum eſt, Bibite & inebriamini chariſſimi, dignũ eſt, vt ad viam, quæ ad eundem ducit, ipſum præuiatorem ſequamur & ducem, qui ad currendam viam paſſionis, pertulit in corpore ſuo clauos, lanceam & crucem.

Pſal. 17.
Ioan 1.

Iter ad puteum ducens quid ſignificet.

Quemadmodum à filia Pharaonis Moyſes inuentus eſt iuxta ripam fluminis, ſic ab Helena regina in Caluariæ loco lignum inuentum eſt crucis.

CAPVT XI.

E IGITVR quia ſecundum Apoſtolum non eſcam vobis dedimus, ſed lac, dum in figura Dominicæ Crucis, quædã vobis enarrauimus de Ioſeph & Iſaac, dignum eſt, vt iam ad explicandam vobis aliam rem, eodem modo de Iſaac tranſeamus ad Moyſen. Sicut enim Moyſes iuxta ripam fluminis, ea die diuino inuentus eſt numine, in qua deſcendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, ſic hodierna die ab Eccleſia plebis bifariæ, lignum crucis inuentum eſt in loco Caluariæ. Quod quia per iudicium diuinitatis occultum in eodem loco diu videbatur eſſe ſepultum, ideo nobis elabi non debet à memoria, quod ex inuidia Iudæorum inde habet hiſtoria. Per ſuggeſtionem enim Iudaicorum Pontificum Adrianus Imperator ſcelus perpetrauit horrificum, dum ad oſtendendum Iudaicæ prauitatis

Adriani Imperatoris nefarium facinus.

exemplum, in loco vbi lignum iacuit Dominicum. Veneri ædificauit templum, ne Chriſtiana deuotio vel genua ibi flecteret, aut vototum ſuotum Deo libamina redderet. Sed gratias Deo, quòd ſicut filia Pharaonis vaſculum illud euacuauit, in quo Moyſes aliquandiu incluſus latitauit, ſic Helena regina templum illud, quod ad iniuriam Dei idem Adrianus conſtruxit, ad confeſſionem diaboli hodierna die deſtruxit. Præterea vero, ſicut Moyſes de fluuio ſpiritalis intelligentiæ haurire meruit aquam diuinæ ſcientiæ, ita & nos in myſterio crucis haurire debemus aquas noſtræ redemptionis, de quibus ſcriptum eſt; Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Adhuc etiam ſicut Moyſes in deſerto montis Syna, vbi nunquam filius hominis requieuit, filijs Iſraël aquas amariſſimas dulcorare conſueuit, ita verus Moyſes per myſterium crucis dulcorauit aquas amaras & inſanabiles, quãdo ſuauitate indita, eas nobis fecit eſſe potabiles. Et ſicut verus Moyſes filios Iſraël ab Ægyptia ſeruitute dignatus eſt liberate, quando currus Pharaonis & exercitũ eius proiecit in mare, ſic Helena beatiſſima crucem Dominicam à Iudaica hodie captiuitate liberauit, & in ſinu Eccleſiæ, quaſi optato in littore collocauit. Vnde orandum eſt nobis, vt ſicut idem Moyſes Hebraicum populum miraculo diuinitatis inſtruxit, dum medicandis corporibus eorum & mentibus, aquam eis de petra produxit, ſic verus ille Moyſes pœnitentiæ aquis, vitiorum nos faciat emundare cloacas, qui eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.

Helena lignum Veneris euertit.

Pſalm. 77.

Sicut Moyſes à matre ſua reconditus eſt in fiſcella, ita crux Dominica diu abſcondita fuit in Synagoga. Et eodem modo crux inuenta eſt in terra, quo Moyſes inuentus eſt in ripa, vel Chriſtus in Eccleſia.

Capvt XII.

Præterea verò & hoc à nobis nequaquam ſilentio debet abſcondi, quod in exemplum Moyſi, crux Domini quondam videbatur recondi, quin ſicut Moyſes iuxta ripam fluminis à matre ſua recõditus eſt in fiſcella, ſic lignum crucis à Synagoga diu abſconditum erat in terra. Sed ſicut Moyſes ad ripam fluminis, vel Chriſtus inuentus eſt ad aquam baptiſmatis, ſic Thermuth filia Pharaonis, id eſt, Eccleſia gentium lignum Dominicum inuenire meruit in ſalutem credentium. Sciendum eſt autem, quòd ſicut ad conſiderandum inibi euentum rei, quaſi cum Maria ſorore Moyſi procul videbantur aſtare Iudęi, ſic omnes, qui antiquæ legis adhuc amicti ſunt toga, à myſterio crucis Chriſti longè videntur ſtare cum Synagoga. Sed ſicut filia Pharaonis Chriſtum nobis reſeruauit in maſculo, dum Moyſen incluſum eleuare ſolebat ex vaſculo, ſic Eccleſia gentium lignum crucis ad humanum hodie reuelauerat vſum, quod ex inuidia Iudæorũ diu iacebat incluſum. Et ſicut illa fiſcellam reperit in papilione, ſic Eccleſia crucem Dominicam hodie in recluſione, quoniam vna eadémque gratia crux hodie inuenta eſt in terra, qua quotidie Moyſes in ripa, vel Chriſtus inuenitur in Eccleſia. O mira clementia Dei, ô lux clarior alijs, lux illa diei, in qua, ad exemplum euiſdẽ Iſraëlitici ducis, de loco recluſionis lignum eleuatum eſt crucis. Gratias enim Deo, quòd ſicut filia Pharaonis infantibus Hebræorum magnam humanitatem demonſtrauit, patris ſui maſculum cum fœminis reſeruauit, ſic Eccleſiæ Dei in vero Moyſe magna eſt gratia ſeruata, dum crux Dominica iam maſculis quàm fœminis hodie eſt ab Helena regina monſtrata. Idcirco ſi nequitiam Pharaonis rectè velimus conſiderare, mirum non eſt, quod de infantibus Hebræorum maſculos iuſſit occidere, & fœminas reſeruare. Quoniã ſicut maſculi & fœminæ perſonis diſcernuntur geminis, ſic virtutes in maſculis, & vitia ſignantur in fœminis. Vnde ne pro reſeruandis fœminis & occidendis maſculis hoſtis antiquus cordium noſtrorum recipiatur in vaſculis, orandum eſt nobis, vt verus Moyſes nobis tribuere dignetur has virtutes geminas, vt in collectione virtutum & abſciſione vitiorum reſeruemus maſculos, & occidamus fœminas, ne veri Pharaonis videamur ſubire dominium, qui ſexum iuſſit occidere maſculinum, & reſeruare fœmininum.

Virtutes maſculis, vitia fœminis ſignantur.

Moyſes in figura regis æterni regale illud diadema pedibus contriuit, quod rogatu filiæ ſuæ, capiti eius Pharao impoſuit.

Capvt XIII.

Ergo quamuis de Moyſe & filia Pharaonis ſemel & ſecundo ſermo ſit nobis, adhuc tamen tertio cum eis locuturi puſillum, breui ſermone & illam tangemus & illum. Sciendum eſt enim, quod idem puer regio veſtitus cultu, formoſus in habitu, ſed formoſior erat in vultu, ſpecie ſcilicet & pulchritudine ſua illum præfigurans Dominum, de quo ſcriptũ eſt; Specioſus forma præ filijs hominum. Vnde mirum non eſt, quod per antiquæ diuinitatis conſilium, filia Pharaonis eum ſibi adoptauit in filium, quoniam idem filius adoptionis, filium illum præfigurauerit in ſpe, de quo ſcriptum eſt; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Proinde ſub typo illius, qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem, patri ſuo Pharaoni eundem offerebat infantem, rogans videlicet, vt per intimum paternæ charitatis amorem imperij ſui eum faceret ſucceſſorem. Sicque tranſlatus in domum Pharaonis, nequaquam ibi regalibus priuatus eſt bonis, impleta ſcilicet in eo illa prophetica ſententia, Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Vt enim Ioſephus refert in libris antiquitatum, in domo Pharaonis magnum habebat principatũ, typicè videlicet illum deſignans, de quo propheta dicit egregius; Factus eſt principatus ſuper humerum eius. Vnde licet Pharao generis illius nobile ignoraret ſtemma, pro gratia tamen filiæ, regni ſui imponebat diadema, impleto ſcilicet in ſeipſo, quod ſermo teſtatur euangelicus; Auferetur ab eo regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Quod etiam idem Moyſes bene nobis in ſua protinus actione monſtrauit, dum regale illud diadema in terram proijciens, pedibus conculcauit, ſignificans videlicet, quod in ſolio terreni regni nequaquam terreno ſucceſſurus eſſet homini, qui accepturus erat regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. In quo ſcilicet facto regnum diaboli quandoque deſtruendum eſſe pręuidit, dum coronam, quàm Pharao ſibimet impoſuit, pedibus contriuit, typicè videlicet nobis inſinuans, quod per virtutem crucis illum ſemper conteremus atrociter, de quo Apoſtolus. Deus inquit conteret ſatanam ſub pedibus veſtris velociter.

Moſes enim figura.

Pſal. 44.

Pſal. 2.

Pſal. 112.

Pſal. 83.

Moyſes magnus in ædibus Pharaonis.

Matth. 21.

Rom. 16.

Tres hi viri, Ioſeph, Iſaac & Moyſes, ſecundum prophetiam eorum & legem, de myſterio crucis diſparem quidem ſermonem, at parem habuerunt mentem.

Capvt XIIII.

Ecce ſicut per ænigmata verborum ſpiritualium in explanatione trium virorum, de vno currebamus ad alium, ita nunc nobis congruum videtur & opportunum, vt eoſdem viros ſimul hic colligamus in vnum. Sed quoniã ijdem viri Ioſeph, ſcilicet Iſaac & Moyſes, in tribus perſonis figuras habuerunt tres; ideo conſiderandum eſt nobis oculis ambobus, qua in re tertius diſcrepare videatur à duobus. Ad prædicandum ergo ſæculorum omnium regem, duo de his obtulere prophetiam, tertius legem, quoniam ſicut lex per Moyſen data eſt, ita per Ioſeph & Iſaac prophetia nobis oblata eſt. Vnde quamuis duo de

his

Lex & prophetia in crucis myſterio completa.

bis Patriarchæ ſint, & tertius Propheta, lex tamen & prophetia ſingulorum in myſterio ſanctæ crucis ferme A videtur impleta, exceptis his, quæ vel præmium nobis pollicentes aut ſupplicium, futurum adhuc habent expectare iudicium. Intuendum eſt autem, quod vbicunque Deum prædicauere viuentem, diſparem ſermonem & parem habuerunt mentem, quia ſi verba ſingulorum velimus conſiderare ſolertius, quidquid vnus & alius, hoc teſtatur & tertius. Dignum quippe fuit, vt quos radius ſupernæ penetrauerat lucis omnes pariter loquerentur ex myſterio crucis, in quo pro emundanda originalis immundiciæ cloaca, de latere Saluatoris ſanguis exiuit & aqua. *Ioan. 19.* Vnde ſciendum eſt, quod ſicut Abraham typum Saluatoris ſe habuiſſe monſtrauit, dum ſub arbore crucis tres vidit & vnum adorauit, ſic & iſti tres, diuinam humanámque in Deo coluere naturam, dum ſanctæ Trinitatis formam ad eandem ſolebant adorare B figuram. Sed licet omnes vnius Dei habuerint culturam, in ſeipſis tamen ſimplicem habuere figuram, dum cultum pietatis & typum Dei viuentis vnus habuit teſtimonio carceris, aries, & tertius ſerpentis. Vnde ne nos Ægyptiacæ captiuitatis ergaſtulo quaſi cum Ioſeph videamur incarcerati, duos alios viros, Iſaac & Moyſem debemus imitari, vt contra verſutias antiqui ſerpentis armis iuſtitiæ, ita eum eis armemur in mente vt fortitudinem Saluatoris imitemur in ariete, & prudentiam in ſerpente.

Quod in figura crucis Dominicæ & Euangelicæ gratiæ, tribus illis viris, Ioſeph, Iſaac & Moyſi bina vel trina bene conueniant nutritiones. C

Capvt XV.

His igitur ita conſideratis, conſideranda ſunt in eis & alia opera pietatis; vt ſcire poſſimus quid ab vnoquoque illorum petendum ſit iure, quibus pro diuerſitate gratiæ, diuerſæ etiã fuere figuræ. Sicut enim Ioſeph pane vitæ & intellectus meruit alios cibare, & ipſe cibari, ſic Iſaac & Moyſes aqua ſapientiæ meruere potari, quatenus gratia diſpari, & beneuolentia pari alter alteri mutua pollet charitate

Donorum ſpiritualium cuiuſmodi ratio ſit.

ſociari. Ita quippe dona ſe habẽt ſpiritalia, vt virtus vna D ſemper ſuſtentetur alia, quoniam in virtutibus ſpiritalium virorum talis eſt ratio, vt virtus, quæ non habetur in vno, habeatur in alio. Vnde mirum non eſt, quod ſicut Ioſeph ſecundum altioris intelligentiæ ſacramentum, ex horreo charitatis ſpiritale nobis ſolet erogare frumentum, ſic Iſaac & Moyſes ſecundum gratiam vnicuique datã, cœleſtis ſapientiæ nobis daturi ſunt aquam. *Ioan. 6.* Sicut enim Ioſeph in myſterio crucis, panem illum nobis figuraliter oſtendit, de quo dictum eſt; Hic eſt panis viuus, qui de cœlo deſcendit: ſic Iſaac & Moyſes nos *1. Cor. 10.* petræ illius vena debent potare ſecreta, de qua ſcriptum eſt; Bibebant autem omnes de ſpiritali conſequente eos petra. Vnde ne nos ſiti pereamus aut fame, dignum eſt, vt per myſteriũ crucis verbi cœleſtis aqua reficiamur & E pane, maximè cum iidem tres viri ſitim animarum inde poſſint emendare per totum, ſi vnus nobis panem, & duo dederint potum. Sed interim nobis nihil obſtare videtur, ſi Ioſeph à duobus alijs pauliſper ſeparetur, vt vbi ratio videtur conuenire rationi, denuo in locum ſuum priſtina debeat ſtatione reponi. Duobus quippe modis breuiter hic annotare debemus, qualiter Iſaac & Moyſe cauſæ cauſis, & res conueniant rebus, maximè eum affluentem ſequentis ſententiæ verſiculum integrè

Famem & ſitim noſtram quo pellant.

de nobis ſitis internæ poſſint propulſare periculũ. Sicut enim Iſaac ex puteo illo, cui nomen eſt viuentis & videntis, in figura Saluatoris irrigare debet arida mentis, ſic vt ſitis cordium noſtrorum extinguatur à Moyſe, in in arca Eccleſiæ poculo charitatis inebriari debemus cum Noë, vbi per myſterium crucis ſeptiformis gratiæ Dei nobis inundante diluuio, aquam nobis ſapientiæ, A Iſaac ex puteo, & Moyſes miniſtrabat ex fluuio.

Quod ſecundum triplicem diuinitatis gratiam, ex proximè nominatis viris tribus, vnus daturus panem, alij duo autem aquam.

Capvt XVI.

Ecce ſi quis iam tempus & horam velit conſiderare ſolertius, denuo ſicut præmiſimus, in locum ſuum reuocandus eſt tertius, quatenus in cœleſti ſanctæ Trinitatis architectio duobus alijs numero ſocietur & myſterio. Sicut enim *Pſal. 77.* Ioſeph in ara crucis panem illum nobis præmonſtrauit in Hebræis, de quo ſcriptum eſt; Panem cœli dedit eis, B ſic Iſaac & Moyſes quædam cœleſtis ſapientiæ ſecreta, geminæ dilectionis bina nobis debent miniſtrare metreta. Cum enim metron Græcè, menſura dicatur Latinè, binæ metretæ eorumdem virorum benè conuenere *Ioan. 2.* doctrinæ, quoniam binis metretis aut ternis hydrias illas impleuere ſupernas, de quibus ſcriptum eſt, capientes *Binæ ac ternæ metretæ quid deſignent,* ſingulæ metretas binas vel ternas. Sciendum eſt quippe, quod ſicut binis metretis gemina dilectio ſignatur, ſic ternis metretis fides ſanctæ Trinitatis typice mõſtratur. Præterea vero, ſicut ex interioris medullæ perſpicacia binis metretis lex figuratur & gratia, ſic ternis metretis triplex ſignatur ordo credentium, coniugatorum, ſcilicet, virginum & continentium. Vnde quoniam in duobus mandatis & fide Trinitatis tota lex pendet & pro- C phetæ, non incongruè tribus his viris binæ vel ternæ conuenere metretæ, quia cœleſtis alimonia quotidie ab eis tribus his miniſtratur ordinibus, cõiugatis videlicet, continentibus & virginibus. Sicut enim Ioſeph per myſterium crucis, pane illo vires reficit animatum, de quo dictum eſt, Cibabis nos pane lachrymarum; ſic Iſaac & *Pſal. 79.* Moyſes corda noſtra procul illius ſolent inebriare figura, de quo ſcriptum eſt, Potum dabis nobis in lachrymis *Ibidem.* in menſura. Et ideo neceſſe eſt nobis, vt per gratiam Dei omnipotentis præceptis Dominicis implere ſtudeamus *Nummus legis & gratia.* hydrias mentis: ita videlicet, vt per duplicem legis & gratiæ nummum, bonis operibus impleamus eas vſque ad ſummum. Alioquin deficientibus ceremonijs legis *Ioan. 2.* Hebrææ, fruſtrà pro nobis nuptiæ factæ ſunt in Cana D Galilææ, niſi in Eccleſia Dei ex bona conuerſatione credentium, quotidie impleantur nuptiæ diſcumbentium. Sed quoniam in myſterio Dominicæ Paſſionis & crucis duplex nobis gratia eſt data, vt in ſacramentis Dominicis, *Aqua & vinum ſimul offerenda.* nec vino debeamus carere nec aqua, ideo vtráque deferenda ſunt in obſequium Dei, ne vel lex deſit gratiæ, vel gratia legi. Sciendum eſt quippe, quia ſi vel ab vno, vel ab alio vinum ſolummodo deferatur in ſacrificium redemptoris, ſanguis eius incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſola vel illo miniſtretur aut iſto, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Et ideo ſicut in ipſa ſanctæ matris Eccleſiæ didicimus ſchola in ſacrificiũ Domini nec vinum ſolum, nec aqua deferenda ſola, ſed vtrumque potius ſimul miſceatur, vt ex vtroque vnum ſacramentum ſpi- E ritali ſanctificatione perficiatur. Ad hoc enim, ſicut ha- *Cur aqua mutata in vinum ſit in nuptijs.* bemus ex traditione fidelium, in conuiuio nuptiarum aqua in vinum, & lex mutabatur in Euangelium, vt & nos in aliam imaginem ita transformemur ab omnipotente, vt ſicut quandoque in corpore, ita nunc mutemur in mente. Sed ſciendum eſt, quòd lex in Euangelium, & aqua conuerſa in vinum, primò deferri ad Architriclinum, quoniam in Eccleſia Dei, quæ in tribus ordinibus triplex habet triclinium, in figura doctorum principale videtur habere dominium. Cum enim archos Græcè, *Paſtorum ordo præcipuus.* princeps dicatur Latinè, paſtoribus Eccleſiarum nomen iſtud bene videtur conuenire, quia ſuper tres principales ordines dignitatum, in triclinio Eccleſiæ ſolent habere principatum. Vnde quia tunc ſpiritaliter ex aqua vinum eſt factum, quando myſterium Dominicæ Paſſionis &

crucis videbatur eſſe peractum, dignum fuit, vt gratia, quæ prius in qua latebat à vino à filijs Eccleſiæ primùm A deferri deberet Architriclino. Alioquin in eodem vino & aqua fruſtra nobis eſſet duplex gratia ſeruata, niſi vinum illud ex aqua nobis huc, & ſibi deferretur illuc, de *Ioan. 2.* quo ſcriptum eſt; Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſq; adhuc. Tale quippe vinum nõ corijs putribus, ſed nobis potius debetur in vtribus: quoniam bene ſibi cauere debet omnis fidelium cœtus, ne in nouos vtres vinum faciat vetus. Quid autem per nouos vtres, niſi noui ſignantur homines, *Noui vtres quid deſignent.* ſi tamen innouati per gratiam Dei omnipotentis, non nouitatem corporis, ſed nouitatem habeant mentis? Qui enim per mortem crucis olim mortuos ſuſcitauerat potres, ipſe ad excipiendum ſanguinem ſuum nouos ſemper exigit vtres, qui ad eandem formam in nouum hominem renouentur à veteri, per quam innouati ſunt Petrus, Paulus, & cæteri. B Vnde ne vtres cordium noſtrorum vtribus illis diſpares inueniantur, de quibus Veritas; *Matth. 9.* Vinum (inquit) nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur: neceſſe eſt, vt ex pruina cœleſtis gratiæ, cum vtre illo vitiorum noſtrorum frigeſcant inteſtina, de quo ſcriptum eſt; *Pſal. 118.* Factus ſum ſicut vter in pruina. Quia enim nemo poteſt internum habere decorem, niſi in vitijs habeat frigus, & in virtute calorem: dignum eſt, vt vnuſquiſque noſtrum eundem diuinæ dilectionis calorem habeat in ſe, de quo dictum eſt; *Pſal. 38.* Concaluit cor meum intra me. Alioquin illud in *Cant. 4.* Canticis clamare nõ valemus fiducialiter; Surge Aquilo & veni Auſter, niſi totius malitiæ frigus ſic internæ cogitationis excludatur à clauſtro, vt ianua cordis clauſa ſit Aquiloni, & aperta ſit Auſtro. C Quapropter quia diuinis nequaquam placere valemus obrutibus, niſi frigus in vitijs, & calorem habeamus in virtutibus: neceſſe eſt, vt ad celebrandas nuptias Dei omnipotentis bonis moribus, & probis actibus impleamus hydrias mentis, vt in myſterio crucis dignè haurire poſſimus de illo ſpiritalis lætitiæ vino, de quo ſcriptum eſt; *Ioan 2.* Haurite nunc, & ferte Architriclino.

Quia igitur ſatis ſupérque iam impletæ ſunt nuptiæ diſcumbẽtium, dum in conuiuio ſpiritalium verborum impleuimus hydrias mentium, tempus eſt, vt ad repetendas iam prioris ſententiæ metretas, de nuptijs & hydrijs, ad patriarchas reuertamur & prophetas. Dignum quippe eſt, vt ſicut per diuinæ pietatis efficaciam, pauliſper à lege vertebamur ad gratiam, D ita nunc ad præconandum rerum omnium regem, de vino ad laticem, & de gratia recurramus ad legem. Sed licet nobis magna eliciendum ſit vi, quicquid hauriendum eſt ex puteis Iſaac, & ex lege Moyſi, tamen quia ſeueritatẽ vtriuſque ſemel ſumus experti, iterum ad eos priſtina debemus lectione reuerti. *Comparatio elegans.* Eandem enim vim ſuper nos ijdem habent prophetæ, quam ſuper annulos & ſtipulã videmus in lapide de magnete, dum ad eãdem formam cogimur ijſdem obedire prophetis, qua feſtuca vel annulus ſeruire coguntur potentiæ magnetis. *Magnetis vis.* Sicut enim ille ad ſe quadam admirandę virtutis contrahit arte, quicquid ſibi de his aduerſa obuiauerit parte, ita & nos pro peragendo negocio antiquo, ad eoſdem, prophetas contrahi videmur ex obliquo. E Proinde ne in exequenda propoſitæ rationis theoria, Ioſeph à duobus alijs longius digrediatur à via, neceſſarium eſt, vt iam eo citius debeat alijs ſociari duobus, quo numero & myſterio ſubuenire debet ambobus. Ijdem enim viri eo magis digni ſunt humanæ ſeruitutis miniſterio, quo pauci numero, & plures fuere myſterio, quoniam bene nobis vtriuſque teſtamenti gladius innuit biceps, quod in eis intellectus eſt multiplex. Vnde quoniam ſub vnius profeſſione fidei, multiplex in eis fuit gratia Chriſti, dum aliud officium erat illi, & aliud iſti, neceſſe eſt, vt apud nos penſare diligenter ſtudeamus quid ab vnoquoque eorum dignè ſperare debeamus. Patrocinio enim eorũ, & gratia Dei alio modo indigemus nos, & alio Iudæi, quoniam in myſterio crucis, *Luc. 16.* inter nos & illos tantũ chaos videtur eſſe firmatum, vt neque nos ad illos, nec illi ad nos velint habere meatum. A Quapropter ne cum eiſdem Iudæis famem patiamur vt canes, in myſterio crucis à vero Ioſeph quotidie *Pſal. 58.* nobis ſpiritales quærendi ſunt panes, vt ſicut ille eum medulla tritici, vel cum panibus occurrit ſugienti, ſic Iſaac & Moyſes aquam cœleſtis eloquij ſitibundæ deferant menti. Sciendũ eſt enim, quod ſicut verus Ioſeph quondam pane illo ſpiritaliter nos, & carnaliter pauit Hebræos, de quo propheta Dauid, Pane (inquit) cœli, ſaturauit eos: *Pſal. 104.* ſic verus Iſaac & verus Moyſes aqua illa cœleſti ſpiritaliter nos, & figuraliter potauere Iudæos, de qua ſcriptum eſt, Aqua ſapientiæ potauit eos. Et ideo neceſſe eſt nobis, vt ſicut verus Ioſeph per myſterium crucis manna illud cœleſte quotidie dat nobis, fidei dentibus ruminandum, de quo Pſalmographus. Pluit (inquit) manna ad manducandum, *Pſalm 77.* B ſic verus Iſaac & verus Moyſes ſitim illam animarũ nobis debeant emendare viritim, de qua ſcriptum eſt, Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Adhuc etiam neceſſarium eſt, vt ſicut verus Ioſeph myſterio cœleſtis ſacramenti in horreo Eccleſiæ, quotidie cibare nos ſolet ex adipe frumenti, ſic bina vel terna ſpiritalis intelligentiæ metreta potare nus velit Iſaac de puteis, & Moyſes de petra. Taliter quippe, ſicut interioris oculi poteſt dignoſci perſpicacia, in his tribus viris triplex nobis occurrit gratia, dum per gratiam eius, qui animam ſatiabit inanem, duo nobis offerunt aquam, & tertius panem. Sed licet vnius generis cibus, pro qualitate hominum ſæpe non conueniat tribus, nobis tamen oſtendendum eſt hic deuotione ſingulari, & ratione communi, qualiter C in myſterio crucis vnus omnibus, & omnes conoeniant vni. Vnde quoniam in illo ſolo noſtra fides, & noſtra eſt ſpes cuius figuram habuit Ioſeph, Iſaac & Moyſes, orandum nobis eſt, vt ſicut verus Ioſeph per myſterium crucis quotidie nos pane illo paſcit in præſentis Eccleſiæ domo, de quo ſcriptum eſt; *Ibidem.* Panem Angelorum manducauit homo, ſic verus Iſaac deuotioni noſtræ ita ſe velit exhibere deuotum, vt ex puteo ſanguinis ſui cœleſtis gratiæ nobis tribuat potum, quatenus per verũ Moyſen fidei, ſpei & charitatis, trino ſubleuati remigio, pręſentis ſæculi mare ſicco poſſimus tranſire veſtigio: ita vt per paſſionem eius & crucem, ſemper mortificemur in corpore, & viuificemur in mente, cuius mortem Ioſeph in carcere, Iſaac in ariete, & Moyſes præfigurauit in ſerpente. *Mortis Dominicæ figura.* D Quod ipſe nobis præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſęcula ſęculorum, Amen. Quia enim iam à nobis concludendum eſt properè, quicquid propoſuimus de Ioſeph & Iſaac, & Moyſe, conſiderandum eſt, quid ſermo Dei, qui eſt efficax & viuus, nouiſſimè hic vnus operetur in tribus: ſicque ſermo noſter, quaſi poſt deuictam curæ ſecularis vmbram vel turbam, in Chriſto Ieſu ad ipſam perueniet ſummam.

BERENGOSII ABBATIS DE INVENTIONE SANCTÆ CRVCIS.

LIBER SECVNDVS.

Beata Helena, eiuſque filius Conſtantinus, magnam à Deo obtinuit gratiam.

CAPVT. I.

E QVAMVIS non poſſit eſſe incognitum, quod poſt paſſionem Domini lignum Dominicum à Iudæis diu erat abſconditum, dignum tamen eſt, vt ad prædicandam eiuſdem ſacratiſſimæ crucis victoriam, quando vel à quo inuenta ſit, reuocemus ad memoriam. *D. Helena.* Beata igitur Helena Treuirorum quondam indigena ciuitatis, poſt gratiam baptiſmatis operibus cœpit inſudare pietatis, quia cum perfecta in fide,

Digitized by Google

fide, & perfectior in charitate, nobilis erat genere, ſed nobilior ſanctitate. Nobilitate etenim morum ſuorum A nobilitatem præcellebat aliorum, ſciens videlicet, quia hæc eſt nobilitas indubitata, quæ bonis moribus probatur ornata. Vnde & ex ſemine ſenatorum nobilium nobilem quendam generauit filium, qui ſecundum luminare maius, quod videtur præeſſe diei, ſplendor fuit Imperij in his, quæ erant ſæculi, & in his quæ Dei. Quapropter vt diuina ſibi præordinauit ſanctio, non incongruè Conſtantinus à Conſtante vocabatur & Conſtantio, ſeipſum ſcilicet erga Deum maiorem conſtantiam habere demõſtrans, quam ijdem parentes ſui Conſtantius haberet aut Conſtans. Sed licet ſecundum dignitatem ſæculi nobilis eſſet ex ſemine patris, nobilior tamen in his, quæ Dei ſunt, erat ex progenie matris, dum poſt acceptam gratiam Dei viuentis, nobilitati corporis nobilitatem prætulit mentis. Poſt gratiam quippe baptiſmi, B qua vtrique ſuperno reconciliati ſunt patri, eadem virtus quæ data eſt filio, dabatur & matri, quia ſi hiſtoriam vtriuſque velimus conſiderare ſubtilius, Deum quem coluit mater, colebat & filius.

Nobilitas vera & certa quæ.

Conſtantinus D. Helenæ filius.

Ab Helena matre Syriam: à Conſtantino filio Romam atque Græciam, conuerſas eſſe: ipſiſque ſolis, inueniendæ crucis gratiam commiſſam eſſe.

Capvt II.

Postquam ergo filius per Syluestrum Pontificem hanc gratiam recepit ab omnipotente, vt in piſcina ſalutis à lepra in corpore, & à C vitijs mundaretur in mente: continuo, vt & alios educeret de lacu miſeriæ & de luto fecis, fidem ſanctæ Trinitatis tam Romanis cœpit intonare quàm Græcis. Qui licet in fortitudine & maior eſſet in virtute, æqua tamen lance pro Iudæorum ac gentilium ſtuduit laborare ſalute, dum quaſi medius diſcurrens inter Iudæos ac gentes, reuocare cœpit incredulos, confortare credentes. Interim autem, dum tali deuotione mũdum ſibi & ſe Deo ſubiecit, hac & illac mater illius ſimiliter fecit, ex intimo ſcilicet cordis inde crebra trahens ſuſpiria, quod Chriſtianæ fidei tam diu prius repugnauit & Syria. Proinde mater & filius eo ſtudioſius facti ſunt præcepta vitæ, quo gratia, quæ data eſt vni, dabatur vtrique: dum, ſicut vtriſque cœleſtis inſpirauerat pater, D fidem quã prædicabat filius, prædicauit & mater. Cum enim pro capiendis hominibus ſua vtrobique tenderent retia, continuo ad fidem Chriſti Roma trahebatur & Græcia. Inſuper etiam ne aliarum gentium corda quaſi à fide ieiunia, deficerent in via, per matrem conuerſa eſt Syria, & per filium Romania. Vnde cum ex tam bonis operibus, & mater proba eſſet & filius probus, mirum non eſt, quod gratia, quæ ſeruata eſt vni, ſeruatur ambobus, dum pro inquirendo myſterio ligni ſalutaris vtriſq; præ cęteris ſeruata eſt gratia ſingularis. Ex antiquæ enim diuinitatis conſilio inueniendæ crucis officium matri huic ſeruabatur & filio, vt vterque eorum hoc ex diuina gratia percepiſſe ſe noſſet, quod ante ſe alius habere non E poſſet. Vnde cum ſtudio amborum inuentum ſit crucis Dominicæ vexillum, dubium eſt, vtrum in hac inuentione illam pręferamus aut illum: maximè cum ad hanc inquiſitionem tam diu eis eſſet cõſiliarius vnus ex mille, vſquequo ad effectum eiuſdem operis illa perueniſſet ac ille. Per internum enim inſpirationis Dominicæ ſuaſum, eidem inuentioni filius præbuit ortum, & mater occaſum, quia dum ad hanc inquiſitionem vterque eorum ſe fecit accliuem, filius imponebat originem, & mater finem.

Gratia vna matris & filij.

Conſtantinus contra Barbaros ſigno crucis ſe armauit, & ſecundum ſignum, quod in cœlo viait, hoſtes proſtrauit & vicit.

Capvt III.

Verum cum cœleſti ſolummodo notum ſit patri, quare ſacratiſſimæ crucis inuentio filio huic ſeruaretur & matri, dicendum eſt nobis, qualiter arcanum antiquæ diuinitatis conſilium ad inquirendum lignum idem Dominicum, matrem prouocaſſet ac filium. Quodam ergo tempore, non modica multitudo Barbarorum fines vbique cœpit deuaſtare Græcorum, dum quaſi in apertam prorumpens apoſtaſiam, totam penè ſolebat occupare Romaniam. Conſtantinus autem nondum Deum timens, ſed homines reueritus, ſe contra hoſtes ſuos ſicut miles armauit emeritus, dum die noctúque cum ſuis cogitare cœpit ac recogitare, qualiter aut quomodo eos inde poſſet propulſare. Sed cum inde ſingulis noctibus & ſingulis anxiaretur diebus, ſicut ſemper anxia cum trepidis mutat ſententia rebus, tandem pro declarando crucis ſacratiſſimæ ligno contra inimicos ſuos, tali diuinitus releuatus eſt ſigno. Quadam igitur nocte in ſtrato ſuo quieſcens, ſignum crucis in cœlo vidit, & poſt huiuſmodi viſionem ſtatim in hunc ſenſum vocem de cœleſtibus audiuit, ſcilicet, quod in die belli, & in tempore pugnandi per hoc ſignum victoriam deberet habere triumphandi. Vnde licet adhuc Paganus extitiſſet, & de myſterio crucis nondum quicquam inſtructus fuiſſet, continuo tamen ad eandem formam, quam in cœlo videbat, aliud ſignum informari faciebat. Et cum dies accidiſſet opportunus, in quo virtutem crucis ipſe crucifixus erat oſtenſurus ad comprobandum cœleſtis gratiæ ſignum, ante aciem Conſtantini idem deportatum eſt lignum. In quo conflictu licet alter contra alterum obſtinatam haberet faciem, fortiſſime tamen acies impugnauit aciem, quoadúſque acies immenſa ſuorum per virtutem crucis aciem debellaret aduerſariorum. Cùm enim tyrones emeriti hac & illac ad arma fuiſſent intenti, & circa ripam Danubij pars patri, & gens occurreret genti, cõtinuò, vt diuina gratia ſibi prius in viſione monſtrauit, in virtute crucis hoſtes ſuos ex parte peremit, & ex parte fugauit. Sic igitur poſtquam ad laudem diuinitatis & gloriam per virtutem crucis meruit habere victoriam, illam diuinæ promiſſionis gratiam, bene habebat in ſe expertam, de qua ſcriptum eſt; Odientes eum in fugam conuertam. Quia enim non relinquat Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, ea die bene declarauit in virtute ſuorum: dum per virtutem crucis ipſe eos à barbaris voluit liberare nationibus, de quo ſcriptum eſt; Confirmat autem iuſtos Dominus. Sed licet ipſi nondum iuſti fuiſſent in oculis hominum, erant tamen iuſti ante Dominum: quia iam tunc eis appropinquare cœperat illa cœleſtis gratiæ medela, per quam inceſſuri erant in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.

Vt ad perquirendam S. crucem Conſtantinus & Helena permoti ſint.

Viſio Conſtantini.

Pſal. 88.
Pſal. 124.
Pſal. 39.

Conſtantinus ſigno crucis victoriam conſequutus quum eſſet, cœpit primum ab idolorum cultoribus crucis myſterium perquirere: Baptizatus autem dein à Syluestro, Chriſti fidem per totum orbem prædicari fecit.

Capvt IIII.

Constantinus igitur poſt fugam hoſtium, & victoriam ſuorum, de myſterio crucis inquirere cœpit à ſacerdotibus idolorum, ac ſi illi, qui nondum fuerant virtutem ſanctæ crucis experti, aliquid ei poſſent inde dicere certi. Audientes autem hoc pauci Chriſtiani qui tunc aderant ibi, quædam de aduentu filij Dei primo prædicauerunt ſibi, ac deinde myſterium paſſionis eius & crucis rete-

Digitized by Google

xentes ordine pleno, narrauerunt ei omnia; quæ facta ſunt de Ieſu Nazareno. Conſtantinus autem, ad placan- A dum totius operis opificem, continuò ad ſe Romanum fecit accerſiri Pontificem: à quo confirmatus & baptizatus in nomine Domini, diſcere cœpit, quid vel Deo deberet aut homini. Nouum quippe habitũ & nouum aſſumens animum, in fonte Saluatoris duo genera cœpit medicaminum: dum pro eo, quod effundere noluit ſanguinem innocentem, lepra deſeruit corpus, & vitia mentem. Proinde confiſus in virtute diuina contra vitia carnis bella gerebat inteſtina: quia dũ in ſeipſo formam diuinitatis altius impreſſit, bellũ, quòd ante cum hoſtibus habuit, poſtea cum vitijs geſſit. Poſt quã enim dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniã dilexit multum, continuò ad vnius Dei conuerſus eſt cultum: quia ne diuerſis idolis vltrà ſacrificaret in templo idolorum cõmuni, non multis poſtea dijs voluit ſacrificare, ſed vni. B Ab illo quippe die coram Deo nolens facere reum, in perſonis trium, & in maieſtate vnum adorauit Deum, dum in amore conditoris cor eius eo magis erat innixum, quod nihil aliud ſcire voluit, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Sic igitur cum quotidianis profectibus de virtute in virtutem, & de ſalute creſceret in ſalutem, factum eſt, vt in orbe terrarum eò fieret vbique potentior, quo in ſeruitio conditoris cœpit eſſe feruentior. Vnde quia cogitatione humilis, & operatione fidelis ſeruiuit in terris, cui Angeli famulantur in cœlis, ideo pro hac nouæ cõuerſationis executione fideli factus eſt thronus eius, ſicut dies cœli. Sed quia ſic per fidei cultum, & boni operis fructum Chriſtianis intulit gaudiũ, & idololatris C luctum: ideo & nos maiores gratias pro eo agere debemus gratiæ conditori, quo fidelis ipſius, & ſibi proficiebat & nobis. Totum enim orbem ad eandem penè perduxerat fidem, qua beatum Syluestrum pontificem ipſe inſtructus, pridem ſciens videlicet, quia ſicut virtus totius veſtimenti pendet in ſtamine, ſic in fide Chriſti tota ſalus pendet animæ.

Conſtantinus baptiſma ſuſcipit.

Deſcribit formam veri Imperatoris.

Conſtantinus matrem ſuam B. Helenam, pro inquiſitione ligni Dominici Ieroſolymam miſit, quæ vbi eo perueniſſet, magno ſtudio eſt de ſancta Cruce apud Iudæos percunctata.

Capvt V.

IGITVR cum per arcanum antiquæ diuinitatis archiſterium Conſtantinus Imperator Romanum quondam rexiſſet imperium, ob fidei ſemen hac & illac vbique ſpargendũ, de gente in gentem, & de regno tranſiuit in regnum: D dum pro fidelibus hilaris, & pro infidelibus triſtis, fidem ſanctæ Trinitatis illis inſinuauit & iſtis. Interim autem, cùm tali modo pro Iudæis laboraret ac gentibus, lignum dominicum inquirere cœpit à ſapientibus, eo ſtudioſius ſcilicet cupiens eiuſdem crucis venerari memoriam, quo per eam ab hoſtibus ſuis antea meruit habere victoriam. Sed quoniam ipſe pro fide Chriſti & negocijs imperij animum ſuum in plura diuiſit, ideo beatam Helenam matrem ſuam pro ſe Ieroſolymam miſit, vt eo ſtudioſius ibi E Dominicam inquireret crucem, quo ad hanc inquiſitionem ipſum crucifixum oſtenſorem haberet ac ducem: Beata igitur Helena ſapienti vſa conſilio, ſtatim interius Deo, & exterius obediuit filio: dum non ſolum valida manu pro eadem inquiſitione Ieroſolymam iuit, ſed etiam à Iudæis, vbi lignum Dominicum eſſet, diligenter inquiſiuit. Quæ enim de vitijs ad virtutes iam tunc bene operando tranſiuit, non immeritò theſaurum illum diuinitatis inquiſiuit, inquiſitum inuenit, inuentum cuſtodiuit. Vnde vt & nos cum ea, quaſi de tenebris properemus ad lucẽ, dicere debemus, qualiter ipſa eandem inuenit crucem: ne quis audientium ſic vnquàm inſipiens fiat, vt poſtea ſe dicat iſta neſcire, cũ ſciat. Eligens ergo ſibi de Iudæis viros numero mille, inquiſiuit ab eis, A quid de eo ille ſentiret aut ille, ſicque omnes vna eadémque ratione videns eſſe contentos, denuò de eis cœpit ſeparare quingentos. Qui licet inſtructi eſſent lege diuina, neſciebant tamen, quid de eis vellet facere Regina, niſi quantum inde Iudas vnus ex eis cæteris poterat enarrare Iudæis. Vnde & ipſe iuſtam eis inde reddens rationem, ligni, inquit, Dominici vult facere quæſtionem. De quo tamen nihil omnino dixerat eſſe conſcriptum, niſi quantum à patre ſuo vel auo ſibi fatebatur eſſe prædictum. Proinde recordatus patris & aui veteris, ſententias eorum cœpit enodare cæteris, Iudæorum ſcilicet ac gentium populis coarctando duobus, quicquid inde de parentibus percepit ambobus. Dixerant enim ſibi, quod ipſe & omnis poſteritas illius hoc noſſe poterat, quod quandocumque inquiſitio ligni B fieret, genus eorum amplius regnare non valeat, ſed regnum eorum transferendum eſſet in ſalutem credentium, de quo ſcriptum eſt; Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.

Conſtantinus amplificandæ fidei ac religionis Chriſtianæ ſtudioſus.

S. Helena ad inueſtigandam crucem mittitur.

Modus peruestigandæ crucis D. Helenæ.

Iudas cæteris Iudæis Reginæ conſilium explicat.

Beata Helena morte plectendos, ignique Iudæos illos cremandos cenſet, quod S. Crucem oſtendere nolent, Iudámque in lacu ſeptem diebus ſeruari præcipit.

Capvt VI.

REGINA autem reuocans ad ſe omnem Iudæorum cohortem, vitam eis proponebat ac mortem, vitam ſcilicet, ſi lignum crucis oſtenderent: mortem autem, ſi demonſtrare contemnerent. Sed cum corda eorum ad hæc indurata fuiſſent, & ea, quæ ſciebant, ſe neſcire dixiſſent: eò celerius eos, quæ dicenda erant dicere cogebat, quò citius ab eis voluit ſcire, quod neſciebat. Sed cùm veritas rei ab eis nulla ratione poſſet inueſtigari, continuò iuſſit omnes igne cremari: vt vel ſic eos cogeret monitis obedire diuinis, quos ad hoc nec blandimentis poterat prouocare nec minis. Iudæi autem ſibimet inde timentes, & viuere potius, quam mori cupientes, tandem ad oſtendendam ſibi veritatem nudam, pro ſe omnibus tradiderunt Iudam. Quem cùm nec minis terrere; nec blandimentis ad hoc poſſet allicere, vt veri aliquid inde vellet dicere: continuò ſuſcipiens de omnibus vnum, per ſeptem dies D iuſſit eum in lacu ſeruari ieiunum, vſquequò ſeptem diebus euolutis, ea ratione inde ſe poſtularet educi; vt debitam ſeruitutem Dominicæ impenderet cruci. Qui cum ad hæc verba de lacu fuiſſet eductus, continuò Chriſtianis gaudiũ, & Iudæis ortus eſt luctus: quoniam omnes Iudæi, qui conuenerant ibi, inuidebant nobis, & timebant ſibi. Sed ille, qui eſt ſalus noſtra in tempore tribulationis, miſertus eis, & miſertus eſt nobis, dum conuerſus ad nos, & reuerſus ad eos, ea die voluit lætificare Chriſtianos, & illuminare Iudæos.

Regina in Iudæos necis promulgat ſententiam.

Iudas in lacum mittitur.

Iudas dein è lacu extractus, facta ad Dominum oratione, tres cruces inuenit: Crucis autem Dominicæ mortuus ibi reſuſcitatus teſtimonium perhibuit.

Capvt. VII.

E PRo hac igitur cauſa, cum illuc, vbi locus erat Caluariæ, vndique concurriſſet turba plebis bifariæ, contrahere pars cœpit ad patrem, ne per Iudæorum impietatẽ ars deluderet artem. Iudas autem inter cæteros ſtans in conſpectu filiorum hominum, ex intimo cordis orationem hanc fudit ad Dominum, quatenus ipſe ſibi monſtrare dignaretur, vbi eſſet crucis Dominicæ foſſa, qui Moyſi quondam patris noſtri Ioſeph oſtendere dignatus eſt oſſa. Sed quoniam eiuſdem loci certum non poterat inuenire veſtigium, niſi diuina pietas cœleſte aliquod vellet demonſtrare prodigium, ideo ad informandã non credentium ſpem, & cre-

Oratio Iudæ ad Deum.

Signa diuinitus edita.

Digitized by Google

& credentium fidem, ſubito locus commotus eſt idem. Inſuper etiam ad declarandum Dominicæ crucis lignum, aliud continuò ſequutum eſt ſignum, dum ad edomandum cor Iudæorum indomitum, ſtatim de eodem loco fumus aſcendit aromatum. Iudas autem, qui prius inter ſpem pẽdebat & metum, pro mœrore cœpit habere gaudium, & pro gaudio fletum, gratias videlicet agens Deo in vniuerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo. Deinde ad terram ſe inclinans humiliter, foſſorio arrepto, fodere cœpit viriliter: ſed & alij poſt alios tam diu cum eo fodere cœperũt vſquequo pro vna cruce, quam quærebant, tres pariter inuenerunt. O quàm mira & inaudita res quod crux vna quærebatur, & inuentæ ſunt tres, quamuis pro illuminãdis fidelium animabus multo precioſior eſſet vna duabus. Vnde mirum non eſt, quod idem Iudas inter alios ſolicitatus eſt primus, quid ſibi agendum eſſet ex crucibus tribus, quoniam ſicut ex ſynagoga Iudæorum plures affirmauere Iudæi, duæ cruces erant latronum, & tertia Dei. Sic igitur cum inter tot cruces Iudas ipſe neſciſſet, cuius aut cuius illa vel illa fuiſſet, continuò mortuus quidam reſuſcitatus ibidem, præ cæteris crucibus cruci Dominicæ magis adhibebat fidem. Nec enim humanæ ignotum eſſet ſolertiæ, quid honoris ac reuerentiæ duabus deberet aut tertiæ ideo poſtquam eundem mortuum ad vnam & aliam crucem populus inaniter admouit, continuò tertiæ admotus, virtutem ſanctæ Crucis agnouit poſteaquàm duabus illum crucibus turba pedeſtris in vanum porrexit, ſtatim appoſitus eſt tertiæ, & ſurrexit. Vnde non immeritò Deum benedixerunt cuncti, quibus virtutem ligni Dominici reſurrectio teſtabatur defuncti meritò etiam defunctus idem ei præ cæteris benedixit, qui eadem die mortuus fuerat, & reuixit.

Tres cruces inueniuntur.

Surgit mortuus admotus cruci.

De teſtimonio, quod ſancta crux habuit cùm à viuis, tum etiam defunctis, & de ſpiritali gaudio beatæ Helenæ.

CAPVT VIII.

O Preciosvm & admirabile lignũ, ô lignum Angelico & humano preconio dignum, per quod dum antiqua diuinitas & vitæ reddidit mortuum, & libertati captiuum, bene declarauit, quia lignum illud non mortuum videbatur, ſed viuum. O crux ſacra & venerabilis, ô crux glorioſa & admirabilis, cui vt debitus honor exhiberetur à cunctis, præconium habebat ex viuis, & teſtimonium ex defunctis. O inæſtimabilis dilectio charitatis, ô ineffabilis diſpenſatio diuinæ pietatis, quæ per arcanum antiquæ diuinitatis conſiliũ, in mortem crucis pro homine Deum, & pro ſeruo tradidit filium, vt poſt deuictam eiuſdem mortis acerbitatem, ſeruus libertatem, & filius reciperet hæreditatem. Vnde licet eadem ſacratiſſima crux humano non indigeat præconio, quæ prophetico & euangelico vltro commendatur teſtimonio, dignum tamen eſt, vt nos eò ſtudioſius laude proſequamur immenſa, quò in ea ſalus noſtra quondam videbatur eſſe ſuſpenſa: Hæc enim eſt illa crux, quæ ſub Iudaïca detenta diu captiuitate, ab Helena regina hodie probatur inuenta: vt & nos hoc exemplo commoniti, in illius forma ſtudeamus inueniri. Hæc eſt illa crux, in qua Dei filius exaltatus, traxit omnia ſecum, de quo Angelus ad Mariam. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecũ. Hæc eſt etiam illa ſacra & celebertima crux, in qua lux illa pependit, quæ dixit; Fiat lux, & facta eſt lux, vt ipſe nos ſecum ad æternam perduceret lucem, qui pro nobis ſubire dignatus eſt clauos, lanceam & crucem. Hæc eſt illa crux, quæ ſicut ſacræ ſcripturę teſtãtur ſacramenta, à beata Helena regina prædicatur inuenta, euangelicis videlicet verbis hodie in ea completis, quibus dicitur; Petite & accipietis, quærite & inuenietis. Sed quàm læta vel hilaris eadẽ regina hodie fuiſſet effecta, quando crux Dominica ſurſum de terra videbatur erecta, nullus omnino poterit

Exclamatio in laudem S. Crucis.

Cur nobis ſtudioſius crux ſancta prædicanda ſit.

Lucæ 1. Geneſ. 1.

ſcire, niſi qui in libro vitæ ſeptem ſignacula ſolus nouit
A aperire. Vnde vt, quod bono inceptum eſt omine, bono clauderetur & fine, dignum fuit, vt pulcherrimum illud donum pulcherrimæ primum deferretur reginæ, quatenus gratię cœleſtis archiſterio prior eſſet in dono, quæ maior erat imperio.

Quanto cleri & populi ſtudio & alacritate exceptum ſit vitale crucis lignum.

CAPVT IX.

INterim autem, dum per ſalutare myſterium reſpexit Dominus ſuper filios hominum, turbæ concurrentium populorum, in hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum: inſuper etiam
B pro ſalutando eiuſdem ſalutaris gratiæ loculo, continuo facta eſt lætitia magna in populo. Excluſa enim antiqua Iudæorum perfidia, ſpiritalis ibi cantici cythara & lyra, tympanum reſonauit ac tibia: quoniam vt nullius profeſſionis aut ætatis congrua ibi deeſſet perſona, illuc vicinus & incola, peregrinus accurrit & aduena: vt ſicut nullus eorum à culpa videbatur immunis, ſic eadem gratia ſingularis omnibus poſſit eſſe communis. Quantus ibi concurſus eſſet gentium & populorum lætitia, percipere non poteſt auditus aurium, nec viſus oculorum: quoniam omnes, qui aderant, tantum ibi gaudium, tantùmque habuere tripudium, vt propter videndi deſiderium ea hora comedendi etiã dimitterent ſtudium. Vbi dum alter alterius inuidebat velocitati, æmula fiebat
C charitas charitati, quando ad videndam eiuſdem cœleſtis myſterij dignitatem, charitas cœpit retardare charitatem. O laudabile diuortium, & admirabile commercium, in quo curſus velocium curſum retardauit inertium: vbi licet velociores quique retardare viderentur inertes, vtrique tamen gratiæ Dei nequaquam videbantur expertes. Sed quia nondum fuerant virtutem ſanctæ crucis experti, ideo iners veloci, & velox adhærebat inerti, vt alter alteri eo minus videretur inertior, quo ad currendam viam alter altero volebat eſſe ſolertior. Sicut enim contriſtari cœperant Iudæi, dum in ligno Dominico viderunt gloriam Dei: ita Chriſtianus gauiſus eſt populus, quãdo idem cœleſtis myſterij viſus eſt loculus. Ibi proculdubio alacres ac flebiles, ibi fortes quique conuenere vel debiles, dum per diuerſas vtrarumque
D partium fortes, flebilibus adunati ſunt alacres, & debilibus fortes. Ibi etiam cæci & claudi diuinæ coadunati ſunt laudi, ac ſi aliquis eos verbis illis euãgelicis inuitaret illuc, quibus dictũ eſt; Cæcos & claudos introduc huc. Præterea vbi ſurdi quilibet ac muti propriæ ibi inſidiabãtur ſaluti, dum pro gratia illius aduenere illuc deuoti, qui ſurdos fecit audire & mutos loqui. Vnde quoniam ad videndum crucis ſacratiſſimæ loculum, clerus vndique poſt clerum, & populus accurrit poſt populum, mirum non eſt, ſi tanta multitudo populorũ, quaſi de gyro vertebatur in gyrum, vbi ex colliſione turbarum vir impegit mulierem, & mulier virum. Vbi enim clerus & populus agmine conglobati ſunt miro, quid profuit; ſi vicinus inibi & vir vxori, & vxor adhæſerat viro maxime
E cum vterque eorum inibi diuino ſubmiſſus honori, & vxor viro, & vir inuideret vxori? Pro ſalutando etenim theſauri eiuſdem precioſiſſimi loculo ſtrepitus fiebat in clero, tumultus in populo, dum pro feſtina viſitatione eiuſdẽ ſuperni germinis, & diuini ſeminis ſudor erupit in viris, pudor in fœminis. Vbi licet hac & illac populus videretur ſtare pro muro, adhuc tamen pater accurrit cum filio, mater cum puero: quibus licet infans vagiens domi ſeruaretur in cunis, ab eadem tamen lætitia nullus eorum eſſe volebat immunis. Vt enim alter præ altero vitale cerneret myſterium, alter alterius cœpit impedire deſiderium, quia ſicut in exequijs charorum, alter præ altero pia deuotione iungitur ad feretrum: ſic ad diuinum illud obſequium alter alterum ſtuduit præuenire per alterutrum. Ibi quippe alter alteri longam fecerat

Concurſus hominum ad videndam crucem.

Mæror Iudæorum lætitia Chriſtianorum.

Deuotio mira cleri ac populi erga crucis venerationem.

motam, dum ab hac gratia videnda alter alterum ab hora cohibebat in horá: quia licet ad hoc ſpectaculum A concurreret omnis ſexus & ætas, ſoliti tamen inceſſus quilibet illorum exceſſit metas. Vnde quantum mœroris habuerunt omnes qui aberant, illi ſolummodo poterant ſcire, qui aderant: maximè cum eo maiori triſtitia illi abſorberentur, qui aberant, quo ampliori lætitia viderant illos tripudiare, qui aderant. Sed nemo fortaſſe de his, quibus cœleſtis magiſterij diſciplina præfuit, in concilio iuſtorum & congregatione ibidem defuit, quoniam maior eum inde pœna conſtringeret, ſiquidem ibi de eodem conuentu deeſſe contingeret. Ibi enim alter alterum eò ſtudioſius ad illud cœpit præuenire ſpectaculum, quo alter præ altero diuinum voloit ſpectare miraculum: vbi crux ſacratiſſima Dominici ſanguinis liquore cruenta, ab Helena regina diuinitus legitur eſſe B nudata.

Quemadmodum de S. Crucis honore etiam nobis gaudendum, & quid inter Chriſtianos & Iudæos interſit.

Capvt X.

Vt & nos de inuenta S. Crucis gaudere ac gratulari debeamus.

Verum licet nos cum illis ea die corporaliter non eſſemus, eodem tamen gaudio, quo illi iam nos gaudere debemus: quia licet corporali præſentia ibi fuiſſemus abſentes, in corpore tamen Chriſti eis quodammodo videbamur eſſe præſentes. Participatione enim ſpiritalis lætitiæ & exultationis ea die nos illis, & illi aderant nobis, quoniam in vnitate Eccleſiæ ibi cum C eis ipſe nos habebat in ſe, qui de electis ſuis ad patrem; Volo, inquit, vt ſint vnum in me, ſicut & ego in te. Ecce quàm fortunatum, imò quod fortunatius eſt omnium fortunio, quod Deo & homini ſic vna vnio, & ſic communis extat communio, vt eandem vnionem homo habeat in Deo, & Deus in homine, quam corpus in capite, vel caput in corpore. Quia enim caput Chriſti ſit Deus, & caput Eccleſiæ Chriſtus, inde permaximè probari poteſt, in quo dicitur: Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Vnde ſciendum eſt, quod Iudæi à Chriſtianis in hac vnione diuiſi, à corpore Eccleſiæ prorſus videntur abſciſi, quoniam de myſterio crucis & incarnationis Chriſti, aliud ſentiunt illi, & aliud iſti. Sicut enim nos pro informandis fidelium animabus, tres perſonas D credimus, & vnum Deum adoramus, ita Iudæi è contra ſe in aliam formam malè credendo tranſmutant, dum in Deo vnam perſonam adorant, & duas alias refutant. Sed notandum eſt, quod licet alio modo credant Chriſtiani, & alio Iudæi, vterque tamen cultum vnius habent Dei, quia quamuis de myſterio Crucis aliud ſentiat Chriſtianus & aliud Iudæus, ab vtroque tamen vnus colitur Deus. Sed quoniam in morte Saluatoris vnus innoxius, & alius eſt reus, non immeritò gaudere debet Chriſtianus, & lugere Iudæus, vt ex bonæ vel malæ arboris fructu, pro myſterio Crucis vnus ſit in gaudio, & alius in luctu. Et bene quidem credentibus conuenit & non credentibus, vt & illi gaudere cum gaudentibus, & iſti debeant flere cum flentibus, quoniam vt Apo- E ſtolus dicit; Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt, his autem, qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, virtus Dei eſt. Vnde mirum non eſt, quod ſicut in credentibus riſum illum in futuro videbitis, de quo Veritas; Beati (inquit) qui nunc fletis, quia ridebitis: ſic in incredulis riſus ille quandoque videbitur, de quo ſcriptum eſt; Riſus dolore miſcebitur. Et ideo, vt nos gaudium illud ſpiritale bonis ſemper meritis affectemus, de quo Iacobus; Omne (inquit) gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, orandum eſt, vt per gratiam diuinitatis plenum illud gaudium ſemper maneat in nobis, de quo Veritas diſcipulis; Gaudium (inquit) veſtrum nemo tollet à vobis.

Iudæi reſecti à corpore Eccleſiæ.

Iac. 1.

De comparatione Conſtantini & Helenæ matris eius.

Capvt XI.

Ergo quum aliquantulum iam ſumus ſententiæ prioris obliti, dum perfidiæ Iudæorum iuſta ratione conabamur obniti, dignum eſt, vt ſicut in abſconſione ligni Dominici, duritiam illorum ſatis ſumus experti, ita nunc ad Conſtantinum & Helenam priſtina debeamus oratione reuerti. Ipſe enim ſigni cœleſtis inſtructus archiſterio, primus omnium inquirendæ crucis ardebat deſiderio, ſed tamen hunc bonæ voluntatis affectum, mater illius perduxit ad effectum. Sciendum eſt namque, quod poſtquàm per bona opera oratio eorum facta eſt munda, in inquiſitione ligni ſalutaris ille factus eſt primus, & illa B ſecunda. Quia licet inueniendæ crucis vna duobus eſſet intentio, filium tamen inquiſitio, & matrem nobilitauit inuentio. Dum enim eidem inquiſitione vterq; operam dedit, lignum crucis filius inquiſiuit, mater inuenit, quæ dum pro eadem cauſa, terrarum cœpit rimari profunda, inuentione facta eſt prima, & in inquiſitione ſecunda. Vnde licet æterno non incognitum ſit patri, vtrum maiorem reuerentiam debeamus filio, an matri, nos tamen in ipſo, qui ſemper vera reſpicit humilium, maioris meriti credimus matrem eſſe quàm filiũ. Sed tamẽ aliquam reuerentiam inde debemus vtrique, quod iam vterque eorum præmia fortitus eſt vitæ: quamuis ſicut ſtella ab ſtella differt in claritate, ſic mater a filio meritorum differat enormitate. Si enim geſta vtriuſque velimus penC ſare ſubtilius, coram Deo maioris precij creditur mater eſſe, quàm filius; quia poſtquam vtrique cœleſti reconciliati ſunt, in conſtruendis Eccleſijs Dei magna cura filio, ſed maior inerat matri. Quamuis enim filius multas Eccleſias in Græcia cõſtruxiſſet ac Roma, quibus in theſauris & allodijs multa regalia contulit dona: mater tamen, vt adhuc diuerſa ſanctorũ teſtantur martyria, multo plures Eccleſias in Gallijs ædificauit ac Syria. Quapropter Eccleſiæ in honorẽ eius Deo vbiq; ſacratæ bene teſtantur, quanta coram Domino polleat ſanctitate; maximè cum bene ſciat ſola diuinitatis antiquæ ſciẽtia, qualis aut quanta ſit ſanctitas eius & magnificentia. Vnde cum virtus ſanctitatis eius ſit tãta, vt merito inter alios Sanctos, & ipſa numeretur ſancta, mirum non eſt, quod ſicut catalogus Sanctorum ſolet vbique teſtari, feſtiuitas eius à D nobis annua ſemper debet reuolutione celebrari. Sed quoniam in eodem catalogo filio eius nulla eſt mentio, ſed magis memoria illius omnibus modis inibi obliteratur ſilentio: ideo vt in regione viuorum & ipſe cõplaceat Deo, neceſſe eſt, vt oratio fiat ab Eccleſia ad Deum pro eo. Cùm enim in præſentis Eccleſiæ domicilio, feſtiuæ ſolennitatis officium matri potius debeatur quam filio: ideo in agendis mortuorũ prouidendũ eſt cunctis, vt memoriam filij ſtudeant habere cum defunctis. Proinde ad reconciliandum nobis Deum patrem, non iam eundẽ filium debemus orare, ſed matrem: quatenus ipſa ſuæ ſacratiſſimæ interceſſionis auxilio coram Deo nobis ſuffragetur & filio. Quia enim multa ſunt mala quæ fecimus, ideo nos & illum ſtudioſiſſimè debemus eiuſdem E mulieris cõmendare precibus, quamuis dubium non ſit, quin pro filio ſuo eò ſtudioſius oret mater ipſa, quæ genuit, quò idẽ filius non in vitijs, ſed in virtute conſenuit. Et nõ immeritò quidẽ nos & illum eidẽ debemus commendare viduæ, vt pro nobis & illo Deũ exorare velit aſſiduè: maximè cũ ad obſequiũ ſuũ inde nos magis poſſit habere ſpõtaneos, ſi cum eodẽ filio ſuo precibus ſuis domeſticos tueatur & extraneos. Quia enim ſententia illa rebus eſt magna, & verbis exigua, in qua dictũ eſt; Multum valet deprecatio iuſti aſſidua, neceſſe eſt, vt ipſa pro nobis & filio ſuo iã eò ſupplicare dignetur humilius, quo iuſtior enarratur mater eſſe, quàm filius. Vnde vt nobis & illi bene ſit in præſenti ſæculo & in futuro, pro nobis & illo Deũ ſemper orare debemus in obſcuro, quatenus gratia

Conſtantinus primus omnium inquirendæ crucis deſiderio flagrat ſed matrem exequitur.

Helena mater Conſtantino filio cur meritis anteferenda.

Sanctitas D. Helenæ.

Conſtantinus magnus tametſi Piiſſimus princeps nondum tamen ab Eccleſia Rom. relatus eſt in ſanctorum numerum, vel ipſo Romano martyrologio, vnde alio N. eius natalis inter feſtos inſcriptus, quamuis Græci in Menologio 21. Maij feſtum Conſtantini & Helenæ celebrent.

Orandum pro defunctis.

Iac. 5.

gratia quam electis ſuis hic præparauit & ibi, nunquam
nobis poſſit deeſſe nec ſibi. Adhuc etiam ne vnquam a- A
nimabus noſtris deſit requies, aut corporibus quies, pro
nobis & illo Deo ſupplicare debemus per ſingulos dies,
vt ipſe, qui diues eſt in promiſſis, & ditior in donis, ſe-
cundum diuitias gloriæ ſuæ ſibi miſereatur & nobis. Sed
quoniam ipſe poſt mortem ſuam diu forſaſſe iam luit, ſi
quod in eo peccatum ante mortem fuit, dignum eſt, vt
pro nobis ipſis Deo ſemper eo propenſiori ſupplicemus
oratione, quo iam ille fortaſſis eſt in requie, & nos in
labore. Et quoniam ipſe futuræ quietis plenariam non-
dum habet perfectionem, ſed nobiſcum potius melio-
rem adhuc ſperat inuenire reſurrectionem: orandum
eſt nobis, vt ipſe, qui per ſanguinem ſuum viuificæ cru-
cis voluit ſanctificare vexillum, ad perfectam requiem
nos perducat quandoque & illum. Sciendum eſt enim,
B quia licet ille talis ac tantus nõ ſit ex imperfectione me-
ritorum, vt dignè computari poſſit in numero Sancto-
rum: verè tamen & abſque omni dubitatione partem
habebit in concilio iuſtorum & congregatione. Et non
immeritò quidem, quia licet Philippus & Caius, duo hi
ſolummodo reges ante illum, Chriſtianus primus erat
ex cunctis Imperatoribus & regibus, qui Romani orbis
monarchiam ſtudioſſimè diuinis mancipauit legibus.
Vnde quoniam huiuſmodi operibus effugauit à ſe om-
nem poteſtatem inimici, non immeritò, etſi non ſan-
ctus, iuſtus tamen poterat dici; quoniam ad exemplum
iuſti illius Deo ſemper viuere cupiuit, de quo ſcriptum
eſt; Iuſtus ex fide viuit. Si quis enim in hiſtoriis geſta il-
lius diligentius quærat, bene videbit, quod idem vir, etſi
non ſanctus, tamen iuſtus erat: quoniam exemplo iuſti C
illius vitijs erat infirmus, & virtute robuſtus: de quo di-
citur; In memoria æterna erit iuſtus. Et quoniam mater
eius & ipſe virtutes habuerant mille, non immeritò iu-
ſta fuit illa, iuſtus & ille: ſed iuſtior illa. Vnde mirum nõ
eſt, quod ſicut filius typum iuſti illius in æternum habe-
bit, de quo ſcriptum eſt; Iuſtus vt palma florebit: ita &
mater diuerſarum virtutum gratia formoſa, non iam de-
formis vt ſpina, ſed pulchra videtur vt roſa. Sed licet
pro diuerſa qualitate meritorum roſæ ſint martyrum,
&c. lilia confeſſorum: tamen quia per mortificationem
vitiorum corda eorum vitijs erant ſterilia, & virtute
generoſa, non immerito iam filius florebit vt palma, &
mater vt roſa. Adhuc etiam per antiquæ diuinitatis cõ-
ſilium filius vt oliua, & mater florebit vt lilium, quo- D
niam decurſo iam vitæ præſentis exilio, corona iuſtitiæ
nec matri poteſt deeſſe nec filio. Et non immerito tan-
ta mercede ſunt digni, quibus inuentio Dominici reſer-
uata eſt ligni: quamuis mater cum filio tantæ dilectio-
nis fœdus iniret, vt lignum illud filius inquireret, & ma-
ter inueniret. Licet enim ad inquirendum crucis Do-
minicæ vexillum ille illam, & illa incitauerit illum: v-
terque tamen quod pium erat, impleuit, dum eandem
crucem filius quæſiuit, & mater inuenit. Vnde ſcien-
dum eſt, quia ſi idem filius præmium inde debet habe-
re condignum, quod ipſe Dominicæ crucis primus in-
quiſierat lignum, multo maiorem gloriam mater ipſa
promeruit, quæ hodierna die lignum Dominicum no-
bis eleganter aperuit. Et ſi gloria & honore digna eſt
illa, quæ crucem inuenit, multo magis honorandus eſt E
ille, qui nos in cruce redemit, quoniam in eodem li-
gno, quod illa nobis hodie reuelare conſueuit, opus
noſtræ redemptionis ille dignanter impleuit. Vnde
quia pro honore illius quotidie viuificam adoramus
crucem, qui olim in cruce noctem in diem, & tene-
bras vertebat in lucem: orandum eſt nobis, vt per glo-
rioſam eiuſdem crucis ſacratiſſimæ virtutem, quando-
que nobis animarum requiem, & nunc corporum di-
gnetur donare ſalutem: quatenus per gratiam ipſius, &
tunc à pœnis, & nunc liberari mereamur à peccatis,
qui in ara crucis ſeipſum obtulit Deo patri ſacrificium,
in odorem ſuauitatis, Ieſus Chriſtus Dominus noſter,
qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula
ſæculorum.

A

BERENGOSII ABBATIS DE LAVDE ET INVENTIONE S. CRVCIS.

LIBER TERTIVS.

Præfatiuncula Authoris.

QVONIAM de inuentione ſanctæ crucis,
Fratres chariſſimi, quædam iam diximus de
Conſtantio & Helena, per quos inuenta eſt
crux, aliqua dicemus, quatenus in operis hu-
ius ſerie poſt materiam auctores prodantur materiæ. Di-
gnum quippe eſt, vt de ipſa inuentione agamus, de in-
uentoribus eius aliqua adferre debeamus, vt agnita glo-
B ria eorum & magnificentia: melius ad cætera præcedẽs
currat ſententia.

Vt Conſtantius D. Helenam ſibi iunxerit.

CAPVT I.

CONSTANTIVS ergo Cæſar, qui Claudij
Imperatoris nepos erat ex filia, bella ſemper
Conſtantius Imperator.
hoſtilia plus malebat quàm ciuilia, vt bel-
lis hoſtilibus ciuilium bellorum illorum de-
curtaret metas, de quibus ſcriptum eſt, Al-
tera iam teritur bellis ciuilibus ætas. Vnde & in ordi-
ne vicis ſuæ militare ſibi aſſumens collegium, hac &
illac bellum geſſit egregium, dum publicam rem publi-
C co defendens magiſterio, multas ciuitates & prouincias
Romano ſubiugauit imperio. Qua de cauſa copioſo
cum exercitu in Gallias profectus eſt à Roma, hac & il-
lac rebellibus intulit arma, ſupplicibus dona, vt pro
diſpari actione ſingulorum, diſpar eis eſſet & gratia do-
norũ. Vnde & eo ampliori dilectione tenebatur à Gal-
lis, quo ſuperborum erat mons & humilium vallis, dum
reprimendo exoſos, & prouehendo dilectos, cœpit e-
domare tumidos, & eleuare ſubiectos. Sic ergo poſt-
Conſtantius Treuirorum vrbem ingreditur.
quam Gallias hinc & illiuc vbique peragrauit, tandem
ad Treuericam vrbem famoſiſſimam declinauit, quæ
tunc temporis eo diuitiis & rebus erat opulentior, quò
armis & militibus videbatur eſſe potentior. Licet e-
nim fortis eſſet ex prouinciis & ciuitatibus vndique ad-
D iacentibus, diuina tamen gratia fortior erat à credenti-
Treuiris vrbs altera Roma.
bus: maxime cum per beatum Eucharium ac ſocios e-
ius, ita ſterilis eſſet idololatria, & fide fœcunda, quod
non immerito Roma vocabatur ſecunda. Interim au-
tem, dum Conſtantius Romanum imperium per Gal-
lias vbique dilatauit, beatam Helenam virginem pro
nimia pulchritudine, quam habebat, amauit: quia non
ſolum pulchra erat viſu, aſpectúque delectabilis, ſed
etiam gloria & honore magis videbatur admirabilis. Sic
igitur dum in hanc rem totum animum & totum impen-
Conſtantius Helenam ſibi matrimonio iungit.
debat ſtudium, tandem amabile proſecutus deſiderium,
eam ſibi ſociauit in connubium: de qua, vt diuina pro-
uidentia præordinauit, filium, qui Conſtantinus ma-
gnus dicebatur, generauit. Vnde cum melior eſſet Ga-
lerio, & nobilior Chloro & Cyro, mirum non eſt, quod
E tam nobilis fœmina, tam nobili ſociata eſt viro: quoniã
ſicut ipſa mundo erat nobilis, & ideo nobilior, ita & il-
le ſibimet fuit vtilis, & imperio vtilior. Ille enim quaſi
ad inſtar ſpeculi humani radius fuit imperij, in his quæ
ſunt ſeculi. Hæc autem radio fidei diuinæ ſe imprimens
legi, ſpeculum erat imperij, in his quæ ſunt ſeculi, & in
his quæ Dei. Et ideo nobilitate mentis, quam diuina ſibi
prærogauit ſanctio, multo nobilior videbatur Conſtan-
tio: quia per ineſtimabilem ſupernæ pietatis efficaciam,
nobilitatem mentis, quam ille non habuit per naturam,
iſta meruit habere per gratiam. Vnde quoniam idem
Conſtantius nuſquàm amori ſuo tam delectabile po-
terat inuenire ſuffugium, mirum non eſt, quod tam
nobilis vir tam nobilem fœminam ſibi ſociauit in con-

MM

iugiū. De qua, ſicut hiſtoria nobis intonat ſubtilius, per gratiā Dei tam magnus & illuſtris nobis datus eſt filius, A qui & præcedentibus regibus poſterior non eſſet ad virtutē, & ſubſequentibus anterior eſſet ad ſalutē. Et ideo beatus erat vir qui talem filium habuit: beata etiam mulier, quæ præter hunc virum poſt alium nō abiit? ſed ille multo poſſet fieri beatior, ſi per fructū iuſtitiæ vellet eſſe feracior. Felix tamen quoquomodo tanti filij pater? felix erat & mater? ſed feliciores viderentur vtrique, ſi iam pariter potirentur præmio vitæ. Sed tamē per gratiā virtutis cuiuſcunque, felix vterque videbatur vtcunque, quoniā ſicut ille fœlix tēporali virtute vel victoria: ita & iſta fœlix erat ſempiterna gratia & gloria. Vnde & per gratiā cuiuſcunq; virtutis ea parte fœlix illa, fœlix ille, fœlix erat vterque: ſed eò alter altero fœlicior, quo in lege Dei videbatur eſſe peritior. Et licet idē vir, qui Romani orbis B erat ſpeculum, fœlix eſſet, quātum ad ſeculū, per hoc tamē, quod in oculis Dei caligo paganiſmi denigrauerat, nequaquam fœlix erat, quantū ad Deū: Sed ſi quoquomodo poteſt concedi, quod in aliquo fœlix dicatur per gratiam Dei, multo tamen fœlicior extitiſſet, ſi ad fidem cū muliere perueniſſet, quoniā inde magis proſperioribus poſſet pollere ſucceſſibus, ſi per fidem Chriſti cautius conſuleret immanibus aceſſibus.

D. Helenæ generis nobilitatem quæ teſtentur.

CAPVT II.

Helenæ nobilitas vnde poſſit vtcunque colligi.

E CONTRARIO autem mulier illa precioſa, non modo genere, ſed etiā virtute videbatur C generoſa, dum per gratiam Dei omnipotentis nobilitatē corporis nobilitate ſemper extulit mentis. Vnde licet in hiſtoriis parētum illius generoſa ſileatur nobilitas, nobilitatem tamē eius apud Treuiros ædificiorum ſuorum adhuc antiqua teſtatur gentilitas: vbi pauimētum domus illius variis marmoribus & Pario quondam lapide ſtratum, bene declarat, quantum ibi præ aliis videretur habere primatum. Præterea verò ipſæ planicies parietū fuluo auro velut hyacinthino tectu depictæ bene teſtabantur inſignia nobilitatis eius inuictæ: inſuper etiam prædiorum eius copiæ Eccleſiis Dei olim vndiq; collatæ bene declarāt, quam nobiliſſima generis polleret antiquitate. Sed & cubile ipſius aureis ſertis inſtructum & inſignium, nobilitatē quodam modo D in ea, quaſi Romanorum teſtabatur Quiritum, maximè cum ab ortu ſolis vſq; ad vltima Thyle cubili huic ſimile nō poſſet inueniri cubile: quia cubiculum cordis ſui cubicularius ille nulla vnquam inquinauit pollutione, de quo ſcriptum eſt: In cubili ſuo aſtitit, omnium viæ non bonæ. Sed hæc fortaſſis omnia contingebant in figura, quæ regina quandoq; futura hoc habere cœpit ex gratia, quod prius habebat ex natura, quia poſtquam ad finem Chriſti ſuperno meruit reuocari iuuamine ornamenta dignitatis corporeæ traxit ad ſalutem animæ, dum in inuentione ſanctæ crucis, pro humana laborando ſalute, glorioſa fiebat ex hoc opere, ſed glorioſior virtute: in typum ſcilicet Eccleſiæ illa diuerſarum virtutum intus decorata dignitate, de qua ſcriptū eſt. Aſtitit regina à dextris in veſtitu deaurato circundata varietate. Vnde quo- E niā intrinſecus tantis ac talibus decorata fuit virtutibus,

Pſal 44.
D. Helena Deo pariter & Conſtantio chara.

idcirco per omnia in omnibus diuinis placebat obtutibus, quia verò ſpecie ſua & pulchritudine forinſecus erat ornata, ideo viro ſuo Conſtantio amabilis videbatur & grata, quoniam interioræ pietatis, & exterioræ pulchritudinis ita inſtructa eſt norma, vt & Deo placeret in norma & Conſtantio in forma. Secundum opinionē enim vulgi, & veritatem rei, officioſa erat in obſequio viri, ſed officioſior ad obſequium Dei; quoniam amor Conſtantij & Dei ita in corde illius duplici ratione fuit diſtinctus, vt & Conſtantio exterius, & Deo ſubderetur interius. Qui Conſtantius poſtquam in Gallijs negocia belli partim ipſe diſpoſuit, partim aliis diſponenda commiſit, tādem cum ſuis cōmilitonibus genus patriāmque reuiſit, A vt eo maiorem triumphi laurealis reciperet coronā, quo cum maiori palma victoriæ de Gallis reuerſus eſt Romam. Sed licet ignotum ſit nobis, vtrum beata Helena cum eodem Conſtātio abiiſſet, an propter teneritudinē pueri in Gallijs remanſiſſet, credi tamen poteſt, quod vel eo tutius cum eo abducta, vel eo citius poſt eum eſt ſine magna dilatione delata, quo præ cæteris mulieribus ab ipſo magis erat amata. Credendum eſt etiam, quod quandocunque illuc fuerit adducta, ſtatim regiis ornamentis ac ſumptibus eſt decenter nutrita, & diligenter inſtructa: vt ſicut elegans erat in habitu, & elegantior in vultu: ita nihil ſibi de regio ſumptu deeſſet aut cultu.

Conſtantius à Gallis Romam reuertitur.

B *Vt Helenam legitimo ſibi matrimonio ſociarit Conſtantius, & de eorum filio Conſtantino Cæſare declarato.*

CAPVT III.

THEODORA autem Conſtantij vxore defuncta, beata Helena ſibi eſt legitima ſocietate coniuncta: vt quæ prius in palatio obſcuriore aliquantulum potiebatur magiſterio, deinde ſecum & matrimonio potiretur, & imperio. Dignum quippe fuit, vt eo ampliori eam dignaretur honore, quo iam ſecum didicit in quiete, quod pro eo prius pateretur in labore: maximè cum omnis labor grauis omnino videatur, niſi qui per gratiam conſolationis in tribulatione leuatur. Deinde verò cum in- C ter duos Auguſtos, Conſtantium ſcilicet & Galerium, Romani orbis diuideretur imperium: Illyricus & Aſia Galerio, Aphrica vero & Europa euenere Conſtantio. Cùm autem ex diuinæ dignationis permiſſione vel ope vnus præſideret Aſiæ, & alius Europæ, factum eſt, vt Conſtantius eo minorem ſolicitudinem de Italis haberet & Aphris, quo maiorem curam de Hiſpanis habebat & Gallis. Interim verò Conſtantinus filius eius officiis aptus, & hominibus acceptus, conſultu Senatus à Romanis in Cæſarem eſt electus: quoniam pro virtute vtriuſque dignum eis videbatur & iuſtum, vt & filius promoueretur in Cæſarem, & pater in Auguſtum. In qua videlicet re virtus diuina bene declarauit in eo, quia non eſt poteſtas niſi à Deo: dum per arcanum antiquæ D diuinitatis ſuauium eodem tempore, in quo promouerat patrem, promouebat & filium. At poſtquam Cōſtantinus Romanum Imperium aliquot annis tam forti, quam felici virtute defendit, adhuc qualem animum erga Rempublicam haberet, oſtendit, dum pro acquirenda maioris gloriæ corona, valida manu denuò ad Gallias migrauit à Roma.

Imperium diuidunt Galerius & Conſtantius.

Conſtantinus in Cæſarem eligitur.

Vt Conſtantius ſuperatis Germanis & Britonibus abierit, vtque Conſtantinum lepra inuaſerit.

CAPVT IIII.

VBI quamuis tyrannide antiqua, & rebellione nouella gens Britanniæ & Germaniæ de- E nuò eum noua concitaret ad bella, ipſe tamē eo minori eſt inde triſtitia repletus, quò ad triumphandum ei adfuit & exercitus nouus, & ſapientia vetus. Interim autem Conſtantinus filius in Romanis partibus relinquēs matrem, mirabili arte in Gallias proſecutus eſt patrem: vt pater cum filio eò facilius tyrannicæ reſiſteret parti, quò filius patri, & ars ſuccurreret arti. Quia enim vterque callidus erat ingenio, & prouidus in conſilio, ideo mutuo charitatis officio filius patri, & pater occurreret filio: vt eò fortius pars opprimeret partem, quò callidius ars deluderet artem. Inter hæc verò licet Conſtantius in negociis belli miræ foret calliditatis, & admirandæ fortitudinis, gens tamen Britanniæ & Germaniæ facta eſt ei vua fellis, & botrus amaritudinis:

Germani & Britones bellū mouent aduerſus Conſtantium.

tudinis: dum in eis per ſeptennium motas belli continuando, Romano eos imperio vix ſeptimo ſubiugauerat anno. Sic igitur deuicta Germania & Alemania, tandem victor omnium mortuus & ſepultus eſt in Britannia: filiúmque ſuum Conſtantinum ad Romuleam dirigens ſedem, tam Romani imperij quàm Galliarum reliquit hæredem. Conſtantinus autem poſtquam in Galliis negocia regni diſponebat, vt potuit, ſtatim reuerſus Romam, quis vel qualis futurus eſſet, innotuit, dũ per ineſtimabilem gratiam cœleſtis archiſterij, poſt breue tempus monarchiã ſuſcepit Romani Imperij. Sed quàm ſapienter ac ſtrenuè idem Romanum imperium rexit vbique, vſque hodie teſtantur virtutes eius antiquæ: excepto quod multiplici cultura idolorum in breui factus eſt perſecutor Chriſtianorum. Proinde ad vleiſcendam in eo culpam perſecutionis nimiæ, tradidit eum Deus in paſſiones ignominiæ, quando licet magnæ potentiæ, & maioris eſſet conſtantiæ; lepra tamen eum percuſſit elephantiæ. In quo videlicet facto, quia multa ſunt flagella peccatoris, bene in eo virtus declarauit authoris: ita vt propheticum illud dignè ab eo poſſet commemorari; Multiplicata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. Licet enim pro diuerſis medicinæ artibus diuerſi medici diuerſis colligerentur ex partibus, pro ſananda tamen eadem plaga diuina nullus medicus, & nulla profuit medicina. Vnde & pro capacioris medicinæ genere petẽdo, pluſquam tria milia infantium & lactentium vndiq; colliguntur ex regno: ac ſi habilior ad ſanandã illa poſſet eſſe medicina, ſi lactei cruoris illorum lauaretur in piſcina. Die autem ſtatuto, cum pro eadem cauſa de palatio ad Capitolium proceſſiſſet, & hinc & inde reſolutis crinibus matres infantium plangere & eiulare vidiſſet: continuò reprobans conſilia pontificum, facinus cœpit abhorrere terrificum. Et qui prius in multis prælis viris fortiſſimis fortior erat, ea die nimirum mulieribus cedebat, dum per internam aſpirationem ad tantam miſericordiam cœpit inflecti, vt cum donis etiam ampliſſimis iuberet ſingulis matribus ſua pignora reddi. Vnde factum eſt, vt ſicut nulla illarum prius à triſtitia fuit immunis, ita ſequentis lætitiæ cauſa omnibus videretur eſſe communis, maximè cum non tantam prius inueniendo habuerint triſtitiam, quantam in redeundo videbantur habere lætitiam. Taliter ergo Conſtantinus, qui prius alios vincebat; in illa die ſeipſum vieiſſe gaudebat, dum ad laudem diuinitatis & gloriam fletu fœmineo victus, meruit habere victoriam. Maluit enim adhuc ſolus lepram habere volatilem, quàm in ſanguine innocentium gladium cruentare verſatilem, ideóque diuinitus ex impio factus eſt pius, qui pro ſalute plurimorum, ſalutem poſtponebat viuus.

Conſtantius in Britannia moritur.

Conſtantinus lepra inficitur.

Pſalm. 34.

Tria milia infantium colliguntur.

Confert Conſtantinum cum Herode: alterius pietatem cum alterius crudelitate componens.

Capvt V.

Conſtantini pietas cum Herodis impietate comparatur.

VNde cùm pietas Conſtantini; & impietas Herodis vobis, dilectiſſimi multis cognita ſit modis, nil nocet ſi ſecundum comparationẽ boni & mali, alterum alteri lege comparemus ſpeciali. Si enim alter alteri comparatur, probari poteſt, quem mors & quem vita ſequatur: quoniam morte & vita iam abinuicem diſtinguntur vterque; dum vnus habet præmium mortis, & alius vitæ. Vnde enim tibi notum ſit, ô Chriſtiane; quid de vtroque ſentiant leges diuinæ & humanæ, ideo iſtum imitare, & illum imitari deſiſte: quoniam vno modo peccauerat ille, & alio iſte. Herodes etenim rex ſcienter peccauit, dum in mortem Saluatoris ſeipſum impudenter armauit. Conſtantinus autem è contra ignoranter errauit, dum pro vnius hominis vita, in tot homines mortis ſententiam dictauit. Herodes ſempiterni regis ortum molitus extinguere, in ceruices lactentium gladium ſuum arctius ſolebat cruẽtando diſtringere. Conſtantinus verò mitiorem ſe illis volens oſtendere, mucronem ſuum à ceruicibus infantium pia cœpit deuotione ſuſpendere. Herodes ſaluti ſuæ malè conſuluit, & malè prouidit, dum pro occiſione vnius pueri, multos pueros occidit. Conſtantinus verò ſaluti ſuæ multo melius prouidere ſolebat, dum plurimorum ſaluti, ſalutem vnius præferre nolebat. Herodes etiam videns, quia illuſus eſſet à Magis, in occiſione paruulorum pœnas pœnis, & plagas augmentauerat plagis. Conſtantinus verò ab ariolis & magis videns ſibi malè fuiſſe conſultum, in relaxatione paruulorum, matrum plangentium voluit ſedare ſingultum. Herodes regni temporalis tactus ambitione, cœleſtis regni gaudio diuina priuatus eſt vltione: Conſtantinus autem pro relaxatione exercitus occidendi, & non occiſi, dignè promeruit regnum intrare paradiſi. Herodes terreni imperij timens amittere ſortem, pro morte vnius, multis intulit mortem. Conſtantinus autem lepræ maluit volatilis ſolus habere ſcabiem, quàm interfectione multorũ leoninam incurreret rabiem. Herodes malorum currus, & iniquorum auriga, trium filiorum ſuorum proprius extitit parricida: Conſtãtinus autem Græcorum currus, & Romanorum auriga, filiorum alienorum noluit fieri homicida. Herodes multis modis iã addictus eſt pœnis, dum effundendum ſanguinem filiorum ſuorum armis non parcebat amœnis: Conſtantinus autem è contra ab æternis liberatus pœnis, quia in redemptione filiorum alienorum pœnis parcebat alienis. Herodes ſeipſum à facie Domini longius eiecit, dum in interfectione paruulorum ſeipſum potius interfecit: Conſtantinus autem ſibimet melius parcebat, dum innocentiũ ſanguini parcens, ſeipſum interficere nolebat. Sed quia nunc inter manus noſtras eiuſdem nefandi Herodis incidit mentio, cruciatum infirmitatis eius & mortem, non debemus præterire ſilentio: maxime cum poſt mortem ſuam veneniſera ipſius bene teſtarentur aconita, quis vel qualis ante fuiſſet in vita. Huic igitur ante obitum ſuum, nõ modo vitæ præſentis exitium, ſed etiam futuræ videbatur imminere ſupplicium: diuerſis videlicet infirmitatibus ſic eum, vltione proſequente diuina, vt nulla ſibi prorſus poſſet ſubuenire medicina. Pro membris enim putreſcentibus & oculis ſponte decedentibus, odioſus erat aſtantibus, & odioſior aſſidentibus: quoniam pro nimio corporis ac virium defectu fœtidus erat anhelitu, & indecorus aſpectu. Et licet in inferiori parte totus penè liquidus eſſet, ac luridus, humor tamen in pedibus & tumor erat in cruribus: ſed & verenda ipſius putrida & ſcatẽtia vermibus vix expectabant, quouſque vitæ illius miſerabilis adueniret terminus. Quanto magis in verendis eius putridis plaga ſæuit diuina, tanto magis multiplicata eſt in eis ruina: dum propter hoc quod animus ei acer, & tumidus inerat venter, dolor eius erat in cõſpectu ſuo ſemper. Quoniam licet in vna parte vexaret eũ febris, & in altera prurigo, cibi tamen inexplebilis ei videbatur ineſſe cupido: ita vt crebra impulſio, nimia inflatio, tuſſis ventris ingluuiem ſæpè teſtaretur edentis. Præterea verò intus licet & exterius nimio æſtuaret incendio, adhuc tamẽ vitæ præſentis libẽter vteretur compẽdio, niſi quod maiori adhuc corporis infirmitate ſuſcepta, inteſtina illius diuerſis vlceribus intus videbantur obſepta. Vnde licet aquis calidis infuſis, & oleo calido ſæpius fuerit gratia medicinæ perunctus, ad vltimũ tamẽ mala morte & malo fine fuit defunctus: quia poſt multa pœnarum genera, quibus alios prius cruentauerat vltro, tandem ſeipſum proprio interfecerat cultro. Sic igitur quomodo alios prius diuerſis plagis innocenter afflixit, mirum non eſt, quod mala morte obiit, qui ſemper malè vixit: mirum etiam non eſt, quod in æternum & vltra propriis cruciandus eſt pœnis, qui nunquàm ſatiari valebat ex alienis. Quamuis enim ante mortem ſuam in interfectione iuſtorum, Dei ſæpè profanauerit templum, in ipſa tamen morte poſteris ſuis malum reliquit exemplum: dum nobiliores

Diuina vltio ſeuera in Herodem animaduerſio.

Herodes ſibi ipſi manus aſſert.

Exequiæ Herodis impiæ.

quoſque quos ex omni Iudæa in vnum locum fecit congregari, in ipſo exitu animæ iuſſit omnes gladio necari: A vt ſuperſtites eorum eò minus de morte ſua gauderent, quo aliquid inter manus haberent, vnde magis de ſuorũ interfectione lugerent. O nequitia regis, & iniuſtitia Herodis, quæ tantis ac talibus malis cognita eſt nobis & vobis, qui ſub prætextu pietatis Iudæorum conuncando cohortem, per immanitatem tormentorum vitam ſperantibus intulit mortem: ad hoc ſcilicet talibus auſpiciis dedicans introitum mortis & exitum vitæ, vt qui de illius morte triſtari noluerant, triſtarentur inuitè.

Vt Apoſtoli Petrus & Paulus Conſtantino apparuerint, idémque catechumenus factus ſit.

Capvt VI.

B VErvm quia reprobare malum & eligere bonum, non humani ſed diuini muneris eſt donum, tempus eſt, vt ſicut paulo ante de Conſtantino vertebamur ad Herodem, ita nunc de Herode ad Conſtantinum ordine reuertamur eodẽ. Sicut enim Herodes duplici illa contritione in vtroque percuſſus eſt homine, de qua ſcriptum eſt, Duplici contritione contere eos Domine. Ita Conſtantinus è contra pro ſimpliciori culpa, ſimpliciori à Deo percuſſus eſt plaga: dum pro perſecutione Chriſtiana, mulctatus eſt lepra volatili & vaga. *Hier. 17.* Sed quoniam in oculis Dei eadem culpa ſe noluit facere reum, qua Herodes cum quæſiuit puerum ad perdendum eum, ideo & præmio non eſt remuneratus eodem, quo remuneratum iam eundem cõ- C ſtat Herodem. Quia ergo eiuſdem nefandi regis ſatis exaſperata eſt mentio, ideo memoriam illius iam volumus obliterare ſilentio; quoniam in camino ignis æterni tantis cruciatibus habet æternaliter coqui, vt non opus ſit nobis quicquam de eo amplius loqui. Ipſe enim immanitate crudelitatis in innocentium armatus mortem, æternæ proculdubio mortis incidit ſortem: Conſtantinus verò è contra humanitate pietatis innocentiũ differens mortem, æternæ ſine dubio mortis euaſerat ſortem. Qualiter autem eandem mortem euaſerit, vel quis ſibi viam euadendi præmonſtrauerit, eò plenius vobis enodare volumus, quò de neceſſariis rebus hic quicquam prætermittere nolumus. Decurſo igitur die, quo pro effundendo ſanguine innoxio, à nefando ſe abſti- D nuit piaculo, ſequenti nocte per beatos Apoſtolos Petrum & Paulum in hunc ſenſum diuino reuelatur eſt oraculo, *Viſio Conſtantini.* ſcilicet quod ſalutem carnis ac ſpiritus à ſummo conſecutus eſſet opifice, ſi prius ſalutem animæ à Syluestro quæreret pontifice. O quanta benignitas & humanitas Saluatoris: qui cum creator ſit omnium creaturarum, tale tantúmque myſterium tanto viro voluit reuelare per ſomnium, quod ſalutem corporis & animæ, ſuperno conſequeretur examine. Conſtantinus igitur ad comprobandam gratiam diuinæ pietatis & gloriæ, eandem viſionem diligentiſſimè commendabat memoriæ: vt eò citius eam Sylueſtro poſſet mitigata crudelitate referre, quò præ timore illius diu latitauit in montibus & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. Quis autem cogitet veſtrum, quam celeriter ad ſe ſtatim faceret accerſiri E Syluestrum? Quis etiam cogitet, quam longam ſibi videbatur facere moram, cuius præſentiam vix vnam expectauerat horam? Vt enim celeriter adduceretur vir ille beatus, eò celerius poſt illum miſſus eſt pro nuncio nuncius, & pro legato legatus, quo cooperante gratia diuinæ virtutis, ab eodem viro medicinam debuit habere ſalutis. Syluester autem à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate eo minus habebat virium, quo ſe magis vocari formidauit ad martyrium: quamuis pro Domino paratus eſſet in carcerem & in mortem ire, etiam ſi ab eodem homine cogeretur omnia tormentorum genera ſubire. Et quamuis pro eadem ſolicitudine quaſi mille cogitationes haberet ante mille, alio tamen modo cogitauerat ipſe, & alio ille, quoniam per diuinæ pietatis A ineſtimabile donum, quod ipſe deputauit ad malum, ille vertebat in bonum. Licet enim recuperandæ ſanitatis conſilium ab eodem Pontifice nondum fuiſſet adeptus, magno tamen gaudio vir ille beatus eſt ab Imperatore ſuſceptus, *Conſtantinus ſummo gaudio Syluestrum excipit.* quoniam pro inquiſitione illius non tãtum prius habebat ſtudium, quantum & in ſuſceptione ipſius poſtea ſolebat habere tripudium. Quid plura? Duobus igitur hac & illac pariter conſedentibus, & de fide ſanctæ Trinitatis hac & illac inuicem colloquentibus, colloquio eorum eadem ſine dubio credebatur intereſſe ſophia, quæ poſt reſurrectionem duobus diſcipulis loquebatur in via. Sed quamuis inter hæc mutua collocutionum genera, fides adhuc vnius eſſet in radice tenera, tamen vt inter diuerſas propoſitiones ſententiarum, alter ab altero minus haberet tædium, quid ſibi re- B uelatum ſit, alter alteri proponebat in medium, dum diuinæ viſionis horama eiſdem verbis ille retulit iſti, quibus ei prius reuelatum eſt ab Apoſtolis Christi. Et licet idem vir paulo poſt miles Christi futurus, aliquantulum eſſet de eadem viſione ſecurus: adhuc tamen inde volens ſecurior eſſe, inquirere cœpit ſi imagines eorum haberentur impreſſæ. Vnde & beatus Syluester ad obſtruendum eiuſdem diffidentiæ voraginem, eorundem Apoſtolorum ei genuinam deferri fecit imaginem: *Imagines ſacræ Apoſtolorum ad Conſtantinum aſferuntur.* vt plenius teſtaretur imago impreſſæ tabulæ, vtrum viſio illa deputari deberet rei geſtæ vel fabulæ. Et cum non alias imagines præter has quæreret duas, inter manus afferentium continuo eas recognouit vt ſuas: dum pro modulo ſuo eo maiores inde gratias diuinæ re- C tulit virtuti, quo de eadem viſione ſecurus, vicinior videbatur eſſe ſaluti. Vnde poſtquam ſe in laudem eorum animus eius erexit, quorum vultus in viſione conſpexit, Catholicæ fidei eo magis delectari cœpit indagine, quo de futura ſanitate certior ex vtráque reddebatur imagine. Proinde in corde ipſius aliquantula diuinæ cognitionis oborta propagine, in nouam imaginem à veteri tranſiuit imagine: dum ad hoc cognitionibus malis, & operibus renunciauit inceſtis, vt qui portauit imaginem terreni, portaret & imaginem cœleſtis. Vt enim quaſi de imagine ad imaginem, ita de vitio tranſitet in virtutem, pro labore quæſiuit requiem, & pro infirmitate ſalutem: quando per ineffabilem diuinæ pietatis efficaciam, de morte in vitam, de culpa tranſiuit in gratiam. D Tali quippe modo volens ſe ab omni cohibere facinore, à carnali opere, velut à legalis Sabbati quieuit itinere: quando vt à culpa poſſet ire, & in gratia quieſcere, quaſi cũ lucerna & luce in vno cœpit minui, & in altero creſcere. Per Syluestrum enim diuini luminis illuſtratur ſciẽtia, ſicut deficiebat in culpa, in gratia proficiebat & ſapientia, excepto hoc vno, quod adhuc culpa redarguit eum, quod in ſapientia Dei nõdum plene cognouit per ſapientiam Deum. Vnde vt ſapienter inter illos deſiperet inſipienter, de quibus ſcriptum eſt: Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, *1. Cor. 2.* de fide Trinitatis & de myſterio crucis eo ſtudioſius inquirere cœpit à ſapientibus, quo ad exemplum Apoſtoli debitor eſſe voluit ſapientibus & inſipientibus. Et vt perpetuæ ſalutis quandoque attingeret portum, in ſeipſo idololatriæ occaſum, & fidei præbuit ortum: E *Rom. 2.* quia poſtquam per beatum Syluestrum fide ſanctæ Trinitatis informabatur, ibidem in corde illius & fides accepit originem, & idololatria finem. Secundum admonitionem enim Sylueſtri, & reuelationem Domini, intus & exterius Deo obediuit, & homini, dum velut in Pythagorico biuio cathechizari arripiens dextrum, fidei ſymbolo *Conſtantinus fit catechumenus.* cathechizari meruit per Syluestrum.

A quo

A quo baptizatus ſit Conſtantinus.

Capvt VII.

Vervm quia Syluestrum & Conſtantinum iam inter manus habemus, de nomine vnius, & de baptiſmate alterius aliqua dicemus: quoniam in quorundam cordibus magnum inde ſæpius ortum eſt ſchiſma, quod hic ab Euſebio, & illic à Syluestro legitur accepiſſe baptiſma. Si enim in geſtis Græcorum ſtudioſè quæritur, ab Euſebio Romanæ vrbis Epiſcopo baptizatus aſſeritur. Si autem in hiſtoriis Romanorum ſtudio rimatur honeſto, proculdubio baptizatus legitur à Syluestro. Vnde breuiter hic enodandum eſt in nomine Domini, qualiter hæc duo nomina B vni conueniant homini: vt quæſtio, quæ inter quoſdam inde ſolet oriri, iuſta poſſit ratione ſopiri. Secundum definitionem enim ſapientium, & non ſecundum opinionem plebium, quidam eum vocauere Syluestrum, quidam autem Euſebium: quoniam ſicut in pluribus locis refertur à Chriſtianis, Euſebius vocabatur à Græcis, & Syluester à Romanis. Proinde quoniam Euſebius græcum nomen erat, non incongruè græcum illud nomen à Græcis habebat, quia ſicut à legendo lector, vel à pingendo pictor vocatur: ſic Euſebius à ſcribendo dicitur bonus ſcriptor. Ipſe enim quaſi ſcriba doctus in regno cœlorum ſtylo prædicationis ſcripſit in cordibus proximorum, quæ vel qualia Dominus narrauit in ſcripturis populorum: quando inter cætera diuinæ potentiæ miracula, protulit eis de theſauro ſuo noua & vetera. Et C quoniam veteris ac nouæ legis edictum in tabula cordis ſui diligenter habebat inſcriptum, ideo die noctuque didicit in ſcriptura veritatis, qualiter odio habiturus eſſet omnẽ viam iniquitatis. Vnde poſtquam in fontibus Saluatoris calamum cordis altius intinxit, ad imaginem & ſimilitudinem Dei mentis interiora depinxit: vt in aliam formam transformaretur calamo ſcribæ, dicentis: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.

Græca ac Romana hiſtoria de Conſtantini baptiſmo diſſentientia componuntur.

Syluester binominis.

Hæc non ſatis videntur græcæ ſignificantiæ conſonare.

Pſal. 44.

Ergo quia de nomine Euſebij, nunc ſatis fecimus turbæ pedeſtri, dignum eſt, vt de vocabulo Syluestri iam quaſi militiæ ſatisfaciamus equeſtri: quia ſicut ab equo dicitur eques, & à pede pedeſter: ſic idem vir non incõgruè à ſylua vocabatur Syluester. Quis enim diffidat hũc virum propheticis & Euangelicis legibus inſtitutum, D frondibus bonorum operum in ſyluam ſemper excreuiſſe virtutum? Ne enim Euangelica falce cum eadem arbore ſuccideretur, de qua dicitur, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: ideo figuram arboris illius ſemper habere voluit eminentia meritorum, de qua ſcriptum eſt: Non eſt arbor malè faciens fructum bonum. Et quia nunc mente libera, & carne captiua in domo Dei quaſi fructifera ſẽper florebat oliua, ideo pro virtutum floribus typũ palmæ illius in æternum habebit, de qua ſcriptum eſt, Iuſtus vt palma florebit. Quia igitur bonorum operum virgultis, quaſi in ſyluam virtutum ſemper excreuit dum quod verbis docuit, operibus impleuit: ideo dũ cœleſtis verbi miniſter, & diuinæ dilectionis videbatur eſſe ſequeſter, non immerito quaſi à ſylua dicebatur Syluester. Sed ſi- E cut nunc de vtriſque nominibus quædam dicta ſunt priuatim, ſic vtráque nomina iam in vnum ſunt colligenda ſummatim: quia licet vnum ab altero diſcrepare videatur verbo, non opere, ipſe tamen etymologiam vtriuſque ſpiritali exercitatione ſtuduit obſeruare ſummoperè. Vnde proculdubio ſeipſum in nullo decipit, qui in hoc vno homine nomẽ vtrunque recipit: qui autem inde dubium aliquod in animo gerit, ille re vera nodum in ſcirpo quærit. Cum enim vnuſquiſque Romanus Pontifex vſque adhuc habeat duo nomina, vnum videlicet ex alieno, & aliud ex ſuo, mirum non eſt, ſi idem vir in Apoſtolatus gradum diuinæ pietatis promotus efficacia, vnum nomen ex natura, & aliud habeat ex gratia. Quia

Syluester vnde dictus.

Matth. 3.

Luc. 6.
Pſal. 51.

Pſal. 92.

igitur pro colligendis ouibus & populo Dei conuertenA do, ſcriptis & dictis ſemper erat in exhortando, & ſeuerus in corripiendo: ideo dum in ſtudio prædicationis ad quoſdam mitius, & ad quoſdam ſe habebat ſæuius, non immerito & Syluester vocabatur & Euſebius.

Vt totus pietatis operibus vacarit Conſtantinus, ſacrum baptiſma ſuſcepturus.

Capvt VIII.

Ecce quoniam in explanatione vtriuſque nominis, Euſebij ſcilicet & Syluestri ſermo noſter aliquandiu nunc ſtetit in loco campeſtri, B dignum eſt, vt iam pro altiori myſterio, quaſi cum Ieſu, aſcendentes in montem, Conſtantinum regem cum proceſſione lectionis proſequamur ad fontẽ. Sicut enim nemo poteſt dignè pro terrenis cœleſtia quærere, niſi antea velit pro cœleſtibus terrena deſerere: ita Conſtantinus vitæ perennis nequaquam peruenire poſſet ad fontem, niſi virtutum gradibus quaſi cum Ieſu prius aſcendiſſet in montem. Vnde conſilio & inſtitutione Syluestri, cum turba ſeculari diutius ſtare nolebat in loco campeſtri: dum pro dilectione Dei poſt gratiam baptiſmi ſcalam Iacob eo altius cum Angelis aſcẽdentibus aſcendit, quò ante baptiſmum eandem ſcalam pro compaſſione proximorum ſtudioſius cum angelis deſcendentibus deſcendit, vt enim pœnitentiæ remedio animæ ſuę diuerſis poſſet mederi vulneribus, continuis C ſeptem diebus miſericordiæ vacauit operibus, vt in ſecularibus rebus eo minor ei labor per ſingulos ingraueſceret dies, quo in ſpiritualibus cauſis maior ſibi videbatur cõſiſtere quies. Tali quippe modo per totos 7. dies diuinæ ſe parans laudi, templa Chriſtianorum aperiri, & templa idolorum iuſſerat claudi: ſed & omnibus volens benefacere, & omnibus parcere, captiuos à captiuitate, carceratos eiecit à carcere: vt pro ſalute ipſius eo maiori lætitia ſecum lætarentur in Deo, quo ab omni ſeruitutis iugo liberi ab eo quaſi anno dimitterentur Iubilæo. Sic igitur cum ab omnibus anguſtiis & tribulationibus eſſent expediti, qui frigore & nuditate ſiue fame cruciabãtur & ſiti: factum eſt, vt per hæc diuerſa cœleſtis miſericordiæ ſolatia, mali præcedentis iniuria, gaudij ſubſe- D quentis leuarentur gratia. Conſtantinus autem abolere cupiens ignorantiam priſtini erroris, ad exemplum Mariæ peccatricis pœnitentiæ lachrymis pedes cœpit lauare Saluatoris, dum pro lepra vitiorum ſuorum diluenda eo magis pedibus eius ſtuduit appropinquare, quo cum decem leproſis euangelicis diutius à longe noluit ſtare. Vnde monitis beati Syluestri idololatriæ renuncians toti, iuſta præceptum Domini lepram peccati eidem oſtẽdit ſacerdoti, ne cum illis decem leproſis diuerſis vitiorum agitaretur motibus, quibus veritas ait: Ite, inquit, oſtendite vos ſacerdotibus. Quid plura? Tam diu alter alterius vtebatur conſilio, tamdiu etiam alter cum altero, quaſi pater loquebatur cum filio, quoadusque filius obediens patri, reconciliari meruit Eccleſiæ matri. Sicut enim Saluator noſter quondam in deſerto cœlorum re- E lictis ouibus nonaginta nouem, in Idumæa præſentis ſeculi centeſimam quæſierat ouem: ita beatus Syluester ab ouili Domini dolens ouem aberraſſe centeſimam, paternæ dilectionis humero reportare ſtudebat ad Eccleſiam. De qua ne diutius differretur gratia, ſupernæ virtutis venit tempus acceptabile, & dies ſalutis, in qua illa hora magis magiſque cœpit appropinquare, quæ pro relaxatione paruulorum, digna mercede debuit eũ remunerare. Vnde poſtquam beatus Syluester Chriſtianæ fidei plenius ei demonſtrauit diſciplinam, cœpit ei pro medicina medicinam, & pro piſcina monſtrare piſcinam, quando Propheticis & Euangelicis reformatum inſtitutis, pro piſcina ſanguinis, baptizauit eum in piſcina ſalutis. O dies illa venerabilis, & hora ſpecta-

Conſtantinus miſericordiæ vacat operibus.

Luca 15.

Baptiſma ſuſcipit Conſtantinus.

bilis, in qua oculos omnium lux penetrauit intolerabilis, quando virtus diuina dilectionis antiquæ cum eo faciens pactum, (A) reſtaurare dignata eſt lapſum, ſolidare cōfractum. O ſacra & celeberrima dies, in qua animæ illius data eſt requies, & corpori quies: quādo in eodem fonte, quaſi piſcium ingentium ſquamæ, de corpore ſuo lepræ volatilis genus decidebat infame. O clara dies, & cæteris clarior diebus, in qua finis & ortus duabus collati ſunt rebus, quia cum ſonus in aqua quaſi ſartaginis ſtridentis eſſet exortus, in corde illius idololatriæ finis, & fidei datus eſt ortus. Pro exteriori enim corporis lepra, & interioris animæ offenſa, duplex eſt in eo virtus diuinitatis oſtenſa: quia ſicut veſtigia ſerpentis non inueniuntur in petra, ita nec in anima eius inuenta eſt macula, nec in corpore lepra.

Lepram Conſtantini Naaman Syri lepra comparat.

Capvt IX.

Comparat lepram Conſtantini lepra Naaman Syri.

SED quia nemo præter Deum de impoſſibilibus poſſibilia, vel ex diſſimilibus poteſt facere ſimilia, nil nocet, ſi nos è contra ſimiles res ſimilibus æquiparantes rebus, lepram Conſtantini lepræ Naaman Syri comparemus. Quamuis enim vterque fuiſſet idolorum cultra famoſus, vterque tamen fortis erat & diues, ſed leproſus, quia ſi vitam vtriuſque conſideremus intentè, vterque eorum lepram in corpore, & lepram habebat in mente. Vnde cum pro (4. Reg. 5.) ſaluatione vtriuſque rei vnus quæreret opem Heliſæi, & alius Dei, factū eſt, vt licet vnus curari crederetur à Deo, (C) & alius ab Heliſæo, vterque tamē verè curaretur à Deo. Dextera enim Domini fecit virtutem, dum vtriſque voluit exoptatam conferre ſalutem: ſed tamen maiorem gratiam illi eadem contulit dextra, qui in fonte Saluatoris intus curabatur & extra. Vnde ne à nobis remanere poſſit intactum, qualiter à Deo cum vtroque ſit factum, breuiter hic dicendum eſt in nomine Chriſti, quo virtus diuinitatis illi ſubueniret auxiſti. Naaman itaque Syro verbum Iſraelitici regis amarum erat vt fel, cum pro ſanitate ipſius veſtimenta ſua ſcidiſſe videret regem Iſraël. Conſtantino verò è contra verbum veritatis dulce videbatur vt mel, cum in ſalute ſua ſentiret prophetam in Iſraël. Naamam profectus ad vmbram veteris teſtamenti, (D) tulit ſecum decem talenta argenti. Conſtantinus autem vmbram decalogi penetrans ſplendore ſacramenti, in arca cordis ſui ſeruauit memoriam pondus argēti. Naaman in figuram decem legalium præceptorum, tulit ſecum decem mutatoria veſtimentorum. Conſtantinus autem ſecum ferens decem mutatoria legalium ſcripturarum, per myſticum intellectum ea mutauit in ſalutem animarum. Naaman nondum videns gloriam Dei, pro ſalute petenda ſtetit ad oſtium domus Heliſæi: Conſtātinus autem pro ſalute quærenda, ad oſtium illius cœpit ſtare nihilominus, de quo in Euangelio: Ego ſum oſtiū, (Ioan. 10.) dicit Dominus. Naaman ſigno crucis ſe nunquam in fronte conſignans, ab Heliſæo auertit ſe, & abibat indignans: Conſtantinus autem charactere Chriſti ſe ſine intermiſſione conſignans, à Deo auerti & abire nolebat (E) indignans. Naaman iugo ſeruitutis adhuc oppreſſus cū Agar, Naaman inter terminos æternæ felicitatis eo minus tentauit accubare cum Iſſachar, quo Iordanem fluuium leuiorē æſtimauit fluuiis Damaſci, Abana & Pharphar: Conſtantinus autem in fonte Saluatoris eò magis optauit & corpore curari, & mente renaſci, quo meliorem eum æſtimauit Abana, & Pharphar fluuiis Damaſci. Naaman Heliſæi ſerui Dei obediens verbis, in lauatione Iordanica ſuis obedierat ſeruis: Conſtantinus autem ſæpè inobediens Dei filio, ſerui Dei Syluestri cœpit obedire conſilio. Naaman in Iordane flumine ſepties lotus, à lepra corporis mundus factus eſt totus: Conſtantinus autem in fonte Saluatoris tertio tinctus, gratia ſeptiformis ſpiritus, foris curabatur & intus. Naaman nequaquam fuit aqua & ſpiritu renatus, quia non- (A) dum CHRISTVS erat glorificatus: Conſtantinus autem in lauacro regenerationis aqua & ſpiritu renatus, tam in corpore quam in anima videbatur eſſe curatus. Naaman reuerſus ad domum viri Dei, pro ſanitate recepta gratias retulit ei: Conſtantinus verò à cœleſtis patriæ domo longo remotus exilio, ad domum patris ſui cum prodigo reuerſus eſt filio: Naaman enim diuinæ voluntati voluntate reſiſtens friuola, pro ſalute corporea reſpuebat idola. Conſtantinus autem pro ſalute animæ, & amore cœleſtis patriæ, in corde ſuo finem perfidiæ, & occaſum dedit idololatriæ. Naaman aliquantula Iudaicæ fidei inflammatus face, ab Heliſæo viro Dei abire videbatur in pace. Conſtantinus autem in fide Catholica veri Heliſæi confirmatus ope, euangelizauit pacem his, (B) qui longè, & pacem his, qui prope.

Naaman & Conſtantini vocabula quid ſignificent.

Capvt X.

Naaman quid ſignificet.

QVONIAM igitur comparatio Naaman & Conſtantini à nobis eſt diſcuſſa moraliter, reſtat vt nomen Naaman ſeorſum diſcutiatur æqualiter: vt ſaluatio, qua in vtroque ſaluatus eſt homine, concordare videatur cum nomine. Quia enim idem Naaman in virtute bellorum animum ſemper habuit virilem, non incongruè videbatur populum ſignificare gentilem, quod etiam bene nominis ipſius (C) interpretatione ſignatur, quia Naaman decus, ſiue commotio eorū interpretatur. Ipſe enim ſine decore virtutum Deo ſeruire nolens oculo ad oculum, ad vnius Dei cultum gentilem commouit populum: ne ſimilis illis fieret in interioribus oculis, de quibus ſcriptum eſt; dediſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis. Qui quaſi cum gentili populo in Iudæā (4. Reg. 5.) veniens ad domum Heliſæi, ſecūdum legem Moyſi cultum ſeruauerat Dei, ne in tranſgreſſione vnius mandati, coram oculis illius fieret omnium reus, de quo ſcriptū eſt; Notus in Iudæa Deus. (Pſal. 45.) Sed quia nomen Naaman moraliter expreſſimus, ita pro exprimendo Conſtantini nomine aliis procedendum eſt greſſibus: vt ſi à nobis exprimi non poteſt allegoricè, ſaltem quadam ſimilitudine exprimatur hiſtoricè. Sicut enim ex longinquitate (Pſalm 75.) (D) dicitur longinquus, & ex vicinitate vicinus, ſic ex Conſtante Conſtantius, & ex Conſtantio dictus eſt Conſtātinus: (Conſtantini nomen explanat.) in ſeipſo videlicet patris & aui ſui conſtantiam eſſe demonſtrans, quorum vnus dicebatur eſſe Conſtantius, & alius Conſtans. Tam magnam quippe conſtantiam habuit ex vtriſque Conſtantio & Conſtante, vt clypeus eius in bello nunquam declinaret retro, ſed antè, tanta videlicet animi conſtantia inimici timoris inuaſione deterſa, vt haſta eius in prælio nunquam videretur auerſa. Vnde licet eadem declinatione à Conſtante Conſtantius, & à Conſtantio deriuetur Conſtantinus, qua ab humanitate deriuatur humanus, & à diuinitate diuinus: Conſtantinus tamē pro Eccleſia Dei ſemper laborare ſolebat abundantius, quam ante ipſum vnquàm (E) Conſtans laboraret aut Conſtantius. Poſt ſanitatē quippe receptam, eundem Deum cœpit adorare cum Naaman, quem ante ſe quondam adoraſſe videbatur Abraham: (Geneſ. 18.) qui fidem ſanctæ Trinitatis nobis præſignando monſtrauit, dum quaſi ſub arbore crucis tres vidit, & vnum adorauit. Sed tamen alter præ altero maioris gratię recepit puritatem, dum ille ſecutus eſt vmbram, & iſte veritatem: quia ſicut omnibus perſpicuum, & omnibus eſt planum, ille paleam, & iſte ſecutus eſt granum. Vnde mirum non eſt, quod maior gratia, quam ſub vmbra legis olim contigiſſet Naaman Syro, per gratiam veritatis huic beatiſſimo collata eſt viro: quoniam ſicut ille ſepties lotus de paganiſmo rediit ad Iudaiſmum, ſic iſte ſeptiformi ſpiritu renatus, peruenit ad baptiſmum: quando licet vnus lauaretur inuite, & alius ſpōte,

vnus

vnus tamen in Iordane, & alius curabatur in fonte.
A Quamuis enim per ſpiritum Dei in cordibus eorum in-
habitantem, ille literam occidentem, & iſte ſpiritum ſe-
queretur viuificantem: poſt beneficia tamen ſanitatis
expertæ ad gratiam conditoris peruenire merebatur
vterque. Sed ſicut in his duabus cauſis, vmbra ſcilicet le-
gis & gratia veritatis, erant inæquales, ita duobus his
4. Reg. 5. modis videbantur æquales: quia ſicut per illum Domi-
nus ſalutem dedit Syriæ, ita per iſtum ſalutem dedit Ec-
cleſiæ.

Quid inter Conſtantinum & Giezi leproſum interſit.

Capvt II.

Qvia igitur de typi curatione viri huius
B vtriuſque charitati veſtri dilectiſſimi ſatis lo-
quebamur hucuſquæ, tempus eſt, vt iam de
his tranſeuntes ad cætera pro eloquēdis aliis
denuò noua proferamus & vetera. Vnde vt & alius eui-
cino leproſus in locum Naaman à nobis valeat inueni-
ri, qui pro infirmitate corporali eidem Conſtantino di-
gna comparatione poſſit vniri, nil obſtat, ſi in ſcala Ec-
cleſiæ, velut in humiliorem de gradu deſcendentes al-
tiore, eundem virum clariſſimum adhuc viro compare-
mus inferiori. Quis autem leproſus ille poteſt eſſe niſi
4. Reg. 5. Giezi, qui à præfata Naaman pecuniam ſuam fallacia ex-
Conſtantini ad Giezi collatio. torſit & vi: quando non ſub ſuo, ſed ſub Heliſæi nomi-
ne duplicia dona ab eodem reportauit homine. Vnde
dignum eſt, vt ſicut pietas ſeueritati quondam ſociata
C fuit in pectore Moyſi: ita nunc pietatem Conſtantini
maliciæ comparemus Giezi: quia ſicut Giezi pro cupi-
ditate & auaritia incidit in infirmitatem: ita Conſtanti-
nus pro pietate & iuſtitia meruit recipere ſanitatem.
Giezi enim ſine lucro diuini ſacramenti, à Naaman ac-
cepit duo talenta argenti. Conſtantinus autem æquè
duo talenta recipiens à Deo, cum lucro boni operis ve-
ro portauit Heliſæo. Giezi præmio cœleſti nolens æ-
ternaliter frui, ſine taxatione abſcondit pecuniam Do-
mini ſui: Conſtantinus autem pro lucranda ſui domini
pecunia, ſe ſuáque omnia Deo & hominibus voluit eſ-
ſe communia. Giezi pro duplici mutatoriorum, quam
acceperat veſte, ab Heliſæo viro Dei, lepræ Naamani-
ticæ percuſſus eſt peſte: Conſtantinus autem lepræ ele-
D phantiacæ liberatus à peſte, immortalitatis & innocen-
tiæ duplici à Deo indutus eſt veſte. Giezi cupiditate &
auaritia ſeipſum deluſit, dum dona duplicia duobus ſac-
cis incluſit: Conſtantinus autem pecuniam ſuam vete-
Pſalm. 29. ris illius ſacci noluit includere malicia, de quo ſcriptum
eſt. Conciditi ſaccum meum, & circundediſti me lætiti-
tia. Giezi contra conſeruos tumidus, & contra humiles
ſuperbus, Domino ſuo obedire nolebat, vt ſeruus: Cō-
ſtātinus autem humilis humilibus, & ſuperbis ſuperbus,
ſeruis præfuit vt Dominus, & Domino obediuit vt ſer-
uus. Giezi etiam oblitus Domini creatoris ſui, contra
præceptum legis concupiuit rem proximi ſui: Conſtan-
tinus autem contra preceptum Domini & legem Moy-
ſi, rem proximi ſui concupiſcere noluit cum Giezi. Gie-
E zi etiam pro iniquitate cupiditatis typum non habebat
illorum, de quibus ſcriptum eſt; Ex vſuris & iniquitate
Pſalm. 71. redimet animas eorum: Conſtantinus autem iuſti illius
meruit habere figuram, qui pro lucro terreno pecuniam
Pſalm. 14. ſuam non dedit ad vſuram. Giezi declinare noluit illa
conuenticula fallacium, de quibus ſcriptum eſt; Vt quid
Pſalm. 4. diligitis vanitatem, & quæritis mendacium: Conſtan-
tinus autem aduerſus proximum ſuum illud Sapientis
Eccl. 7. ſeruauit epitacium, in quo dicitur; Noli aduerſus fra-
trem tuum amare mendacium. Giezi fidem conditoris
perfectè non habens, vt Abraham, non immeritò lepra
percuſſus eſt Naaman: Conſtantinus autem habens fi-
dem Chriſti, lepram illam noluit adhærere ſibi, de qua
4. Reg. 5. Heliſæus ad Giezi; Lepra, inquit, Naaman adhærebit
tibi. Giezi caligine vitiorum denigratus vt pix, ab Heli-
ſæo egreſſus eſt leproſus vt nix: Conſtantinus autem à
A nigredine peccatorum ſuorum dealbatus, vt nix tene-
bris idololatriæ amplius denigrari non volebat vt pix.
Sed quia Giezi per abrupta vitiorum, in vallem cupidi-
tatis à ſeipſo longius iuit, dum de bonis Naaman rapuit,
quicquid ſibi delectabile vidit; mirum non eſt, quod
quale præmium inde habuerit, nominis ipſius interpre-
tatione ſignatur, quoniam Giezi præruptum videns, Giezi quid ſignificet.
vel vallis viſio interpretatur, qui enim in inacceſſis ru-
pibus, & in præruptis ſilicibus, quaſi in virtutum monti-
bus ſpiritaliter noluit habitare cum ibicibus: ideò virtu-
tibus iraſcens, & vitijs arridens, non incongruè dictus
eſt præruptum videns. Quia verò de valle vitiorum in
montem virtutum aſcendere nolebat, non immeritò vi-
ſio vallis dictus erat, quoniam bonorum operum gradi-
bus aſcenſiones illas in corde ſuo non diſpoſuit, in valle
B lachrymarum, in loco, quem poſuit. Vnde quoniam in Pſalm. 83.
monte virtutum tam raro ab eo iuſtitiæ viſus eſt callis, vt
nomen eius non immeritò diceretur viſio vallis, mirum
non eſt, quod pro lepra vitiorum ſuorum longè remotus
à ſalute credentium, videre non poteſt bona Domini
in terra viuentium. Sed quoniam in comparatione Gie-
zi & Conſtantini iam diu ſumus immorati, dum vnius
impietatem alterius comparauimus pietati: reſtat vt ſi-
cut pro conſideratione illorum in hoc ſermone longum
protraximus filum, ita nunc de Giezi ad Conſtantinum
noſtræ orationis denuò vertamus ſtylū. Ne enim idem
Conſtantinus lepra corporali amplius percuteretur cū
Giezi, ſpiritaliter cœpit legem ſeruare Moyſi: quam-
uis poſt gratiam baptiſmi multum inde ſibi cœpiſſent
C derogare Iudæi, quod tam ſæpè miſericordiā veri quæſi-
uit Heliſæi. Cùm enim monitis beati Sylueſtri non ſo-
lum à vinculis idololatriæ ſolutus, ſed etiam lauacro di-
uinæ regenerationis eſſet ablutus: eò perfectius in cor-
de ſuo ſupernæ dilectionis incluſit amorem, quo perfe-
cta charitas foras miſit timorem. Et non immeritò qui-
dem Deum internæ dilectionis dilexit amore, qui gemi-
na ſanitate adiutor eius fuit in opportunitatibus, in tri-
bulatione: dum à duplici infirmitate corporis & animæ,
duplicis gratiæ meruit releuari curamine: quando in
lauacro regenerationis hæc duo ſanitatum recepit me-
dicamina, vt in corpore à lepra, & à vitijs mundaretur
in anima.

D *BERENGOSII ABBATIS LIBELLVS insignis, de myſterio ligni Dominici; & de luce viſibili & inuiſibili per quam antiqui Patres olim meruerunt illuſtrari.*

Qvoniam primus homo, dilectiſſimi
fratres, pro cibo cupiditatis, quem illici- Gen. 3.
tè comedit, in tenebris & in vmbra mor-
tis olim diutiſſimè ſedit, neceſſarium
erat, vt vnigenitus Dei filius pro eo tam
dignanter interueniret, vt ad viam lucis
æternæ ſibi iter aperiret. Diu namque fuit, quod lumine
veritatis amiſſo, antiquæ cæcitatis non iniuſtè valla-
batur abyſſo: quoniam ſpontanea voluntate ſeipſum
E diuina luce ſeparauit, dum contra præceptum Do-
mini prauæ actionis tenebras amauit. Sed quia de te- Philip. 2.
nebris ad lucem nulla poterat ratione redire, niſi Salua-
tor noſter per ſeipſum ſibi viam vellet aperire: ideò ad
oſtendendā ei claritatē amantiſſimæ lucis, factus eſt pro
nobis obediens patri vſque ad mortem, mortem autem
crucis. Vnde gratias Deo, quia dum filius patri obedit,
cæcus euangelicus ad lumen redit: vt humanum genus
eò minus iam priſtinæ cæcitatis pulſetur affectu, quò
per ſanguinem Chriſti ſupernæ lucis quotidiano illu-
ſtratur aſpectu. Alioquin lucem illam non videbit amā- Eſai. 9.
dam, de qua ſcriptum eſt; Populus qui ambulabat in te-
nebris, vidit lucem magnam: niſi per fructum boni ope-
ris illorum mereatur adunati choreis, de quibus ſubiun-
gitur: Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta

eſt eis. Hæc eſt ergo illa lux, qua primus homo priuari meruit, quando culpa eum apperijt, & gratia deſeruit, quia dum in ligno mortis oblectamentum culpæ ſibi arctius impreſſit, virtus diuina lumen vnum ei abſtulit, & aliud conceſſit. Ipſe enim, qui eſt teſtis in cœlo fidelis, vnam ei lucem in terris, & aliam prærogauit in cœlis, quia dum in ipſa creatione ſeculi dona ſua, prout opus erat, vnicuique creaturæ diuiſit, humano generi lucem vnam dedit, & aliam promiſit. Sed quoniam ex vna luce, quæ promiſſa eſt, eò ſecuriores eſſe valemus, quò aliã, quæ data eſt, corporalibus oculis quotidie videmus, dignum eſt, vt pro illa, quæ promiſſa eſt, eorum in omnibus imitemur actiones, de quibus ſcriptum eſt; Operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Cùm enim vna lux terrena ſit, & alia cœleſtis, dignum eſt, vt cœleſtem lucem moribus ſemper proſequamur honeſtis, vt ſicut per lignum mortis de terra ſumus terreſtres, ita per lignum vitæ ſumus & de cœlo cœleſtes. Alioquin lucem illam viſibilem nullatenus videre valemus, quam non corporalibus; ſed ſpiritalibus oculis quandóque videre debemus, niſi ab hac luce viſibili prius erudiamur in terris, quæ vel qualis ſit illa, quæ nobis reſeruatur in cœlis.

Pſalm. 88. Apoc. 3.

Lux vna data homini, promiſſa altera.

Hebr. 11.

Vnde quia temporariæ lucis & æternæ hic à nobis facta eſt mentio, ideo differentias earum non debemus oblitterare ſilentio, quoniam margarita lucis perpetuæ, eo maiori à nobis comparanda eſt precio, quo inter hãc & illam magna videtur eſſe diſcretio. Sicut enim differunt ab aduerſis ad proſpera, vel à triſtibus læta, ſic vna lux ab alia probatur eſſe diſcreta: maximè cum vna alteri ita videatur inæqualis, vt vna ſit æterna, & alia temporalis. Verum licet vtramque lucem extinguere non poſſunt inextinguibiles aquæ, magna tamen diuerſitas verſatur in vtráque: quoniam ſicut ſacræ ſcripturæ pagina teſtatur, vna illuminat & illuminatur; alia verò illuminat, & non illuminatur. Si enim claritatem vtriuſque conſideremus intentè, ab vna proculdubio in corpore & ab alia illuminamur in mente: quoniam tanta vis eſt luminis à diuino ſplendore venientis, vt capi non poſſit oculis corporis, ſed obtutibus mentis. Vnde ſi lucem iſtam temporalem ſolemus intuendo mirari, per quam non corda, ſed corpora videntur illuſtrari, multo magis lumen illud æternum debent admirari credentes, per quod corpora eorum illuſtrantur & mentes. Præterea verò ſi Solis & Lunæ lucem hanc viſibilem admirantur populi, pro cuius ſplendore intolerabili humani ſæpiſſime reuerberantur oculi: multo magis admirandum eſt lumen illud angelorum, quod capi non poteſt auditu aurium, nec viſu oculorum.

Lucis diuinæ quanta vis ſit

Et ecce quoniam hic nobis occaſio ſe ingerit opportuna, vt inter alia ſidera quædam de Sole dicamus & Luna: Dignum eſt, vt iam cum proceſſione lectionis ad ſuſceptionem eorũdem luminarium foras properemus anheli, de quibus Dominus; Fiant, inquit, luminaria in firmamento cœli. Dixit, & facta ſunt. Poſt primum nãque vocis Dominicæ mandatum, vnum quodque in ſuo ordine videbatur eſſe locatum: ita vt ſicut olim antiqua diuinitas præordinauerat, vnumquodque in ſuo loco & tẽpore ſemper oriatur & occidat. Sciendum eſt enim quia ſicut in prima die cœli diſtenta eſt pellis, ſic etiam quarta die veſtita eſt ſtellis: ideóque pellem hanc cœlo illi poſſem comparare ſi vellem, de quo ſcriptum eſt; Extendens cœlum ſicut pellem. Sed licet in eodem cœlo vel pelle adhuc diuerſæ infixæ ſunt ſtellæ, Sol tamen & Luna cæteris ſyderibus eo magis videntur principari, quo Chriſto & Eccleſiæ non incongruè poſſunt comparari. Sicut enim in firmamento cœli duobus illis luminaribus nulla ſtellarum creatura claritate videtur eximior: ſic in firmamento Eccleſiæ duabus his perſonis nulla poteſt eſſe ſublimior: quamuis ſicut ſtella ab ſtella differt in claritate, ita Chriſtus Eccleſiæ cœleſti præmineat dignitate. Vnde notandum eſt, quod ſicut in creatione ſeculi noua luce nouus mundus emicuit: ſic in paſſione ſua Chriſtus Eccleſiam radio ſibi nouæ claritatis applicuit, ita vt in extremo geminæ dilectionis affectu per myſterium crucis alter alterius iam delectetur aſpectu. Ipſe enim, qui ad currẽdam viam paſſionis olim exultauit vt gigas, in ara crucis, Solis & Lunæ, ſiue ſponſi & ſponſæ copulare dignatus eſt bigas typicè, ſcilicet nobis inſinuans, quod illi veriſſimè Chriſti & Eccleſiæ fidem habere creduntur, qui in Chriſto Ieſu geminæ dilectionis biga reguntur. Ad hoc quippe Sol iuſtitiæ tabernaculum ſuum ponebat in ſole, quando pro humana ſalute à fœminea conceptus eſt prole: vt & tu homo iam eo magis læteris in Deo ſalutari tuo, quoniam Deus, pro te tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo. Vnde ſciendum eſt nobis, quia ſi Solem hunc viſibilem inuiſibili comparemus Soli, nequaquam in hoc prophetico videmur regnare ſermone, qui Solem inuiſibilem humanæ inſinuans notitiæ; timentibus, inquit, Deum orietur Sol iuſtitiæ. In curſu autem Lunæ, quæ nos tredecies ſolet illuſtrare per annum, illud præcipuè nobis eſt conſiderandum, ne quis noſtrum per varias mutationes animi ſtultitiam illius imitando ſequatur, de quo ſcriptum eſt; Stultus vt luna mutatur. Poſtquam enim Sol iuſtitiæ per diuinæ charitatis incendium, angelicæ & humanæ diſſenſionis lunare voluit illuſtrare diſpendium, ſtatim plenilunio fidei nouæ, & dilectionis antiquæ per Apoſtolicam prędicationem mentibus humanis illuxit vbique, quatenus ad fidem Chriſti, doctrinam ſequerentur illorum, de quibus ſcriptum eſt; In omnem terram exiuit ſonus eorum. Noſtis quippe, quia ſicut ſcriptura teſtatur diuina, per Solem & Lunam Apoſtolica nobis præmonſtrabatur doctrina, ſi tamen exemplo illorum nobis ſit cor vnum, & anima vna, quorum doctrina fulget in Eccleſia vt Sol & Luna. Vnde neceſſe eſt, vt & tu Chriſtiane iam apud te diligentius penſes, qualiter hæc duo luminaria per dies ac noctes, per annos diſtinguntur & menſes, quoniam Chriſtus & Eccleſia ad irradiandos fidelium animos, & illuſtrandos, nobis ſimiliter erunt in ſigna & tempora, dies & annos. Quia enim Sol & Luna Chriſti & Eccleſiæ typum gerunt, non immerito nobis in ſigna & tempora, & dies, & annos vlterius erunt quia ſicut Sol & Luna nobis exterius quotidianis fulgoribus illuceſcunt, ita Chriſtus & Eccleſia noſtris cordibus interna ſemper luce clareſcunt. Sciendum eſt quippe, quia ſicut in prima die ſeculi, cœlum creauit ac terram, ſic quarta die lucem nobis voluit donare ſupernam, quando ad illuminandas triduanæ caliginis vmbras nubéſque nouellas, quarto die producere dignatus eſt Solem, Lunam & ſtellas. Vnde licet alia claritas ſit Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum, dignum tamen eſt, vt nos claritatem omnium ad ſalutem trahamus animarum, quatenus æterni luminis nobis afflante ſpiramine, ab vtroque lumine corpora noſtra illuminentur & animæ. Dignum quippe eſt, vt pro illuminatis iam ab æterno lumine corporibus noſtris & animabus, ſine intermiſſione Deo ſemper gratias agamus: quia ſicut in firmamento cœli quondam ſolem & Lunam quarto die diuinitatis verbo produxit, ſic in firmamento Eccleſiæ ſponſus ſponſæ radio nouæ claritatis illuxit: quando idem Deus & homo ad crucifigendum pro nobis humanos obtulit artus, per quem olim factum eſt veſpere & mane dies quartus.

Gen. 1.

Pſalm. 103.

Sol & Luna Chriſto & Eccleſiæ haud abſurdè comparantur.

Pſalm. 18.

Pſalm. 18.

Mala. 4.

Eccl. 27.

Pſalm. 18.

Act. 4.

Sol & Luna Chriſti & Eccleſiæ typum gerunt.

Gen. 1.

Gen. 1.

Ergo ſicut de Sole, Luna & ſtellis tractauimus heri, ita temporale lumen, & æternum hodie debemus diligentiſſimè intueri: maximè cum pro vtroque lumine in tanto miraculo debeamus habere conditorem, vt ex vno credamus eum mirabilem, & altero mirabiliorem. Quia enim vnum terrena tantum, & non cœleſtia illuſtrat, aliud verò nec cœlum, nec terra coanguſtat: ideo ſi quis qualitatem amborum velit penſare ſubtilius, vnum quã mirabile, & aliud eſt mirabilius. Vnde ſi mirandum eſt cœlum iſtud viſibile, quod extendi videtur vt pellis, per quod quotidie illuſtramur à Sole, Luna & ſtellis: multò magis admiranda eſt lux illa ſuperna, per quam in angelis &

lis & bominibus cœlum illuminatur ac terra. Hæc eſt enim illa lux, per quam nos, qui filij lucis ſumus & filij Dei quandóque videre debemus claritatem Dei, ſi tamẽ ipſe in nobis iam illuminet abſcondita tenebrarum, qui nos in futuro illuſtraturus eſt inſpectione animarũ ſanctarum. Qui quoniam ad cognoſcendam lucis perpetuæ veritatem, temporanei luminis iſtius vmbratilem nobis voluit prærogare claritatem, dignum eſt, dum in hac luce viuimus, bonis operibus illud ſemper elaborare ſtudeamus, vt cum ex hac vita migrauerimus, ad æternam lucem peruenire valeamus. Sciendum eſt namque, quia ſicut vna lux parua eſt, & alia magna, ſic vna nimirum indiga, & alia eſt prodiga: quippe quoniam illa, quæ prodiga eſt, bonis omnibus abundat, & ſuperabundat, dum ex eo, quod babet, dat omnibus. Vnde quoniam inter hæc duo lumina talis eſt ratio, vt quod non babetur in vno inueniatur in alio: neceſſe eſt, vt per boc lumen, quod iam habemus in te, properemus ad aliud, quod adhuc expectamus in ſpe. Sciendum eſt quippe, quia licet vno modo illuminemur ab alio, & alio ab iſto, vtrúmque tamen ſperare debemus à Chriſto, quoniam ipſe, à quo vnum lumen habemus temporaliter, cum patre & ſpiritu aliud babet æternaliter. Sicut enim in tribus perſonis ſecundum naturam diuinitatis vnum eſt numen, ita in illis non tria lumina, ſed vnum eſt lumen, quod tamen eũ magis ſolet præ cæteris coruſcare luminibus, quo ipſum illuminat bomines, & non illuminatur ab bominibus. Proinde licet nihil ſit, quod eidem lumini dignè poſſimus æquare, quaſdam tamen ſpecies aliquo modo ei debemus comparare, vt facilius intelligi poſſit per eadem ænigmata rerum, quod huic luci viſibili diſpar eſt lumen luminum, & dies dierum. Eadem enim diſcrepantia (ſi dici liceat) eſt in hac luce gemina, quæ in maſculo demonſtratur ac fœmina: Præſertim cum minor maiori eodem modo ſubijciatur, vt opinor, quo vxor viro non maior videtur eſſe, ſed minor. Præterea verò ſicut maximum à minimo, vt magnum diſtat à puſillo, ita diſtare videtur lumen hoc ab illo, quia licet vtrúmque nobis coruſcare videatur à Chriſto, maior tamen gratia nobis ſolet ab illo prouenire, quã iſto. Sciendum eſt enim, quia quantum differunt à carnalibus ſpiritualia, & ab inferioribus ſuperna, tantum lux iſta temporalis à luce diſtat æterna: maximè cum ad eũdem modum cœleſtia terrenis, & ſumma non conueniant imis, quo prima non conueniunt nouiſſimis, & nouiſſima primis. Adhuc etiam eodem modo lux vna diſtat ab alia, quo ſpiritus à litera, vel granum diſcrepat à palea, ne & nos more Iudæorum gratiam Dei recipiamus in vanum, quo pro litera ſequuntur ſpiritum, & pro palea granum. Certum eſt enim, quia ſicut ad cognoſcendam legem vnam & aliam, Chriſtiani granum, & Iudæi ſequuntur paleam: ſic vtráque lex vni populo loquitur & alteri ſilet, dum pro intuenda luce creatoris vnus eſt cœcus, & alius videt. Credendum eſt ſane, quia ſicut electorum lux tentatione non extinguitur, ſed illuſtratur, ita cæcitas Iudæorum vſque ad veſperam mundi ſeneſcentis durare probatur, quatenus Chriſtiani & Iudæi duos populos eſſe ſe ſciant, de quibus ſcriptum eſt; Qui nõ vident, videant, & qui vident, cœci fiant. Sicut enim Chriſtiani typum illorum vſque hodie geruot, de quibus dicitur; Beati qui non viderunt, & crediderunt: ita Iudæi cum cæcis illis euangelicis in præcipitium vadunt, de quibus ſcriptum eſt, Si cœcus cœco ducatum præbueris, ambo in foueam cadunt. Chriſtiani cœcis illis ſemper arrident de quibus ſcriptum eſt; Cœci vident: ita Iudæi vſque in iram conſummationis cœcis illis ſimiles erunt, de quibus dicitur: Oculos habent & non videbunt. Quia enim Iudæi non coniunguntur Chriſtianis, nec Chriſtiani Iudæis, ideo lumen veritatis datum eſt nobis, & ablatum eſt eis: quamuis etiam ipſi quandóque patrem & filium debeant adorare nobiſcum, impleto quod dicitur; Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Sed ſciendum, quia licet in myſterio crucis aliud ſentiant Chriſtiani, & aliud Iudæi, omnes tamen peccauerunt & egent gloria Dei: ita vt neceſſe ſit omnibus iuſtificari gratis per gratiam ipſius, à quo iuſtificandus eſt impius, & glorificandus eſt pius. Vnde orandum eſt nobis, vt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in bunc mundum, Iudaïci cordis ita dignetur illuminare profundum, vt etiam ipſi nobiſcum ab eadem mereantur luce perfundi, de qua ſcriptum eſt; Ego ſum lux mundi.

Hæc eſt igitur igitur illa lux, per quã Dei filius trabens omnia ſecum in ara crucis, euangelicum illum illuminauerat cœcum, qui iuxta viam fidei propenſius imprecãs gloriam Dei, Fili (inquit) Dauid miſerere mei. Ad hoc namque per mortem crucis mortificari voluit granum frumenti, vt lux cœleſtis illuceſceret omni credenti, qua ſicut omnibus notum, etiam omnibus eſt planum, in eodem cœco genus illuminauit humanum. Deus nãque lucem ſuam bifaria ratione diuiſit, dum eidem cœco duo lumina reddidit, qui duo amiſit, quia ſi duplicem ſanitatis eius gratiam conſideremus intentè, per myſterium crucis lumen in corpore, & lumen recepit in mente. Vnde ſi volumus, vt cum eodem cœco lucis æternæ conſequamur gratiam, pro qua Dominus ad eum, Quid tibi (inquit) vis faciam? Dignum eſt, vt vnuſquiſque noſtrum cum eo ſæpius orationem banc dicat exiguam, quam ipſe reſpõdit ei, dicens; Domine vt videam. Alioquin turbæ cogitationum, quæ nobis bonæ voluntatis ſeminariam demunt, cum eodem cœco vocem noſtræ deprecationis premunt, niſi phantaſmata vitiorum, quæ fecimus ab oculis cordium aſſiduis repellamus precibus. Per hoc autem, quod cœcus iſte iuxta viam & non in via ſedebat, imperfectionis adhuc fidei nobis exemplum præbebat, vt vnuſquiſque noſtrum per mortificationem carnis cor ſuum ita ſemper affligat, vt in veritate boni operis greſſum figat. Sed hoc fieri non poteſt, niſi nox illa, quam originalis peccati moroſior in nobis cõtraxerat hora, ab oculis noſtris nouæ lucis diſcutiatur aurora, vt reſoluta in nobis totius cœcitate caliginis, in nouam lucem decor antiquæ reformetur originis. Aliter quippe nil nobis proficit, quod Ieſus in eodem cœco lucem amiſſam reparauit, quando vocem cœcitatis eius tranſiens audiuit & ſtans illuminauit: niſi ille, qui renes & corda ſolus intuetur, eodem modo cœcitatem noſtram tranſeundo audire, & ſtando illuminare dignetur. Ipſe enim, qui per humanitatem tranſire, & per diuinitatem habet ſtare, eundem cœcum mirabili modo dignatus eſt illuminare: quando fidei ipſius propriam vocem in hæc verba ſubiecit; Vade, fides tua te ſaluum fecit. Vnde quia nos, dilectiſſimi fratres, tanta iam ſumus oppreſſi cœcitate, vt non ſolum cœci ex tempore, ſed etiam cœci ſumus à natiuitate: orandum eſt nobis, vt ad perpetuæ lucis claritatem ſeipſum nobis præbeat ducem, à quo idem cœcus non aurum voluit poſtulare, ſed lucem. Si enim corda noſtra eadem lux diuinitatis illuſtrat, quam nec initium dilatat, nec finis anguſtat, neceſſe eſt, vt ab eadem luce quæ tenda præ tereuntium dæmoniorum nullis vnquam arceamur minis, cuius profecto fides initium eſt, & operatio finis. Et quia nec humanæ ſaluti nec diuinæ conuenit laudi, vt à nobis illa lux debeat quæri, quæ vel tẽpore finiri, vel loco valeat claudi, dignum eſt, vt illam lucem ſine intermiſſione quæramus, quam non cum beluis, ſed cum angelis communem habere valeamus.

Hæc eſt autem lux æterna, quæ infimis voluit ſociare ſuperna, quando diuinæ miſerationis gratia diues, per myſterium crucis angelos & homines fecit eſſe conciues. Hæc eſt illa lux, vnde vt cauſſæ cauſſis, & res conueniant rebus, quoſdam antiquos patres hic introducere debemus, quatenus ſermo noſter eo cõſultius ad finem poſſit euolare per cætera, quo lux inuiſibilis ad boc nobis profert de theſauro ſuo noua & vetera. Quia enim lux diuinitatis tam mira probatur & ſãcta, vt nulla prorſus talis videatur aut tanta, dignum eſt, vt bumanum ei

Marginalia (left): Cur temporaneum nobis lucis vſura data ſit. — Ioan. 9. — Ioan. 10. — Matth. 15. — Matth. 15. — Pſalm. 113. — Iudæi quoque olim adorabũt patrem & filiũ. Ioan. 17.

Marginalia (right): Ioan. 2. — Ioan. 9. — Marc. 10. Luc. 18. — Luc. 18. Quid faciẽdum nobis ſit, vt diuinitus illuminemur. — Quo nobis lux ... quærenda ſit.

non debeat deeſſe præconium, quæ propheticũ & euāgelicum ſolet habere teſtimonium. Sed quoniam geminæ dilectio charitatis perſonis deputatur geminis, competens eſt, vt in hac lectione fœminæ viris, & viri adiuuentur fœminis: quia iuſtum eſt, vt lux æterna teſtimonium habeat à virili ſexu & fœmineo, quæ in myſterio crucis vtrúmque à diabolico voluit liberare dominio, & non immeritò quidem lumen æternum à viris & fœminis debet habere gloriam, quod in vtroque ſexu ſuam voluit perpetuare memoriam, dum quos virtus conditori olim formauit ad vitam, lux diuinitatis illuſtrauit ad gratiam. Vnde quoniam hic volumus antiquorum patrum negocia tractare, dignum eſt, vt in nauiculam mẽtis noſtræ lumen æternum ſtudeamus inuitare; quia ſanctarum ſcripturarum remis eo ſtudioſius iam incumbere debemus, quo in pelago libri Geneſeos nos oportet aliquibus fluctuare diebus: Quia enim iam intrauimus hic mare magnum & ſpacioſum manibus, neceſſe eſt, vt nec vanis cogitationibus, nec verbis periclitemur inanibus: nec illis vitiorum reptilibus cordis noſtri grauetur humerus, de quibus dicitur; Illic reptilia, quorum non eſt numerus. Sic igitur repulſis ab eadem naue cunctis hæreſibus & hæreſiarchis, primo tractare debemus de iuſtis, deinde de regibus & patriarchis: quamuis priuſquam hinc de patriarchis perueniamus ad prophetas, non vnam aut duas, ſed plures videamur habere diætas: & ideo neceſſe eſt, vt qui patriarchis & prophetis regiã viam olim dignabatur oſtendere, nobis etiam in hoc itinere dextram ſuam dignetur præcedere: quoniam nauicula mentis noſtræ tunc verè diuina regitur dextra, ſi bithumine charitatis intus firmetur & extra. Sed quoniam in naui Eccleſiæ fruſtra iam videmur immorari, niſi cum antiquis patribus à diuina luce mereamur illuſtrari: orandum eſt, in hoc tractatu ſeipſum nobis velit oſtẽdere ducem, qui de ſeipſo diſcipulis; dum lucem (inquit) habetis, credite in lucem.

A viris pariter & fœminis S. crucis celebrāda præconia. — *Pſalm. 102.* — *De quibus deinceps acturus ſit.* — *Nauicula mentis noſtræ quādo ſanctis Spiritu ductu regitur.* — *Ioan. 12.*

Hæc eſt ergo illa lux, quæ primum parentum noſtrum Adam protoplaſtum in ara crucis ex impio pium, & ex inceſto fecerat caſtum, quando per eius myſterij ſalutaris effectum, antiquæ claritatis in eo reformauit aſpectum. Hæc eſt illa lux, per quam in ipſa paſſionis Dominicæ die maledictio Euæ mutata eſt benedictione Mariæ: quando ad comparandam nobis lucis perpetuæ margaritam, in myſterio crucis pœna in gloriã, & mors tranſiuit in vitam. Hæc eſt illa lux, per quam Dominus Deus Iſrael olim illuſtrare volebat Abel: quando, ſicut legifer teſtatur egregius, reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Hæc eſt illa lux, quæ Noë, qui requies interpretatur, illuxit, quando de lignis imputribilibus arcam in typum Eccleſiæ conſtruxit, baptiſmi ſcilicet ſalutaris ac Dominicæ crucis nobis præferens ſignum, dum ſe ſuóſque per aquam ſaluauit & lignum. Hæc eſt illa lux, per quam idem Noë illuſtratus eſt figuratiuè, quando columba ſibi ramum deferebat oliuæ, typice ſcilicet deſignans, quod virtutum pennis nullus euolare valet ab imis ad ſumma, niſi in arcam Eccleſiæ boni operis ramum ſtudeat reportare cum columba. Hæc eſt illa lux, qua idem Noë illuſtratus eſt, quando de vino, quod ipſe plantauit, inebriatus eſt: ſignificans videlicet, quod calix Dominicæ paſſionis fidelibus ſuauis, & Iudæis amarus eſt: de quo ſermo propheticus, Calix (inquit) meus inebrians quàm præclarus eſt. Hæc eſt illa lux, per quam Sem & Iapheth illuſtrari meruerunt, quãdo ex aduerſo venientes patris ſui virilia texerunt: ſignificantes videlicet, vt nos ad eundem modum virtutibus faciem, & vitijs præbeamus dorſum, quo ipſi pro contegenda verecundia patris inceſſere retrorſum. Hæc eſt illa lux, quæ Melchiſedech ſacerdotis olim illuxerat menti, quando panem & vinum obtulit Abrahæ à cæde reuertenti: prætendens ſcilicet nobis ſacrificium illud ſacerdotis altiſſimi, de quo ſponſus in Canticis; Comedite (inquit) & inebriamini chariſſimi. Hæc eſt illa lux, per quam Dominus Deus Sabaoth quondam illuſtrare

Adam. — *Eua.* — *Abel. Gen. 4. Noe.* — *Pſalm. 22.* — *Sem. Iapheth.* — *Melchiſedech. Gen. 14.* — *Cant. 5.*

dignatus eſt Loth, quando concupiſcentiam carnalem
A quaſi Sodomam fugiens ardentem, in parua ciuitate Segor, corpus ſaluauit & mentem. Hæc eſt illa lux, quæ diuinitus illuſtrauit Abraham, cum iuxta præceptum Domini egrederetur de Aram: vbi à Domino copioſa iſta benedictio data eſt ſibi; Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Hæc eſt illa lux, quæ adhuc interioris hominis ipſius illuxit oculo, vbi Loth fratri ſuo ac mulieribus eius ſuccurrit ac populo, quando ſanctæ Trinitatis auxilio aduerſariorum ſuorum robore velut in igne tribulationis excocto. * Hæc eſt illa lux, quæ eidem Abrahæ partem de ſuo lumine dedit, dum ad occaſum Solis de ſacrificio Domini aues abegit, ſignificans ſcilicet, quod de ſacrificio orationis nemo repellere poteſt volucres dæmoniorum, niſi ab oculis cordis prius abegerit phantaſmata vitiorum. Hæc eſt
B illa lux, quæ in conualle Mambre illum diuinitus illuſtrauit, quando ſub arbore crucis tres vidit, & vnum adorauit: tanta videlicet diuini luminis illuſtratus claritate, vt quem trinum nouit in perſonis, vnum adoraret in Maieſtate. Hæc eſt illa lux, quæ aliundè adhuc reſplẽduit ſibi, vbi Dominus ad eum; Offer (inquit) mihi filium tuum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi, per quod videlicet nobis diuerſa Dominicæ paſſionis & crucis prætulit ſigna, dum in eadem myſteria filiũ colligauit ac ligna. Hæc eſt illa lux, per quam illuſtratus eſt Iſaac filius Abrahæ, cum Sara & Agar litem haberent inter ſe, quando in figura Saluatoris in domo patris ſui tam honeſtè ſolebat viuere, vt hæres fieri non poſſet filius ancillę cum filio liberę. Hæc eſt illa lux, quę nobis
C formam humilitatis oſtendit, dum Rebecca viſo Iſaac, de camelo deſcendit, typicè ſcilicet ſignificans, quod antiqua gentilitas totius idololatrię deſeruit ſtrumam, dum quaſi viſo in paſſione Domini fidei meruit agnoſcere plumam. Hęc eſt illa lux, quæ eidem Iſaac eo tempore diuinitus illuxit, quando Rebeccam vxorem ſuam diligens, in tabernaculum Saræ matris introduxit, per quod videlicet introductio illa nobis pretenditur in figura, de qua Eccleſia in Canticis; Introduxit me (inquit) rex in cellaria ſua. Hęc eſt illa lux, quę eundem Iſaac diſciplinę cœleſtis moderamine rexit, dum Rebeccam vxorem ſuam nimio amore dilexit: ſignificans videlicet, quòd vnigenitus Dei filius nimis Eccleſiam amauit, dum dolorem, qui ex morte matris ſuę Synago-
D gę ſibi acceſſerat, temperauit. Hęc eſt illa lux quæ illa Iſaac & Rebeccam cœlitus illuſtrauit, dum in figura Chriſti & Eccleſię alterum alteri mutua charitate ſociauit: vt Eccleſia Chriſto tanta dilectione copulandam ſe ſociat, vt præ amore illius vxor nunquam alterius fiat. Hęc eſt illa lux, per quam idem Iſaac cœlitus meruit illuſtrari, quando Saluator noſter pro eo, quaſi aries voluit immolari: qui dum inter vepres peccatorum noſtrorum adhęſit cornibus crucis, perennitatem nobis æternæ reddidit lucis. Hęc eſt illa lux, quæ in eodem Iſaac filium nobis clarificauit Mariæ, vbi egreſſus eſt ad meditandum in agro, inclinata iam die: ſignificans videlicet, quod vnigenitus Dei filius in agro huius mundi, velut ad meditandum deambulauit, dum per clauos, lanceam
E & crucem ad mortem vſque properauit. Hęc eſt illa lux, quę eundem Iſaac & alio modo voluit illuminare dum ligna holocauſti meruit ipſe portare: myſticè ſcilicet nobis innuens, quod ſicut ipſe ligna in holocauſtum baiulauit, ita Chriſtus crucem ſuam in ipſa paſſione portauit. Hęc eſt illa lux, quę in anno illo Iudaicę cœcitatis nobis expreſſit chaos, de quo ſcriptum eſt; expectate hic cum aſino, donec reuertamur ad vos, myſticè ſcilicet deſignans, quòd ad Iudęos, qui nondum ſunt fidem ſanctæ Trinitatis experti, circa finem ſeculi fidei debent arrabone reuerti. Hęc eſt illa lux, quę per hoc, quod aries immolatus eſt, & Iſaac euaſit duplici myſterio nos irradiare curauit: typicè nobis inſinuans, quia licet in paſſione ſua diuerſas irriſiones pertulerit Ieſus, in humanitate tamen paſſus, & in diuinitate permanſit illęſus. Hęc eſt

Loth. Gen. 19. — *Abraham.* — ** videtur aliquid deeſſe. Ab oratione qua repellere dæmones ſit idonea.* — *Iſaac.* — *Rebecca. Gen. 24.* — *Ibid.* — *Cant. 1.* — *Gen. 24.* — *Ibid.* — *Gen. 24.* — *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

eſt illa lux, quæ Iacob ſub typo gentilis populi cœlitus illuxit, dum ad paternam benedictionem prior eum *Iacob. Gen. 27.* A gratia mater introduxit, vt minor idem frater eò maiores gratias referret creatori, quo vſque hodie maior debet ſeruire minori. Hæc eſt illa lux, per quam idem Iacob Dominum in ſomnis vidit, quando de Berſabee ad *Gen. 28. Lux diuinitatis quiescentibus irradiat.* Aram pergens, in itinere dormiuit, myſticè deſignans, quod lux diuinitatis nulli penitus illuceſſit, niſi qui in tranſitu huius mundi, ab omni carnali concupiſcentia quieſcit. Hæc eſt illa lux, quæ eundem Iacob adhuc ibi *Ibid.* diuinitus illuſtrauit, dum in ſcala Eccleſiæ angelos aſcẽdentes & deſcentes, ei in viſione monſtrauit, per deſcẽſionem ſcilicet nobis innuens, vt diligatur proximus: per aſcenſionem verò, vt diligatur Deus. Hæc eſt illa lux, per quam Iacob & alio modo illuſtrari videbatur, *Gen. 29.* dum pro adaquandis ouibus amouit lapidem, quo puteus claudebatur, ſignificans videlicet, quod verus Iacob in ara crucis dignatus eſt nobis puteum aperire veritatis, vt ex puteo Dominici ſanguinis reficeremur vnda charitatis. *Puteus Dominicus cruoris.* B Hæc eſt illa lux, per quam Iacob Rachelem ſibi vxorem nouit eſſe futuram, dum adaquato grege eius, eam oſculari cœpit vt ſuam, typicè ſcilicet inſinuans, quod eccleſia cum Chriſto poſt effuſionem ſanguinis ſui oſculo illo charitatis debet æternaliter frui, de quo ſponſa in Canticis; Oſculetur (inquit) me dilectus *Cant. 1.* meus oſculo oris ſui. Hæc eſt illa lux, qua Iacob illuſtratus ponebat virgas in canalibus aquarum, vt iuxta varietatem *Gen. 30.* illarum varius fieret fœtus ouium ſuarum: typicè nobis innuens, quod in canalibus cordium noſtrorum Deo dignum præparare non poſſumus templum, niſi *Templum ſuo in pectore Deo dignum quis conſtruat.* C pro concipienda varietate virtutum, de bonis ſemper ſumamus exemplum. Hæc eſt illa lux, per quam etiam nos ad illuminationem mẽtium, vitas Patrum in exemplum habemus, per quas cortice legalis ablato, & candore gratiæ concepto, prolem boni operis gignere debemus, ſi tu Deus omnipotens nos intra oues illas fœtoſas fœcundare digneris in virtutibus tuis, de quibus dicitur, Oues eorum fœtoſæ abũdantes in egreſſibus ſuis. Hæc eſt illa lux, quæ eidem Iacob duobus modis illuxit, dum primo Liam, & ſecundò Rachel in vxorem duxit: per hoc ſcilicet nobis inſinuans myſterium illud ſalutare, de quo Apoſtolus, Non prius (inquit) quod ſpirituale eſt, ſed quod animale. Hæc eſt illa lux, qua Iacob illuſtratus, ad eandem differentiam ſpatium fecit inter gregem & gregem, quæ vſque hodie inter legem ſpacia- D tur & legem, ne ignorare poſſit omnis fidelium cœtus, quid per ſalutare myſterium noua lex loquatur aut vetus. Hæc eſt illa lux, quæ interioris oculi eius adhuc illuſtrauit aciem, quando raptus vltra ſe vidit Dominum facie ad faciem: quamuis eum in diuinitate ſua viderit nunquam, teſtante Ioanne, qui dicit; Deum nemo vidit vnquam. Hæc eſt illa lux, quæ eundem Iacob illuſtrauit in Bethel, vbi mutato nomine Iacob, appellauit eum Iſraël: myſticè deſignans, quod ſpiritalibus tantum oculis videre debemus verum illum Nazaræum, de quo *Spiritalibus oculis videndus Deus. Rachel.* idem Iacob appellatus eſt Iſrael, id eſt, videns Deum. Hæc eſt illa lux, per quam Rachel, quæ ouis dicitur, illuſtrari meruit, dum idola Laban, quæ furtiuè abſtulit, ſedendo cooperuit, myſticè ſcilicet nos inſtituens, quod *Vitia quibus tegantur.* E veſte bonorum operum, & confeſſione peccatorum tegere debemus idola vitiorum. Hæc eſt illa lux, quæ per myſterij ſalutaris intellectum Liæ & Rachelis illuſtrauit aſpectum: maximè cùm hoc nobis innuat lippitudo Liæ, & pulchritudo Rachelis, vt cum vna laboremus in terris, & cum alia quieſcamus in cœlis. Hæc eſt illa lux, quæ vno modo Martham & Liam, alio verò Rachelem illuſtrauit & Mariam: vt & nos in hac vita circa frequẽs miniſterium conditoris tam ſtudioſè laboremus cum Martha & Lia, vt in altera vita contemplatione diuina cum Rachele perfruamur & Maria. Hæc eſt illa lux, per quam in Iuda, qui interpretatur confeſſio Chriſtianæ religionis, eſt illuſtrata profeſſio: quoniã Eccleſia Chriſti bonis ſemper operibus cõfitebitur Deo, de quo ſcriptum eſt; Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, A confitebor & ego eum coram patre meo. Hæc eſt illa lux, quæ Iudam, qui ad tondendas oues veniebat, typo *Iudas.* Saluatoris illuſtrare volebat, qui in ara crucis ad hoc quinis voluit cruentari vulneribus, vt oues paſcuæ eius à peccatorum ſuorum poſſet exonerare velleribus. Hæc eſt illa lux, quæ Iudæ ad Thamar ſpiritalis connubij præbebat aditum, quæ veſte viduitatis exuta, nomen mutauit & habitum, Iudam ſcilicet illum ſignificans, qui in ara crucis requirens ouem centeſimam, de meretrice ſpõſam, & de Synagoga fecit Eccleſiam. Hæc eſt illa lux, per quã Iudas annulũ, baculũ & armillã, quæ ſigna erant arrabonis, eidẽ Thamar dedit in pignus vocationis, iuſtificationis: & glorificationis quando Chriſtus Eccleſiã corpori ſuo in ara crucis triplici hoc arrabone ſociauit, de quo ſcriptum eſt; Quos vocauit, hos & iuſtificauit, & B quos iuſtificauit, illos & glorificauit. Hæc eſt illa lux, per quã Phares, qui diuiſio interpretatur, gratia cœleſtis arriſit, dũ in typo gentilis populi eum à Iudaica infidelitate *Phares.* diuiſit: vt & ipſi inter alios partiretur illas diuiſiones miniſtrationum, de quibus ſcriptum eſt; Alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc eſt illa lux, quæ Zaræ, qui oriens dicitur nimis quàm opus eſſet, illuxit, dum qui prius oriri debuit, prior manum eduxit, per quod videlicet Iudaïcum populum nobis in figura prætendit, qui quaſi manum præbuit, dum ad implenda præcepta conditoris ſe præparatum oſtendit. Hæc eſt illa lux, quæ eundem Zaram parumper illuſtrauit, dum obſtetrix ſua coccinum Dominicæ paſſionis & crucis ei *Zaras.* fruſtra ligauit, quia dum myſterium fidei, quod in cocci- C no ei præbuit, accipere recuſauit, manum quam ad fidẽ protulit, continuò reuocauit. Hæc eſt illa lux, quæ oculis eius ex parte caligauit, dum quaſi ad fidem manum extulit, & ad infidelitatem reuocauit, illos ſcilicet ſignificans, qui per mortem crucis manus cruentas in illum extenderunt, de quo ſcriptum eſt; In propria venit, & *Ioan. 1.* ſui eum non receperunt. Hæc eſt illa lux, quæ etiam vnicuique fideli lumen ſuæ claritatis oſtendit, qui manum ſuam ad iniquitatem non extendit: illum videlicet bonis operibus ſemper exequendo, qui in remuneratione Sanctorum extendet manum ſuam in retribuendo. Hęc eſt illa lux, quæ nobis etiam ſingulis illuceſcit diebus, ſi manus noſtras ad iniquitatem non extendamus, ſed ab iniquitate reuocemus: quoniam hoc exemplum nobis D in ſeipſo Saluator oſtendit, qui in retributione iuſtorum manum ſuam pro reprobis contrahit, & pro iuſtis extẽdit. Hæc eſt illa lux, quæ Ioſeph quondam per ſomnium volebat illuſtrare, dum manipulos fratrum ſuorum manipulum ſuum vidit adorare, ſignificans ſcilicet, quod ille à nobis bonorum operum ſemper debet adorari manipulis, qui poſt reſurrectionem ſuam manifeſtè voluit ſuis apparere diſcipulis. Hęc eſt illa lux, per quam idem Ioſeph alio modo meruit illuminari, dum à Sole, *Ioſeph.* Luna & ſtellis ſe videbat adorari: illum videlicet deſignans, quem in Sole, Luna & ſtellis, quibus figuratur claritas iuſtorum, adorare debet omnis eccleſia Sanctorum. Hæc eſt illa lux, quæ Ioſeph illuſtrauit hac gratia ſingulari, vt inter alios fratres ſolus vteretur tunica ta- E lari: myſticè nos inſtruens, quod ille mercedem boni operis in æternum haberet, de quo ſcriptum eſt; Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hæc eſt illa lux, per quam Ioſeph illuſtratus, propriæ cœpit præuidere ſaluti: dum pallium ſuum diuiſit adulteræ, quæ eo malè voluit vti, typice ſcilicet inſinuans, quod tegmen legalis literę, vnde Iudęi nullum habent proficuum, per lumen diuinitatis nobis debet eſſe perſpicuum. Hęc eſt illa lux, per quam in Ioſeph emicantis gratię duplex enituit fructus, dum in carcere ſolus eſt miſſus, & inde ſolus eductus: per quod videlicet nobis reſurrectionem eius in figura ſignauit, qui reſurgens à mortuis, ſuos ex inferni carcere potentiſſimè liberauit. Hęc eſt illa lux, quæ Ioſeph internæ claritatis tantam aſpirauit ſcientiam; vt *Pſalm. 104.* lingua eius inter principes loqueretur ſapientiam, quan-

Digitized by Google

do in domo Pharaonis illi ſeruitores eius extiterunt, quibus antea manus eius in cophino ſeruierunt.

Ibid.

Hęc eſt illa lux, quæ diuertit ab oneribus dorſum eius: quando cor illius eiuſdem diuini luminis ſplendor irradiauit egregiè, ne in Ægypto tribulationis carnalium diuitiarum grauaretur onere, de quibus ſcriptum eſt. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Hæc eſt illa lux, quæ Ioſeph diuinis illuſtrauit legibus, dum per totam Ægyptum quintam partem frugum delegauit regibus: ſignificans videlicet, quod ipſe, qui primogenitum hominis quinque ſiclis argenti redimi iubebat, per myſterium crucis quinque ſenſuum noſtrorum cuſtodiam quinis vulneribus redimebat. Hæc eſt illa lux, per quam idem Ioſeph illuſtrari meruit, dum pro diſpenſatione frumēti hortea regis aperuit: typicè deſignans, quod quilibet prælatus ſuper familiam Domini tantam habiturus eſt curam, vt det illis in tempore ſpiritalis tritici menſuram. Hæc eſt illa lux, quæ interioribus oculis eius ſpiritualiter inſedit, dum Benjamin fratri ſuo trecentos argenteos dedit, vt vos dilectiſſimi fratres, in eiſdem argenteis nihil aliud intelligere debeatis, niſi myſterium crucis, & fidem ſanctæ Trinitatis. Hæc eſt illa lux, quæ per trecentos numeros, qui continentur in litera Tau, figuram crucis quotidie nobis oſtendit in imagine Ieſu ſignificans ſcilicet, quod cor noſtrum in Domino eò altius eſſe debet innixum, quo nihil ſcire debemus, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum.

Nihil præter Chriſtum crucifixum ſcire nos docet.

Hæc eſt illa lux, quæ duobus illis viris inæqualiter illuxit, quos Pharao de carcere captiuitatis inæqualiter eduxit, typicè nobis inſinuans, quod gentilis ac Iudaïcus populus diuinæ remunerationis inæquale ſortiti ſunt beneficium, dum per myſterium crucis vnus præmium, & alius recepit ſupplicium. Hæc eſt illa lux, per quam licet vnus eorum ad pœnam, & alius educeretur ad gloriam, vterque tamen Dominicæ reſurrectionis ſignauere victoriam: dum vna eadémque cœleſtis myſterij ſorte, poſt tres dies illi de carcere, & Chriſtus ſurrexit à morte.

Manaſſes.

Hæc eſt illa lux, per quam nobis in Manaſſe, qui obliuio dicitur, Iudaïcus populus diuinæ obliuionis vltione ſubijcitur, ne ô Chriſtiane, exemplo ipſius obliuiſcaris cōditoris tui, de quo ſcriptum eſt; Oblitus eſt Domini creatoris ſui.

Ephraim.

Hæc eſt illa lux, per quam Ephraim, qui frugifer interpretatur, gentilis populi vſque hodie fœcunditas illuſtratur, ſi tamen in nobis frugibus illis virtutum ager fœcundetur animarum, de quibus dicitur; Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum. Hæc eſt illa lux, quæ Manaſſen & Ephraim duplici myſterio illuſtrare volebat, dum Ioſeph pater eorum pro benedictione Iacob vnum ad dextram, & alium ad ſiniſtrā ponebat, typicè ſignificans, quod eandem figuram vterque habuerant in Chriſto Ieſu, quam gentilis ac Iudaïcus populus prius habuit in Iacob & Eſau. Hæc eſt illa lux quæ in manibus Iacob myſterium crucis præfigurare volebat dum minori dextram, & maiori ſiniſtram ſuperponere ſolebat, myſticè nos inſtruens, vt in hac deriuatione manuum nihil aliud ſiniſtra intelligatur aut dextra, niſi quod per myſterium crucis iam populus vnus eſt in Eccleſia, & alius extra. Hęc eſt illa lux, quæ vno modo ſeniorem, alio autem voluit illuſtrare iuniorem:

Ephraim. Manaſſe.

vt in Ephraim & Manaſſe ad eundem modum ſenior inſeruiret minori, quo in Eſau & Iacob maior videbatur ſeruire minori. Hæc eſt illa lux, quæ eodem myſterio aliquatenus illuſtrauit Ruben, quo prius illuſtrare noluit Eſau & Manaſſen, dum per ineffabilem cœleſtis diſciplinæ cenſuram vterque eorum prioris populi videbatur habere figuram.

Ruben.

Hęc eſt illa lux, per quam Ruben primogenitus, & fortitudo patris, peccatis eius exigentibus, pœnam luit iniquitatis, dum ordine primatus coram patre ſuo eò minus meruit inter alios ſtui, quò culpa primogeniti principium auxit doloris ſui. Hęc eſt illa lux, quæ in interioribus oculis Ruben omnino caligauit dum cubile patris ſui aſcendit, & ſtratum eius maculauit: ſignificans videlicet, quod Iudaïcus populus cubile Dei patris ſui maculaturus aſcendit, dum in arbore crucis corpus eius clauis ferreis ſuſpendit. Hæc eſt illa

A

lux, quæ oculis Ruben nimis erat obſcurata, dum pro laſciua nimiæ voluptatis effuſus eſt ſicut aqua: pœnas ſcilicet peccati eò magis luiturus in numero fratrum, quo ſe primogeniti doluit amiſiſſe primatum. Hęc eſt illa lux, quę Ruben, cui dignitas ſacerdotalis & regia debebatur, radio ſpiritalis gratiæ minus illuſtrare videbatur, cum effrenatæ libidinis nimio æſtuaret deſiderio, qui antea prior in donis, & maior erat imperio.

Simeon. Leui.

Hęc eſt illa lux, per quam Simeon & Leui, vaſa iniquitatis bellantia, pro operibus tenebrarum, quaſi ſidera obnubilantur errantia, quia indignum valde eſſet, vt à cœleſti lumine interiores eorum illuſtrarentur oculi, per quos ſcribæ & ſacerdotes Iudaïci præfigurati ſunt populi.

Simeon & Leui quorum tenuerunt figuram.

Hęc eſt illa lux, quæ in cordibus eorum lumen veritatis

B

fecit obſcurum, qui in furore ſuo occiderunt virum, & in dolore ſuo ſuffoderunt murum: ſignificantes videlicet, quod illi nimis ab ęterna elongati ſunt luce, qui corpus Domini crucifixerunt clauis, lancea & cruce. Hęc eſt illa lux, quæ vno modo Iacob illuſtrauit in Bethel, alio verò Symeon & Leui diuiſit in Iacob, & diſperſit in Iſraël: quoniam ibi pes eius ad pedem illam non habebat ſignificationem, quam hic diuiſio habet ad diſperſionem. Hæc eſt illa lux, per quam ita nominum iſtorum reciproca variatur conuerſio, vt in Iudæis credentibus diuiſio, & in non credentibus intelligatur diſperſio, quia ſicut per iſtam diuiſionem fides nobis inſinuatur illorum, de quibus dictum eſt; Suſcepit eos de via iniquitatis eorum, ita per hanc diſpoſitionem non credentes, debemus annotare Iudæos, de quibus ſcriptum eſt, Tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos.

Pſalm. 106.

C

Pſalm. 105.

Iudas. Gen. 49.

Hęc eſt illa lux, per quam Iudas benedictione paterna meruit æternaliter frui, pro qua pater eius ad eum: Iuda (inquit) te laudabunt fratres tui: Iudam ſcilicet illum nobis figuraliter expreſſurus, qui ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, de tribu Iuda erat naſciturus. Hęc eſt illa lux, per quam fratres Iudę ad eandem figuram laudabant eum, quo Apoſtoli poſtea laudauerunt Deum; quando ineffabili diuinę pietatis efficacia fratres eius non natura fuere, ſed gratia. Hęc eſt illa lux, quæ diu abſcondita fuit ab oculis eorum, de quibus ſubiungitur; Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, ſignificans ſcilicet, quod verus Iudas virtutis cœleſtis gladio humiliare debuit colla ſu-

Pſalm. 128.

D

perborum, de quibus ſcriptum eſt; Dominus iuſtus cō-cidet ceruices peccatorum. Hęc eſt illa lux, qua Iacob illuſtratus in benedictione filij ſui, continuo ſubiūgens Adorabunt (inquit) te filij patris tui: per quos videlicet pręfigurati ſunt nobis illi veri adoratores Dei, de quibus ſcriptum eſt; Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruiēt ei.

Pſalm. 71.

Hęc eſt illa lux, quę Iudę huic leonem illum pręmonſtrauit in figura, de quo ſubiungitur, Catulus leonis Iuda, ſignificans ſcilicet, quòd in reſurrectione Dominica virtus leonis illius nobis facta eſt nuda, de quo ſcriptum eſt; Ecce vicit leo de tribu Iuda.

Apoc. 5.

Hęc eſt illa lux, per quam Iudas illuſtratus eſt myſterio Chriſti, quando pater eius ad illum; Ad prędam (inquit) fili mi aſcendiſti: per quod videlicet nobis prędatoris illius inſinuauit maieſtatem, qui aſcendens in cœlum, captiuam ſecum duxit captiuitatem.

Pſalm. 67.

E

Hęc eſt illa lux, per quam Iudas requieſcens accubuit vt leo, dum Chriſtus in ſepulchro tribus diebus requieuit in Deo: quoniam ad eundem modum tres dies in tumulo requieſcere dignatus eſt Deus, quo catulus leonis editus, tribus dicitur dormire diebus. Hęc eſt illa lux, quę in figura Iudæ iſtius ſuſcitare voluit Deum; de quo ſubiungitur; Quis ſuſcitabit eum? ſignificans videlicet, quod per lumen diuinitatis, quo humanitas eius erat plena, à Deo patre ſuſcitari debuit quaſi leo, & quaſi leęna. Hęc eſt illa lux, per quam Iudę huic debuit in figura pętendi, quanta in Chriſto fuerit humilitas dormiendi, & potentia reſurgendi: dum per lumen diuinitatis illum ſpiritualiter aſpexit,

Digitized by Google

pexit, qui pro nobis mortu' eſt, & reſurrexit. Hæc eſt illa
lux, in qua Chriſtus, vt leo requieuit, qui tribus diebus & A
tribus noctib' ſomniũ mortis impleuit: quãdo per eiuſ-
dẽ mortis ſalutare myſteriũ, mortis antiquę deſtruxit im-
periũ. Hęc eſt illa lux, per quã idem patriarcha illuſtraba-
tur egregius, de quo dicitur; Non auferetur ſceptrũ de
Iuda, & dux de femoribus eius: typicè ſcilicet deſignãs,
quod de tribu Iuda dux ille naſciturus erat in ſalutẽ cre-
dentiũ, de quo ſubiũgitur, Ipſe erit expectatio gentium.
Hæc eſt illa lux, quæ eundem Iudam typo Apoſtolicæ
prædicationis illuſtrauit, dum in figura gentilis populi
pullũ ſuum ad vineã ligauit: in vinea ſcilicet hac intelligi
volens Eccleſiã Chriſti, de qua dictũ eſt; Vineã de Ægy-
Vinea Eccleſiæ Chriſti. Pſalm. 79. pto tranſtuliſti. Hęc eſt illa lux, per quã Iudas ad diſcer-
nendã Iudæorum & gentiũ litem, ſub typo gentilis po-
puli aſinã ſuã ligauit ad vitẽ, ſignificans videlicet, quod B
ipſe, qui poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis apparens,
Luc. vlt. ire ſe longius finxit, per myſterium crucis Eccleſiã gen-
tium vinculo ſibi charitatis aſtrinxit. Hæc eſt illa lux, per
Iudas. Gen. 49. quam Iudas paſſionem Chriſti nouit eſſe venturam, dum
in figura Saluatoris lauit in vino ſtolam ſuam: myſticè
ſcilicet inſinuans, quod caro Chriſti, quæ in cruce pe-
pendit, paulo minus ab angelis diſceſſit, dum Eccleſiæ
gentium botrum ſui ſanguinis in torculari paſſionis ex-
preſſit. Hæc eſt illa lux, per quam verus ille Iudas, in
ſanguine vuæ pallium ſuum lauit, qui per myſterium
Cant. 2. crucis Eccleſiam gentium ab omni iniquitate munda-
uit, quando duplici peccato illius, duplici medicina
ſubuenit, vbi de latere ſuo aqua eam abluit, & ſangui-
ne redemit. Hęc eſt illa lux, per quam ille, qui eſt flos C
campi & lilium conuallium, pro ſalute credentium in
ſanguine vuæ lauare dignatus eſt pallium, dum per my-
ſterium ſui ſalutiferi cruoris reddidit eis palliũ laudis,
Gen. 49. pro ſpiritu mœroris. Hæc eſt illa lux, quæ oculos Iudæ
myſterio adhuc illuſtrauit diuino, vbi ſubiungitur; Pul-
chriores ſunt oculi eius vino: nihil aliud videlicet intel-
ligi volens per vini huius ſynceritatem, niſi legalis ob-
ſeruantiæ auſteritatem. Hæc eſt illa lux, per quam ocu-
li Iudæ vino erant pulchriores, dum Apoſtoli & Euan-
geliſtæ legali traditione fuerant clariores, quando per
Ibid. euangelicam & apoſtolicam doctrinam, ſcientiam no-
bis infudere diuinam. Hæc eſt illa lux, per quam etiam
dentes eius erant lacte candidiores, dum doctores Ec-
cleſiæ legali obſcuritate fuerant lucidiores, quando vir- D
tutum candore lactis atteſtantes albedinem, euangelicæ
veritatis nobis inſtillauere dulcedinem. Hæc eſt illa lux,
per quam in dentibus eius Chriſti prædicatores intelli-
guntur, per quos increduli quique, quaſi cibi in corpus
Eccleſiæ tranſmittuntur, qui more paruulorum lacte
nutriuntur in primis, quia nondum valent ſolidis aſſueſ-
cere cibis. Hæc eſt illa lux, in qua Chriſtus antiqui ho-
ſtis occurrens audaciæ, vinum & lac legis antiquæ radio
nouæ illuſtrauit gratiæ: dum in ara crucis duplicem
hanc gratiam voluit conferre credentibus, vt eis vlte-
rius nec caligo in oculis, nec dolor appareret in denti-
Zabulon. Gen. 49. Pſalm 79. bus. Hæc eſt illa lux, quæ Zabulon per diuinæ clarita-
tatis illuſtrauit radium, dum in littore maris habitauit,
& in ſtatione nauium: ſignificans videlicet, quod ipſe E
Eccleſiam in portu quietis æternæ voluit collocare, qui
in Apoſtolica prędicatione extendit palmites ſuos vſq;
ad mare. Hęc eſt illa lux, per quam Zabulon, qui habita-
culum fortitudinis interpretatur, quaſi in littore magis
illuſtrari videbatur, dum Eccleſia gentium ab ipſo me-
ruit fortitudinem habere virtutis, qui per myſteriũ cru-
cis portum ſibi voluit demonſtrare ſalutis. Hæc eſt illa
lux, per quam Iſſachar, qui dicebatur aſinus fortis, pro
præmio vitæ cœleſtis onus abiecerat mortis, dum eo
minus eum grauabat iugum Domini ſuaue, & onus eius
leue, quo præſens ſeculum ei momentaneum videba-
Iſſacar. tur, & leue. Hęc eſt illa lux, per quam Iſſachar, qui mer-
ces videtur interpretari, cum gentili populo fidei merci-
bus Deo ſolet ſine intermiſſione famulari, typicè nos
inſtruens, quod inter gentiles ac Iudæos magna verſatur

diſcretio; quamuis plures ex vtroq; populo Dominici
A ſanguinis mercati ſunt precio. Hæc eſt illa lux, quæ eun-
dem Iſſachar, id eſt, gentilem populum adhuc aliter illu-
ſtrauit, dum inter terminos æternæ fœlicitatis accubans,
terrã optimã humero portauit: ſignificãs videlicet, quod
omnipotẽs Deus nullũ in fine ſeculi, vitę cœleſtis remu- *Quem Dominus beatitudine donet.*
neratione coronat, niſi prius hîc ad portãdã iuſtitiæ ſar-
cinam bonæ actionis humerũ ſupponat. Hęc eſt illa lux,
per quam Iacob futurorũ illuſtratus ſcientia, Fiat, in- *Gen. 49.*
quit, Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita; Antichriſtũ *Dan. Antichriſti typum.*
ſcilicet ſignificans, qui contra electos Dei duplici quan-
doq; debet ſæuire dementia, dum & coluber ex aſtutia,
& ceraſtes vocatur ex potentia. Hæc eſt illa lux, quæ nos
etiam cum Iacob per ſpiritualem illuſtrat allegoriam,
dum in eodem Dan arctiorem nobis demonſtrat ſemi-
B tam eſſe quàm viam, ne pro arcta & anguſta via, quæ du-
cit ad vitam, viam illam quæramus latiorem, de qua ſcri-
ptum eſt, Lata & ſpecioſa via eſt, quæ ducit ad perditio- *Matth. 7.*
nem. Hæc eſt illa lux, quæ eidem Dan nimis videbatur
obſcurari, dum in aquilonari parte ſeorſum à fratribus
ſolebat caſtra metari: illius videlicet per hoc imitatus
actionem, qui contra Deum erectus; Ponam, inquit, ſe- *Eſai. 14.*
dem meam ad Aquilonem. Hęc eſt illa lux, per quam
electi Dei quandoque vngularum eius ſpernunt veſtigia
ſequi, de quo Iacob ſubinferens; Mordens, inquit, vn-
gulas equi, quia indignũ valde eſt, vt Chriſtianus ab An-
tichriſto malè viuendi exemplũ ſumat, qui per ſuperbiã *Gen. 49.*
& ambitionem in curſu labentis ſeculi quaſi equus ſpu-
mat. Hæc eſt illa lux, quę nos etiam pœnitentia peccato-
C rum quotidie ſolet illuſtrare cum Petro, ne ad exemplũ
Dan cum aſcenſore huius equi, id eſt, ſuperbo quolibet
cadamus retro, ſcientes videlicet, quod illi ſolummo-
do cum cœcis euangelicis in præcipitium vadunt, qui
cum Saule retro & non in faciem cadunt. Hæc eſt illa
lux, per quam nobis perſona Chriſti ſuppreſſo præmon-
ſtratur nomine, vbi Iacob ſubinferens; Salutare (inquit)
tuum expectabo Domine: myſticè ſcilicet ſignificans,
quod per ſalutare illud reſurrectio illius apertiſſimè ſi-
gnatur, qui Ieſus, id eſt, ſalutaris, vel ſalus interpretatur:
Hæc eſt illa lux, quæ nobis etiam in Gad ſpiritualiter præ- *Gad.*
monſtrauit Deum, vbi ſubiungitur, Gad accinctus præ-
liabitur ante eũ, prælio ſcilicet hoc illud ſignificans prę-
lium, quod Chriſtus contra diabolũ habiturus erat pro
D ſalute fideliũ. Hęc eſt illa lux, quę nobis in eodem Gad,
verbi cœleſtis gladium miſit, quo vnigenitus Dei filius
nurum à ſocru, & filium à patre diuiſit, quando veniens *Matth. 10.*
in præſentis vitæ ſtadium, Non veni (inquit) in terram
pacem mittere, ſed gladium. Hęc eſt illa lux, per quam
in figura Gad illuſtrati fuerant illi bellatores inuictiſſi- *Cant. 3.*
mi, de quibus Eccleſia in Canticis; Omnes (inquit) te-
nentes gladios, & ad bella doctiſſimi, ſignificans videli-
cet, quod illi in Eccleſia Dei quaſi fortes ex fortiſſimis
Iſraël eſſe creduntur, qui contra carnalis concupiſcẽtiæ
luxus ſpirituali gladio ſemper repugnare nituntur. Hæc
eſt illa lux, per quam verus ille Gad verbi cœleſtis gladio
accinctus erat fortiſſimè, de quo ſcriptũ eſt; Accingere *Pſal. 44.*
gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſime. myſticè ſci-
E licet inſinuans, quod nos armatura Dei lumbos mentiũ *Ephe. 6. Lumbi mentis ... armatura Dei.*
ſemper debemus pręcingere, vt poſſimus omnia tela ne-
quiſſimi ignea extinguere. Hæc eſt illa lux, quæ etiã Gad
verbis ſequentibus illuſtrauit adhuc in obſcuro, vbi
ſubiungitur; Ipſe accingetur retrorſum, id eſt, in futu- *2. Theſ. 2.*
ro: ſignificans videlicet, quod Chriſtus Antichriſtũ quã-
doq; interficiet ſpiritu oris ſui, vt electi Dei æterna bea-
titudine ſecum poſſint ſecurius frui. Hæc eſt illa lux, *Aſer.*
per quam illuſtratus eſt Iacob, patriarches egregius, vbi
de altero filio ſubiungens; Aſer (inquit) pinguis panis
eius, per quod videlicet, panis illius pinguedinem nobis *Ioan. 6.*
figura prætẽdit, de quo ſcriptum eſt, Hic eſt panis viuus,
qui de cœlo deſcendit. Hęc eſt illa lux, per quam idem
Iacob diuinis adhuc illuſtratus eſt legibus, vbi de eodem *Reges quinam ſint.*
Aſer ſubinferens; Præbebit, inquit, delitias regibus, per
hoc videlicet illos ſignificans reges, qui ſeipſos bene

ſecundom diuinas rexerint leges. Hæc eſt illa lux, per qoam Aſer, qui beatus vel pinguis panis interpretatur, A typo Saluatoris illuſtrati merebatur, dum ad præbendas delitias regibus, diuitiarum illarum ditabatur affluen- (Eſa. 33. Neptalim.) tia, de quibus ſcriptum eſt; diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcieotia. Hæc eſt illa lux, per quam nobis in Neptalim cœleſtis ſacramenti reſeratur abyſſus, vbi de eo ſubiungitur, Neptalim ceruus emiſſus, ſignificãs videlicet, quod velocitas Apoſtolicæ prædicationis ita ſalutem deſiderauit animarum, quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. Hęc eſt illa lux, per quam idem Neptalim, qui figuram habuit ceruinæ fortitudinis, cæteris fratribus dedit eloquia pulchritudinis, dum pulchritudine (Pſalm. 18.) cœleſtis eloquij prædicationé nobis præfigurauit illorum, de quibus ſcriptum eſt; In omnem terram exiuit ſonus eorũ. Hæc eſt illa lux, per quam in Neptalim, qui interpretatur dilatatio, in latitudine mundi Apoſtolica B cœpit dilatari prædicatio, per quam corda fidelium vſque ad vltimum electum quotidie dilatantur ad Deum, (Pſalm. 118.) ad quem Pſalmographus; Viam (inquit) mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meũ. Hæc eſt illa lux, (Ioſeph.) per quam Iacob ſibi ardens & nobis luceſcés, de Ioſeph ingeminauit, dicens: Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens: typicè ſcilicet deſignans, quod per hunc puerum pueri illius præfigurabatur potentia, de quo ſcriptũ eſt, Puer Ieſus proficiebat ætate & ſapientia. Hæc eſt illa (Luc. 2.) lux, per quam Ioſeph præ deuotionis illuſtratus affectu, ſplendidus erat in habitu, & decorus aſpectu: myſticè (Pſalm. 44.) ſcilicet illum præfigurans Dominum, de quo ſcriptum eſt; Specioſus forma præ filijs hominum. Hæc eſt illa lux, quæ myſterium pulchritudinis eius filijs gentium C eſſe nolebat obſcurum, de quibus ſubiungitur; Filiæ diſcurrerunt ſuper murum, ſignificantes videlicet, quod filij Eccleſiæ per ſoliditatem fidei Chriſtum diligere debent ſuper aurum & topazion, ſi in decore ſuo videre deſiderant Deum deorum in Syon. Hæc eſt illa lux, ex (Gen. 49.) qua fratres Ioſeph, diu ab eo abalienati ſunt, de quibus ſcriptum eſt, Exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, quando (Gen. 37.) inſultantes ſomnijs eius, & potentiæ ſuæ; Nunquid inquiunt; rex noſter eris, aut ſubijciemor ditioni tuæ? Hęc eſt illa lux, per quam in eiſdem fratribus diuinæ (Gen. 49.) charitatis cœpit obſcurari facula, de quibus dicitur, Inuiderunt illi, id eſt Chriſto, habentes iacula, telis ſcilicet inuidiæ ſuæ nequitiam præfigurátes illorum de quibus ſcriptum eſt; Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ D (Pſalm. 63.) eorum. Hæc eſt illa lux, per quam illuſtratus eſt idem pater egregius, de quo ſubiungitur, Sedit in forti arcus eius, ſignificans videlicet, quod virtus filij Dei firmiſſimè máſit in patre, quando in ara crucis paſſus eſt pro Eccleſia matre. Hęc eſt illa lux, per quam ad eundem modum diſſoluta ſunt vincula brachiorum eius, per manus potentis Iacob, quo de vinculo muliebris improperij poſtea liberatus eſt Iob: typicè ſcilicet inſinuans, quod (Matth. 27.) per virtutem Dei patris, diſſoluta ſunt vincula, quibus corpus Chriſti fuerat ligatum, quando fratres eius, id eſt, Iudæi vinctum eum duxerunt ad Pilatum. Hęc eſt illa lux, per quam Iacob patriarchæ illa benedictio prius promiſſa eſt in Bethelde, qua ſubiungitur, Iudas egreſſus eſt paſtor lapis Iſraël, ſignificans videlicet, quod ad fi- E dem Chriſti per illum introire debet plenitudo gentiũ, à quo lapis, id eſt, firmitas eſt egreſſa credentium. Hæc (Ibid. Gen. 49.) eſt illa lux, per quam illuſtratus eſt Ioſeph, filius ſuos, vbi pater eius ad eum; Deus (inquit) patris tui, erit adiutor tuus: myſticè ſcilicet inſinuans, quod pater ille cœleſtis filium ſuũ fortiter adiuuit in paſſione, de quo ſcri- (Pſalm. 9.) ptum eſt; Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Hęc eſt illa lux, per quam etiam paterna illa benedictio data ſibi, de quo ſubiungitur; Deus omnipotens benedicet tibi: typicè nos inſtruens, vt pater in filio benedictionem illam confirmaſſe credatur, de quo ſcriptũ eſt; Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Hęc eſt illa lux, per quam Ioſeph præ fratribus ſuis benedictionibus illis meruit illuſtrari ſeorſum, de quibus ſubiungitur; Benedictionibus cœli deſuper, & benedictionibus abyſſi iacentis deorſum: myſticè ſcilicet nobis inſinuans, quod has benedictiones ad illum ſpecialiter debemus referre, cuius gratia viuimus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Hæc eſt illa lux, per qoam Ioſeph inter alias benedictiones fratrum ſuorum adhuc illuſtratus eſt benedictionibus vberum, id eſt, duorum (Gen. 49.) teſtamentorum ſiue benedictionibus vberum, quibus lactata eſt infantia Chriſti, de quibus ſcriptum eſt; Bea- (Luc. 11.) tus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. Hæc eſt illa lux, quæ eidem Ioſeph & alia benedictione volebat illuceſcere, de qua ſubiungitur; Benedictionibus (Hier. 1.) vberum & vuluæ: per quod videlicet vuluam illam virginalem præfigurauit in ſpe, de qua Hieremias; Antequam exires (inquit) de vulua, ſanctificaui te. Hęc eſt illa lux per quam Ioſeph benedictionibus illis confir- (Gen. 49.) matus eſt in benedictione iuſtorum, de quibus Iacob; Benedictiones (inquit) patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum tuorum: typicè ſcilicet inſinuans quod ſicut benedictio Ioſeph benedictionibus præualuit fratrum ita benedictio Dei Patris in fide, benedi- (Ibid.) ctiones præcellit omnium Patrum. Hæc eſt illa lux, per quam Ioſeph his & alijs benedictionibus illuſtratus eſt (Sancti colles vocantur.) in figura Sanctorum, donec veniret deſiderium collium æternorum; ſignificans videlicet, quod electi Dei (Pſalm. 64.) pro excellentia ſanctitatis collibus ſuis illis iure coæquari videntur, de quibus ſcriptum eſt; Pingueſcunt ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Hęc eſt illa lux, per quam omnes iſtę benedictiones verbis frequentibus confirmatæ ſunt et, de quibus ſubiungitur; C Fiant in capite Ioſeph & in vertice Nazaræi: per quas videlicet alabaſtrum vnguenti illius precioſiſſimi nobis allegoricè pręcẽdit, quod a capite Chriſti per omnia mébra Eccleſiæ vſque ad vltimum electum, ſine intermiſſione deſcendit. Hęc eſt illa lux, per quam Iacob futurarum rerum adhuc obſcura prædictutus myſteria: Ben- (Beniamin.) jamin (inquit) lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia: per hoc videlicet vltimam Iudæorum præfigurans ſaluationem, quod Benjamin vltimus paternam conſecutus eſt benedictionem. Hæc eſt illa lux, quę per myſterij ſalutaris efficaciam in eodem Benjamin legem nobis præmonſtrat & gratiam: dum per manè & veſperam literam illam ac ſpiritum ſignificat, de quibus ſcriptum eſt: Litera occidit, ſpiritus D viuificat. Hęc eſt illa lux, per quam in Béjamin, qui filius (2. Cor. 3.) doloris à matre vocabatur, cõuerſio beati Pauli allegoricè ſignatur, in qua dolore cordis intrinſecus tactus, ex impio pius, & ex perſecutore doctor eſt factus. Hæc eſt illa lux, per quam bene cognitum eſt charitati veſtræ, quod Béjamin à patre ſuo vocatus eſt filius dextræ, Paulum ſcilicet ſignificans, qui poſt immutationem dextræ excelſi per gratiam illius quotidie creuit in ſalutem, de (Pſalm. 117. Paulus.) quo ſcriptum eſt; Dextera Domini fecit virtutem. Hęc eſt illa lux, per quam Paulus, qui ante conuerſionem lupus erat rapax, poſt conuerſionem diuinæ legis factus eſt capax: quando propter hoc Paulus vocatus eſt magnus, quoniam ex reprobo probus, & ex lupo factus eſt agnus. Hęc eſt illa lux, quæ eodé Apoſtolo diuini lumi- E nis magnũ cõtulit munus, dum quaſi in corde ſuo factũ eſt veſpere & mane dies vnus: quia dum Chriſtus ad viã veritatis ſeipſum ſibi præbuit ducé, noctẽ eius in diem, & tenebras vertebat in lucem. Hæc eſt illa lux, per quam Benjamin, qui manè prædam comedit, & veſpere ſpolia diuiſit, per effuſionem ſanguinis propter ei cauſam rapacitatis amiſit, ſignificans videlicet quod ſicut in præda quam manè comedit, præmonſtrata eſt nobis rapacitas Saulis, ſic in ſpolijs, quæ veſpere diuiſit, figurata eſt prædicatio Pauli. Hæc eſt illa lux, per quam omne, quod de Benjamin prius prædictum erat hiſtoricè, poſtea in Paulo completum eſt allegoricè: quando in exceſſu mentis ſuæ, eundem Benjamin ad Eccleſiam Dei libero proſecutus eſt greſſu, de quo dicitur, Ibi Benjamin a- (Pſalm. 67.) doleſcentulus in mentis exceſſo. Vnde & beatus eſt ille, qui

qui exemplo illius vitia pauca, & virtutes babuerit mille: beatus nimirum, qui per exterioris hominis ariditatem, & interioris viredinem, alijs etiam de boni odoris ſolet inſtillare dulcedinem, ſed beatior multum, ſi per ineffabile ſanctæ Trinitatis auxilium, vſque in finem ſuũ bonis operibus germinare conatur, vt lilium in ſtillicidio, ſcilicet illius boni operis germen inchoans, & in ipſo determinans, de quo ſcriptum eſt, In ſtillicidijs eius lætabitur germinans.

Pſalm. 64.

Ecce quoniam in pelago ſcripturarum, fratres chariſſimi, iam diu fluctuamus, dum benedictiones antiquorum patrum, Chriſto remige ad portum perducere curauimus, tempus eſt, vt ſermo noſter de profundo myſteriorum, quaſi ſubleuantibus vndis excitus, cum nauicula mentis quantocius perducatur ad littus. Sed quia finem orationis noſtræ, quaſi planiciem terræ nondum perfectè videre valemus, dignum eſt, vt in Chriſto Ieſu anchoram ſpei noſtræ firmiſſimè collocemus, quatenus in hac nocte gratia nobis obumbrante ſuperna, ibi nos dies inueniat craſtina, vbi dimiſit hodierna. Sicut enim hodierna die de Iacob & filijs eius copioſè tractauimus, ſic craſtina die de vxoribus eius ac liberis ea, quę adhuc reſtant, compendioſè tractabimus: ne de geſtis illorum raptim tranſire videamur ad alia, cum in eorum hiſtoria granum aliquod adhuc latere videatur ſub palea. Vnde quia diem hunc à mane vſq; ad veſperã perduximus lęti, tẽpus eſt, vt iam corda commendemus creatori, & mẽbra quieti: vt eò lætiores nos craſtina inueniat dies, quo hodiernum laborem nocturna magis releuauerit quies.

Et ecce quia nox iſta dilectiſſimi, tanquam dies heſterna, quæ pręterijt, aurora rutilante iam penè deperijt, ideò nunc de tenebris ad lucem ſurgendum eſt nobis in ipſius nomine de quo ſcriptũ eſt; Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Sed cũ ſcriptũ ſit; Primũ quęrite regnũ Dei, & hęc omnia adijciẽtur vobis, orationes ad Deum primò faciendæ ſunt nobis, vt ad pergendum iter diei præſentis, à latere corporis facilius ſoluatur nauicula mẽtis. Verũ cũ mũdis mũda, & ſpiritalibus debeãt cõparari ſpiritalia, tẽpus eſt, vt iam in vna manu tabula, & ſtylus recipiatur in alia: quoniam de vxoribus & filijs Iacob hodie breuiſſimè tractabimus, quæ ab heri & nudius tertius in hunc diem tractanda ſeruauimus. Noſtis quippe dilectiſſimi, quod lux antiquæ diuinitatis, eundem Iacob multipliciter illuſtrauit, dum de duabus liberis & duabus ancillis, xij. filios generauit, ne ignotum ſit nobis, quod in his ſignificetur aut illis, cum noua lex in liberis, & vetus figuretur in ancillis. Vt autem verbis hiſtoriæ myſterium ſuffragetur allegoriæ, ſciendum eſt, quod de eiſdem xij. filij ſex fuerant Liæ, quatenus tres aliæ vxores eo melius recognoſcerent filios ſuos, quo Balaam & Zelpha quatuor, & Rachel habuit duos. Sed notandum eſt nobis, quod inter illos fratres, qui de liberis fuerant nati, filij etiam ancillarum paterna ſunt benedictione ſacrati: vt nos exemplo eorum, eò maiorem fiduciã habeamus per Chriſtũ ad Deum, quo in benedictionibus illorum non erat perſonarum acceptio apud eum. Ab ipſo quippe communiter ei data eſt gratia paternæ benedictionis, qui diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis: ſignificans videlicet, quod Deus omnipotens neminem vult peccati morte perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire. Non enim diſtinctio eſt, vtrum ſis Iudæus an Græcus, barbarus an Scyta, cum per gratiam Saluatoris omnes æterna capiat vita: ſi tamen hic corpori eius concilientur per fidem, qui cum patre & ſpiritu ſemper eſt vnus & idem. Vnde ſi nos miſericordiam conditoris conſideremus intentè, nihil confert, ſi quis nobilis ſit in carne, niſi nobilior probetur in mente quoniam in æterna patria gradus eos non diſcernit natiuitatis, quos hic æquales facit vnitas charitatis. Sic enim cõmune eſt omnibus regnum Dei; vt rex militi, & miles aſſideat regi: vbi in Deo patre & coæterno eius filio, ſeruus Domino, & regi conregnabit opilio: Ibi quippe diſcipulus & magiſter, ibi ſeruus & liber, ibi

Pſalm. 4.

Legem nouam proles libera, veterem ſeruilis deſignant.

Nobilitas carnis abſque mentis nobilitate Chriſtiano nihil conueniet.

Iacob & Rachel, Agar & Iſmahel omnes verſantur pariter: quia dignum eſt, vt ibi ſit filius ancillæ cum filio liberæ, vbi omnibus in Chriſto vnum eſſe, & vnum eſt viuere. His igitur verbis, quia diem hunc vſque ad veſperam, læti tranſegimus, dum in carina mentis noſtræ legenda dictauimus, & dictata relegimus: ideò decumbente iam ſole, eò citius indulgendum eſt nobis labori diurno, quò in Chriſto Ieſu minus timere debemus à timore nocturno. Vnde cùm ad exemplum propheticæ lectionis interdum etiam ſilere debeamus à bonis, eò diligentius iam ſilentium imponendum eſt ori, quò craſtina die denuò volumus vacare lectioni.

Ecce quia noctis iſtius extrema nũc indicat hora, quod hodiernæ diei iam rutilare debet aurora, ideo de ſomno torporis & ignauiæ, eò nobis ſurgendũ eſt citius, quò ad littus orationis noſtræ hodie cupimus peruenire velocius. Sicut enim heſterno die ſuperni luminis illuſtrati ſydere, de vxoribus Iacob breuiter enodauimus, quid vel ancillæ portẽderent, aut liberæ; ſic hodierna die nihil aliud volumus enauigãdo perſtringere, niſi qualiter ſermo iſte, ſpirantibus auris, portum poſſit attingere. Vnde ad peragendum iter vnius diei, cum catena fidei reuocanda eſt iam anchora ſpei, quoniam in nauicula cordis noſtri eò maiorem ſpem habere debemus ad Deum, quò nõ derelinquet omnes, qui ſperant in eum. Et quia diuinæ pietatis ſuperno iam indigemus remigio ſi ad locum deſtinatum proſpero volumus peruenire nauigio, ideo in nauicula mentis eò ſtudioſius nobis fidei, ſpei, & charitatis incumbendum eſt remis, quò ſpe videndi littoris magis magiſq; iam remigrare debemus in extremis. Sed dum ad finem orationis noſtrę, quaſi ad littus properamus à littore, viam veritatis nequaquam debemus amittere: ſed ante nos longius interioribus iam proſpiciendum eſt oculis, ne nauicula mentis alicuius erroris anfractibus illidatur aut ſcopulis. Sciendum eſt quippe, quia ſicut in libro Geneſeos antea conſtat, aliquibus nauigaſſe diebus: ſic in alijs libris Moyſi aliquanto tempore poſthac piſcari debemus, maximè cum magni piſces illi iam nobis præmonſtrati ſint in patriarchis & prophetis, de quibus veritas diſcipulis; Mitte (inquit) in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Sicut enim figuram piſcium illorum plures habuere prophetæ, de quibus dicitur; Cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete: ſic hæretici quilibet vſque hodie typum habent illorum, de quibus ſcriptum eſt; Rumpebatur autem rete eorum: & ſicut piſces illi boni quotidie inueniuntur in præſentis Eccleſiæ caſa, de quibus veritas; Elegerunt (inquit) bonos in vaſa: ſic hæretici piſcium illorum figuram ſemper habebunt, de quibus ſcriptum eſt; Malos autem foras miſerunt. Quia enim in Eccleſia Dei quidam ita peruerſi, quidam vero ita ſunt ſancti, vt non immerito ſimiles ſint ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: dignum eſt, vt iuſto iudicio conditoris, alij remaneant intus, & alij foris. Sed illos, qui foris ſunt, eò citius à vobis dilectiſſimi fratres, debetis expellere, quò intra ouile Domini lupino dente & ouino vtuntur vellere: dum pro eo, quod lupi ſunt, & oues ſe fingunt; Eccleſiam Dei diuerſis hæreſibus ſcindunt. Cum enim ſcriptum ſit, Attendite à falſis prophetis, ipſi ſunt, de quibus vobis cauere debetis: quoniam licet aliqui de vobis eos fortaſſe venerentur vt Deos, à fructibus tamen eorum cognoſcetis eos. Vnde cùm ſermo noſter contra inſidias illorũ ita ſit diuina protectione munitus, vt ab hæretica poteſtate liberatus, ſecurè properare poſſit ad littus: tẽpus eſt, vt nos veluti cũ Iona eo celerius ad terram ſententiæ iſtius eijciat mare, quo citius quaſi cum Ieſu deſideramur in littore ſtare. Sed ne margaritas porcis, vel ſanctũ videamus dediſſe canibus, ſi ſine multitudine piſcium, quã cepimus, vacuis ad terram redeamus manibus, dignum eſt, vt iam magnos illos piſces cordis noſtri colligat rete, per quos antea patriarchæ ſignabantur & prophetæ. Ipſi enim, quid aliud, niſi piſces erant, qui virtutum pennulis, ab imis ad ſumma

Ioan. 21.

Ibid.

Luc. 5.

Matth. 13.

Hæretici Chriſtiano maxime fugiendi.

Matth. 7.

Digitized by Google

volare ſolebãt; dum contra inſidias diaboli, ad boc ſemper iuſtitiæ muniti ſunt ſquamis, ne carnalium vitiorum aculeis caperentur aut hamis. Piſces quippe, qui pennulas ſquamarum babent, dare ſaltus ſuper aquas valent, ſignificantes videlicet, quod illi ſummodo corpori Eccleſiæ ſibi digniſſimi fiunt, qui de terrenis ad cœleſtia virtutum pennulis eleuare ſe ſciont. Illos autem, nulla diuinitatis aura cõtingit, ſed ſub tegmine vitiorum glacies interna conſtringit, niſi ſepoformis gratiæ Dei, calidioribus eis aſpirantibus ventis, de vitijs ad virtutes ſaltibus conſcenderint mentis. Tales igitur ſaltus patriarchæ & propbetæ faciebant dum virtutum pennulis fulti, de infimis ad ſumma volare ſolebant: illum videlicet imitantes, qui poſt gloriam reſurrectionis ſuæ aſcẽdens in altum, de terris ad cœlos magnum fecerat ſaltum. Vnde quooiam ſimiles erant magnis illis piſcibus, id eſt, centum, quinquaginta tribus, de quibus in Eccleſia Sanctorum gratus Deo ſemper præparandus eſt cibus, neceſſe eſt, vt nos ad exemplum illorum eandem cum eis haoeamus fidem, quam per myſterium nobis numerus demonſtrauerit idem: qui quoniam à nobis poteſt enucleari ſyncerius, ſi à myſterio vnius myſterium ſeparetur alterius: idcirco ne more ciborum vnus nobis ſit in faſtidio, & alius in deſiderio, dignum eſt, vt centenarius, qui de his primus eſt in numero, primus etiam adſit in myſterio. Noſtis vtique, quod ex antiqua ſupputatione ſapientium decies decem, faciunt cẽtum myſticè ſcilicet ſignantes, vt & impletio Decalogi ſentiatur in denario, & plenitudo perfectionis intelligatur in centenario. Sciendum eſt enim, quia niſi fide integra & charitate perfecta, decem legalia ſtudeamus adimplere præcepta, nequaquam adunari valemus illi perfectæ requiei, vbi ſcientiam ſuam non nox nocti, ſed dies indicat diei. Sed & aliud myſterium adhuc in eodẽ numero demonſtratur hominibus, vbi pro corona virginitatis ſolet attitulari virginibus: quoniam in inflexionibus digitorum, lege dictante magiſtra, eundem articulum habet in dextra, quem denatius in ſiniſtra.

Patriarchæ & Prophetæ cur velle piſces dicantur.

Quinam Eccleſiæ digniſſimus cibus ſint.

Abſque impletione Decalogi fruſtra ſibi homines beatitudinem policentur.

Ecce quia piæ deuotionis, & fraternæ charitatis hameto duo myſteria vobis in eodem apportauimus numero: reſtat vt ſecundum doctrinam virorum ſolertiũ, duobus his addamus & tertium. Intuendum eſt ſanè quibuſlibet lectoribus intentis, quod litera T. thau numeris intitulatur trecentis: ſignificans videlicet, quod ſicut nouæ legis teſtatur ſacramentum Trinitas in tribus, & charitas figuratur in centum. Niſi enim eiuſdem charitatis velimus habere tenorem, de qua ſcriptum eſt; Perfecta charitas foras mittit timorem, nequaquam in nos dilectionis illius poteſt redundare perfectio, de qua dictum eſt; Plenitudo legis eſt dilectio. Et quoniam allegorici ſenſus, qui in eodem numero latebant, charitati veſtræ dilectiſſimi iam tertio patebant, dignum eſt, vt quia nouus animus nouos exigit artus; tribus addatur & quartus. Notum eſt enim vobis in Chriſto Ieſu, quod non crux, ſed ſpecies crucis continetur in litera T. thau, quoniam ſi in ſuperiori parte adhuc ei pars vna ſupereſſet, non iam forma crucis, ſed integra crux eſſet. Vnde & in eadem litera, per quam numerus trecentorum, & forma crucis oſtenditur, non incongrue nobis pugna Gedeonis in figura prætenditur: in qua videlicet per gratiam omnipotentis ſuper hoſtes ſuos meruit triumphare cum trecentis. Per myſterium enim crucis, & formam Trinitatis, ſine armis pugnauit cum armatis, quando eos non armis ſubiugauit amœnis, ſed tubis, lampadibus & lagenis. Notandum eſt etiam, quod Ezechiel Propbeta in eadem litera fidem expreſſurus credentium; Signa (inquit) T. thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium: typicè ſcilicet inſinuans per hoc nouæ ſanctificationis ſignum, quod ferro hoſtium fortius eſt crucis Dominicæ lignum. Per hãc ergo crucem Saluator noſter omnia volens trahere ad ſe; Si quis (inquit) vult poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me: ſignificans videlicet, quod eo verius videmur crucem tollere Saluatoris, quo erga proximos noſtros maior nobis eſt charitas compaſſionis. Ecce quia forma centenatij numeri

Littera T.

Signum Dominicæ crucis ferro hoſtili robuſtius.
Matth. 16.
Marc. 8.

Qui verius tollat crucem Chriſti.

A vobis eſt diſcuſſa moraliter, tempus eſt, vt quinquagenarius numerus diſcutiatur æqualiter: quoniam licet ille ſit primus, & iſte ſecundus, vterque tamen eſt myſtica diſcuſſione profundus. Vnde licet iſte numerus iam diſcutiendus ſit allegoricè, prius tamen naturali ſupputatione multiplicari debat hiſtoricè, quatenus dignoſci valeat ex interioris oculi perſpicacia, quid ſibi ex natura debeatur aut gratia. Noſtis vtiq;, quia ſi quis partes eius velit æſtimare diſtinctè proculdubio ex decem conſtant & quinque, quoniam ſicut calculatores ſolertiores, optime ſciunt decies quinque, vel quinquies decem. l. fiũt. Vnde licet per iudicia diuinitatis occulta, in eodem numero miſteria ſint multa, nolumus tamẽ de eis plura pro paucis dicere, quibus ad preſens pauca pro pluribus vi-

B dentur ſufficere. Cum enim tot & tam multiplices ei ſpiritualis intelligentiæ ſint partes, vt pro explicandis omnibus, vix humanæ ſufficiant artes: ideò à nobis non ex toto, ſed ex parte allegorica iam diſcutiendus eſt arte. Sed antequam ad ſummam perueniatur ipſius, partes eius conſiderandæ ſunt prius, ne cum ex parte peruenitur ad totum, myſterium, quod alijs eſt cognitum, alijs poſſit eſſe ignotum. Noſtis igitur, quod quinarium numerum virtus diuina ſacrauit, dum de quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia ſatiauit, in quinque ſcilicet panibus ſacramenta ſignificans legis, in duobus autem piſcibus, duas perſonas ſacerdotis & regis. Vnde quoniam in ſacro eloquio quotidie vobiſcum diſcimus, quod in illa paſtione Dominica, nec piſces panibus, nec panes defuere piſcibus, dignum eſt, vt pro eo-

C dem exemplo in Eccleſia Dei ſemper exequendo, ne regnum à ſacerdotio, nec ſacerdotium ſeparetur à regno. Cuius rei exemplum facilè poteſt ab ipſo cõditore perpendi, qui ad ſanctificandum populum ac regendum, rex & ſacerdos volebat oſtendi: quando ad præparandam nobis immarceſſibilem vitæ æternæ coronam, in ſeipſo ſacerdotalem ac regiam voluit portare perſonam. Proinde multum erras, ô Chriſtiane nimirum hæretice, qui more phreneticorum regnum & ſacerdotiũ ſoles agitare phreneticè, dum duas perſonas, qui in Eccleſia Dei ſemper fuere ſublimes, diuerſis hæreſibus ab inuicem ſeparare non times. Sed neſcis fortaſſe, quod antiquæ diuinitatis olim ſancitum eſt lege, ne in regno Romanorum, rex à pontifice, vel pontifex ſeparetur à

D rege: quatenus filijs Eccleſiæ in concordia eorum beoe poſſit oſtendi: quod ex diuina ordinatione vnus habet teſtamentum ſacerdotij, & alius regni. Vnde nil obſtat, ſi præfata refectio Dominicæ paſſionis, per quandam ſimilitudinem duabus his cõparetur perſonis, quoniam in myſterio refectionis, quam ijdem viri debẽt exhibere Chriſtianis, alius habet formam piſcis, & alius panis. Nõ enim ignotum eſt vobis, quod ars piſtoria ſit intus, & piſcatoria foris: quatenus alter alteri eò magis ſtudeat in Chriſti charitate prodeſſe, quò ars arti ſẽper poteſt vſui eſſe. Taliter igitur pro diuinæ ac fraternæ dilectionis amore, duo ijdẽ viri ſemper eſſe debẽt in labore, quoniã in Eccleſia Dei inter eos ſic eſt ordo diſtinctus, vt in his, quæ ſunt ſeculi, & in his quæ Dei, vnus opere-

E tur foris, & alius intus. Vterq; enim quoddã diuinæ charitatis habet inſigne, dũ quaſi vnus in aqua, & alius operatur in igne: vt ſicut pro dilectione Dei, ne ſãcti Spiritus vnus aſſatur vt panis, ita pro defẽſione proximorũ ſquamis iuſtitiæ alius muniatur, vt piſcis. Vnde quoniã in ſacro eloquio poteſt apertiſſimè diſci, quod in refectione Dominica nec piſcis pani, nec panis aberat piſci. Sciendum eſt, quod nec catholicæ fidei, nec Chriſtianæ contrarium eſt legi, ſi ad honorẽ regni & ſacerdotij rex pontifici, & pontifex obediat regi. Iſti ſunt enim, qui ex antiquæ diuinitatis diſpenſatione bifaria, in firmamento Eccleſiæ, quaſi duo magna conuenere luminaria: quatenus in his, quæ ſunt ſeculi, & in his, quæ Dei, luminare minus nocti, & luminare maius debeat præeſſe diei.

Numerus quinquagenarius.

Quinarius numerus ſacer.

Hæreticorum phreneſis. Notabat Lutheranos.

Pulchra Pontificis ac Regis munerum diſtinctio.

Et non

Pontificia & Regia dignitãtu præſtantia.

Et non immerito, quod duobus illis luminaribus poterunt comparari, quæ cæteris ſyderibus magis videntur principari: quia ſicut in firmamento cœli, eiſdem luminaribus nulla ſtellarum creatura claritate videtur eximior, ſic in firmamento Eccleſiæ, duabus his perſonis ordine & dignitate nulla poteſt eſſe ſublimior. Vnde & factum illud eis non incongruè videtur cõuenire, quod Moyſes tabernaculum Domini crebro intrare ſolebat & exire: vt pro demonſtrando ſacerdotij & regni admirabili coitu, hoc in loco regnum in exitu, & ſacerdotium ſentiatur in introitu. Dum enim vnus bene viuendi exemplum alijs intus præbet, alius verò pro diſponendis infirmãtium cauſſis foris ſedet, proculdubio vnus, quaſi cum Moyſe ad tabernaculum redire, alius verò cum eo foras videtur exire: ſicut vnus virtutum pennis ſurſum eleuatur, vt columba, dum pro ſecretis cœleſtibus, de imis recurrit ad ſumma: ſic alius pro reſarcienda mundanæ diſſenſionis ac diſcordiæ rima, de ſummis ſemper deſcenſurus eſt ad ima. Vnde vt ad exemplum Moyſi vnus pro ordinãdis interioribus intus ad tabernaculum redeat, alius verò pro diſponendis exterioribus foris cum eo dignè ſedeat, neceſſe eſt, vt mutuæ charitatis officio, alter alterum ſic adiuuet, & in Chriſti virtute cõfirmet, vt vnus ſpiritualia intus ordinet, alius verò foris onus carnalium portet. Taliter igitur inter ſe pacem habere poteſt regnum & ſacerdotium, ſi duo hi dignè voluerint exercere ſuum negocium, maximè cum in Eccleſia Dei cauſam hanc quotidie valeant inuenire, pro qua tabernaculum Eccleſiæ vnus intrare, & alius dignè poſſit exire.

Sacerdotium & regnum vt inter ſe pace firma colligentur.

Luc. 10.
Maria & Martha ſorores typus ſacerdotii & regni.

Præterea verò intuendum eſt nobis, quod huic myſterio cõuiuium illud olim bene concordauit, in quo Maria ſedit, & Martha miniſtrauit, quoniam ſicut ex verbis euangelicis bene apparet; Maria male comederet, ſi non Martha miniſtraret. Sciendum eſt namque, quia pro habili ordine, & conuenienti ratione, duabus illis perſonis duæ iſtæ poſſunt comparari perſonæ, quoniam in Eccleſia Dei negocium illud habent in nutriendis corporibus, & illuſtrandis animabus, quod nobis olim præfiguratum eſt in his ſororibus duabus. Noſtis enim, quia per has duas ſorores, duæ vitæ ſunt moraliter expreſſæ: quarum adhuc vna in ſpe, alia verò in re iam nobis videtur adeſſe: de quibus ſcilicet, vt euangelicæ veritatis gratia teſtatur, vna actiua, & alia contemplatiua vocatur. Sed vt duplex vita, duplici innitatur & viæ, ſciendum eſt, quod actiua intitulatur Marthæ, & contemplatiua Mariæ, quoniam licet vna alteri præiudicetur, altera tamen alteri neceſſaria eſſe videtur. Vnde nil obſtat, ſi has duas ſorores duabus illis perſonis digna æſtimatione componam, qui in Eccleſia Dei ſacerdotalem ac regiam videntur portare perſonam: quia dignum eſt, vt in diſponendis eccleſiaſticis rebus ac mũdanis, eoſdem exerceant mores, quos in domo Phariſæi quondam duæ iſtæ expreſſere ſorores. Sicut enim Martha circa frequens miniſterium ſatagebat; Maria verò ſecus pedes Domini verbum illius audire ſolebat: ita pro diſponendo eccleſiaſticæ ac mundanæ dignitatis honore, vnus eorum erit in requie, & alius in labore. Sed ne alius alium relinquat ſolum miniſtrare, congruum eſt, vt alter alterum in Chriſto charitate ſemper debeat adiuuare: ne alter pro altero euangelicum illud Deo inaniter clamet; Dic ergo illi, vt me adiuuet. Quamuis enim in eis dona cœleſtia non ſunt æqualia, congruum tamen eſt, vt alter alteri ſua ſeminet carnalia, vt metere poſſit ipſius ſpiritualia. Vnde vt ad eundem modum homo ab homine, & pars releuetur à parte, quo requies Mariæ miniſterio quondam releuata eſt Marthæ, dignum eſt vt in currenda regiæ ac ſacerdotalis iuſtitiæ via, alius Martha, & alter alteri ſit Maria.

Vita actiuſa & contemplatiua.

Luc. 10.

Ecce rationi huic & illa conuenire videtur oratio, in qua legalis ſacrificij duplex nobis demonſtratur oblatio, vbi Moyſes populo Iſraël obſeruationem inueniẽs ſacram; Offerat (inquit) agnam de gregibus, ſiue caprã.

Leui. 5.

Si autem non poterit offerre pecus, per quod veræ innocentiæ integrum Deo immolare valeat decus, ſaltem pro emendatione corporum, & expiatione animarum, offerat duos turtures, aut duos pullos columbarũ. Quoniam ergo in perſona Romani pontificis ac regis, propoſita ſunt nobis hęc diuerſa ſacrificia legis, dignum eſt, vt pro illuſtrãdis fidelium animabus, ea, quæ primò propoſuimus, primum etiam ſoluamus. Vt enim in his duobus viris pietas copioſa & virtus ſit magna, legalis huius ſacrificij capra figuratur & agna: quoniam ſicut nouæ legis gratia teſtatur, per agnam actiua, per capram verò cõtemplatiua vita ſignatur. Vnde non incongruum eſt, quod qualitas hæc vtriuſque vitæ viro huic comparatur vtrique, quia ſub eiuſdem agnæ vel capræ legalis ſignificatione, pro Eccleſia Dei vnus ſemper erit in opere, & alius in contemplatione. Verum quia per agnam vitæ actiuæ innocentis ſignatur, ideo Regali perſonæ non incongruè comparatur: ſi tamen in corde ſuo innocentiam illam habeat per gratiam Dei, de qua ſcriptum eſt; Perambulaui in innocentia cordis mei. Niſi enim pro diuerſis erratibus cor ſuum ſic inceſſanter affligat, vt in innocentia cordis ſui Deo laudabiliter viuat, nequaquã in eo prophetica illa implebitur ſententia, in qua dicitur. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Si autem corda malorum materiali gladio diuinis ſubiugauerit legibus non iam capram, ſed agnam offerre videtur de gregibus, ſignificans videlicet, quod inter duas ſortes, & duas vitas electorum actiua vita multorum eſt, & contemplatiua paucorum.

Agna & capra quid ſignificet.

Pſalm. 100.

Pſalm. 83.

Actiua vita plurium, contemplatiua paucorum eſt.

Igitur quia legali agnæ perſona regalis nunc eſt comparata moraliter, reſtat vt capra legalis Romano pontifici comparetur æqualiter. Sicut enim, ſecũdum altiorem intelligentiam legis, agna legalis perſonam exprimit regis, ſic capra, per quam figuratur ſumma fidei catholicæ, non immerito perſonæ aſſimilatur apoſtolicæ. Dum enim Apoſtolicus ima deſerit, & ſublimia quærit, non incongruè legalis huius capræ ſpeciem gerit: ſi tamẽ per gratiam Dei, ita de præſentis ſeculi ſubleuetur ærumnis, vt velut in ſupremis rupibus pendens, paſtum ſibi quærat in ſummis. Qui dum animas fidelium vtriuſque legis vberibus lactat, capram proculdubio in ſacrificium cõditoris mactat: ſi tamen inde tumido ſuberbiæ non elatus faſtu, ſe ipſum prius internæ compunctionis ſatiauerit paſtu. Si autem pro ſublimiori eſca duritiam cordis lacte charitatis emollit, tunc quaſi capra dignè pedes erigit, & caput extollit: quoniam innocentiæ paſtu, cum illis cupit ſpiritualiter frui, de quibus ſcriptum eſt; Pauit eos in innocentia cordis ſui.

Pſalm. 77.

Pontifex & rex mutuo ſibi vt inhæreant.

Ecce ſicut in perſona pontificis & regis quædam à nobis ſunt dicta priuatim, ita de vtriſque viris adhuc alia ſunt dicenda ſummatim: quatenus alter alteri eo curioſius ſtudeat inhærere, quo Eccleſia Dei alter altero nulla debet ratione carere. Dignum quippe eſt, vt ſicut in ſacrificio conditoris, capra pariter immolatur & agna: ſic inter vtrũmq; fides integra, & charitas ſit magna: quoniam licet in Eccleſia Dei abinuicem ſint ordine & dignitate diſiuncti, in amore tamen diuinitatis ſemper debent eſſe coniuncti. Sicut enim vnus per actiuam vitam ita ſe cunctis ſolet exhibere deuotum, vt pro amore cõditoris eſurientibus tribuat cibum, & ſitiẽtibus potum: ſic alius per contemplatiuam vitam nihil aliud debet exercere, niſi vt pro vnitate Eccleſiæ, orationibus & ieiunijs ſoli Deo valeat inhærere. Si enim vtriſque in Deo fiducia eſt magna, non immerito eis capra comparatur & agna: ſi verò in eis mens eſt libera, & caro captiua, non incongruè illis actiua vita ſimilatur & contemplatiua. Vnde vt vnus in occiſionem agnæ materialem gladium fortiſſimè valeat diſtringere, alius verò pro immolatione capræ, ſpirituali gladio potẽtiſſimè ſe poſſit accingere dignum eſt, vt per ſacerdotalis ac regiæ dignitatis obſeruantiam ſacram, in ſacrificium conditoris vnus offerat agnam, & alius capram.

Officium regis.

Officium ſummi præſulis.

Ergo ſicut euidẽti ratione iam relatum eſt nobis, quæ-

liter in his duobus viris, agna & capra mactanda ſit in ſacrificium conditoris: ita nunc referendũ eſt vobis, paucis verbis & verbis compluribus, qualiter iidem duo viri, duobus valeant comparari turturibus. Inſuper etiã enucleãdum eſt nobis ex interioribus ſcripturarum medullis, qualiter iidem viri duobus columbarum coæquandi ſunt pullis, quatenus vterque lætetur in Deo ſalutari ſuo, ſi dignè ſibi duo hi turtures, aut pulli conueniant duo. Sciendum eſt quippe, quod per columbam ac turturem ſacerdotalis ac regiæ dignitatis duplex figuratur negocium, dum in columba intelligitur regnum, & in turture ſacerdotium. *[Columba regnum, turtur ſacerdotium ſignificat.]* Per columbam namque, quæ ſolent volitare gregatim, perſona regalis non incongruè poteſt figurari ſummatim, ſi tamen in hac actiua vita ſocietas illa bonorum ſibi non videatur importuna, de qua ſcriptum eſt; Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. *[Act. 4.]* B In turture autem, quæ amat ſingularitatem, ſacerdotalis perſonæ debemus admirari dignitatem: ſi tamen cum paſſere illo ſolitario, contemplatiuæ vitæ dulcedinem corde proſequatur perfecto, de quo ſcriptum eſt, Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. *[Pſalm. 101.]* Sed quia turtures & columbæ duplicis pœnitentiæ gemitum habent, non incongruè duabus his perſonis aſſimilari valent: ſi tamen cum Axa filia Caleph, pro duobus irriguis duplicem hunc gemitum habeant, vt & peccata præterita defleant, & futura præcaueant. Sicut enim in duobus turturibus aut pullis duplex Deo deferendum eſt munus, quando duo pulli vel duo turtures offeruntur, & non vnus: ſic inſimul duo iidem principes terræ in ſacrificium & holocauſtum Domini, pia ſe debent deuotione transferre. C Sed & aliud adhuc notandum eſt his turturibus duobus, quod non incongruè etiam viris iſtis conuenire poſſit ambobus. Quia enim turtur amiſſo coniugalis copulæ conſortio, pro cantu gemitum habet, duobus his viris non immeritò coæquari valet: quoniam dignum eſt, vt ſi per aliquod infortunium, alter perdiderit alterum, non cantum inde debent habere, ſed gemitum. Scire etenim debent, quia tunc verè in eis charitas illa verſatur, de qua dictũ eſt, Dilectio proximi malum non operatur, *[Rom. 13.]* ſi fraternum illud contubernium eis nequaquam videatur importunum, de quo ſcriptum eſt; Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres, in vnum. *[Pſalm. 132.]* Taliter igitur pro expiatione corporum, & reſpectione animarum duo hi viri duos offerant turtures, aut duos pullos columba- D rum, ſit totius maliciæ veneno à cordibus eorum funditus exhauſto, cum alter alterius deſtitutus eſt ſolatio, luctum ſibi faciunt amarum.

SERMO BERENGOSII ABBATIS IN Natali Martyrum legendus, de Pſalmo lviij. Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, *&c.*

[Cur Deus homo factus ſit. Pſalm. 59. Matth. 20.]

QVIA Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dilectiſſimi fratres, noſtræ carnis ſuſcepit infirmitatem, vt inimici à nobis expelleret poteſtatem, prophetica ſine dubio teſtatur oratio, quæ ſæpius lecta eſt apud vos: quam in typo fidelium Dauid olim proferens, Deus (inquit) repuliſti nos, & deſtruxiſti nos. Per hunc quippe Dauid, qui in libris Regum plurimas regiones cæde & incẽdio debellaſſe narratur, verus ille manufortis Ieſus Chriſtus Dominus noſter ſpiritualiter ſignatur: qui in hunc mundum veniẽs, vt filium à patre, & nurum à ſocru diuideret, attulit ignem quo incenderet, & gladium, quo occideret: vt cum in cordibus fidelium, non ferro, ſed verbo, non gladio, ſed ſpiritu vitiorum faceret ſtragem, per amoris ignem, ad geminæ dilectionis eos reuocaret cõpagem. Hæc igitur vitiorum ſtrages, & virtutum ſeries in his ſanctiſſimis martyribus Chriſti, quorum hodie feſta colimus, perfectiſſimè claruit: quando diuina inſpirante gratia mundus & concupiſcentia eius, in eis funditus exaruit: ita vt peccatis omnibus in eis deſtructis, non immeritò dicere poſſint inter alios: Deus repuliſti nos, *[Pſalm. 59.]* A & deſtruxiſti nos. Qui enim in primis parentibus noſtris repulſi ſunt à Deo pro traduce pomo, hos in ligno crucis poſtea traxit ad ſe idem Deus & homo. *[Gen. 3.]* Et ideò pia repulſio, & paterna deſtructio, quæ ſic hominem repellit vt reuocet: ſic mortificat, vt viuificet: ſic humiliat, vt exaltet: ſic deſtruit, vt reædificet. Talis quippe deſtructio corda fidelium & virtutibus decorat, & à vitijs purgat, de qua dicitur; Nunquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat? Hæc eſt illa deſtructio, per quam Deus hos ſanctiſſimos viros deſtruxit, vt Saulum: vt in melius mutaret, vt Paulum. *[Pſalm. 40. Quomodo ſit deſtructio Dei.]* Qui etſi in primo ætatis flore, quaſi mane alicuius maliciæ, prædam comedere cum Saulo, poſtea tamen in præſentis vitæ veſpere, proximis ſuis ſpolia veritatis diuiſere cum Paulo. Sed tamen aliter deſtruxit eos Deus, de quibus dicitur: De- *[Pſalm. 27.]* B ſtrues eos & non ædificabis eos: aliter eos, qui mutantur in melius, de quibus hic dicitur; Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos. Illos enim deſtruxit ad ruinam, non ad reſurrectionem: iſtos verò ad correctionem, non ad perditionem. Illos, vt in melius non mutentur; iſtos, vt ædificentur & ſanentur. Illos deſtruxit, vt cum Saulo deijciantur: iſtos, vt cum Dauide erigantur. *[Act. 9.]* Illos, vt cum vxore Loth reſpiciant retro: iſtos, vt ad pœnitentiam reuertantur cum Petro. *[1. Reg. 3. Gen. 19. Matth. 27.]* Tali quippe modo, & hos ſanctiſſimos viros repulit & deſtruxit: quando per fidei lumen, & charitatis ignem, eis clementer illuxit, quatenus diuinæ dilectionis igne ſuccenſi, perpetuo illi adhærerent igni, qui nullis vnquam tẽtationibus poterit extingui. Repulit etiam eos, & deſtruxit, quando C de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, ſua eos pietate reduxit: quatenus per ipſum liberarẽtur ab inferno mortis æternæ, qui per Prophetam; Ero (inquit) mors tua ô mors: ero morſus tuus inferne. *[Pſalm. 16. Eſa. 43.]* Repulit (inquam) eos, & deſtruxit, quando in eis mirificans miſericordias ſuas, ſecũdum Eſaiam; Delet (inquit) iniquitates tuas, quatenus præſentis Eccleſiæ preſtura eo facilior illis pro Chriſto omnis videretur labor: quo cõtinuo ſubiungens, Peccatorũ tuorum (inquit) nõ recordabor. Repulit eos & de- *[Ezech. 18.]* ſtruxit, quando ab eis ſicut nubem, omnem abſtulit iniquitatem, aptans eos omni bono, vt facerent eius voluntatem. Repulit & deſtruxit eos Chriſti charitas inuicta, *[Col. 2.]* quando cõuiuificauit eos cum illo, donãs eis omnia delicta. Repulit eos & deſtruxit, quando vt immarceſſibi- *[1. Pet. 2.]* D lem vitæ æternæ perciperent coronã, conuerſationẽ inter gentes habuerunt bonam: quatenus confirmati per verbum Dei viui & permanẽtis, liberarentur à voce exprobrãtis & obloquentis; Repulit eos & deſtruxit quãdo vnuſquiſq; eorum dolore cordis intrinſecus tactus, nõ ſolùm auditor verbi; ſed etiam factor eſt factus. Qui quoties vultum natiuitatis ſuæ, diuinæ legis conſiderauit in ſpeculo: toties immaculatum ſe cuſtodiuit ab hoc ſeculo. Repulit eos & deſtruxit, quando ſpiritus diſciplinæ, qui effugit fictum, à cordibus illorum quodlibet extirpauit delictum: quatenus à malarum cogitationum eò diligentius ſe cuſtodirent affectu, quò idem ſpiritus veritatis aufert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Repulit eos & deſtruxit, quando vnuſquiſque illo- E rum recolens apud ſe, quod lingua imprudentis ſubuerſio eſt ipſius, applicare ſe noluit imprudentiæ illius: quatenus per ipſum, cui omnis linguatorum ſcurrilitas eſt ſemper exoſa, liberaretur à labijs iniquis, & lingua doloſa. Repulit eos & deſtruxit, quando repleti fructo iuſtitiæ, epulari noluerunt in fermento maliciæ & nequitiæ: ſed contempto potius cibo falſitatis, epulati ſunt in azymis ſynceritatis & veritatis. Repuliſti eos & deſtruxiſti, quando vt apprehenderet in eis meſſium diuinarum tritura vindemiam, Spiritu ſancto noluerunt inferre blaſphemiam: ſcientes videlicet, quia ſpiritus gloriæ Dei verè in illo requieſcit, qui Chriſtiani nominis nomine non erubeſcit. *[In quo ſpiritus Dei vere quieſcat.]* Repulit eos & deſtruxit, quando odio habentes omnem viam iniquitatis, viam potius elegere veritatis: illi videlicet ſine intermiſſione ſupplicantes verbis

Digitized by Google

Pſalm. 118. verbis & re, ad quem Pſalmographus; Viam (inquit) iniquitatis amoue à me. Repulit eos & deſtruxit; quando vt in eis cœleſtis ſapientiæ requieſceret theſaurus; iuxta præceptum Salomonis; Non ſe extolebant in cogitationibus animæ ſuæ, velut theſaurus, ne fortè illideretur virtus illorum per ſtultitiam, ſi amare iniquitatem, & odiſſe viderentur iuſtitiam. Repulit eos & deſtruxit, quando vnuſquiſque illorum per diuinæ charitatis illectus amorem, dans pauperi, non recepit peccatorem, ſciens quoniam qui benefecerit iuſto, inueniet retributionem à Domino. Repulit eos & deſtruxit, quando odio habentes omnem raptorem & bilinguem, in ſeipſis totius detractionis ac furoris extinxerunt ignem: ſcientes videlicet, quia ſicut confuſio & pœnitentia eſt ſuper furem, ita & deuotatio peſſima ſuper bilinguē. *Eccl. 5.* Repulit eos & deſtruxit, quando poſſeſſione virtutis, & depoſitione maliciæ liberati à peccato, ſerui facti ſunt iuſtitiæ: cum populo ſcilicet illo gloriari nolētes in malicia, de quo Dauid; Labor (inquit) in medio eius, & iniuſtitia. Repulit eos & deſtruxit, quādo in cordibus eorū ſermo ille fructificauit egregius, de quo Apoſtolus; Non regnet (inquit) peccatum in vtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Repulit eos & deſtruxit, quando terrena ex integro deſerentes curā, pecuniā ſuā nō dederūt ad vſurā, ne quis illorū plebis illius penā incideret ſolus, de qua Dauid; Non defecit (inquit) de plateis eius vſura & dolus. Repulit eos & deſtruxit, quādo recolentes apud ſe, quod omnis peccator eſt inuidus & bilinguis, cōmunicare nolebant operibus eorū indignis: ne perfidiam illorū lingua imitarētur venenoſa: de quibus Propheta, Locuti ſunt (inquit) aduerſum me lingua doloſa. Repulit eos & deſtruxit, quādo in diuina cū illis conuerſabantur theoria, de quibus *Pſalm. 118.* dicitur; Beati immaculati in via: vt inter illos quandoq; *Pſalm. 36.* mercedē perciperēt laborum, de quibus ſcriptū eſt; Nouit Dominus dies immaculatorū. Repulit eos & deſtruxit, quando cuiuſdam viri ſapientis obſeruando mandata, quaſi à facie colubri fugēre peccata: ne illorum per omnia ſequerentur errores, de quibus ſcriptū eſt; Gladiū euaginarunt peccatores. Hæc eſt illa deſtructio, dilectiſſimi fratrés, per quam martyres iſti ſanctiſſimi, inter electos & circuncisos deſtructi ſunt patres; quando per armaturam Dei induti iuſtitiæ armis, circuncisi ſunt circūciſione non manufacta, in expoliatione corporis carnis. Et ideo quia nullus vitiorum noſtrorū poteſt repellere chaos, niſi cui pro gratiarum actione dicimus; Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos: idcircò Propheta enumeraturus adhuc & alia beneficia redēptoris, cōtinuò ſubinferens; Iratus es (inquit) & miſertus es nobis. O ira miſericors, & ſalubris indignatio, per quā fructuoſa fit omnis infructuoſa conuerſatio. *Ira Dei ſalutifera quæ.* O ira miſericors, quæ ſic iraſcitur, vt ſubueniat: ſic minatur, vt parcat: ſic aufert, vt reſtituat: ſic tradit, vt eripiat: ſic deſtruit, vt muniat: ſic abijcit vt recipiat. O quam ſalubris indignatio, quæ ſic auertit, vt reſpiciat: ſic claudit, vt aperiat: ſic exigit, vt dimittat: ſic deijcit, vt erigat: ſic perdit, vt requirat: ſic amittit, vt cuſtodiat. Sed quæ ſit hæc ira vel indignatio, propheta teſtatur egregius: qui vtrámq; euidenter exprimens; Ira *Pſalm. 29.* (inquit) in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Quaſi enim ira in indignatione eius verſatur, quando impijs & ſcelerans ſic iraſcitur, vt non miſereatur. Non quia iraſci vel irā habere credatur, ſed quia abiectio eius vel indignatio, humano more ira vocatur. Et ideo ſicut ira in indignatione eius mors eſt peccatorū: ita & in voluntate eius vita eſſe creditur cōuerſorum, quoniam ad hoc eos, qui conuertuntur ad cor, humiliat & ſublimat, quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & *Ira Dei quando & in quos perfectè deſæuit.* viuat. Sed tamen hæc ira Dei, & alio modo iuſta eius vindicta dicitur: quæ in præſenti ſeculo nequaquam perficitur, ſed in futuro ponus ſine miſericordia, in eos, qui miſericordiam non fecerunt, pleniſſimè perficietur: quando in impijs & peccatoribus, ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur. Sicut enim tunc in filijs diaboli cœ-

leſtis iræ iudicium implebitur ſupernum: quando audituri ſunt impij; Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: ita in electis & iuſtis impleri debet miſericordia Dei quando audituri ſunt iuſti; Venite benedicti patris mei. Hāc igitur vocem filij Dei, martyres iſti beatiſſimi. N. non immeritò quandóque cum electis debent audire: qui in ſeipſis olim, quæ vel quanta ſit ira vel miſericordia Domini, ſolebant bene viuendo ſentire: quæ *Iram & miſericordiam Dei vt in ſe Sancti ſenſerunt.* Dauid nobis in exemplum proponēs diuinæ miſerationis; Iratus es (inquit) & miſertus es nobis. Quaſi enim iratus eſt huic ſacratiſſimo martyrū choro, quoties carnis infirmitate peccauit: miſertus, quando ſeipſum lachrymis pœnitentiæ poſt flagitia mundauit. Iratus, quādo ſuperſtitiones totius erroris in eo deſtruxit: miſertus, quando ei lumen veræ fidei & veritatis illuxit. Iratus eſt ei etiam Deus, ſi quando in vno præcepto charitatis offendens, factus eſt omnium reus. Miſertus quando eidem ſtudebat adhærere charitati, quæ non gaudet *Per. 2. Nehm.* ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Iratus, ſi quando pupillis non erat miſericors, vt patet: miſertus, quando miſericordiæ operibus miſertus eſt eorum magis quàm mater. Iratus, ſi quando, quod abſit, ore præferens falſitatem, corde non habebat veritatem. Miſertus, quādo conuenticula declinans fallacium, aduerſus fratrem ſuum noluit amare mendacium. Iratus, ſi quando animo feruens cōtentioſo, contra præceptum Salo- *Prou. 22. Ibid.* monis, cum viro ambulauit furioſo. Miſertus, quando obediens eidem viro facundo, noluit eſſe amicus homini iracundo. Iratus, ſi quando miſericordiæ operibus, nec Deo amabilem; nec congregationi pauperum ſe fecit affabilem: Miſertus, quando per amorem vini & permanentis verbi, liberauit eum, qui iniuriam paſſus eſt, de manu ſuperbi. Iratus, ſi quando innocentium deſpiciens ſortem, non eruit eos, qui ducebantur ad mortem: Miſertus, quando per bonæ actionis meritum, eruit eos, qui trahebantur ad interitum. Iratus, ſi quando poſtponens ſententiam Salomonis, proximis ſuis reddidit ma- *Prou. 25.* la pro bonis; Miſertus, quando præceptum apoſtolicum eorde proſequens inuictu, non reddidit malum pro malo, vel maledictum pro maledicto. Iratus, ſi quando il- *1. Pet. 3.* lorum imitatus eſt nequitiam, de quibus ſcriptum eſt; *Prou. 15. Ibid.* Os ſtultorum ebullit ſtultitiā. Miſertus, quando illorum ſecutus eſt ſapiētiam, de quibus ſcriptum eſt: Lingua ſapientiū ornat ſcientiam. Iratus, ſi quādo oblitus infirmitatis humanæ, miſereri noluit ei, qui egebat pane. Miſertus, quando illi proximo diuiſerat panem ſuum, de quo Veritas; Frange (inquit) eſurienti panem tuum. Iratus, ſi quando, quod abſit, lucri temporalis exactor, cœleſtis *Eſai. 58.* verbi factus eſt auditor, & non factor. Miſertus, quando nec margaritas Dei porcis, neque canibus dans ſanctum, factor erat verbi, & non auditor tantum. Iratus, ſi quando diuitiarum illarum delectatus eſt onere, de quibus ſcriptum eſt; Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Pſalm. 61.* Miſertus, quando diues fide, & pauper ſenſu, paruulus erat malicia; & perfectus ſenſu. Iratus, ſi quando aduerſus verba prauorum inermis, cōtra præceptum Apoſtoli *Ephe. 5.* ſeductus eſt inanibus verbis. Miſertus, quando per diuini ſermonis incomparabile donum, decipi non potuit in ſublimitate ſermonum. Iratus, ſi quando pauperibus in hilaritate miſereri noluit, & ſua eis partiendo non cōdoluit: Miſertus, quādo ſua pro Chriſto diſtribuens, nomen ſuum in libro vitæ cum illis optauit aſcribi, qui de ſuo, quod habebant, miſerunt partes eius, qui non præ- *Neem. 8.* parauerunt ſibi. Iratus, ſi quando in itinere illorum fuit, de quibus ſcriptum eſt; Iter impiorum peribit: Mi- *Pſalm. 1.* ſertus, quando itineris illius declinauerat ſortem, de quo Salomon; Iter (inquit) demum deducit ad mor- *Prou. 13.* tem. Vnde quia talis ira, tantáque miſericordia creatoris, beneficia ſolummodo ſunt diuinæ dignationis: idcirco vox martyrum immotiſſima non immeritò ei cum *Ira & miſericordia Dei, beneficia ſunt diuinæ clementiæ.* Eccleſia dicit; Iratus es, & miſertus es nobis. O ira miſericors, & incompatabilis miſericordia, quæ ab omnibus vitijs humana ſemper emundat præcordia! per

Ira Dei & miſericordia coniuncta ſemper. quam peccator inuitatur ad veniam iuſtus, ad vitam, martyr ad palmam confeſſor ad gloriam. Non enim [A] miſeretur, niſi iraſcatur: qui ob hoc prius iraſcitur, vt poſtea miſereatur. Præuenit enim ira, vt ſequatur miſericordia: præuenit lachryma, vt ſequatur venia, præuenit pœnitentia, vt ſequatur indulgentia: Præuenit humiliatio, vt ſequatur exaltatio: præuenit confeſſio, vt ſequatur remiſſio. Præuenit vocatio, vt ſequatur iuſtificatio: præuenit iuſtificatio, vt ſequatur glorificatio; Quos enim vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, illos & glorificauit. Et ideò, qui peccator eſt, agat pœnitentiam, vt iuſtificetur: qui verò iuſtus, iuſtitiá adhuc exerceat, vt glorificetur. Præmiſſa namq; puræ confeſſionis efficacia, occidit peccatũ, & oritur gratia: tuncque peccator quilibet per hoc mare magnũ & ſpacioſũ nauigare videtur in portu, quando ante oculos Dei, & [B] peccatum eius eſt in occaſu & gratia, qua liberatur in ortu. Sic igitur dum peccatũ cadere, & gratia in nobis oriri videtur, quaſi Deus nobis iraſcitur & miſeretur, quia ſicut poſt ventum ſequitur pluuia, ſic poſt iram ſequitur miſericordia. Per cuius miſericordiæ opera martyres iſti *Pſalm. 18.* ſanctiſſimi liberari ſe poſtulauerunt à totius nequitiæ malo: de quibus Pſalmographus; Miſericordias Domini in æternum cantabo. Quæ etiam alibi euidentius adhuc *Pſalm. 144.* exprimens idem Pſaltes egregius; Miſerationes (inquit) eius, ſuper omnia opera eius. Et meritò quidem miſericordi Domini ſuper omne opus extollitur: per quam *Miſericordiæ Dei effectiones.* ſeruus liber efficitur, debilis erigitur, humilis exaltatur, ſuperbus humiliatur, ſurdus audit, mutus loquitur, claudus curatur, infirmus ſanatur, cæcus illuminatur, le- [C] proſus, mundatur, mortuus ſuſcitatur, mare ſedatur, poſſeſſus à dæmone liberatur. Hæc eſt illa miſericordia, per quam idem martyrum grex ab omnibus vitijs mun- *Pſalm. 88.* datus eſt à Deo: qui de ſe per Prophetam loquens. Miſericordiam (inquit) meam, non diſpergam ab eo. Per quem nunc etiam à præſentis ſeculi nocte tranſlatus à *Pſalm. 59.* Deo in gloriam ſuam, non immerito ei dicere poteſt; Exaltabo manè miſericordiam tuam. Ad hanc quippe miſericordiam, nequaquam poſſet perueniendo venire, niſi quod prius commotionem cœleſtis expertus eſt iræ. Quæ poſtquàm in corde ipſius vitiorum omnium ſedauerat ſtagna, ſtatim per miſericordiam Dei facta eſt tráquillitas magna. Sed quæ ſit ita vel miſericordia cœle- *Habac. 3.* ſtis, ſermo propheticus eſt teſtis. Quem ſi ad memoriam [D] diligenter reuocaueris; Cùm iratus (inquit) fueris; miſericordiæ recordaberis. In his igitur verbis cauendum eſt nobis, dilectiſſimi fratres, ne ſic obliuiſci, vel ſic obliuioſus à nobis Deus eſſe putetur, vt ſicut homo, poſt *Pſalm. 73.* iram miſericordiæ recordetur: ſed ſicut ad iram eius turbatus eſt idem Propheta mirabilis; Quando ad eum cum iratus (inquit) fueris, miſericordiæ recordaberis: ita & nos humano more, quaſi oblitum noſtri, miſericordiæ Dei cum Pſalmographo clamemus verbis & te; *Vt iram Dei effugiat peccator.* Ne obliuiſcaris voces quærentium te. Quaſi enim poſt iram miſericordiæ recordatur, qui dum iraſcitur, non ſtatim percutit, ſed minatur: vt dum ira eius humana fuerint turbata præcordia, non miſericordiam ira, ſed iram potius excludat miſericordia. Qua de re ne ho- [E] mini Deus in præſentis Eccleſiæ iraſcatur domo, di- *Pſalm. 4.* gnum eſt, vt per miſericordiam Dei ſibimetipſi prius iraſcatur homo: de præteritis ſcilicet peccatis prophetica illa ſtudens admonitione ceſſare, in qua dicitur; Iraſcimini, & nolite peccare. Ad hoc namque cohibere ſe debet à carnalis concupiſcentiæ curis: vt ſicut præteritis iraſcitur peccatis, ita caueat de futuris, ne defen- *Rom. 12.* ſionis illius culpam videatur ſubire, de qua Apoſtolus; Non voſmetipſos (inquit) defendentes cbariſſimi: ſed date locum iræ. Sic igitur præ cæteris ira illius prophetica voce laudatur, qui poſtquam iraſcitur, miſericordiæ recordatur. Vnde quia talis ira & talis miſericordia indicia ſunt diuinæ dignationis & miſerationis: idcirco vir iſte ſanctiſſimus, quaſi cum cæteris fidelibus gratias agens miſericordiæ redemptoris, non immeritò dicit; Iratus es, & miſertus es nobis. Verùm quia [A] longum nimis eſt, dilectiſſimi fratres, ſi totum hunc Pſalmum hodierna die in vnum ſermonem exponendo coartemus, bonum eſt, vt hucuſque in alium diem cætera dicenda ſeruemus: vt & tunc in manibus noſtris aliquid habeamus, vnde conditori noſtro Deo ſemper gratias agamus. Vt enim de præſenti pſalmo vnuſquiſque habeat, vnde diuinæ lectioni aſſiduè vacet, eundem pſalmum in quatuor partes diuidere placet: vt qui in tot martyrum feſtiuitatibus, de eis ſilere voluerint, loqui faciat ſermo qui tacet. Vnde quia tempus iam imminet, quo ſermonem iſtum ad finem ducamus. Dignum eſt eorúndem martyrum Chriſti præſidia ſine intermiſſione quæramus: quatenus meritis ipſorum intercedentibus, charitas illa, quæ vniuerſa cooperiat de- [B] licta, vſque in finem in nobis regnet inuicta: de qua *1. Tim. 1.* Apoſtolus; Finis (inquit) præcepti eſt charitas, de conſcientia bona & fide non ficta. Sed quoniam nullus in eiuſdem perfectæ charitatis verſari poterit officina, niſi qui ab homine malo, id eſt, à ſeipſo prius repulſus fuerit deſtructione diuina: idcirco orandũ eſt nobis, dilectiſſimi fratres, vt qui electis ſuis quotidie piè iraſcitur & miſeretur, tam clementer & tã benignè nobis iraſci & miſereri dignetur, vt & nos cum eiſdem Chriſti martyribus, dignè ſibi clamare poſſimus elogium illud propheticæ iubilationis; Iratus es & miſertus es nobis; Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum; Amen.

[C]

Sermo eiuſdem Berengoſij de Martyribus, de eodem pſalmo, Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos.

QVONIAM in altero ſermone, dilectiſſimi fratres, prout, largiente Domino, potuimus, quæ vel qualis ira vel miſericordia Dei ſit, ſufficienter expoſuimus, reſtat vt ſub typo ſanctorum martyrum. N. quorum hodie ſolennia colimus, aliqua de his, quæ ſequuntur, ad memoriam reducamus, vnde priora poſterioribus commendare valeamus. Poſtquàm enim Propheta deſcripſit, qualiter vnigenitus Dei filius ad deſtruendam infirmitatem humanæ conuerſationis, iratus eſt & miſertus eſt nobis, continuò declarare volens, quod pro terrenorum ſalute [D] calceamentum ſuę incarnationis extendit in Idumæam: Commouiſti (inquit) terram, & conturbaſti eam. Cõ- *Quo pacto commouerit Deus corda terrenorum.* mouit enim & conturbauit terram, id eſt, corda terrenorum, ſubauditur, conſcientia peccatorum: quando *Matth. 18.* ad eos per euangelium; Niſi conuerſi (inquit) fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sed hic inpnmis illud nos oportet conſiderare: quod aliud eſt commouere, aliud conturbare: quando duo hæc verba duplicem habent ſignificationem: pro eo ſcilicet, quod commotio parturit gemitum, conturbatio dolorem. Qualis autem iſta commo- *Commotio & conturbatio quid ſit.* tio ſit, monſtrat ſcriptura, ſi quæris; vbi dicit: Cum ingemueris, ſaluus eris. Qualis verò iſta conturbatio ſit, ſententia declaratur in ea, in qua Pſalmographus; Sana [E] (inquit) me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa *Pſalm. 6.* mea. Per hãc quippe cõmotionem & conturbationem, *Matth. 3.* cómonit & cõturbauit Dominus corda Sanctorũ iſtorũ quando ad eos per Prophetam; Pœnitentiã (inquit) agite: appropinquabit enim regnum cœlorum: ne indignos ſe diuina ſaluatione viderent, ſi hoc audito non mouerentur & non timerent. Taliter etiam mentes ipſorum *Eſai. 1.* conturbatæ ſunt & commotæ, vbi Eſaïas ad eos & nos; Lauamini (inquit) mundi eſtote: quatenus de cordibus ipſorum & noſtris, cœleſtis illius lauacri ſpiritalis, ad *Pſalm. 50.* Deum aſcenderet clamor, de quo Pſalmographus; Lauabis me (inquit) & ſuper niuem dealbabor. Commo- *Pſalm. 7.* uit etiam eos & conturbauit, quando eis inter alios; Niſi conuerſi fueritis (inquit) gladium ſuum vibrauit: quique ne conuerſionis ſuæ remedium vel ad horam quidem vellent differre puſillum continuò ſubinferens;

Arcum

Digitized by Google

Arcum (inquit) ſuum tetendit & parauit illum. In quibus verbis, dilectiſſimi fratres, abyſſus diuinitatis eſt multa: quoniam ſicut per gladium aperta ira; ita per arcum pugna ſignatur occulta. Hoc igitur verbi cœleſtis gladio eorundem martyrum animus ſuper fœmur tuum potentiſſimè fuit accinctus, quando per ipſum & perſecutores foris, & diabolum deuicerat intus: vt gladij illius contrarios euaſiſſet errores, de quo ſcriptū eſt. Gladium euaginauerunt peccatores. Tetendit etiam arcum
Pſalm. 36.
hunc, per quem nouum teſtamentum vocatur & vetus: quādo in lege Domini meditabatur die ac nocte inquietus, ne inſidus percuteretur arcu illius maligni, de quo ſcriptum eſt; Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Taliter quippe martyres iſti ſan-
Pſalm. 45.
ctiſſimi, verbi cœleſtis gladio commoti ſunt & conturbati, quando in nouitatem vitæ, à paterna ſunt vetuſtate tranſlati: pro ſimulachris videlicet mutis, & lapideis colentes vnum Deum & Dominum, qui per prophetam;
Sancti martyres vt commoti & conturbati fuerint.
Pſal. 113.
Simulachra (inquit) gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Commoti etiam ſunt à malicia, vt non dominaretur eis omnis iniuſtitia, quando vt cœleſtis vitæ Deo dignè perciperent alimoniam, pacem cū omnibus ſecuti ſunt & ſanctimoniam. Commoti ſunt & cōturbari quoties ab eū prauitatis illius eſt via deſpecta, de qua Salomon; Eſt (inquit) via quæ videtur ho-
Prou. 14.
minibus recta: in eiuſdem viæ peſſimam inciderent ſortem, de qua ſubiungitur; Nouiſſima eius deducunt ad mortem. Commouet etiam & conturbat quotidie terram humanæ conſcientiæ, vbi dicit, Agite fructus di-
Luca 3.
gnos pœnitentiæ: ne prophetica illa tranſgrediamur edicta, quibus dicitur; Pœnitemini & conuertimini, vt
Act. 3.
deleantur veſtra delicta. Commouetur etiam quidam, non in reſurrectionem, ſed in ruinam: de qua Salomon;
Prou. 13.
Ægeſtas (inquit) & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam. Commouentur etiam quidam, non in ruinam, ſed
Pſal. 2.
in reſurrectionem nihilominus: de quibus Propheta; Apprehendite (inquit) diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus. Vnde quia fidelis anima ſanari digna non eſt, niſi quæ per hanc commotionem diabolo incognita, &
Sanari quis poſsit.
Deo nota eſt: idcirco Propheta ſubinferens; Sana (inquit) contritiones eius, quia commota eſt. Sciebat enim vir iſte probatiſſimus, quia nequaquam poſſet dignè ſanari, niſi prius apud ſe intus pœnitentiæ mereretur aqua turbari: ideoque pro exemplo languidum illum euangelicum ante oculos mentis fortaſſe habebat, qui poſt motionem aquæ ſanus fiebat. Hæc igitur contritio fortiorem in Chriſto ſanctorum martyrum fecerat mentē, & debilitatem mundo, Deo ſemper reddidit valentem: de qua Dauid, cuius ſermo non deficiet; Cor contritum (inquit) & humiliatum Deus non deſpiciat. Sana, inquit. Hæc eſt illa ſanitas dilectiſſimi, quam Pſalmographus olim imprecatus eſt ſibi, quando conuerſatus ad
Pſal. 50.
Dominum? Sana (inquit) animam meam, quia peccaui tibi. Hæc eſt illa ſanitas, per quam idem Dominus no-
Pſal. 40.
ſter ſanauit contritiones Sanctorum, qui per Ozeā prophetam; Sanabo (inquit) contritiones eorum: ne illa contritione conterentur à Deo indeſinēter de qua Hieremias; Contrita eſt (inquit) virgo filia populi mei plaga peſſima vehementer. Adhuc etiam per ipſum & ab ipſo contritiones eorum ſunt ſanatæ, per quem gens illa quondam cœcitatis percuſſa eſt deformitate, pro qua Elyſeus ad Dominum; Percute obſecro (inquit) Domine gentem hanc cœcitate. Contritiones eorum ſanauit,
Hæc eſt illa ſanitas, pro qua ad Dominum propheticus ille quondam erupere clamor videlicet. Hieremiæ ad Dominum. Sana me Domine (inquit) & ſanabor.
4. Reg. 6.
qui quos vocauit, hos & iuſtificauit, quoniā per ipſum & in ipſo mundati ſunt ab omni ſorde vitiorum, qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Vnde quia ſanatis contritionibus Sanctorum, per multas tribulationes eos oportet intrare in regnum cœlorum, idcirco Propheta declarans, quanta paſſi ſint in præſentis Eccleſiæ preſſura, continuò ſubinferens; Oſtendiſti (inquit) populo dura. Sanctis quippe martyribus dura oſtendebantur à Deo, quando in perſecutionibus, quas pertulit Eccleſia, dura & immaniſſima tormenta patie-

bantur pro eo: ideóque eos Apoſtolicis illis viris non
Sāctis vt Deus dura oſtēderat.
A immeritò comparabimus, de quibus Apoſtolus; Si cōpatimur (inquit) & conregnabimus. Dura etiam pro Chriſto paſſi ſunt iidem ſanctæ Eccleſiæ filij: quando Apoſtolorum veſtigia ſecuti, ibant gaudentes à conſpectu concilij, ſcientes videlicet, ſe eo magis diuinæ placituros pietati, quo digni ſint habiti pro nomine Ieſu contumeliam pati. Sic igitur populo ſuo dura oſtendit, quādo eis præcedentium Patrum exempla prætendit: quatenus erudirentur verbis apoſtolicæ lectionis, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sed & alio modo dura oſtendit populo ſuo, vbi vnicuique per euangelium loquens; Diliges (inquit) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et quoniam in hac ſola dilectione nullus ho-
Charitas erga Deum abſque dilectione proximi perfecta eſſe no poteſt.
B mo perfectus conſtat, niſi & aliam adhuc habeat, quam in ſequentibus demonſtrat: idcirco declarans, quanta charitate tendere ſe debeat alter ad alterum, continuò ſubinferens; Dilige (inquit) proximum tuum, ſicut teipſum. Hæc igitur duo præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet & prophetæ, vos in vobis, dilectiſſimi fratres, quantocius adimplere ſtudete: ſicque vnuſquiſque veſtrum apud ſe facilè perpendit, quam dura ſunt, quæ præcipit, & quàm dura, quæ oſtendit. Ille enim, ſicut arbitror, quærendus eſt in numero angelorum, & nō hominum, qui ita, ſicut præcipit Dominus, valeat diligere Dominum: aut qui tali dilectione ad alterum tendat ſemetipſum, vt diligat proximum ſuum, ſicut ſeipsū. Et ideo vnuſquiſque teſtis eſt ſibi, quod nullus aut vix vllus poterit reperiri, qui alij tam benè cupiat, quàm ſi-
C bi. Verùm ne nos diutius prioris ſententiæ deſerant iura, Ezechiæ etiam regi Dominus quondam oſtendere dignatus eſt dura, quando cùm in multitudine diuitiarū ſuarum gloriaretur vt diues; Diſpone (inquit) domi tuę, quia morieris tu, & non viues. Et ecce quàm durum ſibi præceptum iſtud videretur, ipſe declarauit, quando conuerſus ad parietem, amatiſſimè plorauit: ſicque dum per longioris vitæ deſiderium, ſubitaneæ mortis cupiuit euadere ſortem, quàm libenter viueret, exemplum dedit vnicuique qui viuit, & videbit mortem. Tali etiam modo Patriarchæ ſuo Dominus noſter olim dura monſtrauit, quando Abraham ſeruum ſuum probando tentauit, & tentando probauit, vbi in vnigeniti ſui figura, Iſaac filium eius præcipiens occidi; Offer mihi (inquit)
D illum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Et ecce quam aſperum & quam durum foret iſtud præceptum, ſolus ille ſcit, qui vnicum habet filium, & hunc dilectum. Sed & filijs Zebedæi Dominus noſter taliter dignatus eſt oſtendere dura: quando eis, quod paſſuri eſſent pro ipſo, paſſionis ſuæ præmonſtrauit figura: vbi ad eos, ſicut euangelica lectione ſæpius audiſtis & audietis. Calicem (inquit) meum bibetis. Taliter igitur Deus & Dominus noſter, qui pro nobis cœlos inclinauit & deſcendit, ſanctis, martyribus ſuis dura oſtendit, quando eis prædicens, quid paſſuri eſſent propter eum; Eritis (inquit) odio omnibus propter nomen meum. Vnde quia poſt multas tribulationes, quibus homo perſecutionis humanæ malleo tunditur, ſæpè reuerſus ad ſe, in-
E ternæ compunctionis gratia perfunditur: idcircò Pſalmographus præmiſſa iam oſtenſione tribulationis, continuò ſubinferens; Potaſti nos (inquit) vino compun-
Vinum compūctionis quodnam ſit.
ctionis. Hoc eſt poculum illud charitatis, quod beatiſſimos martyres iſtos perduxit ad conſortium deitatis, poſt quam omnes vitiorum flammas in eorum corde repertas t in vini copia, ſed compunctionis extinxit vber-
t forte legendū, non.
tas. Sed & Pſalmiſta, præuidens, quia potus iſte non oris ſed mentis, & fidelibus ſuauis, & reprobis amarus eſt; Calix (inquit) meus inebrians, quàm præclarus eſt. Ex hoc igitur calice, illud diuinæ charitatis effunditur poculum, cum quo Chriſtus in ſanguine ſuo Chriſtianum ſibi comparauit populū: quod Eccleſia in Canticis dilecto ſuo propinans in figura Sanctorum; Dabo tibi (inquit) poculum ex vino condito, & muſtum malorum

Vinum impermixtum & conditum quid ſit.

granatorum meorum. Vinum quippe ſine alterius rei commixtione, dilectio eſt ſine ſimulatione: vinum verò conditum, dilectio eſt cum operatione. Vinum ergo non ſimplex, ſed bonis operibus & ſanctis conditum virtutibus, diuinis præcipuè placere videtur obtutibus. Quod in Euangelio veritas oſtendit, cum ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et benè quidem Eccleſia pro nimiæ dilectionis affectu non aliud quodlibet poculum, ſed muſtum ſuo præbet dilecto: quia muſtum cùm feruentiſſimum eſt, nūquam à ſuo calore probatur deficere, priuſquam nimio feruore ſuo omnem immunditiam à ſe videtur eiicere. Vnde per hoc muſtum malorum granatorum non incongruè ſignatur fortis dilectio Sanctorum, qui in paſſione ſua ab omni vitiorū ſorde mundati, tam feruentiſſima dilectione Deum videbantur amare, vt neque mors, neque tribulatio aliqua poſſet eos à Chriſti charitate ſeparare. Malum autem punicum, quod in Aphrica plurimum abundat, idcircò malum granatum dicitur, quia multa granorum numeroſitate redundat: per quod ſignificatur, quod ſicut multæ manſiones ſunt in regno cœlorum, ita & in præſenti Eccleſia multæ ſunt tribulationes iuſtorum. Per hoc verò, quod malum punicum ſanguineum habet colorem, non modo martyrum Chriſti, ſed etiam ipſum Dominicum videtur typicare cruorem, qui idcirco ab Eccleſia in Canticis candidus dicitur & rubicundus: vt ex innocentia, quem habet candidus; & ex paſſione, quam pertulit, intelligatur rubicundus. In qua paſſiune ſalutiſer ille calix effuſus eſt pro nobis, per quem iſti martyres inuictiſſimi potati ſunt vino compunctionis: quem in Cāticis Canticorum transferens in ſe virtus Altiſſimi; Bibite (inquit) amici, & inebriamini chariſſimi. Ex hoc igitur poculo charitatis non indignè bibit, quiſquis non ſibi, ſed Deo viuit: particeps videlicet factus illius ſalutiferæ potationis, de qua dicitur; Potaſti nos vino compunctionis. Et bene quidem cumpunctionis internæ vino potatur, qui pro peccatis ſuis apud ſe intus in mente ſtimulatur: quoniam perfectè abluitur immundicia ſordis, quam ſæpius lauerit lachryma cordis. Non enim ſequitur peremptio furens, vbi hæc medicina præceſſerit vrens. Hæc eſt námque compunctio illa reconciliatrix, per quam reconciliata eſt Deo Maria peccatrix, quando per iudicium diuinitatis occultum, dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sed & Dauid patriarcha ſentiens ſe olim diuinam offendiſſe clementiam, vino compunctionis iſtius conuerſus eſt ad pœnitentiam: quando per internam aſpirationem recognoſcēs iniquitatem ſuam; Miſerere mei Deus (inquit) ſecundum magnam miſericordiam tuam. Tali etiam compunctione beatus Petrus ſeipſum meruit pœnitudo turbare: quando pro trina negatione Domini, reuerſus ad ſe, fleuit amarè, qui prius increpatus ab ancilla, quod vnus ex Dei eſſet amicis, reſpondit ei dicens; Neſcio quid dicis. Sic & iſti martyres Chriſti, diuinæ per omnia cupientes placere pietati, per internam aſpirationē Domini, vino compunctionis iſtius ſunt ſæpiſſimè potati: quando non ſolum pane lachrymarum eos in præſentis vitæ cibauit preſſura ſed etiam potum dedit eis in lachrymis in menſura. Vnde vt & nos dilectiſſimi fratres, cum eiſdem martyribus Chriſti, Deo gloriam demus; miſericordiam eius humiliter imploremus: vt qui vnà cum patre, & ſpiritu ſancto, vnus idémque ſemper māſit, & manet, contritionem noſtram ita clementiſſima miſeratione iam ſanet, vt qui Sanctis ſuis in præſenti ſeculo per multas tribulationes oſtendit dura, meritis eorum intercedentibus, & nobis etiam cum eis potum tribuat in lachrymis in menſura: quatenus diuina inſpiratione compuncti, dignè cum eis cantare poſſimus eloquium illud propheticæ iubilationis; Potaſti nos vino cōpunctionis. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum; Amen.

Muſtum malorum granatorum quid ſit.

Chriſtus candidus & rubicundus.

Vinum compunctionis quis potat.

Pſalm. 50.

A *Sermo eiuſdem Berengoſij Abbatis, de vno Confeſſore: de eo, quod per legem ſimila in ſacrificium offerri iubetur, Vbi de ea dicitur; In ſartagine oleo conſperſa, frigetur: offeret eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino ſacerdos, qui patri iure ſucceſſerit: & tota cremabitur in altari.*

SEMPER, dilectiſſimi fratres, fidelis quilibet per ſacræ lectionis ædificatur hiſtoriam, ſi antiquæ legis præcepta ſæpius reduxerit ad memoriam: quoniam iuſtitiæ fructum affectuoſius inde capit, ſi quod in his carnaliter legit, ſpiritaliter ſapit. Proinde charitati veſtræ non multum obeſſe putamus, ſi ex diuerſis legalium ſacrificiorum generibus, hic de pluribus pauca dicamus, quibus Pontifex iſte ſacratiſſimus N. cuius hodie feſta celebramus, in exemplū
B Moyſi, iram Domini, ſuæ ſuorúmque ſubditorum ſæpius placauit animabus. Cùm enim ſua ſuorúmque ſubiectorum vitia adhuc eſſent in radice tenera, per diuerſa legalium ſacrificiorum curauit genera: de quibus illud nobis hic imprimis occurrere videtur, vbi per legem ſimila in ſacrificium offerri iubetur. Quæ quoniam ſola nō poteſt hominem facere perfectum, oleum ſibi iuxta legis antiquæ debet miſceri præceptum: vbi vt alterum alteri fidei vnitate ſocietur in ſartagine (inquit) oleo cōſperſa, frigetur. Sicut enim per ſimilam mundicia vitæ, & per oleum opus miſericordiæ figuratur; ita per ſartaginem, quæ de forti ferro efficitur, ſpiritalis zeli fortis frixura ſignatur. Hoc ſciens vir iſte ſanctiſſimus, cor ſuum ſartaginem faciebat, in quo per zelum iuſtitiæ cō-
C tra proximorum vitia fortiter ardebat: quando pro delictis errantium eiuſdem diſtrictionis in eo ſuccenſus eſt furor, de quo Apoſtolus; Quis ſcandalizatur (inquit) & ego non vror? Quamuis enim in ſartagine cordis ſui valde videretur cruciari, quoties infirmos quoſque videbat æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari: contra vitia tamen proximorum ita ſemper ſpiritalis zeli temperauit ardorem, vt extra patientiæ limitem nunquam, aut raro præceps raperetur in furorem. Sciebat námque, quod omnipotenti Deo nullum ſacrificium tam gratum eſt, & tam charum, quemadmodum eſt zelus animarum. Vnde & Pſalmographus hac in re veritati teſtimonium perhibens de ſe; Zelus (inquit) domus tuæ comedit me. Sed hanc ſpiritalis zeli frixuram Deus
D omnipotens quàm gratanter accipiat, eadem lex maniſeſtiſſimè nobis indicat, vbi per ipſam ſimila in ſacrificium offerri iubetur, de qua ſcriptum eſt, In ſartagine oleo conſperſa frigetur. Nihil aliud eſt autem hæc ſimila in ſartagine, niſi munda mens iuſti à vitiorum nigredine, virtutum candidata ſimilagine: quæ per ſpiritalia zeli ſolicitudinem, oleo miſericordiæ tunc dignè conſperſa eſſe probatur, cùm alter alteri in charitate ſociatur. Proinde quia munda mens ſacerdotis iſtius ſacratiſſimi, principalium vitiorum in ſe maculam habebat nullam, non immerito legalis huius ſimilæ puram ſyncerámque in ſe videtur expreſſiſſe medullam. Quia verò per oleum miſericordiæ, in conſpectu Domini quaſi lucerna ſemper ardebat & lucebat, oleum ſimilæ, id eſt, charitatem miſericordiæ ſine intermiſſione miſce-
E bat. Recolens enim apud ſe, quid in lege iubebatur, conſperſit oleo ſimilam, quæ in ſartagine cordis coquebatur: quando per ſpiritualis zeli afflictionem, contra proximorum vitia in ſartagine mentis ita ſolebat exardeſcere, vt tamen ex operibus miſericordiæ, in conſpectu Domini non minus ardere videretur & clareſcere. Vnde quia nil iuuat, ſi quis zelum rectitudinis habeat in animo, niſi per amoris ignem bonæ actionis recaleſcat ex meritò: idcircò lex antiqua ſubiungens; Offeret (inquit) eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino. Simila námque, quæ oleo conſperſa in ſartagine, frigetur, calida in odorem ſuauiſſimum Domino offerri iubetur: quia niſi in animo doctoris zelus habeat amorem, ſimila non videtur habere calorem. Vnde ſacerdos iſte piiſſimus.

Simila oleum ſartago quid ſignificent myſtice.

Zelus animarū Deo gratiſſimum ſacrificiū.

Simila in ſartagine quid.

Zelus abſque charitate nil prodeſt.

piſſimus. N. qui io pectore mentis ſuæ quatuor virtutũ inſignia gerebat, per ſancti zeli ardorem ſimilam hanc calidam in odorem ſuauiſſimum Domino ſæpius offerebat: quando per diuinæ charitatis ignem, cum quo à proximorum cordibus, maliciæ frigus abduxit, ipſe in conſpectu Dei omnipotentis ſemper arſit & illuxit. Adhuc etiam ſimilam hanc, per quam (vt diximus) mentis mundicia ſignatur calidam in odorem ſuauiſſimũ Domino obtuliſſe probatur: quando ne in corde ſuo eadẽ ſimila fidei amitteret calorem, per ſpiritalis zeli rectitudinem geminæ dilectionis in ſe ſuſcitauit amorem. Sed & alio adhuc modo ſimilam hanc calidam Deo in odorem ſuauiſſimum offerebat, quando pro compaſſione proximorum, oleum ſimilæ, id eſt, charitatem miſericordiæ miſcebat: ne Dominicis ouibus minus dignè putaretur præeſſe, ſi ex negligentia paſtoris, alterum alteri videretur deeſſe. Ne enim alterum alteri in aliquo deeſſe videatur, dignum eſt, vt in cordibus doctorum, alterum alteri ſine intermiſſione miſceatur: quoniã tale eſt opus quodlibet abſq; miſericordia, qualis ſine oleo lucerna. Idcirco vir iſte probatiſſimus frixuram cordis, quam ſpiritualis zelus agebat, erga proximos ſuos oleo lætitiæ ſemper temperare ſolebat: quando eiuſdem zeli feruore ſuccenſus, & vitia ſubiectorum ſuorum, diſtrictionis gladio mactauit; & per charitatis amorem eoſdem, quos inſequi videbatur, amauit. Vnde vt ſciamus, quid de eadem ſimila lex nobis adhuc faciendum ſuggerit, continuò ſubinferens; Offeret (inquit) eam ſacerdos, qui patri iure ſucceſſerit. Ille námque ſacerdos patri iure ſuccedit, qui hoc opere teſtatur, quod credit: quoniam qui in ſeruitio conditoris, fide & opere immobilis cõſtat, ſummi ſacerdotis ſe filium eſſe demonſtrat. Ille etiam ſacerdos patri ſuccedit iure, qui in ſeipſo formam quodammodò diuinæ imitatur naturæ: vt qui eſt de terra terreſtris, fieri ſtudeat & de cœlo cœleſtis. Sic & iſte ſacerdos Chriſti digniſſimus. N. pontificalis officij Deo dignè proſequendo negocium, patri ſuo ſcilicet Chriſto, iure ſucceſſit in ſacerdotium: quando mens eius in amore ſummi Pontificis illius erat intẽta, qui per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Patri ſuo iure ſucceſſiſſe probatur, qui quod corde credidit, opere teſtabatur: quando pro amore illius de virtute iuit in virtutem, per quem corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Patri ſuo iure ſucceſſit, qui in interiore homine ſuo formam quodammodò diuinitatis expreſſit: quãdo ad hoc cogitationibus malis; & operibus renunciauit iniuſtis, vt qui portauit imaginem terreni, portaret & imaginem cœleſtis. Patri ſuo iure ſucceſſit, qui in corde bono & optimo, nec virtutibus vnquam obſtitit, nec vitiis ceſſit: quando nobilitati mentis, qua in Chriſto viſus eſt nobilitari, operum ſuorum ignobilitate nullatenus volebat diſcordando reluctari. Sic & nos, dilectiſſimi fratres, in exẽplum viri iſtius ſacratiſſimi, hoc ſemper elaboremus inſomnes, vt filij nominemur & ſimus illius, qui ait; Ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes: ne regni cœleſtis exhæredes in cõſpectu ſũmi iudicis quãdoque inueniamur rei, qui hunc ſanctiſſimum virũ tranſtulit in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Si enim eius exẽpla ſequentes, quòd bonum eſt, inuicem volumus benè operando ſectari, ſimila illa legis in altari cordis tota videtur cremari: de qua eadem lex præcipiendo ſubinferens; Et tota (inquit) cremabitur in altari. Per hoc altare nihil aliud, niſi puritas mentis intelligi videtur, quæ non ſolum ſacrificium, ſed etiam holocauſtum Deo eſſe perhibetur: ſi tamen pro animarum ſalute ita in ea fortis zeli frixura ferueſcat, vt miſericordiæ virtus in ea nõ minus ardeat & clareſcat. Aliter enim holocauſtum, quod latinè totum incenſum dicitur, à nullo fidelium in veritate perficitur, niſi per amoris ignem, quem legalis ille ignis ſpiritaliter figurat, omne vitium, quod in corde ſuo malè ſtrepit, exurat. Vnde quia in conſpectu Dei ſicut ſacræ ſcripturæ teſtatur iudicium, holocauſtum maius eſt quàm ſacrificium, ideo neceſſe eſt, vt vnuſquiſque fidelium per ſacrificium laudis, quid debeat Deo, & quid proximo ita diligenter attendat, vt per charitatis ignem totam mentem ſuam in amore conditoris incendat. Sacrificium námque offert; qui temporalia bona cum Lia & Martha benè miniſtrando Deum placat: Holocauſtũ verò, qui cum Rachele & Maria, diuinæ contemplationi attentius vacat. Sacrificium offert, qui hiſtorialiter legit, quòd virga arida quondam protulit florem: Holocauſtum verò, qui ſpiritaliter credit, quòd innuba virgo peperit Saluatorem. Sacrificium offert, qui ſecularis cõcupiſcentiæ lucra reliquit cum Matthæo: Holocauſtum verò, qui virtutum meritis arborem crucis aſcendit cum Zachæo. Sacrificium igitur & iſte vir ſanctiſſimus fuit, quando diuina contemplatione ſuſpenſus, totam mentem igne diuini amoris incendit. Sacrificium fuit, quoties per dilectionem proximi, virtutum ſcalam cum angelis deſcendentibus deſcendit. Holocauſtum verò, quando per dilectionem Dei eandem ſcalam cum angelis aſcendentibus aſcendit. Sacrificium fuit, quoties Dominicæ incarnationis pedes cum Maria peccatrice, lachrymis pœnitentiæ lauit: Holocauſtum verò quoties boni operis vnguento, caput mentis ad ipſius diuinitatis ſumma leuauit. Sacrificium fuit, quando in præſentis vitæ curſu, a temporalium rerum amore, quaſi cum Iacob in itinere dormiuit: Holocauſtum verò, quando virtutum ſcalæ cum eo deſuper innixus, per contemplationis ſpeciem ad alta tranſiuit. Sacrificium fuit, quando populo DEI præcepta legis hiſtorialiter annuncians, quaſi cum Moyſe, de monte deſcendit: Holocauſtum verò, quando ea ſpiritaliter excutiens, quaſi cum Moyſe in montẽ aſcendit. Sacrificium fuit, quando humiliora DEI mandata turbæ daturus pedeſtri, quaſi cum IESV deſcendens de monte, ſtetit in loco campeſtri: Holocauſtum verò quando ſubiectorum cordibus, ex eo, quod Pontifex erat, ad ſummum Pontificem faciens pontẽ, quaſi cum IESV, videns turbas, aſcendit in montem. Sacrificium fuit, quando quicquid in mente ſuauicioſum eſſe deprehẽdit, ſacerdotibus Chriſti iuxta præceptum veritatis oſtendit. Holocauſtum verò, quando præ nobilitate mentis, quam ex cognitione diuinitatis traxit eximia, virtutum alis de imis ſemper volauit ad ſublimia. Sacrificium fuit, quando renuncians ſeculo, ſed nondũ perfectè adhærens Domino, quaſi cum Iacob pede adhuc claudicauerat vno: holocauſtum verò, quando alius ei pes ex eo ſanus remanſit, quod in animo eius tranſire videbatur omne quod tranſit. Sacrificium fuit, quando militans Deo, negocijs ſecularibus nequaquam ſe implicauit, vt ei placeret, cui ſe probauit. Holocauſtum verò, quando diuinæ contemplationi vacans, ei placere deſiderauit nihilominus, de quo Pſalmographus, Vacate (inquit) & videte, quoniam ego ſum Dominus. Sacrificium fuit, quãdo præ timore ſupplicij deflens, quaſi cum Axa filia Caleph, irriguum accepit inferius: Holocauſtum verò, quando pro regni cœleſtis amore deplorans, cum eadem Axa irriguum poſſedit ſuperius. Verũ quia ſufficienter iam dictum eſt per ſacræ lectionis iudicium, qualiter vir iſte piſſimus, & holocauſtum fiebat & ſacrificium, reſtat vt quoniam locus & tempus hic ſe ingerit oportunè breuiter dicamus, qualiter vtrumque Deo ſe offerebat in commune; Sacrificium námque & holocauſtum obtulit Deo, quando recolens, quid deberet Deo & quid proximo reddit quæ ſunt Cęſaris Cęſari, & quæ ſunt Dei Deo. Sacrificium & holocauſtum Deo eſſe cupiuit, quando in tabernaculũ Domini, quaſi cum Moyſe crebro intrauit & exiuit: Sacrificium quidẽ, quando pro infirmitate proximorum, in his, quæ ſeculi ſunt laudabiliter exiuit. Holocauſtum verò, quando diuina contemplatione ſuſpenſus, in his, quæ Dei ſunt, humiliter introiuit. Sacrificium holocauſtum fuit, quando & lumbos mentis ſuæ caſtitatis habebat virtute præcinctos: & tamen ipſe bonorum operum lampade non minus coram Deo fulgebat intus: ſequens videlicet in hoc

Sacerdos patri iure ſuccedens qui.

Pſal. 81.

Altare quid ſignificet.

Sacrificium itemque holocauſtum qui offerant.

Sacrificium & holocauſtum, vt fuerit iſte quiſque Pontifex.

grariam viuificantis ſpiritus; & non occidentis literæ: dum & illud voluit facere, & iſtud non omittere. Hæc igitur, fratres dilectiſſimi, quæ de hoc ſanctiſſimo viro iam diximus ſpecialiter ad noſmetipſos referre poſſumus generaliter: quoniam ſi præmium æternæ retributionis cum eo cupimus participare, debemus, ſicut ipſe ambulauit, & nos ambulare. Vnde vt priora, quæ dimiſimus, denuo reperamus, ſimilam offerimus, ſi mundiciam mentis in corde ſeruamus: illorum videlicer ea emplo ab omni vitiorum emundati ſorde, de quibus ſcriptum eſt; Beati mundo corde. Huic autem ſimilæ benè oleum miſcemus, cum proximis noſtris charitatis & miſericordiæ opera eahibemus: quoniã omniporenti Deo ſacrificium noſtrum ſic permaximè placet, ſi cum ſeueritate, quã ſpiritualis zelus eahibet, manus à miſericordia non vacer. Deinde verò eandem ſimilam, ſicut in lege iubebat Dominus, oleo lætitiæ, conſpetſam bene in ſartagine ponimus, ſi cor noſtrum per ſpiritualis zeli deſtructionem, quæ in cura animatum perfectius monſtratur, non ſolum ſacrificiom, ſed etiam holocauſtum Deo eſſe probatur. Quam etiam calidam Deo offerimus, in odorem ſuauitatis, cùm zelus rectitudinis amorem babet charitatis. Quoniam noſipſi ea, de qua eadem ſimila offerrur, ſartago ſumus, ſi præ calore virtutum, omnis vitiorum à nobis euanuerit fumus. Sacrificium aoté offerimus, ſi carnis curam in concupiſcentiis non fecerimus. Holocauſtum verò, ſi totam intentionem noſtrã in amore diuinitatis incenderimus. Sacrificium etiam offerimus, ſi ablato à nobis fermento maliciæ & nequitiæ, in ara cordis noſtri ſacrificamus Deo ſacrificium iuſtitiæ: Holocauſtum verò, cùm per boni operis conſummationem, illi deſideramus in perpetua æternitate conſcribi, ad quem Pſalmographus; Holocauſta (inquit) medullara offeram tibi. Sacrificium verò & holocauſtũ offerimus immaculatum, ſi cor noſtrum ab omnibus vitiis exutum, totum diuinæ charitatis fuerit igne crematũ: quatenus per bonæ operatioois incenſum legali huic ſimilæ dignè poſſit cõparari, de qua dicitur; Et tota cremabitur in altari. Tunc quippe ſimila in altari tota crematur, ſi Deus à nobis tota mente & tota virtute diligatur: ita tamen, vt per internum zeli ſpiritualis ardorem, in ſartagine cordis noſtri, fraternæ etiam correctionis incendamus amorem. Qui enim errantes proximos ſuos corrigunt, & tamen in ipſa correctioue ſpiritualem zelũ remperare ſciunt: hi nimirum omnipotenti Deo & ſacrificium & holocauſtũ fiunt. Vnde neceſſarium eſt nobis, fratres chariſſimi, vt in hoc maligno tempora ſuffragium quæramus ſacerdotis iſtius ſacratiſſimi: quatenus meritis ipſius ac precibus, illo ſpirituali zelo repleat nos Deus, de quo ſcriptũ eſt; Tabeſcere me fecit zelus meus: vt & nos cum ipſo per dilectionem proximi, huic legali ſimilæ ſic oleum miſericordiæ miſceamus, vt per dilectionem Dei eandem ſimilam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino iugiter offerre valeamus: ne frigore totius iniquitatis & maliciæ preſſi, in numerum tranſeamus illorum, de quibus dictum eſt: Refrigeſcet charitas multorum: Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, in ſæcula ſæculorum.

Similam quando & nos offeramus &c.

Sacrificium noſtru Deo quando gratiſſimu.

Sacrificium & holocauſtum quando offeramus diſtinctim.

Pſal. 65.

Quando confumtim eadem offeramus.

Simila tota quando in altari crematur.

Pſal. 118.

Matth. 24.

Sermo Berengoſij Abbatis, de vno Confeſſore atque Pontifice, de eo, quod lex præcipit; Ignis in altari ardebit ſemper, quem nutriet ſacerdos, ſubiiciens mane ligna per ſingulos dies: & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis iſte perpetuus eſt, qui nunquam deficiet de altari.

Leui. 6.

QVIA Dominus noſter Ieſus Chriſtus, fratres chariſſimi, per prædicatores Eccleſiæ nomen ſuum in gentibus eo tempore voluit vbique diſtendi, quo pro illuſtrandis fidelium cordibus, ignem ſuum miſit in terram, & voluit vehementer accendi: dignum ducimus, vt in feſtiuitate ſacerdotis iſtius ſacratiſſimi N. cuius hodie ſolemnia colimus, legalis illius ignis commemorationem faciamus, quem idẽ Chriſti prædicator egregius, aſſiduè quondam in ſubie- A ctorum ſuorum incendit animabus. Lex enim antiqua typicè nobis olim prænuncians, qualiter vnuſquiſque fidelium diuini amoris igne iugiter ardere ſtudebit, in quodam loco inde nos inſtruens; Ignis (inquit) in altari ſemper ardebit. Statimque præſignans, qualiter pro eodem igne nutriendo ſacerdoti cuique quotidiani exercitij nulla concedenda eſt quies; Quem nutriet (inquit) ſacerdos, ſubiiciẽs mane ligna per ſingulos dies. Deinde verò inſinuãs, quale holocauſtum Deo redolere debeat in cordibus electorum; Impoſito (inquit) holocauſto deſuper, adolebit adipes pacificorum: Et quoniam idem ignis in altari cordis noſtri ſemper debet & ſine ceſſatione cremari, continuò ſubinferens; Ignis iſte, ait, perpetuus eſt, qui nunquam deficiet de altari. Igitur vt ea, quę B nunc hiſtorialiter recitata ſunt, diſcutiamus, tempus eſt, vt per hæc quatuor, quæ propoſuimus, ſoluendo redeamus. Ignis (inquit) in altari ſemper ardebit. Cor quippe noſtrum altare eſt Dei, ſi tamen noſipſi filij lucis ſumus, & filij diei: ita vt quaſi ſecti ea lapidibus viuis, & virtute quadratis, Deo dignè in nobis offerri valeant dona & ſacrificia pro peccatis. Vnde & ignis ille legalis non immerito ſemper ardebit in altari; id eſt, in ara cordis noſtri, diuinæ charitatis ardor debet ſine intermiſſione cremari, ex illo videlicet, quem prædiximus; igne vim ſemper accepturus ardendi, quem Dominus miſit in terram & voluit vehementer accendi. Cui videlicet igni, ne in ſubiectorum ſuorum cordibus aliquando videretur deficere, ſacerdos iſte ſacratiſſimus mane per ſingulos dies C ligna, id eſt; antiquorum Patrum ſolebat ea empla ſubiicere: quatenus in eorum cordibus vitiorum omniũ torſionibus ab eodem igne crematis, ad diuinum amorem & fidei eos ignis, & lampas accenderet charitatis. Vnde ne pro cæcitate cordis noſtri iuſtus iudex in futuro quãdoque iudicio iuſtè nos damnet, dignũ eſt, vt vnuſquiſq; noſtrum, dilectiſſimi fratres, quibuſcunq; valet nitibus, ſe ſtudio charitatis inflammet: ita videlicet conferens in corde ſuo euangelicæ teſtimonium veritatis, vt in ara cordis ſui nunquam deficiat flamma charitatis. Quibuſdam enim minus adhuc in charitate perfectis ſæpe contingit, quod in cordibus qualemcũque diuinæ dilectionis ignem ſemel accenſum, nox aliqua prauitatis extinguit, ſicque paulatim deficiens, in eorum mentibus citiſſimè fiet extinctus, niſi adhibitis ſcripturarum exem- D plis, apud ipſos quotidie repareturintus. Hoc ſciens vir iſte ſanctiſſimus, ignem hunc non ſolum in ara cordis ſui aſſiduè reparauit, ſed etiam in cordibus fideliũ nutriens, quotidie ligna, id eſt, ſcripturarum teſtimonia eis ſufficientiſſimè miniſtrauit: quatenus legale illud holocauſtum Deo redoleret in cordibus ipſorum, de quo lex antiqua ſubinferens, Impoſito (inquit) holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Quiſquis enim inter ſe & Deum vult facere pacem, primitus in ſe geminæ dilectionis incenſurus eſt facem: quia tunc Deo dignè de ſe odorem ſuauiſſimũ reddit, ſi pro dilectione Dei & proximi, ad humilia quæque ſe ſtudio charitatis inflectit. Vnde & vir iſte ſanctiſſimus, poſtquam eodem igne ſuccenſus, animam ſuam non viribus & poteſtate, ſed con- E ſilio & pietate regebat, cogitationum ſuarum interna conſiderãs, ſeipſum in cordis holocauſtum deſuper imponebat: quando in ſeipſo ſpiritaliter incendens, quod lex carnaliter iuſſit, omne vitium, quod in ſe carnaliter viait, ſpiritaliter excuſſit. Vt enim per hanc hoſtiam inter ſe & Deum pacem faciens, ad perpetuæ pacis poſſet peruenire dulcedinem, pacificorum adipem, id eſt, internam bonæ conuerſationis Deo ſolebat adolere pinguedinem: quando in corde ſuo peccatis omnibus diuinæ dilectionis igne crematis, ſeipſum obtulit Deo ſacrificium in odorem ſuauitatis. Et quoniam eiuſdem diuinæ charitatis amor inuiſibilis, in cordibus electorũ ſemper permanebit inextinguibilis, idcirco vir idem beatiſſimus, eiuſdem legis ea, quæ adhuc reſtant, ſtuduit præcepta ſectari: in quibus dicitur; Ignis iſte eſt perpetuus, qui

Leui. 6.

Cor noſtrum altare Dei.

Luc. 12.

Ligna quid ſint myſtice.

Pacem inter Deum & ſe facturo quid neceſſarium.

Adipes pacificorum quid.

qui nunquam deficiet in altari. Nullus enim Deum verè probatur amare, niſi quem neque tribulatio, neque anguſtia poterit ab eius charitate ſeparare: quoniam amor æternæ dilectionis in eorum mentibus nunquam ocio tabeſcit, in quibus de die in diem, diuinæ charitatis feruor ſemper acceſcit. Hoc ſciens ſacerdos iſte beatus, eo magis magiſque proſpera mundi pro Chriſto ſolebat deſpicere, quo eundem diuinæ charitatis igne in ara cordis ſui nunquam paſſus eſt deficere: quatenus in perpetuas æternitates illi ſemper adhæreret igni, qui nullis vnquam tentationibus poterit extingui. Sed & per eundẽ charitatis ignem, omnes ſibi commiſſas ad hoc, de morte ad vitam, de tenebris reuocauit ad lucem: vt boni operis lampade, ad ipſum lucis auctorem ſeipſum præuiatorem ſequerentur ac ducem: quando per fidei ignem, & charitatis flammam ſic intus ſibimetipſi ſemper conſueuit ardere, vt tamen proximis ſuis non minus foris per boni operis videretur exẽpla lucere: Vnde quia tali magiſterio ſeipſum formam benè viuendi, Chriſti ſemper ſolebat exhibere miniſtris, idcirco in futuro, vt credimus, nihil commune habiturus eſt cum ſiniſtris: ſed inter illos potius prædicationis apoſtolicæ viros, partem quandoque debet habere cum dextris, quibus euangelica olim veritas; Sint (inquit) lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et ideo neceſſe eſt, vt & tu ô Chriſtiane, diligenter apud te die noctúq; perpendas, qualiter exemplo viri iſtius in te, per ſcripturarum teſtimonia, ignem diuinæ charitatis ſemper accendas: ſciens videlicet, quod ſummi ſacerdotis membrum aliter nõ fies, niſi antiquorum Patrum exempla ſubiicias tibi manè per ſingulos dies. Et ideo, vt quotidie valeas Deo dignè ſeruire in ara cordis tui, diuinæ charitatis flãmam debes ſine intermiſſione nutrire: ne deterius tibi aliquid inde contingat, ſi in corde tuo ſuperni amoris ignem nox alicuius cæcitatis extinguat. Hic eſt enim ignis ille, quem antiqua diuinitas per prædicatores ſuos olim latius ſparſit, quando ad illuminationem gentium, ignis in conſpectu eius exarſit, per quem corda fidelium cum carbonibus illis ad ad fidem incenderentur à Deo, de quibus propheta ſubiungens; Carbones (inquit) ſuccenſi ſunt ab eo. Apoſtoli namque, eorúmque ſucceſſores, quid aliud erant, niſi carbones, dum per exemplum boni operis, & lumen prædicationis, & ſibimetipſis ardebant intus, & aliis foris. Ad hoc enim corda fidelium illis cœleſtis verbi ſagittis, potenti ſolebant iaculare virtute, de quibus ſcriptum eſt; Sagittæ potentis acutæ; vt & ipſi deſolati à vitiis, & purgati à peccatis, carbonibus illis aſſimilarentur purgatoriis, de quibus idem propheta ſubiungens; Cum carbonibus (inquit) deſolatoriis. Per carbones quippe deſolatorios, conuerſi quilibet exprimuntur: qui quaſi per peccatum prius extincti, & per iuſtitiam poſtea reaccenſi, ex mortuis operibus ad Chriſtum conuertuntur, quatenus in deſolatione vitiorum, & operatione virtutum, ex verbis cœleſtibus ſemper addiſcant, qualiter de tenebris ad lucem, de morte ad vitã ſine intermiſſione reuiuiſcant. Quæ ſententia virum iſtũ de quo loquimur, nequaquam deſtituit: dum per cœleſtis verbi myſterium, bonis moribus & probis actibus vitam ſuam ſemper inſtituit: quatenus in corde ipſius, ex inceſto caſtus, & ex impuro purus fieret locus deſolatus, vt in habitaculum Dei, in ſpiritu ſancto ſemper poſſet eſſe paratus. Vnde non immerito ex eiſdem carbonibus vnus erat, dum per boni operis lumen, ſibi & Eccleſiæ intus & foris ſemper ardere & lucere ſolebat: ita vt licet in eo diuinæ charitatis ardor raro aut nunquam videretur extinctus, omnis tamen gloria eius, quaſi gloria filiæ regum, ſemper eſſet ab intus. Sed & duo diſcipuli illi eiuſdem diuinæ charitatis igne; quaſi carbones ardebãt, qui poſt reſurrectionem Domini cum eo ſe loqui & ire neſciebant quando ſera pœnitentia recolentes ſe locutos fuiſſe cum Meſſia; Nonne (inquiunt) cor noſtrum ardẽs erat in nobis, cum loqueretur in via. Taliter quippe olim legifer ille Moyſes, taliter Aaron ardebat & Phinees tali etiam modo Dauid ardebat cum Helia, quemadmodum iidem duo diſcipuli, quibus Dominus loquebatur in via. Nonne enim Moyſes igne charitatis ardebat, qui iræ Dei reſiſtens, mortem cadentis populi, ſua morte commutare volebat: quando ad Dominum, vt in libro Exodi ſæpius legere potuiſti; Dimitte (inquit) eis, hanc noxam, alioquin dele me de libro, quem ſcripſiſti. Nõnne & Aaron eiuſdem charitatis igne ſuccenſus erat, qui iræ Dei æquè reſiſtens, inter viuentes & mortuos thuribulum ferebat: quatenus iram furoris eius immenſi, fumo placaret incenſi. Nõnne & Phinees zelo charitatis fortiter ardebat, qui luxuriantes cum alienigenis, in ipſo coitu trucidare ſolebat, quando Iſraëliticæ plebis largiter effundendo cruorem, diuinum ita placauit furorem. Nõnne etiam Helias homo ſimilis nobis, & paſſibilis in corde ſuo feruorem eiuſdem charitatis habebat inextinguibilis, quando aridæ diutius terræ imbrem de cœleſtibus dolens eſſe ſubductum, orationibus ſuis & cœli obtinuit pluuiam, & terræ fructum. Nõnne & Dauid eodem igne charitatis accenſum eſſe cognouimus, qui, vt in libris regum legimus, obicem ſe quondam pro ſuis opponebat ouibus, quando pro his orans, qui angelo cædente perierunt, Ego ſum (inquit) qui peccaui: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt. Adhuc etiam & aliud myſterium grande ſimile his videmus in Ioanne, qui populum Dei ad vias illius quondam in deſerto reducẽs, iuxta teſtimonium diuinitatis lucerna erat ardens & lucens, quando ſe dignum exhibẽs, ad quem veritatis fieret ſermo, ſibimet intus arſit deſiderio, & aliis exterius luxit verbo. Quia ergo ſufficienter iam prælibauimus, quanta charitas fuerit in cordibus Patrum præcedentium; reſtat vt aliquid ſimile referamus ex Paulo doctore gentium. Ipſe enim eodem igne charitatis, quo & ipſi, fortiter ardebat: quando pro fratribus ſuis & ipſe anathema fieri cupiebat. Qui & in alio adhuc loco æquè demonſtrans, quatenus in eo diuinæ charitatis fuerit feruor; Quis infirmatur (inquit) & ego non infirmor? quis ſcandalizatur: & ego non vror? Cuius etiam charitatis exemplum adhuc inde poſſumus euidentius ſcire, quod pro ſalute Galatarum ſeipſum dicebat parturire: quando ad reformandam in eis diuini virtutem amoris; Filioli (inquit) mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Vnde quia Patres iidem beatiſſimi non zelo amaritudinis, ſed zelo pietatis talia fecerunt, quando in cordibus proximorum, diuinæ charitatis ignem incenderunt, ſciendum eſt, quod ſicut in ſacro eloquio duo ſunt zeli, zelus ſcilicet amaritudinis, & zelus dilectionis: ita etiam duo ſunt ignes, ignis videlicet furoris, & ignis amoris. Zelum quippe amaritudinis mulier illa quondã habuiſſe videbatur, quæ filio mulieris alterius inuidens; Nec mihi (inquit) nec tibi ſit, ſed diuidatur. Zelum autem dilectionis Pſalmographus habuit in ſe, quãdo pro iniquitate Iudæorum ſuſpirans; Zelus (inquit) domus meæ comedit me. Quia ergo, qui duo zeli ſunt, perſtrinximus hiſtorialiter, ita & qui duo ſunt, ignes, diſtinguamus æqualiter. Quis enim diuini furoris ſit ignis, plenius edoceri poteſtis ab eo; qui per Moyſen prophetam; Ignis (inquit) ſuccẽſus eſt in furore meo. Quis verò ignis amoris ſit, per legem ſcire valetis, vbi de paſchalis agni comeſtione nos inſtruens; Si quid (inquit) reſiduũ fuerit, igne comburetis. Vnde vt in cordibus noſtris, dilectiſſimi fratres, & vnum ignem extinguere, & alterum incendere valeamus, dignum eſt, vt opem ſacerdotis iſtius ſacratiſſimi tota mẽte, tota deuotione quæramus: quatenus meritis ipſius ac precibus, ita in nobis ignis diuini reſtinguatur furoris, vt corda noſtra ſemper illuſtrare dignetur ignis amoris. Et quoniam præ igne furoris Domini omnis caro quandoque tabeſcet, quando ad diſcernendum bonos & malos, ignis in conſpectu eius exardeſcet, orandum eſt nobis, ne tunc ab æterno igne cum reprobis deuoremur & malignis, quando in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis: ſed per illum potius diuinæ charitatis ignem liberari mereamur inde.

Luce 12. *Adhortatio ad Chriſtianum.* *Pſal. 17.* *Pſal. 119.* *Carbones deſolatorij quid.* *Pſalm. 44.* *Luc. vlt.* *Exod. 32.* *Galat. 4.* *Zelus duplex. Ignis duplex.* *Pſalm. 20.*

qui olim ſupet vnigenitũ Dei filium in columba, & ſuper diſcipulos venit in igne: Quod ipſe nobis præſtare dignetur, qui cum Patre in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO BERENGOSII ABBATIS, IN dedicatione Eccleſiæ, déque reliquiarum veneratione.

GAVDIO, & exultatione multiplici eot noſtrum hilateſcit, quoties feſtiuè Sanctorum colit memotiam, quibus annuatim Eccleſia noſtra celebris floreſcit. Eccleſia námque noſtra, quàmplorimis Sanctorum ſolennijs lætabunda redditur, variòque decose ſpecioſa efficitur, & velut vernãdo florida ſpecie reſplendet, cunctiſque cernentibus læta arridet. Nec immerito, quia quoties feſtiuis Sanctorũ natalitiis debito honore titè celebratis, in Domino gloriamur, toties ipſorum precibus & meritis adiuti, larga benedictionis gratia creatoris noſtri perfũdimur. Quicquid enim laudis & honoris militibus regis impenditur, totum ad gloriam regis, cuius ſceptro milites inſigniti ſunt, titulatur. Nec dubiom, quin eos ſemper habeamus patrocinantes in cœlis, quosum celebritates piæ deuotionis ſtudio gerimus in tetris. Si enim noſter ſpiritus, necdum carnis materia exutus, & tamen dilectionis geminæ feruore interdum ad aſtra libratus, preces Domino pro ſuis dilectoribus nititur effundere, vtique præſtãtius credendum eſt Sanctorum animas, ſummæ dilectionis plenitudine feruidas, ſuis in ſolẽnitatibus, ad ſui corporis pignora fouentes deſcendere, ſuorumque pro ſalute fidelium intercedere, ac debitæ retributionis donatiuum ſuis veneratoribus impendere. Habentes igitur carmina huius ſpei pignora, ſcilicet ipſorum beatorũ ſpirituum cauuias, dignis honoribus Sanctorum præconia celebremus: amplius autem feſtiua eorum gaudia debitis laudibus extollamus, quorum cineres & oſſa ſuo in ſinu largius refouet hæc noſtra ſpecialis Eccleſia. Noſtis autem, fratres chariſſimi, hæc vnicè nobis dilecta, ſpecialis vtiq; Eccleſia; cuius grati læti quieſcimus in gremio, ecce quàm læta fouet, vnde fœta floret: quàm prædiues per ſanctorum cineres, virgineóſque flores, quot ſeruet integra verè fœlicium tegumenta, quotq; poſſideat oſſa vtriuſque ſexus latè collecta. Lætamini igitur & exultate in ea, omnes qui diligitis eam, gaudete cum ingenti lætitia, & hodiernæ feſtiuitatis celebria læti ſuſcipite gaudia. Et vt in hac ſolennitate celebrius gloriemur in Domino, idipſum nobis ſcripturæ authoritas commendat, cùm hæc verba commemorat; Lætamini (inquit) in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Nos verò, ſi inter iuſtos & rectos necdum cenſemur, deſiderio tamen & optione cum iuſtorum patrocinio ſanctorum nobis ſtudendum eſt, ne ſaltem omnino iuſtitiæ expertes inueniamur. Huius ergo diei ſalutifera gratulabundi recolite ſolennia, ſcilicet pro electis atque præclaris huius Eccleſiæ margaritis, próque vernantibus atque coruſcantibus electæ altricis noſtræ floribus. Eo autem rationis tenore nobis exultandum hodie denunciamus. Primò quidem, quia Eccleſia noſtra floriditate apoſtolicæ viriditatis ſeu ſmaragdiuis redimita, luceſcit gemmis. Secundò, quia ſanguineis martyrũ coruſca rutilat roſis. Poſt hæc, quia clariſſimis Confeſſorum phalerata nitet margaritis. Deinde quia virgineis floridula albeſcit lilijs. Poſtremò etiam; quia opulentia plurimorum vtriuſque ſexus Sanctorum, quaſi fragrantia multarum ſpecierũ ditata ſuauiſſimè redolet, floret, viget atque pollet. Quorum omnium fidei conſtantia nos roborat, & ſpei altitudo eleuat & charitatis plenitudo exhilarat. Lætus ergo dies apud nos iſte tranſeat, quẽ nobis, fratres chariſſimi, tot & tantorum Sanctorum cõmemoratio commendat. Totus canora iubilatione prodeat, quem & angelorum æquè & Sanctorum parili cõcentu grata ſocietas concelebrat. De hoc quippe feſtiuo magnæ ſalutis gaudio ex ſcriptura canimus in Pſalmo; Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum ad audiendum audita eſt. Aptiſſimè profectò vox exultationis & ſalutis in iſto audiri fas eſt hodie domicilio, quia nimirum hodiernæ diei in celebritate, dum generaliter memoria fit omnium, quorum in iſta reliquiæ continentur eccleſia Sanctorum, credimus æquè & in cœlo & in terra laudes reſonare ipſorum: dum & nos in terra pio amore amplectimur cineres & oſſa, & angeli exultantes in cœlo, concinunt ſuper animarum conſortio; Gloria in excelſis Deo. Credimus nempe & huic Sanctorum ſolennitati, angelicam cum ſuis occurrere præſentiam: ſi tamen dignis honoribus hanc ritè celebrauerimus, ſi per ſanctificationem vitæ vox noſtra voci amborũ meretur commiſceri cœlicolarum. Alioquin magna huius diei celebria dignis laudibus nequaquam decenter recolimus, niſi per ſanctificationem vitæ noſmetipſi laus Dei fuerimus. Scriptum námque eſt; Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Renunciantes ergo peccatorum vitiis circuncidamus præputium cordis noſtri, vt videlicet igne diuini amoris attacti, emundatis labiis, gratanter hymnidicas laudes Domino Sabaoth concinamus cum Sanctis & angelis, quatenus ipſorum collegio tandem mereamur aſſociari in cœlo. Tergamus ergo oculum mentis à vitioſo puluere peccaminis, & intueamur eos, quorum laudibus dicatur dies iſta celebris: ſequamurque eorum veſtigia, ſi demũ cupimus attingere cœli veſtigia. Quorum enim vitam imitati fuerimus, ipſorum quippe & adepturos nos gloriam credimus. Et quorum exemplati formæ imprimi renitimus, ab ipſorum etiam participatione proculdubio ſecernemur. Quæ nam pars fideli cum infideli? Aut quæ ſocietas luci cum tenebris? Quid templo Dei cum idolis? Diligit námque omnis anima ſimilem ſibi: vnde per quendam ſapiẽtem dicitur: Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimile ſibi coniungetur, & omnis homo ad ſimile ſibi ſociabitur. Sicut communicabit lupus agno, ſic aliquando peccator iuſto. Quæ cõmunicatio homini ſancto ad canem? Quam igitur rogo partem vel ſocietatem habiturum creditis inceſtum cum caſto? ebrioſum cum ſobrio? raptorem vel iniquum cũ iuſto vel ſancto? Blaſphemum vel detractorem cum bonloquo? mendacem cum veridico? obſtinatum vel auarum, cum largo? flagitioſum cum religioſo? Vos ergo fratres chariſſimi, qui Chriſtianitatis nomine appellamini fideles, recuſate paganiſticis moribus infideles cenſeri. Qui verò lux in Domino, charactere apoſtolico titulamini, nolite vitiorum tenebroſa caligine principi tenebrarum aſſignari: qui etiam in ſacri eloquij pagina templum Dei depingimini, ſtatuere in cordibus veſtris ſimulachra deorum viribus totis renitimini. Quiſquis enim aliquid plus quàm Deum diligit, conſtat, quia fano ſui cordis iam idolum ſtatuit, cui toties ſeruiendo procidit: quoties illud cum frequentatione excolit, & eius ditioni ſe ſubdit. Scriptum enim eſt; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Ita & ille ſolus ſummè diligendus, qui ſingulariter adorandus, ac ſtudioſiſſimè excolendus eſt. Quicquid igitur contra huius amoris vel exercitij cultum eſt, profectò medullitus eliminandum eſt. Apoſtolico autem dogmate inſtruimur, quoniam habitatio Dei ſtructura corporis noſtri eligitur. An neſcitis (inquit) quoniam corpora veſtra templũ ſunt ſpiritus ſancti, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Et rurſum: Templũ Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Quamobrem, fratres chariſſimi, neceſſarium ducite ab omni peccaminis fœditate templum Dei expurgare, cuncta rerum trãſitoriarum idola funditus eliminare, vitioſi operis impedimenta expellere, orationum thuraturam latius expandere, charitatiui ardoris ſplendoribus illuminare, omnium virtutum redolentiam conſpergere: vt habitatorem huius templi vobis placabilem & gratiæ largitorem valeatis

Adiuuamur precibus & meritis Sanctorũ.

Specialiter nobis colendi Sancti, quorum gaudemus reliquiis.

Pſal. 32.

Cur feſtum reliquiarum magno ſtudio colendum ſit.

Virtutibus Sanctorum attollimur & confirmamur.

Pſal. 117.

Sanctorum veſtigia nobis imitanda.

valeatis acquirere. Vt autem efficaces huius rei poſſimus fieri opifices, & obnixis precibus conquirendi ſunt idonei fautores, quos hodie veneremur huius operis prædeceſſores. Itaque primum venerationis ſtudio reddendi ſunt beneuoli, poſtea fiducialius prædicandi. Sed tunc certius eorum aures nobis accliues reddimus, ſi operis atteſtatione ipſorum, boni æmulatores fuerimus. Ecce ipſi carnis materia induti, ſicut euidentibus ſignis elucet, totius criminoſi operis immunes & expertes, vitam coram Deo & hominibus honeſtam duxerunt, & ab huius mundi inquinamento incontaminatas manus continuerunt. Florem mundi omnibus cum ſuis oblectationibus ſpreuere, & cœleſtia omni cordis intentione inſtantius exquiſiere: ieiuniis & orationibus inſiſtentes, carnis iura domabant, ſpiritum roborabant. Cum ſalutis inimico belligera manu congredi non dubitauere, quem & armis præcincti diuinis proſtrauere: dum in nullo feritati eius cedunt, ſed vſque ad finem fortiter dimicando reſiſtunt. Cuius tyrannide victrice manu deuicta, triumphales ſibi titulos ſummi regis, in aula proprij cruoris ſigno inſcripſerunt, per eos quos eorum memoriale florebit in ſecula: cum vrgente anni circulo ſemper rediuiuo fructu laudis vernant, & nos in augmentum meriti ſui, lucrando germinant; Vnde ſcriptum eſt, In memoria æterna erunt iuſti. Item alio modo dicitur A in alio loco; Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantatæ in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta prouectiori, & benè patientes erunt, vſquequo poſteris, quod agnouerint, annuncient, ſcilicet, quoniam Dominus Deus noſter iuſtus & rectus eſt, & in illo nulla eſt iniquitas. Verum eſt fratres, quoniam multos ante annos defuncti, adhuc viuaciter loquuntur, dum quotidie per eorum dogmata; fideles ad Dominū conuertuntur, & ad opus bonum per eorum exempla roborantur. Quamdiu itaque huius mundi orbita voluitur, ipſorum venerabile meritum ſemper accipit incrementum. Agamus ergo chariſſimi, immenſas in ipſo- B rum ſolennitate creatori noſtro laudes & gratias, qui & illis regnum, ante ſecula præordinatum, in cœleſtibus iam contulit, & nos eiuſdem regni participes fore, reintegrata per eius ſanguinem ſalute repromiſit. Ipſi ergo omnium regi ſeculorum, pro his omnibus laus & gloria per infinita ſecula: nobis autem miſericordia ſempiterna, Amen.

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM DE DIVINIS REBVS ET VARIIS SCRIPTVRÆ LOCIS HOMELIAS; HVIVS Bibliothecæ Tomus ſecundus hucuſque complectitur.

Digitized by Google